


VETERUM SCRIPTORUM ET MONUMENTORUM HISTORICORUM, DOGMATICORUM, MORALIUM, AMPLISSIMA COLLECTIO.

TOMUS IX.

VARIA COMPLECTENS OPUSCULA SANCTORUM PATRUM, ET ALIORUM AUCTORUM ECCLESIASTICORUM.

Prodiit nunc primum studio & opera domni EDMUNDI MARTENE, *& domni* URSINI DURAND, *Presbyterorum & Monachorum Benedictinorum è Congregatione S. Mauri.*





PARISIIS,
Apud MONTALANT, ad Ripam PP. Augustinianorum, prope Pontem S. Michaëlis.

MDCCXXXIII.
CUM PRIVILEGIO REGIS, ET SUPERIORUM PERMISSU.



PRÆFATIO IN TOMUM IX.



Ervenimus tandem ad nonum & ultimum amplissimæ hujus Collectionis tomum, quo varia continentur sanctorum patrum & aliorum scriptorum ecclesiasticorum opuscula, quibus cum singulis prævias præmiserimus observationes, quibus rerum omnium ratio accurate exigitur, nemo hic a nobis ampliorem jure requiret præfationem. Superest igitur, ut quorum maxime officiis hæc veterum monimentorum congeries tantam excreverit in molem vel grata commemoratione prædicemus.

2. Utque res ab ovo sumatur, dici vix potest quanto fuerint nobis adjumento hujus almæ Urbis Parisiensis bibliothecæ insigniores, regia, Colbertina, Victorina, & collegii regii Navarræ, quarum clarissimi præfecti studiis nostris impense faventes, quoslibet codices manu exaratos humanissime exhibuere, in quibus maxime commendandus venit doctissimus vir dominus *de Targny*, cujus singularia in nos merita, eademque continua, nulla umquam delebit oblivio. Nec minus debemus illustrissimo domino *de Chauvelin* regiorum sigillorum custodi, cujus bibliotheca, codicibus manuscriptis pretiosissimis referta, nobis quoties libuit semper aperta fuit. Sed neque minoris momenti fuere, quas ad manum habebamus Acherii, Mabillonii, aliorumque fratrum nostrorum carissimorum litterariæ gazæ, ex quibus quantum profecerimus facile colligitur vel ex tertio tomo, qui totus Mabillonii est.

3. Jam vero profectis in Belgium ad nostra promovenda studia primum occurrit antiquissimum ordinis nostri monasterium Attrebatense sancti Vedasti, cujus vastissima bibliotheca cum editis libris tum codicibus manu exaratis ditissima, ceteras ejusdem provinciæ bibliothecas facile superat. Ex plerisque autem monimentis; quæ abunde suppeditavit, non ultimo loco haberi debent S. Bernardi abbatis Clarevallensis epistolæ ultra triginta, quæ primum hujus Collectionis tomum ornant; Alexandri papæ III. registrum epistolarum circiter quingentarum ad Remensem provinciam spectantium, non numeratis præcedentium pontificum epistolis non paucis; Acta concilii Bituricensis anno MCCCCXXXVIII. celebrati; quibus addo concilium Remense sub Samsone archiepiscopo, quod in cathedrali B. Mariæ bibliotheca a nobis repertum est, & quædam alia.

4. Inde Aquicinctum ejusdem diœcesis & ordinis abbatiam percelebrem digressi, omnique humanitate admissi, reperimus bibliothecam veterum codicum copia locupletissimam, nec sane Vedastina inferiorem, si libros editos exceperis. Ex qua præter trium psalmorum expositiones ab Hilario Pictavensi episcopo sanctissimo scriptas, nec usquam hactenus evulgatas; Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis libros eruimus adversus perversam sectam Sarracenorum, ab erudito viro Andrea Quercetano, biblio-

thecæ Cluniacensis editore diu desideratos, multum inquisitos, & nusquam inventos; Actorum in concilio Basileensi amplissimum volumen, mutilum tamen in fine, quod idem esse suspicor cum Petri Brunelli canonici Attrebatensis collectione, cujus autographum in Sorbonica extat bibliotheca, ut multa alia prætercam, quæ nos diebus decem indefesse laborantes occupatos tenuere.

5. Ab Aquicincto non multum distant Marchianense S. Rictrudis, Elnonense S. Amandi, Viconiense, & Tornacense S. Martini, quorum codices non sine fructu perlustravimus: nec nos etiam visitasse pœnituit Grimbergense ordinis Præmonstratensis & Rubeam-vallem canonicorum regularium monasteria prope Bruxellas, in quorum uno Statuta antiqua synodalia ecclesiæ Cameracensis tomo VII. hic edita, in altero vero reperimus expugnationis urbis Constantinopolitanæ historiam, quam habes tom. V. Venio ad Andaginensem S. Huberti nominatissimam abbatiam, & in paucis memorabilem, non solum frequenti eorum concursu, qui a quovis rabido animali affecti, & in ejusdem morbi discrimen adducti, opem a sancto Huberto imploraturi illuc veniunt, quorum nullus hactenus non recuperata sanitate recessit; sed etiam regulari observantia, effusis eleemosynis, ædificiis, & quod nostra maxime interest, eleganti bibliotheca, in qua plures optimæ notæ codices mss. qui nobis Leodiensium episcoporum Historiam ab Alexandro canonico ante annos sexcentos compositam; Cantatorium, sic vocant Andaginensis monasterii historiam circa annum MCVIII. accurate conscriptam, capitula quædam regum Francorum, & nonnulla antiqua concilia, quæ locum in nostra hac Collectione habent, subministrarunt.

6. Inde ad imperiale ordinis nostri monasterium Stabulense antiquissimum, a Sigiberto rege, hortante S. Remaclo, fundatum perreximus, cujus abbas illustri S. R. I. principis titulo insignitur. Eo in monasterio pauci, sed optimæ notæ supersunt codices mss. in quibus non spernendæ sunt Quæstiones in Danielem prophetam, quas ex authentico Petri archidiaconi describi jussit Carolus-Magnus. Quid vero dicemus de collectione epistolarum Wibaldi abbatis Stabulensis & Corbeiensis in Saxonia, qui sub quatuor imperatoribus, Henrico, Lothario, Conrado & Friderico eamdem agebat in Germania personam, quam Sugerius abbas S. Dionysii in Francia? Certe hinc conjicere licet, quanti æstimari debeat pretiosum istud historiæ cum Germanicæ tum ecclesiasticæ monumentum, cui locum dedimus in secundo hujus Collectionis tomo. Huic vetera præmisimus ejusdem asceterii diplomata, quorum veritatem & authentiam temere impugnavit quidam Ignatius Rodericus, e Societate Jesu, in qua aliquot annis deguit, ob minus compositos mores ejectus. Cujus cum opus evolvissem, & malam ejus fidem, auctorum depravationem, & inscitiam infinitis in locis redarguissem singulari opusculo, cui titulum dedi: *Imperialis monasterii Stabulensis jura propugnata*; Malmundarienses, quorum ille causam susceperat, æternis scriptum ejus tenebris damnaverunt; sed & ipse judicis civilis sententia, ea quæ de Stabulensi monasterio ejusque instrumentis effutierat, jussus ignominiose est ex toto revocare, addita & pecuniaria mulcta; quam contumeliam ut declinaret utcumque, ad Cæsarem provocando, continuo fugit Coloniam, ubi ad concupitas nuptias convolavit, ducta cujusdam typographi relicta. Tum vero alterum in nos scriptum fabricasse fertur, quod qui attentius legere eruditi viri, nihil prorsus probare asserunt: quare ne tempus inutili lectione conteram, istiusmodi libello omnino abstinere statui, cum alias exploratum mihi sit, hominem istum, cum se ad scribendum confert, eo maxime animum intendere, ut res claras caligine involvat potius, quam ob-

scuras elucidet, tum se insignem putans de adversario victoriam reportasse, cum argumentorum ejus vim futili aliquo diverticulo elusit. Sane hominis temeritatem haud satis mirari possunt Germani. Paulo ante impugnare ausus fuerat Beringerum serenissimi principis Wirseburgensis episcopi primarium medicum, virum doctissimum, qui singulari dissertatione *de lapidibus figuratis subterraneis* ipsum ita contrivit, ut mirum sit eum ad scribendum denuo resurgere potuisse. Sed & novissime eruditus vir R. P. Josephus *Hartzheim* e Societate Jesu professor & doctor theologus, solide refutavit ea quæ ille adversum nos scribens, de initio Metropolis Coloniensis dicere præsumserat.

7. Peractis Stabuleti aliquot diebus, & visitatis carissimis sodalibus nostris Malmundariensibus, recta tendimus Leodium, ubi duo hactenus visuntur ordinis nostri insignia monasteria, S. Jacobi in Insula, & S. Laurentii in Monte-publico, quæ nos per solidum mensem tenuerunt occupatos. A S. Jacobo incepimus, cujus abbas reverendissimus & religiosus, audito nostro adventu & causa itineris, omni nos affectu & humanitate excepit. Ibi reperimus codices bene multos & bonæ notæ, magna ex parte a fundatore donatos, quorum catalogus tempore Otberti primi abbatis scriptus hactenus visitur. Ex his multa in rem nostram descripsimus, quæ Collectionis hujus tomum v. magna ex parte occupant, Lamberti Parvi, Raynerii & Cornelii *Zantfliet* ejusdem monasterii monachorum Chronica: præter quæ tomo IX. reperies egregium opus *De diversis ordinibus & professionibus quæ sunt in ecclesia*. Post quindecim dies ibidem exactos, ad S. Laurentii cœnobium in Monte-publico extra civitatem situm invitati perreximus. Ibi juvenem abbatem, sed maturis moribus seniorum sapientiam superantem invenimus, qui studiis nostris in omnibus favit. Eo in cœnobio institutus olim floruit Rupertus abbas, qui Tuitiensi prope Coloniam monasterio præfuit, eruditis ac piis operibus clarus. Ex bibliotheca optimis codicibus referta, plura eruimus, quæ huic nostræ Collectioni non parvum tribuere splendorem, Acta præsertim nova concilii Pisani, cum actis quamplurimis de schismate, quæ hoc præcessere concilium. Monasterii historiam ab ipso Ruperto accurate conscriptam, & ab aliis ejusdem asceterii monachis successive continuatam, Reinerio scilicet, Lamberto, Adriano de Veteri-busco, Johanne Stabulao, Henrico de Palude; historiam collegiatæ ecclesiæ S. Petri de *Eyncurte*, a prædicto Adriano scriptam; ejusdem auctoris eximium opus Rerum Leodiensium sub Johanne Heinsbergio & Ludovico Borbonio episcopis, una cum Diario rerum eo tempore Leodii gestarum. His adde Angeli de Curribus poetæ laureati libros VI. de excidio civitatis Leodiensis a duce Burgundiæ, cujus operis apographum ultro concessit nobis clarissimus vir dominus baro de *Crassier*, cui, ut & domino de *Louvrex*, viro erudito & principi Leodiensi ab intimis consiliis, plurimum nos debere profitemur. Taceo perplures epistolas, Guiberti præsertim abbatis Gemblacensis, quas ex proprio ejus monasterio obtinere nequivimus.

8. Post integrum & solidum mensem Leodii transactum, amplissimorum duorum abbatum S. Laurentii & S. Jacobi, dominorumque baronis de *Crassier* & de *Louvrex* optimis officiis cumulati, Tungros, Vallem Dei, Aquisgranum, Indam seu Cornelii monasterium secessu S. Benedicti Anianensis olim venerandum perlustravimus; inde Gladbacum insigne ordinis nostri monasterium in diœcesi Coloniensi venimus, ab erudito & religiosissimo abbate perhumaniter habiti, scriptam a se hujus loci historiam optimus abbas dono dedit, quæ in novissima Galliæ Christianæ editione locum habuit. Communicavit etiam historiam abbatiæ Brunvillarensis, ab aliquo Bursfeldensis congregationis monacho conscriptam, ex qua non-

nulla eruimus diplomata. Tandem discedentibus nobis litteras ad amplissimum Verdinensis monasterii abbatem, tunc congregationis Bursfeldensis præsidem dedit.

9. Medio in itinere occurrit Dusseltorpium, urbs pulcherrima, & Palatinatus caput. Electoris bibliothecam perlustravimus, cujus præfectus clarissimus Buchellus propriam, in qua sunt aliqui mss. ostendit. Ex ea duas eximias descripsimus epistolas hic tomo I. editas. Post prandium duxit nos idem Buchellus ad Dusselthale ordinis Cisterciensis monasterium ab ipso Electore sub observantia Aureæ-vallis fundatum. Ibi admirati sumus monachos angelicam vitam ducentes, ac primam Cisterciensium patrum imaginem in se exprimentes. Eis debemus Annales Nussienses tomo IV. editos, & latinam versionem actorum in Winceslai regis exauctoratione. Quanta autem nos caritate sint prosecuti, nec si omnia corporis membra verterentur in linguas, possemus enarrare.

10. Cum Verdenam accessimus, abbas gravissimo morbo laborabat, ad quem propterea non permissus est nobis accessus. At fratribus suis dedit in mandatis, ut omnia nobis reserarentur. Bibliotheca optima est, habetque codices mss. bonæ notæ, ex quibus aliqua excerpsimus. Proposueramus inde præcipua diœcesis Coloniensis monasteria perlustrare. At suadentibus urgentibusque aliquibus ex sodalibus nostris, ut Westphaliam penetrantes, ad Corbeiam usque Saxonicam pergeremus, eorum consilio annuimus.

11. Tribus deinde diebus per Westphaliam ambulantes, tandem Liesbornam ordinis nostri monasterium, inde Marienfeldense, seu Campum-Mariæ ordinis Cisterciensis, ac tandem Paterbornam pervenimus. Extat ibi celebre ordinis Cluniacensis cœnobium *Abdingoff* dictum, in quo pauci mss. ex quibus descripsimus non spernendam Deoduini episcopi Leodiensis epistolam ad Imadum Paterbornensem antistitem de triumpho S. Remacli, id est de insigni miraculo, cujus ipse testis oculatus fuerat, a S. Remaclo patrato, ad probandam Malmundariensium a Stabuleto subjectionem.

12. Tribus a Paterborna leucis distat Bodecense canonicorum regularium congregationis Windesheimensis monasterium, in quo est bibliotheca refertissima manuscriptis, sed recentioribus, quæ Moguntinum concilium anno 1451. celebratum, editumque tomo VIII. suppeditavere. Inde ad Dalemense ejusdem congregationis, tum Hardenhousanum Cisterciensis ordinis perreximus, ubi supersunt adhuc aliqui non spernendi manuscripti, a præda Lutheranorum subtracti, ex quibus aliquas epistolas descripsimus, cum nonnullis statutis capitulorum generalium ordinis Cisterciensis, quæ in edita tomo IV. Anecdotorum collectione desiderantur. Ibi festum Omnium-sanctorum cum religiosis transegimus; discedentibus vero nobis abbas humaniter obtulit pecuniam, quam, gratiis humiliter actis, accipere renuimus.

13. Tendentibus autem nobis versus Corbeiam, occurrit Gerdinense virginum Benedictinarum monasterium, quæ insignem pietatem cum regulæ accurata observatione conjungunt. Habent egregium Cartarum codicem, ex quo nonnulla descripsimus diplomata. Corbeia celeberrimum totius Saxoniæ monasterium fundatorem agnoscit S. Adalardum Corbeiæ Gallicanæ abbatem, & Carolo-Magno imperatori proxima consanguinitate conjunctum. Hujus monachi sub Anschario præsule Danos aliosque Septentrionales populos ad Christi fidem adduxerunt. Erat olim ibi egregia bibliotheca codicibus manuscriptis ditissima, qui, furentibus hæreticis, in Wolfembutanam bibliothecam transierunt. Ex præda tamen Lutheranorum supersunt aliqui libri, ex quibus præclaram Nicolai papæ I. epistolam excerpsimus

excerpſimus, cum diplomatibus nonnullis. Reperimus etiam Paſchaſii Ratperti egregium opus de fide, ſpe & caritate, cujus apographum ad manuſcriptum codicem accurate collatum dedit nobis reverendiſſimus pater Anſcharius *de Graff* ejuſdem monaſterii prior & archidiaconus.

14. Propoſitum erat inde Fuldam celeberrimam totius Germaniæ abbatiam adire, ſed cum huc penetrare non liceret, niſi depoſito cultu monaſtico, ob interpoſitos hæreticos, quos ferebant catholicos hactenus internecino odio proſequi, placuit alio greſſum dirigere; ideoque Coloniam verſus Grafſchatenſe S. Alexandri monaſterium nobis ab illuſtriſſimo abbate Corbeienſi indicatum contendimus, omnium ſanctorum monachorum feſtum cum cariſſimis fratribus noſtris rite celebraturi. Ex paucis vero bibliothecæ codicibus manuſcriptis, B. Ruperti, uti nobis viſum eſt, quinque Dialogorum libros *de vita vere apoſtolica* hactenus ineditos eruimus. Indeque digreſſi ad Ewicenſe canonicorum regularium congregationis Windesheimenſis præpoſituram haud ignobilem, ad ſummam noctem acceſſimus. Tum ab humaniſſimo præpoſito liberaliſſime excepti, ſequentem ibi diem exegimus evolvendo codices manu exaratos, quorum præcipuus, judicio noſtro, librum *de Imitatione Chriſti* abſque auctoris nomine anno 1436. conſcriptum continet, ac proinde ante prætenſum Antuerpienſe autographum.

15. Appropinquantibus Coloniam obtulit ſe nobis Altembergenſe, ſeu Veteris-campi monaſterium ordinis Ciſtercienſis inſigne, in quo, abſente abbate, omnem a priore & fratribus experti ſumus humanitatem. In bibliothecæ codicibus duo præcipue occurrerunt nobis, libellus adverſus errores Alberonis ſacerdotis Merkenſis, cui locum dedimus hoc tomo, & Hymnus in laudem S. Malachiæ ab ipſo S. Bernardo compoſitus, quem invenies tomo 1. hujus Collectionis.

16. Tria Coloniæ florent ordinis noſtri monaſteria, Tuitienſe extra civitatem, S. Pantaleonis, & S. Martini majoris, omnia codicibus manuſcriptis deſtituta, ſi forte excipias S. Martinum, in quo ſuperſunt aliqui; ſed cum ibi nova conſtrueretur bibliotheca, omnes cum libris editis in terra confuſe jacebant, quod fuit impedimento, ne illos evolveremus. In Tuitienſi tamen, præter Ruperti Dialogos *de vita vere apoſtolica*, ad calcem vitæ S. Heriberti Colonienſis archiepiſcopi & monaſterii fundatoris, quem fere unum habent manuſcriptum, invenimus egregiam epiſtolam de præcipitatis peccatorum abſolutionibus tomo 1. editam. Eamdem ſortem habuit Brunwillarenſe inſigne monaſterium duabus a Colonia diſſitum leucis, ex quo nihil præter exactæ regularis diſciplinæ & pietatis exempla reportantes, tendimus ad Prumienſe famoſiſſimum & imperiale diœceſis Trevirenſis monaſterium, in quo Lotharius imperator Ludovici Pii filius, depoſita purpura monaſticum habitum induit, jacetque medio in choro. Abbas princeps eſt ſacri Romani imperii, gaudetque multis privilegiis. Ex cartario ejuſdem monaſterii, librum aureum vocant, ſex continuis diebus deſcripſimus antiqua diplomata, quibus mirum in modum illuſtratur regum Francorum hiſtoria. At nihil nos ita recreavit, quam accurata fratrum Prumienſium obſervantia, præſertim prioris, qui in tota illa regione ſancti viri famam ſibi comparavit.

17. Prumiam inter & Treviros extat Himerodenſe monaſterium, Clauſtrum Mariæ etiam nuncupatum, ordinis Ciſtercienſis. Ibi invenimus ſenem abbatem, virum egregium, qui omnia fere ordinis ſui munia obierat, quique cum eſſet ad ſacrarum litterarum ſtudium propenſus, ipſe nos in ſuam bibliothecam duxit, ex qua quidquid ad rem noſtram pertineret, nobis exſcribenda ultro conceſſit; diſcedentibus autem nobis etiam aliquos

codices in Galliam asportandos permisit.

18. Ex quatuor virorum monasteriis ordinis nostri apud Treviros, præcipua sunt S. Maximini & S. Matthiæ, S. Eucharii dictum, Trevirensium archipræsulum olim conditorium. Ad primarium S. Maximini descendimus feria VI. quatuor temporum adventus Domini. Ei præerat venerabilis senex, cujus virtutes eximiæ, & zelus monasticæ disciplinæ nos suavissime afficiebat. In bibliotheca perplures habentur codices manu exarati, & quidem optimæ notæ, ex quibus multa descripsimus. Inter illos codices non ultimo loco habendi sunt *Wicboldi quæstiones in Octateuchum* ad usum Caroli-Magni imperatoris conscriptæ, & Historia archiepiscoporum Trevirensium adusque Jacobum *Sirck* continuata. Utrumque abbas humanissimus asportandum concessit in Galliam. Post aliquantos dies apud S. Maximinum transactos, accessimus ad S. Matthiam, ubi plures etiam manuscriptos, ex quibus hactenus inedita concilia Trevirensia eruimus, quæ modo tom. 7. reperire est.

19. Sub finem Decembris, vale dicto reverendissimis & amplissimis abbatibus, atque carissimis sodalibus nostris, quorum humanitatis in nos collata officia nulla umquam delebit oblivio, ad Epternacense cœnobium quatuor infra Trevirim leucis a S. Willibrordo Frisonum apostolo fundatum, ad formandum ibi viros doctos & prædicatores ad infidelium conversionem sibi coadjutores, venimus. Ibi plures venerandæ antiquitatis codices, de quibus in secundo nostro Itinerario litterario diximus. Ex cartario autem quamplura collegimus diplomata, quæ Gallicanam & monasticam historiam illustrare possunt, & libellum de propugnata adversus archiepiscopos Trevirenses libertate monasterii Epternacensis tom. 4. edit.

20. Hactenus grata animi recordatione recensuimus eos, quorum maxime ope & beneficio hæc veterum monumentorum Collectio consurgit, ut eam evolventes viri eruditi & sacræ antiquitatis studiosi, quid eis debeant nobiscum agnoscant. Jam suum locum hic jure habeat admodum reverendus pater domnus Carolus *Petey de l'Hostallerie*, Congregationis nostræ olim præpositus generalis, cujus jussu & auctoritate Iter illud litterarium, in quo tot egregia monumenta in nostrum censum retulimus, gravissimis Congregationis nostræ expensis inchoatum, feliciterque confectum fuit. Neque molestum sit amantissimum patrem optime de omnibus meritum paulo fusiori oratione celebrare: quod quidem in grati animi testimonium facimus, ut qui nobis in vivis agens monasticæ vitæ norma fuit, posteris etiam dulcissima præfulgeat memoria suarum eximiarum virtutum.

21. Anno ab Incarnatione Christi MDCXLI. die vero XXIX. Januarii, Lupæ, quod oppidum est diœcesis Carnotensis, piis & honestis parentibus in lucem emissus est. Pater ejus consilii marescalli *de la Ferté* caput, primarium in oppido munus judiciarium exercebat: cujus omnibus nota probitas & æquitatis amor, tantam in illa ditione famam ei comparaverat, ut non esset, qui litium suarum arbitrum eum habere non optaret. Mater vero ea pietate & modestia eminebat, ut feminarum esset speculum & exemplar, quæ cum aliquando sacrosancto missæ sacrificio interesset, primum ejus in utero motum sensit, statimque hac veluti voce monita sub beatæ Mariæ auspiciis Deo optimo offerendum duxit, enixe deprecans, ut prolem suam perpetuo sibi mancipatam haberet. Nec hujus voti immemor optima mater, pietatem cum lacte instillavit, monens eum Deo consecratum, hortansque persæpe, ut consecrationem probis moribus ornaret.

22. Humanioribus litteris Alenconii apud patres Societatis JESU operam dedit, Rhetoricæ Vindocini in collegio patrum Oratorii Domini JESU. Ibi cum aliquando cum quibusdam sociis vespertinæ synaxi interesset in basi-

lica sanctæ Trinitatis, prior monasterii eum devote orantem intuitus, captusque ejus modestia, mente in Deum erecta, hunc adolescentem divino servitio instituendum in monasterio ardentissima prece efflagitavit. Prioris votum exaudivit Deus, finitisque vesperis, Carolus una cum sociis supplex ad pedes ejus provolutus, sacræ religionis ingressum ab eo postulavit. Admissi omnes ad probationem fuere, at solus ex illa turma perseveravit ille, quem prior a Deo deprecatus fuerat, reliqui omnes ad sæculum reversi: qui ægre se ab amico divelli patientes, omnem moverunt lapidem, ut eum ad sæcularia vota revocarent. Nec his contenti, furtive monasterium ingressi, vestes ei sæculares obtulere; at tenacem propositi tyronem frustra tentantes, confusi ad propria redierunt.

23. Probatus hac tentatione novitius, sicut aurum ex fornace purior evasit: cujus fidelitatem remunerans Deus, duplici animam ejus ornavit gratia, dono scilicet orationis, quod tantum in eo fuit, ut etiam novitius Deum fere semper præsentem haberet; & dono castitatis, quod illibatum ad mortem usque conservavit, ut ipse intimis amicis suis, exaltans misericordiam Dei, nonnumquam testatus est. Absoluto probationis tempore, vota sua solemni ritu nuncupavit anno 1659. die 29. Junii, SS. apostolis Petro & Paulo consecrato. Biennio post in Floriacensi S. Benedicti cœnobio philosophiæ & theologiæ studiis sub erudito magistro operam navavit, sodalibus suis non minus pietate ac regulæ observatione, quam præclara ingenii claritate prælucens. Eodem in monasterio post absolutum studiorum cursum, recollectionis, ut aiunt, annum peregit. Tunc lectioni sanctorum patrum & orationi se totum dedit, ac multis corporis macerationibus ad suscipiendos sacros ordines se præparavit. Primam missam ea devotione & animi demissione cantavit, quæ tantum decebat mysterium: nec ullo deinceps die a celebratione potuit averti, eos aperte damnans, qui aut multiplicium curarum specie, aut certe malesana religione a cælesti cibo abstinent, ipsis apposite accommodans quod vulgo dicitur: Corporalis panis fastidium aut certum indicare morbum, aut mox futurum prænunciare.

24. Designatus post recollectionem a superioribus ad legendum junioribus fratribus philosophiam & theologiam, oblatum munus ex humilitate recusavit. Tunc cum uno ex sodalibus missus est ad Molomense monasterium pristinis legibus, a quibus multum desciverat, imbuendum. Quo cum pervenisset, socius ejus a lacrymis sibi temperare non potuit, cernens se constitutum in loco horroris & vastæ solitudinis, atque omnibus vitæ necessariis plane destituto. Nulla in ædificiis monasterii forma apparebat. Ecclesia ipsa debitis ornamentis nuda, nequidem pavimento strata erat, nihil nisi triste sese conspectui offerebat. At pater Carolus de solita hilaritate nihil dimittens, despondentem animo socium erexit, hortatus eum ad patientiam, & ad confidendum Deo, qui se timentibus numquam deest. Exultavit & gratias egit Deo, cum pro cella collocatum se vidit sub arcta ac demissa graduum curvatura, pro mensa vetusti & male cohærentis dolii vacui fundum, pro sedili vilem & rudem truncum, pro cubili sparsam humi paleam sibi præberi conspexit. Pro bibliotheca unicus ei fuit codex; sed ad pedes crucifixi altiorem exhauriebat scientiam, quæ nulla hominis disciplina, nullove exercitio discitur. Constitutus a priore depositarius, ad providendum novi conventus victui dati sunt ei asses triginta. Hic totus pauperum Christi thesaurus fuit; sed inexhaustas in divina providentia divitias invenit. Post divinum officium & laborem manuum, conciones ad circumvicinos rusticos habebat, sed unctione divina ita conditas, ut pauperum & divitum existimationem sibi comparaverit, solebatque dicere tantam se ibi in rerum

omnium temporalium privatione delectationem percepisse, ut similem nusquam sit expertus.

25. Paucis post annis commissa ei cura rerum temporalium Molismensis monasterii, quas tam placide gessit, ut nihil de interiori pace, nihil de oratione, nihil de divinis officiis quavis specie sibi detraheret. Facilis ad eum patebat accessus, sicque negotia tractabat temporalia, ut spiritualem inde fructum reportarent ii quibus res cum ipso erat. Villici patrem, non exactorem, pauperes liberalem patrimonii JESU CHRISTI dispensatorem experiebantur. Hac vero agendi ratione prospere ei succedebant omnia, lepideque ei prior illud Laban ad Jacob dicere solebat: *Experimento didici, quia benedixit mihi Dominus propter te.* Dum sic Molismi se haberet, contigit ut in solemniori festo invitatus deesset concionator. Ejus vices suppleri desiderans prior, patrem adiit Carolum, recipiendis hospitibus occupatum, præcepitque ut sequenti die publicum ad populum sermonem haberet. Assensit ille reluctans, statuta hora pulpitum ascendit, auditorumque animos in admirationem rapuit.

26. Factus deinde subprior, & mox prior Argentoliensis monasterii, per annos circiter septem sic rexit, ut non tam præesse quam aliis subesse videretur, fratribus suis prælucens humilitatis & caritatis exemplis: durus sibi, aliis benignus; superioritatis pondus portavit, blandimenta respuit. Translatus postea ad Suessionense S. Crispini majoris monasterium, virtutes ejus mox innotuere serenissimæ principissæ dominæ de Haricuria abbatissæ B. Mariæ, quæ ejus sapientia ita est affecta, ut in sui parthenonis administratione nihil prorsus ageret, nisi consulto prius patre Carolo, eique novitiarum institutionem tradidit. At vix Suessionis annum exegerat, cum ecce piissimæ eripitur abbatissæ, ad regendum Compendiense S. Cornelii monasterium per quinquennium: quo tempore, illustrissima ac religiosissima abbatissa domina *d'Humieres* regularem observantiam in Monchiacensi virginum cœnobio, ejus opera & consilio feliciter restauravit. Quamvis autem omnium fratrum suorum animos sibi arctius devinxisset, monasteriumque ea gubernaret prudentia quæ virum sapientem decet; unus tamen inventus ibi est, qui apud superiores majores querelas de eo deposuit: qui re indiscussa publicam ei pœnitentiam imposuere. Hanc pater Carolus alacri animo, ut verus obedientiæ filius, adimplevit: cumque visitator postea de innocentia ejus certior factus, quæreret ab eo cur se apud superiores non purgasset, prætensamque culpam non diluisset, respondit: nihil prorsus esse cunctandum cum de obedientia agitur, obedientiam perfectam perinde ac fidem debere esse cœcam, priores exemplo suo subditos docere debere ut sit obediendum.

27. E Compendiensi ad Noviomense S. Eligii monasterium translatus, tantam sibi prudentiæ famam apud aliorum ordinum superiores comparavit, ut in rebus difficillimis, gravioribusque casibus, ejus omnes consilio, nec sine felici exitu, uti festinarent. Eo tempore rex Christianissimus, revocato edicto Nannetensi, prædicatores & doctores, qui conversioni hæreticorum operam darent, per totum regnum dispersit. Erat tunc Noviomi nobilis quædam puella, in suo perverso dogmate sic obfirmata, ut nullis catholicorum doctorum argumentis moveretur, nullis cederet rationibus, de pugna, ut sibi videbatur, semper victrix rediens. Desperata puellæ salute, Noviomensis episcopus accersitum S. Eligii priorem rogavit, ut reducendæ ad ecclesiæ gremium puellæ operam non denegaret suam. Carolus accepta præsulis benedictione, puellam convenit, ac de veritate catholicæ religionis brevi ita convicit, ut sincero corde & ex animo ejurata hæresi, fidem quam antea impugnaverat, aliis sectæ suæ viris & mulieribus prædicaret. Patrem

Carolum

Carolum deinceps ut suum in Christo patrem venerata, cum Parisios accedendi sese daret occasio, eum honoris gratia conveniebat, ejusque prostrata pedibus, non recedebat, nisi ejus accepta benedictione.

28. Dum Caroli prudentiam omnes demirarentur, ipse impositi sibi muneris pondus sentiens, querebatur se multiplicibus officii sui curis a Deo divelli, aiebatque se antequam ad superioritatis gradum eveheretur, duas in oratione horas suaviter impendere solitum, factum vero priorem vix uno momento posse cum Deo conversari: quare urgentes ad capitulum generale litteras scripsit, quibus absolvi & in ordinem redigi deprecabatur. Verum nulla habita supplicationis ejus ratione, post exactos Noviomi sex annos, Parisiensis monasterii Alborum-mantellorum prior constitutus est, & triennio elapso visitator provinciæ Franciæ, tum altero triennio exacto visitator provinciæ Normanniæ. Cum autem institutis in Congregatione studiis impense faveret, petiit in diæta annua a præposito generali dari sibi magistrum, qui juniores provinciæ suæ fratres, exacto philosophiæ & theologiæ cursu græcam & hebraïcam linguam doceret: quo obtento, sic suis eos exhortationibus excitavit ad studium, ut quot habuerit discipulos, tot effecerit magistros. Cujus exemplo animati alii visitatores, similia in suis provinciis instituerunt studia.

29. Anno 1705. prior S. Dionysii factus, historiam ejusdem monasterii a nostro Michaële Felibieno compositam, prelo statim jussit committi, atque ut ejus impressioni faveret, tabellas omnes impensis monasterii æri incidi curavit. Inceptas a prædecessore suo elegantes chori portas cum chlatris mirifici operis absolvit: quibus cum nomen ejus apponere proposuisset operarius, hanc ad vocem exhorruit humilis prior, vetuitque ne quid tale attentare præsumeret. Anno 1708. senior assistens R. P. generalis D. Simonis *Bougis* creatus est, & anno 1711. domni Arnulfi *de Lo*, Simoni subrogati. Verum anno 1713. die 9. Augusti defuncto eodem patre Arnulfo, vicarius generalis nostræ Congregationis ipso jure declaratus, de construenda impensis Congregationis magnifica monasterii S. Germani a Pratis bibliotheca cogitavit. In sequenti capitulo anni 1414. celebrato summo omnium proborum plausu præpositus generalis renuntiatus, solus ipse impositi sibi muneris pondus persensit, cujus gravitas lacrymarum fluvium ab ejus oculis expressit. Non solis monachis probata ejus electio fuit, ipse etiam summus pontifex eam laudavit, electumque singulari Brevi honoravit. Sed & Christianissimus rex Ludovicus XIV. regiam ei & toti Congregationi protectionem promisit. Taceo aliorum ordinum religiosorum superiores, qui certatim ei suum de ejus promotione gaudium significaverunt.

30. Redux e capitulo Parisios præcipuum posuit studium in tuenda pace & regulæ observatione in commissa sibi congregatione, ambiitque plus amari quam timeri, gratum & benevolum omnibus præbens accessum. Legerat antea Annales Benedictinos & Acta sanctorum ordinis nostri magna cum attentione; factus generalis regulas etiam omnes aliorum ordinum & constitutiones, una cum Claudii Aquavivæ præpositi generalis Societatis Jesu monitis & documentis ad Societatis suæ superiores percurrit, ut ex his omnibus fontibus hauriret sibi recti regiminis formam. Docebat quod & ipse in praxim redigebat, superiores in primis ab adulatoribus præcavere debere, laudesque super omnia fugere. Sæpius namque contingit, ut laudum cupidi, perfectiores æstiment adulatores, ac munerum atque officiorum longe aliis digniores. Firmum vero ac stabile apud ipsum erat, ut in monasticorum officiorum distributione, amori semper præponderet ratio. Ab omnibus autem sacris ministris duo præsertim, in his evangelicis verbis *Fidelis servus & prudens* contenta, requirebat; prudentiam, ne decipian-

tur; & fidelitatem ne ipsi decipiant. In omni superiorum institutione, ad illa S. Benedicti verba, *Vita autem merito & sapientiæ doctrina eligatur*, semper attendebat. Neque tamen fieri posse existimabat, ut ab omni essent defectu immunes. Nemo enim sine vitiis nascitur, optimus ille est, qui minimis urgetur.

31. Egregiis ingenii dotibus pollebat, quas qui vellet enarrare, non paucas pagellas, sed integrum conficeret librum. Unde quoties res ei fuit cum magnatibus, admirationem & æstimationem eorum sibi reportavit. Eum Ludovicus rex XIV. benigne non semel audivit, nec quanti eum faceret tacere potuit. Jam vero cum ad fratres haberet sermonem, non aures tantum suavissime reficiebat, sed ad cor usque ejus verba penetrabant. Exhortationibus mores bonos conjungebat, nihil omnino dicens, quod ipse non exequeretur. Solitudinis amans, rarius in publicum prodibat, nisi urgentes & valde necessariæ causæ eum e cella, ut ita dicam, expellerent; dicebatque religiosos viros magnates ac principes honorare debere, ac pro eis frequentes ad Deum supplicationes effundere, non eos assiduis appetentibusque aditibus convenire; summas illas apud eos assiduitates, vergere semper in religionis detrimentum, cultoresque principum plus sibi, quam suo monasterio laborare.

32. Summus ei fuit paupertatis amor, adeo ut factus generalis pecunias apud se retinere noluerit. Si quando vero ex itinere rediret, quod residuum erat viatici statim secretario aut Congregationis depositario consignabat, reddita expensarum ratione. Detritas omnino vestes ferre non refugiebat, sed & gestiebat. Cumque secretarius exponeret ei, generalem paulo cultius incedere debere, reponebat humilis pater, decorem & ornamentum monachi esse paupertatem. Omnia quæ ad ejus usum erant sive in cella, sive alibi, simplicissima esse voluit, resecatis prorsus superfluis, immo & necessariis.

33. Jam vero sobrietatem ejus in victu quis explicet? Duodecim ante obitum annis a vino omnino abstinuit, sola contentus aqua calida, qua etiam aliquando ministri incuria privari quieto & placido animo ferebat, seseque hoc quantulo solatio reputans indignum, semel frigidam, etsi sibi contrariam, e proximo vicini sui vase tacitus hauriebat.

34. Quamvis autem natura festivus & urbanus esset, ac lepore & salibus alios oblectare soleret, interius tamen spiritu Dei agebatur. Fratres orationi deditos summe diligebat. Ea fuit ejus erga sacra loca reverentia, ut etiam in provecta ætate adduci numquam potuerit, ut breviandæ viæ causa per templum transiret. Deiparam Virginem singulari devotione prosequebatur, nullumque ab ipso tyrocinii sui tempore diem præteriit, quin ejus recitaret rosarium: præcipuas quas umquam a Deo gratias obtinuit ejus adscribens intercessioni.

35. Congregationi Deo inspirante sibi commissæ addictus, nihil aliud dies noctesque agebat aut animo volvebat, quam ut ipsi inserviret, ipsam in primis cupiens virtute & doctrina florere. Ad reformationem monasteriorum omnem adhibuit curam & industriam, ab eaque ne minima quidem excludebat cœnobia, usurpans illud Christi in evangelio: *Colligite fragmenta ne pereant*. In promovendis vero in Congregatione sacrarum litterarum studiis, nihil prorsus ejus zelo potuit adjici. Proposuerat in Parisiensi S. Germani a Pratis monasterio centum alere monachos, quinquaginta ad celebranda divina officia, totidem ad sanctorum patrum aliorumque doctorum ecclesiasticorum editiones procurandas. Novam conciliorum omnium ad mss. codices recognitorum editionem meditabatur, jamque aliquos fratres ad illud opus designaverat. In singulis nostræ Congregationis

provinciis, academias tres instituere sibi proponebat, unam ad ecclesiasticam monasticamque historiam, alteram ad studium sacræ scripturæ, tertiam ad linguam Gallicanam. At brevior ei vita fuit, quam ut tantas res perficere posset.

36. Verum suæ in litteratos & litterarum cultores propensionis & benevolentiæ nullum nobis certius & apertius argumentum reliquit, quam indefessus ille quo urebatur zelus, ut grande quod conceperat novæ bibliothecæ opus ad exitum perduceret. Mirum quot & quanta ipsi sustinenda fuerint querelarum genera, quam adversis casibus laudabile adeo cœptum conflictatum sit. Promtus & facilis sibi occurrit adjutor vir cum pietate insignis, tum in ærarii administratione scitus & prudens, domnus Bartholomæus *la Prade*. Illo fretus auxilio, omni studio instans operi, os contradicentium obstruxit, opportune removit obices, & intra duos aut tres annos amplissima duo ædium membra erexit, partem scilicet anticam, pluribus hinc inde distinctam musæis; posticam vero, quæ, utpote plana & æqua maximam constituit bibliothecam. Vastissimus excipiendorum librorum sinus, sed rari apparebant in gurgite vasto. Germanensis quippe bibliothecæ libri sive editi, sive manu exarati tabellarum radiis adimplendis longe impares erant: at vix pauci elapsi erant anni, cum ecce, sed heu in dono lugemus benefactores, & dum benefacti præsentia gratum refricat animum, infandos de patronis amissis renovat dolores; dicam tamen in testimonium animi gratissimi & in laudem magnorum virorum adeo munificorum. Ecce, inquam, illustrissimus ac doctissimus abbas dominus Johannes *d'Estrée* ad archiepiscopales infulas Cameracensis ecclesiæ a rege Ludovico XV. designatus & nominatus sua numerosissima editorum & manuscriptorum codicum bibliotheca nostram anno 1718. locupletavit. Liberalissimi benefactoris exemplum secutus est vir clarissimus dominus Eusebius *Renaudot*, in omni doctrinæ & linguarum præsertim Orientalium genere exercitatissimus, qui cum editorum tum manuscriptorum omnigenæ litteraturæ & quidem selectissimæ octo fere codicum millia nobis reliquit. Eadem ferme ætate his accessit excellentissimus & magnificentissimus D. Henricus Carolus *de Cambout* episcopus Metensis, dux Coislinianus, par Franciæ, cujus præter præstantissimas, quibus præfulgebat, magnorum antistitum dotes, maximam suarum facultatum partem ante & post obitum in cælestes thesauros manus pauperum deportaverunt. Vir omni laude major, adhuc superstite patre Carolo *de l'Hostallerie* amplissimam bibliothecæ Seguerianæ collectionem apud nos deposuit, & tandem novissimis diebus anni 1732. beneficentissimus præsul, pro sua innata in Congregationem nostram prosecutione, testamento olographo in pignus amoris hujus pretiosissimi thesauri nos heredes instituit. Monumenta ære & marmore perenniora. Tantorum virorum, benefactorum adeo munificorum si obliti fuerimus, oblivioni detur dextra nostra. Gesta piissimi patris Caroli pervolvendo præstantissima hæc beneficia recenseri omnibus fore gratissimum existimavi. Nunc ad eum revertor.

37. Summam vero animi ejus constantiam & æquabilitatem, quam nulla umquam vel ardua negotia frangere potuerunt, admirati sunt universi. Congregationem difficillimis temporibus administravit, quibus vel perspicacissimus vel prudentissimus vix sufficere potuisset. Pacem in Congregatione mansuetudine & amore in fratres conservavit. Si quos aberrare a via recta animadvertit, benigne dissimulando ad debitum statim reduxit officium. Libellos famosos contra se factos sprevit, eorumque detecto auctori paterno animo non solum veniam indulsit, sed nequidem aliis innotesci voluit. Addam & de omnibus adversariis suis, quoties se opportuna obtu-

lit occasio, ipsis etiam insciis, benemeritum semper fuisse.

38. Tandem in capitulo generali anni 1720. seniores ejus assistentes, quanti interesset religioni ipsum conservare probe intelligentes, enixis eum precibus deprecati sunt, ne ab officio absolvi postularet; eidemque reluctanti scrupulum injicere tentaverunt, cumque iteratis precibus efflagitarent, ut saltem divinæ providentiæ sortem suam committeret; etsi tacuero, inquit, ætas provecta & infirmitates me destituendum clamabunt: allegantibus autem sapientiam & experientiam, integrumque ei non deesse animum, reposuit illud Hieronymi, *Crescente sapientia cetera decrescunt*. Denique infirmitates & provectam ætatem toties replicavit, ut tandem quod tam ardenter optabat, obtinuerit.

39. Promulgatis superiorum electionibus, promto & alacri animo professionis ordinem repetivit, humiliter expectans, ut novus generalis de ejus habitationis loco provideret. Jam vero Parisios reversus, ea ab omnibus exceptus est reverentia, quæ generalem deceret, demirantibus cunctis in eo animi constantiam, quæ in vultus alacritate elucebat. Infirma autem ejus valetudine non permittente, ut cuncta claustri exercitia sequeretur ad amussim, data ei cella est in infirmorum domicilio, in qua tranquille & quiete agebat, nihil prorsus petens, quinque aut sex libris, maxime S. Augustini contentus. Ad ecclesiam potius reptando quam ambulando quotidie descendebat, majorem cum fratribus missam auditurus aut vesperas cantaturus. Post prandium, si per vires liceret, in hortum cum aliis animum recreaturus accedebat; si non posset, solus in cella remanebat, in superni inspectoris oculis, adinstar S. Benedicti habitans secum. Ineunte mense Martio anni 1721. gravius ægrotare cœpit, adeo ut in ecclesiam descendere nequiverit. Invalescente morbo, ecclesiæ sacramentis devote munitus, ad mortem serio se præparavit: cumque monasterii prior aliqualem ei spem vitæ dare conaretur, illud S. Monicæ ad S. Augustinum exclamando dixit: Jam *quid hic facio?* Postrema tandem ejus verba hæc fuere: *Moriatur anima mea morte justorum*, quibus dictis, animam Deo reddidit 18. Martii.

40. Ceterum cum provectæ jam sim ætatis, solumque mihi superesse sepulcrum videatur, multaque dum in humanis fui scripserim & ediderim, me omniaque mea scripta judicio & censuræ sanctæ sedis apostolicæ subjicio, in sinu sanctæ Romanæ ecclesiæ animam efflare peroptans. Et si quid erravi, quod humanum est, mihi benigne indulgeri deprecor.



INDEX

INDEX OPUSCULORUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Sancti Cypriani carmen ad Felicem de resurrectione mortuorum. 1
Juvenci presbyteri Hispani liber in Genesim. 14
S. Hilarii Pictavorum episcopi aliquot Psalmorum interpretatio hactenus inedita. 55
S. Nili monachi tractatus de Christiana philosophia. 84
Cælii Sedulii presbyteri carmen de Verbi Incarnatione. 125
S. Maximi episcopi Taurinensis homiliæ sex. 133
Homilia I. de Hospitalitate. Ibid.
Homilia II. de eo quod scriptum est: Sicut tuba exalta vocem tuam, &c. 136
Homilia III. de eodem. 137
Homilia IV. de Zacchæo. 138
Homilia V. de eodem. 139
Homilia VI. de Epiphania. 141
Fausti episcopi Sermones sex ad monachos. 142
Sermo I. 142
Sermo II. 145
Sermo III. de Pœnitentia. 148
Sermo IV. de die judicii, malorum pœna, & bonorum gloria, &c. 149
Sermo V. in die sancto Pascha. 151
Sermo VI. de natali S. Petri. 154
Antiqua formula oblationis puerorum in monasteriis. 158
Regula S. Isidori cap. XXV. *quod in editis deest.* 160
Antiqua regula monastica auctore anonymo. 161
Tractatus de concordia veteris ac novi testamenti. 173
S. Bonifacii archiepiscopi Moguntini Germanorum apostoli & martyris Sermones. 185
Sermo I. de fide recta. 187
Sermo II. de origine humanæ conditionis. 188
Sermo III. de gemina justitiæ operatione. 191
Sermo IV. de octo Beatitudinibus. 194
Sermo V. de fide & operibus dilectionis. 196
Sermo VI. de capitalibus peccatis, & præcipuis Dei præceptis. 199
Sermo VII. de Fide & Caritate. 201
Sermo VIII. qualiter hic vivatur, & qualiter in futurum vivendum sit. 203
Sermo IX. qui actus sint omni studio evitandi, & qui tota virium instantia sectandi. 205
Sermo X. de Incarnatione Filii Dei, & humani generis reparatione. 208
Sermo XI. de duobus regnis a Deo statutis. 209
Sermo XII. Exhortatio de jejuniis quadragesimæ. 211
Sermo XIII. Quare jejunia quadragesimæ magis aliis jejuniis veneranda sint. 213
Sermo XIV. in die solemnitatis paschalis. 215
Sermo XV. de abrenuntiatione in Paschate. 217
S. Ambrosii Autperti liber de Cupiditate. 219
Sermo ejusdem de lectione evangelica in Purificatione B. Mariæ. 235
Homilia ejusdem in Transfiguratione Domini. 249
Pauli diaconi Sermo in Assumtione B. Mariæ. 266
Ejusdem Pauli diaconi homilia in evangelium: Intravit Jesus in quoddam castellum. 270
Quæstiones in Danielem prophetam a Petro archidiacono enodatæ. 275
Wicbodi quæstiones in Octateuchum. 294
Paschasii Radperti Corbeiensis abbatis liber de Corpore & Sanguine Domini. 367
Paschasii Radberti abbatis Corbeiensis de Fide, Spe, & Caritate libri tres. 470
Flori magistri opusculum de expositione missæ, longe auctius ab edito in Bibliotheca Patrum. 577
Flori opusculum adversus Amalarium. 641
Opusculum de causa Fidei apud Carisiacense episcoporum concilium nuper habita. 649
Epistola Flori Lugdunensis diaconi ad Theodonisvillæ concilium adversus Amalarium. 666
Rabani Mauri archiepiscopi Moguntini in librum Josue libri tres. 668
Ratherii Veronensis episcopi Præloquiorum libri sex. 785
Ratherii epistola ad Widonem & Sobbonem archiepiscopos, Godescalcum & Aurelium episcopos. 965
Ejusdem ad Robertum archiepiscopum. Ibid.
Ejusdem ad omnes fideles. 967
De vita vere apostolica Dialogorum libri V. auctore, ut videtur, Ruperto abbate Tuitiensi. 970
R. de diversis ordinibus & professionibus quæ sunt in ecclesia. 1028
Harmonia, sive tractatus de libero arbitrio & gratia, auctore Viviano Præmonstratensi. 1075
Rithmus magistri Petri Abaillardi de Trinitate. 1092
Proverbia Wiponis ad Henricum Cuonradi imperatoris filium. 1096
Josleni episcopi Suessionensis expositio Symboli & Orationis Dominicæ. 1101
Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis libri II. adversus nefariam sectam Saracenorum. 1120
Tractatus de memoria, auctore Hugone archiepiscopo Rothomagensi. 1185
Hugo Rothomagensis archiepiscopus super fide catholica & Oratione Dominica. 1212
Epistola Hugonis archiepiscopi Rothomagensis ad

Innocentium papam II. 1236

Magistri Hildebrandi libellus de contemplatione. 1237

Anonymi libellus adversus errores Alberonis sacerdotis Merkensis. 1251

Liber magistri Nicolai Oresmii episcopi Lexoviensis de Antichristo & ejus ministris. 1271

Addenda ad tomum I. 1445

Epistola Clementis papæ VI. ad Raynerium de Waschio domicellum. 1445

Treuga inter nobiles viros Cecchum Golini, &c. & Ildebrandum de filiis Ursi comitem Palatinum. 1445

Epistola Urbani papæ VI. ad populum & officiales urbis Romæ. 1449

Epistola ejusdem ad Raynerium de Baschio. 1450

Clementis papæ VII. dispensatio matrimonii pro nobili Guichardo de Baschio. 1451

Instrumentum illustris domini Johannis le Mengre de Boucicaut *militis Turonensis, marescalli Franciæ, & Januæ gubernatoris, &c.* 1452

Treuga seu guerrarum abstinentia inter Christianissimum regem Ludovicum XI. & Henricum VI. Angliæ regem, ad centum annos tractata & concordata, primum Caynone, deinde Turonis 28. Junii. 1462



SANCTI



S. CYPRIANI CARMEN AD FELICEM, DE RESURRECTIONE MORTUORUM.

Ex ms. codice Corbeiensi ante annos 900. exarato.

OBSERVATIO PRÆVIA.



QUOD *in hujus tomi limine collocamus* Carmen de resurrectione mortuorum, *S. Cypriani nomen præfert in pervetusto codice Corbeiensi ante annos nongentos litteris majusculis exarato. Quis autem sit ille Cyprianus, haud facile est divinare. Nam quominus celeberrimo illi Carthaginensi episcopo & martyri, cujus egregia scripta suavissime leguntur, illud attribuamus, obstare videtur oratio nimis salebrosa, & violatæ frequentius metri leges; tametsi sententiæ graves & nervosæ ab eo minime abhorreant, nec tanto doctore indignæ judicentur. Sed neque ætas auctoris a Cypriani Carthaginensis ævo distare videtur. Nam si eo antiquior non sit, subæqualem saltem fuisse complura evincunt. Certe eo se præsertim tempore vixisse, quo vigebat adhuc idolorum cultus, his insinuat versibus, quibus impios in extremo judicio conscientiæ stimulis agitatos inducit, eumdem idolorum cultum detestantes:*

Illic quisque suæ fatebitur effera vitæ.
Jam primum quicumque Deum male censerat ante,
Et vaga mentito coluissent numine saxa,
Atque cruentatas igne sacraverat aras,
Et picturatas timuit sine voce figuras. &c.

Floruisse etiam turbulentissimis nascentis ecclesiæ temporibus, quibus verbi sacri præcones crudeli neci tradebantur, ac fidem Christi quam prædicabant sanguinis effusione testes invicti obsignabant, satis demonstrat, cum tyrannorum in Christianos immanitatem his verbis redarguit:

Vos tamen hunc Dominum cœli terræque negastis,
Et justos potius crudeli cæde necastis,
Præconesque Dei plerique sæpe fugastis,
Veritas in vobis pro crimine semper inhæsit.

His adde, quod Millenariorum de terreno Christi regno post resurrectionem haud obscure insinuat opinionem, quæ vix sæculi tertii finem attigit. Sed neque minus antiquitatem sapit, quod, petitis undique argumentis, insanos ævi

sui philosophos futuram corporum resurrectionem negantes, hoc carmine impugnasse a vero non est absimile.

Erit forte qui carminis hujus auctorem faciat Cyprianum ex mago Christianum, deinde Antiochiæ in Phœnicia episcopum & martyrem, cujus acta tribus libris a coævo scriptore distincta primi edidimus tom. 3. nostrorum Anecdotorum. Verum ille non latine, sed græce scripsisset.

Ceterum hujus opusculi pretium probant asserta in eo præcipua Christianæ religionis dogmata, peccatum originale, baptismi necessitas, Trinitatis mysterium, mortuorum resurrectio, quæ sane tanti visa sunt in antiquissimo auctore, ut ab eo edendo minime deterrere potuerit oratio ejus subbarbara, quæ etiam ab imperito librario licet antiquissimo excerpta, adeo depravata est, ut sæpe hærere necesse sit, neque propterea, credimus, conquerentur eruditi viri frustra nos operam nostram collocasse.

Hæc postquam scripseram, sequens adverti carmen editum ad calcem Tertulliani operum fuisse: quod cum ibidem legissem, & cum ms. nostro contulissem, audacem deprehendi editorem, qui violatas a Cypriano, quicumque ille est, metri leges humilemque stilum impatienter ferens, opusculum istud elegantioribus versibus reddere conatus est, & sic non Cypriani, sed suam publici juris lucubrationem fecit. Quapropter cum vel ipsa errata in antiquis scriptoribus venerari soleant viri eruditi, operæ pretium duximus idem carmen quale ab auctore prodiit, suæ restituere sinceritati.

UI mihi ruricolas optavi carmine musas,
Et vernis roseas titulavi floribus auras,
Æstivasque graves maturavi messis aristas,
Succidi tumidas autumni vitibus uvas,
Et hyemis placidas laudare semper olibas,
Atque modulatas exclusi fontibus undas,
Frondentesque vago cecini de gramine silvas:
Protinus æthereas modulabor luminis auras.
Jam mihi luciferas liceat contingere musas,
Pandere secretas fluviali vertice nymphas,
Et lætas alio positas sub sidere silvas,
Æternasque simul memorabor carmine musas.
Unde mare tumidas immensum fluctuet undas,
Quæ virtus moneat solidas tremiscere terras,
Et lux unde novo præfulserit aurea mundo.
Quis hominem læto potuisset fingere limo,
Unde genus vacuo potuisset crescere sæclo,
Et varia populo quæ sit vivendi cupido;
Quæ creata malo primum moriendi propago;
Unde bonus rosis odorque pudorque coronis.
Quid faciat lætis ut vitis æstuet uvis,
Utque nova veteris lactescat hordea culmis,
Arbor & ut glaciem nigris pubescat olibis,
Germinibus variis quis decrementa viroris,
A Mollibus & matrem filiorum protegat umbris.
Omnia nosse bonum quæ sint incœpta ramorum,
Ut liceat per cuncta Deum agnoscere verum,
Qui lucem, maria, cœlum, terramque paravit,
Ornavitque novum variando sidere mundum.
Et pecudes primum, volucres procedere jussit,
Et dedit æquoreas complere piscibus undas,
B Atque fœcundatas animalibus egit arenas.
Talia compositis deducam carmina musis,
Salubremque vobis exponam fontibus undam,
Et lætum placidis venientem nubibus imbrem,
In animas hominum penitus ultroque fluentem,
Excipiam plenis in nostra novalia rivis.
Nunc age securam vivamque attingere lympham,
Et celeres vitæ facilem haurite liquorem.
C Si qui velit pœnas æternæ evadere flammæ,
Ignarusque die venturique inscius ævi,
Et justæ potius adipisci præmia vitæ,
Hunc unum meminisse Deum, solumque precandum,
Qui totum in libra posuit sub limine mundum,
Æternumque manens, semperque futurus in ævum,

Sæcula cuncta tenens, & ante omnia sæcula solus,
Ingenitus sine fine Deus, thronumque divinum
Solus habens, cœlo semper supereminet alto.
Omnipotens solus, cui parent omnia rerum,
Pater, Filius, Spiritus, qui sunt semper in unum.
Qui sibi complacitum hominem formavit in ævum,
Pastorem pecudum, dominum dedisse ferarum,
Jusque dedit volucrum, pontumque solum dominandum.
Qui sermone tenus potuit extendere cœlum,
Et solidam verbo jussit suspendere terram,
Ac dicto citius separavit æquoris undam.
Hanc manibus caram dilexit fingere formam,
Decoramque suam voluit inesse figuram.
Spiritu vivificam adflavit vultibus auram.
Immemor ille Dei, temere committere tanta,
Nec ultra monitum quicquam contingeret, unum
Unde malum sciret, & unde dignosceret æquum,
Protinus inlicitum vetuit contingere pomum.
Quanta Deus homini permisit munera mundi.
Et prædulce sui signavit pignus amoris;
Utilia cara tribuit mandata salutis,
Sub ditione dedit terras animamque viventem,
Pennatumque genus, pecudes, genus omne ferarum,
Et genus æquoreum, animalia cuncta natanta.
Sed quoniam primo transgressus crimine legem,
Jamjam primus homo Domini mandata mutabat,
Conjuge cuncta malâ suadente, morte peribat.
Nam peccati malum commisit femina primum,
Prodidit, atque suum decepit lege maritum.
Eva persuasa male patefecit limina leto,
Et sibi cum genere creavit funera toto.
Hinc nefas incautum, mors emanavit in ævum.
Inde magis facinus facile præcrebuit altum,
Agricolæque labor agitavit sævius annum.
Callidus hoc zelo serpens injecit iniquo.
Inde magis populi multa commissa malorum,
Et nefanda malis pepererunt femina factis.
Idcircoque Deus solus, cui summa potestas,
Et super alta tenens summa fastigia cœli,
A Altus inaccessam habitans in sæcula lucem,
Præteritique memor, & præscius ante futuri,
Progeniem meriti decretum servat in ævum,
Et cunctas animas quæ corpora tarda gubernant,
Et ratione movent homine vagante per artus.
Ut primo posito membrorum pondere cedunt,
Terrenisque leves resolutæ nexibus ibunt,
Ac proprias repent diversis partibus orbis.
Illicet occultis alias includi tenebras,
B Ast alias lætis revocare protinus auris,
Servari penitus decreta ad præmia legis,
Donec iterum mortis resurgant corpora membris.
Nunc homines primæ pensare fœnora vitæ,
Judicisque Dei memores adstare priorum.
Expectare suam suo quemque ex crimine pœnam.
Funditus aut pecorum sine nomine, pondere, flatu,
Incassumve Dei finiendo fundere flatum.
An Deus omnipotens, cujus sub nutu reguntur
C Omnia, non valeat post mortem reddere vitam,
Aut aliquid rerum Dominus non posse videtur?
Si potuit tenebris claram excludere lucem,
Atque omnes verbo potuit componere moles,
Omnia de nihilo illius potente voce parare,
Cur non ex aliquo possit compingere notam,
Quæ fuerat quondam, quæ vixerat ante figuram,
D Similemque suæ jubeat resurgere formam?
Cum sint cuncta Dei, reddent magis omnia, tellus
Jussa revocabit quidquid contexerat olim.
Si quem forte rogis abolevit flamma sopitum,
Aut aliquem cœcis dejecerat æquor in undis,
Si cujus famem satiarunt viscera pisces,
Aut finxere feræ crudelia funera membris,
Alitibus jacuit raptato corpore sanguis,
E Ultra nec Domino negabunt funera quemquam,
Apparere Deo vivos de morte necesse est,
Resumtisque suis homines adstare figuris.
Semina sic versis credentur arida terris,
Et penitus fixis putrescunt mortua sulcis,
Inde reparatis animatur culmus aristis,
Et iterum vivis flavescunt fortia granis,
Consurguntque novæ vario cum fœnore messes,
Sidera cuncta cadent, iterum renata lucescent,
Et dies in densa moritur cum lumine nocte,

Occidit inque diem nox, rebus luce quiescit, A
Ac dies alta suis iterum resurget in astris.
Solque cadet splendoriferque lumine claro,
Lux perit umbrato venienti vespere mundo.
Et remeat toto renovataque gaudia sæclo.
Sic cremata suo vivit de funere fœnix,
Extemploque suo volucris resurgit e busto.
Enudata foliis suo tempore fructicat arbor,
Atque iterum pomis curvata ex germine ramis.
Ergo ut ad vocem mundo tremente divinam,
Et penitus motis virtutibus aëris alti,
Tunc fragor insolitus, & maxima murmura cœli, B
Promovente Deo, veniente judice mundi,
Protinus innumeris concurrunt ire ministris,
Convallantque Dominum cum majestate sua cælesti,
Angelica late descendunt agmina terris.
Omnes nuncii Dei quibus est divina facultas,
Precibus & forma virtutis spiritus omnis.
Igneus his vigor est, rutilantia corpora cœli,
Vis divina micat, hinc tellus universa remugit, C
Hinc trepidans terra penitus universa remugit,
Parturiens homines quos reddere jussa jubebit.
Mirantur comites, turbantur denique nimbi,
Astra mirata pavent subitæ virtutis ab alto,
Hic jubente Deo facile cum voce potentis
Continuo ruptis per omnia regna sepulcris,
Omnis humus latis effundit hiatibus ossa,
Viventesque parens populos eructat arena.
Hærent membra comis, nectuntur ossa medullis, D
Consertique regunt spirantia corpora nervi,
Et simul infusæ moventur sanguine venæ.
Dimissæque cavis animæ redduntur apertis,
Organaque sua repetunt surgentia quæque,
Proh miranda fides! hinc omnis pullulat ætas.
Pullulat antiqua mortuorum pulvere turba,
Matres atque viri repetita luce resurgunt,
Magnanimi juvenes, pueri, nuptæque puellæ, E
Defunctique senes animis viventibus adstant,
Infantumque gemens resonat vagitibus orbis.
Cum variæ gentes veniunt de sedibus imis,
Eoûmque manus, & quas videt ultima tellus,
Quæ colunt medias devexo in climate zonas,
Riseasque tenent pruinosi sideris arces,
Omnis adest pavidus finis cujusque colonus,
Rusticus & miles, posito diademate reges,
Pauperi permixtus æquali in agmine dives,
Altus ubique tremor, precibus nunc ingemit orbis,
Tendentesque manus populi clamore mirantur.
Ipse se Dominus eminenti lumine clarus,
Et præpotens cunctis micat in virtutibus ignis,
Excelsoque throno cælesti sede coruscat,
Martyribus septus numero candente virorum,
Beatisque suis comitantibus vatibus extat,
Clara quibus niveis effulgent tempora tæniis.
Jamque sacerdotes nitidis in vestibus adsunt,
Gestantes rutilas præmia vitæ coronas;
Summissique omnibus genibusque reflexis adorant.
Solus agios sanctusque Deus, vox omnibus una est.
Hinc Dominus geminam jubebit sistere plebem,
Imperat & justos numero discerni malorum,
Indutosque jubet devicta morte vigorem,
Semper inextinctas habere luminis auras,
Ire per antiqua semper florentia regna,
Ditia per nemora, semper amœna vireta,
Degere perpetuam præclaro in corpore vitam.
Est locus Aëoliis Domino dilectus in oris,
Lux ubi clara, spiratque salubrior aura,
Æternamque dies atque immutabile tempus,
Et secreta Deo regio, ditissima campis,
Beataque nimis sereno in cardine sedes,
Semper aër lætus, semperque in luce futurus
Lenis, & adspirant vitalia flamina ventis.
Omnia fert æqua solo prædivite tellus.
Florea libratis conflagrat purpura pratis.
Omnia prærutila miscent non invida lucem,
Flos alium lætus suo lumine vestit amictum.
Hinc rosea niveo variantur semine rura,
Et roseis nivea crispatur floribus aura.
Nescia illa quibus suavescant pulchrius arva.
Quis melior specie, vel plus præcellat honore.
Numquam florigenis similes nascuntur in hortis,
Lilia nec nostris floruerunt talia campis;
Nec sic nota rubet, mox ut rosa panditur arva,
Purpura nec Tyrios sic est incocta rubore,
Gemma coloratis fulget speciosa lapillis;
Prasinus inde nitet, illic carbunculus ardet,
Smaragdus

Smaragdus lapis micantia lumina fundit. A
Hic & odoriferis nascuntur cinnama virgis,
Et viridi læto folio conflagrat amomum.
Hic jacet ingenitum radiati luminis aurum,
Et nemora alta tenent florentia vertice cœlum,
Virentesque gravant uberrima germina ramos.
Nulla suos similes porrexit India lucos,
Non ita densa levat viridis cacumina pinus,
Nec sic alta comas crispat vibrata cupressus, B
Nec vernus melius floret cum tempore ramus.
Hic abietes celsæ florent in vertice nigræ,
Æternumque virent solæ sine grandine silvæ,
Nulla cadunt folia, nullusque flos tempore desit,
Rubore compacta virent cacumina, purpura arbor.
Sed puto flos ille rosa est, rubor æquus in illo.
Sic speciem talem foliis adspirat odorem. C
Stat cum flore novis arbor pulcherrima pomis,
Vitalemque frugem felicia robora densant.
Mella viridantis conflagrant pinguia ramis,
Lac etiam plenis manat potabile rivis.
Vitam spirat ibi quidquid pia terra virescit.
Beatosque simul quidquid de germine floret,
Atque solum pulcræ redolent medicabile cretæ.
Fons illic placidus perfundit gramine campos,
Quatuor inde rigant partitam flumina terram. D
Ver puto semper agit vestitus floribus æther.
Non frigus variat hiberni sideris auras,
Nec radiata micat pressis caloribus æstas,
Cœlum luce sua serena temperat auras,
Et reficit fœtam meliorem flamine terram.
Nox ibi nulla, suas defundunt astra tenebras.
Iræque insidiæque absunt, & dira cupido,
Exclususque metus, pulsæque a limite curæ.
Hinc malus extremas relegatur exul in oras, E
Beatosque labor, vetitusque contingere fines.
Illic prisca fides electa in sede quiescit,
Justitia gaudens æterno in fœdere vivit,
Et secura salus placidis lætatur in arvis,
Semper victura, semper in luce futura.
Hic quicumque pius æqui bonique colonus,
Quique Dominum metuit innoxia mente Tonantem,
Atque suos coluit sacra pietate parentes,
Et coluit sanctam semper sine crimine vitam,
Aut inopem quotiens opibus solatus amicis,
Atque laborantes nimium subvenit egenos,
Pauperis adjutor, solitos solvere pupillos,
Eruit & nocitos, subvenit crimine pressis,
Hospitibus caræ tribuit sua pignora mensæ,
Omnia divinis gessit sua munera jussis,
Non aliquem nocuit, non aliena cupivit.
Illi exultantes divinis laudibus omnes,
Orantesque simul referunt ad sidera voces,
Psallentes Domino celebrant per gaudia grates,
Beatamque viam nunciis comitantibus ibunt.
Hæc postquam Dominus felicia dona peregit,
Et justos pariter æterna in regna remisit.
Et miseranda venit lugens sua crimina turba.
Hic gemitus, mœrent lacrymis angentibus omnes,
Testanturque sua crebris ululatibus acta,
Flammea pro meritis instantia tela tremiscunt.
Angeli corripiunt, jam jamque prohibentque precari,
Et prohibent seras pœnitentiæ fundere voces.
Jamque precum venia flamma veniente negatur.
O miseri! quotiens vobis divina potestas
Innotuit, quotiens majestas cognita veri?
Audistis sonitus, vidistis fulgura cœli,
Assidue pluvias, ventorum & grandinis iras,
Experti quotiens noctesque diesque serenos,
Tempora fœcundabant Dei munera donis,
Ver abunde rosas, frugibus nec defuit æstas,
Autumnus varia præbebat mitia poma,
Semper hyems lætas glacialis fregit olivas.
Cuncta Deus tribuit, bonitas nec defuit ulla,
Nec per tanta Deum genus omne scivit humanum.
Terra Deum tremuit, pontus Dei nutu pependit,
Et fluvius siccis trepidus refluxit arenis,
Et genitura Deum per omnia læta fatetur.
Vos tamen hunc Dominum cœli terræque negastis,
Et justos potius crudeli cæde necastis,
Præconesque Dei plerique sæpe fugastis.
Veritas in vobis pro crimine semper inhæsit.
Et ideo fructum capietis sementis iniqui.
Non scitis ecce diem, quem vos ridere soletis.
Ibitis in tenebras ignis & sulphuris altas,
Ardendo sævas passuri doloribus iras.

Hos æternæ jubet Dominus discedere pœnæ,
Ire sub ardores semper sine fine gehennæ,
Urgeri molem per stagna torrentia flammæ,
In flammas converti jubet elementa minantis,
Atque omnem cœli descendere nubibus ignem,
Tunc avidos rapidus includit tartarus ignis,
Atque procellosas ructabunt æquore flammas,
Totaque viventes confundet terra favillis,
Flammeus & sulcos aër vibrabit iratos,
Atque omnibus facibus torrens armabitur orbis.
Impetu tartareo frendent incendia mundo.
Illi præcipitem pulsi tolluntur in æstum,
Hinc fugiunt illac cursu referuntur acuto,
Obvia fit sævæ flammæ fugientibus ira,
Agnoscuntque suam jam tum de crimine pœnam.
Jamque vago nullo tellus possessa colono,
Et maris extremis pressa sub fine profundo.
Qua sol emenso radios definit olympo,
Ortaque transacto tolluntur sidera mundo.
Gliscit aër densis abstrusa luce tenebris,
Ultima secretis stagna flammantia rivis.
Est natura loci signatis ignea pœnis,
Et palus inferni scandens ardoribus ima
Intonat, horrificis fertur pænale caminis,
Æstuat & rapido turbatur vertice flammæ
In tormenta ruens fluctuanti gurgite flumen,
Torrida se cuncta cœno miscetur arena.
Huc captiva gemens mittetur turba malorum,
Arsurumque nefas scelerati corporis agmen.
Magnus plangor ibi, fletus, sociante clamore,
Et stridor rapidus, ululatus inde dolentum
Exsurget de flamma procul, altusque sonoras
Ignis & ardentis gemitus consurgit in auras,
Tunc imago mali pendet promissa propago,
Incipientque preces ad cœlum pendere seras,
Atque Deum nunc nosse volent, quem nosse nolebant.
Illic quisque suæ fatebitur effera vitæ,
Nocentesque manus, & sævas crimine mentes,
Atque infanda suæ testabitur effera vitæ.
Jam primum quicumque Deum male senserat ante,
Et vaga mentito coluisset numine saxa,
Atque cruentatas igne sacraverat aras,
Et picturatas timuit sine voce figuras,
Ac falsi tenues adoravit numinis undas,
A Et quemcumque malus seduxit protinus error,
Si quis adulter erat, natos quicumque necarat,
Si quocumque malo quis conscia mente vivebat,
Aut rapto grassatus erat, aut fraude clientis;
Si quis humano suas maculabat sanguine palmas,
Atque latebrosa miscebat morte venena.
Tunc si quis vacuo scelerabat pectora furto,
B Aut alieni mali lucro gaudebat iniquo.
Admisit quicumque nefas quodcumque malorum,
Altus ardor eum igni torquebit amaro,
Suppliciumque dabunt viventi funera cuncti,
Sic hominum totam mœrentes servare turbam.
Hæc adeo sancti quotiens cecinere prophetæ,
Spiritu sæpe Dei moniti dixere futura?
Nemo suas (miserûm) nemo heu præbuit aures.
C Sic Deus omnipotens voluit sua præmia nosci
Atque minas positæ plurima per talia legis,
Mittendo plures cœlestia verba clamantes.
Denique jussu Dei compegit ossa prophetes,
Et stupuit mota subito non sponte sepulcra
Cineribus creta jacuisse corpora passis,
Surgere tunc vivos anima veniente miratus,
Et cum voce sua ad cœlum tendere palmas,
Gratanturque Deo & victori talia Christo,
D Illa quidem tumulo petiere silentes,
Servandique Dei diei cessere futuro.
Paulisper jussit retineri cubilibus imis,
Donec ille dies completo tempore magnus
Adveniat, cuncti Dominum cognoscite verum,
Qui solus animam faciat conscendere lucem,
Eamdemque potest in tartara trudere pœnæ,
Et cui cuncta patet vitæ mortisque potestas.
E Posse Deo, non velle satis est, factumque dicendo
Ille meus solus metuendus sensibus imis;
Et quoniam leto cursus concluditur omnis,
Quicumque est hodie, secum sua vita feretur.
Et ideo dum vita manet, dum carpere lucem,
Dum pœnitere licet, prius quam terminus ævi
Occupet incautos, & nescia lumina solvat
Ultimus ille dies mortis qui lege tenetur,

Quod primum superest care vigilate salutem, A
Et facile eritque bonum deflectere cursum.
Post ærata suis & pressa piacula sacris
Postque vagæ nimium quos vexavere procellæ,
Rectas adite vias, & flamina recta tenete.
Hinc lætis prius animis repellite crimen,
Et concreta diu proluatur pectore culpa,
Tunc commissa mala mites abolete nefanda,
B
Æternisque Deum precibus placate tremendum.
Pessima cuncta bonis cedant mortalia vivis.
Conservate novam jam jam sine crimine vitam,
Et servate pias veroque in nomine mentes.
Ac veniam primis supplices rogate delictis,
Jam jam pura piis maturescant corda colonis,
Innocuasque manus precibus attollite justis,
Laudibus & faciles divinis reddite voces.
Incipiantque bonis verisque adsuescere mentes,
Divinæque magis celebrentur munera legis,
Et memorate bona, simulque invadite facta;
Sordida nitescant olim commissa malorum,
Et meliora piis flagrabunt omnia vobis.
Horrendisque simul liberatur vita periclis,
Atque æterna suis veniet ad præmia votis.

EXPLICIT.



JUVENCI PRESBYTERI HISPANI
LIBER IN GENESIM.

Ex pervetusto codice Corbeiensi ante annos nongentos exarato.

OBSERVATIO PRÆVIA.

QUI per sæcula minimum tredecim jacuerat in tenebris, prodit tandem in lucem Juvenci presbyteri Hispani liber in Genesim, cujus in sacra evangelia quatuor carminum libros hactenus celebrarunt antiqui recentesque scriptores. Quare nec mihi supra modum ejus in laudes excurrendum videtur, cum absolutum de eo elogium pronuntiarit Gelasius papa in decreto concilii Romani de scriptis apocryphis & agiographis, ubi Juvenci laboriosum opus prædicat, nec spernendum sed admirandum *asserit. Quo quidem præconio illustrius nihil proferri poterat. Eumdem longe ante Gelasium laudaverat S. Hieronymus in epistola ad Magnum, quod* non pertimuerit evangelii majestatem sub metri leges mittere. *Et commentario in Matthæum mysticas munerum a Magis Christo infanti oblatorum significationes explicans,* Pulcherrime, *inquit,* munerum sacramenta Juvencus presbyter uno versiculo comprehendit:

Aurum, myrrham, thus, regique, hominique, Deoque
Dona ferunt.

Denique in libro de Scriptoribus ecclesiasticis: Juvencus nobilissimi generis, Hispanus presbyter quatuor evangelia hexametris versibus pene ad verbum transferens, quatuor libros composuit, & nonnulla eodem metro ad sacramentorum ordinem pertinentia. *Primum etiam locum inter Christianos poëtas tribuit ei Venantius Fortunatus initio librorum de vita S. Martini, his versibus:*

Primus enim docili distinguit ordine carmen,
Majestatis opus metri canit arte Juvencus.

Prætereo Bedam Venerabilem & recentiorum scriptorum, qui miris Juvencum efferunt laudibus, maximam catervam, ex quibus unus hic sufficiat Gaspardus Barthius. Juvencus, *inquit, lib.* 2. *Animadversionum cap.* 23. metro simplici, sed adeo non illatine scripsit, ut etiam antiquæ ejus linguæ ante Maronis ævum usitatæ non pauca in eo sint vestigia. *Et lib.* 8. *cap.* 1. *poëtam vocat* omnium scriptorum simplicissimum, qui plus tamen in sinu gerat, quam fronte polliceatur.

Quo præsertim tempore Juvencus opus suum in Genesim composuerit non facile est definire. Nihil tamen vetat, quin aut paulo ante aut non multo post editos in evangelium quatuor carminum libros, illud scripsisse asseramus. Scripsisse autem in evangelia vivente adhuc Constantino Magno constat ex his ejus versibus, qui in fine libri 4. *leguntur:*

Hæc mihi pax Christi tribuit, pax hæc mihi sæcli,
Quam fovet indulgens terræ regnator apertæ
Constantinus, adest cui gratia merenti, &c.

Porro Constantinus anno 337. *vitam cum morte mutavit, ac proinde circa* 340. *ad summum collocanda est hæc Juvenci scriptio.*

Ceterum silentio prætermittere non debeo, quatuor prima illius capita jam dudum edita reperiri ad calcem operum cum Tertulliani tum Cypriani, cui incunctanter ea attribuit Pamelius, aitque plures se in eo Cyprianicas dictiones deprehendisse, extareque sub ejus nomine in Parisiensi S. Victoris codice manuscripto. E contrario vero Elias Pinius Salviani presbyteri Massiliensis fœtum esse conjicit, adducitque in medium Gennadii auctoritatem, qui Salviani opera recensens, inter alia inquit, in morem Græcorum a principio Genesis usque ad conditionem hominis, composuit versu quasi hexameron librum unum.

Cap. I.

[a] Principio Dominus cœlum terramque locavit: (a)
Namque erat informis fluctuque abscondita (b) tellus, [b]
Immensusque Deus super æquora vasta meabat,
Dum chaos & nigræ fuscabant cuncta tenebræ,
Has dum sidereo disjungit (c) cardine, fatur: [c]
[d] Lux fiat, & læto (d) nituerunt omnia mundo.
Cumque Deus primi complesset facta diei,
Condidit albentem nebulis nascentibus axem.
[e] Accipit immensus errantia (e) littora pontus,
Multiplices rapiens validis cum tractibus amnes.
Tertia lux faciem terrarum fulva retexit.
Arida mox posito narratur nomine terra.
Florea ventosis consurgunt germina campis,
A Pomiferique simul procurvant brachia rami.
Quarta die generat solis cum lampade lunam,
Et stellas tremulo radiantes lumine pingit. (f) [f]
Hæc elementa dedit subjecto insignia mundo,
Tempora quæ doceant varios mutanda per ortus.
Quinta die (g) accipiunt liquentia flumina pisces. [g]
B Et volucres varia suspendunt corpora penna. (h) [h]
Sexta pater gelidos (i) in spiras lubricat angues, [i]
Quadripedumque greges totos diffundit in agros,
Cunctaque multiplici mandavit crescere passim
Germine, & immensis errare & pascere terris.
Hæc ubi constituit divina potentia jussu,

(a) Editi legunt *creavit*, quam vocem usurpat vulgata versio, Juvenco ignota.

(b) In vulgata editione legimus, *Terra autem erat inanis & vacua.* At antiqua versio Italica quam citat Augustinus, habet: *Terra autem erat invisibilis & incomposita.*

(c) Paulo aliter hunc versum legit Pamelius, hoc nimirum modo: *Has dum disjungi jussit de cardine, fatur.*

(d) Editi *claro &*, pro quo Morellus legit, *clare.*

(e) Edit. *verentia.*

(f) Edit. *fingit.*

(g) Edit. *At quinta*, omisso *die*, non ita bene.

(h) Hunc versum ita legit Pamelius: *Et volucres varias suspendunt aëre pennas.*

(i) Edit. *Sexta prægelidos.*

Rectorem

A Rectorem inſpiciens mundanis deſore rebus,
Hæc memorat: Hominem noſtris faciamus in unguem
Vultibus adſimilem, toto qui regnet in orbe.
Et licet hunc ſolo (a) poſſet componere verbo,
Ipſe tamen ſancta dignatus ducere dextra,
Inſpirat brutum divino a pectore (b) pectus.

CAP. II.

Quem poſtquam effigie formatum ceu ſua vidit,
Metitur ſolum mordaces volvere curas.
B Ilicet irriguo perfundit lumina ſomno,
Mollius ut vulſa formetur femina coſta,
Atque artus mixta geminos (c) ſubſtantia firmet,
Inditur & nomen vitæ quod dicitur Eva.
Quapropter nati linquunt de more parentes,
Conjugibuſque ſuis poſitis cum ſedibus hærent.
Septima luce Deus (d) factorum fine quievit.
Sacratam ſtatuens venturi ad gaudia ſæcli. (e)
C Ilicet exhibitis animantum ex ordine turbis,
Viritim cunctis nomen quod permanet indit
Adamus, donata ſibi prudentia ſolers. (f)
Quem Deus adloquio junctam dignatur & Evam:
Creſcite multimodo ventura in tempora partu.
Ut polus & plenæ veſtro ſint germine terræ,
Heredeſque mei, varios decerpite fructus
Quos nemora & pingui reddunt de ceſpite campi.
D Hæc ubi diſſeruit, læta paradiſus in aula
Inſtruitur, primique adſpectat lumina ſolis.
Gignitur hæc inter pomis letalibus arbos
Conjunctum generans vitæ mortiſque ſaporem.
Ædibus in mediis puro fluit agmine flumen,
Quo rigat inſignes liquidis de fluctibus ortus,
Quadrifidoſque ſecat undanti ex fonte meatus,
Fiſonus auriferis prædives fluctuat undis,
E Conſpicuaſque terit rauco de gurgite gemmas,
Praſinus huic nomen, illi eſt carbunculus ardens.
Perſpicuiſque vadis terram prælambit Evillam. (g)
Poſt hunc Æthiopas Gehon adlapſus opimat,
Tertius eſt Tigris, Eufrati adjunctus amœno,
Aſſyriam celeri diſcretim flumine ſulcans.
Hic poſitus cuſtos Adamus cum conjuge fida,
Atque opifex tali formatur voce Tonantis.
Ne trepidate ſimul licitos præcerpere fructus,
Quos nemus intonſum ramo frondente creavit,
Solliciti ne forte malum noxale legatur (h).
Quod viret ex gemino diſcreta ad munia ſucco.
Nec minus interea cœcos nox alta tenebat,
Ac modo formatos veſtis non texerat artus.

CAP. II.

Has inter ſedes & baccis mitibus hortos (i)
Spumeus aſtuto vincens animalia ſenſu,
Serpebat tacite ſpiris frigentibus anguis,
Livida mordaci volvens mendacia ſenſu,
Femineo tentat ſub pectore mollia corda:
Dic mihi cur metuas felicia germina mali?
Numquid poma Deus non omnia nata (k) ſacravit?
Adqui (l) ſi ſtudeas mellitos carpere victus,
Aureus aſtrigero redibit (m) cardine mundus.
Illa negat, vetitoſque timet contingere ramos;
Sed tamen infirmo vincuntur pectora ſenſu.
Ilicet ut niveo jam mitia dente momordit
Adfulſit nulla maculatum nube ſerenum.
Tum ſapor inlecebram mellitis in faucibus indens
Perpulit (n) inſueto munus deferre marito.
Quod ſimul ac ſumſit, deterſa nocte nitentes
Emicuere oculi, mundo ſplendente, ſereni.
Ergo ubi nudatum proſpexit corpus uterque,
Quæ (o) pudenda vident ficulnis frondibus umbrant.
Forte ſub occiduo Domini jam lumine ſolis
Agnoſcunt ſonitum, trepidique ad devia tendunt.
Tum Dominus cœli mœſtum compellat Adamum.
Dic ubi nunc degas? Reſpondit talia ſupplex:
O Domine adfatus pavido ſub corde tremiſco
Magne tuos, nuduſque metu rigente (p) fatigor.

(a) Edit. *uno*.
(b) Edit. *in pectore*, longe melius noſter mſ. *a pectore*.
(c) Edit. *Mixtu gemino*.
(d) Edit. *quando Deus*.
(e) Edit. hunc verſum ita legunt: *Sacrata ſtatuens venturi gaudia ſecli*.
(f) Edit. paulo aliter: *Adami a Domino donata prudentia ſolers*.
(g) Edit. *Evilat*.
(h) Edit. *legatis*.
(i) Edit. *ortus*.
(k) Edit. *nota*.
(l) In mſ. noſtro legitur *ad quis*, editi *equeis*.
(m) Edit. *remeabit*. In Vulgata ſerpens promittit ſcientiam boni & mali: *Eritis ſicut dii, ſcientes bonum & malum*.
(n) Edit. *compulit*.
(o) Edit. *cumque*.
(p) Edit. *Frigente*.

Tum Dominus: quis poma dedit noxalia vobis?
[a] Tradidit hæc mulier, dum dicit, (a) lumina promtim
Candenti perfusa die liquidumque serenum
Adfulsisse sibi, solemque & sidera cœli.
Protinus ira Dei turbatam territat Evam,
Auctorem vetiti dum quærit Maximus acti.
Illa sub hæc pandit: Serpentis suasa loquelis (b) [b]
Accepi, fallente dolo, blandoque rogatu.
Nam sua vipereis intexens verba venenis,
Hæc mihi præ cunctis narravit dulcia pomis.
Ilicet Omnipotens condemnat gesta draconis,
[c] Præcipiens cunctis invisum vivere (c) monstrum,
Pectore mox fuso prorepere, tum * sola morsu
Mandere: mansuro quæcumque in tempora bello,
Humanos inter sensus ipsumque labentem (d) [d]
Vertice, ut abjecto pronus post crura virorum
[e] Serperet, & calces (e) dum labens comminus instat.
Femina fraudigeris misere decepta suadelis
Præcipitur duro discrimine ponere partum,
Servitiumque sui studio perferre mariti.
Tu vero, cui visa fuit sententia verax
Conjugis, immiti cessit quæ victa draconi,
Deflebis miserum per tempora longa laborem.
Nam tibi triticeæ surget pro germine messis
Carduus, & spinis multum paliurus acutis.
Ut cum visceribus lassis & pectore mœsto,
Plurima sollicitos præstent suspiria victus.
Donec in occiduo venientis tempore mortis,
Unde geris corpus, terræ reddare jacenti.
His actis, Dominus trepidis dat tædia vitæ,
Dejectosque procul sacratis dimovet hortis,
Obversosque locat medioque eliminat igni.
In quo perceleri Cherubin evolvitur æstu,
Dum calidus defervet apex, flammasque volutat.

* id est terram.

Quis (f) Dominus pigro ne frigore membra rigerent, [f]
Consuit evulsas pecudum de viscere pelles,
Operiens nudos calidis de vestibus artus.

CAP. IV.

Ergo ubi conjugio sese jam fidus Adamus
Esse virum sensit, nomen genitricis amatæ
Exhibet uxori binos e germine fœtus, (g) [g]
Continuo genitor diversis nuncupat orsis
Is Caïn (h) hic nomen habet, cui junctus Abelus [h]
Innocuas multa servabat cura bidentes. (i) [i]
Ast alius curvo terram vertebat aratro.
Hi cum perpetuo ferrent sua dona Tonanti,
Dissimiles fructus sensu suadente dedere.
Nam prior uberibus fuerant quæ prosata glebis
Obtulit, ast alius miti se devovet agno,
Exta gerens sincera manu adipemque nivalem,
Confestimque placet Domino pia vota tuenti.
Quod propter gelida Caïn incanduit ira,
Quem Deus adloquio dignatus, talibus infit:
Dic mihi, si rectum vivas & noxia cernas,
Degere num possis contracto a crimine purus?
Desine mortali fratrem disperdere sensu
Qui tibi seu domino subjectus colla præbebit.
Nec tamen his fractus fratrem deducere ad arva,
Atque ubi deprensum deserti (k) in gramine vidit, [k]
Elidit geminis frendens (l) pia guttura palmis. [l]
Quod factum Dominus cœlo speculatus ab alto,
Disquirit quonam terrarum degat Abelus.
Ille negat positum custodem se fore fratris.
Cui Deus effatur: Nonne (m) vox sanguinis ejus [m]
Ad me missa sonat, celsumque ascendit (n) ad axem? [n]
Nosce igitur mansura tibi pro crimine tanto;
Nam modo quæ maduit germani sanguine terra
Inviso maledicta tibi commissa negabit
Semina, & absumtis fructum non proferet herbis.
Torpidus ut multo conlidens membra tremore,
Funere ceu juncto semper suspiria ducas.

(a) Hæc in vulgata non reperimus dicta fuisse Adamo a muliere; sed ea Juvencus in antiquiori potuit versione legere.
(b) Edit. *Loquentis*. Longe melius in nostro ms. *loquelis*.
(c) Edit. *visere*.
(d) Edit. *lubantem*.
(e) Edit. *ut calces*.
(f) Veteres, ut notat Marius Victorinus, *quis* solebant pro *queis* & *quibus* usurpare, atque ita hic auctor non semel.
(g) Edit. *bino qui gemine factus*.
(h) Edit. *Atque Cain hic nomen habet*.
(i) Edit. *videntes*. At veteres *u* litteram pro *b* persæpe usurpabant.
(k) Edit. *deserto*.
(l) Edit. *frangens*, idque ex conjectura. Nam codex ms. legebat *fraudans*; melius codex noster *frendens*.
(m) Ita etiam Morellius, edit. ex conjectura restituunt *numnam*.
(n) Edit. *descendit*, melius codex noster *ascendit*.

[a] Territus ille gemit, mortemque (*a*) a numine poſcit:
Quæ tamen infenſo non eſt conceſſa Tonante;
Nam malo promeritus ſigno fit notus inuſto.
Sternere ne ferro liceat cuicumque nocentem,
Ne majus ſeptina parent diſcrimina funus.
Ilicet a facie Domini ceu perditus exit.
[b] Ædibus obverſis Naïdæ (*b*) in ceſpite terræ,
Nec minus ex natis genitrix quos fida creavit
Nomine primævis ſublimem condidit urbem, (*c*)
[c] [d] Enochus Naida (*d*) creat ac deinde Malechum,
Quo Matuſalamus ſenſim genitore ſub auras
Exiit, & longæ produxit tempora vitæ.
[e] Aſt Amalech (*e*) dirum qui percutit enſe Cainem,
Perpetitur cæſo multum graviora nocente.
Crimina nam meritum decies ſeptina coërcent.
Conjugibus hic facta gemens ſeſe increpat ultro,
Quarum prima fuit Ada, atque altera Sella.
[f] Aëlum (*f*) ſed prima creat, qui paſtor in arvis
Gramineis læta pecudes paſcebat in herba.
Jobalus quem deinde ſubit, qui muſica plectra
Repperit, & vario concordes murmure cordas.
[g] Tobellum (*g*) mox Sella parit, cui fundere rivos
Æris erat moris, ferrumque incude ſubactum
Diverſis formare modis, ſtridente camino.
Quem Noëma ſequens uno genitore creata.
Hæc inter vegetis Adam non languidus annis,
Sethum progenerat poſt mortem mitis Abelis,
Enochum is deinde creat, cui candida corda
Largitus Dominus, hoc ſe poſcente rogari
Adnuit, & placidæ ſuſcepit munera mentis.

CAP. V.

Nongentos igitur poſtquam compleratAdamus,
Ter denoſque annos, ſopitus morte quievit.
Longævuſque dehinc nongentos quinque per anos
Enochus vixit, quem Cainanus adæquans
Quinque fuit tantum protentis longior annis,
Junior hoc iterum ter denis decubat annis.
Malaleela ſenex ter denis, deinde Jarecus
Atque tribus vixit longo conſtrictior ævo.
Enochus cui cura fuit ſervire Potenti,
Et mentem ſociare Deo, * ſajunior iſtis (* f. ſed junior.)
Ter centum explicitis, ſi quinque adjungere cures
Sexies & denos, ſubita caligine tectus
Abditur, & Domino multum miſerante remotus,
Felicem placido vivit cum tempore vitam.
At Matuſalamus nongentos porrigit orbes,
Septies & denos unum (*h*) quis jungere jus eſt. [h]
Lamechus hoc patre ſatus, Noële creato,
Talia diſſeruit, dum vatum more futura
Prævidet, & ſenſus venturum mittit in ævum;
Hic ſecura dabit nobis commercia vitæ,
Et durum removebit onus, pacemque reducet
Quæ factis eſt pulſa malis noſtroque reatu,
Triſtibus & dextris quarum ſulcata labore
Terra negat fructum, Domino maledicta loquente.
Septies hic centum vixit ſeptemque per annos
Septuaginta ſuper poſitis ut ſummula poſcit.
Hoc generante probis Noëlus nobilis actis
Editur innocuo daturus ſemina ſæclo,
Treſque creat natos Sethum, Chamumque, Jafetumque,
Innumerum (*i*) ſolitos mollitum tundere ferrum, [i]
Et ſcintillantes promtim procudere maſſas.

CAP. VI.

Sexies hic vates centum jam vixerat annis,
Cum Dominus diri pertæſus crimina mundi,
Multimodoſque hominum longa ſub luce reatus,
Conſtringit miſerans prolixæ in crimina vitæ,
Impoſuitque modum bis ſexaginta per annos
Vincere quem nullus nulla ſub lege valeret.
Hæc inter ſanctos lactat terrena voluptas,

(*a*) Hæc procul ſunt a vulgata verſione, ubi Caïn non petiiſſe, ſed timuiſſe mortem repræſentatur: *Omnis igitur*, inquit, *qui invenerit me, occidet me.*

(*b*) Juxta Vulgatam Cain *profugus habitavit in terra ad orientem plagam Eden.* At juxta Hieronymum in lib. Quæſtionum Hebraic. *habitavit in terra Naid.* Atque ita etiam Septuaginta interpretes.

(*c*) Quærit S. Auguſtinus in lib. Quæſt. in Geneſim, quomodo Caïn potuerit condere civitatem, *cum civitas alicui conſtituatur hominum multitudini*, ſoloſque duos parentes & duos eorum natos ſcriptura commemoret. Reſpondetque duos illos natos plures alios & genuiſſe, eorumque filios etiam genuiſſe filios & filias, quorum nomina ſcriptura non enunciat.

(*d*) Unicum Enocho natum tribuit Vulgata, nempe Irad, Irado Maviaël, Maviaëli Mathuſaël.

(*e*) Amalech hic ponitur pro Lamech.

(*f*) Pro Aëlo Vulgata habet Jobel, atque ita etiam legit Auguſtinus in lib. 15. de Civitate Dei cap. 17.

[*g*] Thobellum etiam legit S. Auguſtinus loco citato; pro quo Vulgata legit *Tubalcain.*

[*h*] Scriptura annos dumtaxat nongentos ſexaginta novem tribuit Matuſalamo, his duos addit Juvencus.

[*i*] Quæ hic de filiis Noë narrantur, in Vulgata non extant.

Captivosque tenet cœlesti (a) ex arce meantes, A
[a] Dum facies pulcro ridentes corpore cernunt
Femineas, placitisque nimis complexibus hærent,
Progenuere sibi torva cum mole gigantes,
Quorum criminibus Domini patientia tandem
Cogitur offendi, longam dum concipit iram,
Atque dolet hominem dextra formante creatum. B
Siderea, sancto permotus pectore fatur:
Jus delere mihi mundi peccata nocentis,
Fluctibus æquoreis totamque involvere terram,
Humanumque genus vastis mersare fluentis,
Omnigenasque simul pecudes, quæ læta per agros
Gramina detondent, celsis dum collibus errant.
Serpentes nex una premat, volucresque, ferasque, C
Ut mea deletis mitescat fraudibus ira.
Accipit ergo Dei mandata ingentia Noë,
Duplicibus cameris arcam compangere jussus,
Quæ teneat volucrum mansura ad germina nidos,
Ac ne fissilibus dissultent robora rimis,
Unguine præpingui linuit bituminis arcam.
Ipsa fuit plenas ter centum longa per ulnas,
Quinquaginta patens transversam lata per alvum.
At qua sublimi surgunt fastigia tecto D
Edita ter denis in cœlum tollitur ulnis,
Assere quadrato nullis censura fluentis.
Ad medium gestans facili cum cardine postes.

CAP. VII

Hæc perfecta Deus postquam despexit ab astris,
Talibus adfatur mittendum in æquora vatem:
Scande citus, natique tui, natæque fluentem
Fluctibus in tumidis cumbam, quia pectora vidi
Justa tibi, dudumque mihi tua nota voluntas, E
Emeruit majora præsentibus; atque coactas
Claude simul pecudes omni de germine mites,
Septenis paribus, immundo de grege bina
Esse sines tecum, escamque his omnibus infers,
Atque tibi suetam, ne cum per vasta fluenta
Cultio destiterit, pariter patiare molesta,
Provisis non ante cibis per glauca vehendis
Salsa famem, nam clara polo cum lumina solis
Septima prodierint, totos diffundere nimbos
Cardine ab æthereo, cunctosque evolvere fontes
Adlapsu majore paro, quo grandior undis
Æstuet oceanus, spumosis largius amnes
Accipiens, fusoque oblimans omnia tractu.
Namque quater denis juncta cum nocte diebus
Grandine perpetua nubes complebo madentes,
Ut quidquid vivit tumidis mergatur in undis.

Hæc ubi dicta, fiunt Domini mandata, volente,
Festinoque sene, longo qui nobilis ævo
Sexcentos agitans annos, se credidit undis,
Conjunctosque simul natos natasque recepit,
Confisus tenui quamvis foret abditus antro.
Interea totos laxarunt nubila nimbos,
Atque abyssus riguos dimisit in æquora fontes.
Jamque quater denis stagnantur cuncta diebus.
Non volucres levibus suspendunt corpora pennis,
Nec fera celsijugo devitat marmora colle,
Omnia conduntur pelago, mors omnibus una est.
Nec minus interea tumidum suspensa per æquor
Arca fluens clausum munibat pendula vatem,
Venturisque parens servabat semina sæclis,
Naufragio secura suo: mox rarior æther

CAPUT VIII.

Nubibus in piceis cœpit constringere nimbos.
Jamque relabenti decrescit in æquore pontus,
Ac postquam modico fluitabat flamine cumba,
Emittit senior nigrantem pectora corvum;
Qui levibus pennis volucri dum flamine fertur,
Non rediit, justi suspendens vota prophetæ.
Post hunc albentem mittit per stagna columbam,
Quæ super æquoreum campum defessa volatu

[a] Hic respicit Juvencus ad illa versionis Italicæ verba: *Videntes autem angeli Dei filias hominum, quia bona & pulchra sunt, sumserunt sibi uxores.* Hic vero quærit S. Augustinus, quomodo *potuerunt angeli cum filiabus hominum concumbere.* Respondetque nonnullos Latinos & Græcos codices non *angelos*, sed *filios Dei* legere, justosque in scriptura & angelos & filios Dei appellari, ac credibile esse homines justos concupiscentia lapsos, peccasse cum feminis. Ita in lib. Quæst. in Genes. q. 3.

Nusquam

Nusquam nacta solum, vati se reddidit (a) almo.
[a] Cumque recurrentis fulgerent septima solis
Lumina, dimittit penna plaudente volucrem,
Quæ nemore invento, ramis præpinguis olivæ
Ora referta tulit, cum jam per sidera vesper
Surgeret, ac tremulo noctem præcurreret igni.
Inde iterum septem transcursis rite diebus,
Mittitur in pelagus ales, quæ lapsa meatu
Perceleri numquam sociæ se reddidit aulæ.
Sexcentos igitur jam tum transgressus & unum
Orbes erat vates, primo jam mense secuto
Atque die mensis primo, cum libera tellus
Visa aperire procul montes ac volvere fumum,
Quos super undarat ter quinas pontus in ulnas:
Decurso jam mense, dehinc cum trina secando
Lumina restarent, toto jam libera fluctu
Terra fuit, propriumque ostendit læta virorem.
Ergo ubi undatis consedit montibus arca,
[b] Araracum (b) qui nomen habent sermone vetusto,
[c] Laxat claustra senex, nova semina terræ
Atque (c) Deum gaudens contra se attollere sanctum.
Cap. X. Heroum de more foret quos ardua cervix
Immensumque caput sublimes tollet in auras.
Hic Babylon collocat, Orichamque, & Archata Acalla, (d)
[d] Sinnacheros inter saltus Assura deinde
Condit, & eximiam tectis Niniveva locavit.
[e] Et Robotham (e) Calchamque, dehinc Dasemata, quarum
Distinguit saltus medioque in limite surgit.
Cap. XI. Dumque alacres certant, & nomina mœnibus indunt,
In campum veniunt Sennarum nomine dictum,
Moliti que cavas ad sydera tollere turres,
Non calcem faciunt, qua saxa inserta ligantur,
Sed lateres tosta lutei fornace coquuntur.
Ut prius immensis fulgerent mœnia tectis,
Quam novas discretas faceret migratio gentes.
Bitumen pro calce fuit, quod vellere molli
Ducitur, & lento constringit corpore cautes.
Namque penes cunctos sermones consona lingua,
Per similes fatus, & civica verba locuta est.
Denique descendit Dominus & mœnia vidit,
Præcipiens varias raptim prorumpere voces,
Diversosque sonos, quis (f) gentes quæque loquuntur, [f]
Ilicet impletur positis cultoribus orbis,
Dividuusque locus mox est Confusio dictus.
Hos sequitur Domino multum qui credidit Abram,
Quem genuit prisco de nomine Thara vocatus.
Jungitur & Lothus juncto de sanguine frater.
Hi cum jam validi fierent pubentibus annis,
Conjugium junxere sibi, Lod fœdere Melciæ (g)
Gaudet, & Abram odescit conjuge Sarra. [g]
Quæ tamen ad senium duxit sine pignore vitam.
Hos Thara sollicite Chaldeo de grege dimisit.
Dum Chanana placent frondosis collibus arva.
Sed Deus electi qui sensum nosceret Abræ Cap. XII.
Imperat, ut sedes alia regione capessat.
Hei age festinans patriis te dimove terris,
Cognatasque domos & limina sueta linque.
Nam procerem immensæ faciam te jam fore gentis:
Insuper his addam, ut te quicumque malignis
Vulnerat eloquiis, Domini maledictus ab ore,
Tristia quæque ferat; at qui sermone benigno
Commoda denarrat, poscit lætos & grandior astu.
Mutantur sedes, Sychemis castra locantur,
Quæ Dominus vati longum despondit in ævum.
Illic deproperans sacratas suscitat aras,
Conscendensque montem fractas qui respuit undas.

[a] Hic quærit Augustinus cur non redierit corvus, redierit vero columba, an corvus mortuus fuerit? Responderque a multis conjici, *quod cadaveri potuerit corvus insidere, quod columba naturaliter refugit.*

[b] Ararath est mons Asiæ in Armenia, estque pars Montis Caspii prope Mediam, & inter Artaxatam & Arsissam paludem.

(c) Hic Amanuensis oscitantia omissum est integrum Geneseos caput nonum. Nam quæ sequuntur, non ad Noëmum pertinent, sed ad Nemrod, qui Babilonem condidit, & Orech, & Archad & Chalanne in terra Sennaar.

(d) In vulgata non *Acalla* sed *Chalanne* dicitur.

[e] Septuaginta interpretes hunc Geneseos locum sic legunt: *Et Roboth civitatem & Chalach & Date, quæ est Ninivem & Chalach.* Antiqua vero versio. *Et Robooth civitatem & Chalach & Dasim intermedium Ninives & Chalach.* Vulgata autem omisso *Robooth* habet: *Et plateas civitatis & Chale, Resen quoque inter Ninivem & Chale.*

(f) *Quis* pro *queis* aut *quibus* uti supra observavimus.

[g] Hic lapsus memoria videtur Juvencus, dum Melcham seu Melciam Loth tribuit uxorem, quæ nupserat Nachor. Sic enim antiqua versio Italica qua usus est: *Et sumserunt Abram & Nachor sibi uxores. Nomen mulieris Abram Sara, nomen mulieris Nachor Melcha filia Aram.*

Et rubicunda tumens prospectat lumina solis A
Hic etiam positis fundatur molibus altar
Oraturque Deus, sola cum deinde per arva
Vates agit, quæ terra jacet disjuncta colonis;
Quæ dum perpetuo venis sitientibus ardet,
Incussit jejuna famem cui cura cohæret,
Hoc fœcunda metu Nilotica rura petuntur.
Et quia conspicuo canderet corpore Sarra,
Mandatur nullo nuptam se dicere vinclo,
Sed fore germanam, ne fors immanibus ausis B
Effrenis turbæ zelum noxale marito
Gigneret, atque emulum tristis rivalis haberet.
Hunc mirata quidem venientem turba Canopi,
Omnimodis Sarra cupido de lumine lustrat.
Atque ubi per proceres laudata, & tradita regi est,
Dulcibus accipitur votis verbisque propheta.
Non tamen impositum voluit rex Ætheris illi.
Nam multis magnisque simul terroribus actum C
Proturbat regem, noxialis qui reus ausi,
Objurgat procerem germanam cur magis esse
Dixerit uxorem, falsoque illuserit astu.
Inde jubet lætum nuptam deducere secum,
[a] Armenta & quicquid patriis adduxerat (a) oris.
Namque Deus servo semper concordia fanti,
Ingentes census & maxima quæque dicarat.
CAP. XIII. Accipit & Lodus quæcumque advexerat illic, D
Et reduces patrias tandem sistuntur ad oras,
Atque ibi dum gregibus intercursantibus errant,
Pastores pecorum sese certamine pulsant,
Pascua quod fœtas artarent parva duorum.
Sed pater indomitas cupiens componere rixas.
Obtulit ut frater quæ vellet sumeret arva.
Ille libens paret, Jordannis littora poscens,
Qui fluvius dudum Nili vice dum tumet undis, E
Amne superfuso campos perditat opimos.
Chanannæa Senex venienti jugera sorte
Accipit, & virides sistit armenta per agros.
Sed non perpetuas licitum componere sedes.
Namque pater jussus terram lustrare tuendo,
Flammeus e celsis quam sol utrumque recurrens
Aspicit, aut gemini despectant usque triones,
Promissam generi tanto genitore creando,
Cujus qui numerum gestit comprehendere fatus
Stellarum citius turbas, vel dicit arenæ,
Quas Pelagus dubio nonnumquam littore nudat.
Tendit. & ad quercum prisco de nomine Mambram,
Perpetuoque Deo præcelsum dedicat altar.
Nec mora dividuos postquam concordia fratres CAP. XIV.
Fecerat optatos componere regna per agros,
Consurgunt reges numerosa exgente Terniqua, (b) [b]
Et Sodomam multo pugnaces milite vastant
Quæ ternæque acies bino bis principe fultæ
Valletenus Salsa ferrum per nubila torquent.
Quinque fugam capiunt linquentes bella tyranni,
Præcipitique fuga frondosis montibus abdunt.
Quod potuit superesse neci, qui nomine vero
Dicuntur Ariac, (c) Hadachar, Godullagomurus. [c]
Atque etiam pulcris in his gaudens Amarfalus armis.
Hæc inter quæ multa fiunt discrimine belli,
Lod etiam capitur tota cum stirpe domoque.
Quod ubi tristifico narravit nuncius ore,
Consurgit vates, servorum de grege multo
Ter centum famulos novies bis auctius addens.
Ad bellum dux ipse ciet, ferrumque retractant.
Nocte super media nil jam metuentibus instat,
Victoresque fugat, multosque interficit hostes.
Quin etiam fratrem tanto discrimine demtum
Accipit, & prædam lato trahit agmine secum.
Excipitur læta Sodomorum laude procorum,
Pontificisque Dei, sancto qui nobilis actu
Melchisedechus erat, panem vinumque præsentant.
Is petit ut captos dignetur reddere victor,

(a) In Vulgata insinuatur Ægyptios Abramo dedisse oves & boves. Sic enim habet: *Abram bene usi sunt, propter illam,* (Sarram) *& fuerunt illi oves & boves & asini & servi & famulæ & asinæ & cameli*: hic vero ea sibi tantum relicta fuisse videntur quæ ex patria adduxerat.

(b) Id est triplici nimirum gente, Sennaar, Ponti & Elamitarum, ut conjicimus.

(c) In Vulgata quatuor horumce regum nomina ita enunciantur *Amraphel, Arioch, Godorlahomor, & Thadal.*

Cetera pro meritis belli sub lege laturus.
Sed contenta suo victrix moderamine virtus,
Accipit optatum toto pro munere fratrem.
Mox sopita Deus inlustrans corda prophetæ,
Præcipit ut cuncta vacuet formidine pectus.
Quando quidem invictæ totus sit tegmine dextræ.

CAP. XV. Ille alacer concessa sibi licentia fatur:
Quid mihi pro tantâ præstant tua dona loquelâ?
Nam conjuncta quatit fessum longæva senectus,
Nec datur emeritum post mortem linquere natum.
Et quia nobilibus talamis mihi germina non sunt,
Deger heres erit nobis qvem serva creavit.
Confirmat vatem Dominus, dum talia fatur:
Ne time confidens, servus tibi non erit hæres.
Nam si nosse valet numero carentia quisquam
Sydera, vel totas pelagi percurrere arenas,
Is poterit prolem solus numerare putando,
Quæ præstanda tibi est, totus qua tenditur orbis.
Nasceturque tuo de semine qui tua cernat
Filius, atque etiam natus sit Regis æterni.
Namque ego sum Dominus cælorum conditor, & te
Auxilio tutum Chaldæa ex gente reduxi.
Credidit ista senex, nec quicquam defore verbis
Metitur Domini sincero acumine cordis.
Subnixusque rogat placidis dum supplicat orsis,
Signa Dei quæ mente gerat, quæ corde sequatur,
Munere pro tanto, quo natum gignat inerti
Corpore, jam gelidis decursa ob tempora membris,
Admonitus vitulam trimi jam temporis aptat.
Conjungens alacrem torva cum fronte juvencum (a)
Vervecem caprumque dehinc, hirtamque capellam,
Columbas pariles, simili cum turture junctas.
Corpora, mox pecudum gemina in divortia findit,
Inlæsas tota dimittens carne volucres,
Omnia disponit sacrisque altaribus aptat.
Seque locat propter sensu versutus & aure.
Ecce autem prima sub tempora noctis opacæ,
Candida sanctifici terrentur pectora vatis,
Nigrantesque ruunt confusa luce tenebræ,
His super attonitus Domini solatia sumit,
Dum nova venturæ prænoscit semina gentis,
Per varios casus duro sub rege locandæ.
Ægypti cui nomen erit Pharaonis acerbi.
Namque quater centum Domini subjecta per annos.
Serviet, ad terras rursus revocanda feraces,
Ac vice mutata quæ quondam serva tremebat,
Sceptra reget, valida gentes virtute coercens.
At tu, cum fuerit metati terminus ævi,
Sedibus in patriis functus mandabere busto.
Nam populus infensa sibi de sede revulsus,
Huc veniet domibus veterum donandus avorum.
Nam qua Niliacis gaudet nunc incola terris
Et celer Euphrates Syrorum prænatat orbes,
Genæos populos, Genezeosque tenebunt,
Chalmoneos Chetosque (b) juncta cum gente Fereza,
Et Raffana cui manus est Jebosaco hærens
Dilectaque sibi pellentur sede Chananni.
Quin & Amorræus Gergesso extrusus amico,
Semianimis possessa dabit venientibus arva.
Quæ cum sancta Deus promisisset verba prophetæ,
Sole sub occiduo clarum dat fulmine signo,
Nam velut undanti ferveret flamma camino,
Cæsarum pecudum visa est delambere carnes.

CAP. XVI. Interea steriles jam pridem fessa per annos
Perdiderat etiam votum jam Sarra parentis,
Et quia prægelida partum non poneret alvo,
Ad secunda suum cœpit lactare maritum
Gaudia, & inflexum cogit consortia servæ
Noscere, quo saltim genitor sit pignore vili.
Ilicet in thalamos Ægyptia adducitur Agar,
Ismaelumque nothum fœcunda gignit ab ulva.
Quæ cum servili dominam contemneret astu,
Verberibus duris adflicta & saucia fugit.
Ac dum vicino tegeret se devia fonte,
Nuntius æthereo descendit culmine cæli,
Consultamque prius dominorum mittit ad ædes,
Quin etiam multo gaudentem munere donat.
Quæ quia conspicuo fulgentem lumine sanctum

[a] Vulgata versio Abraham hic in signum terræ promissæ offerentem in sacrificium *vaccam triennem*, *capram trimam*, *arietem annorum trium*, *turturem quoque & columbam* repræsentat. His Juvencus addit *Juvencum*.

(b) *Hethæos* appellat vulgata versio. *Chetæos* seu *Chetos* versio Italica cum Juvenco.

Viderat, a simili narravit nomine fontem.

CAPUT XVII.

Jamque novem denos novemque exegerat annos
Abramus vates, cum se jam jamque parentem
Agnoscit, nati magno de munere dandi,
Testamenta Dei cui sint concordia summi,
Gentibus innumeris genitor ductorque futurus;
Percipiens placidas per grandia tempora sedes.
Quin etiam solido de nomine grandior exit.
Dum decus adjectum vocalis littera ducit
Et Sara (a) quæ fuerat mandatur Sarra vocari.
[a] [b] Quin etiam patria Smaëlus pro prece dives,
Bis senos princeps populos generatque regitque.
Post hæc gesta senex, cum sol octavus adesset,
Maribus exhibitis adimit præputia ferro.
Adjungens pariter quoscumque ex plebe seorsa.
Inde etiam tempus promissi muneris instat.
Solvitur in tremulos vultu crispante cachinnos,
Dum tacitus secum promissa ingentia volvit.
Posse Deum credens, quidquid non extitit umquam
Condere, & infractos robur generare per artus.

CAPUT XVIII.

Scandebat medium jam sol flagrantior axem,
Magnificusque senex frigus captabat in umbras,
Cum subito juvenes pariter tres adfore cernit,
Sedulus in cunctos unum plus ambit & orat,
Ne puerum celeri linquat dum præterit actu,
Pacificusque suæ dignetur tegmina quercus,
Atque pedes geminos frigenti ut perluat unda,
Ac positos panes mensæ dignetur amicæ.
Adnuitur, jussaque citus veneranda facessit.
Ipse etiam properans, sese dat Sarra videri,
Mensurasque libans ternas ex polline profert,
Quas dederat tosto cinerum torrere vapore.
Tum vitulus tumida procurvans cornua fronte
Deligitur, nullo fuscatus tergora nævo.
Et modo constricti ponuntur fercula lactis.
Dumque Deum trina positum sub imagine pascit,
Dulcia sanctificis delibat gaudia dictis,
Quid rerum nunc Sarra gerit. namque abdita tectis
Tunc erat, & cœptas iterat lux vera loquelas.
Euge memor vatis pleno non serius anno
Mater erit, cum læta procul sub talia risit
Femina, & annoso desperat corpore partum.
Quæritur hæc inter fuerit quæ causa cachinni,
Illa negat facili concussa in sese fore risum
Dum timet, & tacito volvit sub pectore culpam.
Consurgunt juvenes parili fulgore decentes,
Et Sodomam toto subjectam lumine visunt.
Tum Dominus vati nil promtum non fore passus,
Eloquitur quæ causa graves se ducat ad urbes:
Clamore immodico Sodomæ junctæque Gomorrhæ
Excitus veni, verumque invisere curo.
Ut quod turba nocens, quod vox horrenda laborat
Oppida bina simul cœlesti ex fulmine flagrent.
Hic trepidus vates famulo sermone poposcit
Noxia qui numerus sanctorum mœnia servet,
Quinquies ex denis capiens primordia summæ,
Ab his quinque (b) viris cognoscit tegmine forti [b]
Oppressum vitiis populum vitare ruinam.

CAPUT XIX.

Ilicet ad Sodomam veniunt duo Natus & Alter
Hespero submitti cum jam prorumperet igni.
Illic pro foribus Lodus de more sedebat.
Cumque viros simili lustrasset corpore claros,
Pronus adoratos consueta ad limina duxit,
Optantes media potius habitare platea,
Azym quos tenui de polline candida pascit,
Sopitaque dehinc componunt membra cubili.
Ecce furens tota procurrit turba Gomorrhæ,
Seditione truci circumdans atria Loti,
Atque viros poscens tumido dilitigat ore.
Ille memor pacis tentat mollire frementes,
Atque etiam natas cupide dementibus offert,

[a] In vulgata editione legimus, *Saraï uxorem tuam non vocabis Saraï, sed Saram;* sed in versione Italica nusquam reperimus *Saraï*. Sed neque apud Augustinum & eo antiquiores patres, sed *Sara*; deinceps vero non *Sara*, sed cum duplici *rr*, *Sarra*.

[c] In scriptura & apud Augustinum aliosque sanctos patres indulgentiam toti civitati Deus promittit, si in ea decem reperirentur justi; at vero Juvencus hic ait, a *quinque* dumtaxat *viris* potuisse *oppressum vitiis populum vitare ruinam*: An ita aliquibus in scripturæ codicibus legerit? Certe nec quinque justi Sodomiæ incendium vitaverunt; sed quatuor tantum, Loth, ejus uxor, & duæ filiæ.

Ut

Ut licito potius luxu perversa voluptas
Æstuet, a simili disjungens turpia sexu.
[a] Sed nil dicta movent, franguntur (a) limina ferro,
Ac dum se glomerant, dum fortia claustra revellunt,
Lumina septa sibi piceis gemuere tenebris.
His actis, auferre procul sua pignora jussus,
Invitat generos sensu torpente negantes.
Quod tamen assiduo potuit mens blanda rogare,
Eduxit natas cara genitrice sequentes,
Ac dum progreditur, dum scandit culmina collis
Oppositi, secumque putat quid deinde sequatur,
Femina post tergum positas dum respicit arces,
Diriguit, speciemque salis pro corpore sumsit.
Ille subit celsæ securus tecta Segorræ.
Mox fragor horrisono de sydere fulmina torquens,
Sulphureæque ruunt olido cum turbine flammæ,
Quæ pariter muros atque ardua culmina lambunt.
Omnibus in cinerem celeri cum labe revulsis,
Cernebat rutilo surgente vertice flammas
Eminus Abramus, memori cum pectore tractans,
In verbis Domini numquam se adjungere mendum.
Nec minus & Lodus tuta compostus in aula,
Solamen tenero natis præstabat amore.
Quæ sine conjugibus nequibant edere prolem.
Hæ cum perspicerent sublatum germinis usum,
Maternumque decus, solo genitore relicto,
Componunt epulas ac promunt vina parenti,
Nescius ut vetitum natarum nosceret usum.
Nec mora femineis concrescit sarcina fibris,
Et parili ambarum vitalia semine turgent.
Prima creat puerum patrio sermone Moabum,
Altera disparibus Ammanum nuncupat orsis.
Hic pater Ammonum, genitor Moabitibus ille est.
Interea excedit positis de sedibus Abram,
CAPUT XX. Et Gererum ad terras socia cum conjuge transit.
Hic Abimelechus cupiens consortia Sarræ,
Principis arbitrio, germanam nam fore vates
A Dixerat eximius, fraudem ne forma pararet
Conjugis in nocuo rivales dum cavet iras,
Nec tamen valuit, validis terroribus actus,
Qui mentem adficiunt, quotiens perversa libido est.
Nam Deus immisso torsit lictore tyrannum,
Prosequitur trepidus vatem vix mente reversa,
Cur Sarra sit dicta soror, ceu nulla marito
Vincla ligent nuptam, quum sit conjuncta prophetæ.
B Ille docet causas, seseque a crimine purgat,
Mentitus nihilum, fratris nam germine creta
Sarra fuit, juncta diducens linea sanguem.
Hæc ubi constiterant, rector dat mille talenta,
Et famulos, his molle pecus armentaque jungit.
Jugera quin etiam latos diffusa per agros,
Dummodo promeritum lenirent dona reatum.
Namque domus regis admissa piacula pendens,
C Qui cum terrifico rupisset somnia visu,
Agmine morborum pariter grassante per omnes,
Germina femineis dudum decusserat alvis.
Verum ubi pacificus vates pro rege poposcit
Procubus ante Deum, promtim se læta per omnes
Reddidit ubertas, alvosque implevit opimas.
Ipse etiam insuetis postrema in tempora votis CAP. XXI.
D Fit pater, & læti reputans solatia risus,
Nuncupat Isaacum, mandata & numinis alti
Efficit, octavo decerpens lumine tegmen
E veretro, stabilesque videns jam promere gressus,
Conjunctus inter propria de stirpe propinquos
Vescitur, & mensis genitor gratatur opimis.
Nam desperatis major fit gratia votis.
Jamque puer puero junctus dum ludit alumno,
E Compulit ignito matrem turgescere felle.
Et tamen invitus senior dum maxima jussa
Observat Domini, pariter detrusit utrumque.
At mulier postquam domini de sede remota est
Avia dimoto lustrat secreta regressu.
Jamque panes cunctos vinumque (b) insumserat omne, [b]
Exanimem lasso suspirans pectore natum.

[a] Vulgata non dicit fractas fuisse fores, *sed prope erat ut effrangerent fores.*

(b) In vulgata versione non vinum dedit Abraham ancillæ suæ Agar, cum eam e domo expulit, sed aquam in utre: *Et tollens panem & utrem aquæ imposuit scapulæ ejus.* Et infra: *Cumque consumta esset aqua in utre, abjecit puerum.*

Devenit ad puteum, cui tum Miratio nomen
Indiderat, mœsto quæ inflevit devia quæstu.
Cum Deus afflictæ lacrymis trans æthera motus
Confirmat trepidam, natoque ingentia dicit
Regna parata suo, cujus tum clade gemescat.
Ilicet irriguo scatebras de gurgite libans
Erigitur, natoque simul gaudente lætatur.
Procedunt pia jussa Dei, jam parvulus arcum
Tendere & aligeras cœpit torquere sagittas.
Interea vates ne quid clam forte pararet
Ductor Abimelus, connectit fœdera pacis.
Ut quia de puteis fuerant certamina mota,
Reddita securam firmarent otia vitam.
Juratur, placitæque manent concordia pacis.
Inde senex curvo terram dum [vomere] sulcat,
Ingentem lætis complevit messibus aulam.
Sublimemque Deum supplex per vota precatus,
Philistinorum placidus consedit in arvis.
In quibus ætherei tentatur nominis orsis
CAP. XXII. Unicus ut natus gladio decumbat ad aram.
Nec mora, cum tumidi conscendit culmina collis,
Cornipedem ducens famulis natoque vadentem,
Tertia jamque dies cum sol candentior axe
Fulgeret medio, totas dum contrahit umbras,
Dimittit pueros senior natumque capescit
Ut sarmenta gerens flammarum pabula collo,
Scanderet oppositi pariter fastigia collis.
Jamque adeo flammis surgentibus altar ad ipsum
Sistitur, evinctus manibus post terga retortis.
Dumque pater natum properat diffindere cultro,
Eminus albentem prospectat sedulus agnum, (a)
[a] Qui melius fuso compleret sacra cruore.
CAP. XXIII. His actis vetulo decedit corpore Sarra.
Cumque locum busto præstarent pignora Cetis,
Dissensit vates pretio taxare paratus.
Quadringenta dedit sestercia (b) dives
[b] Ephremo (c)
[c] Dum sociam duplici (d) gaudet mandare
[d] sepulcro.

A Nomen Mambra loco veterum narraverat ætas.
Ilicet e famulis quemdam, quem vita fidesque
Fecerat insignem, conceptis dicere verbis, CAPUT XXIV.
Et jurare jubet dextram dum subdit amicam,
Connectitque femur, nullam de gente Chananna
Jungendam nato, quoniam de stirpe parentum
Sit ducenda magis; quæ si fortasse resistat,
Mittendum cœlo facilem qui molliat iram.
B Ille alacris tumidis imponit dona camelis,
Assyriamque petit, jam cernens tecta Nachorræ.
Dumque silens secum domini mandata revolvit,
Conspicit eximiam venientem fonte Rebeccam.
Quæ non tarda viro frigentes porrigit undas,
Invitatque domum. Cujus sit filia fatur.
Jungitur hospitio juvenis, mox munera promit.
Omnibus explicitis, vadit nuptura marito.
Jamque iter emensos prospectat comminus Isac:
C Quem Rebecca videns dorso reflexit ab alto
Obstipumque caput tenui velamine condit.
Junguntur taciti, Dominoque auctore lætantur.
Sed postquam senior centum transcenderat annos CAPUT XXV.
Septies & denos, largitus munera cunctis,
Decessit gemini donatus sede sepulcri.
Interea patrias indeptus filius ædes,
Ad puteum degit fuerat cui Visio nomen.
Jamque quater denos illic transegerat annos,
D Conjuge cum dicta patriam ditaverat aulam.
Quæ cum præcipuo canderet sidere pomæ,
Infœcunda diu nescivit gaudia matris.
Sed cum sanctifico Dominum deposceret ore,
Heredem ut justum conjux gravidata crearet;
Auditur, geminis turgescit fœta Rebecca.
Quæ mirata diu crescentis pondera ventris,
E Consulit ætherei supplex responsa Tonantis,
Agnoscitque suo populos in pectore binos
Disparibus meritis ad lumina surgere vitæ.
Nam qui prima tenet meritæ primordia lucis,

(a) Non agnum ex vulgata versione, sed *arietem* vidit Abraham *inter vepres hærentem cornibus*.

[b] In vulgata editione *quadringentis siclis argenti* sepulcrum emisse legitur Abrahamus. Est autem siclus Hebræorum moneta, cujus pretium est quatuor Romanorum denariorum. Pro quibus Juvencus hic sestercia quadringenta ponit. Sestercium autem erat pars quarta denarii Romani.

[c] In codice nostro ms. prima manu legebatur Ephreno, quod nomen propius accedit ad Vulgatam, quæ habet *Ephron*.

[d] Inter opera Hieronymi edita est epistola, quam Gennadius attribuit Eutropio sacerdoti, de quo post Paulinum agit. In ea autem epistola spelunca illa duplex quam a filiis Emor comparavit Abraham, sepulcrum duplex dicitur non semel, ut hic apud Juvencum.

Subditus imperiis agitur servire minoris.
Ergo ubi jam facili gignuntur pignora partu,
Corpore puniceo senior se promit ad auras,
Nigrantes toto consertas corpore setas,
Quem pater Esaü placito de nomine dixit;
Post fraterna tenens manibus calcaria pressis,
Nascitur insigni prædives mente Jacobus.
Lustrabat senior vacuos venatibus agros,
Buccina raucisono dum complet saxa tremore.
Ast alius blandi conservans pectoris acta,
Gaudebat patriis inlæsus vivere terris.
Majorem genitor tenero palpabat amore,
Ast alium toto mulcebat pectore mater.
Qui cum * nihil jam lentem solvisset in unda,
Compositos fratrem nidentem sumere pastus
Perpulit, ut primos sibimet deferret honores.

* f. Niliacam.

CAPUT XXVI.

Hæc inter malesuada fames & prima malorum,
Compulit a patriis vatem discedere terris,
Philistina petit rura, mox Gargara transit.
Amimelecha suo, quæ tum sub jure tenebat.
Incedens claro Dominum cum lumine vidit,
Urguentem dictis adeat ne regna Canopi.
Sed teneat solum Dominus quod præstitit arvum
Nam licet ignotos inter videare morari,
Attamen immensum genitor mansurus in orbem,
Semine multiplici gaudebis crescere gentes,
Testamenta mei sument quæ maxima verbi.
Ilicet in Geraris socia cum conjuge degens,
Germanam potius paterne edisserit acta,
Ne commota levi cupidine turba Filisti,
Conjugium votis correptis tolleret armis.
At rex dum patula lustrat secreta fenestra,
Ludentem nivea cernit cum conjuge vatem,
Connubiumque videns, cunctos sub lege coërcet,
Ne sociam quisquam tentet raptare prophetæ.
Jamque famem dudum patriis qui fugerat oris,
[a] Horrea (a) mollitæ dum spargit credita terræ
Centenos læto carpsit de cespite fructus.
Nec minus interea placido ditescit in actu,
Multimodas inter pecudes terramque feracem.
Continuo infelix torquet dum pectora livor,

(a) Legendum videtur *hordea*, idque confirmat antiqua versio Italica, in qua legit S. Hieronymus & *invenit in anno illo centuplum hordei.*

Irriguos turbat puteos, atque aggere complet,
Ut procul abscedens possessor linqueret agros.
Evitans igitur tumidæ discrimina rixæ,
Discessit, mansitque diu convalle Gesaræ,
Et cum sollicito puteus dimitteret actu,
Invenit gelidas scatebroso e fomite lymphas.
Exceptusque dolo pastorum deserit iras.
Inausosque locos Litis de nomine signat.
Promovet inde gradum, rursusque egesta profundo
Terra cavo gelidos in luce protulit amnes.
Et quia mordaci fuerat certamine trusus,
Compellat meritis liventia pectora dictis.
Ac postquam tetricas fregit pax aurea lites,
Nomen Abundantis studuit transcribere terræ.
Dumque sagax mutat celeri nova gramina passu,
Devenit ad colles quibus est Juratio nomen.
Illic perspicuo Dominum cum lumine cernit,
Tempore quo medio evolvunt sidera cursus,
Admonitus tristes e pectore trudere motus.
Invicto tutante Deo per bella per hostes.
Exitus gelidos post somnum colligit artus,
Et venerans structa Dominum mox supplicat ara.
Interea reges veniunt Abimelus & Ozas
Ficolo comitante simul, ferrumque gerente,
Ut quia pacifico vellet se adjungere vati,
Necteret insertis concordia fœdera dextris.
Excipitur placido mensaque expletus eadem,
Optatam revehit posito discrimine pacem.

CAPUT XXVII.

Hæc inter medios surgit discordia fratres,
Namque pater longo jamdudum grandior ævo,
Amissum cum sole diem oculosque sepultos
Mente ferens placida mortemque instare recordans,
Majorem natum pietas quem sola videbat,
Impellit sumat faretram celeresque sagittas,
Exhibeatque sibi carnes de more ferinas,
Sumturus patriæ confestim munera linguæ.
Id Rebecca videns, carum dat scire Jacobum,
Compellens geminos ut promtim deferat hædos,
Ac pro fratre vago studeat mactare parenti,
Et ne forte dolos nudaret corpore leni
Pellibus obtegit, hirsutum quæ fore præstent.

Fraternaque toga prævelans pectus & artus,
Obtulit indeptas veluti venatibus escas.
Nec tamen occuluit penitus prænuncia corda.
Namque senis juvenem totum dum dextera lustrat,
Noscit at Esaum setis, sed voce Jacobum.
Ac postquam compressa fames dimotaque mensa est,
Admonet ut propius sese sistatque locetque,
Ille ubi demisso successit vertice dextræ,
Candida sanctiloqui percepit dicta parentis.
Oscula dum pressis delibat dulcia labris,
Nam post optata longæ commercia vitæ,
Anterior frater minimo servire jubetur.
Interea Esaus longis discursibus actus,
Viscera jam saturo portabat capta parenti,
Et licet officio multum placuisset & actu,
Intercepta tamen non quivit sumere dona.
Inde ira & lachrymæ & fraus quæsita nocendi:
Quam Rebecca videns fraterno in pectore prodit,
Jacobumque monet cognatas visere carras,
Labanumque suæ germanum quærere matris,
Donec longa dies conceptas mitteret iras.

CAPUT XXVIII.

Jungitur & matris monitis sententia Vatis,
Dum tranquilla docens, natum communiter orant:
Ne pete connubium juvenis de gente Chananna,
Sed memor eloquiis cari genitoris adhære.
Est locus Assyriis gemino qui mergitur amne,
Hic pater est matris, nobis Batuelus amicus,
Labanusque gener, totis qui prædia campis
Læta tenet, natasque fovet pubentibus annis.
Illa tibi conjux moneo de stirpe petatur,
Quæ genus egregium nostro de sanguine ducit.
At juvenis monitis gaudens servire paternis,
Egreditur linquens patriam, multoque labore
Defessus, dulci declinat lumina somno.
Et dum prægelido consternit saxa cubili,
Præduram fesso subponit vertice cautem.
Ac dum securo refoventur membra sopore;
Aspicit intrepidus toto de lumine mentis
Hærentem scalam pure trans nubila cælo,
E gradibus cujus sublimis turba ruebat,
Ast alia e terris superas scandebat ad arces.
Ac dum præcipiti volvuntur corpora casu,
Omnipotens prona spectabat fronte ruentes,
Hæc super adjungens: Ego sum rex magnus olympi,
Jampridem, Dominusque tuus, Dominusque parentis:
Pelle metus, præstes, tellus cui membra dedisti
Certa tibi sedes, & cunctis te duce natis
Tu nunc perge memor, cœptumque, aut desere munus.
Me duce dimissas iterum remeabis ad urbes.
Illi somnum ingens rumpit pavor, ossaque tota
Concutit humenti perfundens membra fluore.
Et super hæc memorat: Domus est hic magna Tonantis,
Portaque quæ gemino reserat de cardine cælum.
Mox lapidem, capiti fuerat qui subditus, unguit,
Atque domum Domini compellans indice saxo,
Promittit decimos daturum se fore fructus.

CAPUT XXIX.

Jamque iter incœptum celerans, quo semita duxit
Pervenit ad puteum, qui vasta in devia solus
Molle pecus riguis semper palpaverat undis.
Hi e gregibus trinis pastores sole calenti
Libabant tenues latices æstumque levabant,
Hisque salutatis, disquirit singula vatis,
Incolumesque videt cunctos quos mente querebat.
Hæc inter niveâ gradiens Rachela figurâ,
Urgebat patrias ad pocula nota bidentes.
Quam promptim juvenis fraterno e lumine visam
Castos in amplexus cognata ad pectora jungit,
Desolvens lapidem putei qui texerat ora,
Seque simul juncto germanum sanguine pandit,
Quem procul intuitus sensu gaudente Labanus,
Advolat & sueta juvenem componit in aula.
Nec patitur gratis vatem servire propinquum,
Proque labore viri natam despondet amanti.
Ergo ubi jam mercem septenis traxerat annis,
Desponsam talami deposcit fœdere jungi.
Nec mora mentito donatur munere Lia
Luminibus gravidis primo, sed prosata partu:
Sed fraudis commenta dolens concepta, Jacobus
Verba canit soceris frustratus virgine pacta.
Rursus in alterius pretium mercede seorsa

Perpetitur

Perpetitur longæ Jacobus munia vitæ,
Percipiens meritam pulsa jam fraude Rachelem.
Sed Deus ætheriæ regnator maximus aulæ,
Pignore multiplici demsit dispendia formæ.
Rubenum nam Lia creat, tum deinde Simonem,
Tertius egregio Levitis pectore natus.
Possidet hic Domini sacrata altaria nostri.
Nunc sequitur Juda, tribui mox inditus auctor.

Caput XXX.

Ast alios partus utero quos Balla creavit
Scire licet, claros nunc jus est dicere natos,
Post hos Issacharus paritur jam germine quinto.
Sexta subit proles nomen Zabulonis adepta.
Nascitur & virgo germanis congrua Dina.
Tandem sera Deus largitur dona Rachelæ.
Æthereas tenerum Josepum gignit ad auras.
Ergo ubi jam proles utraque ex conjuge parta est,
Discessum a soceris, & quæ quæsiverat orat.
Qui cum pro meritis mercedem solvere vellent,
Deponunt animos genero poscente rogati.
Qui nihil externum cupiens, ditescere sese
Muneribus Domini solis testatus, abivit,
Conjuge percepta tantum contentus utraque.
Enitens ut longa sibi momenta pararet,
Decernit virgas rupto de corpore matrum
Mystea prima fuit storaci mox altera demta est
Tertia vulsa nuci quo sensim lana colores
Dividuos raperet virgarum perlita fuco,
Nam per stagna pecus properans mersare balantum,
Signavit vario tinctum discrimine fuci.
Invidiam propter variam, quia dixerat ejus
Esse socer mercem, multis quam temserat annis.
Hic cum divitiis alitos præstaret inemtis,
Invidiam lævo movit livore dolentum.

Caput XXXI.

Dumque socer dirus lanarum vellera tondit,
Libertas permissa viro, qua commoda ferret
Omnia, & incoctos tosta fornace penates,
Quos Syrus in patriis credebat numina carris,
Hæc tamen involucris cohibebat cauta Rachela,
Ne pater inventa puniret crimina noxæ.
Digressus victo conscendit flumine collem,
Quem Galatum indigenæ patrio sermone loquuntur.
Tertia jamque die soceri pervenit ad aures
Discessus generi pariter, pariterque natarum.
Ilicet auxilium fraterno ex agmine poscit,
Quæsitumque diu sexto (a) jam lumine Nangus,
Ne noceat sancto Domini terrore vetatur,
Mitificusque sua is quæ credit numina (b) poscit.
Et cunctis quæsita locis non cognita mœret.
Postquam depositis rediit pax certa querelis,
Congeries struitur saxis crescentibus alta,
Ut locus extructo maneat munimine testis.
Ac positus limes limen discerneret agris.

Caput XXXII.

Ecce viæ medio vates vidit ardua castra, (c)
Quæ Deus astrigero ductat moderamine rector,
Indidit & nomen testatus: hæc Deus implet.
Interea electos juvenes præcurrere jussit,
Muneribusque graves, germanum quæ jubet ut is
Ut reditum placidus tribuat pacemque petenti.
Adnuit ille libens sociis, atque agmine multo
Stipatus, fratrem contra nil turbidus exit.
Cumque quater centum terretur turba virorum,
Plus species quam tela nocent famulantibus armis.
Discretis igitur gregibus, hæc prima locavit,
Quæ donata sibi dignetur sumere frater,
Atque simul flexa Dominum cervice poposcit:
O Deus immensi spes & substantia regni,
Qui Deus es semper genitoris solus avique,
Cujus ab exilio faciunt me jussa reverti.
Grandia ditato largitus commoda servo,
Jussisti lenta fluvium transmittere virga,
Jordanemque tuum illico transmittere gressu.
Et nunc dividuis cernis me degere castris,
Ut varios casus gemino munimine casus
Eripe me his invicte malis, & spicula fratris
Infracto placidus quam primum decute ferro.
Ne rapidus duro feriat mea pectora telo:
Ergo ubi composuit socios, somnosque petivit,
Luctantem superare Deum sub nocte laborat.

[a] In Vulgata Laban *persecutus est diebus septem.*

(b) *Quare furatus est Deos meos*, inquit scriptura, ubi observat S. Augustinus, quæst. 94. in Genesim, *quod a principio libri* Geneseos, *nunc primum invenimus Deos gentium, superioribus quippe scriptura locis Deum nominabant.*

(c) Castra hæc, inquit S. Augustinus, quæst. 101. in Genes. *nulla dubitatio est, quod Angelorum fuerit multitudo, ea quippe in scripturis militia cœli nominantur.*

Femine nam presso stupuit pars corporis illa.
Cumque diu vellet membrorum solvere nexus,
Is qui pulsarat valido certamine vatem,
Præstita dimissum Dominus post dona remisit.
Nomine mutato Jacobus desinit esse,
Ac Dominum cernens (a) cunctorum dicitur ore,
Ausus quin etiam Domini condiscere nomen,
Non potuit, soli quod jus est nosce Tonanti.
Ipse locum Domini compellat nomine visi,
Contigerat cujus sublimes cernere vultus.
Atque ubi se Dominus pulsa jam nocte removit,
Egreditur longa sustentans cuspide gressus.
Hinc Judæa memor devitat mandere nervum,
Qui femur adstrictum rigido munimine fulsit.

CAPUT XXXIII.

Jamque videns fratrem vallatum cum grege turma,
Procurvus prona Dominum cervice salutat.
Congressi multo conjungunt pectora fletu.
Et jamjamque magis vario sermone requirit,
Qui veniant comitante manu, quæ turba sequatur,
Ille docet nuptæ quo sint genitore creatæ,
Diversique greges, qua sint mercede parati,
Confestimque nurus curvo cum poplite fusæ,
Admorunt teneros cognata ad basia natos.
At senior prolata pie dum munera vitat,
Mitificus mulcet concordis pignora vatis,
Atque libens fratre pariter comitante recurrit,
Ut vice sermonum sensim sua gesta referrent.
Sed quia lentigrado serpebant agmine fœtæ,
Subsedit vates, gregibus famulisque regendis
Parvaque frondoso posuit mapalia tecto,
Nomine quæ fixo placuit vocitare tabernas.
Devenit ad Sicimas quæ sunt regione Chananna
Mercatus pretio confinis prædia terræ,
Atque Deum extructis properans altaribus orat.

CAPUT XXXIV.

Illic improbius Dinam Correus (b) amatam
Polluit, & teneræ præcerpsit virginis usum.
Conjungique volens soceris, præpudia demsit.
Grandia dona ferens rapta pro conjuge vati.
Oppressus tota pariter cum pube necatur.
Natorum ferro doluit hæc gesta Jacobus.
Infractum fœdus socia cum gente, locutus

CAPUT XXXV.

Illicet omnipotens monuit discedere vatem,
Ac domum fidam Betheli in sede locare.
Festinat paretque Deo, natosque precatur
Ut delubra Deûm rigido firmata metallo
Comminuant, niveoque togas sub tegmine sumant.
Ipse Deos nullos terebinti abscondit (c) in antro,
Ingentemque videt Dominum depromere sueta
Verba sibi, vatemque fore se numinis alti
Ditibus in terris Dominus quas voverat Abræ.
Ipse loco nomen posuit, saxumque sacravit,
Quod venerans liquido totum perfundit olivo;
Erexitque domum turris sub tecta Caderæ, (d)
Hæc inter Rachela gravi confecta dolore,
Funere facta parens Benjaminum fudit ab alvo.
Namque præter notos justis de matribus ortus,
Tertia luce dehinc majus qua vulnera fervent
Pignora subposita vatis genitrice creavit.
Agnovitque libens socio de germine Ballæ
Conspicuum Danem quem Nephtalimus adurget.
Ast alios mox Zelfa creat, Gradumque (e) Aserumque,
Obtinet hoc etiam meritis quod defore norat,
Ut patrios vultus tanta cum prole videret;
Ut qui jam vetula fuerat genitrice creatus
Bis seno insignis posset gaudere nepote.
Ergo ubi jam tandem bis nonaginta per annos
Vita fuit proceris (f) & longum ducta per ævum,
Solvitur, & lasso de corpore candidus exit,
Visurus sanctas quas dat prudentia sedes,
In quibus astrigero recubans per sæcula pulchro,
Invitat niveos secura ad gaudia justos.

CAPUT XXXVI.

Jamque juvat fratres metatas didere sedes.

(a) Id est Israël. nam Israël videns Deum interpretatur ex Origene, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo & Augustino.

(b) In Vulgata legitur *Sichem*, pro quo Juvencus scripsit *Correus* quod nomen gentis esse videtur. Nam occurrunt in scripturis Choræi.

(c) Vulgata versio : *at ille infodit ea subter terebinthum.* At versio Italica, quam citat S. Hieronymus contra Helvidium, *abscondit ea Jacob subter terebintum.*

(d) Antiqua versio Italica : *Extendit tabernaculum suum trans turrim Ader.* Ita apud Hieronymum quæst. Hebraïc. tom. 2. p. 538.

(e) Forte *Gadumque.*

(f) Scilicet Isaac, qui annos centum & octoginta vixit.

Nam quia non poterant angusto in limite terræ
Crescentes gregibus multos cohibere colonos,
Anterior Syrum montem post arva Chananna
Accipit, & læta prædives pascua sumit.
Chanannæa sequens non linquit regna Jacobus,

CAPUT XXXVII.

Ut patrio semper gauderet mens pia ritu.
Illic conspicuos Josephus suscipit actus.
Effulgens inter tanto discrimine fratres,
Quanto luna nitet parva inter sidera cœli.
[a] Qui cum jam septem decemque (a) attingeret annos,
Servabat patrias gerboso in gramine fœtas,
Omnibus incedens natu minor quos generosis
Progenuit talamis genitor vel pellice serva.
Et quia conspicuus germana in classe virebat,
Fraternos sensus livoris frigore movit.
Hunc pater ex tota complectens stirpe natorum
Mulcebat tenerum valida inter corpora fratrum,
Quòque magis cunctos inter conspectior esset,
Velabat vario vestis circumflua fuco.
Is cum jam teneris Domino inserviret ab annis,
Forte videt placido sopitus lumina somno,
Fratribus admixtum sese vincire maniplos.
Dum medias inter distringunt farra novales,
Atque suum recto sublimem surgere cono,
Quem juxta prona fratrum cervice ruebant.
* f. Posteaquam. Post * quam juvenis placido sermone retexit,
Commovit trepido pavitantia corda tumultum
Murmure terrifico regem dominumque loquentum,
Prodebant sceleri secretum defore solum
Quòque magis gemina tristes dirumperet ira,
Somnia doctiloquo pandit perspecta parenti,
Omnibus admotis, quos linea sanguinis arctat.
Namque videbatur roseum sibi cernere solem,
Conjunctamque simul tremulo cum lumine lunam,
Hisque decem stellas, unaque adsurgere junctas,
Et sibi ceu domino procurva inflectere colla.
Hæc postquam obliquo genitor cognoverat ore,
Fassus adorandum trepidis mox fratribus esse.
Ilicet excedunt juvenes, gregibusque paternis
Disquirunt lætas per florea gramina valles.
Ad quos missus abit, dumisque silentibus errat,
Edoctus quodam juvenum monstrante recessus,
Gramine mutato fratrum quos legerat agmen,
Quem procul ut varia licuit prænoscere veste,
Consilium infaustum linguis discordibus aptant.
Omnibus invisum constat sententia fratrem
Perdere, & extinctum morsu narrare ferarum.
Dum rapidi secum ventoso murmure mussant:
Somnia cernamus poterunt si pellere lethum.
Respuit hoc placidis Rubenus mitior orsis,
Frendentesque monet prædurum condere ferrum,
Stagnanti memorans melius mersare palude. (b) [b]
Ilicet exuitur, nudusque (c) involvitur ulva.
Hæc inter Syricus merces mutare Sabæas [c]
Ismaëlida gravi trudebat mole camelos,
Dum properat Arabum messes deferre Canopo.
Ergo ubi germani spes est adflicta minoris,
Judas ait melius Josephum vendere nummis.
Celatur genitor, vestemque in sanguine tinctam
Perspiciens, nulla mentitur fraude necatum.
Discindit manibus vestem Rubenus aduncis,
Nigrantesque sibi cilicum circumdat amictum
Afflictus luctu genitor perquirit amissum.
Quem dudum acceptum semivir Pharaonis habebat,
Auratas solitus mensas onerare tyranni
Lancibus, & strepitu magnæ gaudere culinæ.

CAPUT XXXVIII.

Hæc inter Thamara parit, dum gaudia culpæ
Læta placent, geminoque impletur pignore venter.
Quorum prima puer meruit qui lumina vitæ

(a) In vulgata editione legitur *Joseph cum sexdecim esset annorum.* At Hebraicus Chadaicusque textus, sed & Septuaginta Interpretes, atque etiam antiqua versio Italica, *Joseph autem decem & septem annorum erat.* Itaque legit sanctus Augustinus, aliique antiqui Interpretes, immo & Isidorus Clarius in suis bibliis.

(b) E contrario vulgata versio, *miseruntque in cisternam veterem, quæ non habebat aquam.*

(c) Vulgata non dicit exutum tunc veste Josephum, sed tantum cum venditus est Ismaëlitis. At cum fratres ejus sanguine tinctam sistere patri sibi proposuerint, statimque exutum fuisse verosimilius est.

Exseruit præmisitque manum, quam femina sollers
Punicea de veste ligat, mox conditur alvo,
Et vice mutata confestim nascitur alter,
Anteriora tenens fuerat qui sorte secundus.
Hic quoniam fuerat discretus limite quondam,
Zaræ nomen habet, alium dixere Faretem.

CAPUT XXXIX.

Servabat Domini custodia fida Josephum,
Non passus duræ subjectum vivere legi.
Anterius nam dictus herus dat cuncta ministro.
Nec spe cassa quidem. Dominus nam mitis ab alto
Omnia quæ juvenis servabat largius auxit.
[a] Nec tamen obtinuit Petafretam (a) mitis amore.
Nam quia conspicuo fulgerent lumina vultu,
Exorat coïtum domina malesaucia servi.
Sed vitat jam fœda puer, sesque recusat
Sacratum culpa immodica præflare cubile.
Femina sed vetitis nequicquam perdita flammis
Explorat molles aditus & tempora captat.
Forte domum vacuam solumque ut repperit, instat,
Consertumque manu cogit decumbere secum.
Exilit ille alacer, vestemque a corpore demit,
Atque inter dominæ geminas dilabitur ulnas.
Femina proclamat, viresque a crimine sumit,
Vociferans prædulce decus temerasse pudoris
Fidentem forma juvenem, dum lubricus ævo
Fervet, & herilem molitur scandere lectum.
Quin etiam tristi compellat voce maritum,
Innocuumque reum placitæ vult subdere pœnæ.
Quæ ceu vera putans Josephum carcere claudit,
In quo jam regis cohibebat pœna ministros.
Carceris hunc custos blando mox pectore mulcet,
Innocuumque videns commissa ergastula legat.

CAP. XL.

Illic forte duo celsa quos torvus in aula
Condiderat nigro permotus felle tyrannus,
Inclusi pœnam trepido sub corde pavebant.
Ac dum sollicitis furantur lumina curis,
Somnia venturis viderunt nuntia rebus.
Hos cum perspicuo lustrasset lumine mœstos,
Perquirit causas, cogitque occulta fateri.
Continuo qui vina dabat consueta tyranno,
Eloquitur quæ visa forent sub nocte sopora.
Cernebam viridi frondentem palmite vitem,
Dum serpit, nexaque suo de verbere pendet
Pampineos inter flexus tres adfore fundos,
Uvaque nectareo pendebat flava racemo.
Inde calix regis quo mitia pocula libat
Spumabat tenero quod pressit dextera musto,
Quem Dominus promta susceptum palma tenebat.
Omnia tum juvenis signanter clausa revelat,
Tres fundos tres esse dies, quibus ille secutis
Amissum rursus relegat repetatque favorem,
Mixturus placido quæ vidit pocula regi.
Hoc tantum meritis pro talibus effice, dixit,
Ut cum sumta tibi fuerit fiducia fandi,
Dimoveas nostram nullo de crimine pœnam.
Hebræa gens dicta mihi. Nam venditus exsul
Crimine fraterno servitum nobilis ivi.

Post hæc visa sibi, pistorum maximus infit,
Vertice trina meo visus gestare canistra,
Regificis dapibus lautoque impleta paratu.
Unguibus innumeræ volucres quæ rapta ferebant.
His dictis, sat vera quidem, sed dura loquente,
Mactandum duro testatur mox fore ferro,
Avulsumque caput figendum stipite celso,
Quod volucres curvo discerpant protinus ore.
Redditus ille loco, cæsus hic corpore trunco est.

CAP. XLI.

Interea geminos jam tempora lapsa per annos,
Rursus ad Eoos torquebant sidera cursus,
Somnia cum ductor vidit Niloticus ista.
Namque videbatur fluvium dum spectat amœnum,
Corporibus nitidis septem spectare juvencas,
Tondentes viridi pupantia gramina ripa.
His alias turpes macies subjungere gressus,
Dumque suis pigræ mirum vix ossibus hærent,
Eximias patulo sorbebant ore juvencas.
Somnia junguntur paribus non dissona causis.
Ecce videt spicas fœcundo e germine septem,
Atque alias tenues & farris semine cassas,
Horrendum dictu! gravidas ceu mandere fruges.
Id visum mœstus nequaquam mente coërcet,

[a] S. Augustinus quæstione 130. in Genesim vocat eum *Putefretem*. Vulgata versio *Putiphar*.

Sed trepidus cunctos qui callent adfore jussit,
Disquirens clausis quæ sit sententia rebus.
Atque ubi consultus tacuit Memphiticus augur;
Carcere qui dudum laxatus vina præbebat
Eloquitur juvenis, sese pandente Josepho
Amisso rediisse loco, sociumque necatum.
Mittuntur propere, vatem qui crimine toto
Exutum turpi celeres de fornice tollant,
Informesque genas & crines carcere pastos
Tondentes, prisca facerent revirescere forma.
Ergo probus dictis consultus talia reddit,
Atque docet vaccas annorum nuntias esse,
Atque leves spicas septenos differit orbes.
Namque ita de gestis ventura insignia formis,
Ut septem fœcunda satis sit terra per annos,
Atque famem diram parili cum tempore gignat.
Quis (a) penitus tellus sitientibus arida venis
Pallida pulvereo consumat gramina sulco.
Namque duplicibus junguntur somnia visis.
Certa Deus juncto mandat constare tonante,
Quin potius dum tempus adest, dum cura medendi est,
Elige de cunctis procerem, qui præscius horum,
Judicibus positis totam sublimis Ægyptum
Temperet, & quintas quacumque ex messe reposcat.
Ut quæ prima datur fœcundis copia terris,
Jus teneat steriles consumtis frugibus annos.
Accipitur plausu procerum sententia vatis.
Ipse etiam tandem sedato pectore rector
Vera renarrantem celso sublimat honore,
Præfectumque jubet totas se ferre per urbes,
Inde anulo digitum vatis fulgente coronat,
Bissina mox croceo circumdat pallia peplo,
Flexilis induitur per collum circulus auri,
Atque novus rector curru sublimior extat.
Clamosusque preco terrorem judicis auget.
Quin etiam legitur conjux, cui nomen Asennes,
Quam genuit claro Petafras stemmate vates,
Ex qua confestim genitor fit pignore bino.
Dicitur anterior Manasses, junior Ephrem.
Ægypti vatis suggestu nobilis alto
Quidquid vix potuit jejunum adsumere tempus
Horrea plena tenens, ut cum res posceret uti,
Proferret cunctis poscentibus abdita farra.
Post ubi dira fames totum diffusa per orbem
Cogebat trepidos poterat quod mandier esse,
Conclamat populus, regemque efflagitat escas,
Ille jubet procerem mœstis dare farra Josephum,
Parentem monitis, cunctosque explevit ovantes.
Interea Jacobus fleto jam funere nati

CAPUT XLII.

Bis quinos juvenes numeroso e germine mittit
Qui longinqua [sibi] pretio frumenta pararent:
At minimum cunctis Benjaminum non sinit ire,
Invalidus durum nequeat ne ferre laborem.
Atque ubi jam Fariæ (b) perventum ad mœnia terræ est,
Submissi petiere solum, fratremque salutant.
Mirantes celsa sublimem sede sedentem,
Nec tamen agnoscunt longo post tempore visum.
Quos ubi perspexit, memori cum mente propheta
Increpat, & multa proterret voce paventes.
Scitatum venisse ferens, quæ copia frugum,
Quive viri pingues teneant moderamine terras.
Adlegant nescire dolos, sesque fatentur
Bis senos quondam fratres genitore sub uno,
Conspicuam tenuisse domum, his omnibus unum
Postremum natu patrios servare labores.
Ast alium celebri jam pridem defore letho.
Se diram vitare famem, terramque Chanannam
Exosos tenui damnantem semina fotu,
Poscere venales species licitataque farra;
Eloquitur vates, rectoris nomine jurans,
Claudendas dura juvenes custodia, donec
Germanum exhibeant, genitor quem mitis habebat.
Nectuntur trina pariter sub cura tuentum,
Laxatique dehinc, unum liquere tenendum.
Nec minus occulto rumpentes corda dolore.
Commemorant quam justa sibi discrimina surgunt,
Quod fratrem immeritum vetito transcribere * pace, * f. pacto.
Commissi sero pœnas sub judice pendant.
Ingravat hæc dictis Rubenus vera renarrans,

[a] Quis pro queis & quibus, ut alias observavimus.
[b] Faria seu Pharos oppidum erat Ægypti apud Alexandriam, in insula pene continenti juncta, quondam regia, de qua Lucanus lib. 10.
Fama quidem generis Pharias me duxit ad urbes.

Ac scelus immensum sese nollente peractum.
Flectitur his vates germana jurgia noscens,
Luminibus tacitis conversus flebile plangit.
Hæc inter media fratrum Simeona corona,
Accipitur, fidus cunctis redeuntibus obses:
Tum petita sibi juvenes frumenta capessunt,
Immensoque graves urgentur pondere muli,
Jamque viæ medio dum solvit vincula sacci,
Fratribus inventos quidam dat visere nummos.
Id cuncti faciunt, pretio mox deinde reperto,
Mirantes summo proceri certamine laudant.
Jamque adeo patriæ subeuntes limina sedis,
Gratatur reduces genitor, unumque requirit.
Omnia cognoscens nummosque & dona capessit.
Conquestus graviter alium jam defore natum.
Accisi cum deinde cibi advectaque farra.
Cogebant rursus pretiis alimenta parare,
Sed revocare gradum Memphis mens non erat ulli,
Ni minimum fratrem secum pater ire juberet.
Quem cum plura gemens nollet dimittere quoquam,
Rubenus fido germanum postulat ore,
Securus gemina committens pignora patri.
Prosequitur Judas sese nec posse reverti,

CAPUT XLIII.

Proclamat rigidi testatus verba Josepi,
Hæc ubi grandævus genitor jam mitior hausit,
Dat juvenem largo perfundens flumine vultum.
Illi abeunt secumque vehunt leve olentia thura,
Incensum, & guttam jungentes, cum terebinto,
Inter odoratos portantes mella vapores,
Et geminum pretium consertus ne foret error,
Condita quod clausis fuerant numismata saccis,
Quos ubi conspicua vidit Josepus in aula.
Imperat ut læta celebrent convivia secum.
Mussantes venere tamen, trepidoque reatu
Conjiciunt sese structa cum fraude vocatos,
Quod numerata prius sestertia dataque vati,
Sarcinulis imposita suis non reddere quissent,
Se tamen exsortes futurum cuncta referre.
Nec consuesse prius subpressa vivere gaza.
Talia dicentes cohibet sermone minister.
Seque docet nullis fraudatum noscere nummis,
Verum si qua viris donarent commoda lucrum
Nec sua, nec vatis, nec regis dicere quemquam.
Occurrit cunctis Simeon, seseque præsentat,
Dumque viris lymphas, dum præbet pabula mulis,
Ingreditur multo stipatus milite vates,
Cujus ad aspectum promunt pia munera fratres,
Ille ubi per cunctos placido sermone cucurrit,
Perquirit si firma pater virtute valeret.
Quem postquam incolumem dixere, & vivere recte,
Confirmat cohærere Deo pro munere vitæ
Josepus vatem, semperque insistere rectis.
Et veluti notus Benjaminus non foret ipsi,
Consultat juvenes, & promtim sciscitat inde,
Commoda quæque Deum pueri pro laude precatur.
Nec gemitus cohibere valet, nec sistere fletus,
Sed tenero adfectu sese conclavibus abdit
Anxius, & nimio quærit fomenta dolori.
Post ubi discubuit, victum posuere ministri.
Vescitur, & facili prolectat pectora * fato,
Dividuasque dapes viritim exponere gaudet,
Porrigit & fratri majori dedicat uni.

CAP. XLIV.

Atque ubi jam saturis amor est compressus edendi,
Ut prius imposito presserunt pondere mulos,
Occulitur datum sueto jam more talentum.
Josepi imperio scyphusque absconditur ardens
In rebus Benjamine tuis pretiosior arte.
Jamque iter ingressi, non multis millibus absunt,
Cum subito incautos circumdat regia turma
Comprehensosque tenet, fulgentia pocula poscens,
Futurum increpitant quem nectant crimina servum,
Adnuitur, cunctique simul sua pondera pandunt;
Quæsitumque & poculum retegunt, fratremque relinquunt.
Josepumque petunt, & quæ sunt gesta loquentes,
Evolvunt cari confestim jussa parentis.

CAP. XLV.

Permotus precibus vates discedere cunctos.
Imperat, ac sese germanum fratribus infit.
Defixi riguere metu tacitoque reatu,

* f. succo.

Damnantes sese cohibent formidine voces.
Prolectat mox ille reos, propiusque vocatis,
Exigit ut dicta portent placitura parenti.
Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura ferantur.
Instigans migrare senem, gregibusque coactis,
[a] Vicinos Arabum (a) colles venientibus offert,
Ut quia continuo tellus foret arida lustro,
Pasceret agnatos congestis frugibus omnes.
Ista edicta viri læto rex pectore noscit,
Josepumque rogat, carorum adsumere turbam,
Et gratuita jubet germanis tradere farra.
Dantur plaustra viris, frumenta, pocula, panis,
Magnaque gestantes desudant pondera muli.
Dantur quinque togæ Benjamino & quinque parenti,
Ter centum & nummi signata incude notati.
Ast alii juvenes mercedis laude secunda,
Accipiunt geminos nivosæ vestis amictus.
Hæc ubi cognovit genitor data munera sumens.
Respirat patria festinus cedere terra,
CAP. XLVI. Ægyptumque petit Arabum quæ jungitur arvis.
Educens juvenes patria moderamine quinque
[b] Septies & denas (b) genesis ut farmula cavit
Ac dum festino properant conamine turbæ,
Procurrit Judas, & fratrum prævolat agmen.
Josepumque docet haud longe adstare parentem.
Ille alacris scandit currus, atque obvius exit,
Optatam excipiens viso genitore phalangem.
CAP. XLVII. Regrediturque citus, regisque excurrit ad aulam
Pastores properare ferens, ut turba carorum
Discretis degat fœcundo in gramine terris.
Ipse etiam vati rector Memphiticus instat.
Et jubet uberibus fratres componeret arvis,
Longævus post ista senex poscente tyranno
Eloquitur, sensim quantis sit præditus annis,
Quæ domus, & quæ sit veniendi causa Canopum,
Eximiumque ducem multa cum laude decorat.
Nec minus interea Josepus munera mittit
Digna suis, magnumque duci dat ferre talentum,
Quo ditata fuit distractis frugibus aula:
Atque ibi jam populis deerant mercantibus æra
Certatim exhibitis gregibus Memphitica turba
Emit inops fruges, pretium taxante Josepo.
His quoque nudati, seque & sua prædia tradunt.
Semine præcepto messes quod deinde virerent.
Sola sacerdotum non est possessio demta,
Queis gratuita duci placuit non vendere farra.
Inditur hinc populo quintarum pensio frugum
Quæ manet fixo, servatur formula jure.
Interea expleta perpendens tempora vitæ,
Adjurat natum Jacob ventura revolvens,
Ut sua majorum componat membra sepulcris,
Adnuit oranti, supposita dextera coxæ,
Contingit lentæ spondens cacumine virgæ. (c) [c]
CAP. XLVIII. Compositosque senex alterna in parte nepotes,
Permulcet dictis, dum sensim basia libat.
Sed mirum palma sacratur dextra Manasses,
Anterior natu læva contingitur Efrem.
Præscia mente senis senior servire minori
Cogitur, atque loco cedit spes prima secundo,
Quamlibet obliquus cupiens deducere palmas,
Non potuit revocare tamen pia dicta Josepus.
At postquam pueris vatis rata commoda sanxit,
Dat Sicimam (d), gladiumque, suo dat spicula nato, [d]
Clarior ut cunctis sublimem scandat honorem.
CAP. XLIX. Inde vocat natos, & cunctis præmia dedit,

[a] Terram videlicet Gessen. sic quippe habet versio Italica: *Et habitabis in terra Gessen Arabia.*

(b) In Vulgata editione septuaginta tantum animæ cum Jacob Ægyptum ingressæ dicuntur at septuaginta interpretes & versio Italica, quam hic sequitur Juvencus, septuaginta quinque numerant, quibus adstipulatur S. Stephanus Act. 7. 14.

(c) In Vulgata capite 47. versu ultimo legitur: *Adoravit Israël Deum conversus ad lecti caput* Atque ita, ut ait Augustinus quæst. 162. in Hebræo habetur: *Adoravit Israël ad caput lecti.* Observat tamen idem sanctus doctor latinos codices legere: *Et adoravit super caput virgæ ejus*, nonullos etiam codices emendatius habere: *Adoravit super caput virgæ suæ* vel *in capite virgæ suæ*, sive *in cacumine*, vel *super cacumen*, id est super cacumen virgæ quam Jacob senex ferebat, non super cacumen virgæ Joseph. *nisi forte* Jacob *tulerat ab eo virgam, quando ei jurabat idem filius, & dum eam tenet, post verba jurantis, nondum illa reddita, mox adoravit Deum. Non enim pudebat, cum ferre tantisper insigne potestatis filii sui, ubi figura magna rei præsignabatur.*

[d] Ultimum capitis 48. versiculum ita legit vulgata versio. *Do tibi partem unam extra fratres tuos, &c.* Quæ sit illa pars clarius explicat Italica versio: *Do tibi sichimam præcipuam super omnes fratres tuos.* cui concinunt septuaginta interpretes.

Bis senasque tribus, ipsorum ex nomine condit. A
Omnibus explicitis, oculo jam captus utroque,
Pignoribus mansura diu prolique natorum
Inconcessa prius longoque adjudicat ævo.
Decessit solo terrenis corpore vates,
Cap. L. Mæstitiæque dedit decies septena dierum.
Lumina, dum functi veneratur turba sepulcrum,
Quin etiam nati septem luxere diebus
Uberibus lacrymis, pacem reddente Josepo
Fratribus innocuis, veterem dum negligit iram.

Ipse etiam postquam jam centum triverat annos,
Atque decem, juncti metitus tempora lethi,
Fratribus effatur venturus qui foret ordo,
Quo revocare gradum valeant & linquere Nilum.
Dummodo compositos cineres atque ossa reportent,
Et vehant secum veterum condenda sepulcris.
B Sic demum longæ post tempora candida vitæ
Decessit, petiitque Deum, corpusque reliquit.

Finit Genesis.

SANCTI HILARII
PICTAVORUM EPISCOPI
ALIQUOT PSALMORUM INTERPRETATIO
HACTENUS INEDITA.

Ex manuscripto Aquicinctensi.

OBSERVATIO PRÆVIA.

SAncti Hilarii Pictavorum episcopi tanta est in ecclesia auctoritas, ut quotquot opuscula scriptis consignavit, tot protulisse videatur divina oracula. Ea certe tanti faciebat insignis ille doctor Hieronymus, ut Interpretationem psalmorum ab eo elaboratam, ac prolixissimum librum ejus de synodis, Treviris existens propria conscripserit manu, Latamque virginem hortatus est, ut Hilarii libros inoffenso decurrat pede. *Sed & ab Augustino laudatur tamquam* ecclesiæ catholicæ adversus hæreticos acerrimus defensor, catholicus & insignis ecclesiæ catholicæ doctor, & non mediocris in tractatione scripturarum, & in assertione fidei vir. *A Cassiano*, sicut vita ita eloquentia insignis magister ecclesiarum. *A Facundo Hermianensi*, Arrianorum potentissimus atque acerrimus expugnator, & constantissimus fidei Christianæ confessor. *A Cassiodoro*, profunditate subtilis & cautissimus disputator. *Denique a Fortunato*, buccina terribilis, tuba legis, præco Tonantis. *Quapropter satis dolere non possumus tot tantique doctoris monumenta, aut periisse omnino, aut oblivioni sepulta alicubi jacere pulvere obsita! Et in postrema quidem operum ejus recensione, quam piæ memoriæ e nostris adornavit Petrus Custantius, nihil diligentiæ prætermissum, quominus & a mendis expurgata, & integra prodirent in lucem omnia; nec inanis omnino fuit ejus labor: nam & aliquot in psalmos tractatibus & apologeticis ad reprehensores libri de Synodis responsis editionem suam auxit. Verum non pauca adhuc delitescunt.*

Quamobrem

Quamobrem cum superiorum nostrorum jussu Germanicum iter suscepissemus, hortatus est nos vir doctissimus, ut in perlustrandis bibliothecis singulari studio Hilarii codices pervolveremus, si forte Tractatum ejus in Job, Præfationem in Matthæum & plurium psalmorum expositiones recuperare possemus; persuasum quippe habebat integrum psalterium a beato doctore fuisse expositum. Et ecce discutientibus nobis insignis monasterii Aquicinctensis libros manu exaratos, incidit feliciter in manus nostras codex ab annis circiter sexcentis eleganter scriptus, cujus in limine hæc legebatur epigraphe: In hoc volumine continentur libri XII. S. Hilarii Pictavensis episcopi de Trinitate contra omnes hæreses, & alia opuscula ejusdem, *scilicet* liber de Synodis contra omnes hæreses, liber contra Constantium, Tractatus ad eumdem, liber ad eumdem, quem Constantinopoli dedit adhuc viventi, Blasphemiæ Auxentii Arrianorum episcopi, liber contra eumdem. Super psalmos. *Consulto vero indice psalmorum, quorum expositiones in editis Hilarii operibus desiderantur, enarrationes in psalmos* XV. XXXI. *&* XL. *necdum vulgatas in codice illo reperimus; quas studiose perlegentes Hilarii in scribendo methodum observatam, stilum ejus, scripturæ versionem antiquissimam & ante elaboratam ab Hieronymo vulgatam usitatam constanter in eis citatam animadvertimus, nihilque incommodi visum est si eas Hilario attribueremus. Eodem in codice reperimus etiam alteram psalmi primi expositionem, psalmi* V. VII. LXXXIX. XC. XCI. XCV. XCVI. XCVII. XCVIII. CVIII. CX. CXIV. CXV. CXLIX. *quas accurate quoque examinatas, antiquissimi quidem auctoris, sed ab Hilario diversi esse statim deprehendimus. Nam cum Hilarius anno trecentesimo sexagesimo septimo diem obierit suum, hic anno quadringentesimo scribebat, quippe qui in expositione psalmi centesimi octavi Judæos alloquens,* Ecce nunc, *inquit*, quadringenti sunt anni, quare non ad vos missus propheta? &c. *Hilarius post suum ab exsilio reditum tractatus in psalmos edidit in Gallia, hic vero in Oriente, & quidem in Phœnicia suas pronuntiavit expositiones. Sic enim ille in psalmum primum*, legimus in Apocalypsi Johannis, qui liber, licet in istis partibus, id est in Oriente non recipitur; tamen scire debemus quoniam in Occidente & in aliis Phœnicis provinciis & in Ægypto recipitur. *Denique Hilarius ad plebem, hic ad monachos perorabat. Ceterum cum auctor, quicumque tandem ille est, in psal.* XCVI. *& in psal.* CXLIX. sanctum presbyterum *tacito ejus nomine citet, statim Hieronymum hic indicari suspicatus sum, arreptoque volumine Breviarium in psalmos, quod Erasmus & Marianus Victorius sancto doctori attribuunt, non solum hic Hieronymum citari, sed integras enarrationes illi attributas referri reperimus. Qua porro ratione inter Hilarii tractatus in psalmos inveniantur insertæ enarrationes illæ, non facile est divinare, nisi forte quia, ut observavit noster Martianeus, auctor ille ex Origenis & Hilarii scriptis suas conciones emembravit. Eas autem sacris in conventibus pronuntiatas esse inde conjicimus, quad post ultima expositionis psalmi* CXV. *verba dicit:* Legite Danielem.

Ultimo loco in codice habetur sermo in die paschatis ad Neophytos, in quo psalmus CXLIX. *explicatur; qui quidem sermo si non Hilarii, saltem antiquissimi est scriptoris, ac pro sua antiquitate hic locum meretur.*

TRACTATUS S. HILARII EPISCOPI DE PSALMO DECIMO QUINTO.

Hic psalmus de Christi passione & resurrectione prophetat.

I. TItuli inscriptione prænotatur iste psalmus, sed quæ fuerit David tituli inscriptio, in historia non invenimus. A Verumtamen tituli inscriptionem in passione Domini factam recognoscimus, & negari non potest secundum interpretationem, quia iste psalmus de passione & resurrectione Christi prophetasse videatur, quod in illo loco manifestum est, ubi ait: *Quoniam non derelinques animam meam in*

inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. David enim mortuus est & sepultus, Christi autem caro sola non vidit corruptionem, nec detineri potuit anima ejus in inferno. Quamobrem psalmus qui & de passione ejus & resurrectione & hereditate dicturus esset, merito notatus est tituli inscriptione. Quid enim in se habuit scriptura tituli, quam cruci ejus Pilatus affixit? *Jhesus*, inquit, *rex Judæorum.* Quod in se nomen & ipse confessus est, interrogante eum Pilato, *Tu es rex Judæorum? In hoc*, inquit, *veni, & in hoc natus sum.* Marc. 15. 26.

Carnalium Judæorum rex Christus non fuit.

2. Sed numquid carnalium Judæorum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus? non utique arbitror in monte hoc terreno qui est in Judæa, regnum a Patre datum Domino, cujus cœleste regnum Apostolus docet: sicut & ipsam civitatem Jerusalem, non hanc Christi esse ostendit, quæ nunc servit cum filiis suis, sed illam quæ sursum est, matrem nostram liberam, cœlestem Jerusalem. Ita nec horum Judæorum qui circumcisi sunt circumcisione manu facta, sed sicut Apostolus docuit dicens: quia non est hic Judæus, qui palam videtur, neque illa circumcisio quæ in carne fit, sed circumcisio cordis, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est, & non horum Judæorum rex Jesus qui ex operibus apud homines gloriantur, sed quorum gloria apud Deum propter spem gratiæ ejus est. Vide enim Apostolum dicentem quorum sit gloria apud Deum. *Si enim*, inquit, *Abraham ex operibus justificatus est apud homines habens gloriam*, ad quid credit in eum qui justificare impium potest, & gratuitam misericordiam Dei sperat? habet gloriam, sed non apud Deum. Rom. 4. 2.

Sed quorum gloria non ex hominibus, sed ex Deo est.

3. Judæorum itaque rex Christus, quorum gloria non ex hominibus, sed ex Deo. Denique & hic psalmus significanter ait: *Dominus est portio hereditatis meæ. Funes ceciderunt mihi in ipsis potentissimis, etenim hereditas mea perquammaxima est.* Quæ est ergo hereditas Domini, nisi hæc de qua scriptum est: *Posce & dabo tibi gentes hereditatem tuam?* Peccatores autem ex gentibus credunt in eum qui justificare impium potest. Et si gloria eorum non ex hominibus, sed ex Deo est, & istorum Judæorum rex Christus. Non enim hic Judæus qui palam videtur, neque illa quæ in aperto in carne fit circumcisio. Sed quid ait? numquid ex illa circumcisione non plurimi crediderunt? verum est quia crediderunt; sed & ipsi ad exemplum gentium reducti, ut prius se confiterentur peccatores, & sic misericordiam mererentur, sicut Paulus ad Galatas scribens docet: *Si tu*, inquit, *cum Judæus sis, gentiliter vivis, quomodo gentes cogis judaizare?* Nos natura Judæi, & non ex gentibus peccatores, scientes quod non justificatur omnis caro ex lege. Itaque volens lucrifieri in Christo inventus est peccator, quia Christus venit non justificatos vocare, sed peccatores. Itaque & qui ex circumcisione manu facta crediderunt, ad confessionem peccatricum gentium humiliati crediderunt, ut essent omnes hereditas Christi, non in his qui ex operibus suis justificabuntur, sed in his qui per gratuitam gratiam Dei justificantur. Et hæc est tituli inscriptio, quod sit ipse rex Judæorum. Itaque narrat hic psalmus quorum Judæorum rex Christus esse videatur, & quam habeat rationem tituli inscriptione, qui non eorum Judæorum qui palam viderentur, & quorum esset aperta in carne circumcisio, sed potius illorum Judæorum, qui in secreto Judæi, quibus circumcisio cordis, quorum gloria non ex hominibus, sed ex Deo est. Videamus denique psalmi textum, si ad hæc quæ diximus attinet.

Qui se peccatores confitentur. Gal. 2. 14.

Qui non ex operibus, sed ex gratia Dei vult salvari, recte sperat in Domino.

4. *Custodi me*, inquit, *Domine*, *quoniam in te speravi.* Qui debitum petit, non sperat: nam si debetur mihi aliquid, jure id reposco. Quod si quis mihi ex voluntate tribuat, non ex oblatione, de hac consuetudine ejus, benivolentiam ejus sperabo. Itaque hic qui non ex operibus justitiam magnificabat, sed gratuitam Dei gratiam introducebat, *Custodi me*, dixit, *Domine, quia in te speravi. Dicam Domino, Deus meus es tu.* Potestas enim Domini in eo est, ut faciat in servum quod vult, non quod necesse habet. Si autem operibus merces debetur; id mihi retribuet, quod necesse habuerit, non quod voluerit. Si enim operatus fuero, velit nolit, debetur mihi merces, & evacuabitur per hæc gratia Dei, sicut Apostolus ait. Nam qui operatur, merces illi accepta fit per debitum, non per gratiam; sed qui se non ex operibus suis, sed ex gratia Dei salvum fieri vult, sicut oportet nos omnes credere, hic sperans in Deum constituet sibi bonum quod voluerit Deus, non quod necesse habuerit, ac per hoc significanter ait: *Dixi Domino, Deus meus es tu.* Neque enim umquam Dominus gratias agit servo, si fecerit quod jusserit; sed per hæc omnia expectari volet benevolentiam suam & gratiam, sicut & Dominus docet dicens: *Quis ex vobis habet servum arantem aut pascentem? Numquid cum venerit domum, dicit ei; transi & recumbe? sed dicit: transi & ministra mihi, & tunc manducabis. Numquid agit dominus illi gratias servo quia sic fecerit: amen dico vobis quia non agit. Sic & vos cum omnia feceritis quæ jussero vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod necesse habuimus fecimus.* Igitur qui agnoscit se Deum habere, talem exhibere debet servitutis humilitatem. Sed hæc confessio non est operum, sed fidei. Itaque novi testamenti bene annuntiator ait: *Dixi* Luc. 17. 7.

Domino meo, Deus meus es tu. Et quid post hæc dicit:

5. *Quoniam bonorum meorum non indiges, sanctis qui sunt in terra.* Quid tam consequens erat, quam quod ait, bona sua necessaria non esse sanctis terræ, neque ea bona Domini ad usum esse sanctorum terræ habitatorum? Quæ autem sunt bona Christi, quæ bona novi testamenti, nisi gratuita, nisi peccatorum remissio? Hæc bona sanctis terræ necessaria non sunt. *Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent.* Et proprie illos qui se in operibus suis justificant, sanctos non cœli sed terræ appellavit, ex hominibus enim laus eorum, non ex Deo est, quales fuisse eos Dominus notat, justificantes se in conspectu hominum, qui reprehendentibus, quod cum publicanis conviveret, *Non veni*, inquit, *justos facere salvos, sed peccatores.* Igitur gratia gratuita & remissio peccatorum justis necessaria non est; sed utique justis qui se justos putant; nam vere justus ex fide venit. Isti itaque sancti non indigent bonorum filii sui. Itaque infra ait: *Non congregabo synagogas eorum de sanguine meo.* Non est enim talibus redemtio per sanguinem meum necessaria, qui se justos esse arbitrantur.

Bona novi testamenti peccatorum remissio.

Marc. 2. 17.

Ibidem.

6. Sed quare ait, *ipsi miras fecerunt voluntates tuas in se; multiplicatæ sunt infirmitates eorum, post hæc acceleraverunt?* Tractat hunc locum Apostolus plenissime ad Romanos, *quod lex introivit ut amplificaretur peccatum. Ubi amplificatum est peccatum, ibi gratia abundavit.* Postquam enim repudiantes gratiam Dei inventi sunt in operibus legis, infirmis mira facta est voluntas Dei, qua ad gratiam suam provocabat eos. Quicumque ergo vult salvus esse, oportet ut gratia Dei liberari velit. Itaque bene psalmus ait: *Ipsi miras fecerunt voluntates tuas in se, multiplicatæ sunt infirmitates eorum, post hæc acceleraverunt.* Cum enim multiplicatæ sunt infirmitates eorum qui se in operibus justificari volebant, miræ factæ sunt voluntates Dei quæ ad fidem gratiæ vocabant. Horum igitur synagogas, ait, non aggregabo de sanguine meo, id est, non redimam eos qui redemtionem meæ gratiæ non requirunt. *Nec memorabor*, inquit, *nomina eorum per labia mea.* Qui enim in operibus suis vult salvus esse, hic beneficium meum non confitetur, & *qui me confessus non fuerit coram hominibus, nec ego confitebor illum coram Patre meo qui est in cœlis.* Quod si hos tales non fuerat congregaturus, supererat ut ostenderet quos in hereditate accepturus esset. Itaque ordine subjungit.

Rom. 5. 20.

Matth. 10. 32

7. *Dominus portio hereditatis meæ & calicis mei tu es qui custodisti mihi hereditatem meam.* Si enim eos qui ex operibus justificantur repudiabat, eos utique quos Deus

Dominus portio hereditatis suæ.

A per gratiam salvos faciebat, habere malebat. Itaque significanter ait: *Dominus portio hereditatis meæ.* Cum enim Dominus gratia sua salvos fecerit illos, quos ille in hereditatem dedit, vere Dominus est portio hereditatis ejus. Servavit autem obsequium filius, ut hereditatem suam non in sanguine suo quæsitam prædicaret; sed per Deum donatam sibi diceret a Deo ut & calicis sui, id est passionis, Dominum portionem esse confiteatur. Etenim si passione Domini redemtæ sunt gentes de peccato, ipsa tamen passio Domini voluntas Patris fuit. B Sicut testatur in evangelio dicens (ut homo loquitur quem suscepit) *Pater transeat calix iste a me, verumtamen, non quod ego volo, sed quod tu.* Igitur si voluntatem Domini consideres, ipse confessus est dicens: si fieri potest, transeat iste calix a me. Unde etiam redemtio gentium non in voluntate Filii, sed in voluntate Patris recipienda est. Non enim quod ego volo, inquit, sed quod tu. Igitur hanc ipsam gratiam, qua per mortem ejus redemtæ sunt gentes, non sibi Filius, sed Patri assignat. Itaque & hereditatis suæ & calicis portionem Dominum esse asserit.

Matth. 26. 39

C 8. *Funiculi*, inquit, *ceciderunt mihi in potentissimis: etenim hereditas mea maxima est mihi.* Fuit enim consuetudo vetus, ut & fines possessionum in funiculo mensurarentur: ideoque hic cum de hereditatis suæ portione loqueretur, *funiculi*, inquit *ceciderunt mihi in ipsis potentissimis.* Accipimus autem rei hujus testimonium ex cantico Moysi, ubi scriptum est. *Cum dispersit Deus filios Adæ, & statuit fines gentium secundum numerum angelorum Dei, & facta est portio Domini populus ejus, Jacob funiculus hereditatis ejus.* Et merito hic qui portionem hereditatis suæ Deum esse dixerat, funiculos D possessionis suæ in ipsis potentissimis cecidisse dicebat. Quid enim nisi potentissimi sunt, quos Dominus justificat, quos Dominus honorificat? *Quis accusabit electos Dei, Deus qui justificat, quis damnavit?* Igitur qui in talibus hereditatem suam futuram esse dicebat, merito ait: *Funiculi ceciderunt mihi in ipsis potentissimis.* Quod autem ceciderunt ait, nemo sic accipiat, quasi deteriorem factam hereditatem suam dicat, quia omne quod cadit deterius fiat; sed usus est proprio verbo & necessario. E Ubi enim quis non propter meritum eligitur, ibi quasi quædam sors cadit gratiæ; sicut in assumtione apostoli qui subrogatus est in locum Judæ, scriptum est, quia *sors cecidit super Mathiam.* Itaque quia non nisi ex gratia Domini talis sibi hereditas sorte contigerit, significanter ait: *Funiculi ceciderunt mihi in ipsis potentissimis, etenim hereditas mea maxima mihi est.* Hic novus Adam loquitur.

Deut. 32. 8.

Pontentissimi sunt quos Deus justificat.

Rom. 7. 33.

Act. 1. 26.

9. *Benedicam Dominum qui intelligere me fecit*, nihil enim scit Filius, nisi quæ vidit & audivit a Patre. Itaque bene dicit eum qui intelligere se fecit. Et vere hic intellectus non ex homine, sed ex Deo est. Nam quis hominum duabus positis hereditatibus, quarum altera sit in operibus magnifica & dives, altera pauper & egens; eligat eam quæ aliena egeat misericordia? Verum Filius edoctus a Patre mavult in his hereditatem qui in Deum sperent, quam qui in operibus suis justificantur. Ita pulchre ait: *Benedicam Dominum qui intelligere fecit me, adhuc autem & sicut in nocte erudierunt me renes mei.* Quid eum erudierunt renes sui? scilicet, ait, intelligere eum fecerunt, melius esse sperare in Domino, quam in suo opere justificari. Nam & ipsum Dominum nonne renes sui quasi in nocte erudierunt sperare in Deum. Nam & contristata est anima ejus usque ad mortem. Didicit sperare in Deum, & hoc est quod ait in hunc se intellectum eruditum esse a renibus quasi in nocte. Et sequentia enim ostendunt de passione eum sua dicere, cum subjungit.

Pauperes in Deum sperantes hereditas Christi.

10. *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quia a dextris est mihi ut non commovear. Propter hoc jocundatum est cor meum, & exultavit lingua mea, insuper & caro mea habitabit in spe, quia non derelinques animam meam in infernum, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et textus quidem hic & ordo manifestus est. sed quod renes nominavit, & quasi in nocte, ait, erudierunt me, ne obscuriora videantur interrogemus. Deus scrutator dicitur renum & cordis, in quibus quasi duobus locis hominis secreta teneantur. Sed in corde quidem secretum animæ, in renibus vero secretum carnis est, quas subinde inter se diversitates interioris & exterioris hominis etiam Apostolus docet cum ait: *Consentio legi secundum interiorem hominem; sed video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Et alio loco: *Igitur ego ipse quidem mente servio legi Dei; carne autem legi peccati.* Talem ergo ipse quamdam & Dominus noster JESUS sentire se refert dissensionem, ubi ait: *Spiritus promtus, caro autem infirma*; secundum interiorem enim hominem consentiebat legi Patris, ut pateretur; secundum exteriorem autem, ut ipse testatur, in carne trepidabat. Itaque quia renes secreta continent carnis, quæ infirmabatur in tempore passionis, eruditum se renibus suis ait, ut intelligeret ipse, licet esset Filius, sperare in Deum. Quod similiter de eo & de epistola quæ scribitur ad Hebræos sentit. *Quamquam enim*, ait, *esset Filius Dei, didicit ex his quæ passus est obaudientiam, & perfectus factus est omnibus obaudientibus causa salutis æternæ.* Sic enim renes erudierunt eum, ut provideret Deum a dextris suis semper ut non moveatur. Scilicet de voluntate spiritus promtus est, sed caro infirma. Et proprie sic eruditum se esse dixit renibus suis quasi in nocte; non dixit in noctem, sed quasi in nocte. Non enim penitus contenebrati sunt sensus ejus de timore mortis, qui dicebat: *Verum non quod ego volo, sed quod tu.* Sed tamen non erat sine quadam perturbatione, qui infirmitatem & tristitiam fatebatur. Nam si alibi David ait: *Metus mortis cecidit super me, timor & tremor occupaverunt me, & operuit me tenebra*, recte hæc tenebra ex timore mortis veniens, quamminima fuisse in Filio Dei convenit, non nox sed quasi nox appellatur. Itaque significanter dicitur: Adhuc autem quasi in nocte erudierunt me renes mei. Quid autem erudierunt? Scilicet quod sequitur infra, ut provideret Deum in conspectu suo semper, quia a dextris ejus est ut non commoveatur.

Secretum animæ in corde, secretum carnis in renibus.

Rom. 7. 22.

Ibid. 25.

Heb. 5. 8.

Matth. 26. 39.

Ps. 54. 6.

11. *Pro hoc*, ait, *jocundatum est cor meum, & exultavit lingua mea: adhuc autem & caro mea habitabit in spe, quoniam non de relinques animam meam in inferno, neque dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas fecisti mihi vias vitæ, implebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua.* Ergo & jocunditates in dextera Dei, quibus cunctis repletus est Filius. In dextris enim habebat Deum. Providebam Dominum, inquit, in conspectu meo semper; quia a dextris meis est. Ascendens autem in cœlum, ipse in dextris Patris factus est. In dextris ejus: quæ sit istius dextræ sinistra interrogemus. Novit ergo quodam loco apostolus, arma justitiæ dextra, & sinistra gloriam quidem & ignobilitatem. Dextra formam justitiæ puto; ignobilitatem autem & infamiam sinistra. Attamen utraque justitiæ arma sunt. Sed ut perveniamus ad dextra arma justitiæ, in sinistris prius militandum est. Suscipienda est vero in hoc mundo ignobilitas, infamia, infirmitas, stultitia, & cetera his similia, ut perveniamus ad nobilitatem, ad gloriam, ad virtutem, ad sapientiam, quæ omnia accipiemus, cum pervenerimus illic ubi Christus est in parte dextra Dei sedens. Seminamur autem in ignobilitate, ut resurgamus in gloriam; seminamur in mortalitate, ut resurgamus in æternitatem. Itaque Dominus noster passus in tempore passionis flagellorum ludibria atque sputaminum, cum accusaretur quasi blasphemus, cum intra latrones deputaretur, positus in tanta ignobilitate & infamia, quid nisi in sinistris armis justitiæ militabat? Itaque tunc in sinistra Dei positus, providebat eum a dextris suis, ut non commoveretur. At vero posteaquam resurrexit & ascendit in cœlum, perveniens

Suscipienda ignominia ut perveniatur ad gloriam.

veniens ad dexteram, ad palmam justitiæ, ad gloriam, ad nobilitatem, impletur letitia cum vultu Dei, & habet delectationes in dextris ejus. A quibus nos spe cohortatur apstolus dicens: *quia non sunt condignæ præsentis temporis passiones ad illa ventura bona, quæ adaperientur in bonis.* Propter quod & nos libentius in infirmitatibus nostris gloriemur, ut protegat nos virtus Dei. Et nunc quidem fit nobis ipsis pater in dextris ut non moveamur, translaturus nos postmodum in dextris suis in divitias Domini nostri Jesu Christi, cui est gloria. Amen.

Rom. 8. 18.

Explicit de psalmo xv. *explanatio.*

INCIPIT DE PSALMO XXXI.

1. Psalmus David intellectus notat quam continet prophetiam. Apostolus docuit, quia novum testamentum adnuntiaret per vocationem gentium. In quo justificanda erat fides sine operibus, & in quo futura promittebatur remissio iniquitatum & oblivio peccatorum per gratuitam gratiam Dei, & adhoc manifesta est ratio. Sed operæ pretium est persequi omnem psalmi textum, in quo affectus psallentis deprehendantur. Quis viderit secundum carnem, tentationes introeuntes ad fidem? Vidit enim beatos quidem esse, quorum justitia ex operibus non computaretur. Lex enim intravit ut amplificarentur peccata, & lex iram fabricat, & ubi lex non est, nec transgressio.[1] Quamobrem non immerito beatus vocabitur, qui non fuerit sub lege, sed fuerit potius sub gratia.

Fides qualis requiratur

2. Verum fides hæc qualis requiratur notavit psalmista dicendo. *Neque inventus fuerit in ore ejus dolus.* Credo utique talem virum quærat, qualem venientem ad se Nathanaelem Dominus laudavit; quales non erant in Israël, quos ita Deus increpaverat per prophetas. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Nec dubium est quin hoc sit dolus, aliud in labiis aliud in corde habere. Itaque bene David in alio psalmo. *Credidi*, inquit, *propter quod locutus sum.* Et apostolus enarrat: *quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ita si in corde credat quod labia confitentur, non invenietur in ore ejus dolus. At si labiis quis honoret Deum, cor autem ejus longe inveniatur ab eo, dolus in ore ejus est, quo proprie in eo tempore notamur, in quo doctrinas hominum & consilia nostra sequimur, mandata Dei repudiantes. Sic enim scriptum est. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est*, colunt me, mandata & doctrinas hominum sequentes. Sic & Dominus in evangelio legis doctores hypocritas vocat, prætereuntes voluntatem Dei, & consilia sua statuentes. Omnis autem hypocrita simulator est & dolosus est. Et profecto manifestus dolus est fidem Deo promittere; & humanis consiliis credere. Hujusmodi autem viri nec remittere iniquitates, nec operiri peccata possunt; quia salutem suam magis ponunt in consiliis hominum, quam in auxilio Dei. denique quasi suam statim tentationem in vacillatione fidei notat propheta, & quasi semetipsum castigans, quid alii vitare debeant, commonet dicens: cum gravis super se manus Dei fuisset, hoc est perseverans in tentationibus multis, clamasse quidem ad Deum, sed in clamore non perseverasse, verum postremo tacuisse, & ex taciturnitate continuo inveterasse ossa sua.

Isai. 29. 13.

Ps. 115. 10.

Rom. 10. 10.

Isa. 29. 13.

Matth. 15. 7.

3. Ossa autem spiritaliter quid estimemus, frequenter notavimus, quia sicut corporis sui stabilimentum & fortitudo sunt ossa, ita & mentis nostræ stabilimentum & & fortitudo patientia est; ita hic qui gravata super se manu Dei perseverare non potuit ad Deum, sed defecit & tacuit, inveterasse merito dicit ossa sua. id est consenuisse patientiam suam. Omne autem senium affert infirmitatem. Itaque & manifestum est infirmatam esse patientiam ejus. Et proprie posuit inveterasse, id est ad veterem impatientiam redisse. novus enim homo & nativitas nova habet perseverantem patientiam: inde Apostolus ait: *Vexatio patientiam pariet, patientia probationem, probatio spem, spes autem non conturbat, quia caritas Dei diffusa est in corda nostra.* Igitur quia in novo homine caritas Dei diffusa est in corde per spiritum sanctum, qui clamat abba pater, merito perseverans est patientia ejus, ut possit dicere: *Quis me dividet a caritate Dei? Vexatio, angustia, an nuditas, an fames, an gladius?* At qui defecit clamando & sperando in Deum, benedicit quia inveteraverunt ossa sua, quod est, ad veterem impatientiam reversa sunt, deficiente novæ nativitatis caritate, quæ numquam de patre desperat.

Patientia per ossa designata.

Rom. 5. 3.

Rom. 8. 35.

4. Quid ergo docet? Quoniam hæc nobis fida repromissio est, quoniam si iniquitas aut operatio peccati, etiamsi gravis facta fuerit manus Domini super nos, & oneraverit nos tentationibus multis, non deficere debet clamor noster ad Deum. Quid si tacuerimus? Quod revertamur ad veteres cogitationes, remedium in nostris consiliis requirentes, adhibentes curas & sollicitudines, & per sapientiam nostram relinquentes spem quæ est ex Deo, quæ est firmior omnibus cogitationibus nostris. Et hanc quasi in tentatione notans propheta, psallit: *Quoniam tacui inveteraverunt omnia ossa mea; cum clamassem tota die ac nocte gravata est in me manus tua.* Et quid novissi-

In tentatione clamandum ad Dominum.

me ait? *Conversus sum in miseriam, dum infixa est mihi spina.* Ideo aperte significat, ex hoc vitio quod in tentationibus supervenientibus clamare ad Deum & sperare desisset, succedente silentio & taciturnitate, suscepisse se in cogitationibus curas & sollicitudines vitæ suæ, ac per hoc conversum se esse in miseriam, relicta scilicet spe adjutorii Dei, atque significanter ait infixam sibi esse spinam. Spinas enim in evangelio Dominus docet curas & sollicitudines victus esse, quibus suffocatur verbum, aut quam hic propheta spinam, id est curam & sollicitudinem vitæ, infixam esse sibi dicit, ex eo ex quo tacuerit & desierit clamare ad Deum, per quod conversum se esse in miseriam confitetur. Et quoniam hæ curæ & sollicitudines sæculares frequenter in animos nostros, etiam cum non attenduntur, irrepunt; *Peccatum*, inquit, *meum cognitum mihi fac.*

Distinctio inter iniquitatem & peccatum.

5. Et separavit distinguens iniquitatem a peccato; quia iniquitas ignota esse minime potest. Cujus verbi magis aptior est significantia in greco. Ansdayan enim vocant, per quod significatur tempus quo sine lege vixerit mundus, cum adhuc in gentili vita Deum nesciret. Omnes autem conversi ad Dominum confiteantur necesse est damnabilem fuisse prioris temporis vitam. At vero quia peccati nomen in hoc definimus, in quo quis intrat in curas & sollicitudines & cogitationes victus, quæ quammultæ & variæ sint, quarumque imagines invitis etiam bonis quam frequenter occurrunt, quis possit in sua observantia deprehendere. Itaque super hoc bene auxilium de Deo requirit propheta dicendo. *Peccatum meum cognitum mihi fac, Domine.* Et in hoc peccati nomen a principio mundi & teneri, si ipsam protoplasti transgressionem discriminemus, manifesto invenimus. Sed de hoc longum erit persequi; æque tamen sensus discriminantes inter peccatum & iniquitatem, persequentibus quoque manifestantur. De peccato enim petit, ut cognitum sibi fiat; ut vero iniquitatem non celaverit sibi inquit. Illud enim, quia sine scientia hominis non erat, supererat in eo medicina humilitatis, ut adnunciaret illud, & confiteretur Domino. At vero peccatum, cujus varietas etiam ignoranti poterat obrepere, cujus multitudo fallere poterat & latere, ut cognitum sibi fieret deprecatus est. Perseveravit denique in significantia verbi; Et quia iniquitatem a peccato separabat dixit: *Ego*, inquit, *renuntiabo adversum me iniquitatem meam, Domine.* Adeo & hic non peccatum meum nuntiabo, Domine, sed iniquitatem. Peccatum enim annuntiare non poterat, cujus cognitionem sibi quærebat a Domino. At vero iniquitatem quam in conscientia habebat, hanc, ait, annuntiabo adversum me coram Domino. Iniquitati enim alia nulla medicina est, nisi confessio ad Deum. Facimus enim ignoranter quod agnitum facit Dominus, cum agnitionem ejus conversio fecerit, & necesse est pœnitentia consequatur. Ita post iniquitatem hanc, si confessus fuerit coram Domino, & annuntiaverit illam adversum se, scilicet accusator sui factus, redimet impietatem cordis sui. Et hic prudenti ratione ait: *Dixi pronuntiabo adversum me iniquitatem meam Domine, & tu remisisti impietatem cordis mei.* Denique qui iniquitatem non confitetur Domino, superbiam adversum Dominum recipit, ac sic impietatem adquirit. Dominum enim non agnoscit patrem totius creaturæ. Contra propheta eum qui confitebitur, ac per hoc impietatis crimen deprecatur, humilem vocat, quod est utique superbo contrarium.

Confessio iniquitati medicina.

6. Pro hoc enim, inquit, deprecabitur humilis & justus ad te in tempore recte. Est ergo tempus quando non est recte justus a Domino; ipse Propheta in subsequenti docet dicens: *Verum in diluvium multarum aquarum ad illum non appropinquabunt.* Ergo in diluvio multarum aquarum non rectum est tempus, ut justus appropinquet ad Dominum; justi enim viri non est dare animæ suæ audaciam, sicut & lex dicit: *Non dabis animæ tuæ audaciam.* Quod si quis profundus & altissimus mysteriis Dominum quærat, scrutetur omnia judicia ejus, & si forte ad sustinendos omnes * fructus ejus existimet se posse sufficere, non erit iste vir justus, neque utiliter in diluvio aquarum multarum appropinquare conabitur, ac Dominum quærere, quoniam in exaltatione sapientiæ suæ, profundi ejus absconsa pulsare pertentaverit. Sic & apostolus Paulus: *Et ne in multitudine*, ait, *adapertionum exalter, datus est carni meæ stimulus angelus satanæ qui me colaphiset, propter quod ter Dominum rogavi, & dictum est mihi, sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Itaque & hic propheta, cum dixisset: quia justi & humiles in diluvio aquarum multarum non appropinquabunt ad Dominum, ostendit ipse quo magis sibi tempore Dominus requiratur. *Tu es*, inquit, *refugium meum a tribulatione circumdanti me.* Et hic ergo magis in infirmitatibus gloriatur, ut protegat eum virtus Dei, sicut Paulus ait: *Libentius ergo in infirmitatibus meis gloriabor, ut protegat me virtus Christi.* Denique & subjunxit: *Exultatio mea libera me a circumdantibus me.* Dominum exultationem suam vocat, quia non glorietur sapiens in sapientia sua, neque fortis in fortitudine sua; sed in hoc unusquisque glorietur, quod cognovit & timet Dominum. Exultatio ergo mea libera me

* f. fluctus.

2. Cor. 12. 7.

2. Cor. 12. 9.

a circumdantibus me.

Fidelis viam sequitur Domini.

7. *Intelligam & conjungar tibi in via hac qua ambulabis, firmabo in te oculos meos.* Sequitur præceptum quod mandatur: *Post Dominum Deum tuum ambulabis.* Et hoc est fidelis vir, non sibi ipsum eligere viam, sed ipsum sequi viam quam Dominus ostendit, illud putare rectum quod ille mandavit. Denique ait: *Confirmabo in te oculos meos*, ut scilicet nullum aliud iter videant, nisi quod dirigat Dominus: quod ait in alio psalmo manifestius: *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, sic oculi nostri ad Dominum nostrum*; scilicet, non quod ipsi verum intendere dirigamur; sed quod Dominus convertit oculos nostros, in cujus manibus esse debebunt, & quia in ejus potestate sit, ubi aperiat visum nostrum, ubi claudat.

Psal. 122. 2.

Qui sponte ad Deum non accedit, suppliciis cogendus est.

8. Quod si quis ad hoc refugium Dei non sponte accedat, discamus quomodo talem castigat propheta, cui comparet, quid prohibeat. *Nolite*, inquit, *fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Homo enim verbo obsequitur, & ad vocem obaudit: At vero quibus dici potest: *Quæsivi & non fuit homo, vocavi & non fuit qui exaudiret*; ejusmodi sunt equus & mulus, in freno & chamo cogendi sunt illuc ire quo nolunt. Ex quo postulat justus ut dura cervix & duræ maxillæ eorum tormento & violentia molliantur. Et benigne propheta non vult illos duritiæ suæ relinqui, quicumque sponte non appropinquant ad Dominum: sed potius expostulat quibuscumque suppliciis pertrahantur, dummodo salvi fiant. Itaque ait: In freno & chamo maxillas eorum deduc, qui non appropinquant ad te.

Isaie 63. 5.

Deus flagellis fabricat salutem peccatoris.

9. *Multa flagella peccatoris.* Per hæc enim Dominus salutem peccatoribus fabricat: inferendo enim plagas & tribulationes, superbiam peccatorum, ut timere consuescat, erudit. *Sperantem autem in Dominum misericordia circumdabit.* Neque enim aut freno aut chamo ducendus est, aut flagello arguendus, ut appropinquet, cujus spes semper est in auxilio Dei. Itaque huic proxima est misericordia ejus. Quamobrem sicut Propheta ait, *Jocundamini in Domino, & exultate justi*, & *Gaudete omnes recti corde.* Per JESUM CHRISTUM Dominum nostrum, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Psal. 31. 11.

Explicit tractatus de Psalmo XXXI.

INCIPIT DE PSALMO XLI.

Psalmi titulus ante discutiendus quam psalmus ipse.

1. DIsciplinam enarrandi generaliter in omnibus psalmis servandam puto, ut prius titulus inspiciatur, & ad ipsum omnis psalmus aptetur. Neque enim aliquis tam stultus est, qui cum se de cedro promiserit esse dicturum, describat quercum: nedum Spiritus Dei, quem locutum credimus per Prophetam, aliud in titulo notaverit, aliud in psalmi cantico dixerit, sicut in præsenti ea utique cantavit David quæ *intellectus* esse deberent *filiis Core*, sic enim est prætitulatio psalmi. Legimus autem synagogam Chore in tempore Moïsi adversus ordinationem Dei murmurasse, ut summam ministrationis sacerdotii, quam Aaron & filii ejus secundum voluntatem Dei susceperant, usurpare sibi & rapere niterentur. Quod vitium cupiditatis Apostolus notat & monet quodammodo arguens: *Ita dico vobis per gratiam quæ data est mihi in omnibus vobis, ne supra modum sapiatis, quam sapere vos oportet*; sed in eo sapiat unusquisque vestrûm secundum quod & Dominus impertivit mensuram fidei. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eosdem actus habent; sic multi unum corpus sumus in Christo, alter autem alterius membra, habentes carismata diversa.* Igitur alii datur ministratio, alii prophetia, alii virtus, alii sermo doctrinæ. Quod si quis supra modum sapere volens egrediatur mensuram partitionis Domini, invenitur in stultitia Chore, vocabiturque spiritualiter filius Chore, & his talibus cantabitur intellectus, psalmus iste quem docet.

Num. 16. 8

Rom. 12. 3.

Ibid. 4.

2. *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, sic desiderat anima mea ad Deum vivum.* Arbitror enim non sine causa fontes positos aquarum, cum proximum fuisset, ut diceret, sicut desiderat cervus ad aquas; sed maluit ad fontes aquarum nominare, id est originem & principium aquarum, sciens videlicet per sapientiam spiritalem, quæ sola novit radices arborum, & naturas bestiarum, etiam hoc mutum animal, non proximas quasque aquas, sed ipsos aquarum fontes desiderare, mundiora & puriora rivorum appetere principia. Quo exemplo commoneri vult, ut & nos ad ipsum fontem vitæ & sapientiæ Dominum, qui est omnium caput, desideremus. Unus est enim iste fons, ex quo multæ spiritualium aquarum divisiones efficiuntur, ut curationes, ut prophetiæ, ut genera linguarum, ut ministrationes, ut sermo scientiæ, ut sermo doctrinæ. Sed & proximorum modi non ita appetendi sunt, ut per æmulationem & concertationem, & discordias, ipsius fontis desideria negligamus. Negligimus enim eum, quotiens nolumus mensuram divisionis ejus, & ordinationis in pace & caritate servare. Ita in similitudinem filiorum Chore figurati quicumque in hac superbia invenientur, commonebuntur hoc psalmo, ut intelligant potius ad quod intendere debeant desiderium suum, dicente justo, *Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, sic desiderat anima mea ad Deum vivum.*

Christus fons carismatum.

3. *Quando veniam & parebo ante faciem Dei? Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?* Sed de hoc ipso, *quando veniam & parebo*, ostenditur nobis quoniam non de proximo impetrabile est, & nisi fuerint nobis panis lacrymæ nostræ die ac nocte, nequaquam perveniatur ad faciem Domini. Et debet intellectus filiorum Chore doctrinæ ordinem sequi, ut sciat per multas tribulationes & vexationes & imperia* pervenire usque ad domum Dei, ne exaltetur in superbia sua, sciens quod virtus in infirmitatibus magis probatur, neve sibi rapiat dignitatem, quia Apostolus ait: *Id sapite in vobis quod & in* CHRISTO JESU, *qui cum esset in forma Dei, non rapinam existimavit se esse parem Deo, sed humiliatus est, formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo. Exinanivit se usque ad mortem, mortem autem crucis*, in qua cum esset affixus, audivit hæc improperia: *Ubi est Deus tuus?* cum dicerent ei exprobrantes, *veniat & liberet eum*. Docetur ergo, ut dixi, synagoga Chore, per quantas tribulationes & lacrymas accedatur ad domum, quas sibi lacrymas pulchre ait Propheta in pane fuisse, id est in cibum vitæ æternæ, & ex ordine venit, ut in subsequentibus dicat:

Per lacrymas pervenitur ad faciem Dei.

* f. improperia.

Phil. 2. 5.

Matth. 27. 43.

4. *Hæc memini & effudi in me animam meam, quia transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.* Et quidem aliquantulum hic præloquendum puto, de signantia verbi, quid sit *effudi*. Ideo se effudisse dicit, quia transiturus esset in locum tabernaculi usque ad domum Dei. Bona autem spiritus sunt transitus usque ad domum Dei. Effundere ergo animam spei bonæ operatio est; sed quid de communi ejus novimus? quia quicquid effunditur, projicitur & perit, nec tam salvum est quam cum retineatur in vasculo. Hoc enim est effundere, quod alicubi clausum habueris id foras fundere. Ita qui dixit, effudi animam meam, non aliud dixisse intelligendus est, quam projeci & perdidi & vilem habui. Quomodo ergo ideo projecit & perdidit, quia transiturus esset in locum tabernaculi usque ad domum Dei, nisi forte manifestum facit præceptum Dei, qui ait discipulis suis: *quicumque salvaverit animam suam, perdet illam, & quicumque perdiderit salvam faciet eam.* Et revera ordinem tenuit: cum enim prælocutus de tribulationibus fuisset, quoniam factæ essent lacrymæ ejus panis die ac nocte, dum dicitur ei quotidie, ubi est Deus tuus? *Hæc*, inquit, *memini, & effudi in me animam meam*, in quo non aliud dixisse intelligendus est, quam projeci & perdidi, & vilem habui. Quomodo ergo animam Deo projecit? Scit enim justus, quotiens superveniunt tribulationes & persecutiones & improperia propter nomen Dei, perdendam esse & projiciendam & vilem habendam animam, ut salva fiat in die Domini; ideoque & hic significanter, non ideo se fudisse animam suam ostendit, quia desperaverit de spe vitæ futuræ, sed ideo effudisse animam, quia transiturus esset in loco tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Docti igitur hoc psalmo, quotiens persequetur inimicus & improperabit nobis nomen Domini, effundamus ei animas nostras, perdere eas parati, ut salvas faciamus illas; non ideo effundentes eas, quasi desperemus de fiducia adjutorii Dei, sed ideo quia certi simus reddendas illas esse nobis, & transituros nos esse in loco tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.

Effundere animam bonæ spei operatio est.

Luc. 17. 33.

Animam salvamus cum pro Christo eam perdimus.

5. Quisquis autem hic locus sit admirabilis tabernaculi, in quo transitus erit usque ad domum Dei, jam hic interrogare incipiamus. In veteribus libris, invenimus tabernaculum a Moïse factum Deo Israël, in quo arca testamenti tenebatur, & in hoc omnia celebrata mysteria, & hic eos prius hostias offerentes apparuisse ante faciem Dei, usquequo per Salomonem ædificata est domus Dei, transivit arca ex tabernaculo pellium in templum lapidibus instructum: sed illud tabernaculum, quod in deserto fuerat, & illæ pelles quæ ante tecta templi cooperiebant, ministerio admirabiles fuerunt. Denique in canticis canticorum initia sua sponsa sic laudat: *Nigra sum & bona filiæ Jerusalem sicut tabernaculum cedar, sicut pelles Salomonis.* Et in alio psalmo David licet in atria Domini concupisceret; laudat tamen & tabernacula ejus dicens: *quam admirabilia*, inquit, *Domine, concupiscit anima mea in atria Domini.* Est enim quidem admirabile tabernaculum Dei; sed magis concupiscenda domus Dei. Denique & ipse David pacifico jam regno Israël, cum arca Dei in Sylon sub pedibus* tabernaculi moraretur, concupiscit ædificare domum Dei. Sed quid illi ait propheta? *Non mihi ædificabis domum?* non est omnium ædificare domum Dei. Itaque quasi ad majores ascensiones, transitus nobis est faciendus in loco tabernaculi, ut perveniamus usque ad domum Dei. Et admonemur de exemplo Jerusalem, quia non prius ædificatur domus Domini, nisi hoste victo atque peccato: sed tamen tamdiu in tabernaculo sumus, quousque desertum transeatur, & intretur in terram Jordanis, initium repromissæ hereditatis, debelletur omnis Cananæus hostis.

Exod. 26. 1.

Tabernaculum Dei admirabile.

Cant. 1. 4.

Ps. 83. 2.

* *f.* pellibus.

2. Reg. 7. 7.

6. Id autem interest inter dignitatem tabernaculi & domus, quod in tabernaculo non semper degitur; at vero in domo semper, sicut in ascensionibus significat David dicens: *quoniam elegit Dominus Sion, complacitam habuit inhabitationem sibi, hæc requies*

Discrimen inter tabernaculum & domum.

Ps. 131. 13.

quies mea in sæculum sæculi; at vero in tabernaculo non habet requiem, movendum est enim in tempore belli, in quo & recedebat nubes ab eo, quæ significabat præsentiam Dei, quæ recte comparabitur similitudo nobis, quamdiu in hoc corpore peregrinamur, in hac æquanimitate vincamus omnia vitia ejus, ut nullus hostis vivens, aut vigens relinquatur. Visitabit enim nos etiam in tabernaculo Deus, & in tempore quietis, at ubi exorta fuerit pugna cum vitiis, constringendum est tabernaculum nostrum, & ad expeditionem belli præparandum; nec poterit expandi, nec delectari in requiem Dei tempore quo fiet interpellatio vitiorum, & præcedet te Deus quidem in pugna, ut si ambulaveris post eum, facile vincas hostes tuos, habitare autem illo tempore in te non potest. Itaque licet vincas, licet exsuperes vitia carnis, ex ipsa tamen conflictatione, contaminas tamen manus tuas in sanguine tuo. Nec idoneus eris in hoc tempore ædificare domum Domini, sicut reprobatur David qui operatus esset in sanguine. Ille autem ædificat domum Domini qui intrat in requiem, qui nullis inquietatur vitiis, cui omnis hostis extinctus est, qui possit dicere: *Mihi autem mundus crucifixus est & ego mundo*, apud quem omnia vetera transierunt, nova facta sunt, quale regnum Salomonis in figuram nostri refertur. Sed si in hujus vitæ cursu nemo tam perfectus inveniatur, qui mundus ab omni interpellatione peccati pervenire in domum Dei possit: potero tamen ita dicere, *quoniam transibo in locum tabernaculi usque ad domum Dei*, id est in hac vita præsenti, ut quamdiu in hoc mundo sum, in locum transeam tabernaculi, quippe cum quotidie pugna contra carnem & sanguinem, contra spiritualia nequitiæ gerenda sit. At cum resoluta fuerit inhabitatio tabernaculi hujus, sicut Apostolus ait, & accipere domum non manibus fabricatam, sed æternam in cœlis. Cum transfiguratum fuerit corpus humilitatis nostræ in similitudinem corporis filii Dei, tunc perveniam in domum Dei, quo tempore possit in æternum habitare in me, & recte psallam, *quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei*.

Domum Deo ædificat qui nullis inquietatur vitiis.

Gal. 6. 14.

7. Erit autem hic transitus meus *in voce exultationis & confessionis sonus epulantis*. Nec mirum autem si umbra futurorum bonorum habuit imaginem hujus jocunditatis, vel David transferens archam Dei de tabernaculo Sylon, intrabat in Jerusalem cum choro & timpanis diem festum agens, vel cum Salomon ædificato templo intulit omne ministerium in multa exultatione cantantium & psallentium Deo. Nec mirum, inquam, cum unusquisque nostrum tabernaculum hoc corporis sui commutabit in illam domum non manu factam, sed æternam in cœlis, si erit transitus ejus in voce exultationis & confessionis sonus epulantis.

8. Hanc igitur spem qui percepit, merito interpellavit tristitiam animæ dicendo: *Ut quid anima tristis es, & ut quid conturbas me? Spera in Deum, quoniam confitebor illi salutare vultus mei & Deus meus*. Et vide nisi conveniat intellectui huic quem secuti sumus, ut in tempore persecutionis & improperii nominis Dei hujusmodi spe consoletur animam justus. *Ut quid tristis es anima & ut quid conturbas me? Spera in Deum quoniam confitebor illi*. Sed quoniam fieri non potest, ut projiciens animam suam in mortem non aliqua contristatione turbetur, quippe cum ipse omnium virtutum Dominus, ipse princeps fidei, ipse Filius Dei, qui antequam in tempus crucis veniret, hac fiducia loquebatur ut diceret, *Nemo auferet animam meam a me, potestatem habeo ponendi animam meam & iterum resumendi eam*; idem tamen in proxima hora mortis, *perturbata est*, inquit, *anima mea usque ad mortem*; & *Pater, si fieri potest, transeat calix iste a me*, & in novissimo gemitu: *Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* ita & psalmus iste imaginem persecutionis in ordinem ostendens, quantæ conflictiones tribulationesque sustinendæ sint justo, per quas tentanda & probanda sit fides ejus, ideo ait: *Deus meus turbata est in me anima mea*. Quis enim est cujus non turbetur anima in tempore persequentium nomen Dei? Præter illam enim necessitatem fragilitatis humanæ, præter corporales trepidationes, est quædam peculiaris fidei perturbatio, cum videantur persecutores nominis Dei increscere & dominari, nec vindicare Deus famulos suos, nec subvenire tribulationibus eorum, nec extendere adversus inimicos suos potentem dexteram suam. Et ideo quia nemo in hujusmodi tempore sensum judiciorum Dei retinet, pulchra est illa exclamatio Domini: *Deus Deus meus quare me dereliquisti?* qua ostendit se non intelligere causam quare sit derelictus. Et si ille sapientiæ magister & enarrator Patris, Filius sic perturbatur, ut interroget Patrem, ut quid dereliquisset, quid facient reliqui quamlibet justi, cum judiciorum Dei altitudines supervenerint eis? Verumtamen docet psalmus quid in his perturbationibus retinere & solum facere debeamus. Oportet enim omnem virum justum cum tentatur, cum tribulatur, cum angustiatur, cum in perturbatione animæ venit, etsi quare hæc sibi accidant non intelligit, fidem tamen non relinquere, nec condemnare credulitatem, quam docuit propheta dicendo: *Propterea memor ero tui, Domine, de terra Jordanis &*

Spes cœlestis habitationis tristitiam interpellat.

Humanum in tribulatione turbari.

Joh. 10. 18.

Marc. 14. 34.

Matth. 26. 39

Matth. 27. 46

Matth. 27. 46

In turbatione fides non relinquenda.

Hermonis a monte modico. Nam quia perturbata est in me anima mea, propterea, inquit, memor ero tui de terra Jordanis & Hermonis. In terra enim Jordanis introitum significat repromissæ hereditatis populo Israël. Et quoniam nos spiritualibus spiritualia comparantes, nobis hereditatis introitus fides existimatur. Hæc est enim janua repromissionum nostrarum. Itaque ubi initium fidei nostræ commendare voluit propheta, ibi terram Jordanis & montem Hermonem nominavit. Sic & in Canticis canticorum ubi prima vocatio ecclesiæ facta est, *Veni*, inquit, *a Libano sponsa, veni a Libano, sponsa, veni a Libano*, transiens transibis, & transibis ab initio fidei, a capite Hermon. Nec moveat quemquam quod in hoc loco & Sanis nominatus est, cum idem sit mons Sanis qui Hermon, quem in terra Jordanis constitutum esse historia docet per Moysem in Deuteronomio. *Et accepimus*, ait, *in tempore illo terram de manibus duorum regum Amorræorum, qui erant secus Jordanem, a torrente usque Hermon Sanir.* Amorræus nominavit illum Sanir. Caput ergo Hermon quod est in terra Jordanis, initium vocatur fidei. Ideo illic & Johannes primus præcursor auditur, & Johanni primum Christus ostenditur, illic Spiritu-sancto Dominus adimpletur, illic paternæ vocis testimonium redditur: *Hic est filius meus in quo complacui.* Hic progrediens initia virtutum, hic initia signorum, quibus Filius Dei creditur operatus.

Fides janua repromissionum.

Cant. 4. 8.

Mons Sanis & mons Hermon idem.

Deut. 3. 8.

Matth. 3. 17.

9. Merito igitur caput Hermon initium fidei vocatur, unde memores nos esse oportet salutare vultus nostri Deum nostrum, quotiens in tentationibus anima nostra turbatur. Initium enim fidei simplex prima credulitas, qua via intramus ad fidem Dei per JESUM CHRISTUM. *Sapientia vero inter perfectos quæritur*, quæ varietates sint judiciorum Dei, quæ altitudines cogitationum ejus. Ita etsi in tempore persecutionum, in perturbatione mortis instantis defecerit sapientia, initium tamen fidei non relinquatur: sed saltem simplici illa & nuda credulitate memores simus Dei, scientes quia non habeat in nos inimicus potestatem, nisi quantum permittitur. Non abutamur tamen insipientis mulieris jactatione, qua dictum est: *ubi sunt opera justitiæ Dei? Job, quid profuit timor Domini?* sed quoties in hanc perturbationem veniet cogitatio, justum erit secundum hujus psalmi doctrinam dicere: *Deus meus perturbata est anima mea, propterea memor tui ero de terra Jordanis & Hermonis de monte modico.* Ergo & significanter monti Hermoni modici addit appellationem, fidei enim initium mons pusillus, & cui multæ ascensiones usque ad regnum cœlorum per contumelias, per injurias, per tribulationes, per mortem crucis credere in Deum primus ascensus est; quoties enim in illo vertice amarissimo crucis perturbabitur anima mea de initio fidei, de monte modico, memor ero Domine qui es salus vultus mei.

1. Cor. 2. 6.

Job. 22. 3.

10. *Abyssus* enim *abyssum invocat in voce cataractarum tuarum*, id est fluctus tentationis, Dei qua terra patietur, quia altitudines cogitationum & judiciorum ejus quis novit? Diluvium est sensus Domini, cujus magnitudinem ostendere volens justus, quoniam de tribulationibus suis loquebatur: *Abyssus*, inquit, *abyssum invocat, in voce cataractarum ejus.*

11. *Omnes altitudines tuæ & fluctus tui super me transierunt.* Reddit causam cur turbata est anima ejus, abyssus enim abyssum invocat in voce cataractarum. Prælocuti quidem jam sumus, quid esse abyssum putaverimus, reddimus tamen rationem quid de hoc ipso propheta ait: *Judicia tua, Domine, abyssus multa*, magnum enim profundum est in altitudines judiciorum Dei, quasi in nos ita frequenter ut judicium judicia consequantur, quæ caro emergat, quæ caro sustineat? Vide apostolum, licet in pace tractaret, intendens tamen mysterium Dei, perturbatus exclamat: *O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei! quam inscrutabilia judicia ejus, quam investigabiles viæ ejus.* Hæc igitur altitudo cordis Dei recte abyssus nominatur, cujus profundum nemo cognoscit, multæ enim altitudines ubi nullus est finis. Et merito hic nos abyssus ad abyssum invocat in voce cataractarum tuarum. Species quasdam abyssorum constituamus, quo tractatus magis luceat. Ecce Filius Dei in multis signis & virtutibus veniens curat multorum varias ægritudines, & accusatur quod faciat sanitates. Quis umquam male audivit qui bene fecerit? Et admittit pater tam impiam contumeliam filii sui: Ecce una abyssus. Judicia Dei struuntur, comparantur falsi testes quasi adversus blasphemum & irreligiosum, cum esset solus verus Dei testis, & dicunt impii testimonium, & obtinent causam; ecce altera abyssus consequitur priorem. Colaphisatur, flagellatur in ludibriosum habitum componitur, exultat & subsannat inimicus, in filium Dei longa omnis transit impietas; ecce jam tertia abyssus supervocatur. Damnatur in cruce gloriæ Dominus, inter latrones & impios deputatur. Vide quanta judicia abyssus consequatur, ut merito ab hoc dici possit: omnes altitudines & fluctus tui super me transierunt.

Psal. 35. 7.

Rom. 11. 33.

Altitudo cordis Dei abyssus nominatur.

Plures abyssorum species.

12. Et hic jam satis dictum puto, sed ne aliquis requirat & studio præterisse nos existimet, quid sit quod ait: *In voce cataractarum tuarum abyssus abyssum invocat*, modice de cataractarum voce repetamus. Habent utique hæ visibiles aquarum cata-

ctæ voces suas, quia emissiones fluminum sonare & strepere necesse est. Et quoties ex infinito lacu stagnorum vel fontium eructatione surgunt in exitum flumina, cujus profundum nequaquam deficere & exhauriri queat, bene de his dicitur abyssus abyssum invocat in voce cataractarum. Sed nos meminisse debemus de quibus abyssis loquatur propheta, de quibus etiam prælocuti sumus. Itaque & cataractas horum nosce debemus: omnes autem eructationes judiciorum Dei per voces prophetarum invenimus sonuisse, quas hic cataractas appellatas existimo. Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum. Post prædicationem prophetarum consecuta sunt Dei judicia, & velut vocarunt se in illam vocem quam præmiserat ut sequerentur. Vox cataractæ fuit, *Opprimamus justum quia inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & Filium Dei se nominat.* Altera vox cataractæ est: *Sicut ovis ad victimam adductus & sicut agnus coram tondente se non aperuit os suum.* Est & alia vox. *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.* Est & illa vox: *Diviserunt vestimenta mea, & super vestimentum meum miserunt sortem & in siti mea potaverunt me aceto.* Et quid necesse est nunc omnes voces cataractarum referre, cum pleni sunt libri prophetarum de contumeliis & passione Domini? Quoniam ergo omnes prædicationes etiam rerum gestarum fides secuta est, in hanc vocem cataractarum abyssus abyssum invocavit, ut suppleret scilicet effectus sonos earum. Igitur quia de talibus abyssis loquebatur propheta, opportune subjungens ait.

Cataractarum voces.

Sap. 2. 12.

Act. 8. 32.

Ps. 21. 17.

Ps. 21. 19.

Consolatio justorum in tentatione.

13. *Inter diem mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte manifestavit: apud me oratio mea Deo vitæ meæ: dicam Deo susceptor meus es, quare oblitus es?* Dat videlicet doctrinam & consolationem omnibus justis, ut si ex multis tentationum fluctibus operti, perturbationem sensus patiuntur, quæ tenebræ oculorum nox vocatur, meminerint quia semper in hanc noctem manifestatur misericordia Dei potens, nisi sit tempus causa miserandi. Sed cum in periculum venerimus, & perturbatio ex desperatione vitæ quamdam cordi nostro fecerit noctem, tunc si potuerimus dicere: *apud me oratio Deo meo, dicam, susceptor meus es, quare me dereliquisti?* Hoc ergo in nocte retinendum est, & cum ceteri sensus perturbantur, hoc tamen deficere non debet quod clamemus ad Dominum: *quare me dereliquisti?* de quo sermone prius tractavimus, quia etsi causa judiciorum Dei non intelligamus quare nos in aliquibus tentationibus relinquat; deficere tamen nos non oportet, quin ab ipso misericordiam deprecemur.

14. *Quare*, inquit, *tristis incedo, dum*

A *affligit me inimicus, & confringit ossa mea?* Hæc ergo semper etiam in nocte apud justum erit oratio ejus. Quod autem ait: *Confringit ossa mea*: non utique, proxima mors, subintelligendum est, sed quia hic in tribulatione frangebatur patientia ejus, quæ est stabilimentum & fortitudo mentis nostræ, sicut ossa sunt corporis; ossa patientiam vocavit, quæ cum assiduis tribulationibus confringetur, *dum confringit*, ait, *ossa mea*, improperabant tribulantes me, cum dicerent quotidie, ubi est Deus tuus? Sed licet hanc gravem manum sentiat justus, quid

B tamen fieri necesse sit, & quod remedium obtinendum sit in persecutionibus docet dicens: *Ut quid tristis es anima mea, ut quid conturbas me? Spera in Deum, quia confitebor illi, salutare vultus mei & Deus meus.* Quo nobis proposito exemplo, si qua vexatio, si qua pressura, si quod improperium nominis Dei venerit super nos, si tristis erat anima nostra, si perturbabitur, nos dicamus: Spera in Deum, quia confitebor illi, protegente JESU CHRISTO Domino nostro, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit de psalmo XLI.

C

SERMO IN DIE PASCHATIS.

in quo psalmus CXLIX. *explicatur.*

1. SOlemnitas paschæ est, & illuminationis mysteriorum dies iste est, in quo Propheta nos cohortatur & dicit: *Cantate Domino canticum novum.* Sed sicut bona arbor bonos fructus affert, ita & novus homo novum canticum canit. Interim sicut non potest arbor mala fructus facere bonos, ita nec vetus homo cantare canticum novum. Propterea ergo novis hominibus propheta dicit. *Cantate Domino canticum novum, laudatio ejus in ecclesia sanctorum.* Solemnitas paschæ est, & innovationis myste-

D riorum dies iste est, in quo deponentes in baptismo veterem hominem, novi homines effecti, sanctum altare circumdant, (*a*) & de secretioribus thalamis nuper genitos novos filios ecclesia mater educit. Et ideo propheta ad vos maxime loquitur, ô novi homines, *Cantate Domino canticum novum.* Sed sicut beatum est ablata veteri conversatione & tenebrosis actibus, factum esse hominem lucis & hominem novum, & in-

E felicissimum est, si quis per Domini gratiam jam renovatus ex novo homine rursum convertatur in veterem. Vetus autem homo dicitur qui secundum carnem est, in quo sunt opera carnis, quæ enumerat apostolus, fornicatio, immunditia, concupiscentia mala, & avaritia. *Si enim*, inquit, *spiritu actus carnis mortificetis, vivetis.* No-

Psal. 149.

Novi est hominis cantare canticum novum.

Rom. 7. 13.

(*a*) Recens quidem baptizatis olim accedere ad altare permittebatur ad percipiendam eucharistiam.

vus autem homo est, sicut dicit Apostolus, *Col. 3. 10.* *qui secundum Deum creatus est, ad imaginem ejus qui creavit eum.* Et iste est novus, qui cantare potest Domino canticum novum. Sed & ille novum Domino canticum cantat, qui neque ut gentiles plures Deos, neque ut Judæi Deum sine Filio confitetur, sed unum verum Deum sub mysterio prædicat Trinitatis. Cantat & ille canticum novum, qui sacramentum novi suscipit sacramenti. Et ille novum canticum cantat, qui in dilectione Dei perfectus, implet mandatum novi hominis dicentis: *Joh. 13. 34.* *Mandatum novum do vobis, ut invicem diligatis.*

Multi sancti faciunt ecclesiam sanctorum.

2. Vide denique, ubi vel a quibus canticum istud novum Domino cantetur. *In ecclesia*, inquit, *sanctorum.* Non dixit quia potest hoc unus sanctus implere, aut duo vel tres, sed ecclesia & congregatio multorum. Sicut enim multi malignantes in unum convenientes ecclesiam faciunt malignantium; ita multi sancti in unum congregati faciunt ecclesiam sanctorum. Dicit enim propheta, quia contaminata est terra in sanguine, & adulteria & homicidia effusa sunt super terram. Quomodo ergo videbitur ecclesia sanctorum haberi posse in terris? Apostolus docet, dicens: *2. Cor. 10. 3.* *Quid in terris ambulantes, conversationem habemus in cœlis.* Et iterum: *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus.* Sic ergo efficitur, ut in terris positi cœlestem ecclesiam faciant sancti, sicut rursus e contrario peccatores, cum nequiores se fuerint effecti, atque in ultima flagitia devoluti, non jam in terris esse dicantur, sed in inferiora terræ demergi, sicut propheta dicit de eis: *Introibunt in inferiora terræ.* Et ideo, fratres carissimi, operam demus quotidie, deponentes veterem hominem cum actibus suis, per Spiritum renovari, ut possimus cantare Domino canticum novum, imitationem tenere cœlestium, oblivionem sumere terrenorum, sicut & Apostolus dicit: *Col. 3. 1.* *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram, ubi Christus est in dextera Dei*, ut cum Christo regnare possimus, ne forte sicut terrenis semper incubamus, & de terra semper cogitamus, & de terra semper loquimur, & interiora terræ gravius peccando serpentium more defodimus, serpentis etiam nos sententia condemnemus.

3. *Lætetur*, inquit, *Israël in eo qui fecit ipsum.* Quæstio videtur exsurgere, quo putetur tamquam ceteris hominibus ab alio factis, Israël sub proprio factore debere lætari. Sed si diligentius requiramus quæ scripta sunt in Genesi de factura hominis, invenimus iota unum vel apicem in lege Dei non esse mysteriis vacuum.

Initium Genesis discutitur.

Dicit ergo in Genesi primo, *Gen. 1. 26.* *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et paulo post addidit: *Gen. 2. 7.* *Et plasmavit Deus hominem* A *de terræ limo.* In quo utique, si diligentius prospicit, videt illum interiorem, qui ad imaginem Dei est, qui & Israël nominatur, factum dici: illum vero qui de terræ limo est, plasmatum vel factum nominari; quod & propheta in alio loco simulque utrumque repetit dicens: *Psal. 118. 73.* *Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me.* Lætetur ergo Israël, qui est interior homo secundum imaginem Dei creatus super eo qui fecit ipsum, non qui plasmavit, sed qui fecit; quia hoc ad rationabilem spiritum pertinet, illud ad materiam corporalem. *Lætetur ergo Israël in eo qui fecit eum, & filii Sion exultent in rege* B *suo.*

Qui filii Sion.

4. Sed & filii Sion, qui exultare dicuntur super rege suo, qui illi sint operæ pretium est noscere. Sion specula interpretatur. Specula vero locus est excelsus & editus, de quo longe prospicitur quod venturum est. Si ergo & tu vitam tuam altius a terra & longe sublimius ab humanis vitiis collocaveris, per virtutem fidei & per intelligentiæ rationem procul quæ ventura sunt prospiciens, recte Sion filius appella- C beris. Ex his enim est & ille, ad quem dicit sermo divinus: *Ezech. 3. 17.* *Fili hominis, speculatorem te dedi domui Israël.* Quærere ergo quæ sursum sunt, & speculari non præsentia, sed futura; & aspicere non quæ videntur, sed quæ non videntur, quoniam quæ videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt, hoc est filium esse Sion. Exultant ergo filii Sion in rege suo; quo rege? illo sine dubio qui dicit: *Psal. 2. 6.* *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Sed ille rex non super omnes regnat, nisi super eos tantum, qui se ei sponte & voluntate subjecerint.

Quomodo Christus in nobis regnet.

Vis autem scire D quomodo regnet Christus in unoquoque? ex scripturis dicamus. Christus veritas est, veritas in mendace non regnat. Christus justitia est, justitia non regnat in injusto. Christus sanctificatio est, sanctitas in peccatore non regnat. Christus sapientia est, sapientia in insipiente non regnat. Si autem vis & hoc discere, qui in illis regnat, in quibus Christus non regnat, audi Apostolum dicentem: *Rom. 6. 12.* *Non regnet adhuc peccatum in vestro mortali corpore.* Ex quo declarat, quod hi qui non sunt sub rege Christo, possi- E deantur a rege peccato. Qui autem exitus sit eorum, qui noluerunt regnare super se Christum, ex parabola evangelii edocemur. Ait enim: *Luc. 19. 27.* *Istos autem qui noluerunt me regnare super se adducite huc & interficite; sed & civitatem eorum igne consumite.* Filii autem Sion exultant super rege suo.

Chorus quid.

5. *Laudent nomen ejus in choro.* Requiramus qui sit iste chorus, ex quo nomen Dei laudare jubet propheta. Chorum gentiles ducunt, triginta plus minus vel puerorum vel puellarum eodem sono atque eadem

dem symphonia canentium conspirationem, a quibus una vox modulis aptata mutuo redditur, quæ aures mulceat & delectet auditum. Sed ego non puto per Spiritum-sanctum de hujus chori modulatione mandari, sed illa potius nobis chorum efficit consonantia de qua Apostolus dicit : *Ut unum sapiatis omnes & unum dicatis, nec sint inter vos schismata, sed sitis perfecti in uno sensu atque in eadem sapientia.* Qui chorus consonus atque conspirans in Actibus apostolorum fuisse describitur, ubi refertur quia *omnium credentium erat cor & anima una, nec aliquis ex his aliquid proprium dicebat, sed erant illis omnia communia.* Dominus vero chori hujus consonantiam magnificentius in evangeliis describit dicens : *Si consenserint ex vobis duo vel tres, de quacumque re petieritis a Patre, dabit vobis.* Vides chorum ex duobus vel tribus mira consonantiæ modulatione compositum, non qui homines mulceat, sed qui Deum moveat; non qui aures delectet, sed qui Deum flectat : unde mihi multum videtur esse duo vel tres in unum consentire. Quanti modo adestis, quanti ad ecclesiam convenitis, & nescio in omnibus vobis qui sit, qui non a semetipso dissentiat. aut non vobis videtur a semetipso dissentire, ille qui in ecclesia stat corpore, & animo per actus sæculi vagatur, oculos corporis ad intuitum divinæ lectionis intendit, animi vero vel cordis acie, aut contra inimicos acuitur, aut adversum vicinos & confines exasperatur, aut ad negotia & lucra distenditur sæculi, aut quibuslibet aliis occupationibus mens dirimitur & discedit a corporis statu, & perturbat adeo placitum corporis & animæ ac spiritus consonantiæ chorum ? Si ergo & vos vultis laudare nomen ejus in choro, stringite & continete vanas & lubricas cogitationes cordis vestri, & tres in uno consensu, corporis, animæ ac spiritus chorus evangelicus efficimini, quia scriptum est : *Ubi fuerit cor tuum, ibi erit & thesaurus tuus.* Sed quid additur in consequentibus ?

1. Cor. 1. 10.

Act. 4. 32.

Matth. 18. 19.

Matth. 6. 21.

Quid tympanum, quid psalterium.

6. *In tympano*, inquit, *& psalterio psallant ei.* Ecce iterum musicorum nomina organorum propheticus inserit sermo. Quo nobis tympana, quo nobis psalterium præcipitur? Tympanum namque est quod aptatur e ligno, ut sonitum quemdam æquivocum reddat; psalterium vero quod tenditur & aptatur ex chordis. Sed quoniam lex spiritalis est, non abducimur per hæc ut musicis delectemur; sed intelligimus tympanum dici de illis qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis, hoc enim per lignum crucis efficitur; per psalterium vero divinæ scientiæ gratia significatur; & ideo recto ordine prius tympanum, deinde psalterium nominatur : nisi enim per continentiam corporis & abscissionem sæcularium negotiorum ad donum scientiæ, quod per psalterium significatur, non potest perveniri. Denique legimus quia Maria in deserto accepit tympanum, & ducens mulierum chorum, dicebat : *Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est, equum & ascensorem projecit in mare.* Quando ergo dicebat Maria, vel quando acceperat tympanum ? postquam ei submersus est Pharao, & quando rubrum mare transiit. Ita ergo & nobis nisi submersus rex peccati fuerit Pharao, & transierimus mare rubrum, & aruerint nobis sæculi undæ vel fluctus, non possumus in tympano & psalterio psallere Domino. Indicatur & alio loco per prophetam hujus ipsius cautissime servatus ordo mysterii. Dicit namque David : *Sumite psalmum & date tympanum.* Damus enim & nos tympanum, hoc est mortificationem membrorum nostrorum, & abscisionem vitiorum per continentiam offerimus Deo, & ita demum accipimus ab eo psalmum, id est scientiæ & intelligentiæ gratiam.

Exod. 15. 21.

Psal. 80. 3.

Quis populus Dei.

7. *Quia beneplacitum est Domino in populo suo.* In quo populo suo ? isto sine dubio qui cantat canticum novum, qui congregatur in ecclesia sanctorum, quia lætatur super eo qui fecit eum, qui filius Sion effectus, super rege suo exultat, qui laudat nomen ejus in consonantiæ & unanimitatis choro, qui tympanum effectus, in psalterio scientiæ psallit ei. Iste est populus Dei, in quo beneplacitum est Domino. *Exaltavit mansuetos in salute.* In evangelio dicitur quia mansueti possidebunt terram : & hic dicitur, quia exaltabit mansuetos in salute: unde consequens videtur, in alto esse illam terram quam mansueti in hereditate percipiunt. De ista vero terra in qua nunc sumus dicitur qui deorsum est, sicut dicit scriptura : *Dominus in cœlo sursum, tu autem in terra deorsum*; & in alio loco dicitur de illa terra : *Exaltabit te ut heredites terram*, illam sine dubio terram in qua est Jerusalem cœlestis, quæ est mater omnium nostrûm. Illuc ergo exaltabit mansuetos in salute.

Deut. 4. 39.


8. *Exultabunt sancti in gloria.* In qua gloria ? non in illa quam Moyses habuit, de qua dicit Apostolus : *Nos autem omnes revelata facie gloriam Domini speculamur, transformati a gloria in gloriam, tamquam a Domini spiritu. Lætabuntur in cubilibus suis.* Hoc non mihi videtur ad omnes passim dictum, sed ad illos quibus proprium Deus donum contulit castitatis; alioquin quomodo perfecte lætabitur in cubili suo ille vir qui uxori debitum reddit, vel illa mulier quæ sui corporis potestatem non habet, sed vir ejus ? Quæ erit eis lætitia in operibus carnis, maxime cum audiant & Apostolum

2. Cor. 3. 18.

Lætitiæ munus in castitate.

Gal. 6. 8. dicentem, *quia qui seminat in carne, de carne metet & corruptionem.* Verumtamen honestas & legitimas nuptias non condemnamus, sed proprium in castitate lætitiæ munus exponimus, quia dixit Apostolus:
1. Cor. 7. 28. *tristitiam carnis habebunt qui ejusmodi sunt.* Sancti ergo continentes ac virgines lætabuntur in cubilibus suis.

9. *Exultationes Dei in gutture eorum.* Ad ipsos pertinet etiam qui subsequitur iste versiculus; nam impiorum & eorum qui
Psal. 13. 3. operibus mortui sunt, *Sepulcrum patens est* A *guttur eorum.* Sancti vero qui psalmis & tympanis & canticis spiritualibus vacant, qui verbo Dei indesinenter assistunt, & qui in lege Dei meditantur die ac nocte, exultationes Dei sunt in gutture eorum: & ideo unusquisque vestrûm, qui hæc auditis, considerate cum loquimini, qualis sermo de vestro ore procedat; si ea loquaris quæ ad carnem pertinent, non est exultatio Dei in gutture tuo; si ea loquaris quæ ad avaritiam pertinent, quæ ad invidiam, quæ ad livorem.



S. NILI MONACHI
TRACTATUS
DE CHRISTIANA PHILOSOPHIA.

Ex Schedis Mabillonii.

OBSERVATIO PRÆVIA.

De Nilo ejusque operibus plura scribere supervacaneum videtur, cum hanc in se provinciam susceperint quotquot nostra ætate de scriptoribus ecclesiasticis tractaverunt auctores, asserentes eum ex præfecto urbis Constantinopolitanæ monachum, ac deinde in eadem urbe abbatem sub Theodosio juniore doctrina & sanctitate claruisse: hunc insuper fuisse S. Johannis Chrysostomi discipulum, ac multa scripsisse, quæ Nicephorus lib. 14. Hist. cap. 53. recenset.

Sequentem ejus tractatum de Christiana Philosophia, *eruit Mabillonius ex manuscriptis codicibus Italicis. Cujus interpres Isidorus monachus, fuit haud dubium celeberrimus ille Isidorus Clarius Casinensis congregationis lumen splendidissimum, tametsi obscuris parentibus natus in Clario ditionis Brixiensis castello, unde & nomen traxit. Adolescens in Parmensi sancti Johannis Evangelistæ monasterio regulæ S. Benedicti nomen dedit, ubi cum mirabili celerique esset ingenio, eum in litteris brevi progressum fecit, ut præter ceteras severiores disciplinas, hebraïce græceque doctus, sub Paulo III. toti Romanæ aulæ admirationi evaserit; mox abbas sanctæ Mariæ Cesennæ, deinde Pontidæ Bergomensis, interfuit concilio Tridentino, in quo tanta linguæ facunditate flumineque scientiarum fidei causas peroravit, ut quidquid dixisset, a concilii patribus quasi pro oraculo haberetur. A Paulo III. die 26. Januarii 1547. ad Fulginatem sedem evectus, optimi pontificis munus sic adimplevit, diœcesimque suam tanto zelo & animarum cura administravit, ut non sine sanctitatis fama obierit die 28. Maii 1555. ætatis vero suæ anno circiter sexagesimo.*

Cum ergo tantus fuerit noster Isidorus ac græce peritissimus, quis non videat hæc ejus versio quanti sit facienda. Nec credimus alteri postponetur

versioni quam olim adornavit Josephus Maria Suarez episcopus Vasionensis, & aliis Nili operibus a se pariter latine redditis, Romæque anno 1675. editis in folio, præmisit cum hoc titulo TRACTATUS DE MONASTICA EXERCITATIONE. *Certe hac editione deterritus non fuit noster Mabillonius, a nostra describenda & suo tempore evulganda. Nec mirum, cum præter stylum elegantiorem & Isidoro maxime proprium, genuinum auctoris sensum longe aptius & enucleatius hæc nostra exprimat quam illa Suaresii, quod quisque advertere facile poterit.*

Non moramur Petri Francisci Zeni canonici Veronensis versionem soli notam Suaresio, nec sane magni habitam, cum vix aliquam ejus mentionem fecerit.

Epistola interpretis narrantis qua occasione hunc tractatum e græco in latinum converterit.

ISIDORUS monachus Ambrosio abbatiæ Florentiæ abbati S. P. D.

Anno præterito cum in Casinensi illo monte, vel potius paradiso, consisterem, nihil mihi adeo cordi fuit, quam ut iis potissimum intenderem, quæ me ad hujus mundi contemtum maxime provocarent, ac sacri illius loci solitudinem suavissimam suaviorem redderent. Verum cum me ad id mihi non sufficere viderem, sanctorumque volumina, quo mihi suppetias ferrent, avidius exquirerem, nonnulli ex fratribus B tunc inibi mecum commorantes, mihi retulerunt, esse in loci illius bibliotheca quamplurima opera tum græca tum latina, a præclarissimis ordinis monastici viris & disertissime & sanctissime scripta, quæ voluntati meæ satis abundeque facere, ac meo proposito conducere possent. Accurro properus, moxque omnia curiosus avidusque revolvo. Et inter cetera forte mihi obvius fuit Tractatus quidam NILI monachi doctrina & vitæ sanctimonia conspicui, de C Christiana Philosophia. Allexit auctor & tituli novitas ad legendum, legi & relegi diligenter: cumque ex ejus lectione multum mihi profuisse viderer, cuperemque illum semper apud me esse, simulque ut menti tenacius inhæreret, e græco latinum feci. Sed cum me tempus deficeret; nam propediem discedere & Romam venire cogebar, in ipso vertendo nulla verborum elegantia usus fui. Cujus rei etiam causa fuit, quod mihi soli vertere, nec aliis legendum tradere, tunc animus erat. At ubi audivi filios tuos in philosophiæ studia summis viribus incumbere, mutavi sententiam. D Nam dandum mihi vitio duxi, si non & ipse eo modo quo possem illis auxilio essem. Tunc igitur de Philosophia tractatum, quia emendandi otium non est, ita ut verteram tibi ut corrigas, illis ut legant misi. Excipe itaque, obsecro, reverende pater, Nilum sanctissimum ac doctissimum monachum pannis meis vilibus obsitum, in quo filii tui non vestes meas tritas & laceras, sed formam illius angelicam speciosamque considerabunt. Quod si religiosa ejus can- A didaque conversatione delectati, cum ipso frequentius colloquentur, ex ejus profecto doctrina multo melius ac multo felicius proficient, quam ex Aristotelicis libris hactenus profecerint. Vale, pater cum filiis. Romæ XVIII. kal. Septemb. MDXXXIV.

TRACTATUS NILI monachi de Christiana philosophia.

1. MUlti profecto gentilium & Judæorum non pauci sapientiæ studiis operam dederunt; sed soli Christi discipuli verum sapientiæ studium complexati sunt; sed soli Christi discipuli verum sapientiæ studium complexati sunt; quippe qui etiam soli sapientiam ipsam habuere magistram, quæ studio hujusmodi congruam vivendi regulam opere demonstravit. Ii namque qui ante id temporis fuerant, velut in scæna rem ipsam agentes, aliena sese ornavere persona, nomen quidem inane subinduti, veræ autem sapientiæ studio nudati. Qui quidem in veste trita, barbaque & baculo sapientiæ studium tentabant, corpus suum fovebant, & concupiscentiis ut dominis serviebant; servi ventris, ventrisque voluptates quasi naturæ opus amplectentes, iræ obnoxii, gloriæ avidi, circum lautas ac splendidas mensas instar gulosorum catellorum saltitantes.

Sapientiæ verum studium apud gentiles & Judæos ignotum.

2. Ignorabant nempe sapientiæ professorem liberum ante omnia esse oportere, ac ne affectuum suorum & ut ita dicam mancipiorum mancipium esset cavere. Nam hominum quidem esse servum nil forsan oberit ei qui recte vixerit, sed affectuum ditioni subjici & voluptatibus servire turpe est, ac multa irrisione dignum. Fuere apud illos, qui moribus, actionibusque neglectis, rationalis sapientiæ studium, ut videbantur, elegerint: qui quidem sublimia contemplantes & quæ demonstrari nequeunt enarrantes, cœli magnitudinem, solis mensuras, astrorum operationes se scire profiterentur & forsitan proditi quadam verborum pompa, ipsa etiam divina aggrederentur, quorum veritas incomprehensibilis est,

Sapientiæ professor liber esse debet.

& speculatio periculis multis obnoxia, & ii tamen porcis sese in cœno volutantibus obscœnius vivebant.

Gentilium philosophia quam inanis & insipiens.

3. Quod si nonnulli inter eos aliquid egerunt, & se in moribus exercuerunt, illis profecto fuere pejores, cum ex laboribus suis gloriam laudemque captarint. Nam nullius rei nisi delectationis & gloriæ appetitu miseri fecere quamplurima, pro tot tantisque laboribus tenuem vilemque mercedem sibi comparantes. Nam semper tacere, & herbis vesci, vestibusque pilo contextis corpus tegere, ac intra dolium vitam degere, nulla attamen post mortem præmia expectare, ultra omnem insipientiam est. Cum simul cum vita ipsa virtutis præmia pereant, subeantque certamen numquam coronas accepturum, & luctam continuam braviis carituram, ludosque nil præter sudores præstituros.

Judæorum philosophi. *Jerem.* 35. 6.

4. Judæi quoque quotquot hunc vivendi modum in pretio habuerint, (sunt quidem qui a Jonadab oriundi sunt) eos, inquam, summis laudibus efferunt. Hi igitur cum in tabernaculis ac tentoriis morarentur, vinoque & deliciis omnibus abstinerent, & tenui victu vestituque uterentur, vehementer mores curabant: verum & contemplationi interdum vacabant, unde & Essæi appellati sunt: quod nomen modestos ac temperatos significat, & demum hæc est eis intentio sapientiæ, ut recte cum virtute semper operentur, factis professioni nullatenus repugnantibus. Sed quæ certaminum & laboriosæ exercitationis utilitas iis, qui ipsum certaminum præsidem ac Judicem Christum occiderint? Et ii laborum suorum præmiis frustrati sunt, qui præmiorum destributorem abnegarint, & propterea a veræ sapientiæ studio aberrarunt: est enim sapientiæ studium morum correctio cum opinione præcognitæ veritatis eorum quæ sunt. ab hac utrique & Judæi & Græci longius recesserunt, cum sapientiam quæ de cœlis venerat respuissent, & absque Christo, qui veram sapientiam opere demonstravit, ipsum sapientiæ studium aggressi essent.

A vera sapientia aberrarunt.

Christus verus sapientiæ doctor.

5. Nam hic primus suæ vitæ instituto studiis hujus viam trivit, cui puram ac mundam conversationem monstrarit, & animam corporis affectibus superiorem semper habuerit. Novissime etiam ipsam contemsit, cum salus hominis, quam operabatur, ut moreretur exegit: His profecto nos docuit oportere eum qui sapientiæ studium recte sectari proponit, cunctas quidem vitæ delectationes abnegare, labores vero & afflictiones superare, corpus contemnere, nec ipsam quidem animam in pretio habere; verum & ipsam, ubi propter virtutem ponere opus fuerit, promte perdere. atque projicere.

A 6. Hanc vivendi regulam cum traditam accepissent, sancti apostoli imitati sunt, qui simul ac vocati fuere, mundo abrenuntiarunt, & proprio genere facultatibusque contemtis, mox ad durum & laboriosum vitæ institutum transierunt, per omnia difficilia & molesta gradientes, afflicti, angustiati, persecutionibus jactati, nudi degentes, ipsis & vitæ necessariis egentes: demum adversus mortem certamen audacter ineuntes. Bene per omnia magistrum imitati fuerunt, & mundo optimæ conversationis imaginem, exemplarque reliquerunt.

Quam secuti sunt apostoli.

B 7. Verum cum ex hac imagine ac exemplari Christiani omnes vitam suam effigiare atque efformare deberent, aut noluerunt aut ad imitationem defecerunt. At pauci quidam, qui mundi turbationes ac urbium tempestatem fugere potuerunt, & separati tumultibus solitariam vitam complexati sunt, hi soli suam ipsorum vitam apostolicæ virtutis effigiem, imaginemque expresserunt. qui quidem ne mens occupationibus distraheretur, paupertatem divitiis anteponebant, & ut affectus compescerent, C tenuem victum variis condimentis escisque delicatis præferebant, necessitatem corporis cibis forte obviis explentes, & mollibus vestibus velut humanarum deliciarum excogitatione objectis, simplici ac illaborato indumento utebantur, a Christiani philosophi instituto alienum esse putantes, cœlestium cura omissa, circa ima & ipsis belluis ex tempore provenientia occupare mentem.

Hi paucos habuerunt imitatores, nempe solitarios.

8. Hi profecto mundum ignorabant, & supra humanos affectus existebant. Non erat apud eos qui in jus vocaret, nec qui in D jus vocaretur; qui deciperet nec qui deciperetur: quisque propriam conscientiam judicem incorruptum habebat: Non alius ditabatur, alius in pauperiem declinabat; non alter fame deficiebat, alter crapula rumpebatur: liberalitas abundantium, inopiam egentium supplebat: erat demum æqualitas inter eos, cum, omni inæqualitate abjecta, excellentiores humilioribus sponte se commiscerent. quin nulla erat æqualitas inter eos. Nam inæqualitatem tunc faciebat promtitudo eorum qui magis dejici & humiliari studebant, quam mo- E do facit eorum furor, qui magnificari & exaltari contendunt. Invidia tunc ejecta fuerat, livor in exilium actus, fugata vana gloria, sublata superbia, omnis seditionis causa destructa. Erant in affectibus mortui, & horum sensu penitus carebant, nec umquam horum imaginationibus detinebantur, propterea quod a principio, ipsorum memoria funditus deleta quotidiana exercitatione ac patientia, in ejusmodi habitum conscendissent. Erant demum lucernæ in tenebris lucentes, & stellæ fixæ obscuram

Quam præclaræ eorum virtutes.

curam vitæ hujus noctem illustrantes, ac velut prominentia portuum promontoria, numquam ventorum turbine aut procella percussa, cunctis ostendebant, quo fluctus affectuum incolumes, sospitesque effugerent: sed exacta eorum conversatio & vitæ cœlestis institutum velut imago, eorum incuria qui temporis successione delineando imitati sunt, paulatim diminuta, in extremam dissimilitudinem mutata est, & omnino ab archetypo defecit.

9. Nam qui modo crucifixi sunt mundo, & sæculo abrenuntiarunt, ac, ut ita dicam, homines etiam recusarunt, affectuumque mortificatione ac circa passiones immobilitate ad virtutum incorporearum naturam similitudinemque pervenire professi sunt, ii profecto retro rediere, cum claritatem eorum qui ante vixerunt sæcularibus negotiis turpibusque l[illegible]eris offuscarint, & eos qui ob suas virtutes laudari & glorificari debuerant, sua negligentia male audire fecerint.

Invehit in retro respicientes.

10. Et quidem stivam aratri tenemus, (a) inepti attamen facti sumus regno cœlorum, propterea quod retro conversi sumus, & ea quæ oblivisci debebamus, multo cum studio retinemus. non enim strenuitas illa & decor vitæ posthac nobis curæ est, nec quietem ad veterum inquinationum inundationem utilem putamus. Sed negotiorum turba ad veram intentionem prorsus inutilis, in pretio est, & divitiarum ambitus salutaria monita superavit. Nam Domini monita sollicitudinem circa terrena abjicere, & Dei regnum quærere jubentis quasi contrariam viam declinavimus, divinaque mandata contemsimus, & a providentia illa cœlesti recedentes, spes in manibus nostris posuimus. Cum nobis dicat *respicite volatilia cœli quæ non serunt nec metunt, nec in horrea congregant, & pater vester cœlestis pascit illa*: Et rursum: *Considerate lilia agri, quoniam crescunt, non laborent, neque nent*, quin & crumenam & peram & baculum portare prohibeat, & soli promissioni, quam fallere nescit, stare præcipiat, quam ad providenda nobis necessaria, nostra sollicitudine firmiorem nollet. Nos prædia quot possumus acquirere pergimus; ovium greges & boves aratorios figura & magnitudine conspicuos, asinosque pingues coemimus, ut illæ quidem lanarum copiam sumministrent; boves autem cultui agrorum servientes, nobis quidem delicias, sibi tantum ac reliquis animantibus pabula parent & præbeant. Insuper jumenta onerifera, ne nihil nobis desit quæ regioni desunt & peregrina ad vehimus: quin & artes eligimus opulentiores, licet nullam nobis opportunitatem, ut Dei memores simus, exhibeant, cum studium omne intentionemque in se trahant, sicque nos ipsos prioris professionis pœnituisse arguimus.

Matth. 6. 26.

Ibid. 28.

11. Nam etsi id non fatemur verbo, rebus tamen ostendimus: cum sæcularium mundanorumque vita gaudeamus, vel delectemur, cum eadem atque illi exerceamus, & forsan laboribus corporeis magis teramur: ut deinceps multi quæstum putent pietatem, nec ob aliam rem vitam hanc exercere nos credant, nisi ut per fictum Dei cultum laboriosa quidem fugiamus exercitia, voluptatum vero facultatem exquirentes, iis quæ apparent studia licenter intendamus: cum multa non impudentia superbe adversus obscuriores ac inferiores efferimus, materiam tyrannidis, non humilitatis & modestiæ, vitam religiosam existimantes.

Qui propterea contemtui habentur.

12. Quapropter ab iis qui nos colere ac venerari deberent, ut vulgaris turba despicimur, & quasi massa & conspersio simul cum reliqui populi multitudine effecti ridemur, cum nil præter ceteros, ut decebat, præcipuum habeamus, nec ex conversatione, nec ex habitu discerni velimus. Et quos circa virtutem labores renuimus, gloriam in iis insane appetimus, illius quondam veritatis umbram tantummodo præ nobis ferentes: Fitque hodie ut ubi aliquis gravem hunc habitum assumpserit, nondum maculis animi lotis, nec veterum delictorum caracteribus ex sua mente deletis, sed ipsorum imaginationibus adhuc lascivientibus, cum nondum mores pristinos moribus professioni congruis inflexerit, ignoretque demum, quæ sit divinæ philosophiæ intentio, mox pharisaicum supercilium complexatus, magnifice de se sentiat, vel superbiat in solo habitu, non secus atque virtutes exerceret, obambuletque, utensilia ferens quorum artem minime didicit, ac eam scientiam profitens, quam nec summis labiis gustarit, scopulus pro portu, pro templo sepulcrum, pro ove lupus iis qui capiuntur, existens.

In urbibus morantes quam aberrent.

13. Tum id genus hominum cum e monasteriis fugientes, propterea quod vitæ rigorem non ferrent, in urbibus morantur ac nutriuntur, & ventris necessitate compulsi, formam habitumque tamquam escam ad multorum deceptionem circumferunt, eaque subeunt omnia quæ corporis necessitas coegerit. Nil enim naturæ necessitate violentius, quæ facilitatem in iis quæ facilia minime sunt callide excogitat atque invenit. Quod observant igitur vel colunt divitum januas, nulla in re parasitis inferiores, quin instar mancipiorum juxta eos per forum cursitant, hærentes arcent, occurrentes rejiciunt, & ut facile transeat expeditum eis iter parant, & hæc mensæ gratia faciunt, cum lautorum edu-

(a) adde. Servando habitum v[illegible]andum

liorum voluptati moderari non didicerint, nec paxillum, quem Moses præcepit in baltheo gerere voluerint. Nam qui eo usi fuere, intellexerunt quod totius voluptatis ciborum terminus fames est, quodque ea quæ forte se offerunt, dum corporis necessitatem explent, importunæ concupiscentiæ fœditatem operiunt. quapropter nomen Dei male audit, vita cunctis olim desiderabilis abhominabilis facta est, judicium eorum qui secundum virtutem vivunt, fraus & deceptio existimatur. Nam dum istiusmodi temere ubique discurrunt, gravantur urbes: Cumque ii qui in domibus sunt, eos mendicantes januis impudentius insistere videant, turbantur & offenduntur. Nonnulli etiam intra tecta recepti, & religionem paulisper simulantes, scelusque suum simulationis persona contegentes, demum aliquid deprædati aufugerunt, fitque ut fama eorum mala per omnes dispergatur. Sic igitur ut corruptores urbibus pelluntur, qui quondam moderatores & castigatores urbium erant, & ut execrabiles ac leprosi vitantur, qui olim ab omnibus avide perquirebantur, ut modo latronibus & sepulcrorum spoliatoribus credere quis potius eligat, quam iis qui vitam monasticam profitentur.

Deut. 23. 13.

Hi numquam scivetunt quid sit Dei cultus.

14. At dicat quis hos numquam scisse quid sit Dei cultus, nec quantum sit quietis lucrum, sed aliqua forte necessitate compulsos, ad vitam solitariam temere transisse: opes ad necessariorum suppeditationem opportunas putantes, sed profecto religiosius viverent, si ad omnium januas non accederent, nec ad turpis lucri captionem habitu religionis uterentur, sed rerum haud necessariarum tributum corpori solvere volunt, quod voluptatum deliciæ propter immoderatas concupiscentias innovarunt, ac propterea morbo immedicabili laborantes, difficile est ut sanentur. Nam quomodo quis sanitatis utilitatem iis ostendet, qui numquam sani fuere, sed ab ipsis cunabulis cum tabido ac corruptibili morbo creverunt, qui male assueti a naturæ habitu naturæ infortunium nil differre putant. At omnis sermo ad correctionem supervacaneus est, quoniam studia eorum qui audiunt in pejus declinant, ad ea quæ salubriter dicuntur, contrarie disponuntur. Idque præsertim accidit, ubi spes lucri concupiscentiam vertit, tunc affectus omnino sepit auditum, ut ingressum nullum monita corrigentis inveniant.

15. Sed nos carissimi qui sæculo, virtutis desiderio renuntiavimus, mundique concupiscentias abnegavimus, ac dominum Christum sequi promisimus, quod rursum sæculi occupationibus implicamur, & quæ bene destruximus, denuo male construimus, cur malo consilio eorum qui opes desiderant utimur, ac inani divitiarum studio, infirmiorum appetitu incendimur, ac debilioribus avaritiæ via efficimur? curare non provocare lubricos a Domino jubemur, & iis quæ nobis placent, proximi utilitatem anteponere, ne dum nostros ipsorum impetus sequimur, simplicioribus materia ambitionis effecti, plures ex eis offendere faciamus. Quid adhuc opes acquirimus, quas contemnere edocti fuimus? quid pecunias ac possessiones amplectimur & in multas inutilesque curas mentem partimur, quarum studium nos quidem ab intentione magis necessaria disjungit, parandi vero animi bona negligentes reddit, eosque qui ad vitæ claritudinem inhiant, in magnum baratrum ducit, dum divitiarum fruitionem summam felicitatem putant, eosque qui Christianæ sapientiæ studium profitentur, ac super voluptates se esse glorRiantur, magis quam ipsis rebus intentos hujus mundi ac deditos vident?

16. Nil adeo ad cruciatus inevitabiles ducit, ut multos malorum suorum facere æmulatores. Fit enim eorum qui imitantur perditio ei qui docuit additamentum supplicii, & damnatio non pauca consequitur eum qui hujusmodi exempla præbere non caverit. Oportet igitur (nullus, quod dicere oderit) aut corrigere ea, quæ cum nominis dedecore vitiose fiunt, aut nomen ipsum deponere.

Pravum exemplum damnationis causa.

17. Si enim philosophari propositum est, philosophus propter animi puritatem non modo superfluas possessiones abjicit, verum & ipsum corpus deserit atque contemnit. quod si divitias ac possessiones acquirere, vitæque suavitatibus frui quidam curant, cur verbis philosophiam honestant, factis autem ab ea deficientes, operationes a professione alienas exercent? An non turpe putamus, dum ab iis qui inferiores putantur, quos mundanos vocamus, quod crucis leges violaverimus, turpiter exprobramur, ac Domini mandata irrita fecisse ab iis qui discere debebant edocemur? Quando enim nobis litigantibus dicunt, *Servum Dei non opus est litigare, sed mitem esse erga omnes*; & rursum nobis de pecunia & prædiis contendentibus, *Si quis tunicam tuam tulerit, dimitte ei & pallium*, quid aliud faciunt, nisi cavillantes nos mordent, atque subsannant, cum facta professioni contraria videant? Nam semper litiget necesse est, qui possessiones adipiscitur, eaque omnia faciat quæ ipsarum exigit cura. Transtulit quis vineæ terminum & suæ adjunxit, alius agro pecora immisit, ille fluentem aquam horto abstulit: qui hæc omnia ulcisci voluerit, rabiescat necesse est, & furioso similis efficiatur, & semper foro affigatur; & qui in æternorum contemplatione se exercere deberet, vim spe-

Philosophus superfluas possessiones abjicit.

2. Tim. 2. 24.

Matth. 5. 40.

culativam in negotiorum calliditatem convertat necesse est, ut eorum, quæ nil nobis utilitatis ferunt, abundantiam consequatur. Cur igitur aliena ut propria vindicamus, graves nobis ipsis divitiarum pedicas fabricantes, nec eum qui hujusmodi deplorat audimus? *Væ*, inquit propheta, *qui sibi congregat quæ sua non sunt, & gravat compedem suam fortiter.* Nam si leves sunt qui persequuntur, juxta eum qui dicit: *Leves facti sunt qui nos persequuntur super aquilas cœli*; nil dubium, quod dum mundanis rebus nos ipsos onerantes segnius currimus, comprehendemur ab hostibus, a quibus Paulus fugere nos monebat: *Fugite*, inquiens, *fornicationem*, *fugite avaritiam*; quoniam quidem qui etiam expediti ad bravium currunt, nisi continuo impetu velocius ferantur, facile capiuntur: cum persequentes inimici pedes ut pennas veloces habeant.

1. Cor. 6. 15.

Rerum mundanarum affectio virtutis impedimentum.

18. Est itaque iis qui ad virtutem festinant magnum impedimentum rerum mundanarum affectio, quæ & corporis & animæ interitum sæpissime parit. Quid enim Nabuthe Israëlitem perdidit? nonne vinea illa invidiosa ei mortis causa fuit, quæ Achab vicinum ad ejus necem movit? Quid autem duas dimidias tribus extra promissionem manere fecit? nonne pecorum multitudo? Quid vero Loth ab Habraam sejunxit? nonne gregum multitudo, continuas rixas inter pastores suscitans, donec eos ab invicem demum divisit? Si igitur possessiones invidos irritant, eos qui possident etiam conjunctos dividunt, cognationem dirimunt, amicos ad inimicitiam pertrahunt, & ad futuram vitam nil habent commune; quin nec ad ea quæ in corporum necessitatem magnopere conferunt. Cur ob hæc a Dei cultu recedentes toti efficimur vanitas? Non enim sumus nos qui nobis vitæ necessaria providemus. Deus est qui ea dispensat. Et hominis quidem studium, si Dei auxilio non juvetur, numquam finem assequitur. Dei autem dispensatio etiam absque hominis opera bona perfecta tribuit.

3. Reg. 21. 2.

Gen. 13. 8.

Virtutem sectanti nihil deest necessarium.

19. Quid proprium studium profuit illis, ad quos Deus dixit: *Seminastis multa*, *& intulistis pauca*. Et *Efflavi ea de domibus vestris*? Quid iis qui secundum virtutem vixere defuit necessarium, licet de iis nullatenus solliciti fuerint? Nonne Israëlitæ absque ullis fructibus ex iis quos terra fert annis quadraginta in deserto nutriti sunt? Nec tunc aliquo eguerunt: sed mare quidem coturnicem effundens, cibum mirabilem ministrabat: cœlum autem manna pluvia insueta ac peregrina pluebat; petra humiditatis expers potum abundantissime tribuebat; vestimenta & calciamenta numquam veterascentia omni tempore serviebant. Qua agricolarum opera Helias pa-

Agg. 1. 6.

A stus est in torrente? nonne ei escam corvi apportarunt? Nonne cum in Sarephtam conscendisset, vidua, etiam necessariorum indiga, panem ei ex ore, ut ita dixerim, propriorum filiorum abreptum tribuit, ut cunctis pateat quod virtus naturæ præfertur? Et hæc profecto admiranda est. Verum cum Deus vult, fieri potest, ut quis & non edat & vivat. Quonam modo Helias in comestionis unius robore quadraginta dierum iter absolvit? Quomodo Moyses super montem cum Deo philosophans, humano cibo minime gustato, dies octoginta perseveravit? Nam cum post quadraginta dies

B descendisset, & propter vituli formationem iratus, mox tabulas contrivisset, montem rursum conscendit, ibique totidem dies moratus, supradictis tabulis receptis, descendit. At quæ humana cogitatio miraculi hujus laudem commendare valeat? Quoniam fluxa corporis natura nullis refecta cibis, nulla re supplente quod quotidie roboris exhauriebatur, tamdiu vacua substiterit? Sed dubitationem hanc solvit sermo divinus, cum dicit: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod per os Dei*

C *procedit.*

Deut. 8.

Matt. 4. 4.

Rebus terrenis non fidendum.

20. Cur igitur conversationem cœlestem ad terram deflectimus? Quare stercoribus induuntur, qui quondam nutriebantur in cocco, sicut de quibusdam Hieremias lamentans aiebat? Nam cum in claris ignitisque cogitationibus quiescimus, in cocco nutrimur; sed cum ejusmodi statu amisso terrenis immiscemur, stercoribus circumvolvimur. Cur a Deo spem amoventes, carnem brachio firmamus, & Dei providentiam nostris ipsorum manibus ascribi-

D mus? & quod ad maximum sibi crimen imputari Job imprecatus est, si imponens ori manum deoscularetur, hoc nos facientes non timemus; nam multis manum osculari mos fuit, quasi ex illis opulentiam habere dicentes: quos lex figurate interminans ait: *Quod graditur super manus immundum erit*, *& quod graditur super quatuor pedes immundum.* Super manus graditur, qui manibus innititur, omnemque in ipsis habet confidentiam; super quatuor pedes ambulat, qui rebus sensibilibus intentus, in iis partem

E superiorem semper occupat; super multos ambulat, qui corporalia tenacius complectitur. Quapropter sapiens parœmiastes virum perfectum non duos pedes habere vult sed unum, atque hunc raro ad corporalia moveri. *Raro*, inquit, *introduc pedem ad amicum tuum*, *ne quando satiatus oderit te.* Si igitur qui rarius Christum per corporis necessitatem importune interpellat, dilectus, si id frequentius fecerit, odiosus efficitur: quid credendum de eo, quam abominabilis futurus sit qui corporeis necessitatibus semper occupatur, nec ad rectam vitam assur-

Levit. 11. 20.

Proverb. 25.

git, propterea quod crura super pedes non habeat, & in eis a terra resiliat? Nam sicut crura totam quidem super se corporis molem suscipiunt, & ubi paululum ad terram deflexerint, mox resilire in sublime nituntur: ita ratio quæ res naturæ discernit, ubi ad corporis necessitatem humiliata fuerit, rursus ad superna levi sensu substollere, ac nil sibi terrenarum macularum reservare debet. Cœlestibus enim virtutibus recta crura habere convenit, propterea quod corporalibus omnino non egeant. Hoc ut puto significans Ezechiel, aiebat: *Erant crura correcta & pennati pedes eorum*; quæ res mentis inflexibilitatem & naturæ illius velocem mobilitatem significat; sed hominibus crura flexibilia habere sat est, ut iis interdum quidem ad corporeas necessitates, interdum vero ad sublimia animæ studia flectant, & propter animæ cognationem quam cum supernis virtutibus habent, cum ipsis assidue sublimitatibus conversentur; propter detentionem vero corporis tantum terrenis rebus mentem occupent, quantum necessitas sola compellit. At immundum profecto & homini qui rationalem sortitus est animam incongruum est, voluptariis apparatibus semper occupari. Observandum vero quod super quatuor gradientem non simpliciter dixit immundum, sed si super quatuor semper graderetur: iis enim qui in corpore sunt, opportunitatem condescendendi ad corporis necessaria dedit. Nam & Jonatas, cum Allophilis prælium iniens, quatuor gradiens vicit, qui corporis necessitati tantum servivit.

Ezech. 1.

1. Reg. 14. 13.

2. Reg. 4. 5.

21. Quid & historia Jesboste nos admonet, nisi ne sollicite corporeis hæreamus, nec sensibus nostram ipsorum custodiam committamus? Hic enim cum esset rex, & in suo cubiculo quiesceret, mulieri januam servandam jusserat; cum venissent autem qui erant cum Rachab & hanc & ostiariam quæ triticum purgabat dormitantem reperissent, latenter ingressi sunt, ac Jesboste dormientem invenientes, occiderunt. Cum enim corporeis detinemur omnia dormiunt, mens, anima, cogitatio & sensus, ceteraque. ostiaria quæ triticum purgabat, ostendit mentem corporeis intentius occupatam, nec frigide, sed studiosius horum lautitiam parantem. Quod autem id nos scriptura doceat, hinc patet. Quomodo rex mulierem ostiariam habebat, qui satellitum ac militum multitudine muniri, & magnatorum catervam circum se habere deberet? Aut quomodo ita egens erat, ut per seipsum triticum purgaret; sed historiæ aliquod absonum sæpius miscetur, ut veritas eorum quæ significantur intelligatur. Nam cujusque mens tamquam rex interius quodammodo versatur, janitorem sensuum cogitationem habens, quæ cum sese corporeis dediderit (corporeum enim est purgare triticum) latentes insidiatores facile mentem perimunt. Quamobrem magnus ille Habraam januæ custodiam feminæ non committit: nam sensum deceptu facilem novit: quod visu delectatus & rerum jucundarum voluptate sopitus, mentem comprehendit & vulnerat: sed idem ipse assidet, divinis quidem cogitationibus advolantibus ingressum præbens, mundanis autem curis januam claudens. Sed quid nobis ex inani circa hæc corporea labore præter alimenta & vestes ad vitam provenit? Nonne juxta Ecclesiasten, *omnis labor hominis in ore ejus.* Alimenta & tegumenta satis sunt ad conservationem hujus miseræ carnis.

Ecclef. 5.

22. Cur igitur infinita laboriose paramus? cur terrenorum studio animæ obstacula ponimus, & carnem foventes, hostem & eum notum vicinum nutrimus, ut non incertus modo sit pugnæ exitus, verum ex multa facultate robustius feriens, eam adeo languidam reddat, ut ne honores quidem coronasque appetere sinat? Quidnam est corporis necessitas, quum hujus occasione in callidas excogitationes mentem extendimus? nonne panis & aqua? An non fontes abundanter laticem præbent? Panis autem copia ex operibus manuum satis superque suppetit, ut fere nil omnino distrahamur. At indumentum multam sollicitudinem affert: neque id quidem, si non ad mollitiem ex consuetudine, sed ad necessitatem tantum respiciamus. Quales aranearum more contextas vestes, qualem byssum aut purpuram vel sericum primus homo gestavit? Nonne vestimentum ei ex pellibus summus ille opifex aptavit? & herbis vesci jussit, huc usque corporeæ necessitatis terminos ponens, ac longius propellens quæ nunc inolevere delicias.

Carnem foventes hostem nutrimus.

Quæ vitæ necessaria.

23. At nondum dixi quod omnimodis bene viventes nutriet, qui cœli volatilia nutrit; & induet qui lilia agri tanta gloria vestit, quamquam necdum fieri potest, ut hoc credant ii qui tantum ab hac fide recesserunt, Quis non etiam precibus flagitans, opportuna exhibebit ei qui secundum virtutem vixerit. Si enim homines quidam barbari, & qui jure belli Hierosolymam ceperant, Hieremiæ virtutem adeo venerati sunt, ut omnes ei Babylonii corporeum obsequium abundanter exhibuerint, nec ea solum quæ ad cibum pertinebant, sed & vasa quibus edentibus ministrari mos est, dederint, quo pacto vitam virtutibus conspicuam ii qui ejusdem generis sunt non venerabuntur, barbarorum exemplo non instituentur, ac bonorum consideratione virtutis emulatores erunt. Quod si ex nonnullis causis virtutis imitatores

Virtutem sectanti Deus opportuna exhibebit.

Hierem. 40.

tores

tores esse nequibunt, saltem virtutem honorabunt, & ea ornatos admirabuntur. Quid Sunamitem illam induxit, ut Helisæo, habitaculum strueret, ibique mensam, sellam, ac lucernam poneret? Nonne viri virtus? Quid viduam illam impulit, cum tota terra fame detineretur, ut suis necessitatibus prophetæ curationem præferret? quid, inquam, nisi quod Heliæ virtutem obstupuit? Nonne parvulam vitæ consolationem sibi ipsi filiisque sublatam illi exhibuit? At eos tales tantosque affecerat animi generositas, laborum durities, ac secularium negotiorum contemtus. Nam cum frugalitati & victus tenuitati incumberent, ideoque nihil egerent, aut paucis, in id profecerant, ut cœlestibus virtutibus perquam similes existerent. Quapropter licet obscuro nomine atque ignobiles essent, clarissimis ducibus ac principibus potentiores fuere, eaque audacia regio diademate redimitos alloquebantur, qua nec ipsi suis cum mancipiis loquerentur. Quibus enim armis quibusve viribus confisus Helias ad Achaab dicebat: *Non perturbo ego Israël, sed tu & domus principis tui?* Quonam pacto Moïses Pharaoni restitit, nihil ad certamen utens præter virtutis fiduciam? quo autem modo Heliseus coacto ad bellum exercitu, duobusque regibus Israël & Juda in prælium congregatis, dixit ad Achaab: *Vivit Dominus virtutum, cui asto in conspectu ejus hodie, quod nisi faciem Josaphat ego erubescerem, si conversus fuissem & aspexissem te.* Non igitur exercitum motum timuit, non regis furorem metuit, quem in ipso belli apparatu impetu irrationabili ferri par erat, cum propter pugnam & cogitatio ejus & mens confusæ essent. Quid, inquam, tale potest esse regnum ut virtus? Quæ regum purpura flumen dirupit ac divisit, ut Heliæ melote? quod diadema ægritudines tulit, ut apostolorum sudaria? Arguebat olim propheta regem inique agentem, solus illum qui cum omni exercitu erat, & ubi iram concitavit reprehensio, rex manum extendit; sed manum quam extenderat arefactam ad se retrahere non potuit. Erat certamen virtutis & regiæ potentiæ, sed victoria virtutis fuit. Verum hæc faciebant, quoniam corpore corporeisque necessitatibus neglectis, animâ solâ vivere eligebant, & nulla re opus habere eos sublimiores omnibus præstabat. Nam eligebant potius, ut corpus ea quæ in carne est vita privaretur, quam ut dignitatem virtutis amitterent, & propter corporis necessitatem diviti alicui assentarentur.

4. Reg. 4. 10. — 3. Reg. 17. 15. — 3. Reg. 18. 18. — 4. Reg. 3. 14.

24. At nos cum aliqua in necessitate consistimus, omissa generositate resistendi pressuris, sicut catelli cum hilari motu cauda blandiuntur iis qui ossa forte nuda vel micas jecerint, divitibus accurrimus, benefactores eos & Christianorum patronos appellantes; & licet vitiis perditi sint, eos omni virtute præditos attestamur, ut assequamur quod quærimus; sic sanctorum regulam ac mores negligimus, quorum imitari virtutem jam proposuimus. Venit ad Heliseum Naaman exercitus regis Syriæ dux, plurima secum munera ferens. Quid igitur propheta? num occurrit? num obviam exiit? Nonne per unum adolescentulum, quid ipsi facto opus esset significavit? nec ipsum quidem ad conspectum suum admisit, ne ob ea quæ allata fuerant munera curam adhibuisse putaretur. Hæc dicta sint, non ut ad discamus superbiam, sed ne corporea necessitatis gratia assentemur, ea complectentes, quæ contemnere promisimus.

4. Reg. 5. 5.

Frustra homo laborat sine Dei adjutorio.

25. Cur igitur philosophiæ intentione omissa, agriculturam & negotiationes exercemus? Quod magnum ad nostram ipsorum curam simul cum Deo serimus, ut detur etiam communis agriculturæ cura, humanum studium terram perscindit ac semina jacit, at Deus alternis pluviis sata rigat, per teneræ terræ viscera radices ea extendere facit, emittit solem, terram calefacit, ipso calore sursum plantas evocat, auras pullulantium germinum saturæ congruas efflat, & ne calidis ventis semina arefacta urantur, in principio quidem campos virescentes flatibus mollibus afflat. Dein autem fervido ventorum impetu lacteum granum in thecis maturat, datque æstum metenti & trituranti opportunum ac ventos ventillanti accommodos tribuit. Quod si unum ex iis quæ superius dicta sunt defuerit, labor hominis inanis ostenditur, nostrumque omne studium Dei muneribus non adjutum efficitur ociosum. Sæpe autem nil horum defuit, & imber inundans importunus veniens, aut spicam dum adhuc teritur perdidit, aut frumentum purgatum jam coacervatumque diripuit. Nonnumquam vero & in ipso horreo vermis tineaque corrupit, & ex ipso, ut ita dixerim, ore paratam mensam abripuit. Ubi igitur studium nostrum, & ad quid utilis diligentia nostra? Nonne Deus rerum gubernacula tenet, & ut placuerit cuncta moderatur & agit?

Solitariis ægrotis Deus providet.

26. Sed dicet quis, solatio egere corpus in morbis. At multo melius mori, quam aliquid facere quod professionem dedeceat. Quod si Deus nos ultra vivere velit, aut infirmitati robur addet æquale, quo morbi laborem feramus, aut solatia ægrotantibus abunde donabit, nec fontem sapientiæ salutis remedia ad salutem deficient. Bonum itaque, carissimi, bonum, inquam, in pristinam illam felicitatem conscendere, ac ad veterum conversationem pertingere: Hoc enim, ut puto, cunctis

erit facile. Quod si aliquis labor adsit, non erit infructuosus, cum consolationem idoneam habeat, eorumque qui præcesserunt gloriam, & eorum qui sequentur, correctionem: Neque enim parum lucri erit iis qui hujusmodi vivendi modum occeperint, & successoribus optimæ conversationis formam reliquerint.

Secunda solitudo.

27. Non igitur per urbes & castella vagemur, ut qui in urbibus & castellis morantur, ad nos occurrant. Sectemur solitudines, ut eos qui nos modo vitant, ad nos trahamus; si tamen nobis id gratum sit. Nam in laudem quorumdam scriptum est. *Deseruerunt urbes, habitarunt in petris & ut columbæ meditantes facti sunt.* Sed & Baptista Johannes in desertis morabatur, & urbes universæ una cum populo currebant ad ipsum, & qui sericis vestibus induebantur ad zonæ pelliceæ contemplationem festinabant; & ornata aureis laquearibus tecta relinquentes, heremi squallorem eligebant, mollibusque lectis auro gemmisque micantibus, sabuli occubitum præferebant. Hæc tamen omnia licet insueta essent, ac præter morem ferrent, facilia toleratu erant, cum desiderium virtutis viri illius tristium sensum auferret, ac duræ vitæ laborem miraculum contemplationis amputaret. Tanto est virtus divitiis pretiosior & vita tranquilla multis opibus clarior & illustrior! Quot illo in tempore erant locupletes ac divites, rerum affluentia & gloria superbi, qui tamen silentio & oblivioni dati sunt, & inglorii hujus miraculum nunc usque predicatur, hominisque solitarii memoria ab omnibus celebratur. Nam virtutis proprium est bonorum suorum nuntium fama emittere. Igitur ut pastoralem illum habitum reparemus, pecorum educationem vitemus; ut pretiosam illam margaritam lucremur, negotiationes turpes abjiciamus; ut paradisi custodes ac operarii efficiamur, terræ culturam, spinas, tribulosque germinantis fugiamus. Projiciamus omnia & quietam ac tranquillam vitam eligamus, ne eos vereamur, qui nobis quam multa possideamus probrose objiciunt; nam nihil aliud insultantes placat ut correctio cum lenitate in iis quæ turpiter exprobrant. Nam illorum qui improperantur mutatio, fit eorum qui improperant conversio.

Isai. 49.

Contra ambientes magisterium.

28. Turpe autem & hoc existimo, & quidem turpe, in quo merito ridemur ab omnibus: Nam ubi quis ad hunc vivendi ritum nuper accesserit, ac prima vix conversationis hujus rudimenta didicerit, mox eorum quæ non didicit magister præcedit, restim discipulorum secum trahens, ipse adhuc magisterio egens, atque eo magis quo rem facillimam censuit, ignorans quam omnium difficillimum sit animas curare, quibus primum quidem opus est, ut sordes pristinas purgent, inde ut maximopere intendant ac vigilent, quo formas imaginesque virtutum recipiant. At quonam pacto mores corriget subditorum, aut prava consuetudine detentos diriget, qui nil aliud quam corpoream exercitationem expertus est? Quonam modo, inquam, iis qui ab affectibus impugnantur opem feret, qui mentalem pugnam necdum compositam habet? Quomodo vero vulnera quæ in prælio acciderint curabit, quia adhuc vulneratus jacet & ligaturis eget? Omnis quidem ars ut addiscatur & tempore & disciplina multa eget; sola autem ars artium antequam discatur, exercetur. Nullus profecto colere agrum nisi expertus præsumit; nullus itidem medicinæ artem, nisi præceptis imbutus aggreditur. Nam arguentur hic quidem, quod nil ægrotantibus prosit, quin graviorem morbum efficiat: ille vero quod fertilem humum ac pinguem segnem ac sterilem reddat. At solum Dei cultum religionisque pietatem docere audent, qui non didicerunt, resque perdifficilis & ardua facilis æstimatur: Et quod Paulus ipse nondum apprehendisse se dicit, exacte scire id asseruntur qui ne hoc ipsum sciunt, qui nesciunt. Quamobrem vita illa quondam percelebris & clarissima contemptibilis facta est, & qui eam profitentur subsannantur ab omnibus. Quis enim non rideat si eum quem vitiis obrutum heri viderit, jamque virtutis magistrum, discipulis stipatum, per omne forum audenter incedere hodie cernat? Quod si manifeste persuasum habuissent, quam multus labor sit homines in Dei cultum ac religionem imbuere, & quam maximum periculum negotium hujusmodi consequatur, exacte scivissent, opus id, utpote vires eorum transcendens, omnino recusassent. quamdiu hoc nesciunt, & præesse gloriæ sibi ducunt, facile in hujusmodi baratrum demerguntur, & in caminum ardentem leviter insiliunt, iis quidem qui vitam illorum paulo ante noverant risum, Deo autem suo ipsorum temeritate indignationem moventes. Nam si Heli filiorum correctionem negligentem ab ira Dei nil eruit, non senectus veneranda, non vetus fiducia, non sacerdotalis honor, quonam pacto ab indignatione ejusmodi nunc eos excipiet, qui fiduciam apud Deum nec ex antiquis operibus habent, nec vel peccati morem vel correctionis disciplinam noverunt; sed periculosum negotium sine peritia, gloriæ solius amore aggrediuntur. Hoc Dominus phariseis minitans dicere videtur: *Væ vobis, scribæ & pharisæi, qui circuitis mare & aridam ut faciatis unum proselytum: & cum inveneritis, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.* Hac profecto in-

Philipp. 3.

Animarum regimen difficile.

Rectores subditos debent corrigere.

Matth. 23. 15.

crepatione posteros monet, pœnis eisdem subjiciendos, ut huic væ attendentes, ab importuna gloriæ concupiscentia sese cohibeant. Id eis etiam Job persuadeat, ut æque atque ille subditos curent, vel præsidentiam hujusmodi recusent, cum eadem atque ipse facere nesciant, necnon iis quibus præsident idem studium impendere nolint: Nam si ille, ut etiam mentis maculis filios purgaret, sacrificia diebus singulis offerebat, *ne quando*, inquiens, *filii mei mala in mente sua contra Dominum cogitent*: Quomodo ii qui peccata etiam manifesta discernere nesciunt, propterea quod recens adhuc pulvis ex certamine cum vitiis eorum cogitationes obnubilet, ut aliis præsideant præcipitanter insiliunt, & curam aliorum suscipiunt, qui necdum suas ipsorum passiones curarunt, nec ex sui victoria aliis vincendum duces esse possunt.

Job. 1.

Et eis prælucere doctrina & exemplo.

29. Prius enim cum vitiis pugnare oportet, ac multo cum studio quæ in pugna accidunt mandare memoriæ, ut ex eis quæ sibi acciderint, pugnandi modum ceteros docere, & belli astutias alios præmonere valens, victoriam eis faciliorem reddere queat. Nam sunt nonnulli, qui propter multam vitæ duritiem vitia vicerunt, victoriæ tamen modum ignorant, quippe qui in nocturna pugna congressi fuerint, nec hostium insidias animadverterint. Hoc etiam Jesus Nave symbolice demonstravit, quando exercitui noctu Jordanem trajicienti præcepit, ut ex medio fluminis alveo lapides subveherent, atque in eis extra fluvium constitutis, ordinem quo Jordanis fluenta transissent, scriberent atque notarent: significans nempe quod profundas intelligentias, quibus vita adhuc affectibus obnoxia purgatur, in apertum præferre & manifeste publicare oporteat, nec aliis invidere scientiam: ut non is dumtaxat qui transierit, modum transitus agnoscat; sed & ii qui similiter transire proponunt, facilem ex disciplina transitum habeant, sicque aliorum experientia doctrina aliis fiat. At illi quidem ista non vident, nec alios loquentes auscultant, sed in sua tantum commoda intuentes, fratribus tamquam servis emtitiis servilia ministeria injungunt, atque in eo summam gloriæ constituunt, si pluribus præsint, & non pauciora quam alii mancipia secum ducant, mancipiorum potius quam magistrorum formam præ se ferentes. Nam cum verbo jubere facile ducant, licet gravissima sint quæ jubent, opere autem docere nec sustinent, intentionem suam omnibus manifestam faciunt, quod non ut prosint, sed ut voluptatem suam expleant, principatum hunc obeunt. Sed discant, si volunt, a Gedeon & Abimelech, quod non verbis sed factis ad imitationem subditi trahantur. Ab hoc quidem arboris

Jos. 4. 5.

A ramos præcidente, & ubi humeris imposuit, dicente, *quod me vidistis facere cito facite*; ab illo vero commune opus imperante & sese operi accingente, ac dicente: *Quod me facere videritis, hoc facite*; sed & Apostolus dum dicit, *Necessitatibus meis & iis qui mecum sunt ministraverunt manus istæ*. Et ipse Dominus dum facit & docet, quem non persuadeat doctrinam quæ operibus monstratur magis fide dignam ea quæ verbis tantum docetur existimandam? At illi ad hujusmodi quidem similitudines oculos claudunt, quæ vero facienda sunt arroganter præcipiunt.

Jud. 9. 48.

Jud. 7. 17.

Act. 20. 34.

Verba facile persuadent quæ operibus monstrantur.

B At cum scire aliquid videantur eorum quæ dicta sunt adversus pastores qui a propheta imperitiæ accusantur, gladium super brachium ferunt: ideo etiam dexter eorum oculus excœcatur; nam dextra operatio quæ propter verecundiam negligitur, una secum etiam lucem contemplationis extinguit; id quod qui subditis inhumane præsunt patiuntur: nam cum ad cruciatus ac pœnas paratos sese & promtos exhibent, mox dextræ quidem contemplationis extinguuntur, actiones autem contemplationis expertes tabescunt, cum C nil facere vel scire possint, qui non femori, sed brachio aptaverint ensem: at femori applicant ensem, qui contra proprios affectus verbo utuntur divino; super brachium autem, qui ad aliena peccata punienda parati sunt. Sic & Naas Ammonites, qui serpens interpretatur, effossurum se dextros oculos filiis Israël minabatur, ut nulla consideratio existeret, quæ ad operationem dextram duceret. Scit enim serpens ille causam magni esse profectus, cum quis a contemplatione ad operationem egreditur. Fit enim ut quod acutissimis mentis oculis consideratum est, postea sine culpa ac irreprehensibiliter efficiatur.

Zachar. 11. 5.

1. Reg. 11. 2.

D 30. Quod autem levium hominum sit, & qui nullam domi utilitatem sentiant, aliorum curam facile suscipere etiam experientia patet. Nam qui quietis fructum gustarit, & contemplationi vacare dulcedine assueverit, numquam illigari mentem rerum corporearum curis ac molestiis eliget, nec qui sæpius in sublime tollitur, ac cœlestibus pascitur, deorsum ferri sese & ad terrena negotia patietur devolvi. Sed & id ex vulgata illa parabola manifestius liquet, quam Joatan proposuit Sichimitis dicens: E *Ierunt ligna silvæ, ut ungerent super se regem, & dixerunt viti, Veni & impera super nos. Dimittam fructum meum bonum, quem magnificant Deus & homines, & vadam ut imperem lignis.* Cumque ficus propter suam dulcedinem, & olea propter suam pinguedinem imperium recusassent, sentis lignum infructuosum ac spinis horridum ipsorum imperium acceptavit, cum nullam in se pinguedinem haberet, nec ipsa

Contemplativi ægre suscipiunt curam animarum.

Jud. 9. 8.

ligna quæ ipsum sibi imperare petierant. A Non enim paradisi, sed silvæ ligna principem poposcisse parabola dixit. Sicut igitur vitis, ficus, & olea silvæ lignis imperare recusarunt, suo ipsorum fructu magis quam imperii dignitate gaudentes, ita quod aliquem in se fructum virtutis inspiciunt, atque ex eo utilitatem sentiunt, licet multi ut eis præsint rogent, &, ut ita dixerim, ad principatum cogant, refugiunt omnino ac renuunt, suam ipsorum utilitatem honori qui exhibetur a multis præferentes. Quod lignis in parabola evenit, id profecto iis qui B præsidentiæ se arroganter ingesserint accidit. *Egrediatur*, inquit, *ignis de sente, & devoret ligna silvæ*; nam cum imperiti inutilesque præsunt, periculum necesse est sequatur eos qui hujusmodi se subdiderint. Perdit enim discipulos doctoris inscitia. At non minus est magistri periculum, si discipulos gubernare non noverit. Grave igitur negotium est, nec quietis aut delectationis gratia suscipiendum. Nam præesse animabus omnium laboriosissimum est. Qui enim inrationabilibus pecudibus nulla in re greges repugnantes habent, ideoque sæpe C prospere cedunt ea quæ ad regimen faciunt. At qui hominibus præsident, morum diversitate, ingeniorum varietate, interdum astutia vel malitia difficultatem patiuntur.

Ibid. 15.

Imperfecti subditi clementer sunt ferendi.

31. Qui igitur animarum regimen suscipiunt, quasi laboriosum subituri certamen, injungi oportet, ut & subditorum vitia benigne & clementer ferant, & quod eos ignoranter latet, patienter doceant. Quapropter pelvim quidem boves in templo sustinent, lucerna autem tota solida D & tornatilis est. Nam lucerna significat oportere eum qui alios illuminare debet, per omnes partes firmum ac solidum esse, & nil vacuum aut leve habere, sed & superflua quælibet, quæ videntibus profutura non sint quasi torno undique amputare. At bobus qui sub pelvi sunt, signatur, ut qui regimen acceperint, nil eorum quæ supervenerint recusent, sed onera sordesque delictorum portent, donec tamen absque periculo portare licet. Omnino autem qui subditorum operationes mundas facere nititur, & ipsum aliqua contaminari sorde E necesse est. Sed & pelvis dum ejus qui lavatur mundat manus, ejus etiam maculas recipit: nam qui de vitiis disserit, & alios ab hujusmodi maculis tergit, fieri nequit ut impollutus pertranseat. Ipsa enim memoria mentem loquentis sordidare consuevit: & quamvis formas turpium tenaciores non imprimat, mentis tamen superficiem fœdat, dum ipse verborum meatus immundis vocabulis ipsam turbidam reddit.

32. Oportet etiam eum qui præsidet ita ornatum esse scientia, ut inimici cogitationum nil nesciat, ut & quæ eos qui certamina illius nuper aggressi sunt latent denudans aperiat, ejusque insidias prædicens ac detegens, victoriam sine labore paret & ordinet, ac ex certamine coronatos reducat. Sed rarus ejusmodi est, nec facile invenitur. Talis erat Paulus, qui dicebat: *Non ignoramus cogitationes ejus.* Sed & admirabilis ille Job de ipso dubitans ait: *Quis revelabit faciem indumenti ejus, & in plicam thoracis ejus quis ingreditur? portas vultus ejus quis aperiet?* Quod ait ita vero est: Non est, inquit, quod apparet facies ejus. Multis namque velis malitiam velat, dum eo quod falso apparet inescat, eo autem quod fraudulenter occultat, interitum fabricat. Sed & proverbium periculum rei obscure enarrans ait: *qui ligna cædit periclitatur in eis si exciderit ferrum.* Nam qui res verbo dividit, & quæ conjuncta videntur dirimere vult, ac inter se diversa ostendit, quæ vera sunt bona ab iis quæ apparent distinguens, nisi undique cautis verbis usus fuerit, periculum audientibus ingerit si verbum incaute cadat, & offensæ occasionem audientibus præbeat: si quidam eorum qui sub Helisæo instituebantur, cum ligna ad Jordanem cæderet, & ferrum decidisset in flumen, periculum cernens, ad magistrum clamat dicens: *Hei mihi, domine mi, & hoc mutuo acceperam.* Id profecto patiuntur, qui ea quæ audierint docere aggrediuntur; sed usque ad finem venire non valent, propterea quod non ex proprio habitu, nec ex eo quod ipsi experti sunt, loquantur: cum contraria sæpe dicunt, & in verbo periclitantur. At magnus Helisæus ligno in fluvii fundum immisso, ferrum enatare fecit; quod visum a discipulo dubitabatur, declarans occultamque ejus cogitationem in apertum proferens & manifestans.

Rector debet esse doctus.

Job. 41. 4.

Eccle. 10. 9.

4. Reg. 6. 5.

33. Hæc autem non iccirco dixerim, ut ne aliquis præsideat dissuaderem, prohiberemque ne aliqui duces itineris fiant noviciis ad Dei cultum religionemque properantibus; sed admonerem ut sumant prius habitum virtutis magnitudini rei idoneum, atque sufficienter, nec dum præsidentiæ honorem ac discipulorum dulce famulatum attendunt, temere se ingerant, hominum favorem captantes, & periculum negligentes. Nec enim antequam omnia pacata fuerint, bellica instrumenta in utensilia terræ cultui apta convertenda sunt. Sed ubi affectus omnes subacti fuerint, nec hostes ulli supersunt qui domandi sint, nec telis ultra opus est, tunc alii excolendi sunt. Donec vero dominantur affectus, bellumque contra carnis concupiscentiam durat, arma abjicienda non sunt, sed semper habenda in manibus, ne insidiatores remissos

sos nos ac securos invenientes, dum nobiscum congrediuntur, captivos sine cruore nos ducant. Sicut enim iis, qui per virtutem solertem pugnarunt, & per humilitatem nondum se victoriam consecutos existimant, ait sermo divinus: *Concidite gladios vestros in vomeres, & lanceas vestras in falces*, quasi eos admoneat, ne profligatis hostibus frustra deinceps congrediantur, sed ad multorum utilitatem ex bellico usu vires animæ parent ad excolendos eos qui vitiis adhuc luxuriant atque silvescunt: ita iis qui ante hujusmodi statum vel arrogantia vel imperitia super vires opus aggressi fuerint, dicitur: *Concidite vomeres vestros in gladios, & falces vestras in lanceas.* Nam quæ agriculturæ utilitas, si bellum occupat terram, & fructum eorum quæ culta fuerint prohibet, & hostibus potius quam iis qui laboraverint abundantiam præbet? Quamobrem Israëlitis in deserto cum diversis gentibus adhuc pugnantibus, agriculturæ cura non committitur, ne a bellicis exercitiis abstraherentur: sed ubi hostes defuerunt, ut eam exerceant consulitur. *Cum ingressi fueritis*, inquit, *terram*, *plantate in ea omne lignum fructiferum*, quasi dicat, antequam ingressi fueritis, non plantabitis. Nam quæ ante perfectionem plantantur, numquam firma fiunt, præsertim cum ea quæ plantanda sunt, huc illucque instabiliter transferantur.

Mich. 4. 3.

Jerem. 29. 28.

Ordo in Dei cultu servandus.

34. Ordo enim & consequentia cum aliis rebus tum in Dei cultu religioneque servari debet, & ex gradu in gradum proficere oportet. Sunt enim qui ea quæ ad introductionem faciunt despiciunt, & quasi violenter præcedere volunt. At Jacob Rachelis pulchritudine capto oculorum morbus displicuit, non tamen ut eam acquireret laborem fugit, cum & illius septenarium compleverit. Ei igitur qui stabili conversatione procedere cupit non a fine ad principium, sed a principio ad finem progrediendum est. Ita enim & ipse quod parat assequetur, & subditos ad finem virtutis irreprehensibiliter ducet. At multi cum nullum antea laborem subierint, nec magnum aut parvum experimentum habuerint, ad ea quæ non didicerunt docenda insani accurrunt, nec solum si ad hoc opus adhortentur sese excusant, verum etiam angiportus circuentes, quotquot obvios habent invitos trahunt, omne promittentes obsequium ac curam, ac si eos conducerent, pacta de indumento ciboque faciunt. At qui ita rem diligunt, & discipulorum caterva stipati in triviis apparere volunt, necesse est ut eorum voluptatibus multa condonent, ac ut licenter concupiscentiis ferantur permittant, non secus atque habenas auriga laxarit, & ut suo currant arbitrio equos siverit. Feruntur itaque præ-

A cipites, omneque offendiculum incidunt, ut nil eis obstet eorum, quæ impetus inordinatos impediant. Sed audiant ejusmodi Ezechielem quid eis comminetur, qui aliis voluptatum materias præbent, & simul cum cujusvis voluntate feruntur. *Væ*, inquit, *consuentibus pulvinaria sub omni cubitu manus*, *& facientibus operimentum super caput omnis ætatis*, *ut perdant animam propter frustum panis.* Sic utique & ii necessaria discipulis undique colligentes, quasi consutis centonibus cervical, super quod quiescunt, componunt, & eos qui nudo capite orare deberent, operimentis deturpant virilem B habitum, velis effeminantes, ac animas perdunt quæ morituræ non erant. At e converso curam summis viribus vitare debebant, magistri vocem timentes, quæ discipulis ait: *Vos ne vocemini Rabbi.* Quod si Petrum Johannemque ac apostolos reliquos longe ab hujusmodi opere esse monet, ac ut tali dignitate sese inferiores putent, præcipit, quis deinceps iis superiorem se censeat, ac dignitatem qua illi interdicti sunt, admittat? An cum inquit, *ne vocemini* C *Rabbi*, non esse, sed vocari etiam prohibuit?

Ezech. 13. 18.

Matth. 23. 8.

Pastores quam solliciti esse debeant.

33. Quod si quis aliquibus præter voluntatem & propositum præesse cogatur: primum quidem diligenter probet se, quæ agenda sunt opere magis quam verbo docere valeat, ac suam ipsius vitam cujusvis virtutis exemplar discipulis proponere possit. Sciat deinde non minus pro iis quibus præsidet, quam pro seipso sollicitum esse debere. Ut enim pro se, ita & pro illis rationem subibit. Hinc & sanctis viris semper studium fuit, discipulos sua ipsorum virtute non inferiores relinquere: sed ex prima D conditione in meliorem statum transire. Sic Paulus Onesimum ex fugitivo servo martyrem reddidit, sic Helias Heliseum ex bubulco prophetam fecit, sic Moses Jesum Navem omnium principem constituit, sic Heli Samuelem seipso superiorem reliquit. Quamvis enim & discipulorum industria cooperata fuerit, adjuveritque ad virtutem, tota tamen profectus causa fuit, quod assecuti fuere magistros, qui scintillam promtitudinis fovere, & magis magisque incendere ac lucidam facere valerent. E Unde & os Dei facti sunt, dum ejus voluntatem hominibus demonstrarunt. Nam audierunt dicentem: *Si eduxeris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Hunc magistri habitum etiam Ezechieli Deus demonstravit, dicens quos ex quibus discipulos facere deberet. *Fili*, ait, *hominis*, *sume tibi laterem*, *& pones eum ante faciem tuam*, *& describes in eo civitatem Jerusalem*, significans quod magister discipulum ex luto sacratum Dei templum efficere, & ante oculos semper habere debeat. Ita enim cito ad meliorem

Jerem. 15. 18.

Ezech. 4. 1.

statum proficit discipulus, si sub magistri conspectu semper fuerit. Nam assidua bonarum operationum exempla similes imagines animabus, ne penitus asperæ & duræ sint, imprimunt. Iccirco Giezi & Judas, qui sese magistri oculis subduxerunt, alter furto periit, alter perditione. Quod si apud suos moderatores & castigatores mansissent, neuter umquam deliquisset.

Periculum magistri ex discipuli negligentia.

Ezech. 4. 3.

36. Quod autem periculum consequatur magistrum ex discipulorum negligentia, idem propheta declaravit dicens: *Et pones sartaginem ferream inter te & civitatem, eritque murus inter te & ipsam.* Qui non vult pigrescentis participare supplicium, ubi in latere civitatem descripserit, pœnas quoque quæ ab ejusmodi statu recedentes sequantur, proponere debet, ut murus effecti, insontem servent, & a culpa defendant. Hoc eidem prophetæ præcipiens Deus aiebat: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël.* Et: *Si videris gladium venientem, eisque non significaveris, apprehenderitque aliquem ex eis, animam ejus de manu tua requiram.* Hujusmodi murum sibi ponebat & Moses dicens Israëli: *Attende tibi ipsi, ne quæras persequi eos ubi disperseris eos a te.* Id enim iis accidit, quod suæ ipsorum menti negligenter intendunt, & velut germina quædam repullulare incipiunt veteres imaginationes: quibus cum locum dederint, mox mentem invadunt, & post victoriam novum inire prælium compellunt. Fit enim interdum, ut domiti affectibus, & velut boves jugo mansuefacti, feri rursus efficiantur, &, ut ita dixerim, ferarum crudelitatem resumant. Ne igitur quæras eos persequi, ubi disperseris eos a te: ne dum persequeris, anima hujusmodi imaginationibus delectata, in vetera vitia recurrat. Hoc magnus ille Jacob non ignorans, in Sichimis deos alienos infodit. Sichima humerosa interpretatur, quod laborem quo vitia superantur, significat. At infodere deos alienos in Sichimis videtur quodammodo contrarium ei quod alibi dicitur, *maledictus qui ponit idolum in occulto.* Nam illud quidem laudabile, hoc autem damnabile est. Nam exsecratione dignum dixit, qui id fecerit. Sed non idem est humi prorsus infodere & ponere in occulto. Nam quod humi infossum est, nec posthac sensibus apparet, tractu temporis etiam a memoria recedit. Quod autem in occulto positum est, ceteros quidem latet, dum vero ab eo qui condidit videtur, continue memoriam sui renovat, imaginemque suam ac figuram clam repræsentat.

Ezech. 37. 7. & 6.

4. Par. 22. 8.

Turpes cogitationes vitandæ.

37. Omnis igitur cogitatio turpis in mente formata, sculptile est occultum. Laborandum enitendumque est, ut turpes affectus & cogitationes humi prorsus infodiantur. Quam periculosum est sculptile in

A occulto ponere, sed periculosius quærere ac persequi abolitas jam imagines voluptatum, cum mens in eas facile inclinet. Quapropter nullis imaginationibus quæ obesse possint, aditus dandus est, nec ut in Ægyptum descendant sinendum est. Inde enim ad Assyrios vi deducentur. Nam si mens in turpium cogitationum tenebras descenderit, (hoc enim Ægyptus interpretatur,) coacta deinceps & invita ab affectibus ad operationem trahetur. Quamobrem & per figuram caput serpentis servandum jubetur, quasi voluptatis ingressum: hoc enim

B contrito, debilis ac infirma efficitur operatio; sed quoniam serpens ille insidiatur calcaneo, finis etiam cogitationum observandus est. Nam forte nec Samson umquam combussisset alienigenarum messes, ni vulpium caudas colligasset capitibus conversis. Qui enim callidarum cogitationum insidias ex principiis conjicere nequit, & ex comparatione finis ipsarum absurditatem arguere nititur, caudam caudæ ligat, face inter eas posita, id est manifestatione: & ut pateat quod dicitur, exemplis utendum est.

C 38. Sæpe ex vana gloria cogitatio fornicationis incipit, & bona quidem vestibula viarum quæ ad infernum ducunt ostendit. Nam sacerdotis dignitatem suggerit vitam vel perfectam monachi, multosque utilitatis gratia venire fingit; sed ubi aliquem hujusmodi cogitationibus satis depastum a naturali sobrietate abduxerit, tunc honestæ mulieris conversatione proposita, in scelestam rei operationem deducit, conscientiæ fiduciam in extremam turpitudinem deserens. Qui igitur caudas colligare vult, ambarum cogitationum fines accipiat,

Ex vana gloria fornicationis cogitatio incipit.

D gloriæ quidem honorem, fornicationis autem ignominiam: cumque eas ab invicem manifeste viderit compugnantes, tunc se fecisse quod Samson existimet.

Fornicationis finis tristitia.

39. Rursus gulæ ratio fornicationis cogitationem finem habet, fornicationis autem finis tristitia est. Mox enim eum qui cogitationibus hujusmodi victus est, ubi resipuerit, tristitia dolorque consequetur. Reputet igitur qui hujusmodi cogitationibus impugnatur, non escarum voluptatem, nec fornicationis delectationem, sed fines

E utriusque, & cum utrumque dolorem sequi compererit, caudam caudæ colligasse, ac ipsarum manifestatione alienigenarum messes combussisse sciat.

40. Si ergo is qui adversus affectiones pugnat, tanta scientia ac experientia indiget, judicent qui aliis præsunt, quanta eis cognitione opus sit, ut & omnium deceptionum artes detegant, & sibi subditos ad bravium supernæ vocationis ducant, ne tantum manus in aëra jactantes, victoriam se consequi posse imaginentur; sed lethales

plagas inferentes ipsum adversarium profligent: luctæ enim certamine luctamen hoc difficilius est. Nam ibi quidem luctantium corpora dejiciuntur, quæ erigi facile possunt, hic vero animæ prosternuntur, quæ ubi deciderint, resurgere haud facile possunt. Quod si quis vita affectibus obnoxia pugnans, adhuc & sanguine conspersus ex rationabilibus lapidibus Dei templum construere aggreditur, omnino audiet: *Non tu ædificabis mihi templum, quia vir sanguinum es.* (1. Par. 22. 8.) pacati ac tranquilli status est, templum Deo ædificare. Sed & Moses dum tabernaculum suum tollit, & extra castra figit, quid aliud signat, quam magistrum porro a bellico tumultu esse oportere, eumque longe a commixto exercitu residere debere; sed cum magistri hoc modo recepti fuerint, discipulis opus habent, qui ita sibi se suasque voluntates abnegarint, ut ab inanimato corpore vel minus differant, quam a materia quæ manui artificis subjacet: ut sicut anima quod libuerit agit in corpore, corpore nil repugnante, & sicut artifex in materia artem suam exercet, nil impedimenti patiens ab ea, ita magister scientiam virtutis in discipulis operetur, obedientes eos atque morigeros habens, nilque repugnantes aut contradicentes.

Magistri jussa discutere proprio est obstare profectui.

41. Nam magistri dispensationes curiose discutere, & ejus jussa examinare est proprio obstare profectui. Nec enim quod imperito rationabile perhabileque videtur, id vere rationabile est. Nam aliter artifex, aliter artis ignarus quæ artis sunt judicant, ille quidem regula scientiæ usus est, hic vero apparentia. At apparentia raro veritatem habet, & frequentius non assequitur, cum potius deceptioni quam rectitudini hæreat. Quid enim secundum id quod apparet irrationabilius videtur, quam quod gubernator, dum navis transverse fertur, ut navim dirigat, a nautis vocatus, super parietem illum qui mergitur eos sedere jubeat, quod supernatat levans, e quo deprimitur gravans; cum tamen apparentia parietem qui elevetur magis gravandum suadeat. Attamen gubernatori cuncti parent, arti ejus quæ saluti eorum consulit servientes, licet id quod fit irrationabile videatur. Qui igitur suam ipsorum salutem aliis crediderunt, omisso quod apparet, sese ductoris arti committant, ejus scientiam propriis opinionibus fide magis dignam judicantes.

Sæculo renunciantes nihil sibi reservent.

42. Ac primum quidem cum sæculo renuntiant, nil sibi reservent, nullam omnino rem, exemplum Ananiæ timentes, qui homines fraudaturum ratus, divinam pro furto damnationem incurrit. Sed ut seipsos, ita & sua omnia tradant, scientes quod quæ reservata fuerint, mentem continue abstrahent, & sine profectu eos aberrare facient, demum etiam a fratrum consortio radicitus avellent. Nam Spiritus-sanctus idcirco acta sanctorum scripturæ tradidit, ut quam vitam vivere debeamus, exemplis perdiscere possimus.

43. Quonam igitur pacto Heliseus dum magistro conjungitur, mundo renuntiavit? (3. Reg. 19. 19.) *Arabat*, inquit, *in bobus, & duodecim juga boum* ante eum, & boves jugulavit, & eos coxit in vasis boum. Idque fervorem promtitudinis ostendit. Non enim dixit juga boum vendam, vel, ut par est, dispensabo: nec si id fecisset, majorem fore utilitatem cogitavit: sed totus desiderio incensus, quo ut magistrum sequeretur ardebat, cuncta contemsit & abjecit, & tamquam ab iis quæ a recto proposito retraherent, liberari studuit, sciens dilationem causam pœnitudinis sæpissime fuisse. Sed Dominus ipse dum diviti illi perfectionem vitæ quæ (Luc. 18.) secundum Deum est doceret, vendere facultates & dare pauperibus non præcepisset, nisi quicquid reservatur, causam distractionis esse cognovisset. Idcirco levitis qui Domino sanctificantur ac consecrantur, ut (Levit. 14. Num. 8.) totum corpus radant præcipitur; quod profecto rerum omnium abscisionem significat.

Cognationis suæ debent oblivisci.

44. Debent deinde qui mundo abrenuntiant, ita cognationis ac familiaritatis oblivisci, ut nulla umquam horum memoria turbentur. Nam si arca vaccas jugo plaustri quo ferebatur subpositas adeo naturæ oblivisci fecit, ut vitulis ab eis abstractis ac domi reclusis, etiam nullo urgente, recto itinere graderentur, non dextrorsum, non sinistrorum declinarent, nullum colli conversione erga filios affectum demonstrarent; nec mugitu cum ab eis disjungerentur dolorem aliquem præ se ferentes, sed & arcæ pondere attritæ & naturæ imperio nudatæ, ob arcæ impositæ reverentiam quasi sub regula graderentur, a recto itinere nullatenus deflectentes: cur non & iis qui intellectualem arcam laturi sunt, idem faciendum est; immo & multo plus, ne rationalis creatura ab irrationali separata increpetur, si ratione non facit ea quæ necessitate irrationalia faciunt? At forsan & Joseph propterea per desertum errat, qui finem perfectionis in cognationis nominibus quærebat; ideo & homo causam erroris interrogans, & propinquorum affectionem esse discens (non enim pascere greges, sed regere dixisset, nisi erroneum tulisset de arte judicium) dixit ad eum: *Recesserunt de loco isto, audivi autem eos dicentes: Eamus in Dothaim.* (Gen. 37. 17.) Dothaim interpretatur defectus sufficiens. Quibus profecto rebus docemur, eum qui adhuc in cognatis & amicis errat, non aliter perfectionem assecuturum, ni sufficienter illum

familiarium ac propinquorum affectio defecerit. licet enim quis Charan reliquerit, quæ sensus significat, foramina enim interpretatur & ex valle Chebron egressus fuerit, mundi vilibus operibus, ni transmigrarit in sufficientem defectum, nulla ei utilitas longi laboris erit, si adhuc cognationis affectu detentus aberret a perfectione. Atque & Dominus dum increpat MARIAM, quæ illum inter cognatos & notos requirebat, & qui patrem vel matrem super ipsum amat, ipso indignum judicat, quid aliud admonet, quam ut vinculum consanguinitatis omnino solvamus, omnemque carnis affectum perfecte relinquamus? *Luc. 2. 44.*

45. At ubi ista recte peracta fuerint, consulendum est eis, qui nuper a mundi tumultibus recesserunt, ut in solitudine degant, nec assidue in publicum prodeant, ne menti per sensus vulnera rursus infligantur, nec veterum delictorum simulacra novas formas imprimant, sed summis viribus nitantur, ut veteres imaginationes aboleant. Nam quies & solitudo iis qui nuper abrenuntiarunt, laboriosa esse consuevit: Tunc enim memoria, capta opportunitate, omnem immundarum cogitationum suscitat turbam, cum id prius facere propter rerum distrahentium multitudinem non vacaret; attamen ipse labor maximam utilitatem affert, cum ab impurarum imaginationum turbatione mentem tractu temporis liberet penitus & absolvat. *In solitudine degant.*

46. Si igitur quibus animam lavare, ac sordibus omnibus mundare propositum est, a rebus omnibus quæ maculas generant se penitus separare debent, & ut menti tranquillitatem acquirant, ab iis qui irritant ac provocant longius secedere, multitudinis congressum fugiendo, solitudo philosophiæ mater, ita viribus omnibus amplectenda. nam si hominum turbis licenter admisceantur, facile erit, ut eisdem irretiantur, a quibus se liberatos putabant. Nam ei qui ad virtutis studium transiit, eisdem gaudere rebus quæ antea damnans aufugerat, omnino inutile est. Fit enim sæpius, ut ex multo studio partam quietem turpes imaginationes rursum turbent, & obscenarum rerum species quas penitus abolere oportuerat, denuo mentem fœdent. Mens namque ejus qui nuper a vitio recessit similis est corpori, quod ex diuturna ægrotatione convalescere incepit, quod vel leve ac minimum superveniens, rursus in morbum dejicit, nondum ad firmum robore solidato: eodem utique modo & animæ vires franguntur, ut timor sit ne redeant pristina vitia, quæ provocari consuerunt, cum turbis hominum miscemur.

47. Quapropter intra domos manere eos qui nil pati ab exterminatore vellent Moses jussit dicens: *Ne exeatis unusquisque januam domus venire, ne exterminator percutiat vos.* Idem præcipere Hieremias videtur cum dicit: *Ne egrediamini in agrum, & in viis ne ambuletis; quia gladius inimicorum ambulat in circuitu.* Nam ad hostes accedere ac horum insidias absque læsione effugere fortium certatorum est. Quod si quis nondum pugnare queat, domi maneat, ut in quiete ab hostium insidiis tutus sit. talis erat Jesus Nave, de quo scriptum est: *Minister Jesus filius Nave cum puer esset non recedebat de tabernaculo*: An non & Dina cum nondum virili apta thoro ad indigenarum contemplationem egreditur, turpiter violata fuit? Non itaque tumultibus hominum, ante perfectum habitum nos ipsos immiscere opus, sed quam longissimum fugere, mentemque a circum sonantibus strepitibus penitus separare. Quæ enim utilitas, si ii qui sese rebus omnibus abdicarunt, rursus earum rumoribus undique pulsentur? Et qui civitatem operationum deseruere, sicut Loth juxta portam sedeant, cum plurima inde perturbatione vexentur, sed instar magni Mosis extra secedendum est, ut non opera solum, sed & voces cessent, sicut ait: *Cum egressus fuero civitatem, & expandero manus meas, voces cessent.* *Exod. 12. 22.* *Jerem. 6. 25.* *Exod. 33. 11.* *Gen. 19.* *Exod. 19. 15.* *Hebr. 1. 13.*

48. Tunc enim vera fit tranquillitas, quando non operationes dumtaxat, sed earum etiam recordationes cessant, & animæ ipsi opportunitatem afferunt, ut impressas formas cernere, & contra unamquamque certare easque amputare valeat. At cum aliæ aliis succedant, fieri nequit ut illa quæ præcesserat deleatur, cum pars rationalis iis qui superveniunt intendat, & labor qui ad succidendos affectus impendi necesse erat, durior fiat, cum vires paulatim acquisierit eundo, ac fluminis instar impetu rapido imaginationibus profluentibus, animæ partem qua discernimus obruat atque submergat. Sicut enim qui fluminis alveum siccare volunt, cum aliquid in eo forsan lateat, quod inquirere operæ pretium sit, nil perficiunt, si dum undique aquam exhauriunt, mox quod superfluit, quod evacuaverant repleat: sed ubi impetum desuper fluentis aquæ represserint, absque labore alueus siccatur, cum quod suberat aquæ sponte cedat, & terram ad eorum qui reperire desiderant inquisitionem expeditam relinquat: ita insertas menti imagines evacuare facile erit, si sensus deinceps ad exteriora non prodeant: At cum ii fluvii instar ad sensibilia defluunt, non difficile modo, sed impossibile est, ut ab hujusmodi illuvie mentem mundent. Ac licet frequentem congressum effectus ipsi non vexent, latenter tamen *Tunc fit tranquillitas cum rerum exteriorum recordatio cessat.*

men enutriti magis crescunt, ac tempore vires acquirunt, ac veluti terra quæ continue calcatur, quamvis sentes & spinas habeat, eas quidem non edit, dum calcantium pedibus prohibetur; eæ tamen radices densas validasque in ejus finibus altius figunt atque protendunt: Dein tempore concedente, lætæ ac uberes germinant ac pullulant: ita ipsi affectus dum continuis congressibus ac colloquiis in appertum prodire nequeunt, paulatim fortiores ac potentiores effecti, ubi quietem nacti fuerunt, verum etiam cum impetu irruunt, ac bellum lethale suscitant: idcirco propheta disperdere semen de Babylone jubet, consulens nempe, ut rerum imagines dum adhuc in sensuum apothecis sunt, eas demoliamur; ne dum in mentis terram cadunt, germinent ac pullulent, & mutuis meditationibus velut quibusdam imbribus irrigatæ, uberes fructus vitiorum ferant. Alius item propheta eos beatos dicit, qui nec ipsa affectuum principia receperint, sed quasi infantes adhuc ad matris ubera pendentes, occiderint. *Beatus*, inquiens, *qui tenebit & allidet parvulos suos ad petram.* (Ps. 36.9.) Forsan autem & magnus ille Job sua philosophia utens, tale quid subobscure loquitur; *Germinare*, inquiens, *papyrum in aqua crescere carectum in humore*, (Job. 8. 11.) omnem vero herbam quæ irrigatione caret, siccari. Et illud *Myrmecoleon periit eo quod non haberet prædam.* (Job. 4. 11.) Cum enim insidias affectuum monstrorum vellet ostendere, ex audacissimo leone & ex formica omnium animantium minima, compositam invenit appellationem. Affectuum quippe impetus a minimis imaginationibus ortum habent, formicæ instar latenter repentes: Ubi vero acquisierint vires, in magnam tolluntur molem, ut non minus periculi, quam leo occurrens obviantibus inferant. Quapropter prudentem certatorem oportet tunc adversus affectus luctari, quoniam adhuc tenues minimique velut formica irrepunt, ne si ad leonis robur perveniant, difficiles expugnatu robuste profligent: aut certe eis pabulum non præbere. Horum autem pabulum, ut jam sæpius dictum est, sensibilium imagines sunt, per ipsos sensus ingredientes. Hæ namque sibi invicem succedentes affectus enutriunt; Quamobrem & templi fenestræ, dum construuntur, (Exod. 27.) cancellis ac retibus muniuntur, quo nempe significatur, ut qui suam ipsorum animam, ut templum Dei servare volunt puram, sicut in materiali illo templo, ne aliquid immundum irrepet, fenestræ cancellis munitæ fuere, eodem modo & eos suis sensibus cogitationum obices obtexere opus, futuri opponentes judicii severitatem ac suppliciorum gravitatem, quæ imaginibus immundis advenientibus ingressum

A prohibeant. Et forte Hocosias propterea ægrotavit, quia per cancellos cecidit. Quid hac ægrotatione gravius? Corporis quidem ægrotatio est præter naturam se habere, ubi æqualitas elementorum ex unius abundantia in id quod est præter naturam conversa fuerit: animæ autem morbus est, a recta declinare ratione, ubi morbidis affectibus superata fuerit.

49. Qui igitur nescit quod sensibus cum sensibilibus facilis quædam communio fiat, nec quantum ex ea lædatur animadvertit, sed ipsis inconsiderate satiatur, quomodo deceptionis tempore cognoscet insidias, B cum illas discernere antea non didicerit? Quod autem sensibilia cum sensibus pugnent, eisque devictis tributa imponant, ex bello Assyriorum adversus Sodomitas apertissime patet. scriptura enim quatuor reges Assyriorum adversus quinque Sodomæ finitimos reges in prælium descendisse (Genes. 14. 1. & seq.) describit, & primum quidem narrat concordiam ac pacta super mare salsum, dein servitutem quinque regum duodecim annis, ac tertio decimo rebellionem, & quarto decimo bellum, quatuor insuper reges quinque aggredientes, eosque captivos du-C centes. Qua profecto historia quid aliud quam sensuum prælium contra sensibilia perdiscimus? Nam quilibet nostrûm a nativitate usque ad XII. annum, parte illa animi quam æstimativam vocamus, nondum purgata, sensus sensibilibus subjicit, ipsique sensus sensibilibus tamquam dominis parent, nec ullomodo propter ætatis imbecillitatem servitutem hujusmodi effugere licet. At ubi pars ipsa animæ qua discurrimus, ut ita dicam, maturescere cœperit, seque lædi ac premi senserit, mox D defectionem excogitat ac fugam ab hujusmodi servitute. Quod si bene discernens hoc ipsum judicium confirmarit, liber deinceps efficitur homo: sin vero rursum sensus captivos fieri siverit, insensibilium superatus absque spe libertatis tyrannicæ servitati subjicitur. Et idcirco quinque reges a quatuor superati ad puteos bituminis confugiunt, ut addiscamus eos qui a sensibilibus victi fuerint, in tenebrarum baratris demergi, nilque deinceps supra ea quæ videntur intelligere, propterea quod desiderium terrenis alligarint, ac rerum cor-E porearum magis quam intellectualium amore teneantur, sicut servus qui Dominum suum dilexerit, ac propter corporearum rerum affectionem veram libertatem recusaverit, aure subula perforata, servus (Deut. 15. 17.) perpetuus efficitur, ne naturali auditus foramine verbum libertatis recipiat, sed servus in æternum maneat qui præsentia dilexit. Idcirco & manum mulieris illius, (Deut. 25. 11.) quæ dum duo viri rixantur, alterius testiculos apprehenderit, amputari lex jussit,

quia compugnantibus cogitationibus de terrenarum cœlestiumque rerum discretione, relicta pugna, quæ carnis ac corruptionis sunt apprehendit.

Ad ea quæ reliquimus animo non revertendum

50. Nulla igitur utilitas rebus renuntiasse terrenis, si judicio non insistatur. Nam qui ad ea quæ reliquit animo continue revertitur atque ad ea afficitur, uxori Loth similis efficitur, quæ usque modo stat mutata in statuam salis, exemplum inobedientibus atque incredulis effecta: Quid vero & lex, cum precipit, ut is qui ingreditur in templum, ubi consummaverit votum, ne ad illam per quam ingressus est revertatur portam, sed per oppositam egrediatur, non converse, sed recto itinere proficiscens: quid, inquam, signat, nisi ne intentio quæ recte ad virtutem proficere cœpit, mala consuetudine converse retrocedat. Nam si ad ea, a quibus recessimus, pravo itinere recurramus, mala consuetudine detenti, absque dubio ad pristina mala relabemur.

Consuetudinis vis.

51. Vehemens quædam res ac potentissima consuetudo est, ac apud se tenacius detinet, nec ad primum virtutis habitum resurgere sinit. Habitus enim ex consuetudine est, ex habitu gignitur natura; naturam vero mutare perdifficile est, nam licet paululum inclinetur, mox tamen ad se ipsam recurrit. Quod si a suis limitibus aliquantulum dimoveatur, haud tamen perfecte mutatur, ni multus assiduusque labor rursus per eamdem viam redire coëgerit, ut ad relictum jam habitum ex consuetudine redeatur. Vide animam consuetudinem sequentem, quomodo super idolis sedeat, rebusve informibus affixa, atque ad verbum sese ad altiora sublevare volentis neget surgere, dicens: Non possum surgere coram te, quia juxta morem mulierum mihi est. (Gen. 31.) Anima enim quæ rebus sæcularibus ex multa consuetudine implicatur, super idolis sedet, iisve rebus quæ per se informes sunt; sed hominum arte formas recipiunt. An non informes quædam res sunt divitiæ, pecunia, honores & cetera id genus, quæ nil perfectum vel integrum habent, sed similitudine ad fallendum apta mentiuntur veritatem, cum quotidie diversis mutationibus subjaceant? At nos eis aptamus formam cum in iis quæ nil utilitatis habent falsa opinione utilitatem confingimus. Cum enim necessarium corporis usum in immensum sumtibus variis extendimus, cibum quidem saporibus infinitis parantes & condientes, vestimentum vero ad mollitiem ac delicias ambitiose variantes, quid aliud quam rebus informibus formam aptare contendimus? Et bene super idolis sedentem hujusmodi animam introducit. Nam cum de iis quæ dicta sunt, talia apud se judicia firmaverit, rebus præsentibus affigitur, simulacris deinceps, non veritati serviens, nec jam consurgere valet, cum consuetudinem ipsam tamquam menstrua immunditia naturam fœdarit. quid autem sedere nisi cessare a bonis, ac voluptatibus inhærere scriptura significatur, cessare quidem a bonis, cum dicitur *sedentes in tenebris & umbra mortis, vinctos in mendicitate & ferro*. (Psal. 106 10.) Tenebræ enim ac pedicæ operationis & actionis impedimenta sunt: voluptatibus vero inhærere, cum dicitur: *Reversi sunt corde in Ægyptum*, & ad invicem dicebant. *Recordati sumus quoniam sedebamus super ollas carnium, & edebamus carnes ad saturitatem.* (Exod. 16. 3.) Nam vere super ollis voluptuosi sedent, cum molles madidique rabidos appetitus semper incendant.

Voluptatis mater ventris ingluvies

52. At voluptatis mater ventris ingluvies est, hæc enim voluptatem parit; sed & forte multa alia vitia. nam ex ipsa tamquam ex radice reliquorum vitiorum prodeunt rami, qui paulatim cum matre crescentes, ad cœlum usque pertenduntur. Amor namque pecuniarum, & ira atque tristitia, ventris ingluviei fœtus & germina sunt. Nam guloso, ut concupiscentiam semper ardentem expleat, pecuniis opus est. Porro iis qui ne eas adipiscatur obstant, irascatur necesse est. Iram vero sequitur tristitia, cum qui animo concitato concepit exequi nequeat. Ea enim super pectus & super ventrem graditur. Nam qui non delitiis & voluptatibus affluit, super ventrem graditur: Qui enim iis caret, supra pectus repit ubi ira. voluptuosi enim cum voluptatibus privantur irascuntur, & excandescunt. Unde magnus Moses rationale pectori sacerdotis imponit; per signum declarans, iræ impetus regendos esse judicio rationis. Nam rationale, judicii rationale est, & sacerdos qui ratione ipsa dominatur affectum, imperfectus est. At perfectus Moses totum irascibilis affectum tollit, non enim fert rationale, sed pectusculum aufert, *assumens*, inquit, *pectusculum abstulit, ipsum elevans coram Domino*. (Levit. 8. 29.) At sunt qui non totam irascendi passionem queant excidere, sed cum labore superant: hi profecto pectusculum cum armo auferunt. Armus enim laboris & operationis indicium est. Quod autem super pectus gradi voluptatem significare diximus, verissimum est. Nam venter omnium fere voluptatum vas est. Ubi namque venter cibo plenus est, aliarum etiam voluptatum appetitus robusti fiunt: ubi vero vacuus est, debiles & imbecilles efficiuntur, & in hoc perfectus a perficiente differt. Nam Moses cum ciborum voluptatem perfecte abjecisset, ventrem ac pedes lavit; ventre quidem voluptatem, pedibus autem ascensus obscure significans.

At proficiens intestina lavat, non totum ventrem. Et valde observandum est, quod idem est pectusculum totum aufert, ventrem autem non aufert, sed lavat. Nam sapiens totam quidem iram amputare valet, sed ventrem excidere non potest, necessariis enim cibis uti natura etiam abstinentissimos cogit. Qui itaque voluptati deditus est, super ventrem graditur, cum in voluptuosas delectationes totus defluat: at qui secundum virtutem vivere incipit, adipem ventris aufert, cum cibos vitet quæ corpus impinguent. Perfectus totum ventrem lavat; quippe qui necessarium usum excedentia renuit, & valde commode super pectus ac ventrem, ut dictum est, graditur. voluptas enim non stantium & quiescentium est, sed eorum qui assiduo moventur, ac frequenti turbatione feruntur.

53. Jam vero omne fere voluptatum vas esse ventrem demonstremus. Ventris ingluviei familiarissimum esse venereorum motum quis nesciat? id quod natura ostendere volens, quæ sub ventre sunt membra genitalia instrumenta vocavit. Sive igitur illa debilitantur, ex ventris imbecillitate debilitantur; sive vigent & invalescunt, inde accipiunt vires. Sed ventris ingluvies non horum dumtaxat alumna ac nutrix est, sed omnium est bonorum destructio. Quippe quæ cum dominatur, ac principatum obtinet, continentiam, temperantiam, fortitudinem, constantiam, ceterasque virtutes demolitur ac destruit. Quod Hieremias magnus ille propheta, subobscure significavit dicens: *Destruxit in circuitu murum Hierusalem princeps coquorum*, ventris ingluviem principem coquorum appellans: nam sicut coquorum princeps, ut ventri obsequatur, studium omne ac diligentiam impendit, ac ut delicias paret, mille excogitat artes; ita ventris ingluvies ut voluptatibus inserviat, omnimodis conatur; sed escarum varietas munitiones virtutum prosternit ac destruit. Sunt namque diversa saporum condimenta virtutis jam in bonum firmatæ tormenta & machinæ, quæ ejus soliditatem ac firmitatem concutiunt atque promunt. Sicut enim sumtuosus victus virtutum omnium destructio est, ita frugalis ac parcus vitiorum fastigia munitionesque diruere consuevit.

Omnium bonorum destructio.

Jer. 52. 14.

54. Quamobrem viri sancti fugerunt urbes ac multitudinis conversationem, cum pravorum hominum familiaritatem magis contagiosam quam pestis morbum esse cognoscerent: ideo loca deserta petierunt, ac prædia rebus omnibus affluentia reliquerunt, ne occupatione & distractione ob ea premerentur. Et Helias quidem relicta Judæa incolebat Carmelum montem, desertum ac feris plenum, nil in cibi refectionem præter arbores habens, arboreis fructibus usui necessitatis satisfacere ei sufficiebat. Helissæus similiter eadem vitæ regula usus fuit, quippe qui in desertis morari a magistro edoctus fuerat. Johannes etiam Jordani solitudine detentus, locustas edebat & mel silvestre, quasi necessaria corporis paratu facillima cunctis ostenderet, & exquisitas accuratasque delicias hominibus exprobraret. Forte & Moses cum filiis Israël de manna præcipit; ut quod in diem sufficeret, in diem colligerent, hac lege nos instruere voluit, humanum cibum quotidianum esse debere, non præparatum, decereque rationalem creaturam, ut obviis contenta sit, reliquorum Christum promum esse. Viderique eum qui in futurum prævidet, Dei gratiæ non fidere, ac si dona semper affluentia nobis cœlitus indesinenter non perpluerent. Ideo igitur sancti omnes, quibus mundus dignus non fuit, omnia reliquerunt, per deserta & per montes errantes, in speluncis & terræ cavernis habitantes, circumieruntque in pellibus & melotis, egentes, angustiati, afflicti, ut consueta hominum vitia evaderent, & ne urbanis deliciis caperentur, ferarum quidem convictu gaudebant: homines vero ut insidiatores vitabant, belluisque tamquam carissimis amicis confidebant: quippe qui minus ab ipsis lædi, quam ab hominibus arbitrabantur. Nam neque illæ vitia docent, virtutemque mirantur & honorant. Sic perditi homines Danielem perdiderant, ut rebantur, sed leones servarunt, & ab invidis injuste damnatum custodierunt; fuit viri virtus hominibus quidem invidiæ ac æmulationis materia, belluis autem reverentiæ & honoris occasio. Quicumque igitur insita boni semina habemus, sanctorum virtutes imitemur, & a corporis imperii servitute recedentes, in libertatem transeamus: atque ab opifice onagrum in deserto dimissum exactoris vocem non audientem, ac turbæ multitudinem deridentem, licet hucusque sarcina fatigaverimus, affectibus vitiisque subjicientes, jam solvamus a vinculis. Quod si illi qui natura domini non sunt, sed ex consuetudine dominatum usurparunt, contradixerint, cum audierint nos non lingua solum ac nuda voce, sed intimo cordis affectu dicentes, *Dominus illo opus habet*, mox dimittent eum ut apostolicis indumentis ornatus, vector Verbi fiat, & ut erat liber dimissus, post omnem herbam pabulum quærat, id est florida divinæ scripturæ dicta carpens, ad vitam irreprehensibilem ducatur, escamque simul & delectationem accipiat. Relinquamus igitur sæculi negotia, & ad animæ bona convertamur. Quousque ludis puerilibus occupamur, virilem sensum non assumentes? Quousque ut pueruli leviuscula operamur? Illi quidem cum mutant ætatem, affectum

Daniel. 14.

Job. 39. 5.

Matt. 21. 3

etiam erga res minimas levesque dimittunt, A nuces enim trochique ac pilæ pueritiæ grata sunt, iisque illa ætas afficitur, donec imbecillitas sensus hujusmodi in pretio esse facit. At ubi ætas maturescere cœpit, ea omnia abjicit, seriisque multo cum studio inhæret. At nos cur pueri semper sumus, ludo ac joco digna admirantes? Cur nolumus graviora curare, cogitationemque virilem assumere? cur seriis omissis, jocis delectamur, nec aliud quam terrena curamus, risum moventes iis qui naturæ ordinem considerant? Sicut enim turpe est, si videres virum perfectum qui humi sedeat, B ac puerilia in pulverem describat; ita turpe, quin multo turpius, si videres eos qui æternorum bonorum negotiationem profitentur, in terrenorum pulvere volutari, ac non sine magno professionis dedecore levibus caducisque rebus inaniter occupari. At id esse videtur in causa cur ea solum quæ videntur considerant; atque eorum quæ hic pretiosa censentur, splendore offuscati concupiscentiaque ligati, æternorum bonorum dignitatem excellentiamque non cognoscunt. Nam ubi meliora absunt, semper sunt in pretio pejora. Quod si altiori cogitatione futura illa bona contemplaremur, C numquam præsentibus intenderemus. Jam igitur ea despicere incipiamus, opes, prædia, pecunias, honores, ac reliqua quæ rationem obruunt, contemnamus. Projiciamus onus & sarcinam, ut securum redeat navigium. Mundi hujus procella perculsi, utensilia cuncta inania projiciamus, ut gubernator, ipsave mens una cum multis nautis, cogitationibus inquam, servari possit. Si enim qui in mari tempestate jactantur, merces nihili faciunt, & suis ipsis manibus res suas navim exonerantes in mare jaciunt, secundam post vitam substantiam esse du- D centes, ac ne ponderis gravitate pressum navigium pereat, etiam pretiosa quæque jactantes, ipsum onere levant; cur non & ipsi propter meliorem vitam ea abjiciemus, quæ animam in profundum trahunt atque demergunt? Cur non Dei timor tantum in nobis potest, quantum maris timor in illis? Illi temporalem hanc vitam ærumnis assiduis plenam servare cupientes, eorum quæ vehunt multis laboribus ac sudoribus parta, jacturam non curant; nos æternam vitam ac beatam vitam adipisci vo- E lentes, nec minima contemnimus, sed simul cum onere magis perire volumus, quam illo deposito nudi servari. Colluctator noster nudus est; nudi igitur cum ipso certare debemus, nam qui certant nudi certant; nudos esse in stadium lex certantium inducit, sive æstus sit, sive algor, sic ingrediuntur, ut vestes ex corpore relinquant. Quod si quis nuditatem recusat, & certamen recuset necesse est. At nos qui certamen omnium difficillimum aggressi sumus, & adversarios multo iis qui sensibiliter certant robustiores habemus, non modo vestes non deponimus, sed & infinita super humeros onera imponentes, in certamine perdimus, ansas multas adversariis, quibus nos teneant, præbentes. Quo enim pacto adversus spiritualia nequitiæ pugnabit, qui multa possidens, undique prehendi ac teneri valet? Quomodo cum avaritiæ spiritu luctabitur, qui stipatus pecuniis undique capi potest? Quomodo, inquam, contra dæmones curis omnibus nudos certabit, qui mille curis vestitus est? Nudos igitur congredi opus; nudus est, qui vilibus rerum sæcularium centonibus non est obsitus: nudus est qui nulla possessionum vel pecuniarum sollicitudine occupatur: nudus est qui nullo affectu, nulla animi passione detinetur. Nudus ab hostibus aut difficile capitur, aut certe nullo modo capitur. Si nudus fuisset magnus ille Joseph, qua parte ipsum apprehenderet non invenisset Ægyptia. Nam dicit divinum eloquium, quod vestimentum ejus apprehendit, dicens: *Dormi mecum.* Vestimentum res corporeæ sunt, quibus in voluptates homines trahuntur: sed castus ac temperatus athleta, qui etiam ex necessario usu corporis novit sese vi trahi ad communionem & societatem voluptatis, ubi didicit, quod oporteret nudum conversari cum domina, quæ detinere & cogere posset, relictis vestibus, aufugit ac foras exiit. Sic protoplastus cum excellentissimum munus a Deo nuditatem accepisset, tenuit, quousque per transgressionem in vestimenti necessitatem deductus est. Nam donec contra adversarium, ut Dei mandatum solveret consulentem sapienter pugnavit, ut fortis athleta nudus in cavea stetit; sed ubi victus fuit, e loco certaminis ejectus, merito vestitus est. Verum qui certaturi sunt, non modo vestes deponere, sed & oleo inungi solent: nam qui nudus est, haud facile apprehendi potest: qui vero unctus, ubi apprehensus fuerit, facile elabitur. Quapropter qui luctantur in se invicem, pulverem aut terram spargere nituntur, ut sese facilius tenere possint. At quod est ibi pulvis, id nostro in certamine sunt res terrenæ: & quod ibi oleum, hic mentis securitas; & quemadmodum ibi qui unctus est facile e manu colluctantis elabitur; qui vero pulvere conspersus fuerit, difficile ne apprehendatur evadit: ita in nostro certamine qui nullis terrenorum curis distenditur, difficile a diabolo capitur. Qui vero rerum temporalium pulvere mentem fœdat, numquam manus illius aufugiet.

Gen. 39. 7.

55. Perfectæ animæ est mentis securitas, impii autem curis premuntur. Nam de perfecta anima dixit: *Sicut lilium inter spinas*, animam

Perfectæ animæ est mentis securitas. Cant. 2. 2.

animam cum iis qui curis multis anguntur conversantem significans; lilium namque in evangelio animam curis liberam signat.
Matth. 6. 28. Non enim laborat neque net, & majore quam Salomon gloria circumdatur. Nam de iis qui semper de corporeis sunt solliciti, dixit: *Tota vita impii in curis.* Et profecto impium est per totum vitæ spatium semper terrena curare, nihilque de cœlestibus cogitare; impium, inquam, corpori quidem, quamvis non multa cura egenti, tempus omne impendere; animæ autem cui nec tota vita ad perfectionem sat est, vel unius horæ momentum non tribuere. Quod signum ad animæ curam convertimus, segniter id ac remisse facimus, visibilium specie decepti, & eadem patientes atque illi qui scortis turpissimis capti sunt: quæ ingenui decoris defectu adulterium mentiuntur; sicque excogitatis confricationibus ac fucis deformitatem confingentes ipsos decipiunt: ita ubi rerum præsentium vanitate semel victi fuerimus, affectu offuscati, earum turpitudinem videre nequimus: atque ob id in necessario usu non sistimur, sed victus satietatem procacem instanter exquirimus. Cuivis apparatus usus corporis est; quod vero hunc transcendit, abusus non usus est. Nam & vestis, si corporis mensuræ congrue conveniat, & usui & ornatui est; quod autem defluit & humi trahitur, ac pedes occupat, & deformis est, & ad quamlibet operationem impedimento est; ita opes quæ usum corporis excedunt, virtutis impedimenta sunt, maximeque damnantur ab iis qui rerum naturam scrutari consueverunt.

56. Non itaque eos qui a sensibilibus decepti sunt attendamus, nec eos qui propterea quod spiritualia ac cœlestia non intelligunt, solis terrenis afficiuntur, temere sequamur. Idem enim esset ac si cœcis colorum judicibus uteremur. Et hujusmodi profecto cœci sunt, utpote qui rerum veritatem non cognoscentes, eas secus atque sunt judicant. Unus ex his erat Achar Carmi, qui sub terra abscondisse in tabernaculo quæ furatus fuerat, atque infra illam
Jos. 7. 21. defodisse argentum ipsi Josue confessus fuit. Qui enim terrenas res superiores existimans, sub eis rationem defodit, merito seducitur: utpote qui, ut irrationale animal rerum specie trahitur, usque ad thronum recti judicii ductus, jure damnatus fuit. Bonum igitur est intra necessitatis fines consistere, ac summa ope niti, ne illos transgrediamur. Nam qui in voluptates paululum sese ferri finit, a concupiscentia nequit postea ratio impetum retinere quin præceps ruat: ea enim natura voluptatis est, ut desiderium semper augeat, & velut flamma additione lignorum, concupiscentiam incessanter incendat. Nam qui naturalis usus terminos semel egressi sunt, panem suavem ac vinum pretiosum volunt, nec jam vestibus utilibus contenti sunt; sed primum mollissimas lanas tenuesque comparant, ipsum lanarum florem eligentes. Inde ex lino ac lana contextas vestes conquirunt: demum & serica coëmunt, eaque non simplicia, sed varie laborata, historiisque ac venationibus diversis intexta. Parantur præterea vasa auro argentoque distincta, quæ non escis dumtaxat inserviant, verum & mensas abacosque supervacue exornent.

57. Sed quid importunam illorum magnificentiam ultra prodere pergimus, cum etiam in earum rerum ministerio, quas nominare turpe est, vasibus pretiosis utantur? At hoc est præter naturam se habere. At ea quæ secundum naturam vita est, una atque eadem & nobis & animantibus a summo opifice definita est. *Ecce dedi vobis*, inquit Deus homini, *omnem herbam agri, ut sit vobis & animantibus in cibum*; cum itaque communem cum irrationabilibus acceperimus cibum, illumque diversis apparatibus excogitationibusque in luxum verterimus, cur illis irrationabiliores rationabiliter non judicemur? Belluæ enim intra naturæ fines consistentes ab iis quos Deus ordinavit haud recesserunt; at homines ratione decorati, primam illam vivendi regulam nobis statutam omnino transgressi sumus. Quæ apud belluas lauta obsonia? quæ panificorum aut coquorum infinitæ artes, ut misero ventri voluptates parent? Num primam illam parcitatem diligunt ac servant, herbis vescentes, minimisque contentæ, ac potu laticis utentes? Quare & carnis incitamenta non norunt, cum nullo pingui delicatoque cibo irritentur, nec masculi aut feminæ appetitu trahuntur, nisi cum unius anni pars hunc illis sensum præbuerit, ut lege naturæ ad similis propagationem generisque conservationem congrediantur: alioquin ita ab hoc sensu alienæ sunt, ut appetitus hujusmodi penitus obliviscantur. At in hominibus ex immodico ciborum sumtu venereorum insatiabilis concupiscentia gignitur, furorque continuus excitatur, nec ullo umquam tempore quiescit.

Communem cum animalibus cibum accepimus. Gen. 1. 29.

58. Cum igitur opes & facultates magnopere nos cædant, & in tantum pestifer morbus animos corrumpat, causam amputemus, si bonam animæ valetudinem curare volumus: avaritiæ morbo paupertate medeamur; hominum frequentiam fugiamus, solitudinem complectamur. Nam hominum conversatio quietum ac tranquillum statum mentis perturbat. Sicut enim ii qui sub aëre morboso ac insalubri versantur, omnino ægrotant; ita qui inter homines malos degunt, illorum vitiis inficiuntur. At quid commune cum mundo ha-

bere debent ii qui mundo renuntiarunt? *Nullus qui Deo militat, sæculi curis se implicat, ut ei placeat qui se in militiam delegit.* Nam negotiorum occupatio bellicas exercitationes impedit. At si adversus belli peritos absque exercitatione pugnamus, quomodo resistemus? quin potius si verum dicere licet, ita languide segniterque pugnamus, ut ne dormienti quidem hosti resistere possimus: fitque nonnumquam, ut ubi prostraverimus hostem, ab eo infeliciter jugulemur: non secus atque illi qui cum post partam victoriam hostesque prostratos, avaritia ducti mortuos prædari ac spoliare velint, in aliquem qui nondum mortuus est incidentes, lethali accepto vulnere cadunt, sicque pecuniarum amore victoriæ gloriam una cum vita amittunt. Ita & nos ubi per continentiæ laborem barbarum illum hostem dejecimus, vel dejecisse videmur, tunc spoliorum ejus amore capti, quæ sunt divitiæ, pecuniæ, potentia, gloria, ad illum quasi prædaturi accedimus, ut aliquid eorum quæ illius sunt accipiamus, sicque ab illo percutimur, ac nos ipsos jaculationi sponte offerimus: sic periere quinque illæ virgines, quæ quidem per castitatem continentiamque hostem prostraverant, sed per immanitatem quam gignit avaritia, in ejus sese gladium impulerunt.

2. Tim. 2. 4.

58. Nil igitur eorum quæ illius sunt concupiscamus, ne simul cum illis animam perdamus. Continue nos ad ea hortatur ac vocat. Nam si eumdem ipsum Dominum hortatus est dicens: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, illumque qui falli non poterat, fallere nixus est; quomodo non nitatur decipere homines ignaros, qui visibilium specie facile falli solent.

Matth. 4. 9.


Mens ad pietatem exercenda.

59. Exerceamus igitur mentem nostram ad pietatem, siquidem corporalis exercitatio brevi tempore durat. Nam *corporalis exercitatio ad modicum utilis est*: puerilibus disciplinis assimilis. At pietas ad omnia utilis est: quæ bonum habitum inducit in animam, quo adversantes affectus superare valeat. Sicut enim ii qui ordinem certandi addiscunt, corpus quidem exercent ac membra continue movent, ii autem qui serio certant, robur ac vires certamini accommodas diligentissime curant, ita ii qui in Dei cultu imbuuntur, vim sibi adhibere debent, ne ad consueta mala vi quadam rapiantur. Nam qui adhuc sæva voluptatum procella vexantur, & ad assueta mala invite fere impelluntur, si affectus contineant, multum profecto faciunt. At ii qui jam virtutis habitum induerunt, actuque eam continue exercent, nil dehinc nisi quod ad mentis puritatem faciat curantes, totum impendunt studium, ut cogitationes servent, ne præcipites ad inutilia deferantur. Et ut summatim dicam: aliis curæ est, ut motus corporeos regant, alii operam omnem impendunt, ut impetus cogitationum cohibeant; sicque ubi nulla rerum præsentium imaginatione a divinis contemplationibus mentem abstraxerint, veræ sapientiæ dulcedine pascuntur. Qui enim sese ad pietatem exercet, totum desiderium in id quod desiderat dirigere debet, ne opportunitatem exercendi suos affectus cogitationes inveniant. Nam si quilibet affectus, mox ubi motus fuerit, detinet atque impedit cogitationem, cur non & ipse virtutis zelus mentem ceteris affectibus vacuam occupabit, & ut ita dicam, totam absorbebit? quali rerum exteriorum sensu tangitur is qui ob acceptam injuriam alicui iratus, animi furore abreptus, ultionem excogitat? quali & is qui pecunias appetit, cum ipsarum imaginatione totus corripitur? An non & lascivus quisque, si alicujus amore captus, ad intuitum desideratum forte pervenerit, omnium penitus obliviscitur, ac veluti columna immobilis, nil eorum quæ sub oculis fiunt aut dicuntur sentiens, cœcus ac surdus efficitur, ac ipsa turpi imaginatione totus abstrahitur, ut nil eorum quæ extra sunt penitus apprehendat? Quod si hæc mentem ita detinent ac sensus otiosos reddunt, quanto magis purus illius sapientiæ, de qua loquimur, amor mentem in se rapiens, a sensibus & sensibilibus cunctis abstrahet, eamque in sublimia elevans, soli intellectualium contemplationi intentam faciet? Sicut enim cogitatio ejus qui secatur vel uritur, propter detinentem dolorem, numquam extra passionem qua premitur, egredi valet; ita in quemcumque quis affectum transierit, fieri nequit ut aliud consideret, cum tenacius menti inhæserit, ipsamque penitus occupaverit, ac ipsas cogitationes in sui naturam immutaverit: nec enim voluptas in sui consortium laborem admittit, nec gaudium jungitur dolori, nec mœrori lætitia, nec rursus si labor dominetur, voluptatem sociam recipit; nec dolor si detineat, gaudium habet conjunctum, nec mœror lætitiam: hi namque affectus contrarii sunt, nec sibi conveniunt, nec umquam amicitiæ fœdere junguntur. Non igitur virtutis puritas negotiorum mundialium cœno turbida reddatur, nec contemplationis sinceritas sordidis corporearum rerum curis fœdetur, ut veræ sapientiæ imago propria formositate resplendens, a temerariis posthac non vituperetur, nec propter scribentium imperitiam materia ludibrii fiat, sed laudetur, si non ab hominibus, saltem a supernis potestatibus, aut ab ipso domino Christo, a quo & sancti laudem quærebant, ut magnus ille David, qui humanam gloriam calcabat, ac tantummodo apud Deum laudari cupie-

1. Tim. 4. 6.

Psal. 21. 26. Psal. 33. 3. bat: *Apud te laus mea*, inquit; & rursum: *In Domino laudabitur anima mea.* Homines enim invidia plerumque quæ bona sunt, calumniantur. At spectator ille supernus, judex incorruptus cuncta absque acceptione judicat, & ea quæ fiunt veritate discernit.

60. Huic igitur in veritate cordis intendamus: hunc jucundo bonorum operum spectaculo delectemus: homines autem qui nec per bonos præmia reddere, nec per malos supplicia inferre valent, omnino negligamus, si vel invidia vel quavis alia passione virtutis opera vitii nominibus offuscent, vitamque Deo & angelis acceptissimam calumnientur. Nam tempore futuræ retributionis non ex hominum opinione, sed ex ipsa gestorum veritate eos qui bene vixerint æternorum bonorum præmia sequuntur. Quæ utinam & nos omnes assequamur gratia & humanitate Domini nostri JESU CHRISTI, cum quo Patri gloria, magnificentia & imperium, una cum sancto ac vivifico Spiritu per sæcula sæculorum. Amen.



COELII SEDULII PRESBYTERI CARMEN DE VERBI INCARNATIONE.

Ex ms. codice Corbeiensi ante annos nongentos exarato.

OBSERVATIO PRÆVIA.

IN pervetusto codice Corbeiensis monasterii, unde Juvenci librum in Genesim eruimus, extat absque ullo auctoris nomine, Sedulii presbyteri Scoti operis paschalis liber I. *cui tamquam pars ejusdem, nulla interposita distinctione, nulla divisione nulloque titulo præmittitur sequens de Verbi incarnatione carmen: quod cum singulari studio perlegissemus, eumdem in priori & in sequenti lucubratione stilum animadvertimus, nihilque incommodi videri si uni eidemque auctori, nempe Sedulio, utraque attribueretur. Indicium hoc nostrum confirmavit Sedulius ipse in dedicatorio carmine Operis Paschalis ad Theodosium Augustum, quod ita incipit:*

Romulidum ductor, clari lux altera solis,
Eoum qui regna tenes moderamine justo,
Spes orbis, fratrisque decus, dignare Maronem
Mutatum in melius divino agnoscere sensu.

Quibus ex verbi luce clarius patet, Sedulium in Opere Paschali Virgilium poëtam imitari, ejusque phrases divino adaptare sensui *sibi proposuisse. Id autem in carmine de Verbi incarnatione observatum ita fuit, vix ut sit versus aliquis, qui Virgilium non resonet, ejusque non exprimat verba. Et ne quod hac de re dubium suboriri valeat, singulos Virgilii locos unde suos versus accepit Sedulius, in notis designare curavimus.*

Omnipotens genitor tandem miseratus ab alto, (*a*)
Postquam cuncta dedit cœlo constare sereno, (*b*)
Omnibus in terris divinum aspirat amorem (*c*)
Semper honore pio nomen natique patrisque (*d*)
Ornare & canere, paribusque in regna vocari (*e*)
Auspiciis hinc progeniem virtute futuram
Egregiam, & totum quæ legibus occupet orbem.
Ne tamen in terris mortalia pectora turbet.
Ignotum numen, Deus æthere missus ab alto
Mortalis visus potuit quantusque videri.
Virgo matura fuit jam plenis nubilis annis, (*f*)
Cui genus a proavis (*g*) ingens nomenque decusque.
Intemerata thoris talem se læta ferebat, (*h*)
Casta pudicitiam miro servabat amore. (*i*)
Huic se forma Dei cœlo dimissus ab alto (*k*)
Spiritus intus alit, casto se corpore miscet. (*l*)
Ante tamen dubiam dictis solatur amicis (*m*)
Alma parens mundi Dominum paritura potentem,
Nam te digna manent generis cunabula (*n*) sancti.
Vade, ait, o felix nati pietate, quocumque vocaris (*o*)
Auspiciis manifesta novis, hic vertitur ordo. (*p*)
A Hujus in adventu fides & fama perennis. (*q*)
Dixerat illa pavens oculos suffusa nitentes (*r*)
Suspirans, imoque trahens a pectore vocem (*s*)
Virgo refert: haud equidem tali me dignor honore, (*t*)
Non opis est nostræ, (*u*) nec fas nec conjugis umquam
Prætendit ætas, aut hæc in fœdera veni: (*x*)
Sed post jussa Deûm nihil est quod dicta recusem.
Accipio; agnoscoque libens sequor omina tanta. (*y*)
B Promissisque patri (*z*) exsequar cœlestia dona,
Admiranda Dei tantarum munera laudum.
Panditur interea domus omnipotentis olympi: (*a*)
Sydeream in sedem, terras unde arduus omnes
Aspicit, & natum verbis compellat amicis. (*b*)
Nate meæ vires, mea magna potentia solus: (*c*)
C Nate mihi quem nulla dies ab origine rerum
Dissimilem arguerit (*d*) comitem complector in omnes.
Te sine nihil altum; mens inchoat omnia mecum.
Æternis regis imperiis (*e*) & quid quid ubique est (*f*)
Nulla meis sine te quæritur gloria rebus (*g*)
Omnia sub pedibus, qua sol utrumque recurrens
D Aspicit oceanum, vertique regique videbunt.

[*a*] Æneid. v. verſ. 726.
Imperio jovis huc venio qui classibus ignem
Depulit, & cælo tandem miseratus ab alto est.
(*b*) Ex Æneid. III. verſ. 518.
Postquam cuncta videt cælo constare sereno.
(*c*) Æneid. VIII. verſ. 373.
Incipit & dictis divinum aspirat amorem.
(*d*) Æneid. VI. verſ. 116.
Natique patrisque
Alma precor miserere.
(*e*) Æneid. VII. verſ. 256.
Paribusque in regna vocari
Auspiciis hinc progeniem virtute futuram
Egregiam & totumque viribus occupet orbem.
(*f*) Æneid. VII. verſ. 53.
Jam matura viro jam plenis nubilis annis.
(*g*) Æneid. XII. verſ. 225.
Cui genus a proavis ingens clarumque paterna
Nomen erat virtutis.
(*h*) Æneid. I. verſ. 507.
Talis erat Dido, talem se læta ferebat.
(*i*) Georg. II. verſ. 524.
Casta pudicitiam servat domus.
(*k*) Eclog. IV.
Jam nova progenies cælo dimittitur alto.
(*l*) Æneid. VI. verſ. 726.
Spiritus intus alit totamque infusa per artus
Mens agitat molem & magno se corpore miscet.
(*m*) Æneid. V. verſ. 770.
Excipit ac fessos dictis solatur amicis.
(*n*) Æneid. III. verſ. 105. . . . *Gentis cunabula nostra.*
(*o*) Eclog. III. verſ. 49. . . . *Veniam quocumque vocaris.*

(*p*) Æneid. III. verſ. 375.
Auspiciis manifesta fides, sic fata Deûm rex
Sortitur volvitque vices, is vertitur ordo.
(*q*) Æneid. IX. verſ. 79.
Dictis. prisca fides facto, sed fama perennis.
(*r*) Æneid. I. verſ. 232. . . *Oculos suffusa nitentes.*
(*s*) Æneid. I. verſ. 375.
Suspirans imoque trahens a pectore vocem.
(*t*) Æneid. I. verſ. 339.
Tunc venus: Haud equidem tali me dignor honore.
[*u*] Æneid. I. verſ. 605.
Non opis est nostra Dido. . . .
(*x*) Æneid. IV. verſ. 339. . . . *aut hæc in fœdera veni.*
(*y*) Æneid. IX. verſ. 21. . . . *sequar omina tanta.*
(*z*) Æneid. V. verſ. 863.
Promissisque patris Neptuni.
E [*a*] Æneid. X. verſ. 1. &c.
Panditur interea domus omnipotentis Olympi
Conciliumque vocat divûm pater atque hominum rex
Sideream in sedem, terras unde arduus omnes aspicit.
(*b*) Æneid. II. verſ. 372.
Inscius atque ultro verbis compellat amicis.
(*c*) Æneid. I. verſ. 668.
Nate, mea vires, mea magna potentia solus.
[*d*] Æneid. IX. verſ. 281.
. . . . *me nulla dies tam fortibus ausis*
Dissimilem arguerit.
(*e*) Æneid. I. verſ. 234.
Æterni regis imperiis.
[*f*] Æneid. IX. verſ. 278.
Nulla meis sine te quæretur gloria rebus.
(*g*) Æneid. VII. verſ. 100. & 101.
Omnia sub pedibus qua sol utrumque recurrens
aspicit Oceanum.

Quæ

Quæ tibi polliceor, neque est te fallere quicquam,
Hæc tibi semper erunt vatum prædicta priorum. *(a)*
Nec mea jam mutata loco sententia cedit *(b)*
Nascere præque diem veniens age lucifer almum: *(c)*
Nascere quo toto surgat gens aurea mundo, *(d)*
Unde etiam magnus cœlorum nascitur ordo; *(e)*
Nascere ut incipiant magni procedere menses *(f)*
Ne maneant [nobis] priscæ vestigia fraudis; *(g)*
Prospera venturo lætentur ut omnia seclo. *(h)*
Adgredere, o magnos, aderit jam tempus, honores: *(i)*
Aspera tum positis mitescent sæcula bellis *(k)*
Pacatumque reges patriis virtutibus orbem *(l)*
Haud mora continuo patris præcepta facessit *(m)*
Æthere se mittit, *(n)* figitque in Virgine vultus, *(o)*
Nec mortale tuens, afflata est numine quando
Jam propiore Dei. *(p)* Nam tempore eodem
Matri longa decem tulerunt fastidia menses *(q)*
Et nova progenies *(r)* mox clara in luce refulsit *(s)*

A Mox etiam magni processit numinis astrum; *(t)*
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit. *(u)*
Ille dies primus lethi primusque *(x)* salutis
Monstrat iter vobis ad eum quem semper acerbum *(y)*
Semper honoratum cuncti celebrate faventes,
Annua vota tamen *(z)* noctem non amplius unam *(a)*
Haud segnes vigilate viri, *(b)* dapibusque futuris *(c)*
Luce palam cumulate piis altaria donis, *(d)* B
Hac vestris maneant in religione nepotes; *(e)*
Jamque egomet [venio] sedes arcemque reviso *(f)*
Accipite ergo animis atque hæc mea figite dicta, *(g)*
Ore favete omnes, *(h)* & huc advertite mentem. *(i)*
E diverso sedem quotiens venietis *(k)* in unum,
Undique collecti pacem laudate *(l)* frequentes. C
Cogite consilium, coëant in fœdera dextræ *(m)*
Qua datur pacis solum inviolabile pignus *(n)*
Discite justitiam æterna in pace futuræ
Concordes animæ, si non inrita dicta putatis. *(o)*
Nulla dies usquam memori vos eximet ævo *(p)*

(*a*) Æneid. IV. vers. 464.
Multaque præterea vatum prædicta priorum.
(*b*) Æneid. IX. vers. 220.
[*c*] Ecloga VIII. vers. 17.
(*d*) Ecloga IV. vers. 9.
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.
[*e*] Eclog. IV. vers. 5.
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
(*f*) Eclog. IV. vers. 12.
. . . . *Incipient magni procedere menses.*
(*g*) Ibid. 31.
Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis:
(*h*) Ibid. vers. 52.
Aspice venturo lætentur ut omnia sæclo.
[*i*] Eclog. VI. vers. 48.
Aggredere o magnos, &c.
[*k*] Æneid. I. vers. 195.
Aspera tum positis mitescent sæcula bellis.
[*l*] Eclog. VI. vers. 17.
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
(*m*) Georg. VI. vers. 548.
Haud mora, continuo matris præcepta facessit.
[*n*] Æneid. IX. vers. 645.
Æthere[illegible]ittit.
[*o*] [illegible]. XII. vers. 70.
Illum t[illegible]at amor figitque in virgine vultus.
[*p*] Æneid. VI. vers. 50.
Nec mortale sonans afflata est numine quando
jam propiore Dei.
(*q*) Eclog. IV. vers. 61.
(*r*) Eclog. IV. vers. 7.
Jam nova progenies.
(*s*) Æneid. II. vers. 590.
. . . *& pura per noctem in luce refulsit.*
[*t*] Eclog. IX. vers. 47.
Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.
(*u*) Æneid. II. vers. 694.
[*x*] Æneid. IV. vers. 196.
Ille dies primus lethi primusque malorum.
Monstrat iter vobis, &c.
D [*y*] Æneid. V. vers. 49.
Jamque dies ni fallor adest, quem semper acerbum
Semper honoratum, sic dii voluistis, habebo.
[*z*] Æneid. V. vers. 53.
Annua vota tamen solemnesque ordine pompas.
[*a*] Æneid. I. vers. 87.
Tu faciem illius, noctem non amplius unam
Falle dolo.
[*b*] Æneid. IV. vers. 73.
Præcipites vigilate viri.
[*c*] Æneid. I. vers. 214.
Illi prædæ se accingunt dapibusque futuris.
[*d*] Æneid. XI. vers. 50.
. . . *vota facit, cumulatque altaria donis.*
[*e*] Æneid. III. vers. 409.
Hac casti maneant in religione nepotes.
[*f*] Æneid. II. vers. 760.
E *Procedo ad Priami sedes arcemque reviso.*
[*g*] Æneid. III. vers. 250.
[*h*] Æneid. V. vers. 71.
Ore favete omnes . . .
[*i*] Æneid. VIII. vers. 440.
. . . *& huc advertite mentem.*
[*k*] Æneid. XII. vers. 446.
Vidit ab adverso venientes.
[*l*] Æneid. XI. vers. 460.
Cogite concilium, & pacem laudate sedentes.
[*m*] Æneid. XI. vers. 292.
. . . *Coeant in fœdera dextræ.*
[*n*] Æneid. XI. vers. 363.
Turre simul pacis solum inviolabile pignus.
[*o*] Æneid. XII. vers. 504.
. . . . *æterna gentes in pace futuras.*
Concordes animæ, si non irrita dicta putatis.
(*p*) Æneid. IX. vers. 47.
Nulla dies unquam, &c.

Mortalem eripiam formam (*a*) & præmia reddam.
Fortunatorum nemorum sedesque beatas (*b*)
Non eritis regno indecores, nec vestra feretur
Fama levis (*c*), mecum pariter considite regnis
Urbem quam statuo, vestra est, (*d*) intrare licebit.
Nusquam abero, & tutos patrio vos limine sistam (*e*)
Iidem venturos tollemus in astra nepotes. (*f*)
Quæ vero nunc quoque vobis, dum vita manebit,
Præmia digna feram ? non vobis numine nostro
Divitis uber agri rerumque opulentia deerit (*g*)
Fundit humo facilem (*h*) victum justissima tellus
Proventuque onerat sulcos, atque horrea vincit (*i*)
Floret ager, spumat plenis vindemia labris, (*k*)
Exuberat fœtus ramos frondentis olivæ
Quotque in flore novo pomis se fertilis arbor
Induerit, totidem autumno matura tenebit. (*l*)
A Non liquidi gregibus fontes, non gramina deerunt;
Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet (*m*)
Hæc sunt quæ nostra deceat vos voce moneri. (*n*)
Vivite felices, & condita mente tenete. (*o*)
Hæc ubi dicta dedit, mox sese attollit in auras
B Suspiciens cœlum, caput inter nubila condit. (*p*)
Atque ita discedens terris, animisque suorum
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Ætherieum sensum, atque auraï simplicis ignem. (*q*)
Ex illo celebratus honos lætique minores (*r*)
Servavere diem, atque hæc pia sacra quotannis (*s*)
Matres atque viri, pueri innuptæque puellæ (*t*)
C Carminibus celebrant, paterisque altaria libant. (*u*)
Ast ego qui cecini magnum & mirabile numen
Hæc eadem gentique meæ generique manebunt.

[*a*] Æneid. X. verf. 101.
Mortalem eripiam formam, magnique jubebo
Æquoris esse deas.
[*b*] Æneid. VI. verf. 639.
[*c*] Æneid. VIII.
Non erimus regno indecores nec vestra feretur
Fama levis.
(*d*) Æneid. I. verf. 576.
Vultis & his mecum pariter considere regnis
Urbem quam statuo vestra est.
[*e*] Æneid. II. verf. 620.
[*f*] Æneid. III verf. 158.
[*g*] Æneid. VII. verf. 261.
. . . . *Non vobis rege Latino*
Divitis uber agri, Troiave opulentia deerit.
[*h*] Georg. II. verf. 460.
(*i*) Ibid. verf. 518.
Proventuque oneret sulcos atque horrea vincat.
(*k*) Georg II. verf. 6.
[*l*] IV. verf. 142. & 143.
Quotque in flore novo pomis se fertilis arbor.
Induerat . . . . . *tenebat.*

[*m*] Georg. II. verf. 200.
Non liquidi . . . . *desunt.*
Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponent.
[*n*] Æneid. III. verf. 461.
Hæc sunt quæ nostra liceat te voce moneri.
(*o*) Æneid. III. verf. 88.
D . . . . *tu condita mente teneto.*
vivite felices quibus est fortuna peracta.
[*p*] Æneid. IV. verf. 176. & 177.
. . . . *mox sese attollit in auras*
Ingrediturque solo & caput inter nubila condit.
(*q*) Æneid. VI. verf. 746. 747.
(*r*) Æneid. VIII. verf. 268. 269.
[*s*] Æneid. V. verf 59.
Atque hac mea sacra quot annis.
(*t*) Æneid. VI. verf. 306. 307.
Matres atque viri defunctaque corpora vita.
Magnanimum heroum pueri innuptaque puellæ.
(*u*) Æneid. XII. verf. 174.
. . . . *paterisque altaria libant.*



SANCTI MAXIMI EPISCOPI TAURINENSIS HOMILIÆ SEX.

Ex ms. S. Galli ab annis circiter mille exarato eruit Mabillonius.

OBSERVATIO PRÆVIA.

IN pervetusto codice monasterii S. Galli apud Helvetios, ab annis circiter mille majusculis litteris exarato, reperit olim Mabillonius sub nomine S. Augustini, homilias XCVII. *S. Maximi Taurinensis episcopi*, cujus, *inquit*, tanta facundia, tantum studium in rem Christianam fuit, ut vulgatæ ejus homiliæ dignæ sint meliori luce. *Quamvis autem Sangallensis codex nomen præferat Augustini, legitimum homiliarum illarum parentem vir acutus statim detexit, tum ex stilo, tum ex Gennadio, qui earum plures commemorat; sed maxime ope vetustissimi codicis Mediolanensis bibliothecæ Ambrosianæ Longobardicis litteris ab annis etiam circiter mille exarati, in quo* S. Maximi Taurinatis episcopi *titulus legitur. Ex illis autem homiliis pars maxima jam lucem viderat, aut S. Ambrosio, aut S. Augustino, aut genuino earum auctori attributa. Ineditas tamen in illo Sancti Galli codice viginti & unam deprehendit Mabillonius, ex quibus* XII. *in tomo* I. *Musæi Italici evulgavit, ceteras aliud in tempus edendas reservans. Sex tantum in schedis viri doctissimi reperimus, quas hic dare peropportunum nobis visum est. His subjungemus Fausti ex monacho & abbate Lerinensi episcopi Regiensis, viri pii perinde ac docti, sermones aliquos ex variis manuscriptis a nobis collectos.*

HOMILIA PRIMA.

Incipit de Hospitalitate.

1. LEgimus in libro Genesis, quod Abraham tribus supervenientibus viris festinus occurrit, & prostratus in faciem oravit eos, ut ad suum tabernaculum declinarent, quatenus hospitalitate sanctorum remunerationem benedictionis acciperet. Sciebat enim hoc esse mandatum Domini
Matth. 10. 41. dicentis: *Qui susceperit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, & qui susceperit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet*, & reliqua. Festinavit ergo propterea Abraham sanctos viros suscipere, ut hospitii consortio sanctitatis consortium mereretur, & dum communicat humanitatis obsequium, communicationem justificationis acciperet. Hoc enim hospitalita- *Hospitalitatis virtus quanta.*
tis jus est, ut qualis fuerit ille qui suscipi- A tur, talem faciat eum esse qui suscipit: quod Johannes evangelista manifestissime designavit de his qui Dei Filium susceperunt, dicens: *Quotquot autem receperunt illum, dedit illis potestatem filios Dei fieri.* *1. Joh.* 12. Vides ergo hospitalitatis quanta sit gratia, ut etiam efficiatur filius Dei, qui Filium Dei recipit cordis hospitio. Si ergo filius Dei efficitur, qui Filium Dei recipit, quanto magis qui justum recipit, justi gratiam promeretur. Hæc est enim, sicut dixi, hospi-
B talitatis benignitas, ut vir sanctus & adveniens societate hospitii, hoc hospitem suum faciat esse, quod ipse est. Quis autem nolit tali conditione sanctum tabernaculi sui humanitate suscipere, ut cum ea participans habitaculum, participet sanctitatem, & cum peccator usque ad horam forte fuerit, recipiendo justum & ipse sit justus, sicut ait propheta David: *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris?* *Psal.* 17. 26.

2. Igitur, fratres, si Abraham pater noster A sciens hanc hospitalitatis gratiam, supervenientibus tribus viris, e quibus unus Dominus erat, festinus occurrit, & prostratus in faciem, oravit ut ad tabernaculi sui tecta succederent, quanto magis debemus advenientibus sanctis occurrere sacerdotibus, atque eos omni prece in habitacula nostra suscipere, ut secundum David cum sanctis hospitibus sancti esse possimus. Nemo jam de conscientia peccatorum suorum metuat, de indulgentia nemo diffidat: quisquis episcopum hospitio susceperit, jam justus effectus est, quamvis paulo ante scelera commiserit, quamvis noxius fuerit, dum B innocentem virum recipit, innocentiæ meritis reformatur, sicut ait propheta, *cum viro innocente innocens eris.*

Abrahæ hospitalitas imitanda est.

3. Ergo, fratres, quia Abrahæ filii sumus, Abrahæ opera faciamus. Ille tribus sanctis viris processit obviam, nos quoque multis sacerdotibus occurramus: ille cum esset justus, beatos suscepit hospitio, ut qui erat justus, justior fieret: nos qui peccatores sumus, suscipiamus episcopos, ut ablutis peccatis nostris, justi esse possimus. Suscipiamus, inquam, sanctos, ut nobis contra C naturam peccata donentur. Abrahæ enim justo per hospitalitatem, quia peccata non habebat, contra naturam Isaac filius est donatus, qui usque adeo contra naturam donatus est, ut eum nasci posse & senectus frigida desperaret, & mater Sarra rideret. Risit, inquam, Sarra, quia suscipiebat filium, non natura, sed gratia; atque adeo beata soboles, cujus partum non pœnæ, sed gaudia præcesserant. Ridere plane debuit, quæ Deo auctore suscepit. Talis ergo est hospitalitas beata, ut lætitiam semper suis dimittat hospitibus. Sarra ridet, quia D sterilitate caruit: ego rideo quia peccata depono. Illa corporis vitio liberata est, ego enim flagitiis ablutus sum. Illa gratulatur se per hospitalitatem Isaac filium suscepisse, ego lætor indulgentiam me cum justitia consecutum.

Christus in hospitibus suscipitur.

4. Sed dicet aliquis fortasse, in illis supervenientibus ad Abraham viris, veniebat etiam Dominus, quod quidem verum est. Sic enim scriptura refert. Sed ego dico, quod & modo etiam ad nos in sacerdotibus suis Christus adveniat. Imitemur, igitur, E fratres, Abraham; sed quid Abraham dico? imitemur Deum Patrem nostrum, is enim diversarum gentium homines Deus uno cœli hospitio habitare voluit, cur non nos, qui sumus fratres, nobiscum uno hospitio commoremur? Et si nostram distantiam ille eadem in mundi domo continere maluit, cur non unanimitas nostra sancta tabernaculorum æde teneatur?

Explicit.

HOMILIA II.

Incipit de eo quod scriptum est: Sicut tuba exalta vocem tuam, & adnuntia populo meo peccata eorum.

1. Ante diem prosecuti sumus necessitatem nobis incumbere non tacendi, & ne alieno periclitemur periculo, observavimus debere nos ad peccandum clamore consurgere. Clamandum est enim nobis in ecclesia, ne clamemus in pœna. Sic enim dicit Dominus per prophetam: *Et exclama vehementer, ne parcas, sicut tuba exalta vocem tuam, & adnuntia populo meo peccata eorum.* Clamare ergo jubemur, & vehementer clamare, nec voci parcere, ne pereamus saluti. *Nec parcas*, inquit, hoc est peccatoris iniquitatem nec tacendo prætereas, ne dum verecundiæ ejus consulis, non consulas sanitati. Vulnera enim illius, quæ clamando resecare debueras, in pejus tacendo, nutristi. Clamare ergo jubemur, & ne quis se non audisse dicat, aut quemquam vox lateat, sacerdotes vehementer clamare præcipiuntur; ac ne hoc minime fortasse sufficeret, addidit dicens: *Sicut tuba*, inquit, *exalta vocem tuam.* Scimus quia tuba non tam sonet auditui, quam terrori, nec tam delectationem deferre, quam inferre formidinem. Tuba enim peccatoribus necessaria est, quæ non solum aures eorum penetret, sed & corda concutiat, quæ non delectet cantu, sed castiget auditu; strenuos quoque hortetur ad justitiam, ignaros deterreat a delictis. Nam sicut in prælio militis mentem formidolosi dejicit, animum viri fortis accendit: ita & sacerdotalis tuba mentem peccatoris humiliat, viri sancti animam corroborat, & uno atque eodem sono isti exhortationem indicit, quemadmodum sit fortior ad unitatem: illi metum incutit quemadmodum sit timidior ad peccatum. Hæc enim natura tubæ est, ut destruat delinquentium opera, horum facta confirmet. Denique Hierico muri per sacerdotales tubas, quia intra se continebant peccatorem populum, corruerunt; non illos pulsavit aries, non expugnavit machina; sed quod mirum est, sacerdotalis soni timore subvertit. Muri qui adversus ferrum inexpugnabiles steterant, sacra tubarum voce collapsi sunt.

Isa. 58. 1.

Peccatoribus clament sacerdotes.

2. Quis enim non stupeat in illo facto saxa dirupta, fundamenta clangore esse quassata, & ita universa collapsa, ut cum victores nihil manus læderent, apud adversarium tamen nihil stabile remaneret; sed quamvis illos muros nemo contingeret, expugnantur tamen: forinsecus sonitu justorum, forinsecus habitacula peccatorum propterea cesserunt. Ergo istisne obsisterent? illosne in aliquo tuerentur? Aperuerunt

runt justis jam defensionem, perfidis denegarunt. Igitur, fratres, sacerdotalis vocis sonus jam illo in tempore tantum potuit, quo in vera flatus confusione nescio quid personavit; quantum nunc sacerdotalem ipsam vivam vocem posse credimus, quæ dum Christum verbo loquitur, magnificum aliquid præstat vice domini Salvatoris imperio cum aëris sono etiam elementa cesserunt, aut quemadmodum sensibilia obsistere potuerunt, cum terrorem sacrum ferre etiam insensibilia nequiverunt? Credimus enim sacerdotum dictis facilius molliri posse corda quam saxa, & citius solvi posse peccata, quam cæmenta sunt resoluta. Vox enim Spiritus convenientis facilius delicti destruit maculam, quam materiale saxi solvit munimentum.

Explicit.

HOMILIA III.

Incipit sequentia.

1. SUperiori Dominica prosecuti sumus Hierico muros tubis sacerdotalibus expugnatos, & contra ordinem atque naturam, rem insensibilem sacris vocibus quodam comminationis terrore cessisse, & ita increpationis sono universa fuisse conlapsa, ut & firmissima munimenta conruerint, & nudus peccatis populus remaneret, illa ne diutius obsisteret, ista ut facilius caperetur. Sed hæc omnia jam tunc in figura facta esse prædiximus. Nam sacerdotalis illius temporis tuba quid aliud esse credimus, nisi prædicationes hujus temporis sacerdotum, per quas non cessamus peccatoribus terribili sono austerum aliquid nuntiare, triste prædicere, & quodam comminationis strepitu aures delinquentium verberare: siquidem sacris vocibus obsistere nemo poterit, nemo contradicere. Quemadmodum enim verbum Dei sensibilia non tremiscunt, quod tunc etiam insensibilia tremuerunt? aut quomodo illi hominum contumacia resistere poterit, ante quod nec sana machina stare valuit? Nam sicut tubarum fragor destructis cæmentorum muris ad populi interiora pervenit, ita nunc sacerdotum prædicatio, destructis pravis cogitationibus, ad animæ nuda pertransit. Nuda enim verbo Dei invenitur anima, cum omnis iniquitatis ejus operatio dissipatur. Quod autem nuda sit ante Deum anima dicit sanctus Apostolus: *Omnia autem nuda & aperta oculis ejus*, ad quem priusquam cognoscat Deum anima, & fidem veritatis accipiat, quibusdam se velut superstitionum velat operibus, & tamquam improbitatis se muro circumfovet: ita ut videatur sibi intra munimenta iniquitatum suarum inexpugnabilis posse consistere; at ubi vox sacra tonuerit, statim subruitur ejus desperatio, cogitatio dissipatur, & ita cuncta ejus su-

Tuba sacerdotalis prædicationis figura.

Murorum Jerico subversio, conversionis peccatoris.

Heb. 4. 13.

A perstitionum munimina resolvuntur, ut nuda remaneat, sicut scriptum est: *Verbum Dei usque ad divisionem spiritus ejus medullarum pertranseat*, sicut tunc sacræ vocis sonus contumacem populum destruxit, captivavit & ultus est ira: ita & nunc sacerdotalis prædicatio populum peccatorem subjugat, captivat, & ulciscitur. Sic enim dicit B. Apostolus: *Arma militiæ nostræ non carnalia, sed fortia Deo ad destructionem munitionum, cogitationes destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei captivantes, parata, inquit, vindicare omnem inobedientiam.*

B

2. Videte igitur, si non in sacerdotum lingua, juxta dictum Apostoli, sunt quædam arma verborum, quibus & destruitur vana cogitatio, & captivatur inflata superbia. Et in or...... autem vindicatur contumacia. Nam quod tunc circa Hierico civitatem factum est, sicut diximus, in figura factum est. Siquidem nunc hoc ipsum in veritate contigit. Legimus enim sacerdotes illo in tempore supradictam civitatem septem diebus jugiter circuisse, & cum illam manus armatorum expugnare non possit, tubarum undique sono fuisse subversam: tubarum, inquam, non quibus horridus miles personabat, sed quibus sacratus pontifex increpabat. Nam quis illius timeret tubam, cujus gladium non timebat? His ergo diebus muri sacerdotalibus tubis circumdati ceciderunt, his diebus legimus mundi hujus opera consummata. Vides igitur quia hoc septenario numero per sacerdotes non tam una civitas destruitur, quam totius [mundi] iniquitas dissipatur. Nam sicut singularis urbis nuncupatione universi mundi habitus figuratur; ita & septem dierum curriculo septem millium annorum spatia distinguntur, per quæ sacerdotum prædicationum tubæ ipsi sæculo excidium adnuntiant, judicium comminantur, sicut scriptum est, *quoniam & mundus peribit; & omnia quæ in mundo sunt: qui autem facit voluntatem Domini manet in æternum.*

C

D

Explicit.

HOMILIA IV.

Incipit de Zacchæo.

E

1. FRequenter, fratres dilectissimi, hujus evangelici capituli parabolam prædicare volueram, & Zacchæi divitis gratiam planioris facundiæ oratione percurrere; etiam copiosius esse in laude ipsius, quoniam ipse in suam extitit liberalis salutem. Quis enim non conlaudet hominem, qui potuit divitias suas sibimet condonare, & temporalis census dominio dominatum sibi adquirere sempiternum? sibi, inquam, donare divitias suas: alienum est enim quod habemus, non competenter coütimur ad salutem: quamvis enim quod videtur meum

Heb. 4. 12.

2. Cor. 10. 4.

1. Joh. 2. 17.

Luc. 19. 2.

non erit, si, me recedente de sæculo, absque utilitate mei reservetur in sæculo. Volueram ergo Zacchæi divitias & gratiam prædicare, divitis plane & semper divitis, quia divitior meruit Christo esse, quam sæculo. Et locupletior fuit substantia fidei, quam thesauro temporali. Laudabilis igitur Zacchæus est, quia divites a regni cælestis gloria secluduntur, dicente Domino, *Facilius est camelum transire per foramen acus, quam divitem in regnum cælorum.* Hic per ipsas divitias intrare properavit in regnum, & per illam viam & angustam acus cavernam tortuosa membrorum mole transire, & quod aliis ad perniciem objectum est, huic profuit ad salutem. Sed ne mirum sit, quod in homine deformia cameli membra descripserim. In homine enim cameli deformitas est, non corporis fœditate sed mentis; nec habitus pigritia, sed cordis ignavia. Nam sicut camelus vitiosus est inæqualitate membrorum, ita & homo deformis est asperitate peccatorum. Hoc enim significat Dominus dicendo *facilius est transire camelum per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cælorum.* Hoc est, difficile est peccatori per illam arduam & angustam vitæ cælestis viam, exspoliata & attenuata delictorum pravitate transire. Valde enim opus erit castigare & in subtilitatem redigere mores suos, cum qui voluerit ex vitiosa & pigra mole ad supernam illius puritatis substantiam transmeare. quod nisi ita fecerit, tam onustum & parvum animal in angusta cælesti porta offendit.

Zacchæus ditior Christo quam sæculo

Matth. 19. 24.

Per divitias intravit in regnum cœlorum.

Peccatori angusta ad cœlum via.

2. Laudandus ergo Zacchæus est, quem divitiæ suæ a [illegible]gio limine expedire minime potuerunt. Immo laudandus est, quod eum ad regni limen divitiæ perduxerint. Unde intelligimus ad Christi consequendam gloriam non obesse divitias, sed prodesse; si tamen possidens eas, non effundat ad lasciviam, sed eroget ad salutem. Crimen enim non est in facultatibus; divitiæ enim insipientibus fomenta sunt improbitatis; sapientibus adjumenta virtutis; his occasio salutis datur, illis scandalum perditionis adquiretur.

Divitiæ prodesse possunt ad salutem.

Explicit.

HOMILIA V.

Incipit sequentia.

1. SUperioris Dominicæ tractatu credo divitesquosque lætari, & gratulari eos quibus patrimonii causa præclusam cælestem januam Zacchæus aperuit. Aperuit enim ille cælestem januam, dum eos docuit hoc ipso pervenire ad regnum, quo arcebatur a regno, scilicet ut substantia quæ eis exprobrabatur ad perniciem, proficeret ad salutem. Multum ergo Zacchæus divitibus contulit, ut eos faceret in æternum suas divitias possidere, ut qui hic num- A quam pauperes fuerunt, nec essent in futuro mendici, sed quadam lucrativa commutatione reciperent pro parvis magna, pro terrenis cælestia, pro temporalibus sempiterna. Lucrativa plane commutatio est nolle habere quod possides, ut possis obtinere quod non habes, & jacturam facere quamdam relinquendæ pecuniæ, ut quæstum capias semper gratiæ possidendæ.

Zacchæus divitibus aperuit cœli januam.

2. Zacchæus ergo cum esset publicanus & pecunias fœnerando, magnas divitias usurarum fraude quæsisset, subito videns Christum, ita conversus est, ut majori concupiscentia B gratiam spiritualem quæreret, quam quæsierat peccuniam sæcularem, ita, inquam, conversus est, ut anteacta sua respiciens, fraudes suas ipse damnaret, & emundans concupiscentiam, emundaret & primitus conscientiam. Ait enim: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si cui quid tuli, quadruplum reddo.* Dicat fortasse aliquis, cur vir sanctus & salvatorem præsentem videns, non totum pauperibus, sed dimidium sit largitus, quia scriptum est: *Si vis perfectus esse, vende omnia tua, & da pauperibus, & veni sequere me.* Verum si C diligenter attendas, iste persecutus est, quia non dimidium, sed totum dedit. Nam tolle aliena de medio, & Zacchæo nihil remanet. Denique vir justus, ut accepta esset ejus liberalitas, scivit juste disponere; scilicet aliena restituendo. Hæc est enim apud Dominum grata eleemosyna, quæ ex vernacula exhibetur substantia, non quæ fraudulenta præda tribuitur. In pauperum enim largitate, non spolia, sed dona quæruntur. Ceterum quale illud munus est, quod alter cum gaudio accipit, cum lacrymis alter amittit; super quod ille gratulatur, iste suspirat: unde nescio quantum te D accipientes adjuvet gratia, multum te tamen ingemiscentes gravat querela. Quamvis enim largiaris totum, meliorem eleemosynam facis, si reddas alienum. Nam sanctus Zacchæus hoc prævidens, reddidit quod sustulerat, ut acceptum fieret quod donabat. Ait enim; *Si cui quid tuli, quadruplum reddo.* Vide quod semel peccaverat, quatenus emendavit. Bonus enim fœnerator sciens quid divini emolumenti haberet, pecuniam quam cum usura acceperat, cum multiplici usura restituit: imitandus nobis omnibus, & fœneratoribus hujus temporis E imitandus. Sed quod pejus est, sunt plerique qui ejus non imitantur gratiam, imitantur usuram; sciunt diripere, restituere prorsus ignorant. Et cum illic quod accepit sponte quadruplum reddiderit; isti etiam coacti nec semel invasa restituunt; malunt sua perdere litigando, quam aliena restituere componendo.

Ejus conversio.

Luc. 19. 8.

Non dimidium bonorum dedit, sed totum.

Marc. 10. 21.

Restitutio melior eleemosyna.

Luc. 19. 8.

Explicit.

HOMILIA VI.

Item sequentia.

Retinet vestra sanctitas, fratres, quod in die beatissimæ epiphaniæ diximus in Jordane Dominum baptizatum, & prosecuti sumus, quod nostri magis causa, quam sui, voluerit hoc mysterio consecrari. Nostri plane causa hæc universa perfecit. Nam illi ad quem profectum necessaria consecratio, qui ipse est Sacramentum? ad quem usum in eo mysterii solemnitas, in quo est plenitudo mysterii? In ipso est enim plenitudo, sicut ait Apostolus, quoniam *in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Et iterum evangelista: *De plenitudine ejus omnes accepimus*. Ergo in quo plenitudo divinitatis erat, non indigebat ut sacramentorum mysteriis impleretur: sed ideo mysterium implere voluit, non ut ipse profectum caperet; sed ut nobis plenitudo mysterii proficeret, denique Johanni Baptistæ renitenti, & dicenti *Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Ait illi Dominus: *Sine modo, sic enim oportet nos implere omnem justitiam*. Implere, inquit, omnem justitiam. Cur ergo baptizatur Dominus? non justitia justificat Christum, sed ipsa justitia sanctificatur a Christo, & semiplena virtus ab eo impletur, cui inest plenitudo virtutum. Ait igitur Johannes: *Ego a te debeo baptizari*. contestat ergo Dominum non sui causa esse baptizatum, cum antequam baptizaretur ab eo, se magis baptizari Johannes expostulat. Demonstrat enim hoc dicendo, majorem gratiam esse in mysterio Domini, quam in magistro mysterii. Quid enim illi consecrationis poterat tradere, a quo sanctificationem accipere ipse optabat. Inferior enim erat magister meritis, quam discipulus sanctitate? Christi enim comparatione, & magister imperitus, & justitia semiplena, & aqua est turbulenta. At ubi baptizatur Dominus, benedictioni ejus & magister proficit, & justitia impletur, & unda purgatur. Purgata est enim unda, quæ cum esset vilis & frigida, benedictionis Dominicæ calore ditata est: ita ut quæ vix antea mundanas rerum maculas diluerit, nunc spirituales purificet maculas animarum. Nec miremini, quod aquam, hoc est substantiam corporalem, ad purificandam animam dicimus pervenire. Pervenit plane, penetrat conscientiæ universa latibula. Quamvis enim ipsa subtilis & tenuis, benedictione tamen Christi facta subtilior, per occultas vitæ causas ad scelera animæ spiritus rore pertransit. Subtilior enim est benedictionum fluxus quam aquarum meatus. Unde & diximus quod in Salvatoris baptismate, benedictio quæ defluxit tamquam fluvius specialis, omnium gurgitum tractus, & cunctorum fontium venas infecerit. Mirum enim in quo, dum Christo in Jordane posito, aquarum quidem flumina labantur. Sed & benedictionum fluenta currebant, inde alvei gurges turbidior ferebatur. Hinc fons Salvatoris purissimus emundabat, & stupore quodam deorsum ad Jordanis originem consecratio baptismatis ascendebat, & contra aquarum fluvium, benedictionum fluvius ferebatur. Unde David sanctum arbitror dixisse *Jordanis conversus est retrorsum*. In baptismate enim Christi retrorsum Jordanis non aquis conversus est, sed sacramentis, & ex natura sui originem benedictione magis, quam substantia remeavit. Dum enim consecrationis gratia per eum cunctis fontibus circumfertur, videatur cursum proprium ad venarum exordium revocasse.

Col. 2. 9. — Joh. 1. 16. — Matt. 3. 14. — Matt. 3. 15. — Psal. 113. 3.

Explicit.



FAUSTI EPISCOPI
SERMONES SEX
AD MONACHOS.

SERMO I.

Ex ms. domini Chauvelin regiorum sigillorum custodis.

Vita monastica vita certaminis.

1. AD locum hunc, carissimi, non ad quietem, non ad securitatem, sed ad pugnam, ad certamen convenimus, ad agonem huc processimus, ad exercenda cum vitiis bella conscendimus. Vita enim nostra hostes nostri sunt, de quibus scriptura pronuntiat dicens: *Cave ne umquam habeas cum eis sedem*. Necessaria nobis est, fratres, pervigil cura, indefessa custodia, quia conflictus iste sine fine, hostis iste sine

pace est. Hostis iste vinci potest, recipi in amicitiam non potest. Et ideo prælium istud quod suscepimus, satis durum, satisque periculosum est, quia inter hominem geritur, & nisi cum ipso homine non finitur. Ideo nos ad tranquilla hæc secreta & spiritualia castra contulimus, ut quotidie contriti, passiones nostras infatigabili congressione certemus: ut quotidie moribus nostris quasi famulas voluntates nostras subjiciamus, ut cordis nequitias circumcidamus vel linguæ gladium retundamus. Non solum invicem non inferamus injurias, sed nec ab aliis sentiamus illatas.

Ad eam quæ pertineant.

2. PECULIARITER enim ista ad professionem nostram pertinent, nihil in hac vita consolationis requirere, nihil honoris; præsentium rerum solatia refugere, & ad promissa æternæ remunerationis præmia animum præparare. Subjectione & abjectione gaudere, & paupertatem studio quærere: & non solum facultates, sed ipsas voluntates de cordibus eradicare. Nihil enim proprium habere interdum res necessitatis exigit, nihil autem concupiscere res virtutis.

3. Illud etiam scire debemus, quod qui inter nos vitam habere constituimus, aut cum grandi periculo vel diligentes vel etiam negligentes sumus. Unde felix est illa anima, quæ dum bene in congregatione versatur, multorum gaudium est, & plurimi ex ea vel ædificantur vel illuminantur. Bona enim dum multis communicantur, adduntur. Ad quod etiam sapientissimi illius sententia respicit, quæ dicit: *Fili mi, si sapiens fueris, tibi & proximis tuis.* Itaque si quis in congregatione positus, humilitatem se sequentibus aut patientiam præbuerit, quantum ex se bonum proximis commodat, tantum in se aliorum lucra convertit. Si vero e contrario per inobedientiam vel superbiam quæret, quod pejus est, facilius inveniri solet, ad mali exemplum sive iniquitatis alios attraxerit, quantos destruxerit, de tantis periculum damnationis incurrit, quantis detrimentum fuit, tantis damna contraxit, & peccatum quod ab illo semel recessit, ad eum multipliciter redundabit. Quamobrem sicut ille valde admirandus est atque laudandus est, cujus cursus bonus multorum profectus est: ita ille non immerito lugendus est, cujus vita multorum ruina est. Ideoque, fratres carissimi, quæ ad ædificationem pertinent, ea in medio positi agere studeamus, ne via nostra aliorum virtutibus noceat, & ne aliorum fervorem tepor noster debilitet. Et ne aliorum patientiam nostra iracundia violet; nec aliorum humilitatem superbia nostra depravet; ne aliorum pulchritudinem fœditas nostra contaminet. Ne aliorum ardentes extinguamus lampades, si nostras illu-

Prov. 23. 15.

Humilitas & patientia.

A minare non possumus. Et quidem illæ fatuæ virgines quamlibet fatuæ essent, non tamen alienas extinguere lampades, sed suas illuminare cupiebant; & ideo ad istarum similitudinem, si cui nostrum deest pinguissima gratia humilitatis, & si deest ignis fidei, si flamma fervoris, si oleum caritatis, si lumen discretionis; veniat ad eos quos magis abundare prospexerit, gratiam in se a proximis non auferendo, sed imitando transfundat, & bona possessionis alienæ non solum sine damno, sed etiam

B cum lucro possessoris invadat. Numquam enim sentit luminis damnum plurimis ignis accensus, nec minuit solis lucem considerantium multitudo, quanti ad eum perspexerint, tantis munera sua commodat; & ipse tamen semper integer perseverat.

4. Benedicta illa anima est a Deo, cujus humilitas alterius confundit superbiam, cujus patientia alterius extinguit iracundiam, cujus obedientia pigritiam tacite alterius increpat; cujus fervor inertiam alieni teporis exsuscitat, qui proximi sui præ ira turbatum oculum cordis gratia consolationis

C atque ædificationis illuminat. Melius est huic quam illi qui fratrem paululum ab aliquo contristatum, non tamen solatio suo porrecta manu non sublevat, sed titubantem, sicut parietem inclinatum maleloquiorum impulsu adjuvat ad ruinam, & salubriter pro disciplinæ ratione correctum per sinistra consilia sic incitat, ut allidat; sic armat, ut perimat.

5. Itaque fratres cui mala propria non sufficiunt, ille sic agit, ut judicium etiam alienæ perditionis incurrat. Certi sumus, carissimi, quod nisi caveamus, nisi nostras

D quotidie passiones resecemus & circumcidamus, deteriores multum nos effici, quam fueramus, dum in hoc sæculo viveremus: ita ut fiant extrema nostra pejora prioribus. Et quidem, carissimi, quamdiu quæ ad mundum pertinent, illis actibus & negotiis eramus militantes, in quibus nunc & erubescimus. Tunc nobis adversarius non obstabat, immo etiam consentiebat, quod circa miserabilem ac perditam vitam nostram non inveniebat in quo exerceret invidiam suam. Delectabantur illum nostra ope-

E ra, sufficiebantque illi per se nostra crimina & peccata. Quis enim suscipiat bellum contra militem suum, & quis velit impugnare subjectum suum? Sed super omnem infelicitatem erat vita illius, cui nocere dedignabatur inimicus. At vero nunc postquam voluptatibus illius renunciavimus, vidit cultores suos ad actoris pristini rediisse famulatum, vidit in nobis quodam modo idola sua in Dei templum mutari, & frendens & tamquam leo rugiens omnes nocendi aditus pervigil insidiator explorat. De quo leone apostolus bene attestatur: *Vigilate*

Passiones quotidie resecandæ sunt.

Diabolus bonis, non malis infestus.

1. Pet. 5. 8.

late quia adversarius vester diabolus, ut leo rugiens circuit quærens quem devoret. Beati quos hic leo inquirendos judicat & sequendos utique virtutum vestigiis & odore meritorum. Non enim ab illo inquiruntur nisi boni, quia se ultro ingerunt mali. Post illos violenter currit. Hos etiam negligenter incurrit. Beati igitur quos hic leo invidia cogitur quærere, & malitia non permittitur invenire. Terribiliter quidem sonat in auribus nostris dum audivimus *Tamquam leo rugiens*. Sed quia dictum est: *Escæ ejus electæ sunt*; quod quærit electionis est; quod rugit desperationis est. Sicut in alio loco legimus: *Dentibus suis frendet & tabescet.* Ita hæc loquitur sermo divinus, ut terrori conjuncta sit consolatio. Cruenti quidem est *Frendet*; sed victi quod *Tabescit*. Et inter quanta sint illa quæ à Deo præparata sunt homini livor prodit inimici.

6. Hæc itaque carissimi cogitantes, & in hoc agone desudantes gloriosi & præclari patris nostri (*a*) nos & discipulos meminerimus esse & filios. Rapiamus unusquisque quod possumus de bonis intestati parentis. Hic de hereditate assumat fidei olosericam gestorum varietatem pretiosam. Hic mansuetudinis ac simplicitatis occupet talentum. Ille decus pectoris benevolentiæ ac sapientiæ monile sibi vindicet. Hic margaritam compunctionis & thesaurum castitatis invadat. Licet enim ille locupletissimus Dei amicus, quicquid habuit integrum secum tulerit, & nobis tamen, si volumus, totum reliquit. Ita ergo agamus bona illius sectantes, ut qui in æternam gloriam suscitandus sub fine sæculorum reddetur, nunc ecclesiæ prole divina in filiis per merita jam resurgat.

ITEM SERMO II.

1. Quod supplente & quodam modo cum caritate jubente Deo & vestra fraternitate, qualemcumque sermonem profero; facio hoc non ex aliqua præsumtione; sed ex vera & integra caritate. Et licet tam perfecti Deo propitio sitis, ut admonitione nostra minime egeatis: tamen imperante caritate quæ nescit timere, etiam quod optime implere vos novimus suggerere & admonere cum vera humilitate & perfecta caritate præsumimus, non tamen sine verecundia, cum nos necdum idoneos noverimus esse discipulos, & ad opus sanctum videamur excitare magistros. Cum simus tepidi cogimur ammonere ferventes; cum simus peccatores, arguimus justos; cum simus imperiti, doctores instruimus; cum simus in pelago hujus mundi nimiis

Fausti modestia.

A fluctibus agitati, ad eos qui ad portum tam feliciter pervenerunt prædictionis verba proferimus. Sed tamen, fratres dilectissimi, quia solent naves superatis & devictis fluctibus pelagi, etiam in portu tutissimo laborare, & nisi grandis cautela fuerit, pene submergi; cum summa humilitate & ingenti reverentia ammonemus, ut quia vos Christus capitalibus criminibus tamquam de periculosis liberavit fluctibus, in portu quietis & beatitudinis constituti, parvas negligentias, & quasi minuta peccata, quæ sic in anima confluunt, quomodo per minutissimas navis rimulas in sentina guttæ

Minima etiam peccata monachis studiose vitanda.

B concurrunt, cum omni vigilantia, Christo adjuvante, exhaurire jugiter festinetis. Nam quomodo navis postea quam pelagi fluctus evaserit, si in portu sentinata non fuerit, de minutis guttis impletur & mergitur: sic & monachus, devictis & superatis mundi hujus criminibus, quasi periculosis fluctibus, cum ad portum monasterii venerit, si surrepentia vitia & minuta & cotidiana peccata de animæ suæ sentina exhaurire neglexerit, in ipso portu naufragii discrimen incurrit. Sed dicit aliquis, quomodo potest anima sentinari? Utique orando,

C jejunando, vigilando, veram caritatem & veram humilitatem & veram obedientiam exhibendo. Attendite, fratres, quomodo navis sentinatur a situla, sic anima ab operibus malis oratione dominica liberatur: si dicat & verum dicat: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Qui enim omnibus in se peccantibus clementer indulserit, nullius peccati vestigium in illius anima remanebit. Attendite, fratres, & considerate quod dixi, qui in se peccanti indulserit, non dixi quod

Quam prosit in te peccanti indulgere.
Matth. 6. 12.

D qui in Deo peccaverit, ipsi debeas veniam dare, quod pejus est; ALIQUOTIENS qui in nobis peccaverit, aut tarde, aut difficile veniam damus; qui in Deo deliquerit, celeriter indulgemus. Sed si volumus juste agere, illi qui in Deo peccaverit, sine severissima districtione non debemus indulgere, nedum illi per indiscretam pietatem remittitur, exemplum perditionis aliis præbeatur. In suo ergo se unusquisque ostendat clementem, quia Dominus ait: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis pater vester cœlestis peccata vestra.*

Matth. 6. 14.

E 2. Quando vero in Deum aliquis peccatum præsumit admittere, districtionem debet monasterialem sustinere. Et hoc bonum pio animo debet fieri, ut spiritali castigatione ita corrigatur in hoc sæculo, ut non pereat in futuro: quia omne peccatum quod in hoc mundo non corrigitur, in futuro sæculo punietur. Sic enim de filio, de servo divina scriptura commemorat: *Tu*, inquit, *virga eum cædis, & animam illius de inferno liberabis.* Et ideo si-

Prov. 23. 14.

[*a*] S. Honorati haud dubium, qui fundavit ac rexit Lerinense monasterium, ad cujus monachos loquebatur S. Faustus & ipse etiam ante episcopatum ejusdem loci monachus.

cut supra suggessi, non solum capitalia crimina caveamus, sed etiam parvas negligentias, [quas] quotidie quasi venena diaboli respiramus. Sunt enim nonnulli qui post religionis professionem, qua videntur exisse de sæculo, nimia securitate solvuntur, & impletur in eis sententia Domini
Apocal. 3. 15. qua dicitur: *Utinam frigidus esses, aut calidus: nunc autem quia tepidus es, incipiam te vomere ex ore meo.* Quid est quod dixit: *Utinam esses calidus aut frigidus?* Nunc autem quia & de sæculo recessisti, & spiritalem fervorem per negligentiam tuam apprehendere noluisti, tepidus effectus es, ex ore Domini vix iterum recipiendus evomeris.

Quam lugendi perversi monachi. Prov. 4. 23.
3. Ideoque, fratres carissimi, sententiam divinæ scripturæ diligenter attendite, qua dicitur: *Omni custodia serva cor tuum.* Sicut enim gaudendum est de monacho, qui in monasterio voluerit mansuetudinem, obedientiam, patientiam mitis & humilis exhibere: ita e contrario lugendum est, de illo qui corpore tantum videtur de hoc sæculo exisse, corde tamen in mundo aut remansisse infideliter, aut rediisse infeliciter cognoscitur, & pro humilitate profert superbiam, pro patientia iracundiam, pro obedientia contemtum, pro caritatis medicamento malitiæ effundit venenum. Talibus convenit illa beati Petri vera & multum timenda sententia.
2. Pet. 2. 20. *Melius*, inquit, *illis fuerat non cognoscere viam justitiæ, quam post cognitionem retrorsum converti.* Et iterum:
2. Pet. 2. 21. *Canis reversus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti.* Sed nec de talibus desperandum est, fratres, quia potens est Deus orantibus vobis scintillam compunctionis accendere, & omnem sæculi voluptatem velut spinas & tribulos nequitiæ salubri igne consumere, illo utique igne,
Luc. 12. 49. de quo Dominus ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat?*

4. Orate ergo, fratres dilectissimi, non solum ut vobis Deus perseverantiam bonam dignetur tribuere, sed & illi qui negligentes sunt, tandem debeant de fovea superbiæ se sublevare, & de laqueis eruere. Si enim vobis orantibus, & cum caritate consilium dantibus, quicumque sunt tepidi & negligentes fuerint emendati, duplicatum vobis præmium Dominus & de vestra & de illorum correptione recompensare dignabitur.
Nec boni debent extolli, nec mali desperare. Nam nec illi qui boni sunt, se debent quasi de suis meritis extollere; nec illi qui negligentes sunt, de Dei misericordia desperare: sed illi cum humilitate Dei bona custodiant, & isti cum grandi compunctione celerius ad pœnitentiam vel correptionis medicamenta confugiant: quia qui bonus est, si superbire cœperit, humiliabitur; & qui superbus est, si se humiliaverit, per Dei misericordiam sublevabi-

A tur. Tantum est, ut se non permittat amplius durissimo jugo premi, nec nimia & periculosa dissimulatione in peccatis perseverando diutius obdurari: sed tam cito confugiat ad pietatem Dei, ut in se peccati vestigium non relinquat. Optime calidis adhuc vulneribus malagma vel fibula apponitur: quia si velox fuerit ad cœlestem medicum intentio resurgendi, vestigium peccati non poterit remanere cum lapso, quia sub manu omnipotentis medici & cito perit morbus, & velociter sanatur ægrotus.

B 5. Iterum atque iterum rogo & admoneo, fratres, ut obedientiam & humilitatem & caritatem non solum senioribus & coæqualibus, sed etiam junioribus exhibere jugiter studeatis: quia quælibet bona servus Dei habere contendit, & omnia perniciter perdit, si in illo humilitas & caritas vera non fuerit. Nolite murmurare, fratres, scriptum est enim quod murmurantes a serpentibus perierunt. Nolite detrahere, fratres, quia scriptum est: *qui detrahit fratri eradicabitur.* Nolite iracundiam in corde servare; quia scriptum est: *Ira enim viri justitiam Dei non operatur.* Jac. 1. 20.
C Nolite vos invicem odio habere, propter illud quod scriptum est: *qui odit fratrem suum homicida est.* 1. Joh. 3. 15. Sed non opus est ut diutius sanctam caritatem vestram verbis doceamus, quod vos ad Christi gloriam operibus implere & cognoscimus & gaudemus. Hoc solum specialiter petimus, ut quia vos Deus in locum quietis & tranquillitatis collocare dignatus est, pro nobis quos sæculi istius tempestates & innumerabiles fluctus affligunt, abundantius Domino supplicetis: ut si nobis, qui non meremur, gloria non dabitur; saltem vobis orantibus peccatorum venia tribuatur.
D Amen.

ITEM, SERMO III.

De pœnitentia.

Detur pœnitentia sæculari, cujus adhuc cervix sub jugo dependet sæculi, & huic pro immanitate delicti terminetur tempus, cui adhuc tempus servit. Ceterum si abrenuntians sæculo & ejus militiæ, & spondens se cunctis diebus serviturum Deo, cur pœ-
E nitentiam mereatur, qui liber effectus, velut onager sectatur eremi vastitatem, sicut ait Job: *Quis dimisit onagrum liberum in deserto?* Job. 39. 8. A leone fortiter caveat, & arentibus herbis & poculo exiguo alatur in eremo. Erigat in aëra caput, & flagrantem nimium sitis ardorem Spiritus-sancti aura restinguat, ne dum valde desiderat amœna virentia, nimiis deliciis præpeditus periculum salutis incurrat.

Igitur abrenuntianti publica pœnitentia non est necessaria, quia conversus inge-

muit, & cum Deo æternum pactum inivit. Ex illo igitur die non memorantur ejus delicta quæ gessit in sæculo, in quo facturum se justitiam de reliquo promiserit Deo. (a) Ergo post chyrographum (b) de quo se monachus debitum ex tota fide promiserit implere, etsi fidelis factus peccaverit in sæculo, post abrenuntiationem iterum factam Dominicum corpus non dubitet accipere, ne occasione humilitatis nimiæ prolongetur a corpore & sanguine, cui se junxit ut unum corpus efficeretur. COMMUNICARE ergo non desinat, qui peccare quievit, tantum de reliquo non peccet. Nam sicut ignis iste visibilis duas in se quasdam efficantias habet, id est comburere fragilia & illuminare tenebrosa: ita ignitum illud Dominicum corpus, quando cum metu & reverentia grandi fuerit sumtum, corporis quidem delicta consumit, animæ vero sensum illuminat. Et idcirco maxime frequentius communicare debet. Si vero fuerit, sicut scriptum est, lepra in pelle, immunda erit, id est peccatum in monacho, quia pellem esse monachum scriptura pronuntiat, mortificantem membra sua super terram, cujus ossibus adhæsit caro, quæ immutatur propter oleum, & a jejunio infirmatur, & jejuna velut fœnum arescit. Ergo si in hac pelle visa fuerit lepra, immunda erit, & nisi fuerit jacintina aut rubra pura, ad ornatum tabernaculi non erit apta.

NOTA.

Communio sacra commendatur.

IV. S. FAUSTI ADMONITIO necessaria de die judicii, & malorum pœna, vel bonorum gloria; & quod etiam laïci non mutato habitu possint & debent quotidie pœnitentiam agere.

Ex Mss. Corbeiensi litteris Merovingicis ante annos mille exarato.

ROgo vos, fratres carissimi, ut sicut frequenter admonui, diem mortis nostræ & terribile ac metuendum judicium jugiter studeamus cogitare. Admoneo enim, peccatorum vulnera nulla invenire possunt utiliora remedia, quam ut unusquisque cogitet horam illam, quando erit de hoc sæculo migraturus. Quomodo enim potest fieri, ut aliqua peccata præsumat admittere, qui se momentis singulis credit de hac luce migrare. Sic enim scriptura dicit: *Memento fili, quod mors non tardat.* Et illud: *Memento novissimorum, & desistes inimicare.* Qui enim diligenter attendit quam dura erit examinatio ante tribunal Christi, ubi recepturus est unusquisque secundum operam suam, non ei poterunt placere peccata vel crimina propria. Cum ante illum tremendum judicem congregati fue-

Eccli. 14. 12.
Eccli. 28. 6.

A rint omnes gentes, quid tunc erit injustis & adulteris atque rapacibus? fletus oculorum, stridor dentium, cum sanctorum multitudine ad dexteram regis æterni, & gloriam segregata, peccati populo in profundo tartari sine ullo miserationis fine aut veniæ demerso, excludi se in tenebris suis a sanctorum beata luce viderit & profundo inferni sine fine descendens, urguere os suum puteo æterna supplicia & perpetua morte non moriturum. Petit frustra extremum Lazari digitum quod ardens refrigeretur, arentibus labiis rogavit apponi. B Et ideo, fratres carissimi, dum adhuc licet, consideremus conscientias nostras, & si aliqua crimina vel peccata capitalia necdum eleemosynis & orationibus purgata in nobis adhuc dominari cognoscamus, portum pœnitentiæ, devictis peccatorum fluctibus, Christo gubernante, festinemus intrare, & si quid in navicula animæ nostræ multis tempestatibus peccatorum, aut per avaritiam, aut per superbiam, aut iniqua cupiditate corruptum esse cognoscemus, componere vel reparare bonis operibus festinemus. Non enim nocent peccata præterita si non placent; sicut nulli justorum sufficit C justitia sua, si non perseveraverit usque in finem. Ita nulli peccatorum nocere poterit iniquitas sua, si antequam de corpore isto discedat, ad eleemosynarum remedia vel pœnitentiæ medicamenta confugerit. Sed quia quando, vel qua hora de hoc sæculo rapiamur scire non possumus, sine ulla dilatione vel absque mora de sinistra fugiamus ad dexteram. Non enim sanitatem credendum est, non ætatem in remedium salutis suæ semper... intardus est: quia vitæ suæ semper incertus est, quia qui nos securus facit, dicendo peccatori: D *in quacumque die conversus fuerit, omnes iniquitates illius oblivioni tradentur*; ipse etiam nos cautos voluit esse dicens: *Nolite tardare converti ad Dominum, ne differatis de die in diem.* Sed forte quando generaliter omnes ad pœnitentiam provocamur, aliquis intra se cogitat dicens: Ego juvenis homo uxorem habens, quomodo possum aut capillos minuere, aut habitum religionis assumere? Nec nos hoc dicimus, fratres carissimi, non hoc prædicamus, ut juvenes qui conjugia rationabilia habere videntur, habitum magis quam mores debeant com- E mutare. Quid enim homini uxorem habenti nocet, si mores perditos noluerit habere, & ad opera bona vel honesta convertere, si peccatorum suorum vulnera eleemosynis & orationibus ad sanitatem pristinam revocare? Vera enim conversio sine vestimentorum commutatione sufficit sibi:

Ezech. 33. 12.
Eccli. 5. 8.

[a] Hinc patet professionem religiosam esse secundum baptisma, quo cuncta in sæculo commissa peccata abluuntur, id quod & alii sancti patres diserte docent.

[b] Scripto ergo commendabatur pactum, quo monachi perpetuo se Deo servituros devovebant, id quod postea etiam præscripsit S. Benedictus in Regula cap. 58.

vestimenta vero religiosa sine bonis operibus non solum remedium habere non poterunt, sed etiam justum Dei judicium sustinebunt. Convertamur ergo ad meliora dum in nostra sunt potestate remedia. Hic extinguamus mortem moriendo peccatis. Hic vitam vitæ meritis comparemus, præstante Domino nostro JESU CHRISTO, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V.

in die sancto Paschæ.

Ex Ms. Morbacensi.

1. OPortune & congrue sub die insigni solemnitatis hodiernæ in voce exultationis assurgimus, & cum Apostolo dicimus: *Ecce nunc dies salutis.* Hodie interfectis Ægyptiis, de luto ac paleis Dei populus, id est de vilissimis ac inanissimis operibus, liberatur. Hodie Agnus ille qui tollit peccata mundi in redemtione humanæ salutis offertur; quando postes domorum sanguine illius jubentur inscribi, id est crucis titulo frons nostra depingi, ne locum angelus exterminator inveniat. Sub hoc tempore excutitur Pharao cum exercitu ejus in mari rubro, pereuntibus sacro in fonte peccatis, tamquam in rebras Ægyptii demerguntur undas, id est Christi sanguine consecratas. Sub hoc reditu pro tempore filii junioris qui perierat & inventus est, id est pro salute gentilium, saginatus ille vitulus immolatus est: junior autem filius nos sumus, seniore fratre, idest Judæis tardantibus & intrare nolentibus, ad Creatorem nostrum revertimur sub pænitudine peccatorum. Everteramus enim & perdideramus acceptam à Deo patre nostro substantiam; videamus quam substantiam, id est uniuersæ naturæ bona. Dei enim substantia est omne quod vivimus, sapimus, cogitamus: intellectus & ratio ad discretionem boni & mali Dei substantia est; etiam libertas arbitrii quam acceperamus, vel ad declinanda blandimenta peccati, vel ad incitandum liberæ voluntatis affectum in auctoris obsequium, vel ad custodiendam imaginem & similitudinem Dei. Has ergo datas nobis & intus insertas à Creatore divitias in pravos transtuleramus usus, & consumseramus in exercitia vitiorum, derelicto fonte virtutum, peregre & nimis longe a patre profecti, non locis ab eo & regionibus, sed cordibus & operibus discedentes. Qui enim sequitur proprias voluntates, & per passiones suas rapitur, à Deo exsul efficitur; ad quem suscepta peccatorum agnitione redeuntibus nobis, & quidem

2. Cor. 6.

Pro salute gentilium vitulus saginatus est immolatus.

A redeuntibus non gressu corporis, sed mentis affectu, cum immensa misericordia, cum ineffabili lætitia & consolatione obviam venit: intrat festa convivii: ordinat choros atque symphonias, id est exsultationes cælestium gaudiorum, quibus angeli exsultant in cælis super uno peccatore pœnitentiam agente. Redeuntibus itaque nobis ad emendationem, hoc convivium quotidie celebratur: quotidie pater filios recipit, semper Christus credentibus immolatur. Hic est ergo ille vitulus saginatus quem in veteri Testamento docemur offerre: vitu- B lus & bubus, id est ex patriarcharum & prophetarum, ex Abrahæ semine descendens: masculus immaculatus; masculus, id est contra omne peccatum robustus & validus: masculini enim & virilis animi est illecebras rupisse peccati, sicut femineæ fragilitatis ignavia est vitii suscepisse lasciviam. Unde & ille typum gerens diaboli Pharao premens populum Dei, inimicus spiritui, amicus carni, fortitudines præfocabat, concupiscentias nutriebat.

2. Mortuus est ergo Christus propter C iniquitates nostras, & sicut ovis ad occisionem ductus est; & *sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum.* Hic est ille agnus quem in una domo comedere ex lege præcipimur, succinctis lumbis nostris. Comedere autem caput cum pedibus quid est in una domo? id est in Ecclesiæ unitate carnes ejus jubemur assumere. Ariani ergo & diversæ hæreticorum perversitates non in una illum comedunt domo; & ideo sicut in diluvio non salvatus est nisi qui intra arcam Noe fuit inventus; ita diversæ fidei homines si extra domum Ecclesiæ sunt, non ha- D bent agnum qui Christus est. Quod vero hujus agni caput cum pedibus comedere nos debere scriptura commemorat, hoc est ut Deum & hominem pari confessione veneremur. Caput ergo divina, pedes humana substantia est. Caput accipiamus de eo quod dicit beatus Johannes: *In principio erat Verbum*; pedes vero de quo Paulus apostolus scribit: *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus est ut homo.* &, *factus ex muliere, factus sub lege.* Opor- E tuit ergo ut hujusmodi agni carnibus succinctis lumbis, id est mortificatis carnalibus passionibus, cum summa cordis & corporis puritate vescamur. Caput cum pedibus, id est ex Deo genitum credamus, & ex homine procreatum. Quod autem dixi, & ex Deo genitum, forte sint aliqui de minus eruditis qui dicant in corde suo, quomodo Deus filium genuit? Nil hic corporeum cogitemus. Quid est enim Deus Deum

Isai. 53. 7.

Ariani non comedunt agnum in una domo.

Christus verus Deus & homo. Joh. 1. Phil. 2. 7. Gal. 4. 4.

Quomodo Deus ex Deo genitus.

[a] Hunc & sequentem sermonem rogatu meo descripsit eruditus vir domnus Remigius *Seiller* ex congregatione S. Vitoni, ex vetusto codice Morbacensis monasterii, ubi *Eusebii Cæsariensis episcopi* nomen præfert, cum aliis sermonibus, quæ Eusebio Emiseno vulgo tribuuntur, quos viri eruditi Fausto Regiensi episcopo restituunt.

Deum

genuit, nisi de igne ignis apparuit, lux de luce processit? Ergo propter aliquos qui tardi sunt ad intelligendum, aliquam speciem jam vel comparationem de terrenis ac visibilibus assumamus. Verbi gratia, si lampas accendatur ex lampade, si una illuminetur ex alia, nonne tibi videtur flammam quodammodo flamma parturiens splendorem de splendore genuisse? Num tibi videtur inæstimabili ratione natum fuisse lumen ex lumine? Et cum de lampade ad lampadem transferatur, licet duæ lampades ardeant, tamen ille ignis ipse est utique in secunda qui splendeat in prima. Numquid de nihilo aut de aliquo novo initio factus est ille ignis? sed magis de natura sui splendoris effusus est: ergo illa illuminatio quæ de prima lampade videtur accensa, non quasi ex nihilo in secunda esse cœpit, sed de cognato splendore processit, qui in primi luminis origine jam manebat. Et licet in utraque lampade gemina & duplex videatur micare flamma, utraque tamen una substantia est; ita & in unigenito Dei Filio etsi personæ species propria est generis, tamen natura communis est, non de Patre incipiens, sed ex Patre cum Patre subsistens.

3. Omnia de nihilo creata sunt; ille solus de Deo Deus. Hic ergo cum in forma Dei esset, formam servi pro servorum salute suscepit; & in ligno crucis cum vita esset in ligno appensus est: quasi seipsum pensaret in pretio perditorum: alapis cæsus est, spinis coronatus est. Quod vero coccinea indutus est chlamyde, indumenta Christi merita sanctorum sunt: item tunc itaque martyrum sanguine in illo coccineo colore perfunditur. Quod autem Judæi purpurea chlamyde indutum flexo adorant genu; velint nolint, regem illum & dominum confitentur. Quod autem in cruce dixit *sitio*, fidem suis requirebat. Sed quia in propria venit, & sui eum recipere noluerunt, pro suavitate fidei acetum ei perfidiæ propinaverunt. Porrigunt acetum malitiæ, quia vinum sapientiæ, quod a Christo acceperant, peccando perdiderant. Potatur acerbitate malorum nostrorum, daturus dulcedinem bonorum suorum. Sed & nunc quotidie quando peccatis contristatur & exacerbatur, acetum quoddam illi potus & cibus fellis ingeritur. Velum templi scinditur; velum ornamentum habitaculi est. Coruscante igitur gratia, ecclesia ædificatur, synagoga destruitur, veli templum honore nudatur, remoto per adventum Christi velamine litteræ; ut cum Apostolo revelata facie legis interiora pandantur. Quod autem monumenta aperiuntur, mortis claustra reseruntur, resurgunt laxata sede tartarea cum Christo sancti: & quem superi non recipiunt, inferi Deum esse cognoscunt. Unde nos agnoscentes erga nos divinorum beneficiorum alta mysteria, respondeamus in quo possumus misericordiæ redemtoris: demus illi compunctionem de peccatorum emendatione pro spinis suis: offeramus illi cor suo timore confixum pro clavis suis: reddamus illi palmam perseverantiæ pro alapis suis.

Christus in cruce pendens pretium perditorum.

Joh. 19. 28.

SERMO VI.

de natali S. Petri.

Ex manuscripto Morbacensi.

1. GLoriosissimos Christianæ fidei principes annuis solemnitatibus honorantes, fratres carissimi, ipsum Deum ac Dominum nostrum, qui hujus auctor est fidei, debita religione veneramur. Apostoli namque latino sermone dicuntur missi: qui ergo honorant missos, manifestum est eos honorare mittentem; cum dignitas quæ defertur ministris, illi sine dubio cujus ministri sunt exhibetur, ut ait ipse Salvator ad discipulos suos: *Qui vos audit me audit, & qui vos recipit me recipit.* Vere beata apostolorum merita, in quibus se Christus & recipi prædicat & audiri: beati nihilominus & illi quorum devotio delata apostolis recurrit in Christum. Tenentes itaque, fratres, tantæ hujus promissionis fidem, de suppliciis patrum nostrorum, pro Christi confessione susceptis, fidelibus gaudiis exsultemus: quoniam qui de martyrum morte lætatur, martyres non dubitat cum Christo regnare post mortem. Nos vero ecclesiarum omnium reverendissimos patres, Petrum dico & Paulum, piissimis studiis honoremus, quibus, Christi præstante gratia, factus est hodie de morte natalis: quibus finis vitæ vivendi initium dedit: quibus, ut ait apostolus Paulus, *vivere Christus erat, & mori lucrum.* Erat utique eis Christus vivere, quibus vita non erat sine Christo: erat eis Christus vivere, quia totum Christi proficiebat ecclesiis quod vivebant. Erat eis & mori lucrum, quia tali hac morte vitam sibi merebantur æternam; erat eis mori lucrum, quorum corruptioni incorruptio succedebat, & damna præsentium temporum lucra perpetua sequebantur. Sed jam necessarium, carissimi, arbitror, ut proprias eorumque speciales virtutes, prout ariditas linguæ nostræ ingeniique tenuitas patitur, immo ut misericors Deus annuit, proloquamur.

Luc. 10. 16.

Finis vitæ in apostolis fuit initium vivendi.

2. Hic itaque ille est Petrus, qui confitendo Christum Dominum vivi Dei esse Filium, validissima invictaque nobis credendi fundamenta constituit. Nam percunctanti Domino quis esse ab hominibus diceretur? respondit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; id est, tu Domine de carne Virginis factus es Christus, qui vivi Dei Filius es sempiternus, tu Domine hominibus natus es ho-

Petri confessio.

Matth. 16. 16.

mo, qui incogitabili majestate Deus es apud Deum. Tu es Christus, qui pro redemtione nostra ad passionem veniens, impassibilis permanes apud Patrem. Quis igitur umquam in tantum hoc incomprehensæ deitatis arcanum humani sensus attollere potuisset obtutum, nisi ab ore Petri salutaris hujus fidei veritas radiasset? Quis meritorum ejus gloriam quamvis magno æquiparare possit eloquio, a quo nobis adorandæ divinitatis fides & cœpit & permanet? Quid tanto gloriosius viro, qui fidem secreti inscrutabilis loquendo edidit, vivendo docuit, patiendo firmavit? Ut autem confessionis hujus quanta esset magnitudo Salvator ostenderet, ait ei: *Beatus es, Simon Barjona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis*; Et *tibi dabo claves regni cœlorum.* Quis ergo Christum per carnem & in carne natum, omnipotentis Patris esse Filium sentire potuisset, nisi propitius hoc ipse Pater per Petrum nobis revelasset e cœlo? Hæc illi confessio dedit, ut ante claves regni cœlestis acciperet, quam cœli januas introïret. Sed ne qua vos, fratres, de creditis Petro clavibus regni more nostrarum clavium cogitatio promoveat, claves cœli lingua est Petri; quia singulorum merita censenda apostolus unicuique regnum cœli aut claudit aut aperit. Non est ergo clavis ista mortalis artificis aptata manu; sed data est a Christo potestas judicandi. Denique ait ei: *Quorum remiseritis peccata, remissa erunt; & quorum detinueritis, detenta erunt.* Hic est Petrus, quem Christi esse confidentissimum subjecta vestigiis ejus maria probaverunt. Nam a Domino suo novos sibi dari in fluctibus gressus, ut fidelis poposcit, & ut dilectus emeruit: qui ob hoc solum trepidasse visus est, ut fragilitas humana cognosceret, quanta esset inter Dominum & servum distantia, dum aggravata peccatis caro mergitur, & immaculati nescit planta desidere: simul & illud, ne dum super aquas ambulans Petrus pede intrepido pervenisset ad Christum, Domini forte sui virtutibus æquaretur. Sed quid illum tantopere dicimus trepidasse, cum pia trepidatio sua majorem profecit ad fidem? Ut enim credidit Petrus imperio Domini sui posse se a fluctibus sustentari; ita nihilominus dum mergitur, credidit ipsius Domini sui se virtute salvandum. Vere beati Petri & dum trepidat mirabilis fides, quam nec urgentis periculi potuit turbare formido: clamando enim dum mergitur, *Domine libera me*, de se diffisus est, non de Domino dubitavit. Ne quis ergo timorem hunc gloriosissimi Petri ducat in vitium: quoniam timor iste quamvis primam ejus turbaverit fidem, confidentiam tamen in eo reparatæ credulitatis ordinavit. Hic est Petrus, cui Christus communionem sui nominis libenter indulsit. ut enim, sicut apostolus Paulus edocuit, *petra erat Christus*; ita per Christum Petrus factus est petra, dicente ei Domino: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Nam sicut in deserto, Dominico sitienti populo, aqua fluxit e petra; ita universo mundo perfidiæ ariditate lassanti, de ore Petri fons salutiferæ confessionis emersit. Hic est Petrus, cui Christus ascensurus ad Patrem, pascendas oviculas suas agnosque commendat: ut quos ille pietatis miseratione redemerat, hic fidei suæ virtute servaret. Et recte sane ei arbiter occultorum Dei Filius pascendas oves suas tuendasque commisit, cui noverat in nutriendo grege dominico nec studium deesse nec fidem. Hic est Petrus, qui dum ad crucem tamquam crucifixi discipulus duceretur, verso se poscens corpore crucifigi, passionem non renuit, sed æqualitatem crucis Dominicæ declinavit; ut ostenderet universis admirandæ scilicet humilitatis virtutem, novique mysterii disciplinam & inter tormenta servasse. Quam securus, carissimi, perrexit Petrus ad crucem; qui repulso timore mortis, moriendi ordinem tam acerba in passione quæsivit.


Ibid. 17. — Joh. 20. 23. — In fluctibus trepidatio. — [Ibid.] 25. — Petrus per Christum factus est petra. Matt. 16. 18.

3. Quid etiam de gloriosissimo referam Paulo, in quo Dominus fidem nominis sui, dum ipsam persequeretur, elegit? qui dum velut acerrimus persequutor Christianam vastat ecclesiam, inimico adhuc ejus in pectore amicum sibi cor Christus invenit: dumque temporalia cepit Christianos ad supplicia, ipse perpetuum captus ad gratiam, factus est subito pastor ex lupo, ex prædone custos, ex hoste defensor. Unde patuit nec Paulum malignæ mentis proposito plebem dominicam persequutum; nec Christum latuisse quem eligeret in Paulo. Hic est Paulus, qui Christi vocibus inclamatus e cœlo, oculis in se Judaicæ infidelitatis obtusis, videndi aciem non perdidit, sed mutavit. Amisit oculos & recepit, ut uno eodemque tempore & in persequentem cæcitatis vindicta procederet, & vocantis Dei gratia illuminaret ecclesiam. Ait namque illi de cœlo Dominus: *Saule, Saule, quid me persequeris?* id est, cur me persequeris Saule? Quæ mea odium erga me tuum excitavit iniquitas? Numquid quia illuminavi cæcos, quia sanavi ægrotos, quia fugavi dæmones, quia esurientes populos quinque panibus pavi? An quia de tumulis mortuos suscitavi? an forte magis quia fidelibus meis regnum cœleste promisi? sed si præstare me posse dubitas quod promitto; aspice, si tamen potes, unde te vel quasi appello. Sed quare me persequeris, Saule, aut quid me persequendo proficis? Numquid adversus regnantem in cœlo ul-

De Pauli mira conversione. — Act. 9. 4.

lum tua persecutio habebit affectum? numquid nocere mihi quidquam poteris, quem non potes intueri? *Ego enim sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris;* qui terras cœlo, crucem regno, mortem perpetuitate mutavi: de quibus omnibus non te debere cunctari, & ereptus tibi nunc & post paululum redditus suadebit aspectus. At beatissimus Paulus repentina quidem cœcitate coërcitus, intellecta tamen majestate loquentis e cœlo, continuo fidelis effectus, & a persequutione destitit, & novos intuendi Christum oculos acquisivit. Hic est Paulus, qui pro suarum remuneratione virtutum, ultra humana merita tertium raptus ad cœlum, cœlestia secreta cognovit; ut ecclesiarum futurus doctor, inter angelos disceret, quod inter homines prædicaret. Aut quis ei impune ultra non credat, qui de sacramentis dominicis non solum audita loquitur, sed & visa testatur. Quanta hoc, fratres, Dei nostri actum est gratia, quod de cœlestibus in apostolatum vocatus est, ut apostolatus ejus consecrare- A tur in cœlo? Et post omnia hic est Paulus qui cervices suas, quas adversus Christi nomen superbus erexerat, perfidorum cædendas gladio humillimus pro Christi honore submisit: nec piguit eum pro illo mori, quem sæpe probaverat vivere & regnare post mortem. Atque ita factum est ut gloriosum Paulum, qui in diversis gentibus pro fide Christi multo certamine dimicando innumera bella peregerat, vel victorem mundi Roma susciperet ad triumphum. Hi ergo sunt beatissimi Petrus & Paulus, B qui sacramentum cœlestis regni uno spiritu prædicantes, sub unius passione diei doctrinam suam pio sanguine & morte fortissima consecrarunt: qui etiam tamquam ecclesiarum omnium principes facti dispensatione cœlesti, Romam petentes sacratissima sua corpora in illius urbis arce recondiderunt, quæ totius orbis obtinuerat principatum: quatenus potentiam virtutis suæ Christus ostendens, ubi mundus caput habebat imperii, ibi regni sui principes collocaret.

Act. 22. 8.



ANTIQUA FORMULA OBLATIONIS PUERORUM IN MONASTERIIS.

Ex Manuscripto Floriacensi annorum 900.

OBSERVATIO PRÆVIA.

FAUSTI Regiensis episcopi Sermonibus ad monachos subjungere visum est duas antiquissimas formulas offerendi pueri secundum Regulam S. Benedicti; unam ex Floriacensi ms. annorum circiter 900. alteram ex pervetusto Elnonensis monasterii S. Amandi codice ante annos octingentos exarato. Quippe non solum viros & adultos in monasteriis suis admitti voluit sanctus legislator noster, sed etiam pueros, immo & infantes, quos parentes involuta palla altaris eorum manu offerentes, ita Deo consecrabant, ut resiliendi tam pueris quam sibi resumendi filios jus omne eripiebant, juxta illud concilii Toletani 4. c. 49. Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit: quidquid horum fuerit alligatum tenebit. Proinde his ad mundum reverti intercludimus, & omnem ad sæculum interdicimus regressum. *Formulas has sequetur regula Sancti Isidori Hispalensis episcopi caput XXV. quod in omnibus editionibus desideratur: cui subjiciemus antiquam regulam monasticam S. Benedicto Anianensi omnino ignotam, utpote*

quam in suo Regularum codice, a Luca Holstenio, summo reipublicæ Christianæ commodo evulgato, prætermisit. Cujus auctor anonymus non multo post sanctos Isidorum & Fructuosum, quos citat, vixisse videtur. Hanc autem ex mſ. codice Colbertino ante annos 700. scripto eruimus, quam etiam Mabillonius ex Italicis manuscriptis descripserat.

SAcris institutionibus, regularibusque monemur disciplinis, ut si quis nobilium virorum filium suum Deo in monasterio offerre voluerit, offerat illum ad altare cum oblatione coram testibus, promittens quod numquam pro se, numquam per se, numquam per suspectam personam ei occasionem aliquando tribuat recedendi a monasterio. Unde Ego in Dei nomine ill. offero filium meum nomine ill. Deo sanctoque Benedicto, in ejus monasterio, secundum institutionem beatissimi Benedicti perpetuo serviturum. Promitto autem Deo, quod numquam per me, numquam per suspectam aliquam personam, aliquando tribuam ei occasionem de monasterio recedendi. Ut autem devotionis meæ notitia firma & stabilis permaneat, manu propria subterfirmavi.

ANTIQUA FORMULA
OFFERENDI PUERI
SECUNDUM REGULAM S. BENEDICTI.

Ex mſ. Elnonensi annorum 800.

DUm legaliter sancitum antiquitus teneatur & cautum cum oblationibus Domino parentes suos tradere filios in templo Domini Domino feliciter servituros, procul dubio hoc de nostris filiis faciendum nobis salubriter præbetur exemplum. Æquum etenim est judicium creatori nostro de nobis reddere fructum. Idcirco hunc filium nostrum nomine illo cum oblatione in manu atque petitione, altaris palla manu mea involutam, ad nomen sanctorum, quorum hic reliquiæ continentur, & abbatis præsentis trado, coram testibus regulariter permansurum, ut ab hac die jam non liceat illi collum de sub regulæ excutere jugo, sed magis ejusdem regulæ fideliter se cognoscat instituta servare, & Domino cum ceteris gratanti animo militare, & ut hæc nostra traditio inconvulsa permaneat, promitto cum jurejurando coram Deo & angelis ejus, quia numquam per me, numquam per suspectam personam, nec quolibet modo per rerum mearum facultates aliquando egrediendi de monasterio tribuo occasiones; & ut hæc petitio firma permaneat, manu mea firmavi, & testibus tradidi roborandum.

REGULÆ S. ISIDORI CAPUT XXV. quod deest in editis.

Ex mſ. Elnonensi ante annos 800. *exarato.*

Sententia de regula devotarum.

NEmo ad eas vadat visitandas, nisi qui habet ibi matrem, vel sororem, aut filiam, & propinquas & consobrinas, sive matrem filiorum suorum. Si autem necessitas fuerit, ut videant eas, ut antequam renunciarent sæculo & intrarent in monasterio, paterna eis debetur auctoritas, aut aliqua causa manifesta est, mittent cum his probatæ virum ætatis ac vitæ, videbunt eas, & pariter revertentur. Nemo vadat ad illas, nisi quos supradiximus. Si eas videre voluerint, primum faciant nuntiari patri monasterii, & ille mittet ad seniores, qui ad ministerium virginum delegati sunt. Qui occurrunt eis, & cum ipsis videbunt quas necesse habuerint, cum omni disciplina & timore Dei. Cumque eas viderint, non eis loquentur de rebus sæcularibus. Quicumque de his mandatis præterierit, absque ulla retractatione, negligentiæ atque contemtus aget publice pœnitentiam, ut possidere valeamus regna cœlorum.



ANTIQUA

ANTIQUA REGULA MONASTICA

AUCTORE ANONYMO.

Ex mſ. Colbertino ante annos 700. exarato.

CAPITULA.

I. *Qualiter die Dominico agendum ſit.*
II. *Qualiter a ſancto Paſcha uſque ad calendas Octobris divina & humana opera per diem agantur.*
III. *Qualiter a calendis Octobris uſque in ſancto Paſcha divina & humana opera nocturnis & diurnis horis agantur.*
IV. *De jejunio.*
V. *De quotidiana refectione.*
VI. *De menſura ciborum.*
VII. *De menſura potus.*
VIII. *De taciturnitate.*
IX. *De oratione.*
X. *De lectionis ſtudio.*
XI. *De opera manuum.*
XII. *De vilitate indumentorum.*
XIII. *De hoſpitalitate.*
XIV. *De humana laude.*
XV. *De perſeverantia boni operis.*

CAPUT I. *Qualiter die Dominico agendum ſit.*

Dominicum diem, ſicut ait Iſidorus, apoſtoli ideo religioſam ſolemnitatem ſanxerunt, quia in eodem Redemtor noſter a mortuis reſurrexit, quique ideo dominicus appellatur, ut in eo a terrenis operibus vel a mundi inlecebris abſtinentes, tantum divinis cultibus ſerviamus, dantes ſcilicet diei huic honorem & reverentiam propter ſpem reſurrectionis noſtræ, quam habemus in illa. Legitur enim in epiſtola Leonis papæ de ſacramento diei dominicæ ita: In hac die mundus ſumſit exordium, in hac die per reſurrectionem Chriſti & mors interitum & vita accepit præmium. In hac apoſtoli a Domino prædicandi omnibus gentibus evangelii tubam ſumunt, & imperandum univerſo mundo ſacramentum regenerationis accipiunt. In hac, ſicut B. Johannes evangeliſta teſtatur, congregatis in unum diſcipulis, cum clauſis januis ad eos Dominus introiret inſufflavit, & dixit: *Accipite Spiritum-ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum detinueritis detenta ſunt.* Joh. 20. 23. In hac denique die promiſſus a Domino apoſtolis Spiritus-ſanctus advenit. In hac etenim die, ſicut patres noſtri verbo & exemplo nos docuerunt, nihil aliud eſt agendum, niſi orationi, lectioni, & tantummodo prædicationi incumbere.

CAPUT II. *Qualiter a S. Paſcha uſque ad calendas Octobris divina & humana opera per diem agantur.*

A ſancto paſcha uſque ad calendas Octobris poſt matutinum officium, mox prima ſubſequatur, & uſque ad tertiam manibus operandum eſt ſimul cum divina meditatione. Poſt tertiam autem miſſarum ſolemnia celebranda ſunt: qua expleta, uſque ad ſextam lectio divina ſtudenda eſt. Poſt ſextam autem, ſi quarta & ſexta vel ſeptima feria non fuerit, reficiendum eſt. Poſt refectionem autem horæ ſextæ, ſicut S. Benedictus ceterique patres docent, aut requieſcendum eſt, aut legendum uſque ad nonam. Poſt nonam autem uſque ad veſperam operare & pſallere oportet. Poſt veſpertinum autem officium, quibus neceſſe eſt, edendi licentia a quibuſdam ſanctis patribus conceſſa eſt. Poſt hæc quantum hora permittit, lectio vacanda eſt, & ſic luce adhuc diei completorium perſolvendum. Peractum autem completorum, ſicut ſcriptum eſt in regula patrum, dicendum eſt: *Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* Reg. Magiſtr. 30. Et cum a ſomno ſurrexeris: *Domine labia mea aperies. Domine Jeſu Chriſte, filii Dei vivi altiſſimi, in nomine tuo levabo manus meas. Deus in adjutorium meum* III. *Verba mea*, VIII. *Pater noſter, Credo in Deum. Dignare Domine die iſto. Perfice greſſus meos. Benedictus Dominus die quotidie. Dirigere & ſanctificare, &c. Fiat miſericordia tua.* Pſal. *Domine quid multiplicati. Miſere mei, Deus. Venite exultemus.*

CAPUT III. *Qualiter a calendis Octobris uſque in ſancto paſcha divina & humana opera nocturnis & diurnis horis agantur.*

Media autem nocte ſolemne officium per-

agendum est, quia scriptum est: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ.* In hoc namque tempore vastator angelus transiens primogenita Ægyptiorum percussit. Unde & nos vigilare oportet, ne periculo Ægyptiorum admisceamur. Unde & Dominus in evangelio: *Beati sunt servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes, & si vespertina hora venerit, & si media nocte, & si galli cantu, beati sunt.* Nam in evangelio testatur, quia JESUS pernoctans erat in oratione Dei. Paulus & Silas in custodia publica circa medium noctis hymnum audientibus cunctis dixisse vincti memorantur. Oportet his horis psalendum, orandumque frequentiam nos in sanctis habere officiis. quo peracto, in divinis precibus tota deinceps nox ducenda est usque mane. Matutinorum solemnitas incipiente luce celebranda est, quia matutina luce radiante Dominus & Salvator noster ab inferis resurrexit, & ideo diluculo proinde oratur, ut resurrectio Christi celebretur. Longe autem antea David propheta prænunciavit dicens: *In matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.* Et alibi: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo.* Et iterum: *Ad te de luce vigilo*, dicitur. Peractum vero matutinorum officium, usque ad horam diei secundam secretius soli Deo orationibus summo studio intentissime insistendum est. Officium autem horæ primæ ideo a sanctis patribus legitur esse institutum, propter illud Davidicum ubi dicitur: *Mane stabo tibi & videbo, quia tu es Deus nolens iniquitatem.* Et iterum: *Ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam*, & multa alia. Expletum autem prædictum officium, lectio sancta usque ad horam diei tertiam de manibus tuis non recedat. Officium autem horæ tertiæ ideo celebratur, quia eadem hora Spiritus-sanctus in linguis igneis super apostolos in die sancto Pentecosten descendisse legitur, impleturus gratiam quam Christus promisit. Expletum vero officium horæ tertiæ, usque ad horam diei sextam propriis manibus simul cum divinis canticis operare oportet. Officium autem horæ sextæ ideo celebratur, quia sexta hora Christus passus est. Expleto sextæ horæ officio, iterum ut supra cum divina meditatione ad aliquod opus propriis manibus exercendum properare festina usque ad horam nonam: ita tamen ut inter exercitationem operis mens & corpus ad orationis studium frequenter recurrat; quia, ut ait Agustinus, servum Dei manibus operantem & psallere nomini Domini oportet. Supradicta autem frequens oratio intentissima & pura, non in multiloquio, sed in puritate cordis & compunctione lacrymarum esse debet. Officium nonæ horæ ideo a sanctis

Psal. 118. 62.
Luc. 12. 37.
Ps. 62. 7.
Psal. 118. 148
Psal. 5. 24.
Ibidem.

A patribus est institutum, quia eadem hora, secundum evangelicam auctoritatem, Dominus JESUS emisit spiritum. Horam autem tertiam, sextam, nonamque, sicut in divinis legitur scripturis, Daniel & tres pueri supplicationibus devoverunt. Atque tres istæ horæ Trinitatis nobis reverentiam demonstrant. Post nonam autem, missarum solemnia celebranda sunt. Post hæc, divina lectio in manibus cum compunctione cordis amplexanda est usque ad vespertinum officium. vespertinum autem officium ex vetere testamento solemnis est celebratio: quia B eo tempore veterum sacrificia offerre adolereque altario aromata & thura consuetudo erat, sicut ait David: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* In novo testamento eo tempore Dominus & Salvator noster cœnantibus apostolis mysterium sui corporis & sanguinis initio tradidit, ut tempus ipsud sacrificii vespertinum sæculi ostenderet. Proinde in honore ac memoria tantorum sacramentorum his temporibus adesse nos decet Dei conspectibus, & personare in ejus cultibus, orationum nostrarum C illi sacrificium offerentes, atque in ejus laudibus pariter exultantes. Expleto vespertino officio, dicto hymno cum gratiarum actione, cibum pro sustentatione corporis vespertinum & vilem percipere oportet, sicut ait inter cetera B. Hieronymus ad Paulinum presbyterum: SIT vilis tibi & vespertinus cibus, olera & legumina, interdum & pisculos pro summis ducas deliciis. Sit autem mensa refectionis tuæ referta cibis animæ & corporis, id est ut ex una parte codex apertus sit, ex altera panis: ut semper anima tua divino satietur verbo, dum corpus tuum humano reficiD tur alimento. quia, sicut scriptum est, *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedet de ore Dei.* Cum autem surrexeris a mensa, coram altario Christi gratiarum resolve actiones. Post hæc iterum sancta in manibus lectio ascendat, usque ad terminum lucis diei. Dum adhuc dies est, completorium celebrandum est. Completorium autem divina ex auctoritate institutum est, David propheta dicente: *Si ascendero lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis & palpebris meis dormitationem,* E *aut requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Jacob*, &c. Post completorium autem repausatio corpori concedenda est. Tu vero illud recole quod in canticis canticorum scriptum est. *Super lectum meum in noctes quæsivi quem diligit anima mea.* Ut autem invenias illum, ad cujus cœlestia palatia festinare desideras, lava per singulas noctes lectum tuum, lacrymis stratum tuum riga. Vigila & esto sicut passer in solitudine, dic Domino Deo

Psal. 140. 2.
Matth. 4. 4.
Ps. 131. 3.
Cant. 3. 3

tuo, *de nocte vigilat Spiritus meus ad te, Deus, quia lux præcepta tua sunt super terram.* Noctibus, ut beatus ait Hieronymus, bis terque surgendum, revolvenda de scripturis, quæ memoriter retinentur. ipse tuus somnus oratio sit, ut actio tua dicat: *Ego dormio & cor meum vigilat.*

CAPUT IV. *De Jejunio.*

S. HIERONYMUS: Sic quoque debes jejunare, ut fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in psalmis, nec in vigiliis solito quid minus facias. Item, parcus cibus & semper venter esuriens triduanis jejuniis præferatur. AGUSTINUS EPISCOPUS: Jejunium universam esse dicimus corporis castigationem. Non est tantum modo jejunandum a concupiscentia ciborum, sed ab omni lætitia temporalium delectationum.

CAPUT V. *De quotidiana refectione.*

A sancto Pascha usque ad Pentecosten, sicut ait S. Benedictus, ad sextam reficiendum est, & ad seram cœnandum. De his autem diebus S. Isidorus in libro officiorum ait: Post Pascha autem usque ad Pentecosten licet traditio ecclesiastica abstinentiæ rigorem prandiis relaxaverit: tamen si qui monachorum vel monacharum jejunare cupiunt, non sunt prohibendi: quia & Antonius & Paulus ceterique patres antiqui, etiam in his diebus in eremo leguntur abstinuisse, neque solvisse abstinentiam, nisi tantum die dominico. A Pentecosten autem usque ad Calendas Octobris, si quarta & sexta feria fuerit, sicut sanctus ait Apollonius, non est solvendum jejunium. Sed & sabbati dies apostolis sanctisque patribus consecratus habetur. Secunda autem, tertia, & quinta feria, si placuerit, ad sextam reficiendum. Sin autem ad horam nonam protelandum. A calendis Octobris usque in pascha, excepto diebus festis, usque ad vesperam est refectio prolonganda.

CAPUT VI. *De mensura ciborum.*

SANTUS FRUCTUOSUS: Vivere autem solis oleribus & leguminibus, raroque pisciculis fluvialibus vel marinis oportet. ISIDORUS EPISCOPUS. Per omnem autem hebdomadam fratres viles olerum cibos, ac pallentia utantur legumina. BASILIUS EPISCOPUS. Oportet enim modo uti cibis, quæ & facilius & levius comparantur. Item, si quid ergo illud est, quod potest vel citius vel levius explere hanc necessitatem corporis, id potius in cibis eligendum est. S. BENEDICTUS ait: Credimus in refectione quotidiana, sive una sit refectio, sive prandii & cœnæ, panis libra una & duo pulmentaria cocta sufficere, & si fuerit unde poma, vel nascentia leguminum, addatur & tertium. HIERONYMUS ad Paulinum presbyterum ait: Sit vilis tibi & vespertinus cibus, olera & legumina, interdumque pisciculos pro summis ducas deliciis. Qui Christum desiderat, & illo pane vescitur, non quærat magnopere quam de pretiosis cibis stercus conficiat. Item ad Eustochium: Sit itaque moderatus cibus, & numquam venter expletus. Multi quippe sunt, qui cum vino sint sobrii, ciborum largitate sunt ebrii. Ad horam tibi nocte surgenti non indigestio ructum faciat, sed inanitas. Item sint quotidiana jejunia, & refectio satietatem fugiens. Nihil prodest biduo triduoque transmisso vacuum portare ventrem, nisi pariter obruatur. AMBROSIUS episcopus: Ne des teipsum saturitati ventris, & ne replearis somno nocturno. Hoc enim modo efficieris mundus, & Spiritus Domini superveniet in te.

CAPUT VII. *De mensura potus.*

S. BENEDICTUS ait: Emina vini unicuique sufficiat per diem, quibus autem donat Deus tolerentiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant. Item. Hoc consentiamus, ut non usque ad satietatem bibamus, sed parcius: quia vinum apostatare facit etiam sapientes. HIERONYMUS: Vinum & adolescentia duplex incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adjicimus? quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus? PAULUS ad Timotheum. *Nam noli*, inquit, *aquam bibere, sed vino modico utere propter stomachum tuum & frequentes tuas infirmitates.* Vide quibus causis vini potio concedatur, ut hoc stomachi dolor & frequens medeatur infirmitas, & ne nobis forsitan de ægrotationibus blandiremur, modicum præcipit esse sumendum, medici potius consilio quam apostoli. Alioquin idem apostolus alibi se dixisse meminerat, *Et vinum in quo est luxuria.* Et *bonum est homini vinum non bibere & carnem non manducare.* AMBROSIUS episcopus, non te lætificet vinum, neque delectent te carnes, ut non innutrias carnem corporis tui, & cogitationes turpes non deficient a te. Ne dicas hodie festivitas, & bibam vinum, cras Pentecosten & manducabo carnes, quia non est festivitas apud monachos super terram, neque implere oportet ventrem tuum. Da senioribus vinum, & infirmis infer escas, propter quod contriverunt carnes juventutis suæ? ATHANASIUS episcopus: Carnis & vini species, quasi caloris fomenta & libidinis incitamenta fuge.

1. Tim. 5. 23.

Eph. 5. 18. Rom. 14.

CAPUT VIII. *De taciturnitate.*

Oportet namque secundum sanctorum catholicorum patrum auctoritatem, tempore orationis ab humano cessare conloquio, ac lectionis, nisi supervenientium hospitum ab hoc contigerit declinare: reli-

quis autem horis tibi ad opus corporale exercendum deputatis, quicquid ministris tuis & tibi necesse fuerit, invicem brevi sermone definienda est quærimonia: quia secundum Hieremiæ prophetæ testimonium, *Beatus est qui tulit jugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius & tacebit.* Cum autem tibi necessitas incumbit loquendi, auctoritas cujusdam sancti patris jubet, ut dicas prius tertio *Domine labia mea aperies, & os meum adnuntiabit laudem tuam*: quo prædicto, mox cum omni celeritate festinanter cum fervore caritatis redde responsum. Leniter & sine risu, humiliter & pauca verba & rationabilia verba loquaris, quia scriptum est, *in multiloquio peccatum non deerit.* Cum autem aliquis ostiolum pulsaverit tuum, secundum auctoritatem sancti Benedicti *Deo gratias* responde. Et mox evacuatis manibus & omne opus imperfectum relinquendo, summa cum festinatione timoris Dei responsum reddere propera. Si cogitationes pravæ cordi tuo advenerint, secundum auctoritatem S. Benedicti, dic corde & ore: *Tunc ero immaculatus coram Deo, si observavero me ab iniquitate mea.* Si autem inepta lætitia risusque accesserit tibi, recordare dominicum illud præceptum: *Væ vobis qui ridetis nunc, quia flebitis.* Et iterum, *Beati qui flent nunc.* Et apostolus, *miseri flete & lugete*, quia risus in luctu convertetur & gaudium in mœrore: unde & Salomon: *Risui dixi amentiam.* Et iterum, *Væ vobis qui ridetis, stultus in risu exaltat vocem suam.* Vir autem sapiens vix tacite ridebit. Nam dominus & Salvator noster legitur flevisse Lazarum ad monumentum, & in alio loco vidisse civitatem & flevisse super illam, dicens: *Quia si cognovisses & tu.* Nusquam autem invenitur, quantum ad auctoritatem evangelii pertinet, usus risu fuisse.

Psal. 50. 17. Proverb. 10. Psal. 18. 14. Luc 6. 25. Jac. 4. 9. Luc. 6. 25. Eccli. 21. 13. Luc. 19. 42.

CAPUT IX. *De oratione.*

S. CYPRIANUS: non verbis tantum, sed & factis Dominus orare nos docuit, ipse orans frequenter & deprecans, & quid nos facere oporteret exempli sui contestatione demonstrans, sicut scriptum est. Ipse autem fuit secedens in solitudine & adorans. Et iterum exiit in montem orare, & fuit pernoctans in oratione Dei. Quod si ille orabat qui sine peccato erat, quanto magis nos peccatores oportet orare: & si ille per totam noctem jugiter vigilans & continuis vicibus orabat, quanto magis nos in frequentanda oratione debemus nocte vigilare? JOHANNES EPISCOPUS. Oratio ecclesiastica solvit vincula Petri, & Pauli dilatavit prædicandi fiduciam. Oratio caminum ignis extinxit, oratio conclusit ora leonum, oratio seditionem compescuit, oratio paradisum aperuit, oratio cæli cardines reseravit, oratio sterilem fœcundavit, oratio Cornelii cælos penetravit, oratio publicanum justificavit &c. ISIDORUS episcopus; Hoc est remedium ei qui vitiorum incitamentis exæstuat, ut quotiens quolibet tangitur vitio, totiens ad orationem se subdat, quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit. S. BENEDICTUS. Non in multiloquio, sed in puritate cordis & compunctione lacrymarum nos exaudiri sciamus, & ideo brevis debet esse & pura oratio, nisi forte ex affectu spirationis divinæ gratiæ protendatur. ATHANASIUS episcopus. Cum orationem celebrare desideras, talem te exhibe, quasi qui sis cum Domino loquuturus. Cum psalmum dicis, cui verba dicis agnosce, & in compunctione magis animi, quam in tinnulæ vocis dulcedine delectare. Lacrymas enim psallentis Deus magis quam voces comprobat omnium operum & cogitationum tuarum. Speculatorem Deum crede, & cave ne quidquam divinis oculis indignum aut opereris aut cogites.

CAPUT X. *De lectionis studio.*

S. CÆSARIUS episcopus: De divinis scripturarum fontibus jugiter aquam salutis anima tua hauriat. Illam utique de qua Dominus dicit: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* De paradisi etiã floribus, hoc est sanctarum scripturarum sensibus, anima sancta se jugiter ornari contendat. ATHANASIUS episcopus: Divinæ lectionis convivium diligite, & spiritualibus te saturari dapibus concupisce, & illos potius quære cibos, quibus anima magis quam corpus reficiatur. HIERONYMUS presbyter: Crebrius lege, disce quam plurima, tenente te codicem somnus obrepat, & cadentem faciem pagina sancta suscipiat. Cum aperueris codicem, priusquam incipies legere, dicere te oportet illud Davidicum tertio, secundum auctoritatem cujusdam patris. *Domine labia mea aperies, & os meum adnuntiabit laudem tuam.* Et, *Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.* Et tunc lectio cum compunctione cordis incipienda est. Peracta autem lectione, dicere te oportet, *Confitebor tibi, Domine, in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiæ tuæ. Eructabunt labia mea* usque *quoniam mandata tua elegi.* Si autem aliqua tibi tentatio malorum hominum, vel etiam immundorum spirituum pulsaverit, secundum auctoritatem B. Augustini episcopi, dic ore & corde, *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo: Dominus mihi ajutor, & ego despiciam inimicos meos.*

Psal. 50. 17. Ps. 118. 74. Ibid. 7.

CAPUT XI. *De opera manuum.*

SANCTUS ISIDORUS episcopus: Dei servus

servus semper operetur manibus suis, ita ut quibuslibet variis officiorum artibus laboribusque studium suum impendat, sequens loquentem apostolum, qui dicit; *Neque panem gratis manducavimus, sed in labore & in fatigatione nocte & die laborantes.* Et iterum, *Qui non vult operare, non manducet.* Per otium enim libidines & noxiarum cogitationum nutrimenta concrescunt: per laboris vero exercitium vitia nihilominus elabuntur. Nam & patriarchæ greges paverunt; & Joseph justus, cui Maria desponsata extitit, faber ferrarius fuit. Si quidem & Petrus princeps apostolorum piscatoris gessit officium, & omnes apostoli corporale opus faciebant, unde vitam corporis sustentabant. Servus Christi sic manibus operari debet, ut semper laudem Dei in oratione habeat, & lingua ejus psalmis atque hymnis inserviat. Laborandum est ergo corpore, animi fixa in Deum intentione, sicque manus in opere implicanda est, ut mens non avertatur à Deo. AGUSTINUS episcopus: Cantica vero divina cantare etiam manibus operantes facile possunt Dei servi, & ipsum laborem tamquam divino celeumate consolari. Quid enim impedit servum Dei manibus operantem in lege Domini meditari, & psallere nomini Domini altissimi? CASSIANUS presbyter: Sicut enim numerum tempus otii a Dei servis excipere convenit, ita ne meditationi quidem spirituali finem imponere. nam pariter exercere necesse est animæ virtutes, & exterioris hominis stipendia. AMBROSIUS episcopus: Paulus enim apostolus a mane usque ad quintam horam victum, manibusque ricabat: & exinde usque ad decimam horam disputabat publice. HIERONYMUS ad Rusticum, fac aliquid operis, ut semper te diabolus inveniat occupatum. Memento quia apostoli Christi habentes potestatem de evangelio vivere, laborabant manibus suis, ne quem gravarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia. S. BENEDICTUS: Tunc vere monachi sunt, si labore manuum suarum vivunt, sicut patres nostri & apostoli. Cum autem corporale opus manibus exercendum tibi necesse fuerit, priusquam incipias illud secundum auctoritatem S. Benedicti & Cassiani, dic tertio *Deus in adjutorium meum intende. Domine, ad adjuvandum me festina*, adjungendo *Gloria Patri* & tunc picta fronti cruce dominica, inchoa opus illud. Sic enim ait S. Hieronymus: Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat crucem. Prædictum autem versum *Deus in ajutorium meum*, isdem Cassianus in decima conlatione sua summa laude concelebrat, adfirmans congruum & nimis utilem esse, dicendum ad omnem utilitatem humanam, seu contra invisibilem hostem.

1. Thess. 3. 8.

Ibid. 10.

Psal. 83.

A Peractum autem opus, secundum auctoritatem S. Benedicti, dic tertio coram altario Christi *Benedictus es, Domine Deus, qui adjuvisti me & consolatus es me.* Psal. 118.

CAPUT XII. *De vilitate indumentorum.*

Vilitas autem & abjectio vestimentorum, secundum exempla multorum sanctorum patrum, tibi complaceat. S. GREGORIUS papa: Nemo æstimet in fluxu atque studio vestium peccatum deesse, quia si hoc culpa non esset; nullo modo Johannem Dominus de vestimenti sui asperitate laudasset. Si cultus vestium culpa non esset, nequa-B quam Petrus apostolus per epistolam feminas a pretiosarum vestium appetitu compesceret, dicens: *Non in veste pretiosa.* Pensandum nobis summopere est, de cultu vestium, quæ culpa sit hoc etiam viros appetere, a quo curavit pastor ecclesiæ & feminas prohibere. In sacris etenim legitur canonibus, concilio Carthaginensi, ut clericus nec vestibus nec calceamentis quærat decorem. Sanctus etenim Hieronymus sic ait: Vilis tunica sæculi probet contemtum. Sanctus etenim BENEDICTUS ait, de C quo colore aut grossitudine dentur vestimenta, non causentur monachi, sed quales inveniri possunt in provincia qua habitant, aut quod vilius comparari potest. CASSIANUS etenim ita: Vestis quoque sit quæ corpus contegat tantum, nuditatemque repellat & frigoris retundat injuriam; non quæ seminarium vanitatis aut elationis enutriat. Sanctus etenim Cæsarius de hac re ita nos admonet dicens: Nolite possidere stragula pulcra & picta tapetia, plumaria etiam & reliqua his similia cum in-D genti sumtu & superflua expensa ad oculorum libidinem præparata. S. BASILIUS, qui vult, inquit, religiose ac pie vivere, in omnibus & simplicitatem ac vilitatem vestium requirat, id est ea quæ parvo pretio emuntur. Sed & de calceamentis eadem ratio observabitur, ut quod simplex est & paratius, id adsumatur. PACHOMIUS ita: Non sit notabilis habitus vester, nec intendatis vestibus placere, sed moribus; Isidorus namque ita: Cultus vestium vel indumentorum insignia deponenda. Munitus E enim debet esse servus Dei, non delicatus. Et: Ne autem superflua sint vestimenta. audi B. Benedictum dicentem: Sufficit monacho duas cucullas & duas tunicas habere. Et S. Basilius de hac re ita pronuntiat, dicens: De numero autem indumentorum nihil possumus dicere, cum manifesta definitione præscriptum sit, in qua dicit: Qui habet duas tunicas, det non habenti. Ex quo sine dubio plures habere inlicitum ducitur. Quibus ergo habere duas tunicas non licet, his quomodo aliquid de diversitate indumentorum præcipi potest.

1. Pet. 3. 3.

Caput XIII. *De hospitalitate.*

Hospitalitati vero prout facultas rerum tibi suppetit, multorum exemplo patrum fultus, studere satage, ob illius amorem, qui in judicio dicturus est: *Hospes fui, & collegistis me*, & *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Unde & per Paulum dicitur: *Caritas fraternitatis maneat*, & *hospitalitatem nolite oblivisci. Per hanc enim placuerunt quidam angelis hospitio receptis.* Hinc Petrus ait: *Hospitales invicem sine murmurationibus.* Beatus enim papa Gregorius ait: Hospitalitatem, fratres carissimi, diligite, caritatis opera amate. Sanctus etenim Fructuosus martyr ita pronuntiat, dicens: Hospitibus & peregrinis fratribus cum summa reverentia, caritatis & ministrationis obsequia sunt præbenda, & ad vesperum lavandi pedes: & si ex itinere sunt confecti, oleo perungenda sunt: lectuaria, lucerna & stramina mollia exhibenda, ac proficiscentibus juxta possibilitatem loci viaticum imponendum. Pedes denique hospitum lavandi sunt, quibus lotis, secundum auctoritatem S. Benedicti dicendum est: *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* Venientibus autem sive discedentibus hospitibus, sicut ait S. Benedictus, inclinato capite, vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis adoretur, qui & suscipitur. Suscepti autem hospites, sicut ipse ait, ducantur prius ad orationem. Facta autem oratione, osculum porrigendum est, & postea legatur eis lex divina, ut ædificentur, ac deinde omnis eis administretur humanitas.

Matt. 25. 35. — Heb. 13. 1. — Ibid. — 1. Pet. 4. 9. — Psal. 47. 10.

Caput XIV. *De humana laude.*

Dominus ac redemtor noster in evangelio suo ammonet dicens: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*, id est ut non faciatis bona, attentione ut vanas laudes ab hominibus recipiatis: sed quidquid boni faciat Christianus cœlestia perpetrare cupiens regna, Christi amore & animæ suæ salute ac fraterna faciat caritate. Qui enim eleemosynas faciunt, vel orationes & jejunia, ut laudem humanam recipiant, procul dubio ab æterna bonitate se privant. De his namque qui ideo bona faciunt, ut in præsenti sæculo ab hominibus laudem recipiant, dicit mundi Redemtor: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Cum enim pro recto opere, ut sanctus papa ait Gregorius, laus transitoria quæritur, æterna retributione res digna vili pretio venumdatur. Summopere namque studendum est Dei servo, ut bona quæ facit ideo faciat, ut non sibi, sed Domino, a quo bona accepit, laudem requirat, sicut ait Dominus in evangelio: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Et Apostolus: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Et Psalmista: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.*

Matt. 6. 1. — Matth. 5. 16 — 1. Cor. 1. 31.

Caput XV. *De perseverantia boni operis.*

Virtus namque boni operis perseverantia, dicente domino Deo nostro: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Audi quia non dixit, qui cœperit bonum; sed qui perseveraverit in bono, hic salvus erit. Bonum ergo non cœpisse, sed perfecisse virtus est. Sunt enim qui bene incipiunt, & male finiunt conversationem suam, sicut Judas prius apostolus, & postea proditor Domini. Econtra sunt qui male incipiunt, sed bene finiunt, sicut Paulus, qui prius persecutor, postea prædicator; primo raptor, postea fidelis dispensator; primo lupus, postea agnus. Oportet enim & valde pernecessarium videtur unicuique Dei servo, ut quidquid agendum inchoat bonum, a Deo perfici instantissima oratione deposcat: ut qui pro sua inenarrabili misericordia dedit cognoscere, det etiam solita pietate sua velle insuper & perficere, ut qui nostris meritis non valemus, suorum precibus sanctorum qui ab initio sæculi ei placuerunt, adipisci omnem boni operis perseverantiam mereamur, eo præstante, qui est alpha & omega, initium & finis, Jesus Christus Dominus noster, qui cum æterno Patre, una cum Sancto Spiritu per infinita vivit & regnat sæcula sæculorum. Amen.

Matt. 10. 22.





TRACTATUS
DE CONCORDIA VETERIS AC NOVI TESTAMENTI.
AUTORE ANONYMO.

Ex pervetusto codice Collegii Regii Navarræ ante annos 800. *exarato.*

ADMONITIO PRÆVIA.

SEquentem tractatum de Concordia veteris ac novi Testamenti *suppeditavit nobis vetutissimus codex bibliothecæ regii Collegii Navarræ ante annos* 800. *exaratus. Hujus auctor anonymus, vir sane doctus, non multo post exortam hæresim Monothelitarum scripsisse videtur, respondetque ad propositas sibi quæstiones ac difficultates a quodam Saracenicæ legis sectatore, cujus horrendas in Christum & Deiparam Virginem blasphemias aliosque errores auctoritate veteris ac novi testamenti sibi refellendas proponit.*

1. GLoria Deo & multiplex gratiarum actio, & perveniens ad hæc quæ placita sunt illi, & penetrans credita ipsius, cujus est bonitas & miseratio super servos suos, qui est unus & non est alius præter eum. Ipsius est altitudo & magnitudo, & regnum, & potestas, & ipse est omnia circumquaque complectens. Credimus in unum Deum, cui similis non est alius præter eum. De cetero innotuisti mihi, commemorans de Christo filio MARIÆ, quare adoremus eum, cum ipse testimonium de ipso perhibet dicens: quod missus sit a Deo, & qui confessus fuerit eum, confiteatur ille eum coram eo qui misit illum. Et iterum cum ascenderet ad cœlos, dixit discipulis suis: *Ascendo ad creatorem meum & creatorem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Et iterum dicis quia lex Moysi igne fuisset cremata, & renovavit eam Esdra, ut potuit de memoria cordis sui recordari, sed non sine mendacio, & non fuerit idem rememoratus de resurrectione, neque de paradiso, neque de inferno. Et iterum dicis, quod talis sit Christus ante Deum, qualis & Adam, & quia comedit Christus, & bibit, & dormivit sicut & Adam, & tamen

Anonymi prava de Christo dogmata.

Joh. 20. 17.

A non te commovit ad hoc, nisi placitis intelligentiæ tuæ de Christo. Et iterum cognovi quia dicitis, quod Maria soror Aaron & Moysi genuerit Christum. Et quomodo potuit esse, cum mortua fuerit postquam egressi sunt de Ægypto in deserto, & nemo ex eis fuit ingressus in terram repromissionis longe ante quam nasceretur MARIA mater Christi, & pater ejus Joachim. Et Maria soror Moysi filia Amram fuit de tribu Levi, filii Jacob: MARIA vero mater Christi filia fuit Joachim, de genere David, de tribu Juda filii Jacob.

2. Verumtamen si velis scire de Christo, ut perveniat ad te notitia ipsius, donec non sit in te ulla titubatio, per scrutare vetus testamentum, quem dedit Deus filiis Israël per Moysen & David prophetas suos; & iterum scrutare novam legem, quod est evangelium, quod datum est ad apostolos Christi, & tunc reperies de Christo veritatem, & viam rectam, donec non sit in te ulla titubatio, dum videris scripturam scripturæ testimonium perhibentem, sibimet invicem concordantem in Christo, quod est in veteri & in novo testamento, & tunc vere intelliges de Christo. Scientem te reddimus de fide nostra, quomodo ado-

B De Christo testimonium perhibent vetus & novum testamentum

ramus Deum, & quæ sit traditio in qua sumus, donec intelligas, si tamen placitum est Deo, dantes tibi testimonia de novo & veteri testamento, quia quod dicimus in Christo, verum dicimus, secundum quod novi, tibi. Trutinare & scrutare donec intelligas, si placet Deo. Cognosces quia postquam in principio fecit Deus cœlum & terram, cujus nomen est benedictum; & magnum lumen cœli & terræ, quem non capiunt cuncta, neque mortalium adtingit intelligentia; visus est Moysi in monte Sina in verbo luminis, & dixit: *Ne timeas Moyses, ego sum Dominus Deus tuus, creator tuus, Lumen de Lumine, & Verbum de Patre, ex quibus procedit Spiritus-sanctus.* Et ideo dicimus Pater & Filius & Spiritus-sanctus, Lumen de Lumine & Verbum procedit de Deo, & Spiritus de Deo unum sunt. non separamus in terris, quia procedit Verbum de Lumine & Spiritus-sanctus de Lumine. Et quia non est in loco minimo minimus, & in maximo multiplex; sed ubique totus est. Quanto magis Deus qui fecit solem & omnia quæ infra cœlum & terram, & per Lumen & Verbum quod est in ipso facta sunt omnia. Et voluit ipsum Verbum dicere filium suum.

Trinitatis mysterium exponitur.

5. Sed ne paveas Verbum Dei dicere Filium Dei, quia Deus est pater Verbi sui, & ubi est Verbum Dei, ibi Deus est, quia Verbum Dei ex Deo est, & Spiritus-sanctus ex Deo est, & quæ vult verbum operatur, & quæ vult Spiritus-sanctus operatur, & quæ vult Pater operatur, & ecce omnia unus Deus operatur, non dividimus inter eos, neque plures Deos dicimus. Cui non est similis in regno, manens in perpetuum regnum sanctum. Pater qui non est genitus, Filius qui est genitus, Spiritus-sanctus qui non est genitus, neque ingenitus.

Verbum Dei Filium ejus esse probatur ex scripturis.

4. Sed necesse est nobis ex prophetis proferre testimonium, quia Deus benedictus vocavit Christum Verbum suum filium, & per Verbum quod procedit de Lumine condidit cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt. Testis est Moyses propheta in lege: *Deus per Verbum fecit omnia.* Et iterum David in psalmis: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* *In æternum permanet Verbum tuum in cœlo, in generatione & progenie.* Et iterum: *Misit Verbum suum & sanavit eos.* Et iterum Job propheta testis est de Spiritu-sancto: *Spiritus mei fecit me.* Et Moyses iterum: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Et iterum testatur Isaïas: *Spiritus Domini super me, per quem unxit me.* Et iterum David: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Et iterum: *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam.* Et iterum: *Spiritum-sanctum innova in visceribus meis.* Et iterum: *Spiritu principali confirma me.*

Ps. 32. 6. Ps. 118. 89. Ps. 106. 20. De Spiritu-sancto. Job. 33. 4. Gen. 1. 2. Isa. 61. 1. Ps. 103. 30. Ps. 142. 10. Ps. 50. 12. Ibid. 14.

Hæc sunt in veteri testamento, quia Verbum & Spiritus creaverunt omnem creaturam. Et oportet nos iterum proferre testimonium, quia Deus vocavit Verbum suum filium suum. Testis est Isaïas propheta: *Ecce Virgo in utero accipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur nobiscum Deus.* Et iterum: *Parvulus datus est nobis, filius datus est nobis, & factus est principatus super humeros ejus, & nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & regni ejus non erit finis.* Et iterum Deus Pater locutus est ad David: *Postquam dormiens cum patribus tuis suscitabo de femore tuo, qui sedeat super thronum Israël, & ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in filium.* Et iterum David propheta in psalmis: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Pete a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et iterum Zacharias propheta: *Gaude & lætare, filia Sion, clama, filia Jerusalem, quia ecce rex tuus veniet tibi mitis, sedens super pullum asinæ, & loquetur pacem gentibus.*

Isa. 7. 14. Isa. 9. 6. 2. Reg. 7. 12. Zacch. 9. 9.

Christum Mariæ filium vere Deum esse.

5. Hæc sunt testimonia de prophetis, quia Deus vocavit Verbum suum filium suum, & iterum oportet nos proferre testimonium de lege Dei, quia CHRISTUS JESUS filius MARIÆ Deus sit de Deo. Testatur Israël, qui est Jacob filius Isaac, filii Abraham, cum esset in obitum vitæ suæ benedicens filios suos, prophetavit de ipsis dicens ad Judam filium suum: *Tu es catulus leonis, non minuetur de femore tuo dux, neque princeps, donec veniat qui sit expectatio gentium.* Et quis est qui sit expectatio gentium, nisi ipse unus Deus? Et iterum dixit Hieremias propheta: *Ecce Deus noster, cui similis non est, qui inveniet omnem viam prudentiæ. Et post hæc videbitur super terram, & cum hominibus erit conversatio ejus.* Et iterum David in psalmis: *Deus manifeste veniet, veniet & non tardabit.* Et iterum Isaïas: *Post te ambulabunt, vincti manibus pergent, & te adorabunt teque deprecabuntur, quia tu es Deus, & non est alius præter te, Deus salvator, confundens inimicos tuos, abierunt in confusionem.* Et iterum David: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Et iterum dixit Moyses de passione Christi: *Videbitis vitam vestram pendentem coram oculis vestris, & non credetis.* Et iterum David: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea, diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Et iterum Isaïas: *Homo petens ferre plagam & dolorem, quia absconditus est vultus ejus. Ipse tulit peccata & dolores nostros ipse portavit.* Hoc est de crucifixione Christi.

Gen. 49. 9. Baruch. 3. 36. Ps. 49. 3. Isa. 45. 14. Ps. 109. 1. Deut. 28. 66. Ps. 21. 17. Isa. 53. 3.

6. Et

6. Et iterum oportet nos testimonium proferre de novo testamento, adnuntiatum per apostolos Christi, quia Deus de Deo, testatur Johannes apostolus filius Zebedei
Joh. 1. 1. in evangelio dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et iterum Gabriel princeps angelorum, quando adnunciavit MARIÆ
Luc. 1. 35. dicens: *Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et iterum Christus in evangelio de Spiritu-sancto dixit ad discipulos suos, cum insufflasset in
Joh. 20. 22. facies eorum: *Accipite Spiritum-sanctum.* Iterum dixit Paulus apostolus maximus in
1. Cor. 2. 10. apostolis: *Spiritus-sanctus scrutatur omnia, & novit occulta Dei.* Et iterum Johannes (a).
Rom. 8. 15. *Non accepimus Spiritum servitutis, sed Spiritum qui ex Deo est.* Et iterum:
Ibid. 9. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.*

Testimonia novi testamenti de Christi divinitate.

7. Hæc sunt testimonia de Spiritu-sancto, quia Deus ex Deo est. Et iterum oportet nos testimonium proferre de novo testamento, quia Christus Dei filius sit: dixit Gabriel princeps angelorum ad MARIAM,
Luc. 1. 31. quam elegit Deus, & exaltavit: *Ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen ejus JESUM, & ipse redimet Israël populum suum
Gal. 4. 4. a peccatis eorum.* Iterum Paulus: *Misit Deus Filium suum natum de muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant erueret.* Et iterum Johannes apostolus filius Zebedei in evan-
Joh. 3. 36. gelio: *Qui credit in Filium Dei habet vitam æternam: qui vero non credit in illum, non videbit vitam æternam, sed ira Dei manet super eum.* Item Paulus: *Deus unus Filius Dei,*
Matth. 16. 16 *per quem facta sunt omnia.* Iterum Christo
Luc. 1. 35. Simon princeps apostolorum: *Tu es Christus*
Joh. 8. 12. *Filius Dei vivi.* Iterum Gabriel: *Ave MARIA, gratia plena, Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, & hoc quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Iterum Christus in evangelio:
Joh. 16. 28. *Ego sum lux mundi*, & *Ego a Patre exivi, &*
Joh. 11. 25. *ad Deum revertar. Ego sum vita & resurre-*
Joh. 14. 9. *ctio*, & *qui me vidit, & Patrem meum.* Et
Joh. 10. 30. *Ego & Pater unum sumus.* Et iterum Paulus: *Inluminabitur mundus de Juda.* Et iterum dixit: *Ascendit Deus super cœlos, super sedem sanctam suam, intuens terram ut videat obligatos, quos ligavit satan in delicto.*

8. Hæc sunt testimonia de novo testamento, quia Deus vocavit JESUM Filium suum, & vos habetis in lege vestra, ut dicitis, eo quod angelus dixit Zachariæ cum esset orans in templo: *Ecce adnuntio tibi, eo quod nascetur tibi filius, præcedens Verbum Dei*, & verbum ipsum Filium, quem dixerat Messiam. Et non est verbum Dei creatum, sed ipse creavit omnia. Et non existimes in corde tuo, quod ita sit Verbum Dei vox, aut verbum, aut sermo sicuti hominum: quia Verbum Dei lumen est, per quem
A facta sunt omnia. Et quia dicitis: Quare voluit Deus mittere Verbum suum in uterum Virginis? Et ego respondeam tibi: quare fecit sic: quia Deus benedictus & sanctum nomen ejus, creavit cœlum & terram & omnia quæ in eis sunt, & creavit angelos suos in prima conditione sua, & erant in circuitu throni, & subito ingressus est in una legione angelorum tumor & superbia, & facientes se Deo similes dixerunt: *Ponamus nobis sedem sicut sedes Dei, & circuiamus cœlum & terram, sicut & Deus.* Cumque cognovisset, quod erat in cogitationibus eorum, projecit satan & omnem legionem
B ipsius de cœlo ad terram, & facti sunt dæmones & inimici filiorum Adam, elevantes se contra Deum in contradictione. Cumque fecisset Deus Adam, constituit eum in paradiso, dicens ei: *Comede omnia quæcumque volueris, & de ligno hoc, quem prohibeo tibi, ne comedas: quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Tentatus vero a diabolo, comedit ex eo, & projectus de paradiso, hæreditavit mortem, & contradictionem, & delictum in progenie sua post eum. Deus vero, cujus nomen est benedictum, voluit eripere creaturam suam de manu diaboli,
C qui eos prævaricaverat; direxit Noë ad populum suum, ut pæniteret & recederet ab opere diaboli: cumque venisset ad eos, contemserunt & mendacem eum reputaverunt. Et præcepit Deus Noë, ut faceret arcam, & mitteret in ea de omni creatura. Et misit Deus diluvium, & aperti sunt fontes abyssi, & catharactæ cæli, & effusæ sunt aquæ, & consumti sunt habitantes terram, & omne quod movetur super eam, excepto Noë, qui fuit in arca, & uxorem ejus & tres filios ipsius, & uxores filiorum illius. Et post hæc misertus Deus super ea quæ fecerat, præcepit aquis ut reverteren-
D tur, sicuti antea fuerant, & exsiccata est terra, & exierunt de arca homines & jumenta, & benedixit eis Deus, & dixit: *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Genesis 9. 7.
Et factum est ut fieret sicut & antea. Et tunc homines tentati à diabolo, fecerunt sibi Deos sculptiles, adorantes eos, absque Deo qui fecit eos, & volens Deus eripere creaturam suam de manu diaboli, qui eos prævenerat, subito descendit in potentia
E sua, super montem Sinai, & locutus est servo suo Moysi, & dedit ei præcepta legis, eligens filios Israel de omni plebe. Et tunc filii Israel derelinquentes ea quæ dederat Deus Moysi, fecerunt sibi sculptile, adorantes illud, absque Deo vivo. Et statim immisit in eis serpentes, & consumsit partem ex eis. Et iterum misertus est Deus eis, & iterum tentati a diabolo, immisit in eis ignem, & consumsit multitudinem ex eis, & misertus Deus: amovit iram ab eis. Et iterum postra fecerunt sibi idola, adorantes

Casus angelorum & primi hominis in paradiso.
Isa. 14. 14.
Gen. 2. 16.

[a] Lege *Paulus Apostolus.*

illa in Deos, immolaverunt filios suos & filias suas dæmoniis. Et suscitavit Deus prophetas suos, contestantes ut pæniterent, & reverterentur ad Deum, & recederent a diabolo. Negaverunt Deum & mendaces eos dixerunt, & quosdam ex eis occiderunt. Cumque vidisset Deus eo quod prævaluisset diabolus in eis ex quo factus est Adam, & ejectus est de paradiso usque ad prophetas, qui venerant ad eos, & occiderunt illos, voluit Deus ut eriperet eos de potestate antiqui hostis, misit Verbum suum, qui est de lumine suo, ad MARIAM, quam elegerat Deus & præscierat, accepit formam, id est naturam humanam Verbum Dei, induens carnem de MARIA, cum anima & intellectu, & habitavit Verbum ipsum, quod erat ex Deo in ipso corpore absque separatione in perpetuum. Et si non esset corpus ipsum, quod induerat Verbum Dei, nemo poterat videre Verbum Dei. Sed veniens Verbum Dei, induens corpus de MARIA, eripuit populum suum de potestate diaboli. Verbum utique illud quod susceperat MARIA, & ipse est, cujus nomen est Messias & Deus, quod erat antequam adnunciatio veniret ad Mariam, & corpus assumeret de Maria, & ipse est Deus. Et hæc est caligo in vobis, ut non intelligatis, & in hoc scripsisti mihi dicens, quia dixerit: Deus missus sum ad vos: & quia comederit & biberit & dormierit.

Verbi Incarnatio.

Duplex in Christo operatio.

9. Sed nunc ostendam tibi, eo quod fuerint in Christo duæ operationes, & duæ locutiones, una Verbi & alia corporis, quod susceperat de MARIA corpus perfectum, animam habens & intellectum, & tamen operatio Verbi ipsa est quando cum cuncta ipse creabat, & manens in corpore peccata dimittebat, & mortuos suscitabat, & mutos & leprosos sanabat, & claudos currere faciebat, & occulta sciebat, & super mare ambulabat, & ad cœlum ascendebat. Hæc est operatio Verbi quod operatum est opera Dei. Et vos relinquentes opera Verbi, sequimini opera corporis, quod adsumsit de MARIA, quod fuit de Adam; & ideo dicitis quod similis sit Christus de Adam, in eo quod comedebat & dormiebat. Et iste est sermo eorum qui non intelligunt de Christo, neque perscrutantur legem Dei, & secundum vestrum sensum intelligentes Judæi de Christo, persequentes eum, comprehendentesque, illum crucifixerunt, dicentes verba blasphemiæ ad matrem ejus Mariam, cui pudor castitatis inerat.

Christus cur adoratur.

10. Nam & hoc quod innotescis, quare adoramus Verbum Dei, numquid invenitur in lege Dei, eo quod filii Israel adorassent arcam, quam præceperat Deus Moisi facere, & tamen non adorabant neque serviebant arcæ, neque ligno, sed adorabant & serviebant Verbo & legi Dei, quod erat in arca. Et tamen non ob hoc erant alieni a Deo, neque duobus diis serviisse judicabuntur.

11. Nam & quod dicitis, quod in lege vestra inveniatis, eo quod Deus angelis suis præceperit adorari Adam: quod si ita credendum est, quid existimas de Verbo, quod nominatum est Messias, quod est ex ipso Deo, & per eum creavit cælum & terram, & non est creatura, sed per eum creavit omnia? Et numquid non oportet, ut adoremus Verbum ipsum, manentem in ipso corpore, melius quam adoremus petram surdam quam adoratis, ubi scimus aliquid remansisse de idololatria illa qua adorabant Jahot & Jahoc & Nuzara & Allat (a) & Alozei & Menna. quidam enim ex eis erant dii in similitudine virorum, quidam vero in similitudine feminarum. Nam majores dicebantur *Allauccumbere* unde & sermo iste derivatur in vobis *Allauccíber*, immolare eis pecora & camelos uno die pro unoquoque anno; & sequuti estis consuetudinem paganorum super illo in Macca (b), in angulo domus ipsius idolatriæ, cui serviebant & immolabant antiquitas ipsa paganorum. Et dicitis quod similis sit Christus ante Deum sicut & Adam; & ponitis factum de luto, qui contradixit Deo suo & custodivit præceptum ejus, similem Verbo Dei & lumini ipsius, qui non est factus, sed per ipsum facta sunt omnia. Descendens de cælo, ad cælum reversus est, non relinquens Deum, nec separatus est ab illo, & ipse est Messias, cujus regnum sempiternum, & judicaturus est vivos & mortuos tempore resurrectionis, judex perpetuus hominum. Hæc est causa Verbi quod descendit in MARIAM, cujus nomen est Christus.

12. Et qualis est sermo tuus aut intellectus, ut dicas: non poterat Deus ingredi in ventrem mulieris, in tenebras, & angustias & fœtorem. Sed damus tibi similitudinem, si forte intelligas: Numquid non vides solem, quia graditur super immunditiam & stercorem & fœtorem, & nullo modo inquinatur ipse sol de stercore illo, aut quicquid est illud aliud simile, sed ipse sol mundat omnia & non inquinatur? quanto magis Deus qui fecit solem, ut ipse [non] coinquinetur a creatura? Sed noli esse incredulus, ut ingrederetur Deus in uterum mulieris, qui ingressus est in rubo, qui iverat in monte Sina, & locutus est servo suo Moysi, & dedit ei legem. Et numquid non erat melior corpus Christi & Verbum Dei & spiritus ante Deum, quam spina illa rubi? Et numquid ipse Deus fecit Adam, & composuit, & erexit, & constituit, & dedit ei omnia quæ fecerat in sex dies? Sed noli abnegare, ut mitteret Verbum suum Deus in

Deus non inquinatur factus homo in ventre Virginis.

[a] Unde & lingua Arabica Allah *Deus* significat.
[b] Macca seu Maca populos Arabiæ felicis circa fauces sinus Persici incolentes continet.

opus quod fecerat, plasmaverat & constituerat super opera sua.

Prophetæ per revelationem locuti sunt.

13. Nam & quod dicis, quia lex Moisi igne cremata fuisset, & notaverit ea Esdras memoriter & mendaciter, & rememoratus in ea fuerit resurrectionem, aut vitam æternam, aut paradysum. Sed nunc ostendam tibi, si Deo placet, quia Deus benedictus misit revelationem in prophetas suos, & omnis propheta locutus est per revelationem Dei, & dedit Moysi legem in qua sunt præcepta filiis Israel & exitus eorum de B Ægypto, & dinumeratio illorum, & contradictio ipsorum, & indignatio Dei super eos, & quomodo creavit omnia, & iterum rememoratio regum, & quomodo exaltavit & humiliavit eos, & revelavit servo suo David psalmodiam, & Salomoni sapientiam, & Job dilecto suo, & Danieli prudentiam, & super multos prophetas, & nos credimus resurrectionem esse, & paradysum & infernum, & invenimus ea scripta in veteri testamento omnia per Esdram, cui revelavit Deus illa, & dedit ei hujus rei C scientiam legis, & rememoravit illam, & scripsit eam ad eam plenitudinem, sicut antea eam dederat Deus Moisi prophetæ suo declaravit illa, & non prætermisit ex ea modicum aut multum, quia non est in prophetis Dei mendacium, neque oblivio, eo quod Deus sit revelatio illorum, & ipse est Deus priorum & novissimorum.

De sacrificio

14. Innotuisti mihi commemorans de sacrificio. Et quidem si nosti sacrificium, & quia non reperies quemquam de servientibus Deo, nisi quia obtulerit sacrificium & D ornamentum in honorem Dei, & acceptum est, quicumque obtulerit illud ex omnibus ex quo creatus est homo. Nam primitias obtulerunt duo filii Adæ, & acceptum est ab uno, & non acceptum est ab alio, & sacrificium veritas est super homines, & acceptum est ante Deum, & prodest ei quicumque obtulerit illud, excepto sacrificio quod offertur idolis, & hii sunt qui offerunt illud, qui Deo alios Deos similes esse existimant, alieni & proditi, quorum non acceptat Deus sacrificium. Christus vero nocte illa antequam comprehenderetur a Judeis, & ipsa erat nox inchoatio passionis, E dixit discipulis suis & apostolis, quid ei facturi essent Judæi, & adnuntiavit eis resurrectionem suam, & quid agerent, & reverterentur ad illum, & tamen nocte illa comedens cum discipulis suis, accepit panem & benedixit, & dicit eis: *Accipite & comedite hoc est corpus meum quod offero in sacrificium pro peccato hominum*, & iterum accepit calicem in quo erat vinum, & dixit: *Bibite ex hoc omnes, hic est sanguis meus, qui offertur in remissionem peccatorum*, & præcepit nobis, ut similiter faceremus de pane & de vino in ejus commemorationem per

A spiritum sanctum & orationem quam ostendit discipulis suis, ut sit nobis remissio peccatorum cuicumque obtulerit illud in fide & dilectione. Et illud est sacrificium, licet non ita ista, secundum quod in lege vestra dicitis habere, quia dixissent discipuli ad Christum: Invoca Deum, ut dirigat nobis mensam de cælo; & dixisset Christus: Timete Deum, si estis fideles. Et dixerunt discipuli volumus comedere de illa, & credimus tibi, & sciemus quia verum locutus es nobis, & testis super ipsam eris; & dixerit Christus: Deus dirige eis mensam de cælo, ut sit nobis festum solemne & posteris nostris, & signum ex te, & tribue nobis hoc ex te, quia tu es doctor bonorum. Et dixit Deus: Dirigam eam vobis, & qui posthac negaverit, cruciabo illum cruciatione qua nemo cruciatus est. Et tamen hii sunt sermones Nestoriani cujusdam hæretici, NOTA. non recte sentientis de Christo, qui introduxit vos, quasi aliquid intelligeretis de fide Christi, sed non ita ut est veritas & ratio demonstrabit vobis.

De Christi cruce.

15. Quod tamen de cruce innotuisti scientem te reddimus, quia die qua crucifixus est JESUS CHRISTUS, fuerunt cum eo duo latrones, unus ad dexteram ejus, & alius ad sinistram; & mox ut emisit spiritum, statim terra contremuit, & sol obtenebratus est, petræ scissæ sunt, & velum templi disruptum est, & multi crediderunt ex Judæis, eo quod filius Dei esset, & quidam de Judæis principes qui erant, comprehendit eos timor validus propter ipsas cruces, & ut celarent hominibus veritatem, comprehenderunt eas, & sepelierunt illas, ita ut alii nescirent, nisi una domus & unus homo ex ipsa domo, & nemini in vita sua ad filios aut germanos dicebat, nisi cum in morte venisset, dicens, quia quandoquidem inquisitio erit propter cruces illas, scitote locum illum. Quando tamen voluit Christus ut ostenderet hominibus confusionem Judæorum in eis qui remanserant, & ut viderent homines gratiam & misericordiam quæ erat in cruce ipsius, & bonitatem, & præstationem, inventionem ipsius crucis per regem unum de regibus Romanorum, cui nomen erat CONSTANTINUS, qui necdum erat Christianus, taliter ostendit: Cum egressus esset ad prælium contra inimicos suos, cœpit invocare Deum convertens se, petens ab illo auxilium dicens: *Deus meus, creator cæli & terræ, tu donas potestatem regni cui jubes, obsecro te per misericordiam & bonitatem tuam, ut ostendas mihi rectam fidem, quæ placita est tibi, & converte me ad illam.* Et dum pergeret contra inimicos suos, elevatis oculis ad cælum media nocte, vidit in cælo quasi columnas duas, una super alia incumbente in similitudinem crucis, & in ea scriptum igneo

fulgore rutilante græce: *Quia petisti a Deo tuo, ut ostenderet tibi rectam fidem, quæ placita est illi, & maximum signum fidei ipsius, facito tibi signum regale in similitudinem crucis, quæ præcedat te contra inimicos tuos, secundum illud quod vidisti in cælo.* ✠ Tunc præcepit rex, & confregerunt signa regalia, & fecerunt ea in similitudinem crucis, & tunc elevavit eum Deus super inimicos suos, cum tamen reversus fuisset, perquisivit quid esset factum de cruce Christi. direxit matrem suam statim de terra Romanorum cum exercitu, usquequo veniret Hierusalem, & interrogavit majores Judæorum & meliores ipsorum, & qui remanserant de cognatione domus illius. Congregatis omnibus, perquisivit eos, quid factum esset de cruce Christi, & tamdiu indicavit unus alienus, donec quiesceret sermo super domum illam unde suspicio versabatur; & tamen jam multos antea cruciaverat, quos antea in suspicionem habuerat, & præcepit virum illum qui remanserat de domo illa, mitti in puteum absque cibo & potu; cumque cognovisset se propinquum morti, clamavit ejicite me, & ego ostendam vobis locum, & dum foderent, exilivit de fossa fumus incensi, ostendens eis tres cruces, post transactos trecentos annos ex quo Christus venerat, & nemo sciebat ubi ipsa crux esset; & cum esset confusa regina, & nesciret qualis esset crux Christi, subito deferebatur mortuus de civitate, & præcepit regina deferri mortuum ipsum, & adhibuerunt unam, & non surrexit mortuus; & adhibuerunt secundam, & nihil profecit: cum vero adhibuissent tertiam, surrexit qui fuerat mortuus, & multi ex Judæis crediderunt in Christum. Regina tunc fecit ecclesiam super Christi sepulcrum, & in Calvariæ locum, ubi crucifixus est Christus, opere mirifico, & reliquit in domo sancta partem de ligno ipsius, reliquum vero deportavit ad filium suum in terra Romanorum. Hæc est causa de cruce Christi, & ob hoc adoramus crucem Christi, & commemoramus supereminentem gratiam ejus in nobis per bonitatem, quæ est in Cruce, & signum fidei Christianæ, & cum cruce ipsa præibit Gabriel ante illum tempore judicii, cum venerit de cælo judicare vivos & mortuos, & crux lumen est credentibus in Christum, & placitum est firmitatis fidelibus & via veritatis, per quam multi a dæmonio vexati, leprosi, cæci, surdi, infirmi sanabuntur a Deo per ipsam crucem. Sed non te elevet contra Deum potestas, aut divitiæ, aut sanitas corporis, quia hæc omnia similia sunt visioni quæ apparet in somnio, ut aliquid sit, & cum expergefacti fuerint, intelligit, quia nihil erat quod in visione vidit. Ita est ornatus mundi & potestas ipsius.

Quomodo sit inventa.

16. Et dictum est mihi eo quod non salutetis eos qui in lege sunt, quod non estis, & vos dicitis habere in lege vestra, eo quod mulieres de alia fide licitæ sint vobis in conjugium ducere, & quomodo potest fieri, ut præcepisset Deus homini uxorem ducere, quam non dignetur salutare, neque sepelire eam, si mortua fuerit, mater ejus quæ & genuit? Similiter si de alia fide fuerit, non oportet super sepulcrum ejus stare aut deprecari pro illa, cum vos inveniatis in lege vestra scriptum, quia multi ex eis qui in lege qualibet sint, fideles sunt apud Deum. Et si subito uxor tua aut mater fideles sunt apud Deum, quare non depreceris pro illis? Ubi venit prudentia vestra vel intellectus, cum Deus maximum jusserit obsequium præbere parentibus in omni lege?

Errores quidam Sarracenorum.

17. Et iterum dictum est mihi, quia quislibet vestrûm cum reliquerit uxorem suam qualibet ex causa, non oportet eum ad eam regredi, donec alter conveniat cum ea. Vere prævaricatores estis legis & evangelii. In lege enim scriptum est, ut si quislibet homo dimiserit uxorem suam qualibet ex causa, & voluerit ad eam quandoque regredi; ipsius est sine dubio, si tamen alter non sordidaverit eam; & si alius tetigerit eam, prohibita est ab illo in perpetuum. In evangelio autem non est licitum homini dimittere uxorem suam absque fornicationis causa; & qui dimissam alterius uxorem acceperit, adulter & mœchus judicetur.

18. Et iterum dictum est mihi, eo quod in lege vestra scriptum sit, quia quodcumque fecerit homo bonum vel malum, præscriptum & prædestinatum sit illi a Deo antequam nasceretur. Nam si ita est, ut quilibet homo antequam nasceretur præscriptum sit illi, quare supplantatio ista sit in Deum, ut ista præscriberet & præordinaret super eum? impie egisse videtur super illum; sed absit hoc a Deo, ut ista in hominibus operetur. Quare ergo direxit prophetas, & dedit legem, nisi ut sit Deo altercatio cum hominibus super hoc quod eis notum fecit? Et si ita esset causa secundum Deum quod dicitis, quodcumque fecisset homo bonum vel malum, præscitum & præscriptum erat super eum antequam fieret, non dirigeret Deus prophetas ut demonstraret hominibus infernum & pertimescerent. Sufficiebat enim illis præscriptio & prædestinatio eorum. Sed non sit intellectus tuus talis, homo, nisi quia Deus fecit hominem videntem & audientem, & ostendit ei inter bonum & malum quid eligat, & admoniti custodiant animas suas, & non erit qui perit nisi arbitrio suo.

SANCTI BONIFACII ARCHIEPISCOPI MOGUNTINI, GERMANORUM APOSTOLI ET MARTYRIS SERMONES.

Ex ms. codice illustrissimi domini Daguesseau *Franciæ cancellarii, ante annos* 800. *exarato, collato cum Mabillonii codice.*

ADMONITIO PRÆVIA.

BONIFACIUS, cujus hic sermones damus, is est magnus ille Bonifacius, patrio nomine Winfridus appellatus, Germanorum apostolus, apud Occidentales Saxones in Anglia claris natus parentibus. Vix annos quinque compleverat, cum sæculum relinquere cogitavit, nec ullis parentum blanditiis retineri potuit, quominus ad vicinum confugeret monasterium. Adolescens studiorum causa in Nutcellense cœnobium commigravit, ubi sub Wimberto abbate eum brevi in litteris progressum fecit, ut docendi etiam alios onus in se paulo post susceperit. Anno ætatis trigesimo sacerdotio decoratus, injunctum prædicationis officium primum in patria, deinde in Germania magna omnium laude exercuit. Reversus ad suum monasterium abbatis dignitatem recusavit, Danielisque episcopi sui munitus litteris Romam petiit, & a Gregorio II. iterum in Germaniam prædicationis causa directus, primum Thuringiam, deinde Frisiam, Willebrordo episcopo Trajectensi adjunctus, aggressus, multos ad Christi fidem convertit. Romam reversus ut prosperos [illegible]orum suorum successus Gregorio III. exponeret, pontifex ipsum episcopum ordinatum ac pallii honore decoratum, cum legati apostolici auctoritate in Germaniam remisit. Ea fretus Bonifacius, accedente regum Francorum gratia, Christianam fidem illis in partibus adeo promovit, ut infidelium centum ad minus millia sacris undis tinxerit. Varios episcopatus in Germania erexit, sedemque suam Moguntiæ fixit. Tandemque multis perfunctus laboribus, martyrio coronatus est anno 754. nonis Junii.

Scripsit egregium epistolarum librum, quem Serrarius Societatis Jesu *presbyter eruditus Moguntiæ evulgavit. Scripsit & plures sanctorum vitas, si Trithenio credimus; at vitam S. Livini martyris, quam ei vulgo attribuunt, ipsi abjudicat Mabillonius. Ejus librum* de vera & catholica fide *laudat Zacharias papa in epistola ad ipsum conscripta apud Othlonum lib.* 2. *cap.* 9. *Porro sequentes sermones* XV. *ex ms. illustrissimi Franciæ cancellarii domini* Daguesseau *ante annos* 800. *exarato descripsimus. Ex his de-*

cem primos eruerat Mabillonius ex mss. duobus reginæ Sueciæ n. 1302. & 1335. quibuscum illos contulimus, decimum quintum a nostro Bernardo Pezio habuimus. Omnes spirant virum vere apostolicum, qui neophytos suos fidei rudimentis familiari colloquio ad bonos mores informat. Etsi vero simplici stilo conscripti sint, grammaticæque leges in eis aliquando spernantur, non ideo contemnendi, immo maximo sunt habendi in pretio. Quidquid enim a viris apostolicis proficiscitur, omni auro carius retinendum est. Barbaros populos instruebat S. Bonifacius, quos etiam barbare alloqui quandoque cogebatur. Ceterum non parum conferre possunt ad mores non solum informandos, sed etiam ad ecclesiasticam disciplinam illustrandam. Exemplo potest esse illud quod de conjugatorum continentia toto quadragesimæ tempore habet sermone XIII. *& de quadragesima die Dominica tantum incipienda sermone præcedenti.*

INCIPIUNT SERMONES S. BONIFACII EPISCOPI & MARTYRIS.

SERMO I.

De fide recta.

1. NEcessarium est fratres carissimi unicuique qui desiderat ad regnum cælorum pervenire, quod nobis a Deo omnipotenti promissum est & præparatum, fidem rectam & catholicam sine dubitatione firmiter tenere: quia ad æternam beatitudinem nemo pervenire potest, nisi Deo placeat, & B nullus Deo placere potest, nisi per fidem rectam. Fides namque omnium bonorum fundamentum est, fides humanæ salutis initium est, sine hac nemo ad nobilitatem filiorum Dei pervenire poterit: quia sine ipsa nec in hoc sæculo quisquam justificationis consequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit æternam. Proinde valde necessarium est omni homini, ut diligenter discat fidem catholicam & apostolicam, maxime populi prædicatoribus christiani, & ecclesiarum Dei doctoribus. Quomodo docet C quis quod non didicit? vel qualiter pastor esse poterit, si pane vitæ gregem sibi commissum pascere ignorat? non erubescat nesciens discere quod ignorat, nec sciens tardus sit docere quod novit.

2. Ista est fides catholica, ut credamus in unum Deum Patrem omnipotentem, & in Filium ejus unicum Dominum JESUM CHRISTUM, & in Spiritum sanctum: Patrem eo quod habeat Filium, Filium eo quod habeat Patrem, Spiritum-sanctum eo quod sit ex Patre procedens & Filio. Pater D ergo principium divinitatis, quia sicut numquam fuit non Deus, ita numquam fuit non Pater, a quo natus Filius, a quo Spiritus-sanctus non natus, quia non Filius est, nec ingenitus, qui non est Pater, nec factus est, sed ex Deo Patre Deus procedens; Pater æternus eo quod habeat æternum filium, cujus æternus sit Pater. Filius æternus eo quod sit Patri coæternus. Spiritus-sanctus A æternus eo quod sit Patri & Filio coæternus. Iste unus Deus, qui est sancta Trinitas. Pater & Filius & Spiritus-sanctus creavit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, & secundum suam voluntatem omnia gubernat, & in istum unum Deum omnes Christiani credere debent, qui desiderant vitam æternam habere. Omnium peccatorum remissionem in sancto baptismate firmiter credere debemus. Futurum quoque judicium esse bonis & malis, statimque post hujus vitæ terminum nulli catholicorum dubium est. Paganis, impiis & peccatoribus, qui sua scelera confiteri noluerunt, nec per pænitentiam emendare, supplicium sempiternum erit. Pænitentibus & justis gloria sempiterna manebit. De resurrectione mortuorum in novissimo die hujus sæculi, nullus Christianorum dubitare debet, sed sicut Christus tertia die resurrexit a mortuis, sic omnes homines boni & mali in novissimo die cum propriis corporibus resurgere debent. Impii enim in contumeliam suam & supplicium, justi vero in gloriam sempiternam.

SERMO II.

De origine humanæ conditionis.

1. SCire debemus, fratres dilectissimi, originem humanæ conditionis, ut exinde cognoscamus maximam in nos creatoris nostri misericordiam, qui primos parentes nostros, Adam scilicet & Evam uxorem illius, condidit ex limo terræ, & immisit in eos Spiritum rationalem & intellectualem, quo creatorem suum cognoscerent, & laudarent, & constituit eos in paradisi dulcissima felicitate, ut in eo sine labore, & dolore, & mortis periculo viverent, donec translati essent in cælestis regni perpetuam beatitudinem. Et præcepit eis de unius arboris fructu non manducare, ut pro obedientia unius mandati æternam promererent gloriam. Sed diabolica fraude & invidia decepti sunt, ut manducarent de fructu interdicto illis. Pro hac etiam culpa ejecti sunt in

Gen. 2. 7.

hanc miseriam hujus terræ, & facti sunt A sub potestate diabolica, propter inobedientiam primi mandati, & omnes cum peccatis nati in laboribus viventes, in mortis (a) doloribus humanam amitterent vitam. Nec ullus fuit qui ad paradisi felicitatem vel regni cælestis beatitudinem post hujus vitæ finem pervenire potuisset, donec omnipotens Deus Filium suum unigenitum, natum ex Virgine, misisset in mundum, sicut multum ante per prophetas suos sanctis patribus promisit. Sicut mundi prædicator Paulus dixit. *Cum ergo venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum in hunc mundum, ut totius mundi dilueret peccatum.* Hac vero plenitudine temporis secundum prædestinationem Dei veniente, *Missus est*, ut in sancto evangelio legimus, *angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis* MARIA, *& ingressus angelus ad eam dixit: Ave gratia plena Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio. & ait angelus ei: Ne timeas* MARIA, *invenisti gratiam apud Deum: Ecce concipies & paries in utero Filium, & vocabis nomen ejus* JESUM. *Hic erit magnus coram Domino, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem patris sui, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem* MARIA *ad angelum, quomodo fiet istud, quia virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et fuit tunc talis tempus, & talis pax in mundo, ut totius orbis dominium ad unam pertineret civitatem, quæ dicitur Roma: & illius civitatis simul & totius orbis unus fuit imperator, nomine Augustus, qui etiam tale constituit edictum in mundo, ut omnis homo in patriam suam pergeret, & ibi censum pro capite suo solveret imperatori, & omnis servus fugitivus ad suum rediret Dominum, & cujus Dominus non inveniretur, occideretur, ne turbaret pacem, quam ille statuit in toto orbe, & hoc fuit per providentiam Dei factum, ut pax esset in toto orbe dum ille nasceretur, qui veram pacem prædicaret hominibus, & omnia quæ sunt in cælis & in terra pacificaret, & esset concordia inter angelicas dignitates & humanam naturam. Hoc itaque tempore tam pacifico & tam serena lætitia omnium ubique gentium, ut evangelica pandit historia, natus est in gente Judæa & Bethleem civitate David de MARIA Virgine, non de virili conjunctione, sed de Spiritu-sancto inspirante & fœcundante Virginalem ute-

Gal. 4. 4.

Luc. 1. 26. & seq.

Luc. 2. 1.

[a] *al.* cum mortis doloribus.

rum, ut integritas virginalis esset in partu & post partum.

2. Eadem quoque nocte, ut in evangelio legimus, qua natus est Deus Dei Filius in mundum, *erant pastores in regione eadem, vigilantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce angelus Domini adstetit juxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Respondit autem angelus Dei, & dixit ad pastores: nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est nobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus* B *in civitate David. Et hoc vobis signum: invenietis infantem positum in præsepio. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, & dicentium: Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et venerunt pastores & invenerunt infantem pannis involutum & positum in præsepio, &* MARIAM *matrem ejus, sicut angeli eis prædixerunt.* Hæc enim festivitas salutis nostræ initium est, & humani generis reformatio, in qua Deus per Domini misericordiam descendit ad homines, ut homines per obedientiam potuissent ascendere C ad Deum, quia per inobedientiam expulsi sunt de paradisi felicitate, quam felicitatem non solum restituit nobis Deus de Virgine natus, sed etiam cœlestis regni credentibus & mandata ejus observantibus portas aperuit, & perdonavit filios Dei esse in fide & caritate, qui fuerunt filii iræ in peccatis, & miseriæ, & omne jugum diabolicæ servitutis contrivit & comminuit, ut nullum potuisset ultra dominium habere diabolus in omni homine, qui mandata Dei servare voluisset & se a peccatis custodire.

Luc. 2. 8.

3. Igitur illi qui peccare non metuunt, nec D sua peccata curant confiteri, vel per pænitentiã emendare, servi sunt diaboli. qui vero se a peccatis custodire curant, vel sua peccata per confessionem & pœnitentiam abluere, & in mandatis Dei vivere gaudent, hi sunt filii dilectionis Dei & heredes æternæ beatitudinis. Hæc est enim magna nobilitas, ut terrenus homo Filius Dei efficiatur, & hæc gloriosa nobilitas & magna libertas, bonis moribus diligenter observari debet, nec altissimus Pater, qui Deus est omnium, nisi bonos & castos & fideles & mandatis suis (a) [a] E custodientes filios vult habere; & dignum est ut perfecta illum diligamus caritate, qui nos in tantum dilexit; qui cum Deus est æternus, homo voluit pro nostra nasci salute, & omnia facere & pati quæ leguntur in evangelio sancto, qui tantum mirabilis claruit in conspectu populi, ut veraciter agnosci potuit, quod idem ipse qui homo videbatur in fragilitate carnis, Deus erat in potestate divinitatis. in cujus nativitate angeli, ut audivimus, laudantes Deum cecine-

[a] Lege *mandata sua custodientes.*

Luc. 2. 14. runt *Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* & nos gloriam cum angelis Deo canemus, laudantes ejus ineffabilem misericordiam, qui seipsum humiliavit, ut nos exaltaret. Factus est filius hominis, ut nos efficeret Filios Dei. Venit in regione mortalitatis nostræ, ut nos lavaret in regione gloriæ suæ. Addiderunt quoque angeli hymnica voce: *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* vera est enim pax, ut bona voluntate subditi simus Deo omnipotenti, facientes magis illius semper voluntatem quam nostram: quia illius voluntas salus est nostra. Mundemus nos ab omni iniquitate corporis & animæ. Vivamus in castitate & caritate Dei & hominum, & cum gaudio serviamus Deo in omni opere bono, in misericordia & pietate, in justitia & patientia, & in spe bonitatis Dei. Scientes certissime quæcumque egerimus bona in eleemosynis & in humilitate, & obedientia præceptorum illius, quod omnia in æterna beatitudine Dominus noster nobis restituet.

SERMO III.

De gemin[illegible]titiæ operatione.

1. PRima ergo justitia est mala non facere quæ diabolus suggerit. Secunda est bona facere quæ Deus omnipotens hortatur nos facere: quia Deus desiderat salutem animarum nostrarum, sicut dictum est, *qui*
1. Tim. 2. 4. *vult omnes homines salvos fieri.* audiamus itaque, dilectissimi, quæ sint mala quæ diabolus suggerit, & postea quæ sint bona quæ Dominus Deus noster vult ut faciamus, ut simus filii dilectionis suæ, non filii perditionis æternæ. Prima est & pessima in peccatis superbia, per quam diabolus cum esset angelus clarissimus in cœlo cecidit, & factus est æternæ perditionis reus cum omnibus satellitibus suis. Secundum fuit inobedientia, per quod homo primus cecidit de paradiso, dum Dei omnipotentis mandatum non custodivit, & missus est in hanc mortalitatem, & reus factus est in omni posteritate filiorum suorum æternæ damnationis. quam damnationem, ut diximus, Deus omnipotens venit in mundum, ut averteret a nobis, & liberaret nos ab omni miseria. Deinde prohibet nos Dominus Deus diabolo obedire, quia ille desiderat multos habere socios suæ perditionis, & illi qui faciunt voluntatem diaboli in fornicationibus, & homicidiis, & adulteriis, & ebrietatibus, & in falsis testimoniis, & perjurationibus, & injustitiis, & rapinis, & iniquitatibus; & qui invidiam habent & odium, & detractiones contra fratres suos æterna calamitate damnantur cum diabolo & angelis ejus in igne perpetuo. Qui vero omnipotentis Dei, facere voluntatem & præceptis ejus obedire, in æterna gloria erunt regna-

A turi cum Christo & sanctis angelis ejus.

2. Hæc sunt præcepta divina per quæ nobis æterna beatitudo donabitur a Deo omnipotente. Primum caritas Dei, & caritas hominum, ut diligamus Deum ex toto corde, & tota anima, & tota mente, id est omni intelligentia nostra, & omni voluntate nostra, & semper in memoriam habeamus voluntatem & præcepta illius; & diligamus homines alios sicut nosmet ipsos, nulli facientes aliquid, quod nolumus ut alter nobis faciat; sed sic faciamus in alios, sicut nostra B voluntas sit, ut alii nobis faciant. Et simus misericordes in pauperes & in miseros, & faciamus illis bene secundum vires nostras & necessitatem illorum, & si quis peccat in nobis, dimittamus illi, ut nobis Deus dimittat peccata nostra, quia sic in evangelio legimus, ipsa Veritate dicente: *Si dimiseritis hominibus peccata illorum quæ in vos* Matt. 6. 14. *gesserunt, dimittet & vobis pater vester cœlestis peccata vestra.* Et habeamus humilitatem in conspectu Domini; quia sicut scriptum est: *Humiliamini sub manu omnipoten-* 1. Pet. 5. 6. *tis Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis:* C quia sicut diximus prius, angeli de cœlo per superbiam ceciderunt. Sed Dei clementia perdonavit nobis per humilitatem ascendere ad angelicas sedes. Et habeamus patientiam, sicut ipse Dominus dixit: *In patien-* Luc. 21. 19. *tia vestra possidebitis animas vestras*, & nulli malum pro malo reddentes, & castitatem corporis nostri diligenter observemus: quia *Spiritus-sanctus*, sicut scriptum est, *non ha-* Sap. 1. 4. *bitat in corpore peccatis subdito.* Nec furta faciamus, sed de nostro justo labore demus pauperibus eleemosynas, ut ipsi orent pro nobis, & Deus indulgeat nobis peccata no- D stra: *propriæ divitiæ viri*, ut legitur in Sa- Prov. 13. 8. pientia, *redemtio est animæ illius.* Et simus obedientes doctoribus ecclesiasticis in corde puro & conscientia bona. Honoremus ecclesias Christi, & sæpius veniamus ad orationes. Et honoremus parentes nostros, sicut in lege Dominus demandavit. *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Sed & parentes filios suos erudiant in omni castitate & timore Dei, non consentientes illis nec furari, nec fornicari, nec inebriari, nec aliquid injuste agere. Uxores vero suos maritos ti- E meant & honorent, & castitatem illis servent. Similiter & viri uxores suas diligant, & castitatem quam illi quærunt ab uxoribus suis, faciant illi prius, ut videant exempla illorum bona. Pauperes vero & miseri gaudeant in sua paupertate, sperent in misericordia Dei, qui ait: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Vivant in castitate & in fide recta, & in spe æternæ retributionis, & patienter ferant miserias, ut Deus omnipotens concedat illis æternam beatitudinem.

3. Presbyteri vero & totius clerus sanctæ ecclesiæ,

ecclesiæ, qui in servitio Dei stare debent, A die noctuque, omnimodis inreprehensibiliter vivant coram sæcularibus, & in omni loco, ut bonis illorum exemplis erudiantur multi. Et sit illorum meditatio in lege Dei, & in servitio ecclesiastico die noctuque. non sint ebriosi, nec avari, nec verbosi in conviviis, nec divitias in hoc mundo quærentes, sed in cœlesti regno æternum sibi thesaurum præparantes. Ostendant itaque omnibus hominibus bonæ conversationis exempla, & doceant populos Christi in veritate & fide, ut cum multiplici sanctarum animarum lucro appareant in conspectu B Domini Dei nostri, & multiplici remuneratione digni efficiantur.

4. Adolescentes itaque & juniores sint obedientes senioribus in omni doctrina spirituali, nihil sine consilio seniorum agentes. Sint subditi in humilitate & obedientia, ut digni efficiantur secundum ætatis tempus oportunum ministrare Christo Deo. Qui in adolescentia non didicerit quæ bona sunt, quomodo habere vel docere poterit in senectute? Omnes enim ubique, sive divites, sive pauperes, sive seniores, sive juniores, sive domini, sive servi, sive prælati, sive subditi, Deum diligant, & illius præcepta C custodiant diligenter. Sint veraces in sermonibus, justi in judiciis, misericordes in pietate, solliciti in servitio, humiles in moribus, patientes contra omnes adversitates & fidem rectam & catholicam diligenter discant, viventes in fide & spe & caritate. Jejunia publica in castitate custodiant, & eleemosynis ornent jejunia sua, ut quod sibi detrahunt pauperibus largiantur. Decimas quoque suas fideliter reddant Domino Deo omnipotenti, ut Dominus Deus benedictionem mittat super labores suos. Ad ecclesias sæpius veniant, & maxime diebus festivis, D nec vaniloquium habeant in ecclesiis, sed orationibus & compunctione cordis solliciti sint, sicut decet in domo Dei, & in conspectu altissimi regis. Et si quis in quolibet peccato lapsus ceciderit, citius per confessionem resurgat, & purget se in pœnitentiam. quia Dei misericordia dives est ad ignoscendum peccanti, (*a*) si se convertere vult [*a*] ad viam justitiæ, sicut ait propheta: *Nolo mortem peccatoris, se ut convertatur & vivat.* Ezech. 33. 11 Item in alio loco de voluntate & operatione novissima: *In quacumque die conversus fuerit homo, vita vivet, & non morietur.* Ezech. 33. 12 Diaboli itaque invidia nos suadet peccare; sed Domini misericordia, qui salutem desiderat E nostram, hortatur nos a peccato converti ad viam justitiæ, ut digni esse efficiamur æternæ gloriæ cum sanctis suis. Et hoc certissime scire debemus & credere, quod omnia opera nostra vel cogitationes in die novissimo judicabuntur. Peccatoribus autem qui nolunt peccata dimittere, & mandatis Dei obedire, æterna erunt tormenta, in igne perpetuo cum diabolo & angelis suis. Qui vero se toto corde convertunt ad Deum omnipotentem, viventes in caritate, & Dei præceptis obedientes, æterna erit gloria, beatitudo & lætitia cum Christo & sanctis ejus in sæcula sempiterna.

SERMO IV.

De octo beatitudinibus evangelicis.

1. CUm prædicaret Dominus JESUS in quodam loco, & multos infirmos curaret, (*b*) multæ turbæ convenerunt ad [*b*] eum, & ascendit excelsiorem locum, & cœpit docere eos, dicens: *Beati pauperes* Matth. 5. 3. *spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Beatitudinem regni cœlorum Dominus promisit sua præcepta servantibus, & primo de humilitate loquitur dicens: *Beati pauperes spiritu.* Ne putemus illos esse Matth. 5. 3. beatos, quos necessitas & penuria pauperes facit: sed illi sunt vere beati, qui humiliantur in spiritu, & licet divitias habeant, non exaltantur in superbiam, sed in humilitate glorificant Deum, qui semper facit bene sperantibus in se. Humilitas enim omnium bonorum fundamentum est: *quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Per superbiam & inobedientiam perdidit homo regnum cœlorum: ideoque per humilitatem & obedientiam debemus adquirere regnum Dei.

2. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Ibid. 4. Mitis est nobis Deus, tribuitque nobis cuncta necessaria, quod propterea facit, ut nos mites simus & benigni proximis nostri, & bona semper quæ possumus libenter faciamus, sicut ipse Dominus in alio loco admonet dicens: *Discite a me quia mitis sum* Matth. 11. 29 *& humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Mites possidebunt terram, non istam corruptibilem terram, quæ corporibus mortuorum plena est, quæ sæpe per superbiam opprimitur, & per sanguinem Abel (*c*) polluitur; sed illam terram [*c*] habebunt mites, de qua dicit quidam sanctus: *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Psal. 26. 13. Illa est terra ubi habitant angeli & animæ sanctorum, ubi æterna est lætitia, & sine fine felicitas.

[*a*] *al.* peccatis.

[*b*] Alio in codice sequentia hic adduntur: *& varias infirmitates sanaret, leprosos mundaret, cæcos illuminaret, & mortuos suscitaret.*

[*c*] al. *Per sanguinea bella.*

Matt. 5. 5. 3. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Beati sunt qui in hoc sæculo plangunt sua peccata, ne in æternis pœnis cum diabolo lugeant. Melius est hic parvo tempore pœnitere pro delictis, & in æternum gaudere cum sanctis, quam brevia istius sæculi gaudia immoderanter exercere, & post hanc vitam æternis suppliciis puniri. Nos vero simus illis similes ad quos Dominus dicit: *Vos* Joh. 16. 20. *contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.*

4. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* Non omnes sunt beati qui esuriunt & sitiunt, sed illi soli sunt beati, qui esuriunt semper justitiam. Hic vero debemus esurire justitiam, ut numquam putemus, quod satis justi simus, sed semper deprecemur Deum, ut augeat merita nostra in bono, qui enim putat se satis habere de justitia, non esurit justitiam, sed exaltatur in superbiam & statim cadet. Humilis autem semper ibit de virtute in virtutem, & semper delectatur in melius proficere.

Matt. 5. 6. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Nos multum optamus, ut Deus nostra delicta remittat nobis pænitentibus. Sic & nos debemus proximis nostris rogantibus debita dimittere, sicut ipse Dominus dixit: *Estote misericordes sicut &* Luc. 6. 36. *pater vester cælestis misericors est.* Misericordes enim misericordiam consequentur: quia si dimiserimus hominibus peccata eorum, remittet nobis & pater noster cœlestis delicta nostra.

Matt. 5. 7. 6. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Illi erunt mundo corde, qui omnem malitiam, & dolum, & invidiam, & concupiscentiam expellent a corde suo, & mundabunt conscientias per caritatem, & castitatem, & justitiam, & per ceteras sanctas virtutes, ut possint videre Deum in cælesti regno. Deus enim non vult habitare in corpore polluto peccatis, ideoque mundemus nos ab omni inquinamento carnis & mentis, ut Deus habitet in cordibus nostris, & dirigat nos ad omne opus bonum. Si enim confitebimur peccata nostra, & emendabimus, & ad eadem non revertemur, mundabit nos Deus a peccatis nostris, & replebit nos virtutibus cælestibus, & dignos nos efficiet cælestis beatitudinis cum omnibus sanctis. Si autem absconderimus, Deus illa manifestabit, velimus nolimus. Et melius est uni homini confiteri peccata, quam in illo tremendo judicio coram tribus familiis, cæli, terræque, & inferorum publicari, & confundi pro peccatis, non ad emendationem, sed ad pœnam perpetuam.

Matt. 5. 8. 7. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Sic debemus pacem sectari, ut primum inter Deum & nos ipsos pacem efficiamus, sectantes quæ ipse præcepit, & fugientes mala quæ Deo odiosa sunt. Deinde pacificare debemus inter proximos nostros quoscumque viderimus inter se discordiam habere. Per pacem filii Dei vocabimur. Magna est bonitas Dei & ineffabilis clementia conditoris, non sumus digni servi Dei esse, & filii vocamur. Studeamus ergo, ut nos ipsi per bona opera tantæ hereditatis digni esse mereamur, & non segregemus nos ipsos a tam pio patre, qui nos in filiorum sortem adnumerare dignatus est.

8. *Beati qui persecutionem patiuntur propter* Matt. 5. 9. *justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Christus Filius Dei flagella & opprobria pro nobis sustinuit, & postremo ipsam mortem pro nobis suscepit, debemus ergo & nos pro ejus nomine adversa quæque tolerare patienter, quia per multas tribulationes intrabimus in regnum Dei, si eas propter justitiam toleramus. Beatitudo ergo nobis in cælo parata est, ad illam bonis operibus nos præparemus, ad illam toto desiderio curramus. Expectant nos angeli omnes sancti in cælis & gaudent, ut ad eos venire velimus. Laudemus itaque misericordiam Dei, & ei in omnibus gratias agamus, eumque semper deprecemur, ut qui nos redimere dignatus est, ipse nos emundet ab omnibus peccatis, & sui regni consortes cum omnibus sanctis efficiat. Cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V.

De fide & operibus dilectionis.

1. Ammoneo vos ut reminiscamini quid omnipotenti Deo in baptismo promisistis. Primitus credere in Deum Patrem omnipotentem, & in Jesum Christum filium ejus, & in Spiritum-sanctum, unum omnipotentem Deum in Trinitate perfecta. Sed quia scriptum est *Fides sine operibus* Jac. 2. 20. *mortua est*, & qui novit Deum, mandata debet conservare, hæc sunt mandata Dei quæ vobis adnuntiamus facere & servare. Ut Deum quem confessus es, diligas ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota virtute. Deinde proximos vestros tamquam vos ipsos. In his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ. Initium sapientiæ timor Domini, perfectio autem caritas est, & ideo ut possitis hanc caritatem, quæ Deus est, adipisci, habete, sicut Apostolus præcepit, cum omnibus pacem, ut Dominus dicit: *Pacem & veritatem diligite*; Patientiam, quia Zach. 8. 19. Dominus dicit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Habete misericordiam, Luc. 21. 9. quia Dominus (a) præcepit: *Estote misericordes, sicut pater vester cælestis misericors est.* Luc. 6. 36. Et iterum: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Estote benigni Matt. 5. 6. sicut Apostolus præcepit: *Estote invicem* Eph. 4. 32. *benigni, misericordes, donantes invicem sicut*

(b) al. *Sicut Dominus.*

& Deus in Christo donavit vobis. Sitis casti, sicut Apostolus dicit: *Sequimini pacem & castimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Sitis impolluti corde & corpore, quia Deus dicit: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Conjugibus fidem servate, quia Dominus dicit: *Quod Deus conjunxit homo non separet.* Viri caste diligant uxores, sicut Apostolus præcipit: *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit ecclesiam.* Uxores timeant viros, quia Deus dicit mulieri: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui cunctis diebus.* Filios vestros docete ut Deum timeant. familiam vestram similiter, ne aliquid per vestram negligentiam Deo pereat, necnon & omnes vicinos exhortemini, ut benefaciant, quoniam scriptum est: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Discordes ad concordiam revocate, quia beati sunt pedes pacem portantes. Qui causas audit, juste judicet, quia Deus dicit: *Juste judica proximo tuo.* Et iterum: *In quo judicio judicaveritis, judicabimini.* Munera non accipietis, quia Dei sermo est: *Obcæcant oculos sapientium, & subvertunt verba justorum*, & cum Dominus dicit in tabernaculo suo habitare, *qui munera super innocentem non accipit.*

Matt. 5. 7. — Matt. 19. 6. — Eph. 5. 28. — Gen. 7. 6. — Jac. 5. 20. — Matt. 7. 1. — Deut. 16. 19. — Psal. 14. 5.

2. Diem dominicum observate, ad ecclesiam currite, quia in ipsa (a) Christus resurrexit, ut nobis quoque exemplum præberet resurrectionis. Ibi orate, & fabulas otiosas & verbositatem diligenter cavete, quia scriptum est: *Domus mea domus orationis est.* (b) Ideo orare ibi debetis, & inutiliter non verbosare. Eleemosynas date juxta vires, quoniam *sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccata.* Hospitales invicem, quia Dominus in judicio dicturus est: *Hospes eram, & suscepistis me.* Unde & quidam placuerunt angelis hospitio receptis. Peregrinos suscipite, & mementote vos ipsos in hoc sæculo peregrinos. Infirmos visitate, quia & Dominus dicturus est: *Infirmus fui & visitastis me.* Viduis & pupillis ministrate, quia Dominus dicturus est, *quod uni ex minimis meis fecistis mihi fecistis.* Decimas ecclesiis reddite, quia Dominus præcepit dicens: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, hoc est vectigalia & tributa, *& quæ sunt Dei Deo*, id est decimas & primitias & vota quæ vovistis omnia, sicut Dominus præcepit: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines bona, hæc & vos facite illis, & quod tibi non vis, alii ne feceris. Hæc est enim lex & prophetæ.* Si hanc ad invicem caritatem impleveritis, omnia præcepta implebitis. Deum solum ubique timete, regem honorificate, quia sicut scriptum est, *non est potestas nisi a Deo, & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Ideoque piis præceptis obedite. Justum censum ne subtrahatis, sicut Apostolus præcepit: *Cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Servi carnales qui estis, obedite dominis vestris, sicut apostolus jubet, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed fide bona & corde simplici. Et vos domini eadem facite servis, conservate in eis justitiam & misericordiam, scientes quoniam illorum & vester Dominus in cælis est (c).

Luc. 19. 46. — Matt. 25. 35. — Matt. 25. 36. — Ibid. 40. — Matt. 22. 21. — Matt. 7. 12. — Rom. 13. 1. — Rom. 13. 7. — [c]

3. Orationem dominicam memoriter tenete, quia in ea breviter omnis necessitas præsentis vitæ & futuræ pleniter comprehenditur, & Christus eam docuit, ideoque Dominica dicitur, qui præcepit ut sic oremus. Symbolum etiam ex animo tenete, quia scriptum est: *Impossibile est sine fide placere Deo.* Ideoque vos ipsi, sicut ibi dicitur, credite, & filiis vestris, necnon & eis quos in baptismo suscepistis, hanc ipsam fidem tradite; quia ideo pro ipsis fidejussores extitistis, ut sic credere vobis docentibus deberent. Scitote etiam vos semel non amplius baptizari debere, semel & non amplius ad confirmationem accedere, quia & apostoli semel manus super credentes imponebant, ut acciperent Spiritum-sanctum.

Heb. 11. 6.

4. Jejunia legitima & publica maxime amate, quia per abstinentiam & eleemosynas populi placatur Deus, sicut Ninivitis triduo jejunantibus pepercit. Justitiam diligite sicut scriptum est: *Diligite justitiam qui judicatis terram.* Diaboli suasionibus non consentite, sed, sicut apostolus præcipit, *resistite diabolo & fugiet a vobis.* Communionem corporis & sanguinis Domini per tempora sumite.

Sap. 1. 1. — Jac. 4. 7.

5. Hæc sunt, fratres dilectissimi, opera fidei, quæ ab universis Christianis communiter debent conservari, & qui his particeps in hoc sæculo fieri noluerit, particeps regni Dei in futuro esse non poterit; & nos humiles & infimi, vestro tamen amore & sollicitudine provocati, propterea hæc vobis enumeravimus, ut nullus se excuset, dicendo, Nescio inter bonum & malum, inter justum discernere, nescio quid dimittam, quid faciam, Nunc ergo *diverte a malo*, sicut scriptum est, *& fac bonum. Inquire pacem, & sequere eam*; quod si feceritis, adaugebit vobis Dominus intellectum & virtutem, ut etiam potiora divina mandata discere & adimplere valeatis, & non solum vobis, si in istis operibus jugiter usque in finem perseveretis, peccata dimittet, sed & æternum & cœleste regnum quasi filiis propriis tribuet, *ut sitis*, sicut dicit Apostolus, *heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.*

Psal. 33. 15. — Rom. 8. 17.

6. Christum etiam Filium Dei venturum

(a) al. *Cum ipsa.*
(b) al. *Orationis vocabitur.*

[c] al. *Idem faciet vobis.*

credite in die judicii judicare vivos & mortuos, sicut ipse ascendens in cœlum per angelos apostolis mandavit, qui dixerunt sic: *Veniet quemadmodum vidistis eum, euntem* (a) *in cœlum.* Tunc videbit eum omnis caro, sicut propheta dicit: *Videbit omnis caro salutare Dei.* Impii vident ut timeant quem despexerunt, sed non gaudebunt, quia gaudium in illum non habuerunt, sicut scriptum est: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Tunc justi discernentur ab impiis, qui in hoc sæculo premebantur ab ipsis. Impii, ut in supplicio carceris diaboli cum ipso puniantur: justi, ut in regno Dei cum ipso glorientur. Recipient impii corpora; ut cum ipsis in perpetuum cum quibus peccaverant, crucientur. Recipient recti corpora, ut in quibus Deo fideliter serviebant, in ipsis a Deo misericorditer mercedem accipiant. Omnes tunc resurgent, sicut Apostolus dicit: *Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur*, quia soli justi ad gloriam mutabuntur; *tunc ibunt*, sicut Veritas dicit, *impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Tunc fulgebunt justi sicut sol in regno patris eorum, ibi erit (b) vita cum Deo sine timore mortis, ibi lux indeficiens, & numquam tenebræ, ibi salus quam nulla ægritudo conturbat; ibi satietas indeficiens eis, qui nunc esuriunt & sitiunt justitiam; ibi felicitas, quam nullus timor corrumpit; ibi gaudium quod nulla tristitia consumit; ibi æterna gloria cum angelis & archangelis, cum patriarchis & prophetis, cum apostolis & martyribus, cum confessoribus & sacris virginibus quæ sequuntur Christum quocumque ierit; ibi majora & meliora, suaviora & dulciora, jucundiora & amabiliora donata sunt sanctis, quam dici aut cogitari possit, quia sicut dicit Apostolus, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* gaudia, ad quæ vos perducat qui vos creavit. Hæc, filioli, hæc fratres carissimi, quæ vobis humiliter ego peccator ore suggessi, (c) omnipotens Trinitas Pater & Filius, & Spiritus-sanctus sua virtute sensibus vestris salubrius & cordi loquatur, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Act. 11. 11. [a] — 1. Cor. 15. 51. — Matt. 25. 46. — [b] — 1. Cor. 2. 9. — [c]

SERMO VI.

De capitalibus peccatis & præcipuis Dei præceptis.

Audite & intelligite, carissimi, hoc est verbum fidei quod prædicamus, ut credamus in Deum Patrem omnipotentem, & in JESUM CHRISTUM filium ejus unicum Dominum nostrum, & credamus in Spiritum-sanctum unum Deum omnipotentem in unitate & Trinitate, trinum in personis & nominibus, & unum in deitate majestatis & potestatis. Hoc est verbum fidei quod prædicamus, ut discernamus inter bonum & malum, inter pium & impium, inter justitiam & iniquitatem, id est inter capitalia peccata & inter capitalia & principalia præcepta. Hæc enim sunt capitalia peccata. Sacrilegium quod dicitur cultura idolorum. Omnia autem sacrificia & auguria paganorum, sacrilegia sunt, quemadmodum sunt sacrificia circa defuncta corpora, vel super sepulcra illorum, sive auguria, sive filacteria, sive quæ immolant super petras, sive ad fontes, sive ad arbores, Jovi, vel Mercurio, vel aliis diis paganorum, quæ omnia dæmonia sunt, & multa alia quæ enumerare longum est; quæ universa juxta judicium sanctorum patrum sacrilegia a Christianis vitanda & detestanda & capitalia peccata esse dinoscuntur. Homicidium, adulterium, fornicatio sive cum humana natura, sive cum animalibus & pecoribus, sive masculi cum masculis, sive fœminæ cum feminis ardentes in desideriis invicem. Hæc omnia capitalia peccata sunt. Furta & rapinæ, falsum testimonium, perjurium, detractio, cupiditas, superbia, invidia, odium, vana gloria, ebrietas, ista omnia capitalia peccata esse absque dubitatione comprobantur. Hæc sunt quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Ista est malitia quam S. Petrus abjicere jussit, quando dicit: *Hoc est verbum quod evangelizatum est vobis. Deponentes igitur omnem malitiam, & omne dolum.* De talibus dicit Paulus apostolus: *Qui talia agunt digni sunt morte. non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Hæc sunt opera satanæ, quibus abrenuntiant Christiani in baptismo. Hæc opera satanas in die exitus nostri in nobis requiret, & si invenerit, nos reos sibi vindicat, & ad inferni (d) claustra & ad æternas pœnas secum nos nudos & flentes & lugentes trahit, ubi mors semper patitur, & numquam per mortem maligna vita finietur, ubi ardor sulfureis flammis exæstuans & algor trementibus ac lugentibus animabus intolerabilis & numquam terminatur; (e) ubi tenebras sine luce patientur oculi eorum, qui hic lucernam Domini, id est sanctum evangelium videre oculis cordis noluerunt; ubi aures nihil nisi luctum & gemitum audient, quæ hic præcepta vitæ in evangelio Christi audire noluerunt; ubi esuriunt & sitiunt in æternum, qui hic esurientibus & sitientibus miseris cibum & potum dare noluerunt, ubi semper mors optatur, sed non dabitur, ab his qui hic de morte sua cogitare noluerunt. Ibi generaliter omne malum inveni-

1. Pet. 2. 1. — Rom. 1. 31. — [d] — [e]

[a] al. *ascendentem.*
[b] al. *Ibi erit eis vita.*
[c] al. *auribus suggessi.*

[d] al. *inferna.*
(e) al. *terminata.*

tur,

tur, & nullum bonum videbitur.

2. Præcepta Dei sunt fides recta & vita immaculata. Fides recta fides catholica est, quam supra exposuimus. Dilectio Dei, id est dominum Deum diligere ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute. Deinde proximum tamquam semetipsum. Timor Domini sicut scriptum est : *initium* Psal. 110. 10. *sapientiæ timor Domini*. Pax, benignitas, patientia, humilitas, continentia, modestia, justitia, misericordia. Opera enim sunt misericordiæ, esurienti cibum dare, sitienti potum, nudum vestire, infirmos & in carcere inclusos visitare, & illis ministrare, hospites suscipere, mortuos sepelire, juste judicare, justitiam laudare, iniquitatem detestare & non facere, viduas & orphanos adjuvare, peregrinos suscipere, eleemosynas in pauperes partiri, tribulationem patientibus subvenire, decimas annis singulis reddere, semper orare in omni loco dominationis ejus, castitatem servare & jejunium amare, pacem semper diligere, gratiarum actionem Deo de omnibus agere. Hæc facientibus & implentibus regna præparantur æterna. Illis Salvator mundi in die judicii dicturus est: Matt. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei possidete regnum, quod vobis paratum est ab* Matth. 13. 43. *origine mundi. tunc fulgebunt justi sicut sol in regno patris eorum.* ubi est lux sine tenebris, & vita sine morte, ubi est lætitia sempiterna & gaudium sine fine, ubi majora & meliora bona spiritualia, quam lingua humana exponere possit, sicut scriptum est, 1. Cor. 2. 9. *quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.*

SERMO VII.

De fide & caritate.

1. PRimo omnium quærendum est homini quæ sit vera scientia, veraque sapientia; quia sapientia hujus sæculi stultitia est apud Deum. Scientia vera est, a diabolo servitio, quod sunt peccata, [a] (*a*) recedere, & sapientia perfecta est Deum colere secundum mandatorum illius veritatem : quia in his duobus vita beata adquiritur, Psal. 33. 15. sicut psalmista ait : *Diverte a malo & fac bonum.* nec etiam sufficit cuiquam mala non facere, nisi etiam & bona faciat; nec bona facere, nisi etiam & mala omittat. Omnis ergo qui sic sapiens est, procul dubio beatus erit in æternum. Nulla melior est sapientia, quam ea qua Deus secundum modulum humanæ mentis intelligitur & timetur, & futurum ejus creditur judicium. vel [b] quid est (*b*) justius, quam Deum diligere, ejusque mandata custodire, per quem dum

(*a*) In altero codice desiderantur hæc verba *quod sunt peccata*.
(*b*) al. *nihil est*.

A non fuerimus, creati sumus, & a servitute diaboli liberati, qui nobis omnia bona quæ habemus perdonavit? Ideo unusquisque instantissime bona quæ cœpit, perficere contendat, ut perpetuam a Domino mereatur mercedem accipere. Omnibus viribus diligatur Deus, qui custodit omnes qui ei corpus suum & animam subjiciunt bona voluntate & caritate sincera. Nam omnis creatura, velit aut nolit, uni Deo & domino suo subjecta est. Sed hoc admonemur, ut tota voluntate serviamus domino Deo nostro.

2. Fides est prima quæ subjugat animam B Deo, quia cognitio divinitatis & scientia veritatis per fidem discenda est catholicam; quia *fine fide impossibile est placere Deo.* Vere Heb. 11. 6. beatus est qui & recte credendo bene vivit, & bene vivendo fidem rectam custodit. Igitur sicut otiosa est fides sine operibus bonis, ita nihil proficiunt opera bona sine fide recta. Ista est fides catholica, ut credamus in in unum Deum patrem omnipotentem, & in Filium ejus unicum dominum nostrum JESUM CHRISTUM, & in Spiritum-sanctum, id est unus Deus, unius substantiæ Trinitas æterna, Deus ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia.

C 3. In præceptis vero caritas obtinet principatum, ideo diligenda est & tenenda, sine cujus perfectione nihil Deo placere posse, Paulus testatur apostolus. Unde & ipse Dominus a quodam scriba interrogatus, quod esset mandatum maximum; respondit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,* Matth. 22 37 *& ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Addidit quoque *secundum simile huic : Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* ibid. 39. *In his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ.* quod vero ait, ex toto corde & tota anima & tota mente, id est toto intellectu, tota voluntate, & ex omni memoria Deum esse D diligendum. Dei vero dilectio in observatione mandatorum ejus tota consistit, sicut alibi ait : *Si quis diligit me sermones meos* Joh. 14. 23. *servat.* Unde & ipsa veritas alibi ait : *In hoc* Joh. 13. 35. *cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Item Apostolus: *Plenitudo legis est dilectio.* Item Johannes evangelista : Rom. 13. 10. *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & proximum suum.* (*c*) [c]

4. Si forte quislibet quærat quis sit proximus, sciat omnem Christianum recte pro- E ximum dici : quia omnes in baptismo Filii Dei sanctificamur, ut fratres simus spiritaliter in caritate perfecta. Nobilior est generatio spiritualis quam carnalis, de qua in evangelio ipsa veritas ait : *nisi quis renatus* Joh. 3. 5. *fuerit ex aqua & Spiritus-sancto, non potest introire in regnum Dei.* Discat homo quæ sint præcepta Dei, & ea custodiat quantum valeat, & sic se cognoscat caritatem ha-

(*c*) al. *Et fratrem suum.*

bere Dei. Nemo igitur quamvis ingenti peccatorum pondere prematur, de bonitate divinæ pietatis desperare debet. Sed in omni tribulationum (a) angustia spe ad solatium supernæ pietatis currendum est: quia in Deo solo omnis spes & salus sine dubio consistit. qui vero Deum & Dominum fideliter amat & indesinenter colit, & ejus mandata perseveranter implet, æternam cum angelis gloriam perpetualiter possidere dignus efficiatur; cœleste regnum promeritis patet. Igitur sicut omnibus æqualiter regni Dei prædicata est beatitudo, ita omni sexui, ætati, & personæ æqualiter secundum meritorum dignitatem regni Dei patet introitus, ubi non est distinctio quis esset in sæculo, laicus vel clericus, dives aut pauper, junior vel senior, servus aut dominus, sed unusquisque secundum meritum boni operis perpetua coronabitur gloria.

SERMO VIII.

Qualiter hic vivatur, qualiter in futurum vivendum sit.

COgitemus, dilectissimi fratres, assidue qualiter vivamus in hac præsenti vita, qualiter victuri simus post hujus vitæ terminum. Nullatenus itaque homines perire possunt, sicut animalia ratione carentia, sed omnis homo animam habet æternam, quæ judicabitur secundum ea quæ gessit in corpore sive bonum sive malum. Salus est enim uniuscujusque Dei obedire mandatis, illiusque tota intentione semper facere voluntatem, qui vult omnes homines salvos fieri & neminem perire. Ideoque post baptismi sacramentum secundam pœnitentiâ posuit purgationem, ut mala quæ post baptismi ablutionem agimus, pœnitentiæ medicamentis sanentur. Ut qui prius in malis actibus fuimus, postea conversi in bonis operibus vivamus. quia non sufficit tantummodo mala derelinquere, nisi etiam mox & bona quæ mandata sunt nobis faciamus, dicente propheta: *Diverte a malo & fac bonum.* (Psal. 33. 15.) Nam superbiæ malum humilitatis bono immutandum est, ut qui fuimus per superbiam diaboli sectatores, per humilitatem simus imitatores Christi. Igitur per superbiam angelicæ potestates de cœlesti ceciderunt gloria, per humilitatem vero Christi humanum genus ad cœlestem vocatur gloriam. Initium omnis peccati superbia est, qua homo despexit mandatis obedire Dei sui. Inde fuit ruina primi hominis, quia contemsit mandato obedire creatoris sui. & si ille primus homo per inobedientiam de paradiso ejectus est gaudiis, nos vero per obedientiam mandatorum Dei ad vitam valeamus pervenire perpetuam, dicente Domino in evangelio cuidam se interroganti, quomodo vitam æternam possidere potuisset: *Si vis vitam ingredi, serva mandata*; (Matt. 19. 17.) & in his mandatis Domini maximum est ac justissimum: *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis. Secundum simile huic diliges proximum tuum sicut te ipsum*, (Matt. 22. 37.) in quo est quod tibi non vis, alteri ne facias: quod ipsa natura docet, quia nullus vult homo ut ei alter noceat. Ideo nulli debet ille nocere, & sicut nos desideramus ut alii nos adjuvent in nostris necessitatibus: ita & alios debemus adjuvare in suis necessitatibus secundum virium nostrarum possibilitatem, (b) & benigni esse & misericordes ad omnes homines, sicut Deus pater benignus est & misericors in nos, qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & ad fructificanda semina pluviam dabit terræ nostræ, ut terra germinet & faciat fructum unde nostræ mortalitatis vita sustentetur. Idcirco necessarium est illum diligere, & ejus obedire mandatis, ut per ejus pietatem ab omnibus protegamur adversis & æternis per eum valeamus abundare bonis. numquam enim illius nos deserit bonitas, si illius nos non derelinquamus voluntatem, & voluntas illius salus est nobis & prosperitas ac beatitudo æterna. Ideo tota virtute fugiamus vitia & crimina quæ diabolus suadet; facientes bona, quæ Deus ipse nobis præcepit facere, hoc est dilectionem Dei & proximi, sicut prædiximus, pietatem & misericordiam in miseros. Non simus avari ad congregandum vel servandum, sed benigni ad largiendum, quia *propriæ divitiæ redemtio est viri*, (Prov. 13. 8.) & donorum quæ in pauperes fiunt, Christus erit remunerator. *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna delet peccatum.* Similiter jejuniis, & orationibus, & abstinentia carnalium desideriorum, & in confessione & pœnitentia omnia possunt deleri peccata. Sed nullus in peccatis suis securus jaceat, quia nemo ultimum præscire poterit diem, sed surgat per confessionem & pœnitentiam, & revertatur ad dominum Deum suum, quia pius est ad ignoscendum, si nos pigri non erimus ad pœnitendum. Casti simus & sobrii in corpore nostro, fornicationes & alias fugientes immunditias corporales & omnes delectationes injustas depellamus a nobis. Mundemus corda & corpora nostra in conspectu domini Dei nostri, ut digni simus habitaculum Spiritui-sancto. Furta & rapinas, falsa testimonia, & perjuria, & homicidia, & his similia crimina nullus vestrum faciat, ne quisquam contra alium invidiam habeat, nec inimicitiam, nec dissentiones occultas, sed pacifice conversetur cum omnibus, Domino dicente: *Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur.* (Matth. 5. 9.) Commessatio-

(a) al. *Omni tribulatione, omni angustia.*

(b) al. *facultatem.*

nes, & ebrietates, & inania verba, & turpiloquia omnimodis cavete vobis: quia *ebriosi*, ut dicit Apostolus, *regnum Dei non possidebunt*. Augurias & incantationes & ligaturas nolite exercere, nec illis credere: quia diabolica hæc sunt argumenta, non Domini præcepta; sed ad Christi ecclesiam concurrite, ibi sanitatem corporum & salutem animarum quærite vestrarum. In Dei enim omnipotentis potestatem salus & vita omnium nostrorum est, cujus pietas numquam deserit in se sperantes. quapropter per illius bonitatem speremus & credamus omnia nobis bona venire. Patientes simus, & nulli malum pro malo reddentes, sed indulgeamus in nos peccantibus, ut divina misericordia nobis dignetur indulgere delicta nostra, sicut in Dominica oratione solemus dicere. Semper Deum habeamus ubique præsentem, & si coram homine timemus peccare, quanto magis coram oculis Dei, qui omnia evidentissime conspicit, quæ nos cogitamus vel loquimur, vel agimus. Illum ubique habemus testem in vita nostra, illum post hanc vitam judicem habemus, illius semper tota dilectione & tota virtute impleamus voluntatem, quatenus ille nobis gloriam æternam cum sanctis suis concedere dignetur, ut dum impii pro peccatis & sceleribus suis flammis cum diabolo tradentur æternis, nos pro bonis operibus cum Christo & cœtibus angelicis gaudia æternæ beatitudinis divina donante gratia intrare mereamur.

1. Cor. 6. 10.

SERMO IX.

Qui actus sint omni studio evitandi, & qui tota virium instantia sectandi.

1. Considerare oportet nos, carissimi, præsentis vitæ statum, vel qui actus sint nobis omni studio evitandi, vel qui tota virium nostrarum instantia sectandi. Inter omnia quæ hic agi possint semper aspicere debemus quomodo diabolo deceptori nostro resistamus, & quomodo Deo Jesu redemtori nostro placeamus. In eo illi placemus, (a) si hoc agimus quod ille jussit, & quod ille interdixit refutamus. Peccata vero & iniquitates prohibet nos committere, commissa pœnitentiæ medicamine citius curare. Recte itaque vivere & pie & æterna quærere præcepit nobis, & unumquemque locum & conditionem suam diligenter procurare, ne vacuus appareat, vel minus utilis in loco suo. Una est enim corpori nostro anima, in qua vita consistit; sed multa sunt membra diversis distincta officiis. Sic (b) in ecclesia una est fides, quæ per caritatem ubique operari debet, sed diversæ dignitates proprias habentes ministrationes. Nam alius ordo præpositorum est, alius subditorum; alius divitum, alius pauperum; alius senum, alius juvenum; & unaquæque persona habens sua propria præcepta, sicut unumquodque membrum habet suum proprium in corpore officium. Nam episcoporum officium est prava prohibere, pusillanimes consolari, protervos corripere. Deinde regius honor populis debet esse timori & venerationi, quia non est potestas nisi a Deo. Item, potentes & judices (c) omnes qui regi adhærent, fideles sint oportet, & humiles, & misericordes; in æquitate judicare & non in muneribus, viduas & pupillos defendere, episcopis suis subditos esse, neminem vi opprimere, non injustis divitiis inhiare, sua magis indigentibus dare, quam aliena rapere.

[a]
[b]
[c]

2. Item, sunt in populo Dei alii sapientes, & alii stulti. Sapientium est bona quæ sciunt & opere complere & aliis prædicare. Quid prodest viatori scire viam, si non vult intrare? Ille vero qui viam Dei scit & intrat, aliosque introducit, similis est firmamento, quod multis splendet sideribus. Qui vero multos ædificat, multorum mercede gloriatur. Debent itaque potentes Deum habere sibi præsentem semper, & licet hominem non timeant, Deum tamen metuant, & potestatem sibi concessam in Dei honorem & in salutem animæ suæ fruere. Qui vero stulti sunt & indocti, discant humiliter a sapientibus, quia qui ignorat ignorabitur, ne ignorantia se putent excusari posse apud districtum judicem; ille considerat occulta uniuscujusque.

3. Tres distantiæ sunt in humano genere; alii sunt qui bene sciunt, & faciunt quæ sciunt: hi sunt optimi hominum ac Deo proximi. Secundus gradus est in hominibus qui per se bona nesciunt, volunt tamen discere a bene scientibus, & implere quæ didicerint, & horum vita utilis est in ecclesia. (d) Qui bona quæ ignorat discere contemnit, hujus vita omnibus inutilis est & plurimis noxia. Quapropter qui sciat bonum, faciat; & qui nesciat, discat, ut & ille de sua scientia gaudeat, & hic de sua industria proficiat. Alii sunt in ecclesia divites, alii pauperes. Pauperibus præceptum est humiles esse, & sperare in Deum, qui dixit: *Beati pauperes spiritu*, & meliores divitias tanto avidius amare, quanto his terrenis vacui sunt. Divitibus præceptum est sua dare, non aliena rapere, vestire, induere, quia multa sunt quæ divites per abundantiam divitiarum superflua faciunt, vel in cibo, vel in vestitu. Ideo refectio pauperum abluat peccata quæ superfluitas contraxit: quia *sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum*. Dives qui

[d]
Matt. 5. 5.
Eccli. 3. 33.

(a) al. *placeamus*. (b) al. *Sicut*.
(c) al. *divites*.

(d) Hic videtur aliquid omissum in ms. verbi gratia, *Tertius gradus illius*.

parcit divitiis, non parcit animæ, aut cui largus est qui semetipso tenax est? Cogitet unusquisque quanto pretio ab igne præsenti, si cogatur ardere vel unum diem, velit se redimere, quanto est acrior ignis judicii? Ignis gehennæ insuper æternus est. Ideo qui habeat divitias, præveniat faciem judicis, & misereatur miseris, ut ei misereatur Deus, qui pauperi, ut dictum est, miseretur; fœneretur Domino & ipse reddet ei. Senes vero decet religiosos esse compositis moribus, & canitiem ornare sobrietate, & semper de ingressu alterius vitæ cogitare. Adolescentes convenit obedientiæ & subjectioni seniorum operam dare, ut proficiant semper in domo Dei, ut meliores ac meliores fiant, nec vanis oblectationibus & noxiis cupiditatibus malignos se spiritus mancipare sinant, sed castos se & immaculatos studeant ad maturam perducere ætatem.

4. Parentibus quoque præceptum est, ut erudiant filios suos in timore Dei. Quid enim parenti proficit, si habeat filium tormentis perpetuis deputatum? ideo diligentius erudiant in disciplina pietatis suos filios patres, ut benedictione hereditatis hic & in futuro sæculo habeant illos. Sed & filii obediant parentibus suis, nam & ipsemet Christus subditus fuisse parentibus suis legitur. Viri vero diligant uxores suas in castitate & conscientia pura, & quasi fragiliori vasculo, honorem eis competentem in timore Dei faciant, uxoresque viris suis sint subditæ in timore & fide, scientes a Deo constitutam esse subjectionem uxoris viro. Sunt quoque alia communia in ecclesia omni dignitati, ætati & sexui præcepta, ut est diligere dominum Deum ex toto corde, ex tota mente, totaque virtute, & proximum sicut seipsum, nullusque hoc alteri faciat quod sibi fieri nollet. Patientia quoque omnibus necessaria est & compassionis affectus, & misericordiæ largitas, & justitiæ æquitas, & fidei puritas, & spei firmitas, orationumque instantia, & mansuetudo morum. His enim & hujusmodi hostiis promeretur divina clementia. Hæc enim salutis præcepta & omnibus conveniunt, & cunctis necessaria esse noscuntur. His passibus iter cœleste, & his clavibus supernæ patriæ janua panditur. Per hæc vestigia omnes sancti cursum vitæ præsentis peregerunt, & qui nunc regnant cum Christo per has semitas ad eum pervenerunt, nec est hæc via laboriosa, sed valde gloriosa, quæ brevi spatio peragitur, sed perpetua lætitia & gloria coronatur. Qui vero hac pergere non cessat, angelicæ beatitudinis consors efficitur, & ipsius domini Dei omnipotentis æterno fruitur aspectu, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO X.

De incarnatione Filii Dei & humani generis reparatione.

1. PRimum omnipotens Deus hominem in paradiso ad suam imaginem & similitudinem creavit, & æternum eum esse voluit; sed postquam de paradisi gaudiis culpa exigente repulsus est, primus humani generis parens, & in hujus exsilii atque cæcitatis quam patimur ærumnam venit. Jam illa cælestis patriæ gaudia quæ prius contemplabatur videre non potuit. In paradiso quippe homo assueverat verbis Dei perfrui, beatorum angelorum spiritibus cordis munditia & celsitudine visionis interesse. Has autem homo delicias tunc amisit, cum in paradiso peccavit. Postquam huc cecidit primus homo, ab illo quod contemplabatur mentis lumine secessit, ex cujus videlicet carne nos in hujus exsilii cæcitate nati, audivimus quidem esse cælestem patriam; audivimus ejus cives angelos Dei, audivimus eorumdem angelorum socios spiritus justorum perfectorum; sed carnales quique quia illa invisibilia scire non valent per experimentum, dubitant utrumne sint quæ corporalibus oculis non vident. Dum esse summa & invisibilia audiunt, diffidunt an vera sint: quia sola hæc infima in quibus nati sunt visibilia noverunt, unde factum est, ut ipse invisibilium & visibilium creator ad humani generis redemtionem unigenitus Patris veniret. Unigenitus Patris idcirco incarnatus est, ut nos ad fidem introduceret. O quanta est bonitas Dei nostri, qui nos creavit & liberavit, obprobria multa & inrisiones verborum pertulit a perfidis Judæis, ut nos per ejus exemplum veram patientiam servaremus; insultantium alapas accepit, ut animas credentium laqueis diaboli liberaret; a perfidorum sputis faciem non abscondit, ut nos ablueret aqua salutis; tacitus flagella toleravit, ut nos ab æternis suppliciis faceret salvos; colaphos pertulit, ut nobis perennes honores inter choros angelorum tribueret, in siti sua fellis amaritudinem accepit, ut nos æterna dulcedine deebriaret (*a*) ut vitam mortuis præpararet, usque ad mortem ipsa Vita pervenit. Cur itaque asperum creditur, ut a Deo homo toleret flagella pro malis, si tanta Deus mala pertulit ab hominibus pro bonis? aut qui sana intelligentia de percussione sua ingratus exsistit, si ipse hinc sine flagello non exiit, qui hic sine peccato vixit? Hæc omnia & alia multa redemtor noster pro nostra salute sustinuit, & nos debemus pro ejus amore omnia vitia & concupiscentias malas relinquere, quia ille nos in tantum amavit, ut pro nobis

(*a*) al. *inebriaret*.

suum

suum sanctum sanguinem fuderit. Sequamur ergo, fratres carissimi, districtam & asperam redemtoris viam. Non nos terrenarum amor superet, non superbia inflet, non ira dilaniet, non luxuria polluat, non invidia consumat. Amore nostro, fratres carissimi, redemtor noster occubuit, & nos amore ejus discamus vincere nosmetipsos. quod si perfecte agimus, non solum imminentes pœnas evadimus, sed communi cum martyribus gloria remuneramur.

2. Hanc itaque spem habentes, fratres carissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, & quicquid malum ac sordidum est, nec corpore agamus, nec animo cogitemus, sicut decet sanctos, ut in futura resurrectione ad gloriam non ad pœnam ire mereamur. Alii enim resurgent, ut a Deo cælestia præmia consequantur, alii vero ut cum diabolo æterna tormenta patiantur. Sic enim de iniquis & injustis Dominus in evangelio dicit: *Tunc ibunt impii in ignem æternum, justi autem in vitam æternam.* Hanc ergo, fratres carissimi, resurrectionem, quæ apostolicis ac divinis vocibus roborata est, firmissime custodite. Scitote resurrexisse a mortuis Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, & immortalem factum sedere ad dexteram Patris, qui nos ad similia resurrectionis præmia provocare dignatur. Exhibete ergo vos dignos, quibus cælestis & æterna illa gloria conferatur, quam tunc potestis adipisci, si vos sanctos in omnibus servetis. Abstinete vos ab omni opere malo, ab odio, inimicitiis, ebrietatibus, fornicatione, a furto & perjurio. Quia hæc omnia & his similia odit Deus, & eos qui ista faciunt puniet in futuro. Estote ergo benigni, misericordes, humiles, pudici, & ea semper operantes quæ in sanctis suis Deus diligit, ut possitis cum sanctis ejus ad vitam æternam pervenire. Per JESUM CHRISTUM Dominum nostrum, qui nos protegere in omnibus, & sua gratia adjuvare dignetur. Ipsi gloria cum Patre & Spiritu-sancto in omnia sæcula sæculorum.

Matt. 25. 46.

SERMO XI.

De duobus regnis a Deo statutis.

1. DUo regna statuit Deus, præsentis dico temporis & futuri, & tempora utrique constituit, statuitque expectare judicii sui diem, quam ipse diffinivit, in qua habenda sit rerum omnium animarumque discretio, ut impii quidem pro peccatis suis igni tradantur æterno: hi vero qui secundum voluntatem conditoris Dei vixerunt, pro bonis operibus benedictione suscepta, clarissima luce fulgentes, introducti ad æternum sæculum, ineffabilium bonorum munera æterna percipiant. Modo fratres

A dies purificationis sancta, & spiritales jam animæ sunt, in quibus aliqua corporis fatigatio, animæ vero lucra inveniuntur, & ideo sicut Apostolus dicit: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*, ideo vacare Deo studeamus soli, & cara sæculi transeuntia relinquamus, & Deo pio patri adhæreamus, admonente psalmista ac dicente: *Vacate & videte, quoniam ego sum Dominus.* Vacare ergo Domino est laudibus ejus insistere, & onera peccatorum per pœnitentiam abjicere, & ad Deum conditorem convertere. Nolite imitari malos christianos. Sunt enim quod pejus est, qui post baptisma multa crimina & peccata committunt, & medicamentum pœnitentiæ non requirunt, sed per omnes scelerum campos, laxatis peccatorum habenis, per præcipitia luxuriæ feruntur infernis, & sine ulla compunctione, vel correctione vitæ ad altare accedere & communicare præsumunt. Vos vero qui baptizati estis, nolite imitari tales, ne forte si eos imitari volueritis, cum ipsis æterno supplicio pereatis. Custodite in vobis baptismi sacramentum, ebrietatem velut inferni foveam fugite, superbiam, invidiam, vanitatem quasi gladium diaboli pertimescite. Nolite detrahere, quia sicut scriptum est, *Qui detrahit fratri suo eradicabitur de terra viventium.* Nolite maledicere, quia scriptum est, *neque maledicentes regnum Dei possidebunt.* Nolite falsum testimonium dicere, quia scriptum est, *Testis falsus non erit impunitus.* Nolite mentiri propter quod scriptum est, *os quod mentitur occidit animam.* Nolite vos invicem odio habere, quia scriptum est, *qui odit fratrem suum homicida est*, quia quicumque fecerit hoc mali, perdit baptismi sacramentum. Nolite facere furtum in quolibet ingenio. Fraudes nolite committere. Stateras dolosas & mensuras duplices quasi mortifera venena vitate. Ad ecclesiam frequenter convenite, sacerdotibus vestris & honorem & amorem impendite. De ipsa substantia vestra & decimas reddite, & secundum vires vestras eleemosinas facite, nolite munera super innocentes accipere, sed quotiescumque causas auditis, Deum attendite, & justum judicium judicate: ne forte dum pecuniam injuste vultis adquirere, æternum supplicium non possitis evadere. Qui de salute animæ suæ attentius cogitat, unde læditur quantum potest fugiat. qui enim non cogitat nisi de ista tantum vita, animalibus & pecoribus similis est. quid enim quærunt animalia nisi manducare & bibere atque dormire. Talis est qui plus cogitat de carne sua quam de anima, qui plus diligit gulam aut luxuriam, quam castitatem atque justitiam. Scire debetis, carissimi, quia ideo Christiani facti sumus, ut semper de futuro sæculo & de æterna beatitudine cogitemus;

2. Cor. 6. 2.
Psal. 45. 11.
1. Cor. 6. 10.
Prov. 19. 5.
Sap. 1. 11.
1. Joh. 3. 15.

& plus pro anima quam pro corpore laboremus, quia caro nostra paucis annis erit in mundo. anima enim nostra, si bene agimus, sine fine regnabit in cælo. Pænitentiam itaque agamus, fratres, ut peccatorum propitiatorem Deum habere mereamur. Deprecemur eum; quia exacerbavimus eum; humiliemur ut exaltet nos; defleamus ut lætificet nos, plangamus ut consoletur nos, projiciamus a nobis consuetudinem malam & quasi vestimento virtute animi induamur, maxime nos qui jam conversationem angelicam promeruimus, ut ad angelorum consortium mereamur pervenire, ubi ab auditu malo liberati, illam felicem & desiderabilem vocem mereamur audire: *Euge serve bone & fidelis intra in gaudium Domini tui*, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Matt. 25. 11.

SERMO XII.

Exhortatio de jejuniis quadragesimæ.

1. Nos sumus constituti, dilectissimi fratres, ut vobis viam salutis vestræ ostendamus, prout divina clementia intelligentiam nobis dare dignatur. Ideo rogamus, ut intenta mente & pia devotione Domini mandata in omni hora diligenter facere studeatis, ut in caritate divina firmati, nullis tentationibus ab illa separemini, sed semper facientes quod bonum est, abundetis in spe & virtute Spiritus-sancti, ut per ejus gratiam, fidem quam accepistis, & baptisma conservare valeatis ante conspectum summi Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, quia creati sumus ad laudem sui sancti nominis, qui dilexit nos & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo: quia mortem pro nobis sustinuit, ut per suam mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum, & humanum genus ab ejus potestate eripiens, aperuit credentibus regna cælorum, ubi perfruuntur vitam æternam fideles, fructum maximum habentes æternæ vitæ. Maximus fructus est solus Deus, vitæ æternæ remunerator, & ideo secundum Deum & Dominum nostrum adoremus, & ipsi soli serviamus, ut ipse nos remunerare dignetur fructum amplissimum. Fugiamus omnia quæ diabolicæ subjacent potestati, ut divina virtute roborati, prævaleamus contra ejus antiquas nequitias.

2. Debemus, carissimi fratres, misericordiam redemtoris nostri Domini Jesu Christi omni devotione semper laudare, & pia intentione ejus præcepto nos subdere, cum bona voluntate & caritate sincera, maxime tamen in istis sanctis diebus quæ nunc incipiunt, animam nostram & corpus jejunando, orando, eleemosynam dando, majestati divinæ committere, quia pro nostra salute Jesus Christus Dominus noster ad homines veniens, jejunavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & nullum omnino cibum sumsit. Nos quoque in quantum possumus, annuo quadragesimæ tempore, carnem nostram per abstinentiam affligere conamur, quia opus est nobis, ut ab inlicitis cogitationibus verbisque & factis jejunemus, viventes in cœlestibus spiritualibusque præceptis. Lege Mosaica universo populo est præceptum decimas & primitias offerre domino Deo. Ita debemus principia voluntatum, consummationesque operum nostrorum ad Dei gratiam offerre, & in nostro corpore persolvere decimas dierum anni, nunc in isto sacratissimo tempore, quia isti sunt dies, qui constituuntur ad hoc, ut carnis nostræ decimas in his Deo demus. A præsenti enim die, ut nostis, carissimi fratres, usque in pascha dies quadraginta & duo fiunt, quorum (*a*) triginta sex jejunamus, & sex dominicis cum lætitia usi sumus victum nostrum. Dum vero per trecentos sexaginta dies annus ducitur, totum anni tempus XXXVI. dierum numero decimatur. His diebus oportet nos ad ecclesiam venire, actuumque nostrorum operatione, mundo corde & casto corpore in conspectu divinæ majestatis humiliter offerre, rogando Deum omnipotentem, ut nobis indulgere dignetur, quod negligentius totum annum viximus quam debuimus. Hæc, fratres carissimi, sapienter ac fideliter cogitantes, ad pœnitentiæ remedia confugere festinemus, & per castitatem, per opera justitiæ & misericordiæ, æterna nobis apud Deum præmia comparemus. Eo diligentius debemus dies istos bene operando peragere, quia magnam indulgentiam peccatorum nostrorum apud Deum merentur jejunia, si propter amorem Dei aguntur, & non per gloriam inanem.

3. Hoc est perfectum jejunium & rationabile, quando corpus nostrum jejunat, anima orat, facilius per jejunium oratio penetrat cœlum. Tunc enim homo spiritualis effectus, angelis conjungitur. Per hoc enim prosternuntur vitia, humiliabitur caro, diaboli tentamenta vincuntur. Nolite negligere animam vestram, sed sicut carni vestræ, ne deficiat, cibos quotidie præbetis: sic mentis vestræ quotidiana alimenta bona sint opera. Cibo corpus pascitur, pio opere spiritus nutriatur; quod moriturae carni tribuitis, victuræ in perpe-

(*a*) Hoc ex loco colliges tempore S. Bonifacii necdum invectos fuisse quatuor illos dies jejunii, qui incipiunt a feria quarta cinerum ad Dominicam primam quadragesimæ. Quandonam vero communiter in ecclesia usu recepti fuerint, diximus in lib. de antiqua ecclesiæ disciplina, in divin. celebr. offic. cap. 18.

tuum animæ non negetis. Vita animæ Deus est, & sicut corpus mortuum est sine anima, ita anima mortua est sine Deo. Ideo JESUM CHRISTUM salvatorem nostrum habeamus in corde per opera bona, ut animam nostram & corpus conservare dignetur. Rectum est unicuique diligere Dominum Deum ex toto corde, ex tota mente, totaque virtute, & proximum sicut seipsum; nullusque hoc alteri faciat, quod sibi fieri non vult. Idcirco, carissimi, videte, ut mundetis corda vestra, & ut castigetis corpora vestra, ut digni habeamini Spiritumsanctum accipere, cujus habitatio & domus estis, recte credentes & bene agentes, non mortalis, sed æterna spiritualis.

4. Vigilate, fratres, in omni opere bono, retinete in memoria quæ audistis in prædicatione salutis vestræ, & facite quæ præcepta sunt. Habete Christum in corde, & signum sanctæ crucis in fronte. Multos habemus inimicos invisibiles, qui cursum nostrum impedire contendunt, & laqueos subversionis suæ ponunt in itineribus nostris, ut inretitos dilectionibus noxiis gressum vitæ nobis intercludant. Contra hos signaculo crucis Christi armate vos, quia hoc est quod fugiunt & timent maligni spiritus, inimici nostri, quia per hoc signum illi damnati sunt, per hoc & nos liberati sumus. Hoc ad omne opus primum ponamus, hoc dormientes muniat & vigilantes armet: ne nobis insidians hostis dormientibus vel vigilantibus in aliquo negotio possit nocere. Nam & rex noster, hoc est JESUS CHRISTUS, si nos viderit pro quacumque tribulatione vel metu ad suum convolare vexillum, statim nos dextra potentiæ suæ ab omni adversitate in laudem & gloriam nominis sui sancti eruet & proteget. Est namque laudandus & colendus verus Deus, qui sperantes in se custodit. Illum rogemus, dilectissimi fratres, ut nos hic protegat, & ad vitam perducat æternam.

SERMO XIII.

Quare jejunia quadragesimæ magis aliis jejuniis veneranda sint.

DEbemus, fratres carissimi, semper in omni tempore nos humiliare & servire Domino Deo nostro, sed maxime in istis sanctis diebus quadragesimæ. Indicamus vobis, fratres, quare ista sancta jejunia magis aliis jejuniis venerare debemus. quia Redemtor noster ad homines veniens, jejunavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & nullum omnino cibum sumsit. Nos quoque in quantum possumus, cum Dei adjutorio per abstinentiam mundemus nos a peccatis nostris. Scitis quia a præsenti die usque ad paschalis solemnitatis gaudia sex hebdomades veniunt, quarum videlicet dies quadraginta & duo fiunt, ex quibus dum sex dies dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia quam XXXVI. dies remanent: dum vero per trecentos & sexaginta dies annus ducitur, nos enim per XXXVI. dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus, ut qui nobismet ipsis per acceptum annum viximus, auctori nostro nos in ejus decimis per abstinentiam subdamus. Unde, fratres carissimi, sicut offerre in lege jubemini decimas rerum; ita offerre contendite & decimas dierum. Unusquisque in quantum virtus suppetit, carnem maceret, ejusque desideria affligat, quia caro nos læta traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam, ut qui per peccatum cecidimus, per veniam resurgamus, & semper quod bonum est faciamus: quia Apostolus dicit: *unusquisque quodcumque bonum fecerit, hoc percipiet a Domino.* Ephes. 6. 8.
Unde, fratres, quodcumque boni facere potestis, facite sine tristitia, quia scriptum est: *Hilarem enim datorem diligit Deus.* Studeat 2. Cor. 9. 7.
vero ab omni opere malo se unusquisque continere, & non solum a fornicatione, quod etiam numquam facere licet, sed etiam a legitimo conjugio (a) se abstineat [a] in istis quadraginta diebus. Abjiciat similiter a se jocos otiosos & verba vana & turpia, & meditetur die ac nocte omne opus suum ad laudem Domini nostri JESU CHRISTI convertere, cum sanctis orationibus & vigiliis & eleemosynis, & in ecclesia convenientibus, & quando ad ecclesiam venerit, roget Deum omnipotentem, ut dirigat viam ejus ad ipsius voluntatem, & sua dimittere peccata dignetur, & verbum Dei libenter audiat, & alterum non impediat, quia Dominus nos admonet dicens: *Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis.* & ista Luc. 11. 9.
sancta jejunia in voluntate Dei peragamus, quia jejunium res sancta est, opus cœleste, quod qui sancte agit, Deo jungitur & spiritualis efficitur. Per hoc enim prosternuntur vitia, humiliatur caro, diaboli tentamenta vincuntur. Ideo fugiamus omnia vitia, fornicationem, immunditiam, inimicitiam, contentionem, æmulationem, iram, rixam, dissentionem, homicidium, invidiam, ebrietates, comessationes, & habeamus caritatem & gaudium, pacem & longanimitatem, patientiam & bonitatem, modestiam & continentiam, ut instructi bonis operibus, vincere valeamus tentamenta diaboli, & crescere in timore Dei, & nunc & semper ejus facere voluntatem. quia omnibus horis oportet nos esse ornatos & splendidos.

(a) Idem docet S. Augustinus pluribus in locis, sed præsertim in sermonibus 207. 209. 210. S. Cæsarius serm. 10. in appendice serm. S. Aug. Thodorus Cantuariensis arch. in suo capitulari n. 33. Spicil. tom. 9. Idque ita ferebant felicia illa tempora, in quibus ipsa etiam paschali communione privabantur, qui caste quadragesimali tempore in legitimo matrimonio non vixissent.

& maxime in istis XL. diebus, quia in his, ut superius diximus, anni nostri decimas Deo dare debemus. Fratres carissimi, mundemus semper corpus & animam, ut in hora exitus nostri Deo digni inveniamur, & in die judicii, cum Dominus noster JESUS CHRISTUS venerit in majestate sua cum angelis suis, mereamur ad vitam æternam venire, & ibi semper beate vivere, ubi est certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla jocunditas, felix æternitas, æterna felicitas, ubi est amor perfectus, timor nullus, æterna salus exuberat, veritas regnat, ubi nec fallit quisque, nec fallitur, ubi sunt omnia bona Dominus noster JESUS CHRISTUS, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Ipse nobis concedat, ut ad illam vitam & felicitatem perveniamus. Amen.

SERMO XIV.

In die solemnitatis paschalis.

1. GRatias Deo Salvatori nostro, qui nos sanos pervenire permisit ad celebrandum diem dominicum paschalis solemnitatis. Hodie in universo mundo in sanctis Christi ecclesiis resurrectio nostri Salvatoris JESU CHRISTI Domini nostri celebratur. Ideo decet, fratres carissimi, ut aliquid de tam magna solemnitate loquamur. Apparuit autem JESUS CHRISTUS in carne, mori dignatus est ex voluntate, resurrexit ex potestate, & ostendit exemplo quod nobis promisit in præmio. Solus ille in tempore mortuus est, & tamen solus minime surrexit. Nam scriptum est: *Multa corpora sanctorum quæ dormierunt resurrexerunt.* (Matth. 27. 52) Ecce cum Deo homines resurrexisse cognoscimus, & quos puros fuisse homines non dubitamus. Si igitur membra nostri redemtoris sumus, præsumamus in nobis quod gestum constat in capite, quod est CHRISTUS JESUS. Ille enim sicut Paulus apostolus dicit: *Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* (Rom. 4. 25.) O magna clementia Redemtoris nostri unigeniti Filii Dei, & Salvatoris nostri JESU CHRISTI Domini nostri, qui venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quia omnes homines ante adventum Salvatoris per culpam rei erant primæ prævaricationis Adam & Ævæ uxoris ejus.

2. Audistis sæpe, fratres carissimi, quomodo primi parentes nostri Dei præceptum transgressi sunt, & nunc breviter dicamus. Erant enim constituti in paradiso felicitatis tantæ, ut si voluissent in illa paradisi beatitudine custodire, ut a fructu prohibitæ arboris se abstinerent, semper absque morte & miseria fuissent. Præcepit enim eis Dominus Deus, ut de fructu unius arboris non manducarent, ne totum eis licitum esse putarent, & similes se Deo crederent, si nulla lege tenerentur, & paradisus ille in terra positus est, & tamen tantæ, sicut supra diximus, felicitatis, ut si Dei præceptum custodirent, semper absque morte & miseria fuissent, donec translati essent in regna cœlestia. Sed antiquus hostis invidendo de tanta gloria hominis, quia noluit ut homo tantam haberet felicitatem, de qua ipse per suam superbiam dejectus est, quia a Deo bonus fuit creatus, sed per suam superbiam cecidit de cœlo, & ideo invidebat de hominis gloria, quia ille perdiderat suam, propterea tentando per serpentem suasit mulieri, ut ederet de fructu illius ligni, de quo Dominus præcepit ut non ederent, & dixit: *Si gustaveritis de ligno, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii, scientes bonum & malum.* (Gen. 2. 17.) Consensit mulier suasioni, & comedit, & dedit viro, & comedit ipse, & tunc post peccatum ambo dejecti sunt de paradiso in hanc miseram vitam, & omnis homo propter illam transgressionem sub mortis imperio tenebatur, & omnes ad inferni claustra descenderunt, justi tamen ibi non arserunt, sed tamen fuerunt in inferno, sedentes in tenebris & umbra mortis, & nullus hominum potuit illam damnationem a se excutere, sed omnes in inferno detenti sunt, donec JESUS CHRISTUS Dominus noster per uterum MARIÆ semper Virginis nasci in mundo dignatus est, ut idem fieret hominum liberator qui fuit creator, & in eadem carne, quam pro nostra omniumque salute suscepit, multas injurias a perfidis Judæorum populis sustinuit, non ut se vindicare non potuisset, sed exemplum nobis patientiæ exhibuit, ut cum tolerantia tribulationes & injurias patiamur. Ille tentationes diaboli sustinuit, & cum sua virtute superavit, & in abyssum eum sua divinitate mergere potuit, & tamen nonnisi mansuetudinis verba non respondit. Toleravit a perfidis Judæis multa blasphemia verborum & insuper flagella, sputa, alapas, spineam coronam, & incisiones multas, & post ista omnia & alia multa in cruce positus, clavis corpus suum perforari non renuit, animam ponendo mortem sustinuit, nulla necessitate, sed propria voluntate in sepulcro carnem reposuit, & ad inferna descendit, & mortis principem colligavit, id est diabolum, vectes ferreos portarum inferni confregit, & omnes justos inde eripiens, in libertatem pristinam revocavit, resurgensque a morte, lucem salutis æternæ nobis credentibus demonstravit.

3. Hanc resurrectionis ejus gloriam annua devotione venerantes hodie colimus. Lætemur ergo dilectissimi & exultemus in Domino, quia in ista sancta solemnitate Redemtor

demtor noster resurgendo vitam nobis immortalem ostendit, & per suam gratiam daturus est, si nolumus transmigrare ad virtutes a vitiis. Idcirco mundemus nos ab omni iniquitate & serviamus Domino Deo nostro JESU CHRISTO: quia ille pro nobis suum sanctum sanguinem fudit, ut nos redimeret ab omni iniquitate. Ideo debemus sancte & juste & pie vivere in hoc sæculo, & nihil ante Dei amorem ponere, qui nos in tantum dilexit, ut pro nobis, sicut diximus, ipse moreretur. Nunc, fratres carissimi, ejus resurrectionem gaudentes celebremus, & ei puro corde & casti corpore, nosmetipsos præparemus, ut per hæc festa paschalia, quæ hic agimus, pervenire ad cœlestia mereamur, & ibi semper beate vivere cum sanctis angelis & cum omnibus justis, sicut ipse Dominus dixit: Matth. 13. 43 *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.* Ad illam æternam lætitiam nos perducere dignetur, qui nos creavit JESUS CHRISTUS Dominus noster, qui regnat cum Patre in unitate Spiritus-sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XV.

De abrenunciatione in baptismate.

1. AUdite, fratres, & adtentius cogitetis, quid in baptismo renunciastis. Abrenunciastis enim diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus. Quid sunt ergo opera diaboli? hæc sunt, superbia, idolatria, invidia, homicidium, detractio, mendacium, perjurium, odium, fornicatio, adulterium, omnis pollutio, furta, falsum testimonium, rapina, gula, ebrietas, turpiloquia, contentiones, ira, veneficia, incantationes & sortilegos exquirere, strigas, & fictos lupos credere, avorsum facere, Dominis inobedientes esse, filacteria habere. Hæc & his similia mala opera sunt diaboli, & his omnibus in baptismo renunciastis, & sicut apostolus dicit: Gal. 5. 21. *qui talia agunt digni sunt morte & regnum Dei non consequentur.* Sed quia credimus per Dei misericordiam, ut his omnibus superius dictis corde & opere renuncietis, ut veniam consequi mereamini, admoneo vos, fratres carissimi, ut reminiscamini, quod omnipotenti Deo promisistis.

2. Primitus enim promisistis credere in Deum omnipotentem, & in JESUM CHRISTUM Filium ejus, & in Spiritumsanctum, unum omnipotentem Deum in Trinitate perfecta.


3. Hæc sunt mandata Dei quæ facere & conservare debetis: ut Deum, quem confessi estis, diligatis ex toto corde, ex tota mente, & ex tota virtute. Deinde proximos vestros tamquam vosmetipsos. In his omnibus mandatis tota lex pendet & prophetæ. Estote patientes, estote misericordes, benigni, casti, impolluti. Filios docete, ut Deum timeant, familiam similiter. Discordes pacate. qui causas audit, juste judicet, munera non accipiat, quia munera obcæcant etiam sapientes.


4. Diem dominicum observate, ad ecclesiam convenite, ibi orantes & non verbositantes. Eleemosynas date juxta vires, quia *sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Hospitales invicem peregrinos suscipite, infirmos visitate, viduis & pupillis ministrate, decimas reddite ecclesiis, & quod tibi non vis, alii ne facias. Deum solum ubique timete. Servi subditi estote dominis, & domini justitiam conservate servis. Orationem dominicam & symbolum tenete, & filiis vestris tradite & filiolis vestris, quos * in baptismo fidejussores extitistis. Jejunium amate, justitiam diligite, diabolo resistite, eucharistiam per tempora sumite. Hæc sunt opera quæ Deus jussit facere & conservare, & his similia.

* l. quorum.

5. Venturum Christum credite, & carnis resurrectionem, & judicium omnium hominum. Ibi discernuntur impii in ignem æternum, justi autem in vitam æternam. Ibi est vita cum Deo sine morte, lux sine tenebris, salus sine ægritudine, satietas sine fame, felicitas sine timore, gaudium sine tristitia. Ibi æterna gloria, ibi fulgebunt justi sicut sol, quoniam *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quantum præparavit Deus diligentibus se.*

6. Hoc etiam vos moneo, fratres carissimi, quia natalis Domini imminet, ut abstineatis vos ab omni luxuria & ab omni fornicatione, & ab omni immunditia, & ab omnibus operibus malis. Iracundiam & odium & invidiam velut venenum de vestris cordibus respuite. Castitatem etiam cum propriis uxoribus conservate. Ornate vos bonis operibus. Eleemosynas pauperibus Christi erogate. Ad convivia lautiora pauperes frequenter revocate. Pacem cum omnibus custodite, discordes pacate. Hoc si fideliter, Christo adjuvante, volueritis adimplere, & in hoc sæculo ad altare Domini securiter potestis accedere, & in futuro ad æternam beatitudinem feliciter pervenire.





S. AMBROSII AUTPERTI
LIBER DE CUPIDITATE.

Ex mſ. codice illuſtriſſimi domini Chauvelin, ante annos 800. *exarato.*

OBSERVATIO PRÆVIA.

AMbroſius Autbertus, quem nonnulli Caroli Magni magiſtrum & archicancellarium perperam faciunt, ex Galliarum provincia ortus, intra Samnii regionem apud monaſterium S. Vincentii de Vulturno monachum induit. Cum eſſet impeditioris linguæ, promtam loquendi facultatem meritis beatiſſimæ Virginis Mariæ recepiſſe fertur, idque adeo feliciter conſequutus eſt, ut viri eruditiſſimi *titulo a Paulo Warnefridi decoretur. In monaſterio ſic vixit, ut inter ſanctiſſimos monachos adnumerari, ac demum ad abbatialem dignitatem promoveri meruerit. Obiit anno* 779.

Plura, quæ recenſet chronicon S. Vincentii, ingenii ſui monumenta reliquit. In Leviticum ſcilicet, in Cantica Salomonis, in Pſalterium, librum etiam de conflictu vitiorum, & homilias, præter commentarium in Apocalypſim, quod præcipuum ejus opus eſt, doctrina & pietate non vulgari conditum. His cap. 91. *Sigebertus & Trithemius addunt* Librum de cupiditate, *quem excidiſſe putat Philippus Labbæus in Diſſertatione hiſtorica de Scriptoribus eccleſiaſticis. Verum qui diu latuit in tenebris, ope pervetuſti codicis illuſtriſſimi domini Chauvelin, annorum circiter* 800. *prodit tandem in lucem, ubi* Sermonis *non* Libri *titulum habet. Ipſi ſubjiciam Sermonem in Purificatione B. Mariæ, & Homiliam in Transfiguratione Domini. Illum ex mſſ. S. Germani a Pratis ac Floriacenſi invicem collatis, hanc vero ex duobus manuſcriptis bibliothecæ Corbeienſis monaſterii hic exhibemus.*

INCIPIT SERMO AMBROSII AUTPERTI PRESBYTERI DE CUPIDITATE, VIRIS SÆCURARIBUS VALDE UTILIS.

I. SAnctorum eccleſiam, fratres cariſſimi, eſſe Dei agrum quis dubitet? cum Apoſtolus clamet: *Dei agricultura eſtis*, & Dominus in evangelio de jacto ſemine teſtatur, *aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum.* Si ergo ager eſt, ut Apoſtolus docet, cultura indiget: cultura autem non indigeret, niſi ſpinas vitiorum germinaret. Et quidem apta comparatio de agro ad corda hominum trahitur, quia ſicut ille corporales, ita hæc ſpiritales ſentes & tribulos gignunt. Unde & in prima maledictione figuraliter expreſſum eſt: *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Sed hoc habent inter ſe diſſimilitudinis,

1. Cor. 3. 9.
Luc. 8. 8.
Gen. 3. 18.

A quod in ruribus terræ ex multis radicibus plures germinentur ſpinarum aculei: in terrenorum vero cordibus omnium vitiorum punctiones ex una prodeunt radice cupiditatis. Cum enim aliud vitium gulæ gaſtrimargiæ, aliud fornicationis, aliud invidiæ, aliud iræ, aliud triſtitiæ, aliud vanæ gloriæ, aliud xenodoxiæ, aliud ſuperbiæ, multa ex ſeipſis atque innumera proferant germina, ex una tamen, ut dictum eſt, pullulant cupiditatis radice, Apoſtolo atteſtante, qui ait: *Radix omnium malorum* 1. Tim. 6. 10.
B *eſt cupiditas*; quam videlicet ſancti Dei eccleſiæ prædicatores, ſive in veteri ſive in novo teſtamento, tamquam fortes agricolæ, modo increpationibus, modo ſuaſionibus, modo terroribus, modo blandimentis, quaſi quibuſdam aratris, foſſoriis, raſtris, ſarculis conati ſunt a terrenorum cordibus funditus evellere; ſed non potuere, etiam

Concupiſcentia omnium malorum radix.

cum multum in hoc opere desudarent. A Inextricabile enim atque, ut ita dixerim, ineradicabile malum est, cujus ramos quo magis amputare quæsieris, eo amplius multipliciora gignit virgulta quæ amputes. Quamobrem, quia funditus eradicari non potest, semper ramorum ejus copia succidenda est. Et quia nostris modo temporibus jam pene totum mundum occupasse cernitur, libet pro viribus desuper acceptis, nos quoque in ejus exstirpatione quoquo valuerimus ingenio desudare.

2. Sed occurrit nobis interim quæstio, B quomodo, ut de ceteris taceamus, ex cupiditate superbia prodire credatur, cum alia scriptura aperte testatur, *Initium omnis peccati superbia est*. Si enim initium omnis peccati superbia, quomodo radix omnium malorum est cupiditas? nisi quia unum sunt, & utraque ab invicem prodeunt, cum & cupiditas superbiam, & superbia cupiditatem gignit: quod in primo parente evenisse cognoscimus, in quo scilicet nisi cupiditas illa præcessisset, qua Deo similis fieri voluit, numquam se contra auctorem suum in superbiam erexisset, & tamen nisi superbia tumuisset, nequaquam talia appetere præsumsisset. Quæ nimirum duo principalia vitia ita conjungit, ita describit Johannes apostolus, ut postpositis aliis, quasi hæc sola in mundo esse fateatur, ex quibus illa omnia originem ducere probantur. Ait enim: *Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*.

Eccli. 10. 15. Cum superbia conjuncta. 1. Joh. 2. 16.

3. Quamquam autem ubi concupiscentiam sonat, ibi consequenter & superbia intelligatur: nobis tamen nunc de una disserendum est: contra unam cupiditatem D disputandum: quæ nimirum cujus mentem plene possederit, eam protinus idolorum cultricem efficit. Occidendus sum talia docens, lapidandus sum talia promens, nisi hæc eadem Apostolus gentium testetur. Ipse enim ait: *Et avaritia quæ est idolorum servitus*. Quis autem, rogo, Christianorum quamlibet audiat vocem, si eum aliquis infidelem & simulacris deditum vocet? Et tamen cupit esse, quod, quia sit, non vult audire. Dicit fortasse quilibet ex ipsis, quomodo idolis serviat, qui terrenis desi- E deriis æstuat? Audi, quisquis ille es, rationem breviter: Deus fide colendus est: fides autem cognitione Dei consistit: cognitio vero Dei in obedientia præceptorum intelligitur: quia & Paulus de quibusdam dicit: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant*. Et Johannes in epistola sua hæc eadem adtestatur: *Qui dicit se nosse Deum, & mandata ejus non custodit, mendax est*. Deus itaque jubet abstinentiam, antiquus hostis persuadet voracitatem; ille imperat sobrietatem, iste ebrietatem; ille castitatem, iste fornicationem; ille humilitatem, iste superbiam; ille concordiam, iste discordiam; ille pacem, iste litem; ille mansuetudinem, iste iracundiam; ille dilectionem, iste odium; ille largitatem, iste tenaciam; ille eleemosynam, iste rapinam; ille veritatem, iste mendacium; ille non jurandum, iste perjuriis insistendum; ille fraude abstinendum, iste falsis testimoniis inhærendum; ille mandat *de ligno scientiæ boni & mali ne comedatis*, iste econtra *in quacumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii, scientes bonum & malum*. Ille jubet: *Non concupisces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, non universa quæ illius sunt*; iste vero suadet: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*. Age nunc videamus cujus cultor homo existat, & cui verbo mentitur. An illius cujus imperium perficere videtur? Et quis non videat, quia ipse hominis famulatus cultorem eum faciat cui deservit? In quibus nimirum verbis patenter innuitur, C eos qui cupiditati student, dæmonum cultores existere, etiamsi hoc beatus Paulus non adfirmaret.

Idolorum servitus. Eph. 5. 5. Tit. 1. 16. 1. Joh. 2. 4. Gen. 2. 17. Deut. 5. 21.

4. Hujus cupiditatis malum, quod cuncta præcellit & superat, & a quo omnia mala pullulant, alibi sacra scriptura ita detestando prodit dicens: *Avaro nihil est scelestius*; rursumque *nihil est iniquius quam amare pecuniam*. Quid mirum, si eamdem cupiditatem idolorum culturam Apostolus vocet? quod videlicet cupiditatis multimodum malum nequius divitum corda, quam pauperum devastat; quia etsi multa in hoc sæculo pauperes habere concupiscunt, non tamen multa adsequi possunt, ac per hoc cum eis affectus concupiscentiæ minor redditur, nocendi quoque malitia temperatur. Divites vero quia plura adipisci possunt, ut pluriora inveniant, multipliciora peccandi argumenta inquirunt. Quasi enim quidam ignis est cupiditas, quæ & in aliis magis, in aliis vero minus ardet; ubi tamen ardere incipit, numquam dicit: sufficit, exemplo ignis corporalis, qui tanto vehementius flammas multiplicat, quanto abundantius multitudinem lignorum acceperit. Hinc enim scriptum est: *Avarus pecuniis non impletur*.

Cupiditas corda divitum magis quam pauperum devastat. Eccli. 10. 9. & 10. Eccli. 5. 9.

5. Hæc certe radix omnium malorum primum virgultum invidiam gignit, Jacobo adtestante, qui ait: *An putatis quia inaniter scriptura dicit: Ad invidiam concupiscit spiritus, qui habitat in vobis*. Hinc per Salomonem dicitur: *Contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias, & animadverti patere invidiæ proximi*. Constat namque & verum est, quia in hoc aliis invidemus, quo illos sive in rebus temporalibus, sive in mundi honoribus æquari vo-

Concupiscentiæ primum virgultum invidia. Jac. 4. 5. Eccl. 4. 4.

lumus. Unde qui mortiferum invidiæ virus quærit extinguere, studeat necesse est in hoc sæculo nihil quod transeat ex desiderio quærere. audiat denique cujus membrum sit quisquis hoc vitium cavere negligit. Scriptum quippe est: *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Imitantur autem illum qui sunt ex parte ejus. Inter hæc autem sciendum nobis est, quia sunt nonnulli, qui in divitiis vel honoribus alios quidem præcellere volunt, sed tamen eos quos ante ire non possunt minime insequuntur: nonnulli vero tanta invidentiæ flamma adversus eos accenduntur, ut æquo animo vel rectis oculis nequaquam illos respicere possint. Hinc etiam exoritur homicidii meditatio, & nisi effectus perpetrandi divinitus subtrahatur, aut occulte veneni suffocatione, vel quolibet ingenio, aut aperte isto materiali gladio vita perimitur. Quod videlicet idcirco quidam peragunt, ut illis peremtis, qualibet arte bona illorum vel honores injuste proripiant. quidam vero non ut aliena lucra vel ministeria adsequantur; sed tantum ut illi quibus invident eadem amittant. quod si etiam illorum vitam extinguere nequeant, tenentur tamen jam homicidii rei ex ipsa odii meditatione. Unde Johannes quoque in epistola sua dicit: *Omnis qui odit fratrem suum homicida* [illegible] *Et scitis quia omnis homicida non habet hereditatem in regno Christi & Dei.* Ubi autem jugis odii meditatio insederit, nocendi quoque malitia non deerit. Inquirit namque semper infelix, in quo viventem lædere possit, quem ut voluit perimere funditus non potuit. Jungit semetipsum amicitiis inimico vel causidico illius, cui fortassis pridem nec eloqui volebat; & cum pro certo sciat, quod sine causa calumnia illum torqueat, non veretur tamen, dum contra unum sævit, pro altero perjurium vel falsum testimonium perpetrare, nec recordatur illius sententiæ, qua dicitur: *neque perjuri regnum Dei possidebunt.* Et illud: *Testis falsus non erit impunitus.*

Sap. 2. 24.

Joh. 3. 15.

1. Cor. 15. 5.

Prov. 19. 9.

Pauperes a divitibus opprimuntur.

6. Jam vero qualiter pauperes a divitibus opprimantur, quibusve modis atque ingeniis laboribus suis fraudentur, plenius vel illi qui agunt, vel illi qui patiuntur sciunt, quam nos qui hæc partim ei divinis voluminibus, partim ex opprimentium erumpentibus foras nequissimis machinationum signis addiscere quærimus. Alii namque & maxime hujus sæculi principes, humana tantum gratia quorumdam justitiam pravo judicio subvertunt, ne judicium suorum animos offendat. timent etiam seditionis causa temporalem amittere honorem, nisi juxta ministrorum suorum agant voluntatem. Derivant subtilitatis ingenio leges quas vel ipsi vel alii promulgaverunt,

A ad aliud quod ipsæ non sonant, & tamdiu calliditatum argumentis insistunt, usque quo quod justum est quasi recte pervertant. Ita namque præfatam edicti legem arte diabolica rimantur, ut etiam repugnantem apertam justitiam ad quod voluerint iniquitatis errorem inflectant. quibus nimirum recte per Isaiam a Domino dicitur: *Væ qui dicitis malum bonum & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Et de quibus rursum per eumdem prophetam Dominus loquitur dicens: *Væ qui condunt leges iniquas, scribentes injustitiam. Scripserunt ut opprimerent pauperes in judicio, & vim facerent causæ humilium populi mei, ut essent viduæ præda eorum & pupillos diriperent.* Leges etenim iniquas condunt, & scribentes injustitiam scribunt, qui locutionis suæ stilo ante humanos oculos prave disserunt quod intus in cordibus suis recte noverunt. ad quos profecto lamentabili voce idem propheta sermonem dirigit cum subjungit: *Quid facietis in die visitationis & calamitatis de longe venientis? ad cujus fugietis auxilium? & ubi derelinquetis gloriam vestram?* Quibus etiam comminando per quemdam sapientem sermo divinus loquitur dicens: *Audite reges & intelligite, discite judices finium terræ, præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est a Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. quoniam cum ministri essetis regni illius, non recte judicastis, neque custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende & cito apparebit vobis: quoniam judicium durissimum in his qui præsunt fiet, & potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatio.*

Isa. 5. 20.

B

Isa. 10. 1.

Ibid. 3.

C

Sap. 6. 2. & seq.

D

Contra malos judices.

7. Alii vero sola rerum temporalium cupiditate judicium rectum modo pervertunt, modo conservant, quia & uni justitiam subtrahunt, & eamdem alteri vendunt. Dies(a) ille etenim qui muneris acceptione rectum pervertunt judicium, per Isaiam prophetam Judææ dicitur: *Principes tui infideles socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones: pupillo non judicant, & causa viduæ non ingreditur ad eos*, ac de quolibet eorum Spiritus-sanctus per Salomonem dicit: *Qui cognoscit in judicio faciem, non facit bene. Iste & pro buccella panis deserit veritatem.* Et rursum: *Accipere personam impii non est bonum, ut declines a veritate judicii.* Tales nimirum vitandos esse, in eodem libro eloquium Dei ammonet, cum dicit: *Ne æmuleris malos, nec desideres esse cum eis. quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur.* Qualis autem re-

Isa. 1. 23.

E

Prov. 28. 21.

Prov. 18. 5.

Prov. 24. 1.

[a] lege. *De illis etenim.*

tributio

tributio illos subsequitur, ibi manifestatur cum dicitur: *Rapina impiorum detrahet eos, quia noluerunt facere judicium.* Horum oppressionibus ad vindictam judicii Dominus provocatur, sicut ipse per psalmistam testatur, dicens: *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus.* O dives! o cupiditate cœcus! o judex perversus! si pauperem jacentem sub pedibus tuis despicis, dominum ejus & tuum exsurgentem adversus te iratum cur non expavescis? Solet enim plerumque de vobis vindicta subita fieri, ossa etiam vestra & carnes, sicut cuidam nuper contigisse narratur, in sepulcris igne consumi. Sed cum unus ad damnationem subtrahit, cum gehennæ incendiis spiritu mancipatus, etiam in monumento corpore crematur. alter ad oppressionem nequius inflammatur. Audi terrenis felicitatibus dives, cœlestibus bonis egenus, audi quid tibi judex omnium Deus dicit: *Non facies violentiam pauperi, quia pauper est; neque conteres egenum in porta, quia Dominus judicabit causam ejus, & configet eos qui confixerunt animam ejus.*

Prov. 22. 7. — Ps. 11. 6. — Prov. 22. 22.

Eos præsertim qui vendunt justitiam.

8. At contra hi qui causam recti judicii præmio non mutant, sed vendunt, nihil se tali in facto deliquisse existimant. proponunt enim sibi quasdam risui dignas fabulas, & dicunt: causam cujuslibet facere & munus non accipere angelicum est, facere & accipere humanum est: non facere & accipere diabolicum est. Quos ego interrogare studeo, utrum hoc quod humanum dicunt, peccatum sit, an non. Dicite, quæso, si mandata Dei violare peccatum sit an non sit? Et certe in verbis Dei, in lege divina generaliter cunctis sub uno præcipitur: *Non accipies munera, quia munera excœcant oculos sapientum, & mutant verba justorum.* Atque iterum: *Juste quod justum est exsequeris.* Quomodo enim juste quod justum est exsequitur, qui non propter justitiam, sed propter pecuniam in judicio rectam sententiam proferre videtur? Cur non videtis miseri, in quantum vestra desipiat locutio, qui dum malorum angelorum facta verbo detestamini, bonorumque dicta laudatis, operibus blasphematis? Cur quod laudatis non imitamini, sicut quod vituperatis detestamini! An forte nec ad bonorum angelorum nec ad malorum pertinere numerum vos creditis, qui nec illos, nec istos imitari conamini? Sed nolite vos fallere, diabolicum est omnino quicquid a præceptis Dei videtur deviare. quo contra de justo judice recte alibi dicitur: *Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit.* Ubi subaudiendum est, quia si is qui manus suas ab omni munere excutit, in excelsis habitabit, qui hoc non facit, non in excelsis cœ-

Deut. 16. 19. — Ibid. 20. — Isa. 33. 15.

A lorum, sed in inferioribus terræ, quibus inferi declarantur, manebit. Ab hac muneris acceptione immunem se Samuel ostendebat, cum de principatu plebis Israëliticæ dejectus dicebat: *Itaque conversatus coram vobis ab adolescentia mea usque ad diem hanc, ecce præsto sum, loquimini de me coram Domino, & coram Christo ejus, si de manu cujusquam munus accepi, & contemnam illud hodie, restituamque vobis.* Et ne forte is qui sine præmio donationis, legum justitias recte defendit, sine divina recompensatione inops spiritualium munerum existere crederetur, occurrit Dominus, & propheta ammonendo repromittit dicens:

1. Reg. 12. 2.

B *Quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam, &c. & si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Hinc per Salomonem inæstimabili pietatis affectu loquitur, & dicit: *In judicando esto misericors pupillis ut pater, & pro viro matri illorum, & eris velut filius Altissimi obaudiens, & miserebitur tui magis quam mater.* Sed tu o

Isa. 1. 17. — Eccli. 4. 10.

C fornax succensa avaritiæ æstibus mens inflammata, magis stipulam quæ te succendat, quam abolitionem peccatorum, quæ te ab igne defendat inquiris. Quid est, quæso, quod adquiris, quid est quod amittis? res utique peritura quam adquiris, res semper mansura quam amittis. Dic, inquam, quod tibi majus præmium repromittere potuit, quam ut te pro solo ejus amore rectas judicii sententias proferentem in filium assumens, non solum tamquam mater foveat, verum etiam plusquam mater internis visceribus tui misereatur? At, inquiunt multi, non accipi-

D mus de his qui inopia paupertatis laborant, sed de his qui divitiis abundant. quibus econtra nos dicimus, quoniam nihil interest utrum diviti an pauperi justitiam Dei quis vendat. Simili enim ex utroque pœna plectetur, si quod Dei est, non gratis exsolverit, sed suis usibus, lucris, atque negotiis adplicaverit. Solent quoque hi muneris ipsius nomen immutari, & dicunt, se non munus accepisse, sed salutationem. quos utique nescio utrum magis stultos, an etiam versutos appellem. quibus nimi-

E rum dicendum est, ut adtendant quidem quod acceperunt, & non sibi adplaudant ex eo quod novum illi nomen imposuerunt. At, inquiunt, nos dationem non quærimus, ipsi nobis sponte sua tribuunt, quid ad nos pertinet si voluntarie donum impendunt? Quibus econtra nos respondemus, verum est omnino quod dicitis, sponte sua tribuunt, sed ideo sponte tribuunt, quia aliter justitiam non inveniunt. Nam nollent utique dare, si aliter ad justitiam potuissent pervenire, ac per hoc & volun-

tarii quodam modo & inviti dationem vobis exsolvunt.

Justitia stant regna, injustitia ruunt. 9. Dumque his & quamplurimis scripturarum testimoniis tales convincimus, non eos esse debere, qualibet arte, quolibet ingenio munus vel salutationes appetere; amissa fronte pudoris, in querelam prosiliunt dicentes: Si hæc ita se habent, quomodo palatia stabunt? quomodo judices dominis suis placebunt? Quo contra nos veraciter dicimus, quia inde magis palatia ruunt, unde secundum vestram sententiam quasi stare videntur. Inde enim gens super gentem venit, inde regnum adversus regnum consurgit, inde una natio coram alia cadit. inde clades, inde fames, inde excidia, inde oriuntur discrimina; & unde dominus terrenus placatur, inde Dominus cœlestis ad iracundiam provocatur. Hac de causa beatus Apostolus dicit: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli*, & desideria *multa & inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem*, ac per Salomonem dicitur, *qui festinat ditari, non erit innocens.* Et rursum: *Si dives fueris, non eris immunis a delicto.* Hac de causa difficultatem intrandi regnum cœlorum talibus Dominus proponit dicens: *Difficile qui pecunias habent regnum cœlorum intrabunt.* Et rursum: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem regnum cælorum intrare.* Quæ videlicet scripturarum testimonia dum hesterna die cuidam hujus sæculi opulentissimo principi proponerem, respondit mihi: non de substantivis pecuniis, sed de divitiis intelligi debere. Sed parce tibi, quæso, optime amice, adime vanam securitatem. intuere quid in his Hieronymus, quid Ambrosius, quid Agustinus, quid scripserit B. Gregorius. illis crede qui apostolum sequentes radicem omnium malorum cupiditatem esse pecuniarum dixerunt, non divites accusantes, sed appetitum divitiarum condemnantes. Vera enim est scripturæ sententia spiritu Dei prolata, qua dicitur: *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam.* Quo contra beatus Apostolus dilectum discipulum ammonet dicens: *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Domino vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum*, benefacere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, thesaurisare sibi fundamentum bonum in futurum, ut adprehendant veram vitam.

1. Tim. 6. 9. — Prov. 28. 20. — Eccli. 11. 10. — Divites vix salvabuntur. — Matth. 19. 23 — Luc. 18. 25. — Eccli. 10. 10. — 1. Tim. 6. 17.

Quam vanæ sint divitiæ. 10. Ego autem ut cœptum exstirpandæ cupiditatis non refugiam laborem, ecce o cupidi, multum qualibet arte adquisistis, multum quolibet ingenio coacervastis; sed numquid Salomoni vos adæquari potuistis? quid nunc ille possidet ex his in quibus laboravit? numquid non, ut ille dixit, totum quod laboravit vanitas est? Ipse enim ait: *Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, plantavi vineas, feci hortos & pomeria, & consepsi ea cuncti generis arboribus. Extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarent silvam lignorum germinantium. Possedi servos & ancillas, multamque familiam habui. Armenta quoque & magnos ovium greges, ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem. Coacervavi mihi argentum & aurum, & substantias regum ac provinciarum. feci mihi cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominum. Scyphos & urceos in ministerium ad vina fundenda, & supergressus sum opibus omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem, & omnia quæ desideraverunt oculi mei non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaretur se in illis quæ paraveram. Et hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo. Cumque reversum essem ad universa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.* Quid itaque vanitate plenius, quam ibi hominem toto mentis desiderio velle divitias congregare, ubi eum non licet in perpetuum habitare? quo contra Dominus ammonet dicens: *Nolite thesaurisare vobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Thesaurisate autem vobis thesauros in cælo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur, & ubi fures non fodiunt nec furantur.* Quid etiam infelicius, quam pene cunctam mundi felicitatem adquirere, & in punctum ad inferna descendere? Talium dementiam B. Job conquirendo redarguit dicens: *Quare impii prosperantur? bene est illis qui male agunt, sublevati sunt, confortatique divitiis, semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non est virga Dei super illos. Bos eorum concepit, & non abortivit. vacca peperit, & non est privata fœtu suo. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, exultant lusibus, tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in punctum ad inferna descendunt.* Hinc Dominus in evangelio hereditatem dividere cupientibus, ut ab omni avaritia caverent ait duobus fratribus: *Hominis cujusdam divitis ubcres fructus ager attulit, & cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quod non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit hoc faciam, destruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea; & dicam animæ meæ: anima, habes bona multa posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe & epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte repetunt animam tuam a te: quæ autem parasti cujus erunt?*

Eccle. 2. 4. — Matt. 6. 19. — Job. 21. 7. — Luc. 12. 19.

Quid quoque dementius quam in adquisitione etiam totius mundi lætari, & unius animæ perditionem incurrere? Unde & Dominus in evangelio dicit: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur?* Et rursum: *quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Tu autem, o Babilonis incendium, animam tuam terrenis commodis venditans, pauperi dicis: Da, da hoc vel illud: quia si nunc dare nolueris, gaudebis postea si dare potueris. Renitentique crimen impingis, repugnantem vinculis astringis, verberas & cædis, & sic quoquo pacto ad rem desideratam pertingis. Væ insatiabilis lues, ecce quantum concupisti, forte totum adquisisti, putas quia somnium vidisti, non est tuum quod possedisti, quia sicut nihil in hunc mundum veniens defers, sic nec rediens de mundo aliquid tollis. Pauli tibi vox convenit, *nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quid possumus.* Job quoque similiter: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, nudus revertar illuc.* Hinc idem de quolibet opulento ac futura non prospiciente dicit: *Dives cum dormierit, nihil auferet, aperiet oculos suos & nihil inveniet, adprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas, tollet autem eum ventus urens, & velut turbo rapiet eum de loco suo.* Hinc per psalmistam dicitur: *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Et rursum: *Ne timueris cum dives factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus ejus, quoniam cum morietur non sumet hæc omnia, neque simul descendet cum eo gloria domus ejus.* Unde præmiserat: *Relinquent alienis divitias suas, sepulcra eorum, domus eorum in æternum.*

Matth. 16. 26. Ibid. 1. Tim. 6. 7. Job. 1. 21. Job. 27. 19. Psal. 75. 6. Ps. 48. 17. Ibid. 11.

11. Cur itaque, o infelices, non adtenditis quid habetis, quid estis, quid post modicum futuri estis? Hoc certe quod temporaliter habetis non est vestrum, quia vox veritatis est dicentis: *Si in altero fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis?* Quid autem estis si solicite adtenditis, vaporem, ventum & umbram vos invenietis; quia & Jacob dixit: *Quæ enim est vita vestra? Vapor est ad modicum parens.* Job quoque prosequitur: *Memento quia ventus est vita mea.* Baldat etiam occurrit, veraque sententia dicit: *Ignoramus quoniam sicut umbra dies nostri sunt super terram.* Hinc per Psalmistam dicitur: *Dies mei sicut umbra declinaverunt*, atque de quolibet impio sententiam proferens idem Psalmista ait: *Vidi impium superexaltatum, & elevatum super cedros Libani, transivi, & ecce non erat: quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.* Hinc supra memoratus Job.... admirando loquitur dicens: *Homo cum mortuus fuerit, & nudatus, ubi quæso est?* Quid vero post modicum futuri sitis, mortuorum ossa & cinis in sepulcris demonstrant. Vade itaque, o dives, ad monumenta regum & divitum, & ibi te inspice, ibi gloriam temporalem quam ipsi amaverunt, quamque tu anxius exsequeris, inquire. Numquid non tibi videtur, non quidem verbis, sed exemplis, homo mortuus loqui de sepulcro: Quod tu es, ego fui; & quod ego sum, tu quoque post modicum futurus es. Ego enim quondam opulentus & pinguis, post lascivientes & innumeras hujus vitæ voluptates ad mortem carnis perveni, post mortem carnis in vermes; post vermes in pulverem redactus sum. Ubi est nunc superbia vitæ? ubi inlecebræ ac voluptates carnalium vitiorum? ubi blandiens uxoris affectus? ubi succrescens filiorum profectus? ubi obediens famulorum apparatus? ubi animum distendens agrorum, vinearum, nemorumque reditus? ubi thesaurorum gravissimum pondus? ubi vestium diverso schemate auro, gemmis ac margaritis fulgens ornatus? ubi, inquam, hæc omnia sunt? Adtendis nimirum, nisi cœcus es, quia mecum jam non sunt. Utinam autem & illius cujus exemplum talia quodammodo clamat, & vestra quibus talia clamat, hæc sola damnatio esset, & non potius æternum subsequens tormentum. Audite igitur quæ sit impiorum habitatio, quæ sit post hujus vitæ excessum reproborum damnatio. De illorum namque sempiterna mansione scriptum est: *Convertentur torrentes ejus in picem, & humus ejus in picem ardentem*, nocte & die *non extinguetur in sempiternum: Ascendet fumus ejus a generatione in generationem.*

Luc. 16. 12. Homo attendere debet, quid habeat, quid sit, quid futurus sit. Jac. 4. 14. Job. 7. 7. Job. 8. 9. Ps. 101. 12. Ps. 36. 35. Job. 14. 10. Isa. 34. 9.

Quem locum inhabitarent post mortem sancti, ante adventum Christi.

12. Ad hanc impiorum terram ad hanc reproborum damnationem ante adventum mediatoris nostri, etsi nequaquam eorum pœna plectendi, illi etiam post mortem descendebant, qui in hac vita pie vivebant. Unde beatus quoque Job deprecans ait: *Dimitte me ut plangam paululum, antequam vadam ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine, terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* De hac habitatione malorum per Isaiam dicitur: *Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino; & descendent fortes ejus, & populus ejus, & sublimes gloriosique ejus ad eum.* De hac in Apocalypsi angelus ait: *Infernus & mors missi sunt in stagnum ignis, hæc mors secunda est stagnum ignis.* De hac quoque Dominus in evangelio dicit: *Mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Hanc certe habitationem non solum impiorum animæ, verum etiam qui earum corpora dilaniant immortales vermes hereditabunt, sacra scriptura adtestante, quæ ait: *Dominus omnipotens vindicabit in eis, in die judicii visitabit illos.*

Job. 10. 20. Isai. 5. 14. Apoc. 20. 14. Matt. 22. 13. Judith. 16. 20.

Dabit enim ignem & vermes in carne eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum. Et rursum: *Vermis eorum non morietur & ignis eorum non extinguetur, & erunt usque ad satietatem visionis omni carni.*

Marc. 9. 44.

Avaris quid timendum.

13. Pavete, miseri, torrentem in picem, quia & subito rapiet eos quos rapuerit: ad ambulandum liberos gressus habere minime permittit. Pavete humum sepulcris, quia intolerabilem fœtorem exhalat. Pertimescite terram in pice ardentem, quia quos suscipit exurit, simul & compeditos reddit. Formidate terram miseriæ, quia omnis indulgentia ibi deerit. Pertimescite os inferni absque ullo termino patefactum, quia crudeliter atque insatiabiliter cunctos devorans, nec saturari novit, nec sufficit dicere: Fugite stagnum ignis, quia quos suscipit demergit, necat & urit. Cavete tenebras exteriores, quia nullum ad eas lumen accedit. Evadere curate fletum & stridorem dentium, quibus finis numquam aderit. Timete vermes immortales, quia in manducando carnes vestras nulla erit satietas eis, & cum tot ac tanta vobis in æternum adhæserint tormenta, numquam deerit singularis avaritiæ deterior excruciatio. unde & per Jacobum vobis dicitur: *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis quæ advenerunt vobis, divitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra a tineis comesta sunt, aurum & argentum vestrum æruginavit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis.* Vobismet ipsis itaque consulentes, recordamini, quæsumus, talia; recordantes pertimescite, ne incidatis in talia. & qui non solum digitum unum in igne ad modicum tenere, verum etiam famem ac sitim, frigora vel nuditatem tolerare refugitis; tot ac tanta quæ præmisimus in perpetuum sustinere vehementissime paventes formidate; sed nec diei judicii expectatio formidabilis a memoria vestra recedat, si quomodo, donante Domino JESU CHRISTO, ab amore præsentis sæculi intentio vestra semel disjungat. De illo etenim die scriptum in propheta legimus: *Juxta est dies Domini, juxta & velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis.* Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. De die illa per Petrum dicitur: *Adveniet dies Domini ut fur, in qua cæli magno impetu transient, elementa vero calore solventur.* Hinc Psalmista ait: *Ignis in conspectu ejus ardebit, & in circuitu ejus tempestas valida.* Hinc propheta ex judicis nostri persona loquitur dicens: *Expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ infuturum, quia judicium meum ut congregem gentes & colligam regna, ut effundam super eas indignationem meam & omnem iram furoris mei. in igne enim zeli mei devorabitur omnis terra.* Ecce etenim ira, tribulatio & angustia, calamitas & miseria, tenebræ & caligo, nebulæ & turbo, tuba & clangor, ignis elementa consumens, tempestas valida cuncta devastans. Ira judicis intolerabilis, furor importabilis, & quis peccatorum talia non pertimescat? Si Paulus sanctorum labores & virtutes exsuperans, talia formidabat, ipse enim tremebundus clamat: *Terribilis est quædam expectatio judicii & ignis æmulatio, quæ consumtura est adversarios. Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Ibi certe ad vindictam malorum innumerabilis apparebit multitudo angelorum, & cælis ac terris ardentibus, Domino quoque atque apostolis consedentibus separabit malos de medio justorum, & quodammodo zizaniam a tritico separantes, alligabunt fasciculos ad comburendum, dum pares paribus, id est avaros cum avaris, adulteros cum adulteris, homicidas cum homicidis, fornicatores cum fornicatoribus, fures cum furibus, raptores cum raptoribus, mendaces cum mendacibus, perjuros cum perjuris, voraces cum voracibus, ebriosos cum ebriosis, elatos cum elatis, superbos cum superbis aptaverint atque conjunxerint, ut par ibi sit manens supplicium, quorum in hac vita par extitit conversatio; sed nec ullus erit reditus ad veniam ultra, quia ibunt in supplicium æternum, nec precibus iram judicis ad misericordiam aliquis flectet: quia omnibus secundum opera reddet, & quidem preces multiplicabunt, & ejulantes miseri clamabunt: *Domine, Domine, aperi nobis.* Et tamen ab intus respondetur illis: *Amen dico vobis, nescio vos qui estis: discedite a me operarii iniquitatis. Ibi erit fletus & stridor dentium.*

Jac. 5. 1. — Soph. 1. 14. — 2. Pet. 3. 10. — Psal. 49. 2. — Soph. 3. 8. — Heb. 10. 27. — Ibid. 31. — Luc. 13. 25. — Ibid. 27.

Per angustam viam ambulandum.

14. Dicunt fortasse tales pro quibus talia ex divinis eloquiis proferimus: Ecce terruisti nos, & jam pene desperationi succubuimus. Si hæc ita se habent, quis nostrûm salvabitur? quid agendum est nobis? Respondeo non meis sed Domini verbis: *Intrate per angustam viam, quia lata porta & spatiosa est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam; quoniam angusta porta & arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.* At inquiunt: Arcta via & angusta porta illis proponitur, qui sæculum derelinquunt, qui domos, agros, uxores, filios, servos atque ancillas, & omnia quæ terreno affectu sæculares implicant, despiciunt, ut ei placeant cui se probaverunt. Verum est quod dicitis, sed & vobis juxta modulum ordinis vestri, secundum vires mensuræ vestræ, arcta via & porta angusta objicitur. quia Dominus duas tantum portas ac duas vias proposuit. Per latam portam & spatiosam

Luc. 13. 24.

sam viam multos dixit tendere ad perditionem: per angustam portam & arctam viam paucos intrare ad vitam; nec tertiam portam nec tertiam viam ostendit. Quærite vos tertiam sicubi invenire potestis, & ambulate atque intrate per eam. Sed nolite vos fallere, non est amplius, non superest alia ad vitam, intrate per eam. Arcta enim via & angusta porta sæcularibus viris est aliena non concupiscere, non furto, non fraude, non mendacio, non perjurio, non falso testimonio, non præmio, vel qualibet salutatione præripere, propriis laboribus ac justis reditibus contentum esse. Non plus quam unius animæ exigit indigentia congregare, nullis nisi propriæ uxoris concubitis misceri, a propria etiam conjuge inlicitis temporibus abstinere, indictum quoque quadragesimæ dierum jejunium inlibatum observare, spectaculis mundi postpositis, ecclesiæ liminibus insistere, sumtus alimoniarum non ad voluptatem, sed ad necessitatem carnis percipere; & super hæc omnia pro quotidianis ac minutis excessibus vel etiam gravioribus peccatis, eleemosynarum largitati deditum esse, quæ procul dubio his qui terrena possident eminentior virtus specialisque delictorum abolitio est, si tamen peccare quisque desistat, dum hanc misericordiam indigentibus amministrat. Unde scriptum est: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccata.* Hinc etiam Dominus in evangelio ammonet dicens: *Verum quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Hinc per quemdam justum dicitur: *Eleemosyna ab omni peccato & a morte liberat, & non patitur animam ire ad tenebras.*

Quænam sæcularibus viris sit angusta via.

Luc. 11. 41.

Tob. 4. 11.

15. Fiducia magna erit coram Deo summo eleemosyna, omnibus qui faciunt eam: quibus etiam, attestante evangelio, in finem dicetur: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. Esurivi enim & dedistis mihi manducare. Hospes eram & collegistis me, nudus & operuistis me, infirmus & visitastis me, in carcere eram, & venistis ad me.* Ipsa autem misericordiæ erogatio ex voto atque hilaritate debet pendere, non ex tristitia, quia *hilarem datorem diligit Deus.* In tantum etiam hanc decet profusius impendi, in quantum quisque se adeptum fuisse cognoscit. Unde rursum quidam homo Dei unicam prolem ammonet dicens: *Quomodo potueris ita esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si autem exiguum fuerit, etiam exiguum libenter impertire stude; præmium enim bonum thesaurizas tibi in die necessitatis.* Quia vero nihil prosit cuilibet eleemosynis insistere, nisi studuerit a malis actibus declinare, quidam sapiens testatur dicens: *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lavatio ejus?* Hinc per Isaïam Dominus quoque ammonet dicens: *Lavamini, mundi estote.* Hinc Psalmista dicit: *Declina a malo & fac bonum.* Quod autem magis lugendum quam laudandum est, nonnulli ideo plura diripiunt, ut habeant unde largitori omnium pauca tribuant. Sed quam sit detestanda talium oblatio, scriptura sacra indicat, quæ dicit: *Qui offert sacrificium de rapina pauperis, tamquam si quis victimet filium in conspectu patris sui.* Sicut enim interfectio filii atque effusio sanguinis ejus coram oculis patris qui genuit eum placere non potest: ita omnipotenti Deo oblatio de malis adquisita. Hinc per Isaïam de talibus dicitur: *Qui offert oblationem de substantia pauperis, quasi qui sanguinem suillum offerat, qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo.* Nihil certe in veteri testamento tam odibile, quam oblatio sanguinis suilli. Nihil tamen magis execrabile in novo & veteri, quam benedicere idolo, & tamen misericordia de rapinis pauperum oblata his merito comparatur. Quo contra sancta scriptura præcipit dicens: *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere*: ex substantia enim, inquit, tua, non ex aliena: quia sicut ex tua Dei clementiam invenis, ita ex aliena iram incurris.

Eleemosyna ut fieri debeat.

Matt. 25. 34

2. Cor. 9. 7.

Tob. 4. 8.

1. Cor. 15. 29.

Isai. 1. 16.

Psal. 36. 27.

Oblatio ex rapina Deo non grata.

Eccli. 33. 24.

Isa. 66. 3.

Tob. 4. 7.

16. Apte autem hoc in loco illud etiam occurrit quod memoriæ defuisse cognosco. Quia nonnulli ex justis quidem laboribus atque reditibus præparant, quæ omnipotenti Deo offerant: in proprios tamen usus male adquisita adsumunt, quibus dicendum est, quia quamvis putentur justa, non tamen possunt placere summo Bono illorum munera, qui non studuerint immaculatam servare vitam. Quid enim pretiosius conditori nostro anima nostra? An dona nostra? Quod si anima sorduerit interius, numquid munus aliud exterius placebit? Restat igitur ut nihil ex iniquitate largitori vestro offeratis, nihil ex malo usu vestro adsumatis, sed ex justis laboribus ac justis reditibus, & illi offeratis & vos vivatis. Restat etiam ut sit res temporalis in usu, SOLUS ILLE qui vos creavit & bona temporalia præparavit in desiderio, ut cum transierint illa quæ dedit, perveniatis ad illum qui dedit, cum quo sine fine gaudeatis, sine fine regnetis, in cujus regno sicut sol fulgeatis, ut lilia & rosæ vernantes redoleatis, omnibus divitiis perenniter affluatis, ubi sanctis Deumque timentibus civitas præparata est, cujus fundamentum omnium lapidum pretiosorum ornatus subsistunt, quæ habet portas ex singulis margaritis, cujus platea ex auro mundissimo constat, per cujus medium flumen aquæ vitæ decurrit ex utraque parte fluminis, lignum vitæ afferens fructus duodecim per

Sed nec illa cui deest vita immaculata.

menses duodecim, ubi manna absconsum & panis angelorum edentibus datur, qui sic saturitatem affert, ut numquam fastidium inferat; sic esuriem tollit, ut numquam edenti cupiditatem adimat; ubi nullus sole, nullus luna atque lucerna indigebit, quia nox ibi non erit, & dominus Deus omnipotens lumen omnium erit. Ab illa autem luce, quam tunc sancti videbunt, hæc quam modo videmus lumen accepit; longe eminentior, longe præstantior, quam ista, quia illa creatrix, ista creata. Illa lux mentium, hæc lux corporum. Non ergo illa talis qualem videre consuevimus oculis carnis; sed nec illa bona quæ præmisimus talia erunt, qualia vel videre in hac vita vel audire, vel cogitare aliquis potest; sed multo excellentiora, multoque beatiora, quia, ut scriptura ait, *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Illam igitur inquirite, illam desiderate, ad illam mentis desiderio tendite. Ego certe qui nullum adulationibus decipere audeo, nulli quod utile est subtrahere quæro, quia hæc quæ promissa sunt, non contra avaros, sed contra avaritiam; non contra naturam, sed contra vitium protuli. Quod melius consilium dare possum non invenio, quique etsi in exstirpatione cupiditatis totum ut potui laborem exhibui, tamen octoginta & amplius scripturarum testimoniis, quasi quibusdam ictibus surculos ejus incidendo percutiens, a mercede vacuus non ero, fidelem retinens promissorem mediatorem Dei & hominum hominem CHRISTUM JESUM, qui cum Patre & & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

1. Cor. 2. 9.

Explicit de Cupiditate.

SERMO
DE LECTIONE EVANGELICA,

EDITUS A DOMNO AUBERTO PRESBYTERO ATQUE ABBATE, IN PURIFICATIONE S. MARIÆ.

Ex duobus mss. uno S. Germani a Pratis, altero Floriacensi.

Purificationis festum quantum sit.

1. SUbtiliter a fidelibus quæ sit hujus diei festivitas perpendatur; eo devotionis affectu eam celebrandam suscipient, quo dominicæ nativitatis, circumcisionis atque apparitionis solemnia sunt obsequuti. Illius enim est ista solemnitas, cujus & illa; sed nec minor ista, quam illa: quod utique in hoc sermone apertis monstrabimus documentis. Hujus quippe diei solemnitas, sicut a quibusdam ignoratur, sic a multis præ ceteris anni solemnitatibus honoratior habetur: maxime autem eo loco, quo primatum ecclesia catholica in primo pastore sortita est. In tanta enim reverentia ab illis habetur, ut ea die cuncta civitatis turba in unum collecta, immensis cereorum luminibus coruscans, missarum solemnia concelebret, nullusque aditum publicæ stationis intret, qui lumen manibus non tenuerit, tamquam scilicet Dominum in templum oblaturi, immo etiam suscepturi, & fidei lumen quo interius fulgent, exterius oblationis suæ religione demonstrent.

2. Hodie namque juxta legem atque evangelium, peractis a nativitate Christi quadraginta diebus, in templo est a parentibus idem Dominus præsentatus. Hodie a sancto Simeone susceptus, Patrique cum sacris oblatus muneribus. Hodie redemtionem Israël expectantibus ab eodem Simeone & Anna publice est prædicatus. O quam pium spectaculum; quo nonnisi pii delectari probantur. Stat hic Virgo & Mater, non cujuscumque, sed Dei. Suscipitur hinc infantulus, parvus Virginis filius, cujus divinitatem non capit mundus. Occurrunt hinc inde prophetæ, atque uterque sexus de puero prophetat. Offertur oblatio pro puero, non tamen quæ delicta emundet, sed quæ sacramenta declaret. Et quia hujus diei præconium attollere cupio, libet ipsam evangelicam lectionem colloquendo transcurrere, in qua ista cognosco narrari, quatenus ad ea quæ dico, illa respondeat; immo ad ea quæ illa narrat, vox exhortationis meæ respondeat. Denique Lucas evangelista veritatis historiam de Christi incarnatione plenius atque ordinatius ceteris evangelistis exsequens, post annuntiationem ejus ab angelo factam, post nativitatem angelorum vocibus declaratam, post circumcisionem octavi diei in domo parentum, hæc in ordine sequitur dicens:

3. *Postquam impleti sunt dies purgationis matris ejus, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* Cunctis fidelibus liquet, nequaquam Redemtoris matrem ex ejus nativitate maculam contraxisse, qua illorum dierum spatio, a sacris ædibus abstinens, purgaretur, quæ sine humana concupiscentia, sine humano concubitu, Virgo concepit, sine aliqua carnis corruptione Virgo peperit, & sine fine Virgo permansit; ac plus hoc nec masculus ex ea natus vulvam ejus aperuit. Sed hoc juxta legis narrationem evangelista contexens, claudit impiis sacramentum divinæ incarnationis, matremque legem observantem introducit. Sed nec mirum, si mater observaverit legem, quam ejus Filius non venerat solvere, sed adimplere. Sciebat enim

Luc. 2. 22.

Maria purgatione non egebat.

quo ordine conceperat, quo usu pepererat, & quis esset quem genuerat. Sed legem communem observans, expectavit purgationis diem, celavit Filii majestatem. Hinc est quod eum in templo duodecim annorum inter doctores legis inveniens, filium Joseph vocat dicens: *Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te*, quem procul dubio sciebat se sine concubitu Joseph concepisse, sine corruptione virginali edidisse. Sed cur abscondit conceptionis ac nativitatis illius sacramentum, quem novit Deum immensum? numquidnam quia invidit aliis, quem ad templum deferens, sancti senis tradidit manibus? absit. Sed ut prophetæ spiritu repleta, Redemtorem mundi impiis non aperiret. Sciebat enim jam tunc gratia plena, spiritu divinitatis afflata, quia si hunc principes hujus sæculi cognovissent, numquam pro nostra salute crucifixissent. Offer ergo, beatissima Virgo, tamquam legem observans, in templo quem edidisti, ut non omnibus, sed paucis reveletur. Quis est quem genuisti? appareat interim humilis, lapis abscissus de monte sine manibus, ut reprobetur ab ædificantibus, usquequo statuam pedibus percutiens, crescat in montem magnum, impleatque universum orbem terrarum. O quam parvus! O quam magnus est quem genuisti! Parvus in humanitate, magnus in divinitate. Parvus in regno Judæorum, magnus in regno gentium. Sed non ab omnibus in regno Judæorum parvus æstimatus est. Nam & ipsa quæ hunc peperisti, ex ipso populo Israël in virgam crevisti. Virga enim de radice Jesse surrexisti, & floruisti virga Aaron, fronduisti & nucem peperisti. Et quia præ omnibus immensitatem ejus agnovisti, quem tam parvissimum ex te natum vidisti, procul dubio quem infantem genuisti, Deum omnipotentem tremens adorasti, adorans tremuisti; quæ tamen secundum humanitatem filium recognovisti, lactasti, fovisti, aluisti. Quis putas nobis possit indicare in te hujusmodi obsequia, animi tui sensum, ô beatissima Virgo, cum hinc cerneres ex te natum tantillum infantem, illinc attenderes Deum immensum? hinc creatum, illinc creatorem; hinc infirmum, illinc fortissimum; hinc alendum, illinc alentem; hinc non loquentem, illinc angelos docentem? Quis, inquam, pectoris arcana nobis reserare valeat, quibus modis cogitatum ad uraque flectebas, cum unum eumdemque Deum & hominis filium manibus tenens, hinc adorares ut Dominum, illinc osculareris ut parvulum? Quis ad tam ineffabile miraculum non obstupescat? quis non pene elinguis fiat? Generat puella suum & omnium creatorem, portat suum & omnium rectorem. O admirandum spectaculum, ad quod non solum humana, verum etiam angelica obstupescit natura.

Luc. 2. 48.

Cur abscondit nativitatis Christi sacramentum.

Christus parvus & magnus.

4. Ad hoc, fratres carissimi, fidei oculos erigite, ad hoc pietatis affectum convertite. Ibi Christum suscipite pro vobis in carne humiliatum; sed adorate in sua divinitate Deum excelsum. Amplectimini parvulum; sed cogitate immensum. Jam vero, dilectissimi, si quæritur quid mystice significatum fuerit in eo quod Redemtor noster a matre, a parentibus ex propria civitate in Jerusalem ad templum Domini se portari voluit, invenimus ipsam gloriosam matrem & virginem, ejusque propinquos figuram gessisse illius ecclesiæ, quæ ex Judæa in apostolis credidit. Quando enim ecclesia non virgo, cujus membra apostolus affatur dicens: *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo*? Quando ipsa non mater, de qua per psalmistam dicitur: *Mater Sion dicet homo*; & Dominus in evangelio: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, & mater est*? Quando electi non propinqui, qui fratres & sorores sunt appellati? Mater itaque & propinqui Redemtorem nostrum a Nazareth in Jerusalem ad templum Domini deferunt, quia primitiva illa in primis discipulis ecclesia a Judæis repulsa, ejusdem Redemtoris dispensationem ad notitiam gentium perduxit. Ipsa enim ecclesia non solum ex gentibus, verum etiam ex Judæis, Jerusalem, id est visio pacis, recte vocatur, de qua per psalmistam dicitur: *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum*. Ipsa est & templum. Nunc per Paulum fidelibus dicitur: *Templum Domini sanctum est, quod estis vos*. Ac per hos cum apostoli ex Judæa Christum annunciantes, veniunt ad gentes, nimirum & Jerusalem ad Jerusalem convenit, & Templum ad templum occurrit. cum hi omnes una sint Jerusalem civitas, unum & templum. In hac itaque civitate & templo ab apostolis oblatus Christus excipitur. Unde & ipsa ecclesia psalmistæ voce Deo Patri loquitur dicens: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui*, subaudis in medio ecclesiæ, quæ est templum tuum. Sive autem secundum historiam, sive juxta mysticum intellectum, cur Christus a parentibus ad sanctam civitatem & templum ducatur, causa manifestatur, cum subditur.

Christi parentes ecclesiæ figura.

2. Cor. 11. 2.

Matt. 12. 50.

Psal. 121. 3.

1. Cor. 3. 17.

Psal. 47. 10.

5. *Ut darent hostias, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum*. Præceptum quidem legis fuerat, ut si cui forte agnus defuisset, & unum horum, id est aut par turturum, aut duos pullos columbarum invenisset, Deo in oblationem filii offerret, nec præjudicaretur ex altero, qui unum quodlibet

Luc. 2. 24.

horum obtulisset. Sed quia utraque Christi A ecclesiæque sacramenta significant, credendum est utrumque ad sacrificium matrem invenisse atque obtulisse. Denique in hac oblatione avium, illa præfigurabatur oblatio, quæ pro salute mundi oblata est vespera diei, Domini videlicet passio, per quam sumus reconciliati Deo. De hac quippe hostia per Paulum fidelibus dicitur: *Ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* Et rursum: *Qui dilexit me*, inquit, *& tradidit semetipsum pro me.* Quia vero omnes electi membra sunt Christi, in turture B scilicet designantur turtures, atque in columba columbæ. Designat etiam hæc avium oblatio mortificationem electorum, quibus per eumdem apostolum dicitur. *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Sed nulla esse potest accepta Deo mortificationis oblatio, in quibus non fuerit vera fidei castitas, veræque caritatis concordia. Proinde non sine causa sacrificium quod proDomino mystice oblatum perhibetur, ex turturibus & columbis fuisse narratur. In turture enim castitas invenitur, & in columba caritas commendatur. Turtur namque intemeratam servat uni viro fidem; columba vero aliarum cohabitantium non deserit unitatem. Catholicus igitur Christianus tunc vero spiritualis turtur efficitur, si veram Trinitatis fidem firma credulitate conservet, & hæreticæ pravitatis sensum tamquam fornicationis inquinamenta repudiat. Tunc vero erit columba, si longaminiter usque ad finem in catholica societate permaneat, & contra tentationum scandala immobili firmitate persistat, ut nec hæretica fornicatio corrumpat in corde fidei castitatem, nec amara dissensio ecclesiasticæ caritatis dissipet unitatem. Hæc enim est ecclesia catholica, quæ fidem uni Domino tamquam legitimo viro conservat, & congregationem multorum in fide multiplicat. Sequitur.

Oblatio pro Christo facta ejus passionis figura.

Eph. 5. 2.

Gal. 2. 20.

Et mortificationis electorum.

Rom. 12. 1.

Turtur castitatem, columba caritatem significant.

Luc. 2. 25.

6. *Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, & homo iste justus & timoratus, exspectans consolationem Israël, & Spiritus-sanctus erat in eo, & responsum acceperat a Spiritu-sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in Spiritu in templum.* Nihil minus de sanctitate isti specialiter ascribitur homini, qui & in Jerusalem, id est in visione pacis commoratus, & fidei operatione justus, & reverentia timoratus, & Israëlis consolatione attonitus, & Spiritu-sancto repletus, ejusque responsione de incarnati Verbi visione roboratus fuisse perhibetur. O quam ardenti desiderio homo iste expectabat secundum Spiritus-sancti promissionem videre in carne Redemtorem! Quæ putamus fuerit instantia orationis ejus, qua divino responso meruit firmari de his quæ petebat? Quæ erant ejus gemituum continuata verba in sancta deprecatione? Non enim in petendo cessavit, usquequo responsum acciperet super his quæ poscebat. Fuere siquidem in retroactis temporibus multi simili desiderio accensi, Domino attestante, qui ad discipulos ait: *Multi reges & prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt*; sed ex illis hoc isti soli concessum est, qui in plenitudine temporis horum ultimus apparuit. Sed si vigilanti studio subsequentium sanctorum attendimus desiderium, quibus Christus fuit vivere & mori lucrum, invenimus eos non minoris anxietatis ardore divinitatem ejusdem Salvatoris intueri velle, quam ille concupivit inspicere carnem. Hinc Paulus dicit: *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Hinc psalmista ex persona ecclesiæ dicit: *Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei.* Quis ergo hinc jam non videat in uno Simeone justo cun- C ctos significari electos, qui nunc & justi ex fide atque operatione, & timorati ex futura expectatione, & attoniti inveniuntur ex ventura consolatione? In quibus etiam Spiritus-sanctus inesse cognoscitur, quia & per apostolum dicitur: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum qui datus est.* Et rursum fidelibus dicit: *Corpora vestra templum sunt Spiritus-sancti, quem habetis ex Deo.* Quique etiam responsum accipiunt a Spiritu-sancto non visuros se mortem, nisi prius videant Christum Domini: D quia in hac adhuc corruptibili vita, ejusdem Spiritus-sancti gratia revelante, apertis fidei oculis, eum qui se cum illis usque in finem sæculi mansurum esse promisit, aspiciunt, non jam carne parvulum, sed divinitate immensum. Qui etiam cum Paulo dicunt: *Et si noveramus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus.* Habitant etiam isti in Jerusalem, atque in spiritu in templum, quo Christus introducitur, veniunt. Ipsi enim sunt Jerusalem, qui habitant in Jerusalem. Breviter, fratres, ista percurrimus, ne dum quæ sunt E hujus diei sacramenta, quodque sanctum puerique præconium indicare studemus, cuilibet in fastidium veniamus. Sequitur.

S. Simeonis quam instans fuerit oratio.

Luc. 10. 24.

Phil. 1. 23.

Psal. 41. 3.

In Simeone justo cuncti significantur electi.

Rom. 5. 5.

Et cum inducerent puerum JESUM *parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit eum, & dixit: nunc dimittis, Domine, servum tuum, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Hinc unius hinc multorum, immo etiam omnium adimpletur expectatio justorum.

Luc. 2. 27.

storum. Sed dicamus prius de uno, & sic A loquamur de omnibus. Cupimus enim ad hoc studium nostrum inflectere, ut quod de uno dicitur, de omnibus veraciter sentiatur. Ecce dum specialiter de uno venerabili sene cupimus loqui, occurrit prædicanda Virginis prudentia, non humana industria fulta, sed spiritu divinitatis afflata, quæ filium oblatura veniens, suæque naturæ humilitatem servans, prophetæ manibus tradidit offerendum, non ignara utique quis esset, cujus manibus Deum hominemque tradebat sacrificio dedicandum.

Mariæ prudentia.

Offert autem Dominum prophetarum prophetæ, offert unicum uni, immo omnibus in uno, quæ omnibus eumdem perperit Salvatorem. Non enim desinit huc usque offerre quem genuit, cum suis sanctis intercessionibus eumdem redemtorem electis uniri facit; & ut verum fatear, materno affectu id ipsum piissima facit. Omnes enim filios deputat, quos divina gratia Christo consociat. Quando enim non ipsa mater electorum, quæ fratrem genuit eorum? Si, inquam, Christus credentium frater, cur non ipsa quæ Christum genuit sit credentium mater. quamobrem obsecro, mi beatissima Virgo, offer nobis Christum piis suffragiis, quæ nescis invidere filiis, sed nec attendas filiorum injurias, a quibus non, ut dignum est, honoraris. Tolerat enim inreverentiam filiorum, quæ amore vincitur generationis. Fove ergo etsi tantis meritis indignos piis orationibus, quos in Uno genuisti. Deprecare unicum filium pro excessibus multorum.

Omnes filii Mariæ quos gratia consecrat Christo.

8. Sed jam, fratres carissimi, Christum in ulnas suscipiens, quid unus specialiter Symeon dicat audiamus. Ait enim: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum*, ac si diceret: Longa me expectatione fatigasti, diu retinuisti; sed tandem viso quem expectavi, jam de humanæ vitæ scandalis in pace dimittis. Dimittis in pace, quia secundum promissionem tuam per incarnati Verbi mysterium, solutis inimicitiis, tibi merui reconciliari. Dimittis in pace, quia video pacem. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum. Hoc denique & omnes electi dicunt, & qui Christum in ulnas suas suscipiunt, qui fidei oculis salutare Dei conspiciunt. Quid enim est Christum in ulnas suscipere, nisi piis hunc operibus in membris amplecti? Per ulnas enim, id est brachia, virtus operationis exprimitur. Cum enim in alio esurientem Christum satiant, & in alio sitientem potant, & in alio hospitem suscipiunt, & in alio nudum operiunt, & in alio infirmum vel in carcere positum visitant, his procul dubio devotis actionibus tamquam brachiis, quotidie eumdem ipsum

Luc. 2. 29.

Christum in membris amplectimur.

puerum amplectuntur. Et quia hæc agentes illum se in his suscipere plena fide cognoscunt, illum se in his videre non dubitant, qui dixit: *Et quamdiu fecistis uni de his minimis meis, mihi fecistis*, atque eisdem operibus, ut ad pacem Dei redeant, & peccati scandalo absolvi se credunt, recte credunt. recte idem Simeon exclamat dicens: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Ac si electi dicant: ideo nos a peccati scandalo promissione tua absolvens, jam in pace reconciliatos B passibus amoris propinquare cœlestibus facis, quia fidei oculis salutare tuum, id est dominum JESUM CHRISTUM in membris ejus intueri, eumque piis operibus amplecti meruimus. De quo adhuc sive ille, sive isti, Deo Patri dicunt: *Quod præparasti ante faciem omnium populorum.* Nisi a toto pars intelligenda sit populorum, quæ Salvatorem in carne viderit, juxta litteram ratio non stabit, quia eum nec carneis, nec fidei oculis omnes populi conspexerunt. Ante faciem ergo omnium populorum hoc C salutare tuum dicitur præparatum, quia ex omnibus populis in eum crediderunt, quia eum credentes fidei oculis aspexerunt. nam quod Dominus dicit Thomæ. *Quia vidisti me credidisti, beati qui non viderunt & crediderunt*, hoc de visione corporali locutus est, de quo & subditur: *Lumen ad revelationem gentium & gloriam plebis tuæ Israël.* Hoc itaque lumine de tenebris revelate, & hoc inventæ, hoc illustratæ sunt gentes, sicut scriptum est: *Gentium populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam. Sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis.* De hoc lumine Johannes evan- D gelista testatur dicens: *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* De hoc in epistola sua dicit: *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ.* De hoc idem lumine in evangelio ait: *Lumen venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Et iterum: *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.* Quodque cum sit etiam gloria gentium, in eo ad gloriam Israëlis dicitur præparatum, quia sive in patriarchis ac prophetis, atque apostolis, immo etiam in ipso omnium capite Chri- E sto, sive in eloquiis Dei, amplius gens illa quam gentes gloriosa monstratur, apostolo attestante, quia ait: *Quid ergo amplius est Judæo? Aut quæ utilitas circumcisionis? multum per omnem modum. Primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei.* Et rursum: *Et quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.* Sequitur.

Quo modo Christum viderunt omnes populi.

Joh. 20. 29.

Isa. 9. 2.

Joh. 1. 9.

1. Joh. 1. 5.

Joh. 3. 19.

Joh. 9. 5.

Rom. 3. 1.

Luc. 2. 33.

9. *Et erat Joseph & MARIA mater ejus*

Quo modo Joseph & Maria mirari dicantur. *mirantes super his quæ dicebantur.* Quibus A mirantibus etiam nos ipsi miramur, cur ipsi sint super his quæ de illo a propheta sancto dicebantur, mirati. Numquid enim Joseph jam in somnis ab angelo non audierat: *Joseph filii David, noli timere accipere* Matth. 1. 20. MARIAM *conjugem tuam? quod enim in ea natum est, de Spiritu-sancto est. Pariet enim filium, & vocabis nomen ejus* JESUM. *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Numquid & ipsa sacratissima Virgo, quæ salva virginitate filium se genuisse sciebat, priusquam pareret vel conciperet, ab angelo non audierat: *Ave gratia plena,* B Luc. 1. 28. *Dominus tecum. Benedicta tu inter mulieres, Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideo & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei?* Quid ergo mirabantur super his quæ dicebantur de illo, nisi quia ceteris mirantibus, sacramentum impiis occultant? quid sibi velint talia quæ de tantillo infantulo ab homine sene dicuntur, & ipsi mirantur? Sed audiant adhuc de illo majora, denique sequitur.

Luc. 2. 34. 10. *Et benedixit illis Simeon, & dixit ad* MARIAM *matrem ejus: Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* In una C redemtoris nostri Dei hominisque persona Christus verus Deus & verus homo. perfectam Dei, perfectam hominis inesse confitemur naturam. Ex una quidem Dominum, ex altera servum; ex una fortem, ex altera infirmum; ex una magnum, ex altera parvum; ex una creantem, ex altera creatum; ex una pascentem, ex altera esurientem; ex una recreantem, ex altera sitientem; ex una miraculis coruscantem, ex altera injuriis succumbentem; ex una vivificantem, ex altera morientem; ex una suscitantem, ex altera hunc prædicamus suscitatum; & cum aliud sit in eo Dominus, aliud servus; aliud fortis, aliud infirmus; D aliud magnus, aliud parvus; aliud creans, aliud creatus; aliud pascens, aliud esuriens; aliud recreans, aliud sitiens; aliud miraculis coruscans, aliud injuriis succumbens; aliud vivificans, aliud moriens; aliud resuscitans, aliud resuscitatus, non tamen alius dominus, alius servus; alius fortis, alius infirmus; alius magnus, alius parvus; alius creans, alius creatus; alius pascens, alius esuriens; alius recreans, alius sitiens; E alius miraculis coruscans, alius injuriis succumbens; alius vivificans, alius moriens; alius resuscitans & alius resuscitatus: sed unus idemque Dei atque hominis filius, ex uno, ut dictum est, Dominus, ex altero servus; ex uno fortis, ex altero infirmus; ex uno magnus, ex altero parvus; ex uno creans, ex alero creatus, ex uno pascens, ex altero esuriens; ex uno recreans, ex altero sitiens; ex uno miraculis coruscans, ex altero injuriis succumbens; ex uno vivificans, ex altero moriens; ex uno resuscitans, ex altero resuscitatus: qui ante oculos mortalium positus, ex uno venerabatur ut Deus, ex altero despiciebatur ut homo. Denique cum hunc Judæorum populus cerneret de quinque panibus tot millia hominum pascentem, infirmos curantem, leprosos mundantem & mortuos suscitantem, Deum esse arbitrabantur. Rursum cum eumdem aspicerent esurientem, sitientem, lassescentem, dormientem atque injuriis succumbentem, purum esse hominem, suspicabantur; & hæc quidem apud incertas turbas; sed non apud discipulos. Neque enim ita in cordibus eorum variabatur, qui illius assiduis privatisque eloquiis fruebantur, quibus & ab ipso dicitur: *Vobis* Luc. 8. 10. *datum est nosse mysterium Dei, ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* At ubi venturus est ad passionem mortis, periit fides, ablata est omnium spes, denique, ut evangelista testatur, *omnes eo relicto fugerunt.* Ex quibus Matt. 26. 56. dum unus vinctum a longe sequitur, ad atrium perveniens, eumdem se cognovisse denegat. Et quis in mortis passione illo ruente non rueret, cum præcipuus ejus amator, unius ancillæ voce territus, non semel, sed ter abnegaverit? Sed illo in carne a mortuis resurgente, resurrexit & anima discipuli. utrumque autem ante passionem ejus, eadem qua tradebatur nocte, in discipulis somno perfidiæ lapsis, ac suscitatione ejusdem redemtoris designatum est. Mors ergo ejus facta est ruina multorum. Dicatur itaque.

11. *Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel,* ac si diceretur: eo moriente multi ex stantibus ruent: eo resurgente, multi ex lapsis resurgent. Quia vero illo moriente multi ruerunt, illo resurgente multi resurrexeruut; sed in eum qui ex mortuis resurrexit non omnes crediderunt, recte subjungitur: *Et in signum cui contradicetur.* Quod enim signamus, ab aliorum notitia abscondimus. Quid autem ante infidelium oculos aliud fuit caro Redemtoris, quam quoddam divinitatis ejus sigillum absconsionis? In signum itaque Redemtor noster positus fuit, sed cui, nisi illi cui contradictum fuit? Quæ causa contradixit? quid contradixit? cui contradixit? Caro Christi divinitatis ejus sigillum. Ut autem tamquam interroganti cuilibet breviter respondeam. Quæ causa contradixit, nisi mors carnis? quid contradixit, nisi non esse Deum qui mori potuit ut homo? cui contradixit, nisi omni incredulo? quæ videlicet contradictio quibusdam in scandalum, quibusdam versa est in stultitiam, apostolo attestante, qui ait: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis* 1. Cor. 1. 23. *quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.*

12. Sequitur itaque venerabilis senex

justus ac propheta Dei & dicit matri Jesu. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Solet nonnumquam in scriptura sacra gladii nomine temporalis tribulatio figurari, psalmista attestante, qui illatas a persecutoribus passiones in ipsos exoptat inflecti dicens: *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Hinc idem psalmista de Joseph loquitur dicens: *Ferrum pertransiit animam ejus, donec veniret verbum ejus*, ac si diceret: Tamdiu fuit in illa servitutis vel carceris tribulatione, donec illuc quod futurum prædixerat eveniret. Sed nec aliud hoc loco per gladium intelligimus figurari. Quamquam autem multæ tribulationes animam transfoderint beatissimæ Virginis, illa tamen hic specialiter designatur, quæ, Domino in cruce moriente, materna viscera transfixit. Dicatur ergo eidem a sancto propheta, *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Ac si diceretur: maternis visceribus tribulationis gladio verberatis, videbis in cruce pendentem, quem angelo nunciante Virgo concepisti, manente virginitate filium edidisti, quatenus per hoc factum & Judæorum exultantium iniquitas, & discipulorum fugientium infirmitas denudetur. Denique illo in cruce pendente, Judæi præsentes insultabant ut descenderet; apostoli fugientes de cruce illum descendere posse non credebant. quæ dum fierent, necesse fuit materna piaque viscera ex ejusdem Redemtoris passione gladio tribulationis transfigi.

Luc. 2. 35.

Gladius in scriptura tribulationem figurat.

Psal. 36. 15.

Psal. 104. 18.

13. Sed jam ista, ut cœpimus, quid mystice significent breviter demonstremus. Quis enim intra sanctam ecclesiam constitutus, non videat in morte Redemtoris nostri illos cadere, qui hunc aut solummodo hominem mortalem fuisse, aut veram carnem in passione vel resurrectione non habuisse asseverant? Et quis in ejus resurrectione non consideret illos resurgere, qui a perfidia malæ credulitatis divina gratia reparari, & in vera hunc carne, salva divinitatis suæ impassibilitate, veraciter passum, & in vera carne veraciter a sua majestate suscitatum affirmant? an non aliis in ruinam, aliis vero in resurrectionem Christus factus fuerat, cum Paulus de se suisque sociis diceret: *Christi bonus odor sumus Deo, & in his quæ pereunt, & in his qui salvi fiunt, aliis odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam.* De illis vero quibus humanitas carnis divinitatem abscondit Salvatoris, ita dicit: *Et si opertum est evangelium nostrum, in his qui pereunt est opertum.* Jam vero si devote, ut decet, attendamus, ipsam beatam Virginem, cujus animam gladius transfodisse perhibetur, typum ecclesiæ prætendisse reperimus, cujus animam gladius pertransiit, scilicet verbum prædicationis.

2. Cor. 2. 15.

2. Cor. 4. 3.

Maria typus ecclesiæ.

quod enim per gladium prædicatio sancta figuretur, Paulus apostolus testatur dicens: *Et gladium Spiritus quod est Verbum Dei?* Gladius enim animam Mariæ transverberat, quia Verbum Dei electorum corda penetrat, penetrans ab errore mortificat, ab errore mortificans in veritatem vitæ commutat. *Ut revelentur*, inquit, *ex multis cordibus cogitationes*, ac si diceret: idcirco Divini Verbi gladius sanctorum corda funditus ab errore mortificans in veritatis doctrinam commutat, ut dum quorumdam vitia virtutesque loquendo examinant, unicuique loquuntur, intima sua manifestent. Hinc Paulus dicit: *Si omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota, convincitur ab omnibus*, occulta etiam cordis ejus manifesta fiunt, & ita cadens in terram adorabit Deum, pronuncians quod vere Deus est in vobis. Qui autem essent isti prophetæ, ipse Paulus inferius aperuit, dicens: *Prophetæ duo vel tres dicant, & ceteri dijudicent*, oremus autem necesse est, ut idem gladius noster corda transfigat, quatenus fidelium turbam, nobis prædicantibus, singulorum virtutes ac vitia exponentibus, unicuique interiora patefiant. Sequitur.

Ephes. 6. 17.

Luc 2. 35.

1. Cor. 14. 23.

1. Cor. 14. 29.

14. *Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser. Hæc processerat in diebus multis, & vivebat cum viro suo annis* VII. *a Virginitate sua. Et hæc erat vidua usque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, jejuniis & observationibus serviens nocte & die. Et hæc ipsa hora superveniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Jerusalem.* Hæc juxta historiam aperta sunt, nec habent aliquid obscuritatis, commendant autem castitatem beatæ mulieris, instantiam jejuniorum atque obsecrationum diei noctisque in templo Dei inhærentis; sed latent quædam in his ecclesiæ sacramenta. Quid enim per Annam, quæ gratia Dei interpretatur, nisi electorum ecclesia designatur? ad cujus membra Apostolus loquitur dicens: *Gratia salvi facti estis per fidem.* Quæ bene etiam filia Phanuel de tribu Aser fuisse perhibetur, Phanuel quippe interpretatur facies Dei, Aser quippe vocatur beatus. Et qui alii per faciem Dei figurantur, nisi qui Spiritus-sancti gratia repleti, ad cognitionem Dei humana corda primi perduxerunt? Quia enim per faciem quilibet cognoscitur, jure facies Dei vocantur hi per quos cognitio divinitatis revelatur. quique non immerito Aser, id est beati vocantur, quia ad æternam paternitatem, sive per inspiratam interius naturalem, sive per datam exterius legem erudiri meruerunt. unde scriptum est: *Beatus homo quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum.* In quibus verbis aperte monstratur, electorum ecclesiam filiam esse patriarcharum ac prophetarum,

Luc. 2. 36.

Anna electorum ecclesiam designat

Ephes. 2. 8.

Psal. 93. 12.

quæ scilicet sive in spiritu sive in verbo recte prophetissa interpretatur, de qua adhuc subditur, *& vixerat cum viro suo annis septem a Virginitate sua.* Et quis ejus alius est vir, nisi ille de quo per Isaiam prophetam dicitur: *In die illa apprehendent septem mulieres virum unum, dicentes: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur, tantummodo invocetur nomen tuum super nos. aufer opprobrium nostrum.* Quis alius hujus est vir, nisi ille de quo in Johannis Apocalypsi dicitur: *Civitatem sanctam Jerusalem vidi descendentem de cœlo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo?* quæ etiam antequam Christo sociaretur, ideo virgo vocabatur, vel quia tunc idola non colebat, vel certe quia non corrupta, sed infœcunda erat. Tunc autem hanc sibi Christus univit, cum naturam humanam suscipiens, evangelium exorsus fuit. Quod itaque annis VII. cum viro suo a virginitate vixisse describitur, tempus ejusdem prædicationis ipso septenario numero figuraliter concluditur, in quo & septiformem Spiritus-sancti gratiam ab ipso acceperit, & ipsa in VII. mulieribus, vel VII. ecclesiis mystice uniri meruit. Et quia illo ascendente ad cælos humanitatis ejus præsentia desolata est, jure etiam vidua remansisse narratur. annon vidua recte vocatur, de qua per beatum Job, hæreticorum facta mentione, dicitur: *Pavit sterilem, & quæ non parit, & viduæ bene non fecit.* Illud itaque gaudii tempus, quo præsentia viri in carne fruebatur; illudque tristitiæ, quo ejus præsentia ecclesia desolanda erat, idem vir ejus designans dicit: *Non possunt jejunare filii sponsi, quamdiu cum illis est sponsus. Veniet tempus cum auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt.* In numero autem LXXXIV. annorum, quibus vidua esse describitur, totum tempus præsentis vitæ exprimitur. Legimus enim filios Israel usquequo terram repromissionis ingrederentur, XLII. mansiones in itinere habuisse: quibus scilicet quid aliud quam peregrinatio vitæ præsentis figuratur, in qua heremi tribulationibus exercemur; usquequo ad terram viventium veniamus? sed propter geminum testamentum, vetus scilicet & novum, idem quadragenarius ac secundus numerus duplicatur, & fiunt octoginta quatuor. Sicut enim propter utrumque testamentum duodenarius numerus duplicatus in viginti quatuor senioribus, ecclesiam designat, sic etiam propter eadem testamenta quadragenarius numerus ac secundus duplicatus in octogenario quarto præsens ecclesiæ tempus figurat, & quod ibi per mansiones, hoc hic explicat per annos. Utrumque enim concorditer peregrinationem ejusdem ecclesiæ designat, de qua & bene subjungitur:

Isa. 4. 1. — Apoc. 21. 2. — Job. 24. 21. — Matt. 9. 15.

15. *Quæ non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die.* Ipsa enim est templum, quæ & vidua jejuniis atque obsecrationibus serviens in templo, & quæ ablata sponsi sui corporali specie, quia hunc necdum corporis oculis intueri valet, ad nihil aliud magis quam ad jejunium & orationem vacat. Hinc Psalmista ait: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* Digne itaque præmittit jejunia, & deinde obsecrationes conjungit. Quæ enim esse potest deprecatio, ubi regnat comessatio? quæ esse potest obsecratio, ubi dominatur assidua potatio? Sed hæc dicens cordis etiam vult intelligi jejunium, quo nisi quis ab immundis cogitationibus jejunare studeat, obsecrationibus Deo uniri non valet. Sive autem isto, sive illo jejunio, simulque orationibus fulta, die ac nocte servire describitur, subaudit in prosperis & adversis, a bono opere non cessat. Sequitur.

Psal. 41. 4.

16. *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Jerusalem, in civitatem suam Nazareth.* Hic jam figuraliter ultima Judæorum conversio designatur, quando Enoch & Elia prædicantibus, Christus ad eos revertitur, peracta scilicet omnia in Jerusalem, id est in ecclesia gentium secundum legem Domini, novi videlicet testamenti. Quasi enim peracto sacrificio, ab Jerusalem in civitatem suam Christus cum parentibus revertitur, cum adimpleta plenitudine gentium, novissime cum prædicatoribus sanctis ad eos colligendos ex quibus carnem suscepit regreditur. Sequitur.

Luc. 2. 39. Judæorum conversio designata.

17. *Puer autem crescebat & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat cum illo.* Hæc de illo secundum humanitatem dicta sunt, non secundum divinitatem. Neque in sua natura crescit, in qua plenus est, sed in nostra, in qua paulo minus ab angelis minoratus est. Nec in sua confortatur, in qua omnium fortitudo est, in qua plenitudo sapientiæ est; sed in nostra, in qua pro nobis exinanitus est. Nec in sua gratia Dei indiget, in qua omnibus gratiam tribuit; sed in nostra, in qua ea quæ cum Patre habet accepit; quæ scilicet omnia ad melius, ad ejus corpus quod est ecclesia, quam ad ipsum caput referri possunt. Usquequo enim illud consumetur, quod Apostolus dicit, *donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli.* Quotidie crescit in fide puer JESUS, quotidie confortatur virtutibus puer JESUS, quotidie verbo sapientiæ adimpletur puer JESUS, quotidie gratia salvationis justificatur puer JESUS. Hæc de tanta diei hujus breviter diximus [solemnitate], hæc de tam mysticis sacramentis

Luc. 2. 40. — Eph. 4. 13.

mentis succincte transcurrimus, quia & prolixitatem evangelicæ lectionis attendimus, & ad hæc legenda horas breves habuimus.

18. De cetero dilectionem vestram ammoneo, fratres carissimi, si tamen animos vestros hæc locutio fecit intentos, ut attendatis qua devotione hujus diei solemnitatem de reliquo celebrare debeatis. Non sit vile illud spectaculum, in quo Filius Virginis Deus & homo complectitur, in quo Virgo & mater ostenditur, in quo prophetæ, immo prophetarum omnium expectatio adimpletur, in quo multa ecclesiæ sacramenta declarantur, quod ipse cordibus vestris imprimere dignetur, qui hodierna die sanctum justumque Simeonem Spiritus-sancti illustratione interius pulsans ad templum quo ipse a parenribus offerebatur docuit, immo certe compulit ire, qui cum Deo Patre & eodem Spiritu-sancto æquali potestate, æquali virtute, æquali majestate, æquali æternitate vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA EJUSDEM IN TRANSFIGURATIONE DOMINI.

Ex ms. Corbeiensi annorum circiter 800.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Incipit homilia Autberti presbyteri de lectione evangelica secundum Matthæum, qua Dominus in monte coram tribus discipulis transfiguratus perhibetur.

Matt. 16. 28. IN illo tempore dixit JESUS discipulis suis: Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo. Et post dies sex assumsit JESUS Petrum & Jacobum & Johannem, &c. *integrum refertur Transfigurationis evangelium.*

Explicit lectio evangelii secundum Matthæum.

Incipit homilia ejusdem lectionis habita ad monachos in monasterio S. Vincentii.

1. Solet nonnumquam evenire, immo pene semper evenit, ut in domibus regum ac principum vasa aurea vel argentea quilibet & vilis emundet atque despectus. Quid autem sunt corda electorum in sancta ecclesia, quam quædam, ut ita dixerim, vasa Rom. 9. 21. regalia, Paulo attestante, qui ait: *In domo magna non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Si quis ergo se emundaverit ab istis, erit vas in honorem sanctificatum & utile Domino ad omne opus bonum paratum. Vos igitur, fratres carissimi, vos estis vasa regis æterni, qui sacræ religionis cultu

A velut pretioso metallo fulgetis; sed mementote quamdiu hic vivitis, sine maculis vitiorum esse nequaquam potestis. Unde & Johannes, quem præcipue Dominus amavit, in epistola sua ait: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* 1. Joh. 1. 8. Ne ergo vasa Dei rubigo delictorum consumat, necesse est ut manus hæc sanctæ prædicationis quotidie tergat: quod videlicet emundationis officium mihi omnium servorum Dei indigno creditum fuisse nemo vestrûm ignorat. Sed quæso, ne vos homuncii fœditas

B offendat, dummodo qualibet occasione, de cordibus vestris peccatorum sordes abstergat. Lectionem itaque sancti evangelii, qua Dominus noster coram tribus discipulis in monte transfiguratus perhibetur, exponendam assumo, & ejus, prout possum, secretorum arcana discutio; non quo & ante me enodata non fuerit, sed quo aliquid de ea quod necdum fuerit dictum, mihi ad dicendum fuerit reservatum. Sicut igitur nunc vestra fraternitas audivit, prius quam Redemtor noster transfigurandus montem ascenderet, dixit ad apostolos: *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mor-* Matt. 16. 28.

C *tem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Quod quidam tractatorum de statu ecclesiæ post modicum futuro dictum intellexit. Sed sequens lectionis decursus declarat hoc Dominum de sua transformatione dixisse, cum evangelista subjunxit:

2. *Et post dies sex assumsit* JESUS *Petrum & Jacobum, & Johannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.* Matth. 17. 1. Certe hi sunt tres apostoli, quos dixit non gustaturos mortem, donec eum viderent in gloria transformatum, in qua tamen ejus transforma-

D tione demonstratum est, qualis in cælesti patria futura sit sanctorum ecclesia. Sed primum nobis quærendum est, quid sit quod prædictam Salvatoris transfigurationem Matthæus post sex dies, Lucas vero post octo factam perhibuit. Numquidnam horum quilibet a veritate dissentit, dum sibi invicem quasi neuter consentit. Sed sciendum nobis est, quia & Matthæus, dierum facta mentione, a toto totum, & Lucas a toto partem expressit. Vespera enim diei erat, quando ista Dominus locutus est,

Matthæus & Lucas de tempore transfigurationis conciliantur.

E quam utique Matthæus minime tetigit. Lucas vero pro tota die computavit. Mane autem fuit quando idem in monte transfiguratus est, quod sicut Matthæus ex toto reliquit, sic Lucas pro toto assumsit. Matthæus ergo totum a toto significans, solos in medio sex dies integros inseruit: Lucas vero a parte totum ostendens, & vesperam primi & mane octavi diei supputavit; ubi tropus magnæ locutionis intelligitur, qui

græca locutione synecdochen appellatur, quod latine dici potest, vel a parte totum, vel rursum pars a toto, quique per sacras paginas frequenti inculcatione plurimas absolvit quæstiones, juxta quem etiam illa præcipue reseratur, qua Dominus cœli tribus diebus & tribus noctibus in sepulcro jacuisse declaratur, cum manifestum sit, quod sexta feria inclinata jam die, hora videlicet nona spiritum emiserit, & Dominica ante lucem surrexerit.

Cur tribus tantum apostolis Christus ostenderet suam gloriam.

3. Quærendum etiam cur tantum cum tribus discipulis oraturus montem ascendit, tribus tantum gloriam suæ majestatis illo in tempore manifestavit. Numquidnam sine causa factum fuisse putabitur, ut alios tunc apostolos mysteria suæ revelationis celaret, quibus eum dixisse auctoritas sancta testatur: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei.* Et rursum: *Omnia quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis.* Concedamus igitur quod primates, quod columnæ erant inter ceteros apostolos, sicut Paulus dicit, Petrus & Jacobus & Johannes, *qui videbantur columnæ esse*, & idcirco magis illis, quam aliis secreta sua Dominus revelavit: quibus etiam solis mæstitiam cordis de Judæ vel Judæorum proditione, quæ illius imminente passione mox futura erat, seorsum aperuit. Numquid tamen propterea mysterium latens hoc in facto aliquis defuisse putabit? Nequaquam igitur sine præfigurationis sacramento ad tantam redemtoris gloriam intuendam, solus Petrus, Jacobus, & Johannes assumitur. Petrus tamquam a Petra vocabulum sumsit, *Petra autem erat Christus*, ut apostolus edocuit Paulus. Huic Petræ Petrus dicit: *Tu es Christus Filius Dei vivi.* quibus nimirum verbis, totius ecclesiæ fides effertur, & quam convenienter Petra Petro respondit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam:* aperte videlicet dicens, super me ædificabo te, qui figuram geris ejus ecclesiæ, quæ in te ædificatur super me. Unde cum idem B. Petrus, testimonio utens prophetico, diceret: *Ecce pono in Sion lapidem angularem summum pretiosissimum in fundamento fundatum*, illico adjunxit: *Et vos tamquam lapides vivi superædificamini in domos spirituales.* Hinc & Paulus cum diceret: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est* CHRISTUS JESUS, continuo subjecit: *unusquisque autem videat quomodo superædificet.* Cum ergo dictum est: super hoc fundamentum Petrus ædificando ponitur, nimirum omnis ecclesia super Christum construenda locatur. Jacobus vero in nostram vertitur linguam supplantator. Supplantator autem quorum? nisi vitiorum; & nos certe in Jacobi persona vitia supplantamus, cum primogenita virtutum, per sacra orationum studia vindicamus. De hac vitiorum supplantatione psalmista loquitur dicens: *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos suos ad Petram.* Johannes autem interpretatur columba, per quem sine dubio illi figurantur, qui intra sanctam ecclesiam Dei & proximi amore flammantur. Per columbam etenim Spiritus-sanctus designatur, qui Patris & Filii caritas esse probatur, & scriptum est: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum qui datus est nobis.* Ergo fides in Petro, operatio virtutum in Jacobo, caritas vero in Johanne monstratur apostolo. Quamobrem non inconvenienter hii tantum modo tres in monte cum Domino ascendunt, qui figuram omnium sanctorum in suis personis gerunt. Sed jam ipsius lectionis verba ponentes, singula disseramus.

Luc. 8. 10. — Joh. 15. 15. — Matth. 16. 16. — Ibid. 18. — 1. Pet. 2. 6. — 1. Cor. 3. 11. — Psal. 136. 9. — Rom. 5. 5.

4. *Assumsit Jesus Petrum & Jacobum & Johannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante illos.* Omnis igitur qui transfiguratur, in alteram figuram mutatur. Unde & Lucas hoc ipsum exprimens ait: *Facta est, dum oraret, species vultus ejus altera.* Ubi prorsus cavenda est hæreticorum insania, qui putant post diem judicii humana corpora in alteram posse converti naturam. Et certe idem mediator Dei & hominum homo CHRISTUS JESUS, qui secundum apostolum reformavit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, post resurrectionem suam in conclavi discipulis apparens, dicit: *Palpate, & videte quia spiritus carnem & ossa non habent, sicut me videtis habere.* In quibus verbis, quid aliud datur intelligi, nisi quia & alterius gloriæ, & non alterius naturæ corpus erat quod & palpandum præbebat, & januis clausis in vera carne, verisque ossibus introducebat? Quod ergo dicitur: *Transfiguratus est*, hoc est in alteram figuram mutatus, non est naturæ, sed gloriæ. unde & protinus subinfertur.

Matth. 17. 1. — Luc. 9. 29. — Hæreticorum error de futura corporum mutatione. — Luc. 24. 39. — Matt. 17. 2.

5. *Et resplenduit facies ejus sicut sol.* Hæc certe altera figura, hæc vultus species altera, ut qui erat in carne conspicuus, subito appareret in majestate coruscus. quid autem mirum si hoc de tanta subito in corpore corruscante dicitur majestate, cum nos quotidie de quolibet dicere soleamus, cum eum vel post sordes ablutum vel post mæstitiam lætum aspicimus. Non est ipse qui erat, alius est quam erat. Et notandum quod glorificationem Redemtoris oratio præcessit, qui, ut Lucas ait, propterea in montem ascendit, ut oraret. quatenus scilicet per hoc factum ostenderet, omnibus qui ad ejus pertinent intuendam majestatem, indesinenter esse orandum, nec in imis, sed in monte semper orandum. quod nimirum

Ibid. — Oratio commendatur.

illi continue possunt, qui nullis terrenis desideriis per oblectamenta vitiorum succumbunt; sed in superna amore defixi, cœlestia respiciant. Unde & Paulus pressurarum vinculis conligatus dicebat: *Nostra autem conversatio in cœlis est.* quod etiam aliis in locis exemplo suo Dominus nos admonet, qui cum nullam in die vel ad manducandum quietem haberet, in monte etiam fatigatus pernoctabat. quo nimirum in facto si licentia tribuatur, & ipsa exterior solitudo ad orandum inquirenda docetur, ut eo familiarius quis Deum interpellet, quo nullus hunc hominum tumultus circumegit. Sed quid nos miseri, quid ad hæc sumus dicturi, qui innumeris delictorum ponderibus gravati, primum vespertinæ lucubrationis tempus somno prævenimus. Si Deus ac Dominus noster sine peccato conceptus, & natus sine peccato usque ad indebitam mortem perductus, quibusdam noctibus parvum, quibusdam nec modicum sibi somnium indulsit, sicque peccatoribus in se præbens exemplum, crebris suspiriis atque gemitibus sæpius genua flectens, plenas lacrymis vigilias noctis peregit, tamquam & ipse mortalium vitiorum obnoxius esset, & quamquam mirum non esset, si id ageret pro nobis, qui mori venerat pro nobis. Peccata enim nostra portabat, & ideo Patrem quasi peccator interpellabat, tamen exemplum imitationis in se præbebat, quo disceremus & ipsi patrem interpellare cum illo pro nobis, nec a precibus cessandum, cum etiam nunc usque, idem vultui Dei apparens, interpellat pro nobis. Discutiamus ergo torporis ignaviam, & ad tantum Redemtoris imitandum exemplum, saltem illud nos provocet, quo idem ipse nullis, ut diximus, propriis interpellantibus vitiis, imminente sua beata passione, crebrius orans atque prolixius, ita certavit, ut pro sudore carnis, guttas proflueret sanguinis. *Factus est*, inquit evangelista, *in agonia & prolixius orabat, & factus est sudor ejus sicut sanguinis decurrentis in terram.* Ne igitur, inertia suadente, negligentiores erga sacras vigilias, & orationes existamus, hæc, fratres carissimi, semper ad memoriam revocemus. Appendendus certe tam validus labor; quo tentationis introitus clauditur, omnisque malorum incursus vitatur. *Orate*, inquit Dominus, *ne intretis in tentationem.* Et rursum: *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt & stare ante filium hominis.* Rursumque: *Oportet semper orare, & non deficere.*

Phil. 3. 20.

Ad eam necessaria solitudo.

Christus imminente passione sæpius & prolixius orabat.

Luc. 22. 44.

Ibid. 46.

Luc. 21. 36.

Luc. 18. 1.

6. Cum autem de sanctis scriptum noverimus: *Tunc justi fulgebunt, sicut sol in regno Patris eorum*; quomodo hoc loco facies Christi solis claritati comparatur? aut numquid tantum, quod nefas est dicere, in regno Patris justi claritatem habebunt, quantam habet is qui illos justificavit? quis hoc nisi hæreticus dixerit? quod quatuor ex causis factum fuisse mihi videtur, scilicet vel quia adhuc mortalis erat, & ipsa carnis mortalitas claritatem divinitatis ejus, ut erat, ostendere non sinebat. vel quia ante videntium oculos, ut intueri posset, ipsam fulgoris sui magnitudinem temperabat. vel etiam formam illam tantummodo prætendebat, quam in die judicii & electis & reprobis ostensurum se esse præsciebat vel certe, ut verius atque salubrius, quia figura membrorum suorum qualia, ut dictum est, in futuro fulgebunt, in sua claritate monstrabat. Sequitur.

Sap. 3. 7.

7. *Vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* Claritas ista, fratres, quæ foras per vestimenta Christi manavit, ab illa ejus interiore luce processit, quam nullus humani generis corporeus oculus intueri potest, sicut scriptum est: *Deum nemo vidit umquam.* Et rursum: *Non enim videbit me homo, & vivet.* quamque, sicut ipsa se videt, nec ipsam angeli cernunt, qui eam quotidie, pro ut illis datum est, cernunt. Ipsi enim, sicut utrumque sacra scriptura testatur, & faciem Patris quotidie cernunt, & ut cernere possint concupiscunt. Magna certe vis, magnaque lucis interioris potentia, quæ tantam lucem profudit exterius, ut ipsis etiam vestibus gloriam tribueret coruscæ majestatis. Ab illa luce, dilectissimi nobis, ab illa inluminantur cuncta quæ lucent, sol videlicet exterius, luna, atque stellæ; angeli vero interius atque animæ humanæ. Miramur itaque Dominum in monte solis claritate fulgentem exterius; miremur potius hunc divinitate micantem interius. Veneremur talem qualis in monte coram tribus discipulis apparuit, desideremus talem qualis in cœlo cunctis mundis cordibus apparebit. Et revera qualis in monte foris apparuit, talem hunc in futurum & ipsi impii videbunt; sed talem qualis intus permansit, non nisi beati videbunt.

Matth. 17. 2.

Christi claritas interior quanta.

1. Joh. 4. 12.

Exod. 33. 20.

8. Potest autem per vestimenta Redemtoris nostri nivis candore fulgentia, exprimi justorum ecclesia, non qualis nunc est, quia hic sine peccato non est, sed qualis in futurum erit, quando jam peccare non poterit. Ut scilicet per nivis claritatem, & munditiæ claritas designetur, & vitiorum calor funditus abolendus monstretur. Nix enim & candorem nivium habet, & calorem omnino non recipit. Sic sic electis Dei, sic quandoque continget his qui pervenerint ad claritatem Dei, obtinebunt munditiæ candorem, nullumque sentient aliquando de carnis corruptione calorem. Sequitur.

Ecclesia per vestimenta Christi designata.

9. *Et ecce apparuit eis Moyses & Helias* Matt. 17. 3.

Moïses & Helias cur apparuerint in transfiguratione.

cum eo loquentes. Quidam putant Moïsen A cum Helia novissimum prævenire Christi adventum, pro eo quod in hac ejus transfiguratione uterque apparuit. Sed alii melius intellexerunt, qui Enoc cum Helia venturum dixerunt, ut illi tunc pro Christo morituri adveniant, qui necdum in carne mortis debitum exsolverunt. Sicut Enoch, qui, ut apostolus docet, translatus est, ne mortem videret, & Helias ad cœlum elevatus, ut in quadam terræ regione inde submissus, usque ad illud tempus vivus permaneret. Neque enim propterea B Moïses cum Helia in illa glorificatione apparuit, ut cum illo passurus adveniat, sed ut evangelium æternæ salutis testimonium habeat a lege & prophetis. Ecce enim quadraginta diebus Moïses, quadraginta Helias jejunavit, quadraginta & Dominus. Sed quia non est mirandum in Domino quod præcessit quolibet in famulo; videamus utrum ne magnum lateat sacramentum in hoc quadragenario dierum numero. Numquid enim difficile videbatur Domino ad centum vel mille dies extendere jejunium, qui dederat servis ut quadraginta transirent sine corporalis cibi stipendio? Quis C ergo non offendit in facto plus se posse jejunare, quam servus, nisi quia per eumdem dierum numerum, non tam virtutis miraculum, quam virtutis exprimitur sacramentum? Quis igitur nesciat geminam esse legem Mosaïcam, atque in spirituali decalogo simul & victimarum obsequio subdistinctam? quia enim gemina sit legalis præceptio, hinc maxime claret, cum & ex uno perfici videtur & ex altero nequaquam perficitur. David quippe Domino dicit: *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Et rursum: *A mandatis tuis non declinavi.* Ecce adimpletio legis, sed nimirum decalogi spiritalibus, secundum quod & apostolus dicit: *Lex sancta, & mandatum ejus sanctum, & justum, & bonum, secundum quod & qui fecerit ea vivet in eis.* Petrus econtra ait: *quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus aliquando?* Ecce diminutio legis, sed utique obsequii carnalis, juxta quod & illud dicitur: *Dedi eis præcepta non bona, in quibus non vivent.* Et illud apostoli: *Neminem ad perfectum adduxit lex.* Sciendum etiam quia ex ea parte, qua spiritalis est lex & observari potest, in decem videlicet præceptis, cum plenitudo temporis advenit, ad novum testamentum custodienda transivit: Ex ea vero qua carnalis est & portari non potest, in victimarum scilicet obsequiis, moriente in cruce Domino, observationem amisit. Quapropter si in decalogi mandatis spiritalis est lex, in victimarum quoque obsequiis carnalis, hinc sacratum jejunium, illinc

Lex Mosaïca duplex.

Ps. 118. 32.

Ibid. 157.

Rom. 7. 12.

Act. 15. 10.

Heb. 7. 19.

crapulatum ostendit convivium. Nos vero quia jam carnalium victimarum ingluviem ex toto respuimus, superest ut de spiritalis legis jejunio aliquid loquamur.

10. Quid enim aliud est dicere, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non ovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt, nisi quoddam animæ jejunium imponere? Annon vere jejunat, qui ut bonis inhæreat, a malis declinat. Sed ut hoc decalogi jejunium in quadragenarium surgat, oportet ut a longe novi testamenti jussa præstolans, quandoque ad evangelium currat. Veniat ergo Moïses & Helias ad Dominum tamquam lex & prophetia ad evangelium, fiat decalogum quaternatum, concludat intra suæ prædicationis ambitum totum per quatuor cardines cœli in electis orbem terrarum, & in utroque testamento a principio usque ad finem quadraginta dierum jejunium appareat consecratum. Ille etenim quadraginta diebus mystice jejunat, qui per quatuor sancti evangelii libros spiritaliter legem observat, qui in diligendo Deo & proximo caritatis jura conservat. unde scriptum est: *Plenitudo legis est dilectio.* Huic & Dominus cum in evangelio diceret: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* hoc est, inquiens, *primum & maximum mandatum in lege, secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum tamquam te ipsum,* continuo subjecit: *In his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ.* Custodit vero D hæc duo summa atque præcipua mandata, quisquis totum abhorret, quod animam inducit ad carnis desideria, quia, ut Johannes ait: *Si quis diligit mundum, non est caritas patris in illo? quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Bene ergo Dominus in sua transformatione Moïsen & Heliam exhibuit, quos ob significandum gratiam rei futuræ in jejunando sibi similes fecit, quatenus scilicet utriusque testamenti facta concordia, juxta præmissam intelligentiæ regulam, ostenderet E omnes ad vitam præordinatos, in hac peregrinationis ærumna quadraginta dierum jejunium per breviarium legis, quo gemina atque evangelica demonstraretur dilectio, semper observare debere, quæ utique & bonis indisinenter inhærere, & a malis omni tempore facit declinare.

11. Sed nec illud silentio prætereundum existimo, quod in eremo Moïses, in eremo Helias, in eremo jejunat & Dominus, per quod nimirum hujus vitæ peregrinatio designatur, in qua sicut beatus Job indicat, vita hominis tentatio esse probatur. Inde est

Jejunium spirituale.

Rom. 13. 10.

Matth. 22. 37

1. Joh. 2. 15.

Cur Moïses, Helias, & Dominus in eremo jejunaverunt.

est quod in eremo aquæ amaræ & igniti sunt serpentes. Inde quod filii Israël post tempus quadraginta annorum, tamquam quadraginta dierum, in solitudine peractum jejunium, ad terram lacte & melle manantem perveniunt. Inde quod nos quoque quadraginta diebus ante resurrectionem in abstinentia custoditis, ad jubilæum qui est annus remissionis, plenusque jocunditatis pertingimus.

Aquæ amaræ in deserto & serpentes igniti quid significent.

12. Sed libet intueri quid significent in deserto aquæ amaræ, quidve serpentes igniti: primumque non inconvenienter æstimare possumus, quia sicut manna illud, quo plebs Judaïca vescebatur, ut sancta testatur auctoritas, non unum eumdemque saporem comedentibus præstitit, atque hoc alii ad salutis incrementum, alii vero ad salutis dispendium; sic etiam illæ aquæ aliis extitere dulces, atque aliis amaræ: quarum videlicet amaritudinem illi nequaquam senserunt, qui salutaris ligni remedia intelligere potuerunt: illi autem senserunt, qui sine fide aquam tantum hauserunt. Sic quoque hi tantum a serpentum morsibus sanari potuerunt, qui serpentem æneum aspicientes, mysterium fidentius attenderunt, sacra scriptura pronuntiante, quod non per hoc quisque qui videbat sanabatur: ac si aperte diceretur, non per hoc quod foris juxta litteram patebat, sed per illud quod intus in sacramento latebat. Quid ergo significant aquæ amaræ, nisi adversitates hujus sæculi? de quibus nimirum solus ille indebite gustavit, qui ut in dexteram Patris sedens regnaret, de torrente in via bibit. Inde est quod felle cibatus, inde quod aceto potatus, inde quod pius conditor & sitit quod amarum est, & amarum gustans ait: *Consummatum est.* Joh. 19. 30. Unde autem aquæ amaræ in dulcedine versæ, nisi ex admistione salutaris ligni. Denique cum murmuraret populus Israël propter aquæ amaritudinem, clamavit Moïses ad Dominum, qui ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Ipsum profecto est lignum vitæ in paradiso Dei, ipsum quod plantatum est secus decursus aquarum, Dominus videlicet JESUS CHRISTUS Deus & homo perfectus, de quo etiam Salomon dicit: *Beatus homo qui invenit sapientiam, lignum vitæ est, his qui apprehendent eam, & qui tenuerit eam beatus.* Prov. 3. 18. Misso igitur ligno in aquas amaras, mox in dulcedinem vertitur quidquid amaritudinis habere videbatur; quia videlicet dum nostris tribulationibus passio beati Mediatoris permiscetur, pondus gravitatis earum levatur. Sed sciendum quia juxta præmissam parvitatis nostræ intelligentiam aliis amaræ perseverant, aliis dulcedinem aquæ subministrant; hinc est quod unum eumdem passionis calicem alii appetunt, alii refugiunt. Appetunt scilicet quibus amaritudo illius dulcis est; refugiunt vero quibus amara displicent; appetunt qui angustum iter carpunt; refugiunt, qui lata & spatiosa mundi itinera voluptuose percurrunt. Solus enim ille amaritudinem aquæ non sentit, qui dulcedinem ligni in aquæ rotationem ab intimis trahit, & præ illius dulcedine quod immittitur, hujus quæ inerat amaritudo non sentitur: quia videlicet qui plene degustat, quæ & quanta intra secretum crucis dulcedo lateat, cuncta quæ cruci adjacent, etiam amara, dulcia putat. Unde & sacra scriptura pronuntiat: *Animæ esurienti etiam amara dulcia videntur.* Prov. 27. 7. Quis enim tam ingratus, qui etsi non aperto martyrio, saltem occulto, non libenter sequatur crucis magistrum, cum scriptum retineat: *Si non compatimur, nec conregnabimus*, & Petrus ammoneat: *Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* 2. Tim. 2. 12. 1. Pet. 2. 21. Tales quippe apud Hebræos invenerat Paulus, quibus dicebat: *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem* JESUM, *qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contemta.* Heb. 12. 2. Tales & illos fieri cupiebat, quibus ut amaritudinem passionis in dulcedinem verteret, loquebatur dicens: *Scientes, quia sicut socii passionum estis, sic & consolationis eritis.* 2. Cor. 1. 7. Sed nos ista dicentes, debemus inter utraque testamenta distinguere, & qualiter ibi amaræ, hic autem dulces extiterint aquæ videre. Amaræ siquidem fuerant aquæ illis, de quibus Moïses dicebat: *Oderant filios Israël Ægyptii, & affligebant inludentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur.* Exod. 1. 12. Amaræ & illis, ex quorum persona Hieremias sub typo mulieris loquebatur dicens: *Venter meus conturbatus est, subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum.* Thren. 1. 20. Et rursum: *Circumdedit me felle & labore.* Thren. 3. 15. Rursumque: *Replevit me amaritudinibus, & inebriavit me absynthio.* Ibid. 15. Sed jam per ammixtionem ligni salutaris in dulcedinem illis conversæ, de quibus Lucas testimonium perhibebat dicens: *Ibant autem apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine ejus contumeliam pati.* Act. 5. 41. Amaræ extiterant & ipsi Moïsi, cum mœstus conquereretur: *Cur*, inquit, *Domine, afflixisti servum tuum? quare non invenio gratiam coram te? Cur imposuisti pondus universi populi hujus super me? Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia gravis mihi est. Sin aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me, ut inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* Num. 11. 11. Rursumque: *Pusillum & lapidabunt me.* Exod. 17. 4. Amaræ fuerant & Heliæ, cum persecutiones Hiezabelis per deserta

3. Reg. 19. 4. fugiens, vimque patiens clamaret: *Sufficit mihi, Domine, tolle, quæso, animam meam, neque enim melior sum quam patres mei.* Sed per ammixtionem ligni remedialis jam Paulo in dulcedinem versæ, cum idem fidelibus diceret: *Qui nunc gaudeo in tribulationibus pro vobis.* Et rursum: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* Rursumque: *Ego autem non solum alligari, sed & mori paratus sum in Jerusalem pro nomine Domini* JESU.

Rom. 5. 3. Phil. 1. 21. Act. 21. 13.

13. Est autem hic de aquis amaris & alius sensus frequenter a majoribus nostris inculcatus, quarum videlicet amaritudo jure refertur in circumcisionis in carne dolorem, ac pro reatibus vindictæ retributionem. Sed aquæ amaritudinem ligni salubritas in dulcedinem vertit, quia profecto Redemtor noster indebitam sibi legis severitatem in se suscipiens, legem implens, simul & decretis evacuans, totum quod in ejus præceptis asperum erat, in lenitatis novi testamenti gratiam commutavit. Quid quoque designant igniti serpentes, nisi antiqui hostis mortiferas suggestiones? cui profecto sententiæ Paulus concinit dicens: *Assumite scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignita extinguere.* Ad quod maxime, immo tantum illud proficit, quod percussi ne moriantur, æneum serpentem aspicere jubentur. Quo videlicet in facto, non nostra titubat, sed Domini expositio tractantis sententiam firmat. Ait enim: *Sicut exaltavit Moïses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ecce enim suggessit occultus adversarius quodlibet in mente facinus; consensisti, serpens momordit te: sed ne funditus extinguaris, aspice serpentem æneum, hoc est in cruce pendentem Dominum, cujus nimirum passio dum bene consideratur, omnia in nobis vitiorum mala extinguere probatur. Bene autem consideratur, dum ipsa pro viribus imitari conatur. Incipe igitur passionem Christi imitari velle, & nullum erit mortale crimen quod te possit extinguere. Et cum Paulus dicat: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Quæ rogo, oblectamenta peccati talibus poterunt subripere? Qui enim crucifixus est, utique præ dolore ipsius mortis imminentis morsum non sentit venenati serpentis. Da mihi quemlibet mortuum, qui sentire possit colubri morsum. Et certe idem egregius prædicator fidelibus dicit: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

Eph. 6. 16. Luc. 19. 14. Serpens æneus Christi passionem significat. Gal. 5. 24. Col. 3. 3.

14. Ecce ut quam breviter intimare potuimus, quare Dominus Moïsen & Heliam in transfiguratione exhibuit, quos in mysterio jejunii socios atque concordes famulos habuit. Quam bene etiam congruit, quod Petri & Johannis aspectibus Moïsen & Heliam ingessit, ut scilicet veteris ac novi testamenti facta concordia, altrinsecus semet vel in facto, vel in mysterio binæ respectarent personæ. Moïses enim ut ad manna vescendum transiret, mare dividit; Petrus vero, ut ad Christum, qui verum cœlesteque est manna, perveniret, super mare ambulavit; Helias vero ut superiora peteret, in curru igneo ascendit; Johannes vero ut secreta Verbi penetraret, in flammeo Christi pectore recubuit. Quid autem facimus de Jacobo? numquid ab hac eum concordia dividimus, & minorem Petro vel Johanne in præfiguratione judicamus, quem Moysi & Heliæ personis ex alia ratione congruere probamus? Jacob enim, ut diximus, supplantator interpretatur, quod omnino Moïsi & Heliæ satis convenire probatur: quorum unus insidiantem Hebræo Ægyptium clancule interficiens, sabulo abscondit: alter vero Bahal deludens, prophetas in torrente mactavit: quæ cuncta ad extinctionem vitiorum pertinere patrum auctoritas demonstravit. Sed videamus, si possumus, quæ sunt verba legislatoris & prophetæ ad Dominum utrorumque, quod temere forsitan, immo certe vanus præsumtor autumare vellem, nisi quænam illa essent ab alio evangelista didicissem.

15. *Ecce*, inquit, *duo viri loquebantur cum eo. Erant autem Moïses & Helias, & dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.* Quem excessum, nisi pro mundi vita indebitum passionis tormentum, quod quidem jam inchoaverat, sed necdum compleverat, quia & miserias nostras pati jam cœperat, & tamen ad crucis supplicium nondum accesserat. Ut enim hinc detur intelligi, quod verba eorum, quæ nunc apud illum fuerunt, talia erant: Venisti, qui mittendus eras, natus de Virgine, crevisti, esuristi, sitisti, lassatus sedisti; sed necdum inter supplicia spiritum tradidisti. Inchoasti ergo, sed nondum complesti, quod tunc perfecte complebis, cum pius conditor in cruce pependeris. Potest autem hoc ita dictum intelligenti, ut idem excessus in prophetis cœperit, sed nequaquam in illis completus, in Domino prophetarum esse complendus. Unde & ipse Dominus ad Judæos dicit: *Et vos implete mensuram patrum vestrorum*, ac si aperte diceret: Illi prophetas occiderunt, sed non erat plena mensura; vos occidite Dominum prophetarum, & plena erit mensura patrum vestrorum. Omnes enim justorum passiones in Domini sui complentur passione. Ubi autem hunc completurus esset excessum, nisi in Jerusalem? quia ipse ait: *Non oportet prophetam perire extra Jerusa-*

Luc. 9. 31. Matth. 23. 32. Luc. 13. 33.

lem. O misera, ô damnanda Jerusalem, quæ sola ad tantum damnationis cumulum pervenisti, ut nullus prophetarum extra te sanguinem funderet, nullusque innoxius in terra esset sanguis effusus, qui non super te veniret, *a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem* tu cruenta bestia *inter templum & altare conculcasti*, propter illum scilicet quem ante faciem Pilati super te tuamque progeniem venturum expostulasti: *Sanguis*, inquiens, *hujus super nos & super filios nostros*. Sed quantum bonum hoc tuo maximo nefandissimoque scelere mundo procuraveris, unus tuorum nesciens & prophetans clamat: *Expedit ut unus moriatur pro populo, ne tota gens pereat*. Sequitur.

Matt. 22. 35. Matt. 27. 25. Job. 18. 14.

16. *Respondens autem Petrus dixit ad* JESUM: *Domine, bonum est nos hic esse, si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moïsi & Heliæ unum.* Obsecro, beate Petre apostole, ne tibi displiceat humillimi servi reprehendentis auctoritas, dummodo nulla sit in reprehendente servilis temeritas. Hoc enim a te humilitate libera quæro, quod alios jam ante quæsiisse invenio. Dic ergo, quæso te, propterea in montem assumtus es, ut fixis tabernaculis Dominum possideas solus cum paucis? an ideo ut visa gloria corporis ejus, cum post paululum ventum fuerit ad vincula, ad flagella, ad sputa, ad alapas, ad crucis tormenta, ad sepulturam, nequaquam hunc Deum esse, vel hominem Deum plenum, tuumque magistrum abneges? Bene quod tibi tantum nunc placet subito glorificata facies Christi, ut de monte nolis descendere: sed expecta paululum, certe oblitus talia, ante vile mancipium hunc te scire negabis, cum hora illa propinquaverit, ut illud impleatur, quod de eo per prophetam dicitur: *Non est species ei, neque decor; & vidimus eum, & non erat aspectus, & quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum.* Dicere quin potius debueras: Domine, accelera tempus, quo cuncta quæ de te scripta sunt compleantur, & sic in gloriam tuam transiens, ostende mihi, non qualis nunc es, faciem tuam; sed præbe talem sicuti es. Sed indulgentiam concedendum est tibi: somnum pateris, cum talia dicis. Sic enim de te tuisque sociis evangelista loquitur, dicens: *Petrus vero & qui cum illo, gravati erant somno*, somno videlicet, non carnis, sed mentis. Unde & tui tuorumque sociorum oblitus, de Domino, Moïse atque Helia eras sollicitus; *Faciamus*, inquiens, *hic tria tabernacula, tibi unum, Moïsi unum, & Heliæ unum.* Ecce enim Dominus claritate solis emicat, Moïsen & Heliam lucida nubes obumbrat; quibus ergo opus est tabernaculum, vobis quibus nihil horum contingit, an illis quibus tale munus provenit. Quid igitur de te ac tuis contubernalibus cogitas? An forte binos per singula vis sociare tabernacula, ut illi sint Domini, vos in singulis tabernaculis dominorum servi? Quis ergo vestrûm erit Domini servus? quis Moïsi? quis Heliæ? Tolerabilius quippe fuerat dixisse: Domine, faciamus hic unum tabernaculum, ut Moïses & Helias, ego, Jacobus & Johannes, tibi in uno tabernaculo serviamus.

Matth. 17. 4. Petri infirmitas. Isa. 53. 2. Luc. 9. 32.

17. Sed nos, fratres charissimi, sicut in hoc dicto ignorantiam Petri non sequimur, sic præcipuum amorem illius erga Dominum veneremur, quem sæpissime apertis indiciis idem validissimus dilectionis ejus exsecutor intus celare non valens, foris ostendit. Inde est quod ipsi Domino duodecim interroganti: *Quem me esse dicitis?* primus respondit: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Inde quod magistrum non vult pati, sed passionem denuntiantem redarguit dicens: *Absit a te, Domine, non fiet istud.* Inde quod imminente hora ejusdem Domini passionis, ipso dicente: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte;* cum alii turbarentur, intrepidus iste respondit: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor.* Rursumque etiam: *Si me oportuerit mori tecum, non te negabo.* Inde quod illo jam comprehenso, gladium educit, persecutorisque auriculam in incertum ictum dirigens abscidit. Inde quod in navicula positus, viso in littore Christo, ut primus omnium ad illum veniat, secundo semet fluctibus immergit. Quod probans Dominus cum resurrexisset a mortuis, sciens quid interrogaret, dixit: *Simon Johannis, diligis plus his?* Et ille: *Domine, inquit, tu scis quia amo te.* Hac dilectione quamquam, ut evangelista loquitur, nesciens quid dicat, visa vultus Domini claritate, vult in monte manere, & nec ad momentum descendere. Respuit gloriam sæculi, totum quod in mundo blanditur contemnit, sola ei claritate solis emicans Christi facies placet. Quid putamus? quomodo placeret, si talem tunc posset intueri per corpus mortale, qualem nunc cernit exutus mortalitate. Certe non solum subterjacentem terram, sed & ipsum super se cœlum contemneret, tantum ut in monte cum Domino in perpetuum maneret. Sed descendendum est Petro de monte, sequendus est interim Dominus pauper, imitandus a Petro ille qui dixit: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* Imitandus in crucis tormento, insuper verso sursum crucis vestigio, & sic æternaliter intuenda facies Christi, sine ullo temporali defectu: quod nec ipse beatus tunc Petrus abnuit, qui etsi cum Domino in monte manere voluit, tamen de figendis tabernaculis voluntatem

Petri erga Dominum amor. Matt. 16. 15. Ibid. 22. Matt. 26. 31. Ibid. 33. Ibid. 35. Joh. 21. 15. Matt. 8. 20.

ejus quæsivit. Sic enim dixit: *Domine, si vis, faciamus hic tria tabernacula*, ubi consequens intellectus est: Si non vis, non faciamus. Si ergo vis, maneamus; si non vis manere, descendamus. Sequitur.

Matt. 17. 5. 18. *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit, ipsum audite.* Age, beate Petre, ablata est cura figendorum tabernaculorum, recessit Moïses, recessit Helias, quibus tabernacula facere volebas. Servi erant, non domini; venerant non ut juberent, sed ut audientes jussa complerent. B Hic solus qui remansit est Dominus, hic solus quem estis secuti, dilectus est filius. In hoc solo Patri bene complacuit. Et quidem potuit Moïses dici filius Dei, potuit & Helias. Fuit certe Moïses Deo dilectus, fuit & Helias. complacuit Deo in Moïsen, complacuit & in Helia. Ad hujus tamen comparationem, qui natus est ex substantia Patris, nec Moïses filius, nec Helias; nec Moïses Deo dilectus, nec Helias; nec Moïses acceptus, nec Helias; sed ut paterna vox edocuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit*: Non ergo Moïsen, non C Heliam, sed ipsum audite. Jusserat quippe Moïses fieri tabernacula, sed Christus jubet ædificari ecclesiam. Ipsum ergo audi, venerabilis Petre, qui te non tabernaculorum fictorem, sed ovium suarum constituit pastorem. Quid autem putamus, fratres, exprimi per nubem lucidam, nisi novi testamenti gratiam, & quidem ante adventum mediatoris, ut scriptum est, tenebrosa erat aqua in nubibus aëris, hoc est obscura verborum scientia in lege atque prophetis: sed jam novi testamenti doctrina non est in nube tenebrosa, sed per nubem lucidam tonans paterna voce perspicua. Et notan- D dum quod nubes lucida Moïsen & Heliam tenet & obumbrat, aufert & occultat. Et cum Moïsen & Heliam teneat & occultet, non tamen jam Moïses & Helias de nube sonant, in qua latent. Sed solus Pater per nubem loquitur. Sola nubes lucida, paternam vocem exprimit. Sic sic novi testamenti gratia legem & prophetiam obumbrat & conservat, occultat & tenet. Obumbrat scilicet in littera, conservat in spiritu. Occultat in figuris, tenet in mysteriis: E sicque fit, ut quicquid lex & prophetia loquitur, quamquam spiritualiter observandum, recipiatur. O quam multa de futura novi testamenti gratia ante adventum redemtoris in carne, cum tenebrosa esset aqua in nubibus aëris, locuta est lex & prophetia. At ubi ventum est ad nubem lucidam, ubi nubes lucida Moïsen obumbrat, & Heliam, silet Moïses, tacet Helias. Per solam nubem lucidam paterna vox insonat: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene*

Nubes lucida exprimit gratiam novi testamenti.

A *complacuit, ipsum audite.*

19. *Et audientes discipuli ceciderunt in facies suas super terram & timuerunt valde: levantes autem oculos, neminem viderunt, nisi solum* Jesum. Matt. 17. 6. Vox illa quæ aures discipulorum percussit, sive per semetipsum, sive per angelicam creaturam elementum nubis Dominus commoverit; tamen per nubem sonuit. Quia vero de nube processit, quæ discipulos in terram ita constravit, in modum tonitrui facta fuit, sicut tunc quando imminente passione idem Filius ad Patrem dixit: *Nunc anima mea turbata est, & quid dicam, Pater? Salvifica me ex hac hora; sed propterea veni in horam hanc. Pater, clarifica tuum nomen. venit ergo vox de cœlo; & clarificavi, & iterum clarificabo. Turba ergo quæ stabat, & audierat, dicebat tonitruum factum esse.* Joh. 11. 27. Sed quid est quod ibi tonitruum audiens, turba non cadit, hic autem discipuli in faciem cadunt, nisi quia ibi superbia, hic autem humilitas pavet? nec sine causa pavet, quæ præmium tanti pavoris accepit. Unde & Dominus protinus accedit, discipulos tangit, ut surgant imperat, ne timeant jubet: quæ tamen carismata aliquid nobis spiritualis gratiæ innuunt. Ac si aperte Dominus discipulis dicat: Timendum erat, si Moïsen audiendum vox clamaret; si Heliam imitandum moneret, quorum unus viginti tria millia peccantium una die interfecit, nec pepercit; alter Bahal prophetas sine ulla miseratione jugulavit, duosque quinquagenarios cum quinquaginta suis, centum scilicet viros, cælesti incendio concremavit. At quia ego audiendus prædicor, qui publicanum in templo confitentem justifico, qui apostolum negantem recipio, qui meretricem lapidandam libero, qui latronem in cruce pœnitentem sanctifico; cur pavetis insolito? Sit itaque in lege pavor, in evangelio amor. Timor enim non est in caritate, *sed perfecta caritas foris mittit timorem.* 1. Joh. 4. 18. Sequitur.

Christus discipulos paventes erigit.

20. *Et descendentibus de monte, præcepit eis* Jesus *dicens; nemini dixeritis visionem, donec filius hominis a mortuis resurgat.* Luc. 17. 8. Non statim ut Moïses & Helias de conspectu Domini & apostolorum sublati sunt, de monte descenderunt; sed sicut alius evangelista narrat, eadem nocte ibi manserunt, atque insequenti die turbis expectantibus, ad plana venerunt. Sed nescio, fratres, utrum noctem senserunt, qui talem lucem videre meruerunt: quæ etsi ab oculis carnis, ut erat corporea, sublata est; mansit tamen in cordibus, ubi nullum occasum incorporea passa est. Sic denique & Moïses beatus internam lucem intus conspiciens, quadraginta diebus & noctibus, non famem, non sitim, non tenebras sensit, tantumque lux afflata aspectum interioris hominis dilatavit, ut etiam illa videri posset, quæ antequam

quam homo fieret, in principio Deus fecit. D Ipsa illa lux est, quæ in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt, ut
Joh. 3. 19. quid hoc, *quia dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Hanc lucem persecutores Christi videre nequiverunt, & ideo
1. Cor. 2. 8. ad necem illius cæci pervenerunt. *Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Cognoscere autem illam poterant, si ad istius quæ in monte facta est, pervenire potuissent: quod si factum fuisset, Christus nobis quod natus fuerat nihil profuisset. Inde etiam vehementer discipulos E comminatur, ne ante resurrectionem ejus ad cujusquam notitiam hanc visionem perducant. Denique cum passio ejus pii Redemtoris in foribus adesset, audiens Pila-
Joh. 18. 36. tus ab eo *Regnum meum non hinc.* Et illud:
Ibid. 37. *Qui est ex veritate, audit meam vocem,* quibusdam indiciis filium Dei hunc esse existimans, totiens sæpiusque vult eripere atque dimittere. Inde est quod eum flagellari jubet, veste purpurea circumdari, spinis coronari, ut hac ipsa derisionis plena visione Judæorum rabiem satiet, eosque ab ejus interfectione revocet. Qui igitur tam parvis verborum signis de ejus potentia sollicitus factus, tot tantisque argumentis vult illum dimittere, quid faceret, si scire posset, qualis in monte coram tribus discipulis apparuit? Credo quia ipsam Cæsaris potestatem quam pavet, pro nihilo duceret. Interdicat ergo pius Redemtor discipulis, ne eum qualem agnoscunt, cuiquam prodant, ut incognitus despiciatur, comprehendatur, alligetur, flagelletur, conspuatur, colafizetur, spinis coronetur, crucifigatur, moriatur, sepeliatur; sicque ovis perdita quæratur, inveniatur, inventaque humeris pii pastoris imponatur, ut pastore a mortuis resurgente, ad cælum ovis inventa cum pastore feratur, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.



SERMO
VENERABILIS PAULI DIACONI
IN ASSUMTIONE B. MARIÆ VIRGINIS.

Ex ms. eminentissimi cardinalis Casanatæ eruit Mabillonius.

OBSERVATIO PRÆVIA.

PAULUS genere Langobardus, patre Warnefrido, a quo Warnefridi cognomen, matre Teudelinda ortus est, ut ipse testatur in historia Langobardorum, ubi majores suos, nempe Leuphim abavum, Lupicim proavum, avum Arichim commemorat. Hos in Forojuliensi castro Venetiæ provinciæ sedem habuisse idem testatur. Aquileiæ tamen natum fuisse Paulum tradit Herkempertus, idque innuere videtur Hildericus ipsius Pauli discipulus ac monachus demumque abbas Casinensis. Præceptorem habuit in grammatica Flavianum, quem ipse laudat, uti & Felicem ejus patruum lib. 6. hist. Lang. cap. 7.

Ratchiso rege mortuo, Paulus non minus acceptus fuit Desiderio ejus successori, qui eum arcanorum consiliorum suorum participem fecit, si Herkemperto credimus. Desiderii regis notarium fuisse asserit Leo Marsicanus & post eum Petrus Diaconus; neutrum dicit Hildericus, qui Pauli describit conversionem ad vitam monasticam, qua ex aula Ratchisi spretis honoribus ad montem Casinum se receperit. Non tamen parvipendenda Herkemperti hominis subæqualis hoc in loco auctoritas, nec crediderim

Paulum ante subactum captumque a Carolo Desiderium, vitæ religiosæ nomen dedisse. Factus monachus sanctioris, vitæ exemplis toti sacræ concioni ut jubar splendidum præluxit, Carolum magnum habuit familiarem, sed & cum S. Adalhardo abbate Corbeiensi amicitiam contraxit. Varia ejus scripta recenset Mabillonius in Annalibus Benedictinis, ex quibus hanc desloravimus observationem. Idem sequentes duos sermones eruit ex manuscripto codice eminentissimi cardinalis Casanatæ.

A Licet omnium sanctorum, fratres carissimi, veneranda nostris sint studiis merita; præcipue tamen gloriosæ semperque Virginis Dei genitricis MARIÆ toto nobis affectu est veneranda festivitas. Unusquisque enim sanctorum specialibus quibusque locis variorum suffragia contulit. Hæc vero beatissima & singularis gloriæ Virgo & mater universo mundo peccati labe tabido generaliter invexit. Sed ad tantæ promerenda laudis præconia, quando tenue ingenium & arens sufficiat lingua; cum ad hoc non possit sufficere philosophorum etiam profusa loquacitas? Nec mirum si hæc Virgo sanctissima suis in laudibus humanæ vocis modos exsuperat, quando ipsam etiam humani generis excellentibus meritis transcendit naturam. Sed non omnino ab ejus nobis est laude reticendum, quia etsi minus sufficit sensus inopia ad effectum, sufficiens tamen apud Deum est devotæ mentis effectus; nec ambigendum quin valeat hæc de se loquendi sapientiæ præbere igniculum, quæ totius sapientiæ plenitudinem castissimo portavit in utero; valetque cum vult efficaciam verbi tribuere, quæ Verbum per quod facta sunt omnia, virgineis visceribus corporatum gestavit. Sed quid primum, carissimi, quidve potissimum de tantis nobis est virtutibus decerpendum? quandoquidem nihil exile vel mediocre, sed totum summum est quod dicatur. Quæ enim, dilectissimi, huic beatæ Virgini virtus deesse potuit, quando gratiarum omnium carismatibus plena fuit? Sic namque inusitato antea modo summo est salutata ab angelo: *Ave gratia plena, Dominus tecum.* (Luc. 1. 28.) Quid rogo justitiæ, quid sanctitatis Virgo hæc indigere potuit, quæ efficaci adeo misericordia gratiæ plenitudinem accepit? Aut quis potuit in ejus animo vel corpore locus esse vitiorum, quando ad vicem cœli continentis omnia, Domini effecta est templum; Hæc est revera illa domus, de qua, per Salomonem dicitur, salvo scilicet alio quo ecclesia signatur intellectu: *Sapientia ædificavit domum, excidit columnas septem.* (Prov. 9. 1.) Septem namque virginalis hæc domus columnis suffulta est; quia veneranda hæc mater Domini septem Sancti Spiritus donis, id est sapientiæ & intellectus, consilii & fortitudinis, scientiæ & pietatis atque timoris Domini ditata fuit. Quam talem utique æterna Sapientia effecit, quæ digna omnino esset, ex qua ipse carnem assumeret, inæstimabile scilicet pretium salutis humanæ. Quid dignius hac, fratres carissimi, Virgine? quid sanctius in humani generis serie potuit exoriri? cui nullus patriarcharum, nullus prophetarum, nullus antiquorum, nullus sequentium patrum, nullus prorsus poterit hominum comparari. Nam quomodo huic quisquam æstimabitur conferendus, quando præter virginitatis excellentiam, tantæ sublimitatis supereminet fructu? Nec mirum si hæc tam mirabilis Virgo cunctorum celsitudinem transcendat mortalium, cum in hac parte etiam beatorum excellat meritum Angelorum. De hoc fructu Deus Pater ad David loquitur inquiens patriarcham: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* (Psal. 131. 11.) Hanc egregiam virginem gloriosissimus prophetarum Isaïas ante multa annorum curricula præsago spiritu prævidens dixit. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.* (Isa. 11. 1.) Et quam decenter, carissimi, beata hæc Virgo & mater virgæ appellatione signata est, quæ & perfecti operis intentionem ad superna emicuit, & vitiositatis nodis funditus carens, flexibilis per humilitatem effulsit. Inde non immerito florem protulit; quia totius orbis campos sacris floribus decoravit. Flos namque singularis est Dominus noster JESUS CHRISTUS, sicut ipse aiens in canticorum loquitur cantico: *Ego flos campi & lilium convallium.* (Cant. 2. 1.) In lilio siquidem candidus color exstrinsecus, instrinsecus vero flammeus cernitur: quia Redemtor noster habet candorem ex virginitate carnis; habet & ignis splendorem ex potentia deitatis. scriptum namque est: *Dominus Deus noster ignis consumens est.* (Heb. 12. 29.) Quod lilium non in montibus, sed in convallibus nascitur: quia superbos CHRISTUS dominus deserens, in humilium cordibus invenitur. Potest etiam lilii nomine sancta hæc mater Domini, potest quoque Virgo signari: unde & in eodem cantico subinfertur: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* (Cant. 2. 2.) Quod licet & de universali ecclesia possit accipi, convenientius tamen specialiter huic potest Virgini coaptari. Lilium siquidem flores reliquos candoris ni-

nii nitore præcellit, odoris nihilominus jocunditate præpollet: unde satis congrue virgineo assimilatur decori. Iste namque flos, a qua altius ortus est tellure sustollitur, & repandus ad æthera totus aperitur. A foris quoque nimis est candidus, intus vero rutulo flammescit aspectu, habens præterea quasi quemdam prominentem in medio thirsulum. Sic nimirum, sic sacra virginitas toto annisu infima despicit, & ea quæ superna sunt ambit. Candescit exterius munditia virgineæ carnis flammescit interius amore geminæ caritatis; flagrat passus odore bonæ opinionis; extenditur ad sublimia intentione continua cordis. Sed hoc pretiosi germinis lilium, sicut sacra perhibet lectio, inter spinas invenitur; ut noverint venerandæ virgines & hominum se debere tolerare molestias, inter quos degunt, & punctionum tentamina malignorum fortiter superare spirituum, ut per hæc a Domino amicæ inter filias vocari mereantur. Ad hæc colligenda lilia venientem sponsum sponsa viderat, cum dicebat: *Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatis, ut lilia colligat.* (Cant. 6. 1.) In hortum suum Dominus descendit, cum aut generaliter ad ecclesiam, aut specialiter ad unamquamque animam venit. Areola quoque est aromatis illa anima, quæ superno munere irrigatur, & variis quasi aromatibus exstat referta virtutibus. Visitat siquidem Dominus tales in ecclesia mentes quæ virtutum germina pullulant: sed ad hoc præcipue venit, ut animas beatarum virginum ad cœlestem thalamum ducat. Ut enim lectionum frequentium docemur affatu, ad sacrum virginum obitum ipse per se solet humani generis adventare Redemtor: unde si hoc de aliis etiam virginibus creditur, multo magis de hac illius est matre sanctissima æstimandum, quod ipse eam hodierna luce ad cœlos evexerit ejusdem filius & creator. Sed ad hunc tantæ sublimitatis tantæque gloriosæ ascensionis triumphum quæ umquam lingua, quæ valeant verba sufficere, quando ad tam excellentia cogitanda humana æstimatio succumbit? Adtende ergo tibi, virgo, sollicite, ne tanto priveris honore, quæ pudicitiæ decore resplendens, & Christi bonus odor effecta, ceu lilium redoles, ne te male suadentis hostis venena illiciant, ne aliquo modo imminuas quod tanta claritate coruscas. Virgo carne, non animo, virginitatis præmio non potitur. Sed aliud est temptationum fortiter illecebris contraire, aliud eisdem blande irrepentibus enerviter cedere: nec tibi solus sufficit ad capescenda præmia virginitatis pudor, nisi etiam aliis fueris dotata virtutibus. Sed neque tantum poteris custodire thesaurum, nisi tuum possederit continuæ humilitatis

A pectus. Memento semper hujus gloriosæ Virginis matris, quæ tanta sublimitate meruit cum esset humilis exaltari. Non quæras divitias perituras in terris, quæ perennia eris præmia possessura in cœlis. Fuge superfluitatem habendi, fuge lætitiam sæculi, quæ cœlo fruitura es, & gavisura cum angelis suis. Serva cor tuum omni custodia, contine ab otiosis sermonibus linguam; in omnibus te talem virgo venerabilis exhibe, ut quasi lilium de horto ecclesiæ colligaris, & regi digna sis virginum in perpetuum copulari: sed ad B vos nihilominus mihi sermo est, quas ita divinus amor inflammavit, ut viros, soboles, censum & prædia relinquentes, virili animo ad Dei servitium venistis. Nolite semel cœptum iter deserere; nolite manu in aratro crucis semel posita, retro respicere, ne revertamini corde in Ægyptum, ne ceparum & peponum illecebris delectemini, sed potius id esse per humilitatem satagite quod cœpistis: scientes per omnia, quod perseverantes usque in finem secundum virginale meritum præmiorum gloriam accipietis. Tibi quoque, si qua es quæ C te deliquisse meministi, suadeo, ut Mariæ Magdalenæ confessionem recorderis; & tamquam ad vestigia posita Domini præteritas maculas lacrymarum fontibus laves; ut & tu merearis ab ipso Domino audire: *Confide filia, fides tua te salvam fecit.* (Luc. 7. 50.) *In domo Patris*, ut ait Dominus, *mansiones multæ sunt*, (Joh. 14. 2.) & unaquæque anima pro suis illic meritis honoratur: sed tamen tantus ibi erit caritatis perpetuæ ardor; ut unusquisque & quod in se non habet, gaudeat se possidere in altero. Caritatis ergo bonum toto mentis conamine omnes pariter retinete; excludite a vestris sensibus D totius invidiæ & malitiæ pestem; & juxta vocem apostoli, semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite, ut in hac vita, ærumnis & miseriis plena, tranquille & sobrie viventes, in æterna patria etiam quod unicuique vestrum non tribuitur, per caritatis concordiam in altero possideatur. Habetis adjutricem vestri certaminis gloriosissimam hanc, sub cujus protectione confugistis, Virginem & Matrem: quia quæ toto mundo protulit languenti salutem; pro universis apud eumdem suum natum & Dominum pietate soE lita intercedit.

EJUSDEM PAULI DIACONI
Homilia in evangelium: *Intravit* JESUS *in quoddam castellum*, &c.

SAcræ lectionis series, quæ nobis evangelico de fonte manavit, licet compendioso tramite in sui superficie modica, ma-

gnis tamen intrinsecus utilitatum est spatiis dilatata. Ecce enim audivimus eum, quem secundum divinitatis suæ excellentiam non capit mundus, parvo fidelium tugurio mulierum humanitatis in forma susceptum: cui altera, quæ Martha vocitata est, corporale præbebat obsequium: altera vero quæ Maria dicebatur, spirituali adhærebat intuitu. Sed hoc utrarumque tam diversum officium mysticis profecto est intellectibus exsequendum. Duæ siquidem vitæ a bonis fidelibus in hoc mortalitatis tempore geruntur, quarum scilicet altera activa, altera vero contemplativa vocatur: e quibus primam Græci practicen, sequentem vero theoricen appellaverunt. Duæ ergo istæ Domino dilectæ sorores duas has vitas spirituales, quibus in præsenti sæculo sancta exercetur ecclesia demonstrant. Martha quidem actualem, qua proximo in caritate sociamur; Maria vero contemplativam, qua in Dei amore per compunctionem suspiramus. Erat ergo una intenta operi, altera contemplationi: una activæ serviebat per exterius ministerium; altera contemplativæ per suspensionem cordis in verbo. Activa namque vita est quæ in operibus justitiæ ex proximi utilitate versatur; contemplativa autem, quæ vacans ab omni negotio, in sola Dei dilectione defigitur. Harum una in opere bonæ conversationis, altera in contemplatione est incommutabilis veritatis: una quæ ex fide in hac peregrinatione vivit; altera quæ bene viventes usque ad regnum perducit. Activæ enim vitæ magna sunt præmia, sed contemplativæ potiora. Activa ex bonis operibus incipit, contemplativa pervenit ad id quod intendit. Activæ vitæ opera cum corpore finiuntur; contemplativæ autem gaudia in fine amplius crescunt. Illa enim quamvis utilis & bona, tamen cum requies venerit transitura; ista vero boni operis transituri merces est & requies permansura. Contemplativa vita per Rachel ostenditur, quæ erat pulchra, sed sterilis: quia per contemplationis otium minus operum filii generantur. Activam autem vitam monstrabat Lia, lippis oculis, sed fœcunda; quia actio laboriosa quidem est, minusque alta considerans; sed in eo quod se erga proximi utilitatem plus exhibet fœcundior in operibus quasi in filiis crescit. Hæ duæ vitæ apud Ezechielem significantur, cum

Ezech. 1. 8. de sanctis animalibus scribitur: *Et manus hominis sub pennis eorum.* Quid itaque per manus nisi activa, & quid per pennas nisi contemplativa vita signatur. Manus ergo hominis sub pennis eorum est, id est virtus operis, sub volatu contemplationis. Nam etsi per activam boni aliquid agimus, ad cœleste tamen desiderium per contemplativam volamus. Et cum utræque istæ vitæ ex dono sint gratiæ, quamdiu tamen inter proximos vivimus, una nobis in necessitate est, altera in voluntate. Quis enim cognoscens Deum ad ejus regnum ingreditur, nisi prius bene operetur? Sine contemplativa ergo vita intrare possunt ad cœlestem patriam, qui bona quæ possunt operari non negligunt: sine activa autem intrare non possunt, si negligunt operari quod possunt.

2. Hi autem qui ad contemplationis otium venire contendunt, prius se in studio activæ vitæ exercere debent; ut dum opera justitiæ fœces peccatorum exhauriunt, cor mundum exhibeant ad videndum Deum. Nam mens quæ aut temporalem adhuc gloriam quærit, aut carnalis concupiscentiæ tentationibus cedit, a contemplatione procul dubio prohibetur. Unde & populus dum legem acciperet, a monte, id est a sublimi contemplatione, quasi carnalium curiositate removebatur. Et in evangelio curatus a dæmonum legione vult Deum per contemplationem sequi; sed jubetur domum reverti, & in activæ vitæ operatione versari. In ipso autem contemplationis vel actionis usu interdum magna differentia est animorum. Nam quibusdam sola proficit contemplatio; quibusdam vero activa sola est consolatio; his media & de utrisque composita, utilior est magis ad refovendas mentis angustias, quæ solet per unius intentionem nutriri, ut de utriusque partibus melius temperetur. Nam & quod per diem Salvator signis miraculisque in urbibus coruscabat, activam nobis commendabat vitam: quod vero in monte orationis studio pernoctabat, vitam nobis contemplativam significabat. Idcirco Dei servus juxta imitationem Christi, nec actualem vitam amittit, & contemplativam agit. Aliter enim incedens offendit. Sicut enim per contemplationem amandus est Deus, ita per actualem vitam diligendus est proximus; ac per hoc sine [utraque vita] esse non possumus, sicut & sine utraque dilectione esse nequaquam valemus. Activa enim vita est, panem esurienti tribuere, verbo sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem proximum revocare, infirmantis curam gerere, quæque singulis quibusque expediant sollicite dispensare, & his qui sibi commissi sunt, qualiter subsistere valeant providere. Contemplativa vero vita est, caritatem quidem Dei & proximi tota mente retinere; sed ab exteriori actione quiescere, solius desiderio conditoris inhærere; ut nihil jam agere libeat, sed, calcatis curis omnibus, ad videndam faciem creatoris sui animus inardescat: ita ut jam noverit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisque desideriis appetere illis hymnidicis

nidicis angelorum choris interesse, ac misA cere se cœlestibus civibus, ac de æterna in conspectu Dei incorruptione gaudere.

3. Sequitur sermo evangelicus de Maria, dicens: *Quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius; Martha autem satagebat circa frequens ministerium.* (Luc. 10. 39.) Contemplativæ siquidem vitæ uniformis est perfectio, exutam scilicet mentem a cunctis habere terrenis, eamque, quantum humana imbecillitas sinit, unire cum Christo. Activæ vero quam frequens sit ministerium, gentium magister Paulus edocet, qui creberrimis epistolarum dictis suos pro Christo terra marique labores, sua pericula commemorat. B In quibus etiam dictis visiones & revelationes Domini commendans, non minus se in speculativa virtute, quod perpaucis est imitabile, consummatum fuisse significat; unde & dicit: *Sive enim mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis.* (2. Cor. 5. 13.) *Quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet.* (Luc. 10. 40.) Ex illorum persona Martha loquitur, qui adhuc divinæ contemplationis ignari, solum quod didicere fraternæ dilectionis opus Deo placitum ducunt; C ideoque cunctos qui Christo devoti esse cupiunt, actionis esse autumant mancipandos officio. Et bene Martha stetisse, Maria vero secus pedes Domini sedisse describitur; quia vita activa laborioso desudat certamine, contemplativa vero pacatis vitiorum tumultibus, optata jam in Christo fruitur mentis quiete. *Et respondens dixit illi Dominus, Martha, Martha, sollicita es, & turbaris circa plurima; porro unum est necessarium.* (Luc. 10. 40.) Et beatus David solum hoc necessarium homini esse diffiniens, D Deo jugiter inhærere desiderat, dicens: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* (Psal. 72. 28.) Et alibi: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluntatem Domini, & protegar a templo sancto ejus.* (Psal. 21. 6.) Una ergo & sola est theoria, id est Dei contemplatio, cui merito omnia justificationum merita, universaque virtutum studia postponuntur. Sequitur:


4. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* (Luc. 10. 41.) Et ecce pars Marthæ non reprehenditur; sed tamen pars Mariæ E laudatur: Neque enim partem bonam elegisse Mariam dicit, sed optimam, ut etiam pars Marthæ esse indicaretur bona. Quare autem pars Mariæ sit optima, mox subinfertur, cum dicitur: *Quæ non auferetur ab ea.* Debemus ergo & nos, fratres carissimi, has duas vitas, activam scilicet & contemplativam incessanti studio gerere, & modo in ista, modo autem in illa studiose versari. Debemus nos igitur in actione sic exercere, ut ad exemplum beatissimi Apostoli Pauli laboremus manibus nostris; illud etiam terribile ejus dictum: *Qui non laborat, non manducet,* (2. Thess. 3. 10.) semper præ oculis habentes. Manuum etenim labor non solum terræ cultus aut quorumlibet operum, sed omne quod rei familiari potest esse commodum, seu quod quorumcumque imperiis obedimus majorum. Debemus quoque totis viribus ad utilitatem nos proximi impendere, ad ammonendum scilicet & coercendum, ad bona suadendum, ad visitandum, ad consolandum, ad obsequendum, ad sublevandum, ad exhortandum, sive ad quoscumque usus necessitatis exhibendos. Cumque ita nos in activæ vitæ tramite exercuerimus, frequenter etiam, prout se locus dederit, recurrendum nobis est ad orationem, ad confessionem, ad recordationem priorum gestorum, ad suspiria, fontemque lacrymarum, ad actionem gratiarum, ad ipsum etiam Christum Dominum contuendum. Ita fiet, ut & mala quæ gessimus bonis ac præcipuis actibus deleamus: & quia a Deo aversi fueramus, ad eum per contemplationis studium revertamus, dum modo eum in speculo & in ænigmate cernimus, quandoque ejus desideratam faciem sine fine videamus. His de evangelica lectione prælibatis, jam ad gloriosæ matris Domini sacra festa quæ colimus sermonem vertamus.

5. Primumque nobis quærendum est, cur beata hæc mater Domini, quæ præ ceteris sanctior exstitit, Redemtorem ac Dominum filiumque suum inter discipulorum catervas aliasque tunc mulieres secuta non fuerit? Neque enim usquam, nisi fallor, alibi legitur Domini miraculis interfuisse, præterquam in nuptiis in Chana Galileæ celebratis. Et alibi, cum de ea Domino nuntiatur: *Ecce mater tua & fratres tui stant, quærentes loqui tecum.* (Matt. 12. 47.) Et ad postremum, cum jam in cruce posito propius adstitisse perhibetur. Sed in hoc perspicue causa rationis occurrit. Nam ipse ejusdemque filius & Redemptor inter cetera dicitur loca dixisse: *Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* (Matth. 15. 24.) Et alibi: *Venit filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.* (Luc. 19. 10.) Nec non & illud: *Non veni vocare justos, sed peccatores.* (Luc. 5. 32.) Si ergo Dominus propter oves perditas missus est, & salvare quod perierat, & ut peccatores ad pœnitentiam vocaret; quid necesse erat huic sanctissimæ matri & virgini inæstimabilis sanctitatis lumine præditæ, ut inter publicanos & peccatores suo Domino filioque corporaliter adhæreret, a quo procul dubio spiritualiter in tempore numquam creditur defuisse. Ad hanc quoque nihilominus rationem pertinet, quod beatum Baptistam Johannem maximis ac præcipuis laudibus idem Dominus extulit: nec tamen intra eumdem disci-

pulorum numerum aggregavit: quia quem intus cælesti magisterio erudiebat, extrinsecus quasi in sua libertate reliquerat *. . . .

* Hic deest pagina saltem una.

. . . . nitricem, qui mitis & humilis mundo apparens, non mundi cupiditatibus implicitos, non diversis reatibus astrictos, non publicanos & peccatores, non carnalibus illecebris deditas meretrices, non ipsum, etiam cruentis humana cæde manibus despexit latronem. Ad hanc igitur omnis ætas omnisque sexus concurrite; unusquisque vestrum quod sibi deesse considerat, aut etiam adesse desiderat, ab hujus efficacibus meritis plena fide deposcat. Quia quæ omnium castis suis visceribus protulit Redemtorem, universis prompta est opem conferre salutis. Ad hanc accede virgo, quæ corpus pariter & animam caste consecrare disponis. Hujus in quantum prævales imitare propositum, ab hac ut muniri possis, deposce præsidium, quæ virginitatis splendidæ gloriam prima arripuit, prima servavit. Ad hanc destitutæ viris accedite viduæ; ab hac vestrarum angustiarum relevationem sperate, quæ virum omnino nesciens, quantum viri solatiis destituta, tantum supernis auxiliis juxta est. Ad hanc nihilominus accedite matres; ab hac utique quæ maternis est affectibus conscia, vestrarum ærumnarum medelam deposcite, quæ quod ante ipsam numquam auditum est, virgo simul & mater est. Ad hanc omnes qui innocuam vitam ducitis; ad hanc universi quos conscientiæ reatus deprimit convenite. Hujus splendidissimæ matris & virginis efficacibus meritis, universorum quæ poscitis effectum præsumite. Quia quæ ipsum misericordiæ fontem JESUM CHRISTUM Deum ac dominum peperit, ab ipso cuncta percipiens, per ipsum omnibus desiderata concedit.



QUÆSTIONES IN DANIELEM PROPHETAM, A PETRO ARCHIDIACONO ENODATÆ.

Ex ms. codice Stabulensis monasterii ante annos 800. exarato.

OBSERVATIO PRÆVIA.

INter varias Caroli-Magni curas, spectanda est in primis summa ejus in restaurandis sacrarum litterarum studiis diligentia. Ratus enim tunc præsertim imperia florescere, cum viri in eis virtute ac doctrina præstantes claruerint, nihil prætermisit omnino, quominus eruditos undequaque viros accerseret, quorum ope liberales in suis regnis artes, disciplinas, scientiasque omnes resuscitaret. Nervos vero omnes contendit, ut pene emortuum sacrarum scripturarum studium apud suos excitaret. Id quidem ipse testatur in præfatione ad Homiliarium Pauli diaconi Casinensis monachi ejus jussu elaboratum. Quia, *inquit*, curæ nobis est, ut ecclesiarum nostrarum ad meliora semper proficiat status, obliteratam pene majorum nostrorum desidia reparare vigilanti studio litterarum satagimus officinam, & ad pernoscenda sacrorum librorum studia, nostro etiam quos possumus invitamus exemplo. Inter quæ jam pridem universos veteris ac novi testamenti libros, librariorum incuria depravatos, Deo nos in omnibus adjuvante,

examussim correximus. *Quapropter haudquaquam mirum videri debet, si sequentes in Danielem Quæstiones, quas hic ex pervetusto codice Stabulensis monasterii proferimus, ex authentico Petri archidiaconi transcribi curaverit religiosissimus princeps. Quis autem extiterit Petrus ille archidiaconus, necdum divinare potuimus, nisi forte sit ille Petrus diaconus, quo interlocutore S. Gregorius suos Dialogorum libros composuit. Eruditorum hac de re judicium expectamus.*

INCIPIT LIBER DE DIVERSIS QUÆSTIUNCULIS CUM RESPONSIONIBUS SUIS.

QUEM JUSSIT DOMNUS REX CAROLUS TRANSCRIBERE EX AUTENTICO PETRI ARCHIDIACONI.

1. QUæ sunt illa regna, quæ in visione sua vidit Nabochodonosor Rex?

Dan. 2. 31. In capite statuæ regnum Babyllonium designatur, & post illud Medorum atque Persarum, quod argenti habet similitudinem, & regnum tertium Alexandrum significat regnum Macedonum successorumque Alexandri, quod æris habet similitudinem. Regnum quartum perspicue pertinet ad Romanos, ferreum est, quod comminuit & domat omnia. Sed pedes ejus & digiti ex parte ferrei, ex parte sunt fictiles, quod hoc tempore manifestissime comprobatur. Sicut enim in principio nihil Romano imperio fortius & durius fuit, ita in fine rerum nihil imbecillius.

2. Quæritur si Danihel & Ananias & Misahel & Azarias fuerunt eunuchi, an non?

Eunuchi videntur, juxta illud quod legimus: *Ait rex Asphanez præposito eunuchorum suorum, ut introduceret de filiis Israel & de semine regio & tyrannorum pueros, in quibus nulla esset macula*, & juxta id quod Esaias dixerat Ezechiæ: *Et de semine tollent & facient eunuchos in domo regis*. Sed cum occurrit illud: *in quibus nulla esset macula*, non eos fuisse eunuchos invenimus. Dan. 1. 3. Isa. 39. 7.

3. Si sapientiam & doctrinam Babylloniorum peccatum est discere; cur Danihel didicit quod non licebat?

Dan. 1. 8. Si Danihel sciret sapientiam Chaldæorum esse peccatum, numquam adquiesceret discere quod non licebat, sicut nolebat comedere de mensa regis, neque bibere de vino ejus ne pollueretur. Nam & Moïses omnem sapientiam Ægyptiorum didicerat.

4. Quæritur si Danihel cum tribus pueris eam sapientiam didicit quam Græcorum eruditio pollicetur, an non?

Non, sed doctrinam gentis barbaræ, qua usque hodie Chaldæi philosophantur.

Dan. 2. 1. 5. Quid est quod legitur *in anno secundo regni Nabochodonosor, vidit Nabochodonosor somnium*. Si post tres annos pueri ingressi sunt in conspectu ejus, ut ipse præceperat; quomodo secundo anno regni sui somnium vidisse narratur.

Secundum hic annum dicit regni ejus omnium gentium barbararum, non Judæorum tantum & Chaldæorum; sed Assyriorum & Ægyptiorum & Moabitarum & reliquarum nationum, quas Domino concedente superaverat. Unde & Josphus ait: « post annum secundum Ægyptiæ vastitatis; « Rex Nabochodonosor vidit mirabile somnium. «

6. Quid est quod Nabochodonosor tanti mysterii meruerit cernere somnium? Numquid credere possumus hominis pessimi hoc meritum obtinuisse?

Non merito vidit; sed ut interpretante sancto quod viderat, Deus glorificaretur. Sic nec Pharao videre meruit, sed ut Joseph cunctis esset præpositus.

7. (a) Arioli id est incantatores, incantatores sunt qui rem verbis peragunt; magi, qui de singulis philosophantur; malefici, qui sanguine utuntur. [a] Dan. 2. 2.

8. Quid est quod dixit Nabochodonosor; *vidi somnium & mente confusus ignoro quid viderim*, dum postea referente Danihele ea se vidisse testatus est, quæ dixerat Danihel? Dan. 2. 3.

Umbra quædam, &, ut ita dicam, aura somnii atque vestigium remansit in corde regis, ut referentibus aliis posset reminisci eorum quæ viderat, ut nequaquam eum deciperent mentientes. Huc usque quæ lecta sunt sermone narrantur hebræo; ab hoc loco usque ad visionem anni tertii regis Baltasar, quam Danihel vidit in Susis hebraicis quidem litteris, sed lingua scribuntur Chaldaica, quam hic Syriacam vocat.

9. Quid est quod legimus: Et præco clamabat valenter: *Vobis dicitur populis, tribubus & linguis, in hora qua audieritis sonitum tubæ, & fistolæ, & cithara; sambucæ & psalterii & simphoniæ, & universi generis musicorum, cadentes adorate statuam auream, quam erexit Nabochodonosor rex. Si quis autem non ceciderit & adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentem*. Numquid potuerunt omnes populi universarum nationum in campo Duram congregari loco modico? Dan. 3. 4.

(a) Hic deest una interrogatio, forte: *Quid differunt arioli, magi & malefici?*

quem locum Theodosio pro Dura Deira, Simmachus Doraum, LXX. Periboaon transtulerunt, & interpretatur vivarium vel conclusus locus.

Non quod omnes populi in campo Duram potuerint congregari, & adorate auream statuam; sed quod in principibus cunctarum gentium omnes gentes & populi adorasse credantur.

Dan. 3. 1. 10. Quid per statuam auream intelligendum est, quam fecit Nabochodonosor Rex?

Per regem illum & per statuam intellegimus omnes hæreticos, qui fulgore eloquentiæ sæcularis falsum dogma componunt.

Dan 3. 46. 11. Quid est Naptha?

Ossa olivarum quæ projiciuntur, Amurca arefacta, & Naptha græce dicitur *Pyrni* ab eo quod ignem nutriat.

12. Quas provincias tenuit Nabuchodonosor Rex?

Orientis, Asiam, Eurupam & Libiam.

Dan. 4. 30. 13. Quomodo homini sine mente per septem annos imperium reservatum sit, regnumque potentissimum absque rege tanto tempore fuerit? aut si alius illi successit in regno, cujus vecordiæ æstimandum sit ut cederet imperio, quod tanto tempore possidebat; præsertim cum historiæ Chaldæorum nihil tale contineant, nec potuisse fieri ut qui de minoribus scripserunt, majora reticuissent.

Quidam, dum hoc in historiis non inveniunt, per Nabochodonosor diabolum intelligere volunt, quod non est recipiendum: quis enim nesciat amentes homines instar brutorum animantium in agris vivere locisque silvestribus? Quid mirum si ad ostendendam Dei potentiam & humiliandam regum superbiam hoc Dei judicium sit paratum? Nam & multo incredibiliora & Græcæ & Romanæ historiæ accidisse hominibus prodiderunt. Scyllam quoque, & chimeram, hydram, adque centauros aves & feras facta ex homine narrant fabulæ.

Dan. 4. 6. 14. Quare Danihel quem Dei cultorem legimus, scribitur princeps ariolorum omnium, sicut scriptum est *Baldasar*, inquit, *princeps ariolorum, quem ego scio quod spiritum deorum sanctorum habeas in te.*

Non mirum, si princeps ariolorum omnium constitutus sit, qui ad præceptum regis sapientiam didicerat Chaldæorum, & decuplum omnibus sapientior fuerat inventus.

Dan. 4. 24. 15. Si prædixit Danihel sententiam Dei quæ non potest immutari, quomodo hortatur ad eleemosynas & misericordiam pauperum, ut Dei sententia commutetur?

Isa. 38. 1. Jon. 3. 4. Facile solvitur Ezechiæ regis exemplo, quem Esaias dixerat esse moriturum & Nenivitarum; adhuc tres dies & Nenive subvertetur; & tamen ad preces Ezechiæ & Nenivitarum Dei sententia commutata est, non vanitate judicii, sed eorum conversione.

16 Quis ille Baldasar de quo scriptum est: *Baldasar rex fecit grande convivium optimatibus suis mille.* Dan. 5. 1.

Sciendum est non hunc filium Nabochodonosor, ut multi legentes arbitrantur, sed juxta (a) Abherosum, qui Caldæam scripsit historiam & Josephum qui Berosum sequitur, post Nabochodonosor qui regnavit annis XLIII. successit in regno ejus Evilmerodach, qui in primo anno regni sui levavit caput Joachim regis Juda de carcere. Post mortem vero Evilmerodach in regno patris successit filius ejus Neglisar, post quem rursum filius ejus Laborsordoc, quo mortuo Baldasar filius ejus regnum tenuit, qui a Dario rege Medorum interfectus est, qui Darius Cyri regis Persarum avunculus fuit.

17. Cur ergo patrem Baldasaris Nabochodonosor vocat. Dan. 5. 2.

Non faciat errorem scientibus sanctæ scripturæ consuetudinem, qua patres omnes proavi & majores vocantur.

18. Quæritur cur legatur, purpura vestietur & torquem auream habebit in collo? cur torquem feminino genere translator protulerit?

Exemplo doctus fecit. Nam Cicero in Mario torquem genere feminino posuit, sed Titus Libius masculino dixit.

19. Quæ fuit illa regina quæ ingressa est ad Baldasar, audito quod viderat? Dan. 5. 10.

Hanc Josephus aviam Baldasaris scribit, (b) Origenes matrem.

20. Cur articuli scribentis manus contra candelabrum apparuisse scribuntur. Dan. 5. 5.

Ut longius non apparerent.

21. Interfecto Baldasar, obsessaque Babilone a Medis & Persis, Dario videlicet & Cyro, cur Darius solus successit in regnum, & non cum eo Cyrus, qui pariter cum eo regnum cœpit Babylonium? Dan. 5. 30.

Ordo ætatis & propinquitatis & regni est. Darius enim sexaginta duorum annorum erat, & majus regnum Medorum quam Persarum legimus, & avunculus qui prior erat jure naturali, successor regni debuit numerari. Sciendum est quæ fuerit illa scriptura quam scripserunt articuli, *Mane, Thecel, phares. Mane numeravit Deus regnum tuum & complevit illud. Thecel, appensum est in statera & inventum est minus habens. Phares, divisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis.* Dan. 5. 25.

22. Quid est quod legitur: *porro rex cogitabat constituere Danihelem super omne regnum, unde principes & sadrappæ quærebant occasio-*nem Dan. 9. 5.

(a) Orosium supra scribitur in ms. antiqua manu, & forte eadem.

(b) Hanc quidem Baltasaris aviam fuisse scribit Josephus lib. 10. Antiquitatum Judaïcarum cap. 10. At vero Origenis opus nullum in Danielem habemus.

nem, ut invenirent Daniheli ex latere regis. A Quid est, ut invenirent Daniheli ex latere regis.

Latus regis regina est, vel concubinæ ejus, ceteræque uxores quæ a latere dormiunt, quærebant ergo occasionem in rebus hujuscemodi; si in sermone, tactu, nutu, possent accusare Danihelem, sed nullam causam & suspicionem reperire potuerunt, quia eunuchus erat.

23. Quid est quod legimus, tribus temporibus in die flectebat genua sua Danihel? Quæ sunt tempora quæ hic ostendit? *Dan. 6. 10.*

Tria autem tempora quibus Deo flectenda sunt genua, tertiam horam & sextam & nonam ecclesiastica traditio intelligit. Denique tertia hora descendit super apostolos Spiritus-sanctus, sexta volens Petrus comedere ascendit cœnaculum, nona Petrus & Johannes pergebant ad templum.

24. Quid est quod legimus: *Fuit Danihel usque ad annum primum Cyri regis*, cum alibi scriptum sit, *anno tertio Cyri regis Persarum verbum revelatum est Daniheli cognomento Baldasar.* *Dan. 1. 21.* *Dan. 10. 1.*

Hoc significatur quod usque ad primum annum Cyri regis qui Chaldæorum destruxit imperium, Danihel potens fuerit in Chaldæa, postea vero a Dario in Medos translatus sit.

25. Quid est quod dicit Danihel: *videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno, & quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se?* *Dan. 7. 2.*

Quatuor venti cœli quatuor sunt angelicæ potestates, quibus principalia regna commissa sunt. mare autem mundum istum sæculumque significat, salsis amarisque fluctibus redundantem; quatuor bestiæ magnæ quatuor regna, inquit angelus, ascendent de terra.

26. Et quid est quod legimus: *prima quasi leæna & alas habebat aquilæ. aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor ejus datum est ei?* *Dan. 7. 4.*

Regnum Babylonium propter sævitiam & crudelitatem, sive propter luxuriam & vitam libidini servientem, non leo sed leæna appellatur.

27. Et quare non leonis specie sed leænæ regnum visum sit potentissimum?

Quia dicunt hi qui bestiarum scripsere naturam, leænas esse ferociores, maxime si catulos nutriant, & semper gestire ad coïtum.

28. Et quid est quod alas aquilæ habere scribitur?

Superbiam significat regni potentissimi, cujus princeps loquitur per Esaiam: *Super sidera cœli ponam thronum meum, ero similis Altissimo.* *Isai. 14. 13.*

29. Et quare alas aquilæ & non alterius avis habere dicatur?

Quia aquila multo vivit tempore, & regnum Assyriorum multis fuit ætatibus dominatum.

30. Quid intelligendum est per id quod dicitur: *evulsæ sunt alæ ejus?*

Cetera regna significat quibus prius imperabat, & volitabat in mundo.

31. Quid est quod dicitur: *Et super pedes quasi homo stetit, & cor ejus datum est ei?* *Dan. 7. 4.*

Nabochodonosor potest intelligi, qui postquam perdidit regnum, & gloria ejus ablata est, rursum in pristino gradu restitutus sit, & non leænam sed hominem se esse didicerit, & cor receperit quod amiserat. Potest & aliter intelligi de regno Chaldæorum, quod interfecto Baldasar, Medis Persisque in imperio succedentibus, Babylonii homines humilis fragilisque naturæ se esse intellexerint. *Dan. 4. 31.* B

32. Quid est quod legitur: *Et ecce bestia alia similis urso in parte stetit, & tres ordines erant in ore ejus, & in dentibus ejus, & sic dicebant ei: surge comede carnes plurimas.* *Dan. 7. 5.*

Bestia secunda urso similis, ipsa est de qua in visione statuæ legimus, pectus ejus & brachia de argento, ob duritiam & ferocitatem urso comparatur: in parte vero una stetit, quia sic dicunt Hebræi, nihil eos adversum Israel crudele gessisse, unde & in Zacharia equi albi appellantur. C *Zach. 6. 3.*

33. Quid per tres ordines qui erant in ore ejus & in dentibus?

Quidam sic interpretatus est, ut regnum Persarum in tres principes diceret fuisse divisum, sicut legimus de tribus principibus, qui CXX. sadrapis præerant: sed tres ordines in ore regis Persarum & in dentibus ejus, tria regna debemus accipere. Babyloniorum, Medorum, atque Persarum, quæ in unum redacta sunt. D

35. Unde dictum est ei surge comede carnes plurimas?

Illud tempus significat, quando sub Assuero quem LXX. Artaxerxen vocant, ad suggestionem Aman una die omnes Judæi jussi sunt trucidari.

36. Quid est quod legitur: *Post hoc aspiciebam, & ecce alia quasi pardus, & alas habebat quatuor super se & quatuor capita erant in bestia, & potestas data est ei.* *Dan. 7. 6.* E

Tertium regnum Macedonum, de quo & in statua legimus *venter & femora ejus ex ære*, pardo, bestiæ velocissimæ, comparatur, quæ præceps fertur ad sanguinem & saltu in mortem ruit. Per quatuor alas victoria signatur Alexandri, qua nihil velocius fuit: qui ab Illyrico & Adriatico mari usque ad Indicum oceanum & Gangem fluvium, non tam præliis quam victoriis percucurrit, & sex annis Europæ partem & omnem sibi Asiam subjugavit. *Dan. 2. 32.*

37. Quid per quatuor capita?

Eosdem dicit duces ejus, qui postea successores regni exstiterunt, Ptolomeum, Seleucum, Philippum, Antigonum.

38. Quid *Et potestas quæ data est ei*?

Ostenditur non Alexandri fortitudinis, sed Domini voluntatis fuisse.

Dan. 7.7. 39. Quid est quod dicit: *Post hæc aspiciebam in visione noctis, & ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos; comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans*?

Quarta imperium Romanorum est, de
Ibid. 2.35. quo in statua dicitur, *tibiæ ejus ferreæ*.

40. Quid est quod superius tria regna bestiis comparavit, id est leænæ, urso, & pardo; Romanorum regnum nulli bestiæ comparavit?

Quia ut formidolosam faceret bestiam, vocabulum tacuit, ut quicquid formidolosius cogitaveramus in bestiis, hoc Romanos intelligamus; sed Hebræi quod tacitum hic est, in psalmo dictum putant: *Va-*
Psal. 79. 41. *stavit eam aper de silva & singularis ferus depastus est eam.*

41. Quid est quod dicitur comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans?

Significat omnes nationes, vel interfectas ab eis, vel tributo & servitute subjugatas.

Dan. 7.7. 42. Quid est quod dicit: *Et habebat cornua decem*?

Quia alii ponunt quatuor successores Alexandri, & deinde usque ad Antiochum cognomento Epiphanem, decem reges enumerant, qui fuerant sævissimi. Sed melius credendum est, quod omnes magistri ecclesiastici tradiderunt. In consummatione mundi quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros reges qui orbem Romanorum inter se dividant, & undecimum surrecturum esse parvulum regem, qui tres reges de decem regibus superaturus sit, id est Ægyptiorum regem, & Africæ & Æthiopiæ; quibus interfectis, etiam septem alii reges victori colla sub-
Dan. 7.8. mittent. Illud autem dicit: *Oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto*, ne eum putemus, juxta quorumdam opinionem, vel diabolum esse vel dæmonem; sed unum de hominibus, in quo totus satanas habitaturus est, & *os loquens ingentia*: ita ut in templo Dei sedere audeat, faciens se quasi Deum.

Ibid. 9. 43. Quid est quod dicit: *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit.*

Throni quos vidit Danihel, hii mihi videntur esse quos Johannes XXIV. thronos nuncupat. Vetustus autem dierum ille est, qui apud Johannem solus in throno sedet: filius quoque hominis qui venit ad vetustum dierum; ipse est qui apud Johannem
Apoc. 5. 5. *leo* dicitur *de tribu Juda radix David.*

Dan. 7.10. 44. Quid est *judicium sedit & libri aperti sunt*?

A Conscientiæ & opera singulorum in utraque parte vel bona vel mala omnia revelantur. bonus liber ille est, quem sæpe legimus, liber viventium: malus liber, qualis est qui in accusatoris tenetur manu, qui est inimicus & vindex de quo & in Apocalypsi
legimus. *Accusator fratrum nostrorum* liber Apoc. 12.10.
iste terrenus est.

45. Quid est: *Et vidi quoniam interfecta esset* Dan. 7.11.
bestia, & perisset corpus ejus, & traditum esset ad comburendum igni, aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas, & tempora vitæ constituta essent eis usque ad tempus & tempora?

B In uno Romano imperio propter antichristum blasphemantem, omnia simul regna deleta sunt, & nequaquam terrenum imperium erit, sed sanctorum conversatio & adventus filii Dei triumphantis.

46. Quid est quod dicit: *Et tradentur in ma-* Dan. 7.25.
nus ejus usque ad tempus & tempora & dimidium temporis?

In his temporibus sancti potestati antichristi permittendi sunt, ut condemnentur Judæi, qui non credentes veritati susceperunt mendacium. De his temporibus Dominus in evangelio loquitur: *Nisi abbre-* Matt. 24. 22.
C *viati essent dies illi, nequaquam salva esset ulla caro.*

Ego Danihel multum cogitationibus meis Dan. 7.28.
conturbabar & facies mea immutata est in me, verbum autem in corde meo conservavi.

Hactenus liber Danihelis Chaldaico sermone conscriptus est: cetera quæ secuntur usque ad finem voluminis, hebraice legimus.

47. Susis autem metropolis est regionis Ela- Dan. 8.2.
mitarum. Si castrum, quomodo metropolis?

D Non quod castrum sit urbs metropolis, sed quod tanta firmitate ædificata sit, ut castrum esse videatur.

48. Quid est quod legitur: *Vidi autem in vi-* Ibid.
sione esse me super portam ulai, quid est *ulai*?

Sciendum est autem ulai esse nomen loci sive portæ, ut in Troia scæa porta, & apud Romanos carmentalis dicitur, habentes singulæ ex propriis causis origines nominum.

49. Quid est quod dicit: *Et ecce aries unus* Ibid. 3.
stabat ante paludem, sive ante portam, *habens cornua excelsa & unum excelsius altero*
E *atque succrescens*?

Arietem Darium vocat, avunculum Cyri, qui post Astyagen avum maternum, cum avunculo Dario quem Græci Cyaxaren vocant, Medis imperavit & Persis.

50. Quid est quod dicit: *Postea vidi arietem* Ibid. 4.
cornibus ventilantem contra orientem & contra aquilonem & contra meridiem?

Non ipsum arietem Cyrum videlicet vel Darium, sed ejusdem regni arietem; id est Darium alterum, qui ultimus potentiæ Persicæ rex fuit, & quem superavit Alexander Philippi filius rex Macedonum.

Quod autem Darius iste rex potentissimus & ditissimus fuerit, tam Græcæ quam Latinæ narrant historiæ.

Ibid. 5. 51. *Ecce autem hircus caprarum veniebat ab occidente super faciem totius terræ, & non tangebat terram. Porro hircus habebat cornu insigne inter oculos suos, & venit usque ad arietem illum cornutum, quem videram stantem ante portam; & cucurrit ad eum impetu fortitudinis suæ. Cumque appropinquasset prope arietem, comminuit duo cornua ejus, & non poterat aries resistere ei. Cumque eum misisset in terram conculcavit eum, & nemo quibat liberare eum de manu ejus. Hircus autem caprarum magnus factus est nimis, cumque crevisset, factum est cornu magnum, & orta sunt cornua quatuor subter illud per quatuor ventos cœli. De uno autem ex eis ortum est cornu unum modicum & factum est grande.*

Hircus caprarum qui veniebat ab occidente, & propter nimiam velocitatem terram tangere non videbatur, Alexander est rex Græcorum, qui subversis Thebis in Persis, arma corripuit, Darii duces superavit, & ad extremum ipsum percussit arietem, & duo ejus confregit cornua, Medos atque Persas, misitque eum sub pedibus suis, & utrumque cornu suo subjugavit imperio. Cornu autem grande, ipse est rex primus Alexander; quo tricesimo secundo anno ætatis suæ mortuo in Babylone, surrexerunt pro eo quatuor duces ejus, qui sibi imperium diviserunt. Ægyptum Ptolomeus Lagi filius tenuit; Macedoniam Philippus qui & Arideus frater Alexandri; Syriam & Babylonem & omnia regna orientis Seleucus Nicanor; Asiæ regnavit Antigonus.

Ibid. 11. 52. Quid est quod dicit: *Et usque ad principem fortitudinis magnificatus est?*

Hoc dictum est de Epiphane filio Seleuci, qui & Philopater appellatus est, quia erectus sit contra Deum, & sanctos illius persecutus, & tulerit juge sacrificium, & peccatum desolationis quæ facta est, & sanctuarium & fortitudo conculcabitur. Unus angelus interrogat alterum angelum, usque ad quod tempus Dei judicio sub Antiocho rege Syriæ templum futurum sit desolatum, & simulacrum Jovis statuturum in templo Dei. Posuit enim Antiochus statuam Jovis in templo Dei.

Ibid. 14. 53. *Et dixit usque ad vesperam & mane, dies duo millia trecenti, & mundabitur sanctuarium.*

Centesimo quadragesimo tertio anno a Seleuco, qui primus regnavit in Syria post Alexandrum, ingressum legimus Antiochum Hierosolymam & universa vastasse, reversumque anno tertio, in templo posuisse statuam Jovis. ab hoc tempore usque ad Judam Machabæum, per annos vastitatis Hierusalem & contaminationis templi, sex duo millia, trecentos dies & tres menses esse completos, post quos templum purgatum est.

54. Quid est quod dicit: *Et ecce stetit in conspectu meo quasi species viri?* Ibid. 15.

Non enim viri sunt angeli, sed in specie virorum videntur, sicut Abraham ad quercum Mambre tres visi sunt viri, qui utique viri non erant, e quibus unus adoratur ut Dominus, unde & Salvator loquitur in evangelio: *Abraham vidit diem meum, & lætatus est.* Joh. 8. 56.

55. Quid est quod dicit: *Et audivi vocem viri inter Ulai, & clamavit, & ait: Gabrihel fac intelligere istam visionem?* quis ille est qui Gabrieli præcepit, ut Danielem faciat intelligere visionem? Dan. 8. 16.

Judæi Michaëlem autumant.

56. Et cur vocatur Gabrihel, ut intelligere faciat, & non alius vocatur angelus?

Quia cum visio de præliis erat, regumque certaminibus, immo regnorum successionibus, dignum erat, ut Gabrihel, qui præpositus est præliis, huic officio mancipàretur.

57. Quare tempore quo erat Dominus nasciturus, ad Zachariam & ad Mariam Gabrihel missus est, & non alius angelus?

Quia, ut dictum est, præliis est præpositus, indicturus bellum dæmonibus, & triumphaturus de mundo venit.

58. Illud quod ait Danihel: *Et ego Danihel langui & ægrotavi per dies.* Dan. 8. 27.

Hoc est illud quod in Genesi de Abraham legimus, quod postquam Deum audiverit loquentem sibi, terram & cinerem esse se dixerit. Gen. 18. 27.

59. Quid est quod dicit: *Et stupebam ad visionem, & non erat qui interpretaretur.* Si non erat qui interpretaretur, quomodo supra interpretatus est angelus? Dan. 8. 27.

Sed quod dicit, hoc est reges audierat, & eorum nomina nesciebat; futura cognoverat, & quo tempore futura essent dubius fluctuabat.

60. *In anno primo Darii filii Assueri de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldæorum.* Dan. 9. 1.

Hic est Darius, qui cum Cyro Chaldæos Babyloniosque superavit. Ne putemus illum Darium, cujus secundo anno templum ædificatum est: quod Porphyrius suspicatus, ut annos Danihelis extendat; vel eum qui ab Alexandro Macedonum rege superatus est. Addit ergo nomen patris, additque victoriam qua primus de semine Medorum subverterit regnum Chaldæorum, ut auferat propter similitudinem nominis lectionis errorem.

61. Quid est quod cxx. annos Dominus in Genesi hominibus posuit?

Quia qui tanto tempore, hoc est centum annis nolunt agere pœnitentiam, nequaquam expectat ut xx. alii compleantur

Sed infert ante quod postea fuerat comminatus.

Dan. 9. 11. 62. Quid est quod dicit Danihel, *Maledictio & detestatio venit super nos, quæ scripta est in libro Moïsi servi Dei?* in quo libro Moïsi?

Deut. 27. 14. In Deuteronomio maledictiones & benedictiones Dei legimus, quæ postea dictavit in monte Garizim & Hebal super justos & peccatores.

Psal. 77. 65. 63. Quid est quod in psalmo legimus: *Surrexit tamquam dormiens Dominus, tamquam potens & crapulatus a vino?*

Malitia nostra inebriat Deum, quæ, quando in nobis corripitur, evigilare dicitur, & de sua ebrietate consurgere, ut nos peccato ebrios evigilare faciat justitiæ. Quando propter peccata corripimur, vigilat super nos Deus, & visitat nos. Quando vero a Deo deserimur, & non judicamur, indigni sumus correptione Domini, tunc dicitur dormire.

Dan. 9. 23. & seq. 64. Quid est quod dicit angelus Daniheli: *Tu ergo animadverte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, sciesque & intelliges ab exitu sermonis, ut respondeatur & ædificetur Hierusalem usque ad Christum ducem; hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ?*

Hæc & non frustra & absque inspiratione Dei angelum respondisse manifestum est: quæ observatio cautam atque sollicitam videtur expetere rationem, ut lector diligenter attendat, & causas divisionis inquirat, in eo quod angelus ait: *Ab exitu sermonis ut respondeatur & ædificetur Hierusalem usque ad Christum ducem.* Ibid. 25.

Non alios arbitramur quam principes, qui post hanc prophetiam & reversionem de Babylone, Judaico populo præfuerunt. Hoc est pontifices, quos christos, ab eo quod unctos scriptura cognominat, quorum princeps fuit Jesus filius Josedec sacerdos magnus, & qui fuerunt usque ad adventum Domini Salvatoris, hosque significat vaticinium prophetæ dicens: *Ab exitu sermonis ut respondeatur & ædificetur Hierusalem usque ad Christum ducem, hebdomades* VII. *& hebdomades* LX. *& duæ*; id est ut VII. hebdomades & postea LXII. quæ faciunt annos CCCCLXXXIII. a Cyro numerentur: ac ne videamur procacem tantum ferre sententiam, & non probare quod dicimus, numeremus eos qui post Jesum filium Josedec usque ad adventum Salvatoris populo præfuerint Christi, id est uncti in pontificatu. Primus igitur, ut ante jam diximus, post Danihelis prophetiam quæ facta est sub Cyro rege, postquam de Babylone reversus est populus, Jesus filius Josedec fuit sacerdos magnus & Zorobabel filius Salathiel, qui templi fundamenta jecerunt, impeditoque opere a Samaritis & aliis in circuitu nationibus, septem hebdomadarum anni completi sunt, id est quadraginta novem quibus imperfectum opus templi fuit, & quas prophetia a reliquis sexaginta duobus hebdomadibus separat, denique & Judæi in evangelio ex hac opinatione loquuntur ad Dominum: *XL. & sex annis ædificatum est templum, & tu tribus diebus suscitabis illud.* Joh. 2. 20. Tot enim sunt anni a primo anno Cyri regis, qui libertatem dedit volentibus Judæis reverti in patriam, usque ad sextum annum Darii regis, sub quo templi opus omne completum est. Porro Josephus & alios tres annos addidit, in quibus peribulos templi & quædam alia quæ remanserant, perfecta sunt, qui additi XLVI. annis faciunt annos XLVIIII. id est septem annorum hebdomadas: reliquas autem LX duas hebdomadas ab ejusdem Darii septimo anno enumerant; quo tempore Jesus filius Josedec & Zorobabel jam majoris ætatis populo præerant, sub quibus prophetaverunt Aggæus & Zacharias. postquos Esdras & Nehemias de Babylone venientes, muros urbis extruxerunt, tenente pontificatum Joachim filio Jesu cognomento Josedec; post quem successit in sacerdotio Eliasub, ac deinde Joiade, & postea Johannes, post quem Jadus; cujus ætate Alexander rex Macedonum condidit Alexandriam, ut Josephus loquitur, venitque Hierosolimam, & in templo victimas immolavit. Mortuo autem Alexandro, centesima tertia decima Olympiade, anno ducentesimo trigesimo sexto regni Persarum, quod cœperat primo anno Olympiadis; quo tempore Cyrus rex Persarum, Babylonios Chaldæosque superavit, & post mortem Jadus sacerdotis, qui sub Alexandro templo præfuit, suscepit pontificatum Onias, quo tempore Seleucus, subjugata Babylone, diadema totius Asiæ capiti suo imposuit.

Anno duodecimo mortis Alexandri, in quod tempus supputantur omnes anni a Cyri imperio, CC. quadraginta octo, ex qua ætate scriptura Machabæorum regnum Græcorum enumerat. Post Oniam præfuit Judæis pontifex Eleazarus, quo tempore LXX. interpretes scripturas sanctas Alexandriæ in Græcum dicunt vertisse sermonem. Post quem alter Onias, cui successit Simon; quo regente populum, Jesus filius Sirach scripsit librum qui græce Panareth appellatur. Cui successit in pontificatum alius Onias; quo tempore Antiochus Judæos diis gentium immolare cogebat. Quo mortuo, Judas Machabæus purgavit templum, & idolorum simulachra contrivit. Cui successit frater Jonathas, & post eum rexit populum Symon frater utriusque. In cujus morte CCLXXVII. regni Syriæ impletus & annus, & usque ad hoc tempus, Machabæorum primus liber historiam continet, supputanturque

turque a primo anno Cyri regis Persarum usque ad finem primi Machabæorum voluminis, & mortem Simonis pontificis anni CCCCXXV. Post quem Johannes tenuit pontificatum annis XXVIIII. Quo mortuo, Aristobolus uno anno præfuit populo: qui primus reversus de Babylone, diadema insigne regiæ potestatis cum honore pontificatus adsumpsit. Hujus successor fuit Alexander rex pariter & pontifex, qui rexit populum annis XXVII. & hactenus a primo anno regis Cyri & captivorum reditu, qui in Judæam venire voluerunt, subputantur anni CCCCLXXXIII. quos VII. & LX. duæ hebdomades id est LXVIIII. simul efficiunt, & hoc omni tempore pontifices rexerunt populum Judæorum; quos ego nunc arbitror vocari christos duces. Mortuo autem novissimo eorum Alexandro, huc atque illuc in varias partes absque ullo duce gens Judæorum seditionibus vexabatur in tantum, ut Alexandra quæ & Salina vocabatur, ejusdem Alexandri uxor, obtineret imperium, & pontificatum quidem Hircano filio reservaret, Aristobolo autem alteri filio regnum traderet, quod obtinuit annis X. Pugnantibus autem inter se intestina seditione germanis, & gentem Judæorum in diversa studia trahentibus, supervenit Gneus Pompeius dux Romani exercitus, captamque Hierosolymam usque ad adyta templi ingressus est, quæ vocabantur sancta sanctorum, vinctumque Aristobolum Romam misit, servans triumpho suo, & pontificatum Hircano tradidit fratri ejus. Tunc primum gens Judæorum Romanis facta est tributaria. post quem Herodes filius Antipatri, interfecto Hircano, regnum Judæorum senatusconsulto accepit, & primus alienigena Judæis præfuit. Hæc ut nos potuimus exposuimus. Ponit & aliam Eusebius explanationem, quam si voluerimus in latinum sermonem vertere, extendemus libri magnitudinem. Hæc est ergo interpretationis ejus sententia.

A sexto anno Darii, qui post Cyrum & Gambisem filium ejus regnavit in Persis, quando templi opera consummata sunt, usque ad Herodem & Cæsarem Augustum, numerat hebdomadas septem & LX duas, quæ faciunt annos CCCCLXXXIII. quando christus, id est Hircanus novissimus pontifex de genere Machabæorum ab Herode jugulatus est, & cessavit juxta legem pontificum Dei successio. Africanus in quinto temporum volumine de LXX. hebdomadibus hæc locutus est. Capitulum quod in Danihele de LXX. hebdomadibus legimus multa & admirabilia continet, & quæ nunc longum est dicere: Ergo quod ad præsens opus pertinet, de temporibus disserendum est; nullique dubium quin de adventu Christi prædicatio sit, qui post LXX. heb-

A domadas mundo apparuit, post quem consummata sunt delicta, & finem accepit peccatum, & deleta est iniquitas, & adnunciata justitia sempiterna, quæ legis justitiam vinceret & impleta est visio & prophetia, quia lex & prophetæ usque ad Johannem Baptistam.

Dicit autem ipse angelus LXX. annorum hebdomadas, id est annos CCCCXC. ab exitu sermonis, ut respondeatur & ut ædificetur Jerusalem vicesimum Artaxerxis regis Persarum annum habere principium. Neemias quippe hujus pincerna, sicut in Esdræ
B libro legimus, rogavit regem, accepitque responsum ut ædificaretur Hierusalem; & iste egressus est sermo, qui extruendæ urbis, & circumdandæ muris, daret licentiam, quæ usque ad illud tempus vicinarum gentium patebat incursibus. Siquidem ad Cyri regis imperium, qui volentibus reverti Hierosolymam dederat potestatem, Jesus pontifex & Zorobabel & postea Esdras sacerdos & ceteri, qui cum eis proficisci voluerant, templum & urbem & muros ejus ædificare conati sunt prohibentibus in circuitu nationibus ne impleretur opus, quasi hoc rex non jussisset. Mansit itaque im-
C perfectum opus usque ad Nehemiam, & vicesimum annum Regis Artaxerxis: quo tempore regni Persarum centum & XV. anni fuerant obvoluti, captivitatis autem Hierusalem CLXXX. & V. annus erat, & tunc primum Artaxerxes jussit muros extrui Hierusalem: cui operi præfuit Neemias, & ædificata est platea, & muri circumdati; & ex illo tempore si numerare velis LXX. annorum hebdomadas usque ad Christum, poteris invenire, quod si harum principium ab illo tempore voluerimus sumere, &
D tempora non concurrent, & multa reperiemus contraria. Nam si a Cyro & prima ejus indulgentia, qua Judæorum est laxata captivitas, LXX. numerentur hebdomades, centum & eo amplius inveniemus annos, qui statutum hebdomadarum excedunt numerum & multo plus, si ex qua die Danihelі locutus est angelus, addeturque amplior numerus, si captivitatis exordium volueris hebdomadarum habere principium. Permansit enim regnum Persarum usque ad initium Macedonum annis ducentis triginta, & ipsi Macedones regnaverunt an-
E nis CCC. atque exinde usque ad annum XV. Tiberii Cæsaris, quando passus est Christus, numerantur anni LX. qui simul faciunt annos DXC. ita ut centum supersint anni. A vicesimo autem anno Artaxerxis regis, usque ad Christum, complentur hebdomades LXX. juxta lunarem Hebræorum subputationem, qui menses non juxta solis, sed juxta lunæ cursum numerant. Nam a centesimo & quinto decimo anno regni Persarum, quando Artaxerxes ejusdem imperii vicesi-

mum regni sui habebat annum, & erat octuagesimæ & tertiæ Olympiadis annus quartus, usque ad ducentesimam secundam Olympiadem, & secundum ejusdem Olympiadis annum Tiberiique Cæsaris annum quintum decimum colliguntur anni CCCCLXXV. qui faciunt annos Hebraicos CCCCXC. juxta lunares, ut diximus, menses, qui secundum illorum subputationem possunt facere per singulos menses dies XXVIIII. semis, ita ut solis circulus per annos CCCCXC. plus habeat dies CCCLXV. & quartam diei partem, & per duodecim menses singulorum annorum XI. dies, & quarta diei pars amplius reperiantur, unde Græci & Judæi pro octo annis trium mensium embolismis faciunt. Si enim octies undecim & quartam partem volueris supputare, XC. dies, hoc est tres menses efficies, & in CCCCLXXV. annis octonarii reperientur anni LVIIII. & menses tres, qui simul faciunt plus minusve annos XV. qui si CCCC. LXXV. annis volueris addere LXX. annorum facies hebdomadas, hoc est simul annos CCCCXC. Hæc Affricanus iisdem verbis quæ expressimus locutus est.

Dan. 9. 27. 65. Quid est quod dicit: *Confirmavit autem pactum multis hebdomadas una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium?*

Sic interpretatur Eusebius, quod, Herode regnante apud Judæos, & Augusto apud Romanos, CHRISTUS natus sit, qui tribus annis & sex mensibus juxta evangelistam Johannem, evangelium prædicavit, & confirmavit Dei cultum: multis haud dubium, qui in apostolis & credentibus quando post passionem Domini in dimidia rursum hebdomade defecit hostia & sacrificium. Plerique unam hebdomadem annorum in LXX. annos extendunt, ut ait Eusebius, & per singulos hebdomadis annos decennio subputato & volunt a passione Christi usque ad Neronis imperium annos esse XXXV. quando contra Judæos Romana primum arma commota sunt, & hanc esse dimidiam hebdomadem annorum LXX. Postea vero a Vespasiano & Tito & deinceps quando Hierosolyma templumque succensum est, usque ad Trajanum, alios esse annos XXXV. & hanc esse hebdomadem, de qua angelus loquitur Daniheli.

66. Quid est quod dicit: *Intellige, & conjice a prophetatione sermonis respondere me tibi?*

Hoc & a primo anno Darii debemus computare, quando hanc vidit visionem Danihel. Videamus anni quomodo impleantur usque ad adventum Christi. Darius regnavit annis XIX. Artaxerxes XL. Ochus qui & Cyrus annis XIV. Argus anno I. alius Darius qui & Melas annis XX. Alexander Macedo annis X. Post eum regnavit in Alexandria Soter annis XXXV. cui successit Philadelphus regnans annis XXXVIII. Post hunc Eulptech annis XXV. Deinde Philopater annis XVII. Post hunc Epiphanes annis XXIV. Item alius Eupsetet annis XXVII. Soter annis XXXVIII. Ptolomeus annis XXXVII. Cleopatra annis XX. mensibus V. Item, Cleopatra regnavit cum Augusto annis XIII. Post Cleopatram Augustus aliis annis XLIII. Nam omnes anni imperii Augusti fuerunt LVI. In quadragesimo enim & primo anno imperii Augusti, qui post mortem Cleopatræ imperavit, nascitur Christus, & supervixit idem Augustus ex quo natus est Christus, annis XV. Et erunt reliqua tempora annorum in diem nativitatis Christi, in annum quadragesimum primum Augusti, anni CCCC XXXVII. menses V. Unde adimplentur LXII. hebdomades & dimidia, quæ efficiunt annos CCCCXXXVII. menses sex; & manifestata est justitia æterna, & unctus est sanctus sanctorum, id est CHRISTUS. Quidam autem, qui dicunt signari * visum & prophetiam, quoniam omnes prophetæ nuntiabant de ipso, quod esset venturus & pati haberet, igitur quoniam adimpleta est prophetia per adventum ejus, propterea signari jussionem & prophetiam dicebat, quoniam ipse est signaculum omnium prophetarum, adimplens omnia quæ retro de eo prophetæ nuntiarunt.

* f. Jesum.

67. Quid est quod ait: *Anno tertio Cyri regis Persarum, verbum revelatum est Daniheli cognomento Baltasar,* cum in fine primæ visionis legamus: *Fuit autem Danihel usque ad annum primum Cyri regis,* usque ad primum ejus annum fuit? Dan. 10. 1. Dan. 1. 21.

Fuisse ergo eum apud Chaldæos pristina dignitate, purpura, byssoque vestitum usque ad primum annum Cyri regis intelligimus, quando subvertit Chaldæos, & postea cœpit esse cum Dario filio Assueri de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldæorum. Aut certe jam Dario mortuo, cujus anno primo septuaginta hebdomadarum sacramenta cognoverat, nunc tertio anno regis Cyri hæc vidisse narratur.

68. Quid est quod dicit: *Et ego ab anno primo Darii Medi stabam, ut confortaretur & roboraretur?* Dan. 11. 1.

Stabam, inquit, in conspectu Dei, & rogabam ejus clementiam, pro eo qui me diligebat, ut confortaretur, vel ipse vel regnum ejus, & roboraretur, qui ob custodiam meam etiam lacum leonum suo signavit anulo; ne me adversarii interficerent. Alexander autem condita Alexandria, cum triginta & duos ætatis haberet annos, & duodecimum annum imperii in Babylone, veneno periit.

69. Quid est quod dicunt, & post annos illius commiscentur, *Filiaque regis Austri veniet ad regem Aquilonis facere amicitiam, & non obtinebit fortitudines brachii, nec sta-* Ibid. 6.

bit semen ejus, & tradetur ipsa, & qui adduxerunt eam juvenes ejus, & qui confortabant eam in temporibus?

Hoc est quod nunc dicitur: per multos annos Ptolomeus Philadelphus & Antiochus qui vocabatur *Theos*, id est Deus, facient amicitias, & filia regis Austri, hoc est Ptolomei, veniet ad regem Aquilonis, id est Antiochum, ut inter patrem ac virum jungat amicitias, & non poterit, in- A quit, obtinere, nec semen illius stare in regno Syriæ, sed & ipsa Berenice & qui eam adduxerint interficientur. Rex quoque Antiochus, qui confortabat eum, id est per quem poterat prævalere, veneno uxoris occisus est. Laudicen enim prior illius uxor eum per ministros veneno interfecit, quia dicebat rex Berenicen consorsortem regni, & hanc concubinam.

Explicit.



WICBODI QUÆSTIONES IN OCTATEUCHUM.

Ex pervetusto codice Trevirensis S. Maximini monasterii.

OBSERVATIO PRÆVIA.

PETRI archidiaconi Quæstionibus in Danielem prophetam subjicere proposueram consimile aliud opus, Wigbodi scilicet Quæstiones in Octateuchum, descriptas ex pervetusto codice Trevirensis S. Maximini monasterii, cujus in fronte hæc leguntur: Carolus rex Francorum & Langobardorum, ac patricius Romanorum, hunc codicem ad opus suum scribere jussit. *(quæ religiosi principis summa fuit in res sacras propensio.) Auctor illarum Wicbodus, seu Wigbaldus, sive sit ille Wigbaldus Caroli-Magni sub Itherio & Radone archicancellariis notarius, sive Widbaldus, quem, teste Astronomo, idem princeps circa annum 778. præfecit Petragoricis, sive quispiam alius, ex dictis sanctorum patrum, maxime Augustini, Gregorii, Hieronymi, Ambrosii, Hilarii, Isidori, Eucherii, Junilii opus suum contexuit, quorum verba aliquando pura & nuda uno tenore transcribit, nonnumquam dispersa variis in locis colligit in unum, aliquoties vero non verba, sed mentem illorum exprimit. Hinc conjiciebam, conjicientque mecum viri eruditi omnes, quanto opus illud haberi deberet in pretio, quod jubente tam eximio principe ad ejus usum descriptum fuerat, totque atque tantorum ecclesiæ doctorum expositiones scripturæ repræsentabat. Verum cum illud non indiligenter examinassem, animadverti maximam Geneseos partem nonnisi purum Hieronymi atque Isidori textum fere exprimere, sequentes vero libros unum exhibere Isidorum. Quapropter tanti non existimavi integrum hic opus dare. Sed eruditis forte lectoribus haud injucundæ erunt Quæstiones in prima Genesis capita.*

CAROLUS REX FRANCORUM ET LANGOBARDORUM, AC PATRICIUS ROMANORUM, HUNC CODICEM AD OPUS SUUM SCRIBERE JUSSIT.

LAUS REGIS.

ALLOCUTIO AD LIBRUM.

QUis digne indoctus metrorum versibus umquam
Rusticus explanet cujus præconia passim
Latus concelebrat sub cœli cardine mundus,
Cujus ad imperium meruistis* ordo carere,
Et capere nitidam longo post tempore pallam;
Cœperis ut limen aulæ regalis adire,
Atque auro rutilo radiantem cernere sedem?
Incipe quamprimum largas persolvere grates,
Errorum quod nube cares, correctus haberis.
Dein prostratus veniam deposce precatu,
Lautorisque tui sollers patronus adesto.
*
Asperi aut impressa manus tenuando polivit.
En habes in promtu, ô rex, quod jusseras olim,
Suscipe, & ô felix multos utaris per annos.

* f. meruisti sorde.

* Hic est spatium unius versus vacuum in ms.

EPIGRAMMA OPERIS SUBSEQUENTIS.

O quam magna tuæ clarent præconia laudis,
Rex Carole, felix & notus in omnibus arvis.
Finibus extremis tua maxime jussio pollet.
Quis valet urbane laudes sermone polito
Fari, magne, tuas, cœli sub culmine claras?
Quis tua mixta canat mira pietate trophæa,
Divitiasque tuas longo quis carmine pandat?
Quis saltem poterit seriem enumerare librorum,
Quos tua de multis copulat sententia terris.
Sanctorum renovans patrum conscripta priorum.
Nam quicquid sacrum divina volumina verbis
Eloquio sensuque docent, quod prædicat ipse
Antiquus mundi replicans exordia vates,
Seu ille historias texat, seu forte figuras.
Quod diversa retro multorum tempora regum
Post Ruth subciduo gesserunt ordine magnum,
Vel qui post reprobum Davidica regna Saülem
Ter quinquagenos scripserunt carmine psalmos.
Pacificus quicquid lata inter sceptra Salomon,
Obscurum sensu præclara proverbia duxit,
Quodque bis octoni post se videre prophetæ,
Quod clausum Job mitis ait cum vulnere aperto.
Esther quid memorem, & castæ mendacia Judith?
Ornati cum fraude satraps accenditur oris,
Cum manet illudens obscœnum femina lectum,
Defectoque feros compescit vertice visus.
Quod melius cernens cœcato in corpore Tobi,
Quæ secreta videns perscripsit conditor Ezras,
Quidquid post priscam succedens gratia legem
Intonat, atque novi miracula testamenti.
Hinc hominis clamat facies, ait, inde leonis,
Et pernix aquila, & fortis certamine taurus.
Inde quater terni puris quod mentibus agni
Egerunt, toto spargentes semina mundo.
Bis septena pii quod spargit epistola Pauli,
Quod Petrus Jacobusque, quod Judas & ipse
Qui conspecta refert cœli secreta Johannes,
Quin & veridici quæ plurima tractatores
Exposuere suis mysteria digna libellis,
Hæc tu cuncta tenens animo sitienti bibisti.
Nec si quid sacrum cecinere prophetæ
Te latet, agnoscis leges, & commata servas.
Atque aliena tuo commendas carmina cantu.
Quid totum replicem? tu sensibus utere doctis,
Et quæ nota tibi vel quæ percepta legendo,
Ad virtutis opus studio converte regali.
At si de plebe quisquam livore perustus
Dixerit, iste quis est veterum qui carmina mutat,
Inscribitque levis epigrammata vana libellis?
Noverit hoc ipse quod nusquam culpa mutatur,
Cum non velle valet & major jussio cogit.
Denique jussa bona cum promulgantur agenda,
Qui complet sapiens, qui vult contemnere demens.
Quod si Virgilius, & vatum summus Homerus,
Censuram meruere novam post fata subire,
Quam dat Aristarcus tua, Varrusque, Probusque.

Cur

Cur dedignetur quod jussus principe magno
Parvula excerpi Mosaïca carmina bibli
Vuigbodus humilis nucarum mole piavi
Hæc tibi rex summe jussu compulsus herili,
Servulus, ut potui, devota mente dicavi.

Ratio VII. *dierum ordinatur.*

Primus in orbe dies lucis primordia sumsit.
Alter splendifluis cœlum firmavit in oris.
Tertius undivagum mare dat cum germine terræ.
Quartus habet phœbum lunamque & sidera cœli.
Quintus plumigeras volucres piscesque natantes.
Sextus quadrupedes reptans hominesque sagaces.
Septimus est Domino requies, his rite peractis.
Non quia cunctipotens humano more laboret,
Actibus aut fessus quærat quiescere tandem
Qui semper requietus agit, faciensque quiescit.
Sed quod sacra quies typicis est operta figuris,
Multa gerat signis, & pandat mystica nobis.
Dicta Dei requies quod rebus jure creandis
Ipsa modus fuerit cunctis, & maxima finis.
Nam nova quæque fiunt, jam tum ordinata probantur
Dicta Dei requies, quo Dominus ac redemtio Christus
In carne veniens, ac carnis vincla resolvens,
Hoc redeunte die felici morte quievit,
Dicta Dei requies, quod nos post mille labores,
Solus ubique fovens in se requiescere cogit.
Nec datur ulla quies miseris, nisi suscipit ipse.
Dicta quoque requies, mundana quod actio præsens
Post sex ætates quas mundus in ordine currit,
Otia percipiens æterna pace quiescit.
Dicta quoque requies, quæ nobis ultima sors est.
Nam vitæ cursus, mundanæ molis ad instar
Sex sunt ætates hominis, & septima mors est.
Prima tenet ortum generis infantia simplex,
Altera deinde pueritia mollis habetur,
Tertia quæ sequitur ipsa vocitatur adulta,
Quarta gerit virtutis opem speciosa juventa,
Quinta senecta gravis & ultima tempora vergens,
Sexta venit senium quæ vitæ terminat ævum.

Explicit.

INCIPIT LIBER QUÆTIONUM SUPER LIBRUM GENESIS EX DICTIS SANCTORUM PATRUM AUGUSTINI, GREGORII, HIERONYMI, AMBROSII, HILARII, HISIDORI, EUCHERII, ET JUNILII.

D. PRimo omnium, præceptor mi, inquiri mihi necesse est, quis hujus libri, qui Genesis apud nos dicitur, scriptor habeatur.

M. Sicut a majoribus nostris nobis insinuatum atque traditum est, Moysen hujus operis scriptorem fuisse adserunt, id est quinque librorum, qui juxta Græcos, PENTATHEUCUM nominantur, cum non dicat hoc titulus; sed quasi de alio ipse refert: *Dixit Dominus ad Moysen.* cujus exemplum in novo testamento Johannes sequens apostolus, ubicumque de se aliquid referre voluit, nomen suum studiose siluit, aiendo: *Conversus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat* JESUS *sequentem*, &c. *Joh.* 21. 20.

D. Genesis unde hoc nomen accepit?

M. LXX. etenim interpretes, Symmachus & Theodotion *in principio* transtulerunt, & in Hebræo scriptum est BRESITH. quod Aquila interpretatur *in capitulo.* Et ideo secundum sensum magis quam secundum verbi translationem, de Christo accipi potest, qui tam in ipso fronte Geneseos, qui caput omnium librorum est, quam in principio Johannis evangelistæ, cœli & terræ conditor adprobatur. Unde & in psalterio de seipso ait: *In capite libri scriptum est de me.* *Psal.* 39. 8.
Id est in principio Geneseos. Et in evangelio, *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* *Joh.* 1. 3.
Ideo sciendum quod liber hic apud Hebræos BRESITH vocetur, hanc habentes consuetudinem, ut voluminibus ex principibus eorum nomina imponant.

In libro prohemiorum.

D. Genesis juxta fidem historiæ quæ describit?

M. Fabricam describit mundi & hominis conditionem, * cataclismum & divisionem terræ, confusionem quoque linguarum, gestaque omnium patriarcharum usque ad ingressionem Israel in Ægyptum.

* Id est *diluvium.*

JUNILIUS.

D. Hæc scriptura quæ de præsenti sæculo loquens significet, nosce cupio.

M. Quinque. aut generationem ejus,

id est creationem, aut gubernationem, aut accidentia naturis, aut evenientia voluntatibus, aut subsequentes voluntatis eventus.

D. Quibus modis generationem sæculi hæc scriptura signavit?

M. Tribus. aut enim sola Dei voluntate factum aliquid scribitur, ut est: *In principio creavit Deus cœlum & terram*; aut voluntate simul & voce sive præceptiva, ut est *fiat lux* & *fiat firmamentum*; sive deliberativa, ut est: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Aut voluntate, voce ac diffinitione, ut est: *Crescite & multiplicamini & replete terram.* Et iterum: *Germinet terra herbam virentem & ferentem semen juxta genus suum, & lignum fructiferum faciens fructus cujus semen in ipso sit.* Et cetera quæ post septimum diem usque in finem sæculi per partes operatur, ex illa enim definitione proveniunt.

Gen. 1. 1.

D. Est in his tribus aliqua differentia?

M. Est, quia ea quæ sola voluntate vel etiam voce sunt facta, noviter facta sunt. quæ vero diffinitione, illis similia jam quæ facta noviter diximus. Et rursus illa quidem in sex primis diebus; hæc vero donec sæculum stabit.

D. Da ordinem per sex dies factarum rerum?

M. In ipso quidem principio conditionis facta sunt cœlum, terra, angeli, aër, aqua.

D. Proba angelos & aquas & aërem factum.

M. Facta quidem ex aliis scripturæ locis ostenduntur, ut est: *Qui facit angelos suos spiritus*, & *Laudate eum omnes angeli ejus*, & *aquæ quæ super cælos sunt laudent nomen Domini, quoniam ipse dixit & facta sunt*, & *Quoniam ipsius est mare & ipse fecit illud.* Et aër in scripturis sanctis cœli nomine solet ostendi, ut est: *volucres cœli*, cum certum sit aves in aëre devolare. Cœlum autem ostendimus factum. Quod vero præcesserunt ista ceteras creaturas, in angelis, ut scriptura demonstrat, dum in laudibus & benedictionibus creaturis ceteris præponuntur, est ratio; oportuit enim ut terrenas cœlestis creatura præcesserit. De aquis vero ipsa scriptura dicit, quod *spiritus Dei ferebatur super aquas.*

Ps. 103. 4. Ps. 148. 2. ibid. 5. Ps. 94. 5.

D. Sequere ordinem generationis.

M. In principio diei primæ lux facta est, secunda vero, factum firmamentum, tertia mare & terræ nascentia, quarta luminaria cœli, quinta natantia & volatilia, sexta reliqua animalia & homo.

D. Quæ est in ipsarum creaturarum operatione distantia?

M. Quod quædam ex nihilo facta sunt, ut cœlum, terra, &c. quæ usque ad completum primum diem diximus facta, quædam vero ex jam factis primo die.

A

D. Da horum probationes.

M. Quotiens scriptura ex aliquo factas res cupit ostendere, aut palam significat, ut est *producat terra* & *producant aquæ* & similia: Aut certe ex subtili significatione verborum, ut cum dicit, *fiat firmamentum*, utique significat fuisse aliquid fluidum ac liquidum, id est aquas, quæ ut solidatæ ostenderentur, firmamentum vocatum est, quod fiebat. Et rursus luminaria derivative appellavit, quæ quarta die facta fuerunt, ut ex lumine primo die operato, facta monstraret. In his autem quæ primo die facta sunt, neque aperte neque subtili verbo factum aliquid declaratur ex altero. Nihil enim post primum diem ostenditur ex non exstantibus factum, sola hominis anima, in quo & hoc attendendum, quia cum alia aut ex nihilo, aut ex jam factis facta sunt, solus homo ex utroque componitur.

B

D. Quas alias creaturis adscribimus differentias?

M. Quod ea quæ primis sex diebus facta sunt, non naturaliter, nec ex similitudine provenerunt. Reliqua vero quæ fiunt, naturaliter ex divina diffinitione nascuntur, exceptis scilicet miraculis.

C

D. Da tertiam differentiam.

M. Quod creaturarum aliquæ, id est rationales propter seipsas factæ sunt, ut angeli & homines: reliqua vero non propter se, sed propter prædictos angelos aut homines facta esse noscuntur. homo vero principaliter secundum animam propter se intelligendus est factus, nam secundum corpus consequenter.

D. Quid enim, præter angelos & homines aliæ creaturæ seipsis invicem non egebant?

D

M. Egebant quidem, non ad utilitatem, sed ad ornatum, utilia enim non sibi, sed angelis & hominibus sunt, pro quibus etiam facta esse noscuntur. Ornatum vero etiam invicem præstant, quippe & cœlum inornatum sine cœlestibus luminaribus fuit, & luminaria ipsa ne superflue facta essent, videntium oculis indigebant. Et mare inornatum, donec aut locum suum receperit, aut animalibus impleretur. Et terra incomposita præter habitantium vel nascentium usum, & irrationalia animalia sine hominis regimine inepta, herbæ absente animalium usu superfluæ. Ita omnia eguerunt invicem, vel his quæ quotidie fiunt. Sed ut jam diximus, aliud est esse incompositum, aliud utile. incompositum enim aliquid per se utile alteri declaratur.

E

D. In ornamento ipso aliqua est differentia?

M. Est: nam aliqua in sex diebus ornata sunt, ut cœlum luminaribus, & terra herbis, & piscibus mare: quædam vero donec mun-

dus vivit ornantur, ut mare navigiis, & terra ædificiis & ceteris quæ humano construuntur ingenio, & homo ipse scientia. Quædam vero decorem suum in futuro recipient, ut corpus incorruptionem, & mortalia immortalitatem, & cœleste regnum habitationem sanctorum. Notandum autem in ornamentis, quod eorum quæ vel ingenio vel artibus fiunt, in hominibus causa est, reliquorum autem in Domino.

D. Da quartam differentiam.

M. Quod quædam simul & velut subito creata emerserunt, ut herbæ, luminaria, natantia & volatilia, necnon terrena animalia & quadrupedia. Quædam vero non simul, sed velut cum quadam mora, ut mare, terra, homo; & ipse enim paulatim factus scribitur, sicut & cetera.

D. Da quintam creaturarum differentiam.

M. Quod quædam eorum ratione ceteris præsunt, ut rationalia; quædam vero usui habentur, ut cœlestia luminaria, quædam naturæ necessitate obsequuntur, ut aves & quadrupedes & his similia.

D. Da sextam differentiam.

M. Quod ea quæ ceteris præsunt, id est rationalia, voluntate ac ratione moventur; quæ vero inrationabilia sunt, aut necessitate obsequuntur, aut natura moventur.

D. Ea quæ ex aliquo facta sunt, quot materias habuerunt?

M. Sex, terram, aquas, aërem, ignem, lumen, costam.

D. Da singulis origines suas.

M. Ex terra virentia plantaria, & animalia. Ex aquis firmamentum, mare, natantia, & volatilia. Simul autem ex terra, aquis, igne & aere omnia quæ per successiones temporum renovantur. Ex lumine luminaria. Ex costa Eva.

D. Ignis quomodo probatur factus, aut unde, vel quando?

M. Factum quidem ex generali scriptura possumus adprobare cum dicitur de Deo; *Psal. 145. 6.* *Qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt*; quia utique etiam ignis in eis est, & ex speciali prophetia. *Ps. 148. 7.* *Laudate Dominum dracones & omnes abyssi; ignis, grando, nix, glacies, & spiritus procellarum.* De quibus ante dixerat: *Ps. 148. 5.* *Quoniam ipse dixit & facta sunt.* Et rursus: *Dan. 3. 57. & 66.* *Benedicite omnia opera Domini Domino*; & subjunxit: *Benedicite ignis & æstus Dominum.* Utrum vero ex nihilo, sicut & alia factus sit, an ex aliquo dubitatur. Plures enim volunt cœlestium luminarium esse particulam, quippe etiam nunc frequenter vidimus homines certo modo ignem ex solis radiis mutuari: Quod si ita est, primo die factus est. Sed sapientius hoc scriptura lumen quam ignem vocavit, ut ex meliore usu nomen acciperet.

D. Da septimam creaturarum differentiam.

M. Quod omnia quæ ex aliquo facta sunt, corpora sunt. Incorporea autem neque ipsa ex aliquo, neque ex ipsis facta sunt aliqua. Hæc vero incorporea accipienda sunt, non sicut Deus incorporeus dicitur, ejus enim comparatione nihil * corporeum est, sicut nec immortale, nec invisibile. Alius enim modus est, quo hæc verba solæ divinitati conveniunt, alius quo de creaturis loquimur, sicut de animalibus vel angelis. * *l. incorporeum.*

D. Quomodo Deus mundum fecerit possumus quærere?

M. Hoc temerarie magis quam caute exquiritur. Nulli enim divinæ creaturæ modum homini licet agnoscere. nam si sciret quis quomodo facta sunt aliqua ex nihilo, creatori utique scientia ac potentia par fuisset.

AUGUSTINUS.

D. Si omnia in numero, & mensura, & pondere Deus disposuit; ipsum numerum & mensuram & pondus ubi disposuit?

M. Numerus & mensura & pondus ipse est Deus. Ipse est enim numerus sine numero, a quo est omnis numerus. Ipse est mensura sine mensura, a quo est omnis mensura. Ipse est pondus sine pondere; a quo est omne pondus. Non enim creaturam extra se aut alicubi vidit; ut sicut homines, memoria retineret quæ faceret. Omnis igitur creatura voluntas est creatoris, voluntas itaque creatoris non est extra naturam creatoris, hoc est ibi voluntas quo natura. Sic tamen æterna est natura, sicut æterna voluntas, non enim accedit Deo aliqua nova cogitatio ad formandam creaturam. Proinde omnia in se Trinitas Deus disposuit, quia in se cuncta habuit quæ fecit. Intelligitur & aliter, omnia in numero & mensura & pondere disposuit, id est ut omnia quæ fecit, numerum & mensuram & pondus haberent.

Augustinus in libro contra Manichæos ita exorsus est.

More Manichæorum multi imperiti & rustici, & ut ita dicam præsumtuosi, percunctare solent & objiciunt: Si in principio aliquo temporis fecit Deus cœlum & terram; quid agebat antequam faceret cœlum & terram (a) [vel ubi erat] & quid ei placuit subito facere quod numquam ante fecerat per tempora æterna? His respondemus. *Lib. 1. de Gen. contra Manich. tom. 1. nova edit. p. 645.* [a]

Deus in principio creavit cœlum & terram, non in principio temporis, sed in Christo, cum verbum esset apud patrem, per quod facta & in quo facta sunt omnia. Sed si in principio temporis Deum fecisse cœlum & terram credamus, debemus utique intelligere, quod ante principium temporis non erat tempus. Deus enim fecit &

(a) Inclusa parent. non lego in editis.

tempora. Et ideo antequam faceret tempora, non erant tempora. Non enim possumus dicere fuisse aliquod tempus quando Deus nondum aliquid fecerat, quomodo enim erat tempus quod Deus non fecerat, cum omnium temporum sit ipse fabricator. Et si tempus cum cœlo & terra esse cœpit, non potest inveniri tempus quo Deus nondum fecerit cœlum & terram. Cum autem dicitur: Quid ei subito placuit? sic dicitur quasi aliqua tempora transierint, quibus Deus nihil operatus est; non enim transire poterat tempus, quod nondum fecerat Deus, quia non potest esse operator temporum, nisi qui est ante tempora. Certe & ipsi Manichæi legunt apostolum Paulum & laudant & honorant, & ejus epistolas male interpretando multos decipiunt. Dicant ergo nobis quid dixerit apostolus Paulus: *Agnitionem veritatis quæ est secundum pietatem Dei in spe vitæ æternæ, quam promisit non mendax Deus ante tempora æterna.* Æterna enim tempora quid ante se habere potuerant? Hoc ergo cogantur exponere, ut intelligant se non intelligere, cum temere volunt reprehendere quod diligenter quærere debuerunt. (Tit. 1. 1.)

Si autem non dicunt: Quid placuit Deo subito facere cœlum & terram; sed tollunt inde, subito, & hoc tantum dicunt: Quid placuit Deo facere cœlum & terram? Non enim coævum Deo mundum istum dicimus, quia non ejus æternitatis est hic mundus, cujus æternitatis est Deus. Mundum quippe Deus fecit, & si cum ipsa creatura, quam fecit Deus tempora esse cœperunt, & ideo dicuntur æterna tempora; non tamen sic sunt æterna quomodo æternus Deus est, quia Deus est ante tempora, qui fabricator est temporum, sicut omnia quæ fecit Deus, bona sunt valde, sed non sic bona sunt, quomodo bonus est Deus, qui illa fecit; hæc autem facta sunt; nec ea genuit de seipso, ut hoc essent quod ipse est; sed ea fecit de nihilo, ut non essent æqualia, nec ei a quo facta sunt, nec filio ejus per quem facta sunt, justus (a) est enim. Si enim (b) isti dixerint: Quid placuit Deo facere cœlum & terram? Respondendum est eis, ut prius vim discant voluntatis humanæ, qui voluntatem Dei nosce desiderant. Causas enim Dei voluntatis desiderant (c) scire, cum voluntas Dei omnium quæ sunt ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas Dei, est aliquid quod antecedat voluntatem Dei, quod nefas est credere. Qui ergo dicit, quare fecit Deus cœlum & terram? Respondendum est illi, quia voluit. Voluntas enim Dei causa est cœli & terræ; & ideo major est voluntas Dei quam cœlum & terra. Qui autem dicit; quare voluit facere cœlum & terram; (d) [aut ubi erat antequam fierent?] majus aliquid quærit quam est voluntas Dei. nihil enim majus inveniri potest. Compescat ergo se humana temeritas, & id quod non est non quærat, ne id quod est non inveniat; & si voluntatem Dei nosce quisquam desiderat, fiat amicus Deo. Certe si voluntatem hominis quis nosce vellet, cujus amicus non esset, omnes ejus imprudentiam aut stultitiam deriderent. Non enim quisque efficitur amicus Dei, nisi purgatissimis moribus, & illo fine præcepti de quo dicit apostolus: *Finis autem præcepti est caritas de corde puro & conscientia bona & fide non ficta*, quod isti si haberent, non essent hæretici. (1. Tim. 1. 5.)

Defenditur vers. 2. Gen.

Quod autem sequitur in libro Geneseos: *Terra autem erat invisibilis & incomposita*, sic reprehendunt Manichæi, ut dicant: Quomodo in principio fecit Deus cœlum & terram, si jam terra erat invisibilis & incomposita? Itaque cum volunt divinas scripturas prius vituperare quam nosce, etiam res apertissimas non intelligunt. Quid enim manifestius dici potuit, quam hoc dictum est: *In principio fecit Deus cœlum & terram*, terra autem ipsa quam fecit Deus, invisibilis erat & incomposita. Antequam Deus omnium rerum formas locis & sedibus suis ordinata distinctione disponeret, antequam diceret, *Fiat lux*, & *fiat firmamentum*, & *congregentur aquæ*, & *appareat arida*, &c. quæ in eo libro per ordinem sic exponuntur, quemadmodum ea parvuli possent capere. Quæ omnia continent tam magna mysteria, ut quisquis ea didicerit, omnium hæreticorum vanitatem vel doleat quia homines sunt, vel rideat quia superbi sunt.

Sequitur in illo libro: *Et tenebræ erant super abyssum*, quod Manichæi [(e) vel sectatores eorum] reprehendunt dicentes: In tenebris ergo Deus erat antequam faceret lucem? Vere ipsi sunt in tenebris ignorantiæ, & ideo non intelligunt lucem, in qua Deus erat antequam faceret istam lucem. Non enim noverunt isti lucem, nisi quam carneis oculis vident, & ideo istum solem quem pariter non solum cum bestiis majoribus, verum etiam cum muscis & vermiculis cernimus, illi sic colunt, ut particulam dicant esse lucis illius in qua habitat Deus. Sed nos intelligamus aliam esse lucem in qua Deus habitat: unde est illud lumen de quo in evangelio dicitur: (f) *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Nam solis istius lumen non illuminat hominem, sed corpus hominis; (Gen. 1. 2.) (Joh. 1. 9.)

[a] In edit. *Justum est.*
[b] In edit. *Si ergo isti.*
(c) In edit. *Scire quærant.*

[d] Inclusa parenthesi in editis non leguntur.
(e) Parenthesi inclusa in editis non leguntur.
(f) In editis legitur, *Erat lumen verum quod.*

hominis, & mortales oculos quibus nos vincunt aquilarum oculi, qui solem istum multo melius quam nos dicuntur aspicere. Illud autem lumen non irrationalium aviū oculos pascit; sed pura corda eorum qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum & temporalium se ad ejus præcepta complenda convertunt. Quod omnes homines possunt si velint, quia illud lumen omnem illuminat hominem venientem in hunc mundum. Ergo tenebræ erant super abyssum antequam lux ista fieret. Consequenter (a) de hoc loco dicitur.

[a] Ostenditur tenebras nihil esse in defensionem versus 3. Gen.

Et dixit Deus, fiat lux, quia ubi lux non est, tenebræ sunt, non quia aliquid sunt tenebræ, sed ipsa lucis absentia tenebræ dicuntur; sicut silentium non aliqua res est, sed ubi sonus non est, silentium dicitur. Et nuditas non aliqua res est, sed in corpore ubi tegumentum non est, nuditas dicitur. Et inanitas non est aliquid, sed locus ubi corpus non est, inanis dicitur. Sic tenebræ, (b) ut jam diximus, non aliquid sunt; sed ubi lux non est, tenebræ dicuntur. Hæc ideo diximus, quia solent dicere: Unde erant ipsæ tenebræ super abyssum, antequam Deus faceret lucem? quis illas fecerat, vel genuerat? aut si nemo fecerat vel genuerat eas, æternæ erant tenebræ? quasi aliquid sint tenebræ. Sed, ut dictum est, lucis absentia hoc nomen accepit. Sed quia ipsi fabulis suis decepti crediderunt gentem esse tenebrarum, in qua & corpora, & formas, & animas in illis corporibus fuisse arbitrantur; ideo putant quod tenebræ aliquid sint, & non intelligunt non sentiri tenebras, nisi quando non videmus; sicut non sentimus (c) silentium, nisi quando non audimus. Sicut autem silentium nihil est; sic & tenebræ nihil sunt. Sicut autem isti dicunt gentem tenebrarum contra Dei lucem pugnasse; sic potest & alius similiter vanus dicere, gentem silentiorum contra Dei vocem pugnasse. Sed illas vanitates modo non suscipimus refellere atque convincere; nunc enim ea quæ reprehendunt in veteri testamento statuimus defendere, quantum ut res Dominus præstare dignetur, & in eis ostendere, contra veritatem Dei nihil valere hominum cœcitatem. Sequitur.

Gen. 1. 2. Ut intelligendum quod spiritus Dei superferebatur super aquas.

Quod autem scriptum est: *Et spiritus Dei ferebatur super aquam*, sic solent Manichæi reprehendere, ut dicant: Aquā ergo erat habitaculum spiritus Dei, & ipsa continebat spiritum Dei? Totum conantur perversa mente pervertere, & excœcantur malitia sua. Cum enim dicimus, sol superfertur super terram, numquid hoc intelligi volumus, quod in terra sol habitet, & terra solem contineat? Et tamen non sic spiritus Dei (d) ferebatur super aquam, sicut superfertur sol super terram, sed alio modo quem pauci intelligunt. Non enim per spatia locorum superferebatur aquæ illi spiritus, sicut terræ sol superfertur, sed per potentiam invisibilis sublimitatis suæ. Dicant autem nobis isti, quomodo his rebus quæ fabricandæ erunt, superferatur voluntas fabri. Quod si hæc humana & quotidiana non comprehendunt, timeant Deum, & simplici corde quod non intelligunt quærant, ne cum volunt verbis sacrilegis concidere veritatem, quam videre non possunt, redeat illis securis in crura. Nam illa concidi non potest, quæ incommutabilis manet; sed quæcumque plagæ in illam emissæ fuerint, repercutiuntur, & majori ictu redeunt in eos, qui cædere audent quod credere deberent, ut intelligere mererentur.

Deinde quærunt, & insultando interrogant, unde erat ipsa aqua super quam ferebatur spiritus Dei; numquid enim superius scriptum est, quod Deus aquam fecerit? Hoc si pie quærerent, invenirent quemadmodum intelligendum esset. Non enim aqua sic appellata est hoc loco, ut hæc a nobis intelligatur, quam videre jam & tangere possumus, quomodo nec terra quæ invisibilis & incomposita dicta est, talis erat, qualis ista quæ jam videri & tractari potest. Sed illud quod dictum est: *In principio creavit Deus cœlum & terram*, cœli & terræ nomine universa creatura significata est, quam fecit & condidit Deus. Ideo autem nominibus visibilium rerum hæc appellata sunt, propter parvulorum infirmitatem, qui minus idonei sunt invisibilia comprehendere. Primo ergo materia facta est confusa & informis, unde omnia fierent quæ distincta atque formata sunt, quod credo a Græcis *Chaos* appellari. Sic enim & alio loco legimus dictum in laudibus Dei, *Qui fecisti mundum de materia informi*, &c. quod aliqui codices habent *de materia invisa*.

Gen. 1. 1.

Materies informis ex nihilo, & ex illa omnia.

Et ideo Deus rectissime creditur omnia de nihilo fecisse, quia etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, hæc ipsa tamen materia de nihilo facta est. Non enim debemus esse similes istis, qui omnipotentem Deum non credunt aliquid de nihilo facere potuisse, cum considerant fabros & quoslibet opifices non posse aliquid fabricare, nisi habuerint unde fabricent. Et ligna enim adjuvant fabrum, & argentum adjuvat argentarium, & aurum aurificem, & terra figulum adjuvat, ut possit perficere opera sua. Si enim non adjuventur ea materia unde aliquid faciunt, nihil possunt facere, cum materiam ipsam non ipsi faciunt. Non enim faber facit lignum,

(a) In editis, *de qua consequenter hoc loco dicitur*.
(b) In editis desunt hæc verba, *ut jam diximus*.
(c) Editi legunt, *non sentitur*.
(d) Cum editis lege, *superferebatur super aquam*.

sed de ligno aliquid facit, sic & ceteri omnes opifices. Omnipotens autem Deus nulla re adjuvandus erat, quam ipse non fecerat, ut quod volebat efficeret; si enim ad eas res quas facere volebat, adjuvabat eum aliqua res quam ipse non fecerat, non erat omnipotens; quod sacrilegum est credere.

Informis materia variis nominibus designata.

Informis ergo illa materia quam de nihilo Deus fecit, appellata est primo cœlum & terra, non quia hoc jam erat, sed quia hoc esse poterat. Nam & cœlum postea scribitur factum. Quemadmodum si semen arboris considerantes, dicamus ibi esse radices & robur, ramos, fructus, & folia; non quia jam sunt, sed quia inde futura sunt. Sic dictum est: *In principio fecit Deus cœlum & terram*, quasi semen cœli & terræ, cum confusa (a) adhuc esset cœli & terræ materia. Sed quia certum erat inde futurum esse cœlum & terram, jam & ipsa materia cœlum & terra appellata est. Isto genere locutionis etiam Dominus loquitur, cum dicit: *Jam non dico vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis.* (Johan. 15. 15) Non quia factum erat, sed quia certissime futurum erat. Nam post paululum dicit illis: *Adhuc multa habeo dicere vobis, sed non potestis portare modo.* (Johan. 16. 12) Ut quid ergo dixerat: *Omnia quæ audivi a Patre meo nota feci vobis*, nisi quia sciebat hoc se esse facturum? Sic etiam cœlum & terra potuit dici materia unde nondum erat factum cœlum & terra, sed tamen non aliunde faciendum erat. Innumerabiles tales locutiones in scripturis divinis inveniuntur, sicut in consuetudine sermonis nostri, cum id quod certissime futurum speramus, dicimus: jam factum puto.

Hanc autem adhuc informem materiam etiam terram invisibilem & incompositam voluit (b) appellari; quia inter omnia elementa mundi, terra videtur minus speciosa quam cetera. Invisibilem autem dixit propter obscuritatem, & incompositam propter informitatem. Eamdem ipsam materiam etiam aquam appellavit, super quam ferebatur spiritus Dei, sicut superfertur fabricandis voluntas artificis; quod etsi paucorum intelligentia potest attingere, humanis tamen verbis nescio utrum a paucis hominibus possit exponi. Propterea enim non absurde etiam aqua dicta est ista materia, quia omnia quæ in terra nascuntur, sive animalia, sive herbæ, vel arbores, & his similia, ab humore incipiunt formari atque nutriri. Hæc ergo nomina omnia, sive cœlum & terra, sive terra invisibilis & incomposita, & abyssus cum tenebris, sive aqua super quam spiritus ferebatur, nomina sunt informis materiæ; ut res ignota notis vocabulis insinuaretur imperitioribus; & non uno vocabulo, sed multis; ne si unum esset, hoc esse putaretur quod consueverant homines in illo vocabulo intelligere. Dicta est (c) cœlum & terra, quia inde futurum erat cœlum & terra. Dicta est terra invisibilis & incomposita, & tenebræ super abyssum, quia informis erat, & nulla specie cerni aut tractari poterat, etiamsi esset homo qui videret atque tractaret. Dicta est aqua, quia facilis & ductilis subjacebat operanti, ut de illa omnia formarentur: sed sub his omnibus nominibus materia erat invisa & informis, de qua Deus condidit mundum.

In principio creavit Deus cœlum & terram. (Aug. de Gen. ad litt. lib. 1. cap. 1.) Istud capitulum librorum omnium caput est; omnis namque scriptura divina bipertita est, vetus testamentum & novum. Alia quippe sunt ubi æterna intimantur, ut est: *In principio erat Verbum.* (Joh. 1. 1.) Alia facta narrantur, ut est: *In principio creavit Deus cœlum & terram.* (Gen. 1. 1.) Alia futura pronuntiantur, ut est: *Cum venerit filius hominis in majestate sua.* (Luc. 9. 26.) Alia vero sunt quæ agenda præcipiuntur, cum dicitur: *Diliges proximum tuum sicut teipsum, &c.* (Matth. 22. 39) Bipertita vero est, quia sunt alia quæ secundum figuram dicta sunt, ut est *Cantica canticorum*, & ut est: *Audivit Adam vocem Domini Dei deambulantis in paradiso*; (Gen. 3. 8.) & alia sunt secundum rerum gestarum fidem, ut est: quod populus exiens de Ægypto, per mare pedibus ambulavit. Alia vero sunt quæ utroque dicta sunt modo, ut est transitus maris rubri, & miracula illa quæ Dominus in evangelio fecit.

In principio creavit Deus cœlum & terram.

D. Inquirendum summopere est, in quo principio, utrum in principio temporis, an in principio, ut hoc esset initium creaturæ ejus ex quo alia esse cœperunt, non enim coæterna Deo semper fuerunt.

M. Dicamus quia in principio sibi coæterno fecit Deus cœlum & terram, in unigenito Filio qui est sapientia Patris, de quo dicit Apostolus, *Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* (1. Cor. 1. 24.) Et in psalmo dicit: *Omnia in sapientia fecisti*; (Ps. 103. 24.) & iterum dicit Apostolus: *Quia in ipso condita sunt omnia quæ in cœlo sunt & quæ in terra, visibilia & invisibilia.* (Col. 1. 16.)

D. Genesis principium est. Si in principio creavit Deus cœlum & terram, angeli postmodum facti sunt. Si angeli ante facti sunt, non primo omnium creavit Deus cœlum & terram.

M. *Quando facta sunt simul sydera*, ait scriptura, *laudaverunt me angeli mei voce*

(a) Editi legunt, *cum in confuso adhuc esset.*
(b) Lege cum editis, *appellare.*

[c] Editi legunt, *dictum est ergo cælum.*

magna. Quarta die facta sunt sydera, & jam erant angeli. Neque enim die tertio, neque secundo facti sunt. In his enim apparet quæ facta sunt. Tertia die scilicet terra ab aquis discreta est; secunda factum est firmamentum, ubi sol & luna discurrunt & sydera. Porro primus dies ipse est angelica natura, quæ primo cœli nomine nuncupata est. Unde evidenter ostenditur primum diem spiritalem factum, id est angelicam naturam, & sic hoc cœlum quod oculis cernimus. Nam quod ait, *In principio creavit Deus cœlum & terram*, non primo omnium, sicut ais, sed in principio, id est in Filio, immo per Filium, fecit Deus omnem spiritalem corporalemque creaturam, quæ cœli & terræ nomine appellata est. Nam quod ipse sit principium, de se interrogantibus Judæis quis esset, respondit: *Principium qui & loquor vobis*. Primo igitur voluit cœlum & terram velut quamdam spiritalem corporalemque materiam dicere, & sic quemadmodum singillatim facta sunt ordinem tenere. Quod enim dixit cœlum, hoc mihi dixisse videtur aquarum abyssum tenebrosam, Adæ quodammodo fluitantem vitam, nisi convertatur ad creatorem, & fiat lux, & contempletur Trinitatem Deum esse indivisum. Neque enim ita dicimus, ut ista materia præcedat formam suam, sicut præcedit lignum arcas, & sicut præcedit vox verbum, neque enim tempore, sed origine. Igitur prima creatura lux, non ista quæ quarta die facta est, sed spiritalis, id est angelica natura.

Gen. 1. 1.

Joh. 8. 25.

Hoc tamen intelligendum quod simul creavit cœlum & terram & lucem, quia nihil interest nisi origo tantum. Sicut homo duas parabolas cognitas simul non potest enarrare, ita & Dominus fecit, quia hoc prius enarravit quod originem habuit, & postea quod exinde factum fuit, quamvis utrumque simul fecisset, ut quod sola origine prius est in faciendo, prius sit ex tempore enarrando. Ergo dum oportebat ut scriptura sancta utrumque enarrasset, tam res gestas quam res enarratas, quod exinde factum est propter tardiorem intellectum, ut capere potuissent, quia res corporeæ ex aliquo fiebant; quia nihil interest inter creationem cœli & terræ & lucis, nisi hoc tantum quod est inter verbum & vocem.

D. Cur non dixit, in principio fecit Deus cœlum & terram, sed creavit?

M. Propter informitatem materiæ.

D. Da sensum spiritalem.

Joh. 8. 25. M. Principium Christus est, sicut ipse in evangelio ait: *Principium qui & loquor vobis*. In hoc igitur principio fecit Deus cœlum, id est qui cœlestia meditantur & quærunt. In ipso fecit & carnales, qui terrenum hominem necdum deposuerunt.

Gen. 1. 2. D. *Terra autem erat inanis & vacua*.

A Cur inanis & vacua?

M. Id est quia non erat a mari distincta; vacua, inquit, quia littoribus non erat circumdata, vel vicibus suis ornata, id est arboribus & animalibus.

Item spiritaliter: Terra scilicet carnis nostræ inanis & vacua erat, priusquam doctrinæ acceperit formam.

D. Quare tenebræ dicuntur super faciem fuisse abyssi?

M. Quia non erat lux quæ superfunderetur; quod si esset, utique superesset.

Item, quia erat spissus aër carens luce diurna.

B Aliter. Tenebræ erant super faciem abyssi, quia delictorum cœcitas & ignorantiæ profunda obscuritas corda nostra tegebat.

D. Quomodo spiritus Dei ferebatur super aquas, edissere?

HIERONYMUS.

M. Pro eo quod in nostris codicibus scriptum est, *ferebatur*; in Hebræo habetur *Merephet*, quod nos appellare possumus, incubabat, sive confovebat in similitudinem volucris ova calore animantis. Ex C quo intelligimus, non de spiritu mundi dici, ut nonnulli arbitrantur, sed de Spiritu-sancto, qui & ipse vivificator omnium a principio dicitur. Sic autem vivificator quasi conditor Deus: *Emitte*, ait, *Spiritum tuum, & creabuntur*. Ps. 103. 30.

Hieronym. Quæst. Hebr.

AUGUSTINUS.

D. Spiritus Dei ferebatur super aquas: Localiter ferebatur sicut sol & sydera, an aliter?

M. Spiritus-sanctus Deus est, qui in re non loco continetur, & distenditur, nec D temporum mutationibus subjacet, sed est ubique præsens totus. Quomodo sane nominavit creaturam, cui superferri diceretur Spiritus-sanctus, non localiter, sed potentialiter. Dominus non ex indigentia fecit opera sua, sed ex beneficentia, neque horum indiget quæ fecit. Indigus quippe atque egenus amor subjicitur rebus quas diligit. Ideo dictus est superferri creaturam Spiritus-sanctus, quia non ex indigentia operatus est ipsam creaturam.

AMBROSIUS. (*a*) [a]

E D. Quomodo spiritus Dei ferebatur super aquas?

M. Sicut ait Apostolus: *Supereminentem*, inquit, *scientiam caritatis Dei*. Et alibi ait: *Superexaltat autem omnem intellectum*. Ergo inchoatum aliquid ostendit super quod spiritus Dei ferri diceretur, non loco, sed omnia superante atque præcellente potentia. Duo quippe sunt propter quæ amat Deus creaturam suam; ut sit & ut maneat. Ut sit formata, & maneat in præcepto con-

[a] Immo Augustinus lib. primo de Genesi ad litteram cap. 7.

ditoris. Ut esset ergo, spiritus Dei ferebatur super aquam; ut autem maneret, vidit Deus quia bonum est. Quamobrem prius res informatas & postea spiritum sanctum nominavit, quia omnis exiguus amor rebus quas diligit subterponitur.

Item in Hexameron Augustinus.

Ibid. cap. 14. pag. 126. *D.* De informitate materiæ ut plenius & uberius exponas posco.

M. Verum & manifestum est omne mutabile ex aliqua informitate formari, simulque & manifestissima ratio docet, nullarum naturarum materiam esse potuisse, nisi ex Deo. Et licet dicat scriptura: *Qui fecisti mundum ex materia informi*, non tamen informis materia formatis rebus tempore prior est, cum sit utrumque simul concreatum, & quod factum est & unde factum est. Sicut vox materia verborum est, verba vero formatam vocem indicant. Ita creator Deus non priore tempore fecit informem materiam, & eam postea per ordinem quarumcumque naturarum quasi secunda consideratione formavit, sed non potuit non dividere scriptura loquendi temporibus quod Deus faciendi temporibus non divisit. Et nos cum dicimus materiam & formam, utrumque simul intellegimus, nec utrumque simul possumus enuntiare. Quod si spiritalis lux facta est, cum dixit Deus fiat lux, non illa vera patri coæterna intelligenda est, per quam facta sunt omnia, sed illa de qua dici potuit, prior omnium creata est sapientia, quia per sapientiam non creatam facta est lux. Quo autem modo simul fieri potuerit, & quod illuminaretur & ipsa illuminatio, ac diverso tempore narranda fuerint, paulo ante diximus cum de materia tractaremus.

(Sap. 11. cap. 15.) (Ibid. cap. 17.)

Augustinus.

Ibib. cap. 12. *D. Dixit quoque Deus fiat lux.* In die dixit, an ante omnem diem? Si in die dixit, temporaliter dixit, si temporaliter dixit, per aliquam creaturam dixit, igitur non est prima creatura lux.

Lib. 2. cap. 6. *M.* Nec in die dixit, nec temporaliter dixit, sed ante omnem profecto creaturam verbum suum genuit. Dictio itaque Dei verbum Dei est. Sed divina scriptura parvulis congruens, & quodammodo eos lactans, ut proficiant, & cibum spiritalem capiant, voluit semper per omnem creaturæ formationem dictionem nuncupare. Ut si verbi causa requiramus quomodo facta est lux, audies, in verbo Dei erat ut fieret, quomodo & cetera per ordinem. Si requiras quomodo facta sunt; in verbo Dei erant ut fierent. Hinc est enim, *dixit Deus fiat lux.* neque enim corporalibus modis loquitur divina natura, nec quotiens dicitur dixit, totiens verbum formavit, unum enim verbum genuit coæternum & consubstantivum

A sibi, in quo omnia ineffabiliter dixit.

Item.

D. Dixit quoque Deus fiat lux. Lux autem hæc est visibilis, an invisibilis?

M. Invisibilis enim dicitur, quia creatio angelica est, quam oculi nostri non valent prospicere. Ratio enim erat, ut die quarto sydera in cœlo fabricasset, quæ oculi nostri potuissent prospicere.

D. Ista creatio angelica est temporalis an intemporalis?

M. Temporalis erat in angelis, intemporalis autem in Deo. Temporalis erat quod dictum intelligimus ab æterno Deo expressum per verbum coæternum, in creatura spiritali quam jam tunc fecerat cum dictum est, *in principio creavit Deus cœlum & terram.* Sed ista locutio non tantum sine aliquo sono, sed etiam sine ullo corporali motu creaturæ spiritalis, ejus menti atque rationi quodammodo infixa per verbum patris coæternum. Sed multum atque difficillimum est capere quomodo dicitur Deo non temporaliter jubenti, neque id temporaliter audiente creatura, qui contemplatione veritatis omnia excedit tempora, sed intellectualiter sibimet impressa cum patri coæterna sapientia tamquam intelligibilis locutionis, ad ea quæ infra sunt transmittentis, ut fieret temporalis motus in rebus temporalibus sive formandis sive administrandis. Lib. 1. cap. 12. art. 16. & 17. pag. 122.

B C

Item. Facta est inquit lux, id est creatio angelica, quia tunc cœperunt agnoscere vel intelligere creatorem suum.

D. Quare iterum non repetit, & fecit Deus lucem, sicut creaturas ceteras repetit quas creavit, ut in firmamento dicit: *Fiat firmamentum.* Et iterum: *Fecit Deus firmamentum?* Ibid. lib. 2. cap. 7.

D *M.* Necesse namque non erat ut dixisset: *Fecit Deus lumen*, quia intellectualis creatura erat, id est angeli. Quando autem dicit: *Fiat firmamentum*, vel cetera in aliis creaturis, hoc in cognitione angelica dixit, quia nec mirum est si Deus sanctis angelis suis in prima lucis conditione ad se conversis, prius voluit ostendere quid erat deinceps facturus. Quando vero dicit: *Et fecit Deus*, id est in propria natura rerum, jam non erat hoc opus de angelis iterum repetere, quia illi tunc, sicut diximus, conversi fuerant ad cognoscendum creatorem suum. Cum enim æterna illa & immutabilis, quæ non est facta sed genita sapientia, in spiritalem atque rationalem creaturam se transfert, sicut in animas sanctas, ut inluminati lucere possint, fit in eis quædam luculenta rationis affectio, quæ potest accipi, facta est lux, cum dixerat Deus *fiat lux*, jam enim erat spiritalis creatio, quæ cœli nomine significata est, cum scriptum sit: *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Ibid. Gen. 1. 6. & 7.

E

ram. Non cœli corporei, sed cœli incorporei, in qua natura intelliguntur omnes sancti angeli.

GREGORIUS.

Tales namque creati sunt angeli, ut si vellent, in beatitudinis luce persisterent; si autem nollent, etiam labi potuissent. Unde & satan cum sequacibus legionibus cecidit; sed post ejus lapsum ita confirmati sunt angeli qui persliterunt, ut cadere omnino non possint. Quod bene in ipso exordio Geneseos præsentis libri historica descriptione signatum est. Quia creavit Deus cœlum quod postmodum vocavit firmamentum. Cœli ergo fuerunt, ut diximus, hi qui prius bene sunt conditi, sed postmodum firmamentum appellati sunt, quia omnino jam ne caderent virtutem incommutabilitatis acceperunt.

ITEM GREGORIUS.

Gen. 1. 3. *Dixit Deus fiat lux & facta est lux* & paulo post: *Factum est vespere*. Nequaquam sic in hac vita per exercitationem justitiæ peccatum deseritur, ut in eadem justitia inconcusse maneatur. Quia etsi jam a cordis habitaculo culpam rectitudo eliminat, ipsa tamen culpa quæ repellitur, cogitationis nostræ foribus assidens, ut sibi aperiatur pulsat. Quod Moyses spiritaliter innuit, cum facta corporaliter temporum momenta narravit: *Facta est lux*, atque paulo post subjiciens, *factum est vespere*. Creator quippe omnium humanæ culpæ præscius, tunc expressit in tempore quod nunc versatur in mente. Lux quippe ad vesperum ducitur, quia nimirum lumen rectitudinis umbra sequitur tentationis. Sed quia electorum lux tentatione non extinguitur, nequaquam nox sed vespere facta perhibetur, quia nimirum sæpe tentatio in corde rectorum lumen justitiæ abscondit, sed non interimit, quasi ad pallorem trepidationis pertrahit, sed funditus non extinguit.

AMBROSIUS.

Dixit quoque Deus fiat lux, id est illuminatio credulitatis appareat. Prima enim die lucem fidei dedit, quia prima est in conversione fides, unde & ipsum primum præcepti mandatum est, *Dominus Deus tuus* Deut. 4. 6. *Deus unus est*, propter quam fidem ipse Dominus visibiliter in mundo apparere voluit, jam tunc Deus juxta præscientiæ suæ gratiam divisit justos, id est filios Dei & lucis a peccatoribus tamquam a tenebris, istos vocans *diem*, illos *noctem*, nam quia in lucis nomine justi appellantur, audi apostolum: *Fuistis inquit aliquando tenebræ, nunc* Eph. 5. 8. *autem lux in Domino*.

AUGUSTINUS.

Gen. 1. 4. *Et vidit Deus lucem quod esset bona*.

D. Si subito Deus vidit lucem quod esset bona, an antea nescivit, & visio ei contulit scientiam?

M. Omne enim opus præcedit voluntas, nam dum cogitamus quid operare debeamus, neque enim ignorans aliquid facit, dum cogitat qualiter fiant quæ facienda cogitando disposuit. Et cum hoc in hominem cadere non possit, ut aliquid ignorans faciat, quanto magis in Deum, qui omnia æterno & stabili consilio suo quomodo voluit fecit? Nec aliter etenim facta & aliter facienda vidit; eo itaque modo vidit facta, quo viderat facienda.

D. Et vidit Deus lucem quod esset bona: Gen. 1. 4. Quare lucem tantum laudavit, & non noctem?

M. Id est, quia nox adhuc nec dies factæ erant, sed tantum lux angelica, quia indignum erat Deo rem informem laudare, quæ adhuc formata non erat, sed rem illam quæ formata erat laudavit, id est lucem angelicam.

AUGUSTINUS.

D. Et divisit lucem a tenebris. Divisit, Ibid. inquit scriptura, lucem a tenebris. omne enim quod dividitur, & esse potest. Sicut ergo est essentia lucis, ita essentia tenebrarum. Et cur non dicit scriptura, vidit Deus tenebras quod essent bonæ, sicut de luce dictum est?

M. Deus bona & incommutabili voluntate creavit omnes angelos bonos, sed quia ex his quosdam per superbiam præsciebat casuros, per incommutabilitatem præscientiæ suæ divisit inter bonos & malos. Malos igitur appellans tenebras, bonos appellans lucem, in his dicens quia boni sunt, in illis nullatenus dicens, ne peccata quæ erant tenebræ adprobare videretur.

ITEM ALIBI.

D. Divisit lucem a tenebris. Quid est lucem a tenebris dividere?

M. Id est, distinctio rei formatæ ab informi.

D. Appellavitque lucem diem, & tenebras Gen. 1. 5. *noctem*. Cur appellavit lucem diem & tenebras noctem? quæ adhuc formata non erant?

M. Propterea enim appellavit lucem diem, quia dies circa speciem factæ rei appellatus est; & tenebras noctem, quia nox ista quæ nobis notissima est, facit eam esse absentia solis super terram, quia decidente sole, vocamus vesperam, inchoante mane vocamus diem. Nox autem hic privatio operis est, aut nox ipsa possibilitas appellata est, quæ inest rebus factis, unde fieri potest, etiamsi non mutentur.

D. Factumque est vespere & mane dies Ibid. *unus*. Quomodo hoc intelligendum est?

M. Quid per vesperam nisi perfectio singulorum operum, & mane est inchoatio sequentium?

AUGUSTINUS.

D. Primum enim diem astruis spiritalem esse creaturam, & quomodo habuit vespere & mane?

M. Omnis namque creatura antequam tempore suo fieret, in ipso Dei Verbo erat, prius ab angelis cognoscenda, & sic suo tempore facienda. Quapropter ipsa creaturæ cognitio in semetipsa vespera erat, in Deo autem mane, quia plus videtur ipsa creatura in Domino, quam in seipsa videtur creatura. Plus scilicet videtur in arte qua facta est, quam in seipsa quæ facta est. Propterea enim ait evangelista Johannes: *Quod factum est in ipso vita erat*: Omnia igitur quæ facta sunt & vitam non habent, in ipso Verbo Dei vita sunt, in seipsis non sunt vita. Cœlum, terra, lapis, vitam non habent, & tamen in Domino vita sunt. Vivunt igitur in Deo sine initio, atque incommutabiliter omnes rationes creaturarum. Ac per hoc plus videntur ab angelis sanctis in Verbo Dei ubi sunt vita, quam in seipsa, quia scientia angelorum in comparatione Dei quodammodo vesperascit. Ergo in cognitione firmamenti secundus. In cognitione discretionis terræ ac maris tertius. In cognitione solis ac lunæ vel stellarum, quartus. In cognitione reptilium, vel animalium, quintus. In cognitione jumentorum & ferarum vel ipsius hominis, sextus. Neque enim diei unius quem intelligimus spiritalem creaturam, id est angelicam, sexies facta cognitio: sexies fecit propter senarii numeri perfectionem. Sed de numero & de senarii numeri perfectione aliquid tibi ex scripturis sanctis colligam. Libens adesto, & te totum ad audiendum præpara. Unus in numeris dividi non potest, ab ipso enim surgit omnis numerus; ergo duo dividi possunt. Si pars ejus unus est, igitur divisio duorum in unum, divisio trium in unum. Quid aliud hic numerus ostendit nisi Trinitatem quæ Deus est, quia quamvis tres sint personæ, in una creduntur unitate naturæ. Quaternarius duas partes habet. Nam quarta ejus unum est, media ejus duo. Unum videlicet & duo tria sunt. Ecce partes suas, nec ultra excrescit, nec complet, & ideo imperfectus est numerus. Quinarius non habet nisi unum quod est quinta. Senarius igitur numerus perfectus est, quia partibus suis completur, habet enim unum quod est sexta, duo quod est tertia, tria quod est media: unum ergo duo & tria sex faciunt. Ideo propter hujus numeri perfectionem, sex diebus operatus est omnem creaturam. Tres hæ partes senarii numeri demonstrant nobis Trinitatem Deum in trinitate numeri & mensuræ & ponderis fecisse omnem creaturam. Plurimum valere senarii numeri perfectionem in scripturis sanctis frequenter repperimus, præsertim in morte Domini simpla & in resurrectione ejus simpla. Mors itaque Domini nostri JESU CHRISTI non fuit in anima, sed in carne sola. Mors vero nostra non solum in carne, sed etiam in anima. In anima propter peccatum, in carne vero propter pœnam peccati. Ille vero quia peccatum non habuit in anima, non est mortuus nisi tantum in carne, & hoc propter similitudinem carnis peccati quod de Adam traxerat. Igitur simpla ejus mors fuit, nostra duplex. Est & simpla resurrectio ejus, resurrectio nostra duplex est. Mors carnis ejus & resurrectio ejus, mors carnis nostræ & resurrectio ejus, mors animæ nostræ & resurrectio ejus. Duæ mortes nostræ & duæ resurrectiones nostræ, duæ & duæ quatuor sunt. Uni morti Domini & uni resurrectioni ejus adde & quatuor nostras, sex faciunt. Igitur simplum Domini & duplum nostrum tres sunt, & tres partes habet, secundum quod supra diximus, senarius numerus. Nam XXXVI. horæ quibus Dominus fuit in inferno, huic simplo & duplo congruunt. XII. igitur fuerunt diurnæ, & XXIV. nocturnæ, XXIV. ad duplam mortem nostram conveniunt, & illæ XII. horæ ad mortem Domini simplam. Revera enim & nativitas ejus senarium numerum habet. XLVI. annis ædificatum esse templum astruunt Judæi in evangelio, quod intelligitur de corpore Domini. XLVI. anni pro diebus positi sunt. XLVI. diebus dicunt infantem formari in utero, & subinde usque in diem parturitionis augmentari. Quadragies quippe seni fiunt CCLXXVI. qui faciunt menses novem & dies decem. Computa ergo ab octavo kal. Aprilis, quando passus est Dominus, tunc etiam creditur fuisse conceptus usque in diem VIII. kal. Januarii, & reperies dies CCLXXVI. qui constat per senarium numerum. Quid de illa muliere in evangelio quam XVIII. annis incurvaverat satanas, quam sanavit Dominus, dicimus quia & ipsi anni senarium numerum habent; ter igitur seni x. & VIII. Illa igitur mulier intelligitur genus humanum, quam in sexta ætate sæculi a diaboli captivitate liberavit. Prima ætas ab Adam usque ad Noë. Secunda a Noë usque ad Abraham. Tertia ab Abraham usque ad David. Quarta a David usque ad transmigrationem Babylonis. Quinta a transmigratione Babylonis usque ad Johannem Baptistam & adventum Domini Salvatoris. Sexta quæ nunc agitur, donec Excelsus veniat ad judicium. Sexto itaque sæculo reformatur genus humanum ad imaginem Dei. Profecto enim anni XVIII. non solum sex ætates, sed etiam tria tempora evidenter demonstrant. Unum scilicet ante legem, alterum sub lege, tertium sub gratia. Igitur & ipse annus senario numero continetur, habet enim dies

Joh. 1. 3. 4.

CCCLXV. & quadrans. Sexties quippe sexageni CCC. sexageni, remanent profecto dies quinque & quadrans quinque dies sexti mensis, & tamen si illud quadrans pro die ponas, a parte totum sex faciunt. Ecce quantum mihi Deus adjuvare dignatus est, de senarii numeri perfectione, & si non quantum volui, tamen quantum potui, reddidi rationem.

INCIPIT DE DIE SECUNDA disputatio.

Gen. 1. 6. *Dixit quoque Deus fiat firmamentum in medio aquarum & dividat aquas ab aquis.*

AUGUSTINUS.

Lib. 2. ad litteram cap. 5. & seqq. *D.* Ordo elementorum & pondus non finit ut sit aquarum substantia super cœlos, aqua enim cedit terræ, & aër cedit aquæ, & ignis cedit aëri, nullomodo enim potest esse ut secundum elementum, quod est aqua, sit super quartum quod est ignis; & quomodo dictum est, *fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis*?

M. Quomodo aut qualeslibet sint aquæ illæ quas scriptura dicit super cœlos esse, esse eas ibidem minime dubitemus. Sicut enim istæ nubes quæ utique sunt feruntur super aërem, ita fieri posse arbitror ut aquæ tenues atque subtiles ferantur super cœlum. Nam ex hoc pondere elementorum multi philosophi resurrectionem carnis illudentes, non posse fieri inquiunt, ut homo qui utique ex terra factus est, sit in cœlo; sed hos Veritas convincit, qui facit multa animalia terrena volare in aëre, & ignem quod est utique quartum elementum, esse in terra. Ergo Dei potentia quæ hæc facere approbatur, facit ut homo & aquæ sint super cœlum. Sed talibus adversariorum disputationibus quidam cedens, laudabiliter conatus est demonstrare, aquas super cœlos, ut ex ipsis visibilibus conspicuisque naturis adsereret scripturæ fidem. Et prius quidem quod facillimum fuit ostendit, & hunc aërem cœlum appellari: propter quod dicimus serenum vel nubilum cœlum, vel quod vocantur volatilia cœli. Cum ergo probasset hunc aërem cœlum dici, nulla alia causa etiam firmamentum appellatum voluit existimari, nisi quia intervallum ejus dividit inter vapores aquarum & istas aquas, quæ corpulentius in terris fluitant. Ergo ex aëre qui est inter vapores humidas, unde superiora nubila conglobantur, & maria subterfusa, ostendere ille voluit esse cœlum inter aquam & aquam, quamquam possit videri non impedire propria pondera elementorum, quomodo etiam super illud sublime cœlum possint esse aquæ per illas minutias per quas etiam super hoc spatium aëris esse potuerunt. Ipsi quippe subtilissima ratione persuadent, nullum esse quamlibet exiguum corpusculum in quo divisio finiatur. Ac per hoc si potest aqua, sicut videmus, ad tantas guttarum minutias pervenire. ut super istum aërem vaporaliter ferantur; cur non possit & super illud cœlum levius minutioribus guttis, & levioribus imminere vaporibus.

Quidam etiam nostri istos de ipsorum siderum qualitatibus & meatibus convincere moliuntur; idem namque asserunt stellam, quam Saturni appellant, esse frigidissimam, eamque per annos XXX. signiferum peragere circulum. Quæritur igitur ab eis, unde illa sit frigida, quæ tanto ardentior esse deberet, quanto sublimior e cœlo rapitur. Nam procul dubio cum rotunda moles circulari motu agitur, interiora ejus tardius eunt, exteriora celerius. Quæ autem celerius, utique ferventius. Proinde memorata stella magis debuit calida esse quam frigida: nimirum ergo eam frigidam facit aquarum super cœlum constitutarum illa vicinitas. Quæri etiam solet quæ forma & figura cœli esse credenda sit, utrum cœlum sicut spera *(a)* undique concludat terram in media mundi mole libratam; an eam ex una parte desuper velut discus cooperiat. Sed aliquis ait: Quomodo non est contrarium his qui figuras speræ cœlo tribuunt, quod scriptum est in litteris nostris: *Qui extendit cœlum sicut pellem*? Cui responderi potest, quod pellis non solum in planum, verumetiam in rotundum sinum extenditur: nam & uter & vesica pellis est. Ibid. cap. v. Ibid. cap. IX. [a]

* AMBROSIUS. * l. Augustinus. Ibid. cap. x.

De motu etiam cœli nonnulli fratres quæstionem movent, utrum stet, an moveatur, quia si movetur, inquiunt, quomodo firmamentum? Hinc noverint nomen firmamenti non cogere, ut stare cœlum putetur. Firmamentum enim non propter stationem, sed propter firmitatem, aut propter intransgressibilem terminum superiorum atque inferiorum aquarum vocatum intelligere licet. Hoc tamen intelligendum quod sydera circuunt, cœlum autem firmum stat, ut poëta.

Nam cœli in ævum suum incontaminata materies. Naturam tamen aquarum illic jam non vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate pendere æstimamus propter syderum naturas mitigandas, ne creaturas Dei subterpositas nimio ardore concrement. Dicimus ergo de ipsis aquis quod conglobatæ minimæ guttæ in unum, & faciunt collectionem unam, & propter gravitatem ponderis non eas suffert aër sustinere, sed ejus ponderibus ad imum diffundendo dat locum, hæc est pluvia.

Ergo aërem, qui est inter vapores humi-

(a) Ita in vetustis codicibus solet scribi *spera* pro *sphæra*.

dos, unde desuper nubila globantur, & maria subterfusa, volunt intelligere cœlum esse inter aquam & aquam. Secundum vero cœlum, quod per spiritum cernimus, unde animalibus plenus discus ille ad Petrum missus in extasi mentis descendit. Tertium vero cœlum quod mente cognoscimus, ita secretum atque remotum, vel omnino mundatum, vel carnis sensibus abreptum, ut ea quæ in illo cœlo sunt, ipsam Dei substantiam Verbum, per quod facta sunt omnia, in caritate Spiritus-sancti ineffabiliter videre valeant. ISIDORUS.

Tandem insanire desinant hæretici, atque confusi agnoscant, quia qui cuncta potuit creare ex nihilo, potuit & illam aquarum naturam glaciali soliditate stabilire in cœlo. Nam cum & ipsi dicant, volvi orbem stellis ardentibus refulgentem, nonne divina providentia necessario prospexit, ut intra orbem cœli & supra orbem redundaret aqua, quæ illa ferventis axis incendia temperaret. ITEM.

Isid. in Gen. c. 2. Secunda, inquit, die disposuit Deus firmamentum, id est solidamentum sanctarum scripturarum, firmamentum enim in ecclesia, scripturæ divinæ intelliguntur, quia cœlum plicabitur sicut liber. Discrevitque super hoc firmamento aquas, id est cœlestes populos angelorum, qui non opus habent hoc suscipere firmamentum, ut legentes audiant verbum Dei. Vident enim semper eum & diligunt; sed superposuit istud firmamentum legis suæ, super inferiorum populorum infirmitatem, ut ibi suspicientes cognoscant qualiter discernant inter carnalia & spiritalia, quasi inter aquas superiores & inferiores. *Factumque est vespere & mane dies secunda.*

DE DIE TERTIA ORITUR QUÆSTIO.

Gen. 1. 9. D. *Dixit vero Deus: congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum unum, & appareat arida.* Hinc quoque oritur quæstio. *August. De Genesi ad litt. lib. imperf. cap. x.* Si totam terram aqua tegebat, non erat locus ubi aquæ congregarentur, dum totam terram tegebat aqua. Et quomodo scriptura dicit: *Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum unum, & appareat arida?*

M. Totam terram tegebat aqua sicut rarissima nebula, quæ postea in unum redacta atque collecta est, ut possit terræ species apparere, quamquam & terra longe lateque subsidens, potuit concavas partes præbere, quæ confluentes aquas susciperent, ut arida appareret. AMBROSIUS.

Breviter ammonemus, ut quem forte non movet quærere quando species aquarum terrarumque creata sit; accipiant isto die non esse factum, nisi ut secernerentur hæc duo. Nam illud quod dictum est, ante dierum enumerationem terra erat invisibilis & incomposita, cum commendaret

A scriptura cujusmodi terram fecerat Deus, quia prædixerat, *In principio creavit Deus cœlum & terram*, nihil aliud his verbis intelligendum est, quam materiæ corporalis informitatem insinuare voluisse; si tamen tardo intellectui non subrepat, ut materiam & speciem, quia verbis scriptura separat, conetur hæc duo etiam tempore separare. ITEM UBI SUPRA.

D. *Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in locum unum, & appareat arida.* Quid est ergo quod non ait, fiat arida visibilis vel aqua congregata?

B M. Quia propinquiora sunt eidem informitati quam cœlestia corpora, aut de his per numerationem dierum infirma rerum condiuntur, ideo noluit inferri, ut similiter cum superioribus fieri imperaret. UNDE SUPRA.

Spiritaliter. Tertia, inquit, die collegit in unum aquas inferiores salsas, hoc est homines infideles, qui cupiditatum tempestate & tentationum carnalium fluctibus quatiuntur, & in seipsis quasi amaritudo includuntur; segregavitque ab eis aridam, populum scilicet fontem vitæ sitientem. *Isidor. com. in Gen. c. 2.* C Obfixitque dehinc superborum limites, & coërcuit eos ne turbulentis iniquitatum suarum fluctibus aridam, id est animam sitientem Deum conturbent, liceatque ei germinare bonorum operum fructus secundum genus suum, diligens proximum in subsidiis necessitatum carnalium, habens in se semen secundum similitudinem, ut ex sua infirmitate compatiatur ad subveniendum indigentibus. Producens & lignum forti robore, & fructiferum, id est beneficium ad eripiendum eum qui injuriam patitur de manu potentis, præbendo protectionis umbraculum valido robore justi D judicii. Sequitur.

Vocavitque Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellavit maria. *Gen. 1. 10.*

Hieronymus in libro Quæstionum Hebraicarum. Notandum quod omnis congregatio aquarum, sive salsæ sint sive dulces, juxta idioma linguæ hebraïcæ, maria nuncupentur. Frustra igitur Porphyrius evangelistas ad faciendum ignorantibus miraculum, eo quod Dominus super mare ambulaverit, pro lacu Genesareth mare appellasse calumniatur, cum omnis lacus & aquarum congregatio maria nuncupen- E tur. Sequitur.

Et vidit Deus quod esset bonum, & ait: Germinet terra herbam virentem, &c. usque & factum est ita. *Gen. 1. 11.*

Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum. Quid hoc loco per herbam, nisi bona operatio ponitur; licet in conditione mundi ita historice factum teneamus: terram tamen ecclesiam figurasse non inconvenienter accipimus, *GREG. Lib. 29. mor. c. 26.*

cipimus, quæ in eo germinavit herbam virentem, in quo ad verbum Dei fœcunda misericordiæ opera protulit. Sequitur.

Ibid. *Lignumque faciens fructum juxta genus suum.* Et *habens unumquodque sementem secundum speciem suam.* Lignum secundum suam speciem semen producit, cum mens nostra ex se considerationem in alterum colligit, & recti operis germen parit. Hinc quidam sapiens dicit: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.* Hinc in evangelio dicit: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis*; ac si aperte diceret: Speciem vestram in alterum respicite, atque ex vobismetipsis cognoscite quid vos oporteat aliis exhibere. Et sicut superius diximus terram significare ecclesiam, quæ & verbi nos pabulo reficit, & patrocinii umbraculo custodit. Quæ & loquendo pascit, & opitulando protegit, ut non solum herbam refectionis proferat, sed etiam cum fructu operis arborem protectionis.

Greg. lib. 5. Moral. cap. 35.

Tob. 4. 16.

Matt. 7. 12.

AUGUSTINUS.

D. Cum dixerit Deus, germinet terra herbam virentem & adferentem semen & ligna fructifera; ligna infructuosa vel spinas & tribulos quando fecit?

M. Simul omnia Deus fecit, dicente scriptura: *Qui vivit in æternum creavit omnia simul.* Nullatenus igitur dicenda sunt infructuosa ligna, quæ aliquo modo hominibus adferunt adjumenta. Quæ & revera si non invenimus in eis aliquid ad edendum, invenimus aliquid ad medicamentum, invenimus ad adjutorium. Nam quantæ utilitates sint in eis, ipse considera. Fructifera ligna ex fruendo dicta sunt, si ab omni ligno possumus habere adjutorium; jure nullum lignum dicimus infructuosum. Tribulos vero & spinas quamvis post peccatum hominis nascantur ad laborem, dicente scriptura: *Spinas & tribulos pariet tibi*; tamen non est dicendum tunc ea aboriri ex terra, quia jam erant utique ad pastus pecorum ac volatilium facta, non ad augendum hominis pœnam producta.

Gen. 1 13. *Viditque Deus quod esset bonum, & factum est vespere & mane dies tertius.*

Quotiens tibi hoc verbum occurrerit, memento sententiæ primi diei, quam posuimus ita: Si sic subito Deus vidit lucem, quod esset bona, &c.

INCIPIT DE DIE QUARTA.

Gen. 1. 14. *Dixit etiam Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, & illuminent terram.*

D. Non antea tempora fuerunt?

IN HEXAMERON.

M. Quis non videat quam obscure positum sit quarto die cœpisse tempora, quasi superius triduum sine tempore præterire potuerit, qui suæ tamen creationis tempus habuerunt, syderum tamen distinctione il-

A lud triduum non habuerunt. Qualis etiam luna facta sit, utrum prima, an plena, multi loquacissime inquirunt. Sed plane dicam, sive primam sive plenam lunam Deus fecerit, fecisse perfectam. Omnis autem res quicquid progressu naturali per tempora congrua quodammodo prodit atque explicat, etiam ante continebat occultum, & si non specie vel mole corporis, vi tamen & ratione naturæ; nisi forte arbor quæ per hyemem pomis vacua foliisque nudata est, tunc imperfecta dicenda est. Nonnulli etiam multas stellas vel æquales soli, vel etiam majores audent dicere, sed longius positas parvas videri. Et si ita est, cur istas

August. lib. 2. de Genes. ad litt. c. 15.

B per signa circumeuntes amplius venerantur? cur non eas signorum dominas esse perhibent? Etenim si regradationes illas siderum, vel fortasse tarditates non a sole fieri quisque contendat, sed aliis occultioribus causis, soli tamen isto in suis deliramentis quibus vim fatorum a veritate devii suspicantur, præcipuam tribuere potestatem ex libris eorum certe manifestum est. Quia vero terrenis & corporalibus illa corpora non ad ea quæ ipsi tractant potentiora sunt, vel hinc aliquando cognoscant,

C quia cum multa corpora diversorum generum, vel animantium, vel herbarum & arbustorum, uno simul puncto temporis seminentur, unoque puncto temporis innumerabilia multa nascantur, non tantum diversis, sed etiam hisdem terrarum locis tantæ sunt varietates in progressibus, in actibus & passionibus eorum, ut vere isti, sicut dicitur, perdant sidera, si ita considerent. Fatendum ergo est, quando ab his vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanæ mentes patiuntur. Quod cum ad decipiendos homines fit, spirituum seductorum operatio est,

D quibus quædam vera de temporalibus rebus nosce permittitur, partim subtilioris sensus acumine, quia corporibus subtilioribus vigent, partim experientia callidiore, propter tam magnam longitudinem vitæ; partim a sanctis angelis, quod ipsi ab omnipotente Deo discunt, etiam jussu ejus sibi revelantibus, qui merita humana occultissimæ justitiæ sinceritate distribuit. Aliquando autem iidem nefandi spiritus etiam quæ ipsi facturi sunt, velut divinando prædicunt. Sequitur.

E *Fecit quoque Deus duo magna luminaria; luminare majus ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti, & stellas, & posuit eas in firmamento cæli, ut lucerent super terram, & præessent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras.* Gen. 1. 16.

D. Quomodo ista secundum sensum intelligenda sint, quæso ut dicas?

ISIDORUS.

M. Quarta namque die emicuerunt lu- Isid. com. in Genes. cap. 2.

minaria firmamento legis infixa, id est evangelistæ, doctores, scripturam sanctam (a) disputando cohærentes, & omnibus inferioribus lumen sapientiæ demonstrantes; prodiit etiam simul & cetera micantium siderum turba, id est diversarum virtutum in ecclesia numerositas, quæ in hujus vitæ obscuritate tamquam in nocte refulgentes, dividunt in hoc firmamento scripturæ sensibilia & intelligibilia, quasi inter lucem perfectorum, & tenebras parvulorum, & sunt in signis virtutum & miraculorum; sunt etiam in tempora, & dies, & annos, quia prædicatores propriis temporibus vivunt & transeunt; verbum autem Domini stabit in æternum.

D. Cur primo terra germinaverit, deinde sint facta luminaria?

M. Quia post opera bona venit illuminatio lucis ad contemplandam speciem divinæ virtutis.

Gen. 1. 18. *Et vidit Deus quod esset bonum, & factum est vespere & mane dies quartus.*

D. Cur vespera vel mane nominavit, de nocte autem nihil indicavit?

M. Quid ergo aliud noctem dicamus, nisi absentiam lucis, quæ inter vesperam & mane restare videbatur? An quia prima lux angelicam significavit creationem, qui contemplando creatorem suum, cum concordissima caritate, sine cœcitate ignorantiæ creatorem in perpetuum laudare non cessant. Sed tamen initio operis & fine lucide cognoverunt quod vespera & mane vocatur.

INCIPIT DE DIE QUINTA.

Gen. 1. 20. *Dixit etiam Deus, producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram sub firmamento cæli.*

D. Quid ergo est quod prius ornavit aquas de reptilibus, antequam terram de animalibus.

AMBROSIUS IN HEXAMERON.

M. Ratio namque erat, ut quæ prius visibilis apparuit, prius etiam ornatum suum reciperet. Aut quia in principio cœlum recepit ornatum suum, id est de angelis quando creati fuerunt. Similiter autem & terra, quando eam de herbis vel de arboribus vestivit. Ratio enim erat, ut aquæ reciperent ornamentum suum de reptilibus, vel aër de volatilibus.

D. Quid est enim, quod sæpe legimus de creatura cœli & terræ & maris, similiter quando creati sunt, vel quomodo, de aëre autem nihil indicavit?

Aug. lib. 3. de Genes. ad litt. c. 1. & seq. M. Non enim arbitrandum, ut ullum elementum in hac scriptura prætermisisset, nisi quia consuetudo est divinæ scripturæ, cœlum & terram totum mundum appellare, & ideo æstimandum est aërem ad cœ-

(a) In editis, scriptura sancta.

A lum & terram pertinere. Et quicquid est humidum, vel vaporaliter expansum, hoc ad terram pertinet: quicquid vero tranquillum & quietum est, ad cœlum pertinere dicitur. Et quod ita sit aër aquæ similis, & ex ejus halationibus pinguescere probatur, ita ut spiritum procellæ faciat, id est nebulam. Aër namque cœlo, in quo sunt luminaria, ita vicinus est, ut & ipse cœli nomen accipiat. Nam cum dicitur in psalmo: *Laudate eum cœli cœlorum*, satis apparet hunc aërem non solum cœlum, sed etiam cœlos dici, sicut dicuntur & terræ, cum una sit. Hos etiam aëreos cœlos quondam periisse diluvio, in quadam earum quæ B canonicæ nuncupantur epistola legimus, quod nescio quemadmodum possit intelligi, nisi in aquarum naturam pinguioris hujus aëris qualitatem conversam. Oportebat ergo ut in creandis habitatoribus inferioris hujus mundi partis, qui sæpe terræ nomine tota commemoratur, prius producerentur ex aquis animalia, postea vero de terra, & quod ita, ut jam supra diximus, sit aër aquæ similis, ut ex ejus halationibus pinguescere probetur. Ac per hoc non C scriptum est: Producant aquæ reptilia animarum vivarum, & producat aër volatilia volantia super terram; sed utrumque hoc animantium genus ex aquis productum esse narratur. Quicquid ergo aquarum sive labiliter undosum & fluidum est, sive vaporaliter tenuatum atque suspensum, ut illud reptilibus, hoc volatilibus appareat distributum, utrumque tamen humidæ naturæ deputatur. Et ideo sunt qui subtilissima consideratione quinque istos corporis sensus, secundum quatuor usitata elementa distin- D guunt, ut oculos ad ignem, aures ad aërem purum dicant pertinere; olfactum autem ad aërem humidum, gustum vero ad corpulentos humores, tactum ad elementum terrenum, ac per hoc elementa omnia in omnibus esse, sed unumquodque eorum ex eo quod amplius habet accepisse vocabulum. Ideo autem caloris privatione, cum corpus nimie frigescit, obtundi sensum; quia motus pigrescit qui ex calore inest corpori, dum ignis aërem, & aër humida, & humor terrena quæque afficit, subtilioribus E scilicet crassiora penetrantibus. Quanto autem quidque subtilius est in natura corporali, tanto est vicinius naturæ spiritali. Anima tamen cui sentiendi vis inest, cum corporea non sit, per subtilius corpus agitat vigorem sentiendi. Habet itaque motum in omnibus sensibus per subtilitatem ignis, sed non in omnibus ad idem pervenit. In visu enim pervenit represso calore usque ad ejus lucem. In auditu usque ad liquidiorem aërem. In olfactu transit ad aërem purum, & pervenit ad humidam exhalationem unde crassior hæc aura subsistit. In gustu &

Psal. 148. 4.

hanc transit, & pervenit usque ad humorem corpolentiorem. Quo etiam penetrato atque trajecto, cum ad terrenam gravitatem pervenit, tangendi ultimum sensum agit. Non ergo ignorabat naturas elementorum, qui prius cælestia luminaria, deinde aquarum animantia, terrarum autem postrema narravit, non quod aërem prætermiserit, sed quia puriorem partem ejus cœlo, pinguiorem vero terris nuncupat. Quod enim & tactu aquas ventosque sentimus, hoc est quod terræ solidum omnibus admiscetur elementis. In cœlo ergo volant aves, sed isto quod psalmus etiam terræ nomine includit. Non ita in firmamento, sed secundum firmamentum. Nec ignoro quosdam philosophos sua cuique elemento distribuisse animalia, ut terrena esse dicerent non tantum quæ in terra repunt atque gradiuntur, sed aves etiam quod & ipsæ in terra requiescant volando fatigatæ; aërea vero animalia dæmones esse, cælestia deos, quorum quidem nos partim luminaria, partim angelos dicimus. Aquis tamen pisces & sui generis belluas tribuunt, ut nullum elementum suis animalibus vacet. Distribuuntur enim elementa ad patiendum duo, humor & humus; ad faciendum autem alia duo, aër & ignis. Aër namque a confinio luminosi cœli usque ad aquarum fluida & nuda terrarum pervenit. Non tamen totum spatium ejus exhalationes humidæ infuscant, sed usque ad eum finem unde incipit jam terra nominari, sicut in psalmo, *Laudate Dominum de terra*. Superior vero pars aëris propter puram tranquillitatem cœlo cui conlimatur, communi pace conjungitur, & ejus vocabulo connuncupatur, in qua fortassis parte, si fuerunt ante transgressionem suam transgressores angeli cum principe suo, nunc diabolo tunc archangelo, nonnulli nostri eos putant cælestes vel super cælestes angelos fuisse: non mirum si post peccatum in istam sunt detrusi caliginem. Ubi tamen & aër sit & humore tenui contexatur, qui commotus ventos & vehementius concitatus etiam ignes, & contractus nubila, & conspissatus pluviam, & congelantibus nubilis nivem, & turbulentius congelantibus densioribus nubilis grandinem, & distentus serenum facit, occultis imperiis & opere Dei a summis ad infima universa quæ creavit administrantis. Sed ut jam diximus, aër ex aqua fit, in aëre enim volatilia cœli consistunt, unde aves cœli nominamus, & dæmones in aëre habitare dicuntur, & propterea eos suffert aër sustinere, quia aëream imaginem utuntur, & exinde impugnant humanum genus, quia statim quando creati fuerunt, de conspectu Dei projecti sunt. Unde Salvator in evangelio ait: *Vidi satanam sicut fulgur cadentem de cœlo*. Ubi juste quæritur, quomodo cadere dicitur, si non stetit. Sed sciendum, quia non perseveravit in consortio sanctorum angelorum: sed statim quam cito seipsum aspexit in claritate Dei, erexit se in superbiam, & dixit: *Ascendam in cœlum, & supra astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*. Et statim projectus est de altitudine cœli in aërem cum omnibus satellitibus suis, quia non persteterunt in divino amore, sicut illi qui firmati sunt, ut si velint peccare, non possint, quia ipsi in principio proprium arbitrium habuerunt sicut genus humanum videtur habere. Illi autem de proprio arbitrio lapsi, sententiam Dei acceperunt, ut si velint reparari non possint.

Psal. 148. 7. — Isa. 14. 14.

D. Iterum dixit Deus, ille ab initio homicida fuit & in veritate non stetit. Cur homicida? (Joh. 8. 44.)

M. Quia primum Adam jugulavit in paradiso, quando poma edere suasit, & de immortalitate* factus est mortalis, & propterea humanum genus usque ad adventum salvatoris jugulavit.

*f. immortali.

D. Quomodo in veritate non stetit?

M. Quia non meruit accipere, quod ei promissum fuerat, ut cum creatore suo in perpetuum cum reliquis angelis permansisset; sed projectus est in terram cum suis. Ubi sine dubio pœnam patiuntur, quia in aëre ignis sidereus eis dominatur, & sibi pro genere suo quasi quidam carcer deputatus est, quousque veniat tempus diei judicii, ut in ignem mittantur æternum. Sequitur.

Creavitque Deus cete grandia & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas & omne volatile juxta genus suum. (Gen. 1. 21.)

D. Nosce cupio quando minimi pisces vel animalia, sive vermiculi quos scriptura non meminit, creati fuerunt. Et dum ratio inquirenda est ab elephanto maximo usque ad vermiculum minimum, unde veniant, dum scriptura hic nihil indicavit.

M. Intelligendum enim est, quod quando Deus separavit aquas ab aquis, tunc minima animalia quæ de aquis efficiuntur, in ipsis aquis natura illorum consistebat; & illi vermes qui incorporibus mortuorum sunt, in ipsis corporibus eorum habent vigorem nascendi, & pisces de aquis procreantur, dum dicit. *Producant aquæ reptile animæ viventis*.

D. Si aqua tegebat terram, an terra aquam quæso ut dicas.

M. Aqua tegebat terram; quasi aliqua pars terræ elapsa fuerit super aquam, statim erupta est aqua, & in locum suum terra revertitur.

D. Quomodo in psalmo dicit quia *ipse*

Ps. 23. 2. *super maria fundavit eam, & super flumina* A *præparavit eam*, si aqua terram tegebat.

M. De altiori terra hoc dicit, ubi montes esse videntur, aut de insulis illud dictum est, ubi terra altior est quam aqua. Sed magis hoc secundum sensum intelligendum est; quia simplices in ecclesia super prudentes fundati sunt. Vivæ itaque aquæ dicuntur illi, quia sustentant eos quos inferiores vel infirmiores se esse conspiciunt, quia quantum est inter lunam & sidera cœli, tantum est inter sanctam rusticitatem, & sanctam simplicitatem. Sequitur.

Gen. 1. 22. *Benedixitque eis dicens: crescite & multiplicamini & replete aquas maris.* B

D. Quare ista animalia benedictionem accipere meruerunt sicut & homo?

M. Id est ut intelligamus istam benedictionem in ceteris animalibus permanere.

Avesque multiplicentur super terram & factus est vespere & mane dies quintus.

INCIPIUNT QUÆSTIONES de die sexta.

Gen. 1. 24. *Dixit quoque Deus producat terra animam viventem in genere suo, jumenta & reptilia & bestias terræ, secundum species suas: factumque est ita.* C

AMBROSIUS.

D. Quærendum nobis est si ista animalia venenosa in principio quando creata sunt, venenum habuerunt sicut nunc.

M. Hoc procul dubio sciendum, quia sicut tunc creata fuerunt, ita permanent; sed tamen in principio nocendi non habuerunt potestatem, (a) sicut probare possumus de serpentibus. Quando vipera invasit manum Pauli, & nihil ei nocuit, quia potestatem habuit invadendi, nocendi autem non habuit potestatem. Similiter de D bestiis quando Daniel missus fuit in lacum leonum, tunc leones nihil illi nocuerunt. aut propterea ista animalia venenosa creata fuerunt ad terrendum hominem, quem Deus præsciebat peccantem, ut intelligeret pœnas infernales; quia alibi dicit: *Vermes* Marc. 9. 44. *eorum non moriuntur, & ignis eorum non extinguitur*: quamobrem bestiæ inter se semetipsos nocerent, dum de originali peccato non habent, unde eis vindicta tribuatur.

AMBROSIUS.

De creatione hominis.

Gen. 1. 26. *Et vidit Deus quod esset bonum & ait: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei.* E

D. Hoc primum breviter dicimus non indifferenter accipiendum, quod in aliis operibus dicitur, *dixit Deus fiat*, hic autem *dixit Deus faciamus.*

[a] Hæc non videtur dicere S. Ambrosius lib. 6. in Exameron cap. 6. ubi solum ait venenosa animalia ad terrendum homines creata esse a Deo.

M. Ad insinuandum, ut ita dicam, pluralitatem personarum, propter Patrem & Filium & Spiritum-sanctum, quam tamen deitatis unitatem intelligendam statim admonuit dicens: *Et fecit Deus hominem ad imaginem suam.* Hic etiam illud non est prætereundum, quia cum dixisset ad imaginem nostram, statim subjunxit, *& habeat potestatem piscium maris & ceterarum animalium rationis expertium.* Ut videlicet intelligamus hominem in eo ad imaginem Dei factum, in quo irrationalibus animalibus antecessit. Id autem est ipsa ratio exorta vel mens vel intelligentia. Licet enim subtilissime disseratur ipsam mentem hominis in qua factus est homo ad imaginem Dei, quamdam scilicet rationalem vitam distribui in æternæ contemplationis veritatem, & in rerum temporalium administrationem; atque ita fieri quasi masculum & feminam, illa parte consulente, illa obtemperante. In hac tamen non recte dicitur imago Dei, nisi illud quod inhæret contemplandæ incommutabili Veritati, in cujus rei figura Paulus apostolus virum tantum dicit imaginem & gloriam Dei. (Aug. lib. 3. de Gen. ad litt. c. 19.)

ALIBI ISIDORUS.

Et fecit Deus hominem ad imaginem suam, id est ad æternitatem & immortalitatem. Ad similitudinem vero, ut intellectum mentis habuisset, non ut animalia qui nesciunt discernere inter bonum & malum.

ITEM AUGUSTINUS.

D. Quid sibi vult intelligi quod legitur in Genesi: *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram?*

M. In mente scilicet, id est in ratione & intelligentia. Ipsa itaque mens dum cogitat ea quæ æterna sunt, imago Dei dicenda est, cogitando æterna, vir est, sicut dicit apostolus Paulus: *Vir non debet velare* 1. Cor. 11. 7. *caput suum*, cum sit imago gloriæ Dei, id est quantumcumque se extenderit in id quod æternum est; tanto magis inde formatur ad imaginem Dei; & ideo non est cohibenda, ut se inde contineat ac temperet. Quando vero ea agit vel cogitat quæ sunt temporalia, mulier appellatur, tunc non est dicenda imago Dei, & propterea debet velare caput suum, ne nimium sit ad inferiora progressio, ne cum licita agit, illicita concupiscat.

D. Et creavit Dominus Deus hominem ad Gen. 1. 27. *imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum & feminam creavit eos.* Quid est enim quod feminam dicit creare cum masculo, quæ adhuc formata non erat?

M. Quia de Adam processura erat. Sic etenim in semente arboris multa occultantur; primo igitur in radice figitur, deinde in qualitate arboris, postea in effusione ramorum, & exinde in viriditatem foliorum

&

& cetera. Ita & femina in corpore Adæ latebat, quia de costa ejus fabricanda fuit. Sequitur,

Gen. 1. 28. *Et Benedixit eis dicens crescite & multiplicamini & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris & volatilibus cœli, & universis animantibus quæ moventur in terra.*

D. Quare homo istam benedictionem accipere meruit?

M. Ne inculpari videretur in procreandis filiis, ut declararet nullum exinde peccatum habere, si legitime nuberetur.

D. Si ergo Adam talis est creatus ut immortalis permaneret, cur eis dicitur: *Crescite & multiplicamini?*

M. Hoc namque intelligendum quia non secundum concupiscentiam carnis, neque ulla mala voluntate debuerunt filios procreare, nec sicut non in dolore pariunt filios, sed sicut quisque imperat membra sua aliquid exercere vel manum in operando, vel pedem in ambulando, ita & illi debuerunt in paradiso fœtus procreare.

D. Si autem sic debuerunt fœtus procreare, quid est quod in paradiso antequam projecti fuissent non coierunt, simul ut filios procreassent?

M. Quia mox creata mulier transgressa est, & de alta immortalitate in ima profundi projecta est.

D. Quomodo ergo corpora illorum mutari debuerunt, si illi immortales permanerent?

M. Id intelligendum, quia si non peccassent, mori omnino non possent, sed corpora illorum sine mortalitate, postquam numerus ille impletus fuisset, juxta numerum angelorum in melius commutari debuerunt.

AUGUSTINUS.

D. Primus homo mortalis factus est an immortalis?

M. Mortalis secundum alia & immortalis secundum alia. Tale ergo corpus habebat primus homo, quale & nos, sed sine peccato. Non enim habebat legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, quod utique meruit post prævaricationem. Igitur animale corpus habuit Adam, sed ut non senesceret, nec deficeret per illius ligni virtutem quo sustentabatur, quod in paradiso vitæ nomen acceperat, quapropter si Dei præceptum servasset, obedientiæ merito in illud corpus spiritale, quale sanctis in resurrectione promittitur, postmodum commutandum. Ac per hoc poterat non mori, si Dei piæ obedientiæ cohæsisset. Non enim factus fuerat, ut non possit mori, sicut & ceteræ naturæ, quæ omnino mori non possunt, sed ita ut obedientia immortalem, inobedientia mortalem faceret.

ITEM.

D. Si Adam immortalis aut mortalis fuit; & si mortalis quomodo immortalis? & si animalis quomodo spiritalis? aut quare cum ceteris animalibus in commune cibum sumsit?

M. Mortalis erat & immortalis. Mortalis erat quia potuit mori; immortalis quia potuit non mori, quia si non peccasset, mori omnino non potuisset, postquam autem peccavit, mortalis factus est.

ITERUM.

Mortalis erat & immortalis. Mortalis erat sua conditione, immortalis Dei beneficio quod ei præstabatur a ligno vitæ, a quo ligno cum peccasset, projectus est ut potuisset mori.

D. Quid ergo est quod nos, qui per Christum renati sumus, ipsam immortalitatem non accepimus, quam Adam habuit ante peccatum?

M. Non enim hoc accepimus quod in Adam perdidimus, id est corpus animale; sed tanto melius accepimus, quanto spiritalis corporali præponitur. Unde ait apostolus: *Seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale*, non enim recepimus immortalitatem corporis spiritalis, sed recepimus justitiam, de qua per peccatum lapsus est Adam, de qua etiam dicit apostolus; *Renovamini igitur spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Renovabimur igitur a vetustate peccati, non in pristinum corpus animale, in quo fuit Adam, sed in melius, id est in corpus spiritale, cum efficimur * æquales angelis Dei cœlesti habitatione. Renovabimur etiam spiritu mentis nostræ secundum imaginem ejus qui creavit nos, quam peccando perdidit Adam. Renovabimur etiam carne cum hoc corruptibile induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. ut sit spiritale corpus, in quod nondum mutatus est Adam, sed mutandus erat, quia in corpore portamus imaginem terreni hominis, in mente autem imaginem cœlestis. Unde iterum ait apostolus: *Si est corpus animale, est & spiritale*, sicut scriptum est: *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem; sed non primum quod spiritale est, sed quod animale, deinde quod spiritale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus tales & terreni.* Induamus & imaginem ejus qui de cœlo est. Imaginem autem terreni hominis ab exordio humani generis induimus, imaginem vero cœlestis hominis nunc ex fide portamus, quam habere in resurrectione credimus.

1. Cor. 15. 44. Eph. 4. 23. * f. efficiemur. Aug. lib. 6. de Gen. ad lit. cap. 24. 1. Cor. 15. 44.

D. Quare non benedixit arbores & herbas, sed hominem & animalia?

M. Ideo namque ista benedixit propter propagandam prolem, aut propter sexum masculini & feminini, aut quia arbores sensum non habent sentiendi vel intelligendi. Animalia sentiunt & non intelligunt, homo quidem sentit & intelligit, ideo arboribus non dixit: *Crescite & multiplicamini.*

Gen. 1. 29. *Dixitque Deus ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram*, &c. usque: *Et factum est ita. Viditque Deus cuncta quæ fecit & erant valde bona.*

D. Cum Deus omnia bona creaverit, nihilque sit quod non ab illo sit conditum, unde malum?

AUGUSTINUS.

M. Malum natura non est, sed privatio boni hoc nomen accepit: Denique bonum potest esse sine malo, malum non potest esse sine bono, nec potest esse sine malo ubi non fuerit bonum, ac per hoc dicimus & angelum bonum & angelum malum. Sed bonum quod angelus, malum quod vitium: bonum quod homo, malum quod vitiosus. Ideoque quando dicimus bonum. naturam laudamus, quando dicimus malum, non naturam sed vitium quod est bonæ naturæ deprehendimus.

Gen. 2. 1. *Factumque est vespere & mane dies sextus.* Sequitur.

Igitur perfecti sunt cœli & terra & omnis ornatus eorum.

INCIPIT DE DIE SEPTIMA.

HIERONYMUS.

Et complevit Deus die sexta opera sua quæ fecit.

Lib. quæst. Hebraicarum. Pro die sexta in Hebræo diem septimam habet. Artavimus igitur Judæos, qui de otio sabbati gloriantur, quod jam tunc in principio sabbatum dissolutum sit, dum Deus operatur in sabbato, complens opera sua in eo & benedicens ipsi diei, quia in illo universa compleverit.

Gen. 2. 3. *D. Benedixit*, inquit, *diei septimo & sanctificavit illum.* Cur benedixit diem septimum, in quo nihil creavit?

M. Ne forte indigens apparere videretur, sicut homo post laborem fessus dicit: Deo gratias perfeci opus meum. Non enim Deus ita fecit, sed benedixit diei in quo nihil creavit, ut demonstraret quod ei nullus fuit labor cuncta creare, quia tantum dixit Deus *fiat* & facta sunt, & ideo ipse in die septimo requievit, ut nos in ipso faceret requiescere.

AUGUSTINUS.

D. Cum requies non sit nisi post laborem, cur Deus requiescere dicitur, an & ipse opere fatigatus est, ut requiescere diceretur.

M. Non in aliqua creatura tamquam ejus bona indigens requievit Deus, sed in

A seipso. Denique non in aliquo dierum, sed post sexti diei opera requiescere legitur. Unde liquido apparet, nullam creaturam Deum per indigentiam, sed sola bona voluntate fecisse. Quod si in aliqua creatura requiesceret, aliquam creaturam indigens faceret. Ergo quia nullam creaturam indigens fecit, in nulla requievit creatura. Nam quod dicit scriptura requievisse Deum in die septima ab omnibus suis operibus quæ fecit, hoc intelligi posse arbitror, quod non ipso bono indigens, quo sit beatior, requieverit, sed ipsum diem septimum, id

B est angelicam naturam adduxisse ad requiem suam, ut viderent, scilicet in Deo, sicut omnem formandam creaturam, ita & illud viderent, quod nullam creaturam per indigentiam fecisset, sed sola bonitate. Hoc enim arbitror posse intelligi requiem Dei. Intelligitur & aliter requies Dei, id est, cum nos post bona opera requiescere facit, secundum illum modum quem Deus dicit ad Abraham. *Nunc cognovi quod timeas Deum*, id est cognoscere te feci. Ita & hic intelligitur requiescere Deus, cum sanctis suis requiem præstat. Gen. 22. 12.

ITEM ALITER.

C Requiescere dicitur Deus a condendis novis creaturis, quia post editionem sex dierum operum, nullam deinceps condidit creaturam. Nam quod ait: *Pater meus usque modo operatur & ego operor*, non novam condens creaturam intelligitur, sed quam condidit administrando. Lib. 4. de Gen. ad litt. c. 12. Joh. 5. 17.

JUNILIUS.

Septimo die requievisse dicitur Deus, non à creando, cum quotidie ex ejus dispositione ac providentia omnis creatura renovetur, ut constat. Sed hoc significatum est, quod

D post illos sex dies, nullam mundo incognitam substantialem speciem aut naturam novam inexpertamque creaverit; dies namque iste primus, ipse est secundus, ipse est novissimus, quia repetitio est diei septimi.

D. Quare non benedixit diem in quo lucem angelicam creavit, vel illum in quo omnia perfecit?

M. Non enim sanctificans* diem in quo hoc facere inchoavit, neque eum in quo hoc perfecit, ne illis vel faciendis vel fa- *f. sanctificavit.

E ctis, actio ejus gaudium fuisse videretur: sed eum in quo ab ipsis in semetipso requievit, & nobis eam per diem septimum ostendit. Ipse tamen illa requie numquam caruit, sed significans non percipere requiem suam, nisi post perfectionem operis, & ideo in hac die vespera non successisse cognoscitur, quia requies nostra per perfectionem operis sine fine in gaudio erit. Sequitur.

Istæ generationes cœli & terræ quando creata sunt in die quo fecit Dominus cœlum & terram, & omne virgultum agri, antequam ori- Gen. 2. 4.

retur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret.

D. Inquirenda est ratio si ista omnia in uno die facta fuerunt, aut per sex dies, sicut scriptura commemorat. Et si per sex dies facta fuerunt, quomodo ergo sancta scriptura vera est quæ dicit: *Qui vivit in æternum creavit omnia simul?*

Eccle. 18. 1.

M. Ille namque secundum substantiam rerum simul creavit omnia; nam secundum speciem formæ, non simul creavit omnia, sicut mater infantem nutriens in gremio suo, expectat ut convalescat, ita Dominus tarditatem humani ingenii expectavit. Nam in principio apud ipsum cuncta creata fuerunt, sed non statim in speciem venerunt. Quando vero dixit: *In principio creavit Deus cœlum & terram*, tunc omnia sicut diximus apud ipsum facta sunt, quicquid * de cœlo & terra oritura fuerunt, quamvis per sex dies secundum speciem dividere voluisset, sicut dicit quarto die sidera in cœlo posuisse, tamen primo die apud ipsum in cœlo facta sunt, quæ die quarto in speciem venerunt. Quia sicut in grano sementis multa occultantur, radix, cortex, folia, fructus; vel multa alia quæ de ipsa arbore veniunt, ita apud Deum ista omnia prius occultabantur, quæ postea in speciem venerunt.

* l. quæque.

D. Ergo si simul omnia creavit, quomodo verum est quod legitur: *Pater meus usque modo operatur & ego operor.*

Johan. 5. 17.

M. Perspiciat peritia tua, quia quamvis tunc creasset omnia simul, quotidie tamen gubernat in rigando, in plantando, in ædificando, vel in ceteris rebus. Nam sicut homo qui agrum exercet, si illum dimittit, incultus remanet; ita & mundus a Deo creatus sine Dei gubernatione esse non potest, secundum apostolum Paulum: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed Deus qui incrementum dat.*

1. Cor. 3. 7.

Alii enim istos septem dies septem dona gratiæ Spiritus-sancti intelligere volunt, id est, spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilii & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis, & spiritum timoris Domini. Dicunt namque per spiritum sapientiæ fecisse Deum cælum & terram. Per spiritum intelligentiæ fecisse firmamentum & separasse aquas ab aquis. Per spiritum consilii segregasse aquas ab arida, & germinare terram fecisse. Per spiritum fortitudinis posuisse luminaria in firmamento cæli, ut dividerent diem ac noctem. Per spiritum scientiæ ornare aquas de reptilibus & aërem de volatilibus. Per spiritum pietatis vestire terram de animalibus, & hominem creare & cetera quæ sequuntur. Per spiritum timoris Domini die septimo opus suum sanctificasse.

Ita & nos debemus ista septem dona Spiritus-sancti in nobis imitari. Per spiritum namque sapientiæ cœlum & terram facere, id est cœlestia meditari & terrena derelinquere, vel lucem a tenebris separare, id est opera nostra perfecta a tenebris pravorum operum.

Per spiritum intelligentiæ debemus facere firmamentum inter aquas inferiores & superiores, id est disciplinam sanctam inter vitia & virtutes, ut non declinemus ad vitia.

Per spiritum consilii debemus aquas separare ab arida, id est homines reprobos ab anima sitienti verbum Dei.

Per spiritum fortitudinis debemus ponere luminaria in firmamento cœli, id est dilectionem Dei & proximi, quia dixit S. Johannes: *Qui odit fratrem suum, in tenebris est.* 1. Joh. 2. 11.

Per spiritum scientiæ debemus aquas ornare de reptilibus & cetera, id est de arcano cordis nostri vocem ad cœlum mittere, sicut pisces pennulis suis in altum saltum tribuunt, & volucres cœli in aëre volitant, ita & nos sensum nostrum ad superiora levare oportet.

Per spiritum pietatis debemus facere serpentes & pecora & cetera, id est ut simplicitatem ac prudentiam habeamus discernendi inter bonum & malum & fructum bonorum operum agentes, qualiter valeamus imitari exempla sanctorum, vel ipsam veritatem ad cujus imaginem facti sumus.

Per spiritum timoris Domini debemus requiescere in requie vitæ æternæ, quia *Initium sapientiæ timor Domini est.* Ps. 110. 10.

D. *Istæ generationes cæli & terræ quando creata sunt in die quo fecit Dominus Deus cælum & terram.* Superius septem dies numerati sunt, nunc unus dies dicitur quo fecit Deus cœlum & terram, & omne virgultum agri, & omnem herbam regionis. Gen. 2. 4.

M. Hujus diei nomine secundum prophetiam, omne tempus hujus vitæ significatur, in quo cælum & terra factum est, id est in quo creaturæ visibiles disponuntur, administrantur, atque existunt. Hinc est quod Moyses & distincte per dies singulos condita omnia retulit, & tamen simul omnia creata subjunxit dicens: *Istæ generationes cæli & terræ quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cælum & terram, & omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis.* Qui enim diversis diebus creatum cælum & terram, virgultum herbamque narraverat, nunc uno die factum manifestat, ut liquido ostenderet quod creatura omnis simul per substantiam extitit condita, quamvis non simul per speciem processit. Sequitur.

Non enim pluerat Dominus super terram, & homo non erat qui operaretur terram, sed fons ascendebat de terra, irrigans universum Gen. 2. 5.

faciem terræ. AUGUSTINUS. A

D. Si universam terram rigabat, ergo & montes rigabat, quia montes utique terra sunt; si montes rigabat, diluvium erat. Et quomodo terra germinaverat herbam virentem & facientem semen? aut quomodo homo habitabat in terra, si universam terram aqua tegebat?

M. Fons positus est singularis pro plurali numero; hoc enim si sollicite requiras, in scripturis sanctis frequenter reperies. Habes nempe in psalmo: *Misit in eos muscam caninam & comedit eos, & ranam & exterminavit eos*, dum utique nec una musca nec una rana fuerint. Et alibi: *Venit locusta*, non ait locustæ, sed locusta. En habet singularem numerum pro plurali, secundum illud quod ait nobilissimus poëtarum, Uterumque armato milite complent. Porro autem propter unitatem naturæ dictum est fons, ut in eo omnes fontes intelligamus qui sunt in terra, quia quodammodo omnes ex unius abyssi natura emanant. Nam quod ait: *irrigabat universam faciem terræ*; non totam terram rigabat, sed partem. A toto enim partem significat. Quemadmodum dicimus, Christus mortuus est, Christus resurrexit, cum non mortuus fuerit, nec resurgeret nisi secundum carnem. Aut ut Ambrosius ait, Fons appellatus est, qui accepto humoris adjutorio, inrigabat universam superficiem terræ. Aut postquam paradisus plantatus est, restagnata est illa abruptio aquarum, & ille fons divisus est per rivulos, ad irrigandam universam faciem terræ, sicut nunc videmus ire aquas per alveos fluminis, alveosque rivulorum, & ex eorum excessu vicina perfundere loca; sic & tunc quasi de uno fonte multi processerunt. Aut unus fons appellatus est, & in quodam sinu terræ occultatur, & inde omnes fontes parvi & magni progrediuntur.

Psal. 77. 46.

Ps. 104. 34.

Æneid. l. 2. vers. 20.

B

C

D

D. Quid est enim quod fons iste manifeste non invenitur, qui inrigare videatur universam faciem terræ?

M. Forsitan propter peccatum primi hominis parentis nostri Adam iste fons abstractus est, ut auferat ubertatem a terra, & majorem laborem exerceret humanum genus.

Isid. tom. in Genes. cap. 3.

ITEM ALIBI ISIDORUS. Fons ascendebat de terra irrigans universam faciem terræ. Terra, mater Domini Virgo MARIA rectissime appellatur, de qua scriptum est: *Aperiatur terra & germinet Salvatorem.* Quam terram inrigavit Spiritus-sanctus, qui fontis & aquæ nomine in evangeliis significatur.

Isai. 45. 8.

DE INSPIRATIONE HOMINIS.

Genes. 2. 7.

Formavit igitur Dominus hominem de limo terræ.

D. Primo enim quod de limo terræ Deus hominem finxit solet habere quæstionem, qualis ille limus fuerit, vel quæ materia nomine limi significata sit? quod quæso mihi quoque aperias.

M. Solent enim inimici veterum librorum omnia carnaliter intuentes, & propterea semper errantes, etiam hoc mordaciter reprehendere, quod de limo Deus hominem finxit. Dicunt enim: Quare de limo fecit Deus hominem? an defuerat ei melior & cælestis materia unde hominem faceret, ut de labe terræ naturam fragilem mortalemque formaret? Non intelligentes primo quam multis significationibus vel terra vel aqua in scripturis ponatur. Limus enim aquæ & terræ commixtio est. Dicimus enim tabidum & fragile & morti destinatum corpus humanum post peccatum esse cœpisse. Non enim in nostro corpore isti exhorrescunt nisi mortalitatem quam damnatione meruimus. Quid autem mirum aut difficile Deo, etiamsi de limo istius terræ hominem fecit, tale tamen corpus ejus efficere quod corruptioni non subjaceret, si homo præceptum Dei custodiens, peccare noluisset. Si enim speciem cœli ipsius de nihilo vel de informi materia dicimus factam, quia omnipotentem artificem credimus, quid mirum si corpus, quod de limo qualicumque factum est, potuit ab omnipotenti artifice tale fieri, ut nulla molestia, nulla indigentia cruciaret hominem ante peccatum, & nulla corruptione tabesceret? Itaque superflue quæritur unde homini corpus Deus fecerit. Si tamen nunc de corporis formatione dicitur, sic enim nonnullos nostros intelligere accepi, qui dicunt posteaquam dictum est: *Finxit Deus hominem de limo terræ*, propterea non additum ad imaginem & similitudinem suam, quoniam nunc de corporis formatione dicitur. Tunc autem homo interior significabatur, quando dictum est. *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei.* Sed etiam si nunc quoque hominem ex corpore & anima factum intelligamus, ut non alicujus novi operis inchoatio, sed superius breviter insinuati, diligenter retractatio isto sermone explicetur. Si ergo, ut dixi, hominem hoc loco ex corpore & anima factum intelligamus, non absurde de ipsa commixtione limi nomen accepit. Sicut enim aqua terram colligit & conglutinat & continet, quando ejus commixtione limus efficitur, sic anima corporis materiam vivificando, in unitatem concordem conformat, & non permittit labi & resolvi.

E

D. Quæri autem merito potest, causales illæ rationes quas mundo indidit, cum primum simul omnia creavit, quomodo sint institutæ? utrum ut quemadmodum vidimus, cuncta nascentia & fruticum & animalium

Aug. lib. 6. de Gen. ad litt. cap. 14.

animalium in suis conformationibus atque incrementis pro diversitate generum diversa spatia peragerent temporum? aut quemadmodum creditur factus Adam sine ullo progressu incrementorum, virili ætate continuo formarentur, sicut aqua in vinum conversa, & virga in serpentem. Sed cur non utrumque illas credimus habuisse, ut hoc ex eis futurum esset quod facturo placuisset. Nam multa secundum inferiores causas futura sunt; sed si ita sunt, in præscientia Dei vere futura sunt. Si autem ibi aliter sunt, ita potius futura sunt sicut ibi sunt, ubi qui præscit falli non potest. Nam futura senectus dicitur in juvene, sed tamen futura non est, si ante moriturus est.

M. Hoc autem ita erit sicut se habent aliæ causæ, sive mundo contextæ sive præscientia reservatæ. Nam secundum quasdam futurorum causas moriturus erat Ezechias, cui Deus addidit xv. annos ad vitam, id utique faciens, quod ante constitutionem mundi se facturum esse præsciebat, & in sua voluntate servabat. Ibi enim erat non solum ut ita Adam fieri posset, verumetiam ut ita eum fieri necesse esset. Tamen non facit Deus contra causam, quam sine dubio volens præstituit, quia contra suam voluntatem non facit. Si autem non omnes causas in creatura primitus condita præfixit, sed aliquas in sua voluntate servavit, non sunt quidem illæ quas in sua voluntate servavit, ex istarum quas creavit necessitate pendentes; non tamen possunt esse contrariæ quas in sua voluntate servavit, quia Dei voluntas non potest sibi esse contraria. Istas ergo sic condidit, ut ex illis esse illud cujus causæ sunt possit, sed non necesse sit. Illas autem sic abscondit, ut ex eis esse necesse sit hoc quod ex istis fecit ut esse possit. Sequitur.

Ibid. c. 17
Isa. 38. 5.

ITEM AUGUSTINUS.

Gen. 2. 7.

D. *Et flavit in faciem ejus flatum vitæ.* Quomodo istum flatum recipimus, si Deus incorporeus est?

August. lib. 7. de Genesi ad litt. cap. 11.

M. Hoc manifeste sciendum est, quia sicut non manibus corporis finxit, ita nec faucibus labiisve sufflavit. Credendum tamen est atque intelligendum, neque ullo modo dubitandum, quod recta fides habet, animam sic esse a Deo, tamquam rem quam fecerit, non tamquam naturæ cujus ipse est, sive genuerit, sive quoquomodo protulerit. Non de revolutionibus autem animarum quomodo se habeat vel non habeat philosophorum opinio, catholicæ tamen fidei non convenit credere animas pecorum in homines aut hominum in pecora transmigrare. Nam illa quæ feruntur accidisse ut quidam quasi recordarentur in quorum animalium corporibus fuerint, aut falsa narrantur, aut ludificationibus dæmonum hoc in eorum animis factum est. Si enim contingit in somnis, ut fallaci memoria quasi recordaretur se homo fuisse quod non fuit, aut egisse quod non egit, quid mirum si quodam Dei justo occultoque judicio sinuntur dæmones in cordibus etiam vigilantium tale aliquid posse.

Manichæi autem qui se Christianos vel putant, vel putari volunt, in hac opinione translationis vel revolutionis animarum eo sunt illis gentium philosophis, vel si qui alii vani homines hoc putant, deteriores & detestabiliores, quod illi animæ naturam a Dei natura discernunt. Isti autem cum aliud nihil esse dicant animam, quam ipsam Dei substantiam, atque id omnino quod Deus est, non trepidant eam tam turpiter commutabilem dicere, ut nullum sit herbæ seu vermiculi genus, ubi eam non esse commixtam, vel quo revolvi non posse mirabili opinentur insania. Proinde quoniam pars cerebri anterior, unde sensus omnes distribuuntur, ad frontem collocata est, atque in facie sunt ipsa quasi organa sentiendi, ideo scriptum arbitror, quod in faciem Deus sufflaverit hominis flatum vitæ. Anterior quippe pars posteriori merito præponitur, quia & ista ducit, illa sequitur, & ab ista sensus, ab illa motus est, sicut consilium præcedit actionem. Et quoniam corporalis motus qui sensum sequitur, sine intervallis temporum nullus est, agere autem intervalla temporum spontaneo motu nisi per adjutorium memoriæ non valemus; ideo tres tamquam ventriculi cerebri demonstrantur. Unus anterior ad faciem a quo sensus omnis, alter posterior ad verticem, a quo motus omnis; tertius inter utrumque, in quo memoriam vigere demonstrant; ne cum sensum sequitur motus, non connectat homo quod faciendum est, si fuerit quod facit oblitus. Unde ergo sit ipsa, id est de qua velut materia Deus hunc flatum fecerit quæ anima dicitur, dum quæritur, nihil corporeum debet occurrere; sicut enim Deus omnem creaturam, sic anima omnem creaturam corpoream naturæ dignitate præcellit; per lucem enim & aërem quæ in ipso quoque mundo præcellentia sunt corpora, magisque habent faciendi præstantiam, quam patiendi corpulentiam, sicut humor & terra, tamquam per ea quæ spiritui similiora sunt corpus administrat. Nuntiat enim aliquid lux corporea: cui autem nuntiat, non est hoc quod illa, & hæc est anima cui nuntiat, non illa quæ nuntiat. Et cum affectiones corporis moleste sentit, actionem suam qua illi regendo adest, turbato ejus temperamento impediri offenditur, & hæc offensio dolor vocatur. Et aër qui nervis infusus est, paret voluntati ut membra moveat, non autem ipse voluntas est. Namque aliud esse animam, alia hæc

Ibid. c. 17. & seq.

ejus corporalia ministeria, vel vasa vel organa, vel si quid aptius dici possunt. Hinc evidenter elucet, quod plerumque se vehementi cogitationis intentione avertit ab omnibus, ut præ oculis patentibus recte valentibus multa posita nesciat. Nam & obliviscitur aliquando, & unde veniat & quo eat, & transit imprudens villam quo tendebat, natura sui corporis sana, sed sua in aliud evocata. Omne quippe corpus in omne corpus mutari posse credibile est, quodlibet autem corpus mutari posse in animam credere absurdum est. Illud vero videamus utrum forsitan verum esse possit, quod certe humanæ opinioni tolerabilius mihi videtur, Deum in illis primis operibus, quæ simul omnia creavit, etiam animam creasse causaliter, secundum quam fieret cum faciendum esset corpus humanum. Nam neque illud quod dictum est, *ad imaginem suam*, nisi in anima; neque illud quod dictum est, *masculum & feminam*, nisi in corpore recte intelligimus. Credatur ergo si nulla scripturarum auctoritas seu veritas contradicit, hominem ita factum sexto die, ut corporis quidem causa in elementis mundi, anima vero jam ipsa crearetur. Sicut cum primus conditus est dies, & creata lateret in operibus Dei, donec eam suo tempore sufflando, hoc est inspirando formato ex limo corpori insereret. Quod si ita est, fatebimur non in eo rerum genere animam primitus creatam ut esset præscia futuri operis sui vel justi vel iniqui. Neque enim ex his tantum laudandus est Deus, quibus præscientiam dedit, cum recte laudetur etiam quia pecora creavit, quibus est natura humana præstantior, etiam in ipsis peccantibus. Natura quippe hominis ex Deo est, non iniquitas qua se ipse involvit, male utendo libero arbitrio, quod tamen si non haberet, in natura rerum minus excelleret. Cogitandus est quippe homo juste vivens, etiam non præscius futurorum, & ita videndum est, excellentia voluntatis bonæ quam non impediatur ad recte vivendum & qui placendum (*a*), quod ignarus futuri vivit ex fide. Hujusmodi ergo creaturam quisquis esse nolit in rebus, contradicit Dei bonitati; quisquis autem pœnas eam non vult luere pro peccatis, inimicus est æquitati. His enim omnibus divinæ scripturæ testimoniis, quam esse veracem nemo dubitat, nisi infidelis & impius; ad illam sententiam ducti sumus, ut diceremus Deum ab exordio sæculi primum simul omnia creavisse; quædam conditis jam ipsis naturis, quædam præcognitis causis, sicut non solum præsentia, verumetiam futura fecit omnipotens, & ab eis factis requievit, ut eorum deinceps administratione atque regimine crearet etiam ordines temporum & temporalium. Nunc tamen de anima quam Deus inspiravit homini sufflando in ejus faciem, nihil confirmo, nisi quia ex Deo sic est, ut non sit substantia Dei, & sit incorporea; id est, non sit corpus, sed spiritus; non de substantia Dei genitus, nec de substantia Dei procedens, sed factus a Deo; nec ita factus, ut in ejus naturam natura illa corporis vel irrationalis animæ verteretur.

[a] Apud Augustinum lib. 7. de Genesi ad litteram c. 26. legitur, Et Deo placendum.

RELIQUÆ QUÆSTIONES DE NATURA ANIMÆ.

D. *Insufflavit in facie ejus spiraculum vitæ*. Per spiraculum vitæ quid intelligere debemus?

M. Hoc est animam facere, sicut per Esaïam dicit: *Spiritus ex me procedit*, & *Omnem flatum ego feci*. Isa. 56. 16.

D. Quid est enim quod anima quæ innocens creata est, in corpus introivit quod Deus præsciebat peccaturum?

M. Absit hoc recipiendum, ut propterea anima creata fuisset, ut in corpus quod Deus præsciebat peccaturum introisset, & ad hoc reservata esset, quia si sic esset, Deus auctor peccati fuisset; sed non est ita. Magis autem intelligendum atque recipiendum, quod Deo inspirante, ipsa voluntaria introisset in corpus administrandum ipsum, quia per animam sentitur corpus, quia si anima non est, corpus mortuum est.

D. Quid ergo est anima? aut si est aliqua res unde animæ fiant, quid ipsa est? quod nomen ejus? quæ species? quem usum in rebus conditis tenet? vivit, an non? Si vivit, quid confert universitatis affectibus? beatamne vitam ducit, an miseram? Quid ergo anima? cœlum non est; neque terra, neque aër, neque ignis, non aqua, non Deus, non sidera, non visus, non auditus, non gustus, vel cetera, quod enumerare longum est, quæ in cœlo sunt & in terra. Unde ergo est anima?

D. Anima ex Deo data est & ex nihilo facta, quia homo qui de terra factus est, in terram revertitur. Similiter nives & procellæ, quæ ex aqua fiunt, & aër sumit de terra, in aquam revertuntur, & iterum de terra ex qua sumta sunt in aërem. Anima vero non habet ullum elementum ad quod revertatur, nisi ad creatorem suum postquam de corpore exierit, ut ipso moderante recipiat quod meretur.

D. Inquirenda est ergo ratio unde homini anima veniat quando nascitur?

M. Alii dicunt quod sicut caro de carne nascitur, ita anima de anima nascatur; sed hoc scriptura non narrat ullo loco, unde anima homini veniat quando natus est; neque de ipsa anima mulieris, quomodo ei data fuisset, sicut narrat de carne quomodo facta est.

Alii vero melius sentiunt, quod unicuique homini anima a Deo data sit, quando natus est, sicut in Esaia scriptum est: *Spiritus ex me procedit, & omnem flatum ego feci*, id est omnem animam. Et sicut in psalmo scriptum est: *Qui finxit singillatim corda eorum*. Et alii temerarie dicunt, quod tunc animæ omnium creatæ fuissent, quando simul omnia fecit, & in quodam loco occultantur, donec homo natus sit, & tunc ei data sit anima ex Deo. Sed hoc non est in rebus nostris considerandum quid vel sinat, vel non sinat, quomodo anima data sit homini: quod scriptura non narrat ullo loco, nos non possumus discernere quod veritas tacuit, & nihil aliud sonat scriptura de hac re, nisi hoc tantum, quomodo anima a Deo data sit.

Isai. 57. 16.

Ps. 32. 15.

D. Ergo salvator noster unde habuit animam?

M. Non de Adam, sed unde Adam, id est ex Deo, quia quamvis de propagine peccati descenderit, tamen de propagine peccati non concepit, quia nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati. Non enim inde accepit reatum moriendi.

D. Et anima quando de hoc corpore migraverit est corporalis an incorporalis?

M. Incorporalis quidem est.

D. Quomodo ergo portatur, si incorporalis est?

M. Incorporea quidem similis corporibus.

D. Et ubi portatur? ad locum corporeum, an incorporeum?

M. Ad loca incorporea similia corporalibus.

D. Quæritur ergo si potest anima absque corpore inter angelos in perpetua beatitudine consistere sine defectu, quid ergo opus est ut iterum surgat corpus, ut illam tunc immortalem induat, quam nunc mortalem deposuit?

M. Inest quidem corporis administratio, quo retardatur animus ut non in illud summum pergat, donec consurgat corpus, ut quod nunc ei in sarcina est, tunc sit in gloria.

D. Quid ergo opus est, ut parvuli, qui parentes habent Christianos, patrem & matrem, iterum renascantur per aquam baptismatis?

M. Quia unusquisque in originali peccato nascitur, & nisi renatus sit per aquam baptismatis, non potest introire in regnum Dei.

De plantatione paradisi.

Hieronymus in libro quæstionum ita. *Et plantavit Dominus Deus paradisum in Eden contra orientem*. Pro paradiso, hortum habet, id est Gan. Porro Eden, dilitiæ interpretantur, pro quo Symmachus transtulit *Paradisum florentem*. Nec non quod sequitur, contra orientem, in Hebræo Mimizra (a) scribitur, quod Aquila posuit ἀπὸ ἀρχῆς & nos, *Ab exordio*, possumus dicere. Simmachus vero ἐκ πρώτης Theodotion ἐν πρώτοις quod & ipsum non *orientem*, sed *principium* significat. Ex quo manifeste comprobatur quod priusquam cœlum & terram Deus faceret, paradisum ante condiderat, sicut legitur in Hebræo. *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum in Eden a principio*.

Augustinus in Hexameron.

Et plantavit Deus paradisum in Eden ad orientem & posuit ibi hominem quem finxit. Non ignoro de paradiso multos multa dixisse, tres tamen de hac re quasi generales sunt sententiæ. Una eorum qui tantummodo corporaliter paradisum intelligi volunt, alia eorum qui spiritaliter tantum, tertia eorum qui utroque modo & corporaliter & spiritaliter. Breviter ergo dicam, tertiam mihi fateor placere sententiam. Plantaverat ergo Deus paradisum in delitiis, hoc est ad orientem, & posuit ibi hominem quem finxerat, sic enim scriptum est, quia sic factum est, ut quidam sapiens ait, quod in quodam loco iste paradisus plantatus est, ubi homo terrenus habitare potuit. Nam paradisus spiritaliter intelligitur, ubi nunc animæ sanctorum de corpore exeuntes pergunt, in cujus figuram iste paradisus plantatus fuit, secundum rerum gestarum fidem. Illud plane quod sequitur: *Et lignum vitæ in medio paradisi lignumque scientiæ boni & mali*. diligentius considerandum est ne cogatur in allegoriam, ut non ista ligna fuerint, sed aliud aliquid nomine ligni significent. Dictum est enim de sapientia, *lignum vitæ est amplectentibus eam*. Verumtamen cum sit Hierusalem æterna in cœlis, etiam in terra civitas qua illa significaretur condita est. Et Sarra & Agar quamvis duo testamenta significarent, erant tamen etiam quædam duæ mulieres. Et cum Christus per ligni passionem fluento spiritali nos irriget, erat tamen petra quæ aquam sitienti populo ligno percussa manavit. De qua dicitur: *Petra autem erat Christus*, non sicut ille vitulus saginatus, qui minore filio revertente in epulas cæsus est. Ibi quippe ipsa narratio figurarum est, non rerum gestarum figurata significatio. Sed illud etiam in rebus gestis factum est, hoc autem tantum in figuris prædictum. Sic & sapientia idem ipse Christus, lignum vitæ est in paradiso spiritali, quo misit de cruce latronem. Creatum est autem quod eam significaret lignum vitæ etiam in paradiso corporali, nec sine mysteriis rerum spiritalium corporaliter præsentatis, voluit hominem Deus in paradiso vivere. Erat ergo ei in lignis ceteris alimentum, in illo autem sacramentum, quid significans nisi sapientiam?

Gen. 2. 8.
Aug. Lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 1.
Ibid. c. 4.
Prov. 3. 18.
1. Cor. 10. 4.
Luc. 15. 23.
Ibid. c. 5.

(a) In editis S. Hieronymi legitur Mecedem.

de qua sic dictum est: *Lignum vitæ amplectentibus eam*, quemadmodum de quo diceretur: Petra manans est sitientibus eum. Illud quoque addo quamquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta. Profecto licet usitatus panis aliquid tamen amplius habuit, cujus una colliride homini Deus ab indigentia famis dierum XL. spatium vindicavit. Sequitur.

Aug. ibid. c. 6. Nunc videamus: de ligno scientiæ boni & mali, cur istud nomen acceperit, quia valde bona omnia Deus creavit. Id dinoscendum boni & mali quantum fuisset inter obedientiæ bonum & inobedientiæ malum, quasi inde transgressus esset, malum illi esset; si vero servasset præcepta conditoris sui, bonum illi fuisset, quoniam si transgressus non fuisset, experimentum pœnæ non didicisset.

D. Et fons ascendebat de loco voluptatis, ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita vel in quatuor partes, quomodo intelligendum est?

AUGUSTINUS.

Ibid. c. 7. *M.* Ne quis ex hoc moveatur quod de his fluminibus dicitur, aliorum esse fontes notos, aliorum autem prorsus incognitos; cum id potius credendum sit, quoniam locus ipse paradisi a cognitione hominum est remotissimus, inde quatuor aquarum partes dividi, sicut fidelissima scriptura testatur. Sed ea flumina, quorum fontes noti esse dicuntur, alicubi isse sub terras, & post tractus prolixarum regionum, locis aliis erupisse, ubi tamquam in suis fontibus noti esse perhiberentur. Nam hoc solere nonnullas aquas facere quis ignorat?

ITEM AUGUSTINUS.

Flumen autem quod procedebat ex Eden, id est ex delitiis, & voluptate, & epulis, quod flumen a propheta significatur in psalmo ubi ait: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*, dividitur, inquit, in quatuor partes, & quatuor virtutes significat, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, justitiam. Dicitur autem Physon ipse esse Ganges, Geon autem Nilus, quod etiam in Hieremia propheta animadverti potest, nunc aliis nominibus appellantur, sicut nunc Tiberis dicitur fluvius qui prius Albula dicebatur. Tigris autem & Euphrates etiam nunc eadem nomina tenent. Quibus tamen nominibus virtutes, ut dixi, spiritales significantur. quod etiam ipsorum nominum interpretatio docet, si quis Hebræam linguam vel Syram consideret, sicut Hierusalem, quamvis sit visibilis & terrenus locus, significat tamen civitatem pacis spiritaliter, & Syon quamvis sit mons in terra, speculationem tamen significat. Et hoc tamen in scripturarum allegoriis ad spiritalia intelligenda sæpe transfertur. Et ille qui descendebat ab Jerusalem in Hiericho, sicut dicit, & in via vulneratus, saucius & semivivus relictus est a latronibus, utique loca ista terrarum, quamvis secundum historiam in terra inveniantur, spiritaliter cogit intelligi.

Psal. 35. 9. — Luc. 10. 30.

Prudentia ergo quæ significat ipsam contemplationem veritatis, ab omni ore humano alienam, quia est ineffabilis, quam si eloqui velis, parturis eam potius quam paris, quia & ibi audivit apostolus ineffabilia verba quæ non licet homini loqui. Hæc ergo prudentia terram circuit, quæ habet aurum & carbunculum & lapidem prasinum, id est disciplinam vivendi, quæ ab omnibus terrenis sordibus quasi decocta enitescit, sicut aurum optimum, & veritatem quam nulla falsitas vincit, sicut carbunculi fulgor nocte non vincitur, & vitam æternam quæ viriditate lapidis prasini significatur propter vigorem qui non arescit.

Fluvius autem ille qui circuit terram Æthiopiam multum calidam atque ferventem, significat fortitudinem calore actionis alacrem atque impigram.

Tertius autem Tigris vadit contra Assyrios, & significat temperantiam, quæ resistit libidini multum adversanti consiliis prudentiæ, unde plerumque in scripturis, Assyrii adversariorum loco ponuntur.

Quartus fluvius non est dictum contra quid vadat, aut quam terram circumeat, justitia enim ad omnes partes animæ pertinet, quia ipsa ordo & æquitas animæ est, qua sibi tria ista concorditer copulantur. Prima prudentia, secunda fortitudo, tertia temperantia & in statuta copulatione atque ordinatione justitia.

RECAPITULATIO.

De paradiso fonte ac fluminibus & ligno vitæ.

ISIDORUS.

Isid. in Gen. cap. 3. *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis a principio*. Paradisus ecclesia est. sic enim de illa legitur in Canticis canticorum: *Hortus conclusus est soror mea*. (Cant. 4. 12.) A principio autem paradisus plantatur, quia ecclesia catholica a Christo principio omnium condita esse cognoscitur. Fluvius de paradiso exiens, imaginem portat Christi, de paterno fonte fluentis, qui inrigat ecclesiam suam verbo prædicationis & dono baptismi; de quo bene per prophetam dicitur: *Dominus Deus noster fluvius gloriosus exiliens in terram sitientem*. Quatuor autem paradisi flumina quatuor sunt evangelia ad prædicationem in cunctis gentibus missa. Ligna fructifera omnes sancti sunt, fructus eorum opera eorum. Lignum

vitæ

vitæ sanctus sanctorum utique Christus, A ad quem quisque si porrexerit manum, vivet in æternum. Lignum autem scientiæ boni & mali, proprium est voluntatis arbitrium, quod in medio est positum ad dinoscendum bonum & malum, de quo qui relicta gratia Dei gustaverit, morte morietur. Sequitur.

Gen. 2. 15. *D. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum.* Quid rogo operaretur? quid custodiret? paradisum, an aliud aliquid?

M. Ista sententia duplicem intelligentiam parit. sive enim operaretur homo paradisum, id est in paradiso aliquid operaretur, non necessitate victus, sed delectatione operabatur. Adhuc non peccaverat, nec ei terra spinas & tribulos germinaverat, ut in sudore faciei suæ ederet panem suum. Hoc nempe meruit post peccatum. Ante peccatum igitur, non indigentia, non necessitate, sed sola, ut diximus, voluntate operabatur paradisum per agriculturam; & custodiebat per disciplinam, non contra bestias, neque contra aliqua animalia paradisum custodiebat; sed sibi scilicet, ne amitteret peccando, quod custodire potuerat obediendo. Sive ipsum hominem ponens Deus in paradisum ut operaretur & custodiret, ut tutus esset; quodlibet horum dicatur, sive homo operaretur paradisum per agriculturam, & custodiret per disciplinam, sive ipsum hominem Deus operaretur ut bonus esset ac tutus; quodlibet horum intelligas, rationem habet juxta utrumque intellectum. Sequitur.

Gen. 2. 16. *Præcepitque ei Dominus dicens: ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, in quacumque die comederis ex eo, morte morieris?*

AUGUSTINUS.

D. Cum Deus minaretur homini mortem die quo cibum vetitum tetigerit, cur non eodem die mortuus fuerat, sicut scriptura dicit: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris?*

M. Quatuor esse mortes sancta scriptura manifestissime ostendit. Prima mors est animæ quæ suum deserit creatorem, cum enim deseruerit peccat. *Sine*, inquit Dominus in

Matth. 8. 22. evangelio, *mortuos sepelire mortuos suos.* Ecce habes secundum animam sepelientes mortuos, & quos sepeliunt secundum carnem mortuos. Hæc itaque sententia duas mortes manifestissime ostendit, unam animarum, alteram corporum. Tertia solius est animæ, quam dum ex corpore exierit patitur, secundum illud quod in evangelio de

Luc. 16. 24. illo divite legimus: *Pater Abraham*, inquit dives, *mitte mihi Lazarum, ut digito suo refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Quarta autem mors, cum anima receperit corpus, ut in ignem mittatur æternum, secundum illud quod Dominus in evangelio de futuro judicio dicit: *Ite in ignem æternum*, & reliqua. Die itaque quo peccavit Adam, in anima mortuus est, sicut enim corpus vivit ex anima, ita anima, ut beate vivat, ex Deo. Ergo defuncta anima Adæ jure dicitur mortua, ex qua tres postea secutæ sunt mortes. Ut enim hæ subsequerentur prima præcessit, quia eo die quo peccavit Adam, in anima mortuus est.

D. Quomodo poterat mortem timere Adam, quam nullatenus sciebat?

B *M.* Sicut enim nos scimus resurrectionem, quam numquam experti sumus, nec vidimus, ita & ille sciebat mortem. Scientes igitur quod exiens anima a corpore faciat mortem, & dum reversa fuerit in corpus suum faciat resurrectionem; ecce scimus resurrectionem, quam numquam experti fuimus. Sic & ille sciebat utique mortem non adhuc per experientiam, sed per scientiam. Sciebat quippe quid esset vivere, & per privationem vitæ sciebat utique mortem. Sic sciuntur tenebræ per privationem C lucis, & scitur silentium per privationem vocis: ita sciebat Adam mortem per privationem vitæ. Sequitur.

AUGUSTINUS.

D. Dixit quoque Dominus non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sui. Quomodo hoc intelligendum? Gen. 2. 18.

M. Certe si a me quæratur ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quam propter filios procreandos, sicut adjutorium semini est in terra, ut virgultum ex utraque nascatur. Nec video quid prohibere potuerit, D ut essent eis etiam in paradiso honorabiles nuptiæ, ut sine ullo inquieto ardore libidinis, sine ullo labore ac dolore pariendi, fœtus ex eorum semine gigneretur. Non ut morientibus parentibus filii succederent, sed ut illis qui genuissent, in aliquo formæ statu manentibus, ex ligno vitæ quod ibi plantatum erat, corporalem vigorem sumentibus, & illi qui gignerentur ad eumdem perducerentur statum, donec certo numero impleto, si juste omnes obedienterque viverent, fieret in æternam vitam commutatio, sicut considerari potest & de E Enoch, qui filiis genitis Deo placens, non mortuus, sed translatus est. Cur ergo & Adam & Eva, si juste viventes caste filios procreassent, non eis possint translatione non morte succedentibus cedere. Quæ cum ita sint, cur non credamus eos ante peccatum ita genitalibus membris ad procreandos filios imperare potuisse, sicut ceteris quæ in quolibet opere anima sine ulla molestia & quasi pruritu voluptatis movet, ut eo nutu imperarent membris, quibus fœ-

Aug. l. 9. de Gen. ad lit. c. 3.

tus exoritur, quo pedibus cum ambulatur, ut neque cum ardore seminaretur, neque cum dolore pareretur. Nunc vero transgrediendo præceptum, motum legis illius, quæ repugnat legi mentis in membris, conceptæ mortis habere meruerunt. Et quid hac pœna justius, quam ut non ad omnem nutum serviat corpus, id est suus famulus animæ, sicut Domino suo detrectavit ipsa servire.

Gen. 2. 19. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ & universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam.* Et reliqua.

D. Numquidnam sic adduxit Deus ad Adam cuncta animalia & universa volatilia cœli, quomodo adducunt aucupantes aut venantes ad retia? An forsitan vox de nube facta jussionis, quam intelligerent tamquam rationales animæ, & ea audita, nihilominus obedierunt.

M. Non hoc acceperunt animalia aut volatilia, ut sint ratione capaces, per quam obedire possint creatori suo; in suo tamen genere obtemperant Deo, non rationabili voluptatis arbitrio, sed sicut movet ille omnia temporibus opportunis, non ipse temporaliter motus. Movet itaque seipsum sine tempore & loco, movit creatum spiritum sine loco temporaliter. Præcedit igitur substantia quæ tantum temporaliter movetur. Præcedit itaque substantia quæ nec temporaliter nec localiter movetur, illam quæ temporaliter movetur, idem spiritus conditus movet seipsum per tempus sine loco, movetur corpus per tempus & locum. Spiritus vero creator movet seipsum sine tempore & loco. Igitur spiritus rationalis, qui est in hominibus, seu irrationalis etiam & jussis movetur. Sed rationalis habet intelligentiam per quam judicare possit utrum jussis consentiat, an non consentiat: animalia vero aut volatilia non acceperunt hoc judicium; pro suo tamen genere atque natura jussu aliquo tacta propelluntur. Unde angelica natura, jussa Dei perficiens, movet jussis omne genus animantium, ducens quo illa nesciunt. Si homines possunt nonnulla animalium genera mansueta facere, ita ut quasdam voluntates hominum facere videantur, quanto magis hoc angeli possunt?

D. Quæ causa facit, ut Deus, quem adstruis moveri, non moveatur in tempore, aut spiritus creatus qui movetur in tempore, non moveatur & loco?

M. Deus qui instituit tempora, & est ante tempora, nihil in eo est præteritum aut futurum, nullum consilium novum, nullaque cogitatio nova, quasi scilicet sit nova & accedens. Nam si accedit Deo aliquid, jam non immutabilis; igitur immutabilis Deus est, nihil illi accedit, nulla nova cogitatio, nullum novum consilium.

A Ideo non movetur in tempore, corpora vero sua in locum movendum descendunt de cœlo & ascendunt in cœlum. Spiritus itaque hominum movetur in tempore reminiscendo præterita, futura expectando, aliqua nova discendo. Neque enim cum recordor aliquam lectionem aut aliquam civitatem, sic commotus est spiritus meus cogitando, ut hæc recordaretur ex tempore, ita motus est & loco. Quod si in loco movetur, an in cœlo, an in terra movetur? quia sine cœlo & terra nullus est locus. Ubi enim fuit ipse spiritus, in cœlo an in terra, ut videret ipsam lectionem vel ipsam civitatem? Ergo si in nullo loco vidit, ut recordaretur, in seipso vidit. Et quia initium habet, cogitatio est omne quod initium & tempus habet. Igitur secundum supradictam rationem spiritus creatus per tempus moveri potest, non per locum. Spiritus vero creator sine tempore & loco, corpus autem & tempore & loco. Sequitur.

B (marginal letter beside "ut videret ipsam lectionem...")

Immisit ergo Dominus soporem in Adam, & tulit unam de costis ejus, usque hæc vocabitur virago, quia ex viro suo sumta est. Gen. 2. 21.

HIERONYMUS.

C Et misit Dominus Deus extasim super Adam; pro *extasi*, id est mentis excessu in hebræo habet *tardema*, quod Aquila καταφορὰν, Symmachus κάρον, id est gravem & profundum soporem interpretati sunt. Denique sequitur, *& dormivit*, idipsum verbum & in Jonæ stertentis somno positum est. Sequitur. Hieron. lib. Hebraic. Quæst. Jon. 1.

Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea, hæc vocabitur mulier, quoniam ex viro sumta est. Non videtur in græco & in latino resonare (*a*) cur mulier appelletur quia ex viro sumta sit; sed etymologia in hebræo sermone servatur, vir quippe *is*, mulier *issa*. Recte igitur ab *is* appellata est mulier *issa*. Unde & Symmachus pulchre etymologiam etiam in græco voluit custodire dicens: *Hæc vocabitur*, ἀνδρὶς ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς ἐλήφθη. Quod nos latine possumus dicere: *Hæc vocabitur virago, quia ex viro sumta est.* Porro Theodotion aliam etymologiam suspicatus est dicens: *Hæc vocabitur adsumtio, quia ex viro adsumta est.* Potest quippe *issa* secundum varietatem accentus & adsumtio intelligi. Gen. 2. 23. [a]

D (marginal letter beside "quia ex viro sumta sit")

E Quod si quæritur de facta post muliere, quomodo se habeat causalis illa conditio, utrum jam id habeat, ut secundum eam necesse esset ex virili latere feminam fieri, an hoc tantum habebat ut fieri posset; ut autem ita fieri necesse esset, non ibi jam conditum, sed in Deo erat absconditum. Dicam quid mihi videatur. Omnes istæ naturæ usitatissimos cursus habent, (*b*) quasdam naturales leges suas. Ex his velut pri- August. lib. 9. de Gen. ad litt. c. 17. [b]

(*a*) Editi *sonare*.

(*b*) In editis, *Omnis iste natura usitatissimus cursus habet quasdam naturales leges suas.*

mordiis rerum, omnia quæ gignuntur suo quoque tempore exortus processusque sumunt, finesque & decessiones sui cujusque generis. Unde fit ut de grano tritici non nascatur faba, vel de homine pecus. Super hunc autem motum cursumque rerum naturalem potestas creatoris habet apud se posse de his omnibus facere aliud quam eorum quasi seminales rationes habent. Horum & talium modorum rationes non tantum in Deo sunt, sed ab illo etiam rebus creatis inditæ atque concretæ. Ut autem lignum de terra excisum, aridum, perpolitum sine ulla radice, sine terra & aqua repente floreat & fructum gignat, dedit quidem naturis quas creavit, ut ex eis & hæc fieri possint. Verumtamen & alio modo dedit ut non hæc haberent in motu naturali, sed in eo quo ita creata essent, ut eorum natura suæ voluntati amplius subjaceret. Habet ergo Deus in seipso absconditas quorumdam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit. Ibi est & gratia per quam salvi fiunt peccatores. Nam quod attinet ad naturam iniquam, sua voluntate depravatam, recursum per semetipsam non habet, sed per Dei gratiam. Propter quod
Eph. 3. 9. mysterium gratiæ ejus Apostolus absconditum dixit, non in mundo, sed in Deo, qui universa creavit. Quamobrem omnia etiam quæ ad hanc gratiam significandam non naturali motu rerum, sed mirabiliter facta sunt, eorum etiam causæ in Deo absconditæ fuerunt. Quorum si unum erat, quod ita mulier facta est de latere viri, & hoc dormientis, non habuit hoc prima rerum conditio, quando sexta die dictum est: *Masculum & feminam fecit eos*, ut femina omnino sic fieret, sed tantum hoc habuit, quia & sic fieri possit. Nec contra causas quas voluntate instituit, mutabili voluntate aliquid faceret: quid autem fieret ut aliud omnino futurum non esset, absconditum erat in Deo qui universa creavit.

Item Augustinus.

De anima mulieris.

Lib. 10. de Genesi ad litt. c. 1. Quoniam de carne mulieris quemadmodum facta sit scriptura narravit, tacuit autem de anima, multo magis nos fecit intentos, ut de hoc mundo (a) refelli possint sive non possint, qui credunt animam de anima hominis, sicut de carne carnem fieri a parentibus in filios utriusque rei transfusis seminibus. Hinc enim primitus ad hoc moventur, ut dicant, quod unam animam Deus fecerit, quam sufflavit in faciem hominis, quem de pulvere finxerat; & ut ex illa jam ceteræ creentur animæ hominum, sicut ex illius carne omnis etiam caro hominum. Huic suspicioni facile occurritur. Si enim propterea putant animam mulieris

[a] Apud Augustinum *quonam modo*.

A ex anima viri factam, quia non scriptum est quod in mulieris faciem sufflaverit Deus, cur credunt ex viro animatam quoque feminam, quando nec id quidem scriptum est?

Ac primum illud firmissime teneamus, animæ naturam non in naturam corporis converti, ut quæ jam fuit anima, fiat corpus: nec in naturam animæ inrationalis, ut quæ fuit anima hominis, fiat pecoris: nec in naturam Dei, ut quæ fuit anima, fiat quod Deus est.

Illud etiam non minus certum esse de-
B bet, animam non esse nisi creaturam Dei.

Nunc itaque & illud consideremus, Ibid. c. 11.
utrum neutram confirmet sententiam, sed utrique possit accommodari, quod scriptum est. *Per unum hominem peccatum introivit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* Rom. 5. 12. Ex his enim verbis Apostoli qui defendunt animarum propaginem, sententiam suam sic adstruere moliuntur. Si secundum solam carnem, inquiunt, potest intelligi peccatum vel peccator, non cogimur in his verbis ex parentibus ani-
C mam credere. Si autem, quamvis per illecebram carnis, non tamen peccat nisi anima, quomodo accipiendum est quod dictum est: *in quo omnes peccaverunt*, si non ex Adam etiam anima sicut caro propagata est? Verissime quidem ac veracissime scriptum est: *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*; Ibid. c. 12. Gal. 5. 17. sed tamen carnem sine anima concupiscere nihil puto, quod omnis doctus atque indoctus non dubitet. Ac per hoc concupiscentiæ ipsius carnalis causa non est in anima sola, sed multo minus est in carne sola, ex utroque
D enim fit; ex anima scilicet, quod sine illa delectatio nulla sentitur, ex carne autem quod sine illa carnis delectatio non sentitur. Carnem itaque concupiscentem adversus spiritum dicit Apostolus, carnalem procul dubio delectationem, quam de carne & cum carne spiritus habet, adversus delectationem quam solus habet. Nam cum spiritus membris corporis imperat, ut huic desiderio serviant, quo solus accenditur, velut cum adsumitur codex, cum aliquid scribitur, legitur, disputatur, auditur,
E cum denique panis frangitur esurienti, obedientiam caro exhibet, non concupiscentiam movet. His atque hujusmodi desideriis, quibus sola anima concupiscit, cum adversatur aliquid, quod eamdem animam secundum carnem delectet, tunc dicitur caro concupiscere adversus spiritum, quod contra peccatum militant sub gratia constituti, non ut non sit in eorum corpore quamdiu ita mortale est, ut mortuum jure dicatur, sed ut non regnet. Non autem regnat, cum desideriis ejus non obeditur,

secundum hanc sententiam, nec rem absurdissimam dicimus, quod caro sine anima concupiscat, nec Manichæis consentimus, qui cum viderent carnem non posse sine anima concupiscere, aliam quamdam animam suam ex alia natura Deo contraria carnem habere putaverunt.

D. Nec alicui animæ non esse necessariam Christi gratiam dicere cogimur, cum dicitur nobis, quid meruit anima infantis, unde illi perniciosum sit non percepto baptismo exire de corpore?

Cap. 14. M. Quibus respondetur, animas quidem corporibus hominum Deum novas singillatim dare, ad hoc ut de carne [a] (a) peccati, de originali peccato veniente, recte vivendo, carnalesque concupiscentias sub Dei gratia subigendo, meritum comparent, quo cum ipso corpore in melius transferantur tempore resurrectionis: sed necesse esse ut cum membris terrenis atque mortalibus, maximeque de peccati carne propagatis miro modo coaptentur, ut ea primitus vivificare, post etiam ætatis accessus regere possint, tamquam oblivione prægraventur, quæ si esset quodammodo indigestabilis, creatori tribuitur. [b] (b) Cum vero paulatim ab hujus oblivionis tempore anima resipiscit, quid ei obest illam velut somno paululum immergi, unde paulatim evigilans in lucem intelligentiæ emergat? Sed antequam per ætatem possit secundum spiritum vivere, necesse habet mediatoris sacramento, ut quod per ejus sacramentum [c] (c) & fidem nondum potest, per eorum qui diligunt fiat. Cap. 15. Quid ergo, aliquis ait; si hoc non curaverint sui vel infidelitate, vel negligentia, an forte nihil oberit? quid ergo prodest ei cui subvenitur? Hi pro causa sua quid respondere possint, qui secundum scripturas sanctas, vel quod apud eas inveniatur, vel quod eis non adversetur conantur asserere, animas novas non de parentibus tractas corporibus dari, nondum me audisse vel alicubi legisse confiteor, sed etiamsi vincant, non certando, sed probando, qui animarum traducem affirmant, non erit tamen consequens, ut etiam Christi anima ex illius prævaricatoris traduce venisse credenda sit. Nam corpus Christi, quamvis ex carne feminæ sumtum sit, quæ de illa carnis peccati propagine concepta fuerat; tamen quia sic ex ea conceptus est, quomodo fuerat illa concepta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati. Denique si a me quæratur, unde acceperit animam CHRISTUS JESUS, malim quidem hinc audire meliores, atque doctiores, sed tamen pro meo captu libentius responderim, non de Adam, sed unde Adam, id est ex Deo. Est in epistola quæ scribitur ad Hebræos, locus quidam diligenti consideratione dignissimus. Cum enim per Melchisedech, in quo hujus rei figura præcesserat, discerneretur sacerdotium Christi a sacerdotio Levi: *Videte ergo*, inquit, *qualis hic est, cui & decimam partem Abraham dedit de primitiis patriarcha*, non autem & ille ibi decimatus est, cujus caro inde non fervorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit. Nam cum ipsa decimatio ad præfigurandam medicinam pertinuerit, illud in Abrahæ carne decimabatur quod curabatur, non illud unde curabatur. Eadem namque caro non Abrahæ tantum, sed ipsius primi terrenique hominis simul habebat & vulnus prævaricationis & medicamentum vulneris, in eo quod inde sine opere concupiscendi de Virgine adsumtum est, propter mortis sine iniquitate consortium, & sine falsitate resurrectionis exemplum. Hic forte dicent, sicut potuit ibi esse secundum carnem & non decimari, cur non etiam secundum animam sine decimatione potuerit? quia in corporis semine potest esse vis invisibilis, quæ incorporaliter numeros agit, non oculis, sed intellectu discernenda ab ea corpulentia, quæ visu tactuque sentitur. Sed quid laborem in re, quæ persuaderi verbis nemini forsitan potest, nisi tantum ac tale ingenium sit, quod sit legentis prævolare conatum, nec tamen totum expectare sermone. (d) [d]

Breviter ergo colligam si potuit & de anima id fieri, quod cum de carne diceremus, forsitan intellectum sit, ita est de traduce anima Christi, ut non secum labem prævaricationis adtraxerit. Si autem sine isto reatu potuit inde esse, non est inde. Jam de ceterarum animarum adventu, utrum ex parentibus an desuper sit, vincant qui potuerint: ergo adhuc inter utrosque ambigo, & moveor aliquando sic, aliquando autem sic, salvo eo dumtaxat, ut vel corpus esse animam, vel aliquam corpoream qualitatem sive coaptationem, si ita dicenda est, quam Græci harmoniam vocant. nec quolibet ista garriente, me crediturum esse confidam, adjuvante Domino mentem meam, moneo sane quantum valeo, si quos ista præoccupavit opinio, ut animas credant ex parentibus propagari, quantum possunt se ipsos considerent, & interim sapiant corpora non esse animas suas, nulla enim propior natura est, qua possit Deus incorporaliter cogitari, quam ea quæ ad ipsius imaginem facta est, & nihil est vicinius, quam ut a credente quod anima corpus sit, etiam Deus corpus esse credatur.

D. Numquid quia opus erat Adæ, ut ei conjux fieret, aliter non poterat fieri, nisi

Marginalia: Ibid. c. 13. (beside "D. Nec alicui"); Heb. 7. 4. (beside "Videte ergo"); letters A–E mark sections of the right column.

(a) Editi *ut in carne peccati*.
(b) Editi *tribueretur*.
(c) Desideratur in editis *sacramentum*.
(d) Editi *a sermone*.

ut dormienti costam detraheret, ex qua conjux ædificaretur?

M. Poterat & aliter fieri, sed ideo congruentius judicavit ut sic fieret, unde aliquid significaretur. Sicut enim dormienti Adæ costa detrahitur & conjux efficitur, ita & Christo morienti de latere sanguis effunditur, ut ecclesia construatur. Communicatione namque corporis & sanguinis Christi, efficitur ecclesia conjux Christi. Sequitur.

Gen. 2. 24. D. *Quid sibi vult quod dicit Adam. Quamobrem relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Et beatus Paulus apostolus hoc capitulum ponens exposuit dicens: *Sacramentum magnum hoc est, ego autem dico in Christo & in ecclesia.* Sed quomodo reliquerit Patrem, cum una substantia sit Patri? Aut ubi esse poterit Pater sine Filio, cum de ipso Filio qui est sapientia dicitur: *Qui adtingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter?*

Eph. 5. 31.

Sap. 8. 1.

M. Ergo si ibi est Filius ubi est Pater, non potest esse Pater sine Filio, nec Filius sine Patre, quia scilicet sicut inseparabiles sunt in natura, ita & separabiles in personis. Sic enim ipse Filius dicit in evangelio: *Qui me misit mecum est.* Quomodo igitur derelinquit Patrem, & adhæret uxori suæ, id est ecclesiæ, nisi eo modo quo dicit apostolus: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Igitur ipsa forma est servilis acceptio, & exinanitio, & ipsa exinanitio quamquam non sit divinitatis abolitio aut naturæ amissio, tamen propter formam servi in qua dinoscitur apparuisse, jure dicitur Patrem reliquisse. Sed reliquit & matrem, synagogam scilicet, veteri testamento carnaliter inhærentem, & adhæsit uxori suæ, id est ecclesiæ, ut pace novi testamenti, essent duo in carne una. Sequitur.

ITEM AUGUSTINUS.

Gen. 2. 25. Aug. lib. 11. de Genes. ad litt. c. 1.

Et erant nudi Adam & uxor ejus, & non pudebat illis. Verum est omnino, nuda erant corpora duorum hominum in paradiso conversantium, nec pudebat eos. Quid enim puderet, quando nullam legem senserant in membris suis repugnantem legi mentis suæ? quæ illos pœna peccati post perpetrationem prævaricationis secuta est, usurpante inobedientia prohibitum, & justitia puniente commissum. Quod antequam fieret nudi erant, ut dictum est, & non confundebantur. Nullus erat motus in corpore, cui verecundia deberetur; nihil putabant velandum, quia nihil senserant refrenandum. Quemadmodum propagaturi essent filios, jam antea disputatum est: non tamen eo modo credendum est, quo propagaverunt posteaquam crimen admis-

sum prædicta ultio consecuta est, cum priusquam morerentur, jam in corpore inobedientium hominum justissimo reciprocatu inobedientium membrorum tumultum mors concepta versaret.

Serpens autem erat callidior cunctis animantibus, quæ erant super terram, quæ fecerat Dominus Deus: qui dixit ad mulierem, cur præcepit vobis Deus ne comederetis de omni ligno paradisi, usque ad id, *Aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii, scientes bonum & malum.* AUGUSTINUS. Gen. 3. 1.

D. Quomodo serpens loqui poterat in paradiso, cum aliquibus pareat inrationabile esse animal?

M. Serpens per se loqui non poterat, nec quia hoc a creatore non acceperat adsumsit, nisi nimirum illum diabolus utens, & velut organum per quod articulatum sonum emitteret. Per illum nempe verba faciebat, & tamen hoc etiam ille nesciebat. Natura igitur rationis expers subditur naturæ rationali, sed tamen non totum quod vult ex ea vel in ea facit, sed quantum a Deo acceperit.

D. Et si non intelligunt serpentes, quomodo audiunt verba marsorum, ut ad incantationes eorum de speluncis exeant suis?

M. Licet intellectum non habeant, tamen sensu corporis nullatenus carent. Habent enim visum, auditum, gustum, odoratum. Et ideo quamvis audiant verba marsorum, nequaquam tamen intelligunt, non enim obediunt intelligendo, sed ut de antris ad verba marsorum exeant, permittente Deo, coguntur a diabolo, unde datur testimonium de illo primo facto, quia primum hominem per serpentem decepit in paradiso. AMBROSIUS.

D. Cur per istud animal permisit eum tentari?

M. Non mirum est si per serpentem tentatur, per quem diabolus præfiguratur; quia ipse antiquus hostis iniquissimam habet voluntatem, & æquissimam potestatem, quia semper habet voluntatem malefaciendi, nihil habet potestatis nocendi sine Dei permissu.

D. Quare permisit tentari, quem consensurum præsciebat?

D. Dicam quantum vel donat sapere vel sinit dicere, non mihi videtur magnæ laudis fuisse hominem, si propterea possit bene vivere, quia nemo male vivere suaderet, cum & in natura posse, & in potestate habeat velle non consentire suadenti. Cur itaque tentari non sineret, quem consensurum esse præsciebat, cum id facturus esset propria voluntate per culpam, & ordinandus esset illius æquitate per pœnam. Sic autem quidam moventur de hac primi hominis tentatione, quod eam fieri permise- August. lib. 11. de Genes. ad litt. c. 2.

rit Deus, quasi nunc non videant universum A genus humanum diaboli insidiis sine cessatione tentari. Cur & hoc permittit Deus? an quia probatur & exercetur virtus, & est palma gloriosior non consensisse tentatum, quam non potuisse tentari?

RURSUM QUI SUPRA.

Ibid. cap. 7. Talem inquiunt faceret hominem qui nollet omnino peccare. Ecce nos concedimus meliorem esse naturam, quæ omnino peccare nollet, concedant & ipsi non esse malam naturam, quæ sic facta est ut possit non peccare si nollet. Illa quippe est in sanB ctis angelis, hæc in sanctis hominibus. Qui autem sibi partes iniquitatis elegerunt, laudabilemque naturam culpabili voluntate [a] depravatam (a), non quia præsciti sunt, ideo creari minime debuerunt. Nam Deus nec justitia cujusquam recti hominis eget, quanto minus iniquitate perversi. Cum enim ratio certa demonstrat duo quædam non æqualia bona, sed unum superius, alterum inferius, non intelligunt tardi corde cum dicunt utrumque tale esse, nihil aliud se dicere quam solum illud esse. Ac sic cum æquare volunt genera bonorum, numerum C minuunt. Quis autem istos audiret si dicerent, quoniam excellentior sensus est videndi quam audiendi, ut quatuor oculi essent & aures non essent. At enim si Deus vellet, etiam isti boni essent: quanto melius hoc Deus voluit, ut quod vellent essent; sed boni infructuose, mali autem impune non essent. Sed præsciebat quod eorum fuisset voluntas mala. Præsciebat sane, & quia falli non potest ejus præscientia, ideo non ipsius, sed eorum est voluntas mala.

D. Cur eos creavit, quos tales futuros D esse præsciebat?

Ibid. cap. 9. M. Quia sicut prævidit quid mali essent facturi, sic etiam prævidit de malis factis eorum quid boni ipse esset facturus. Sic enim eos fecit, ut essent aliis exercitationis adminuculum & timoris exemplum. Ergo inquiunt est aliquid in operibus Dei quod cap. 11. alterius malo indigeat quo proficiat ad bonum. Ita'ne sic obduraverunt & excæcati sunt homines nescio quo studio contentionis, ut non audiant vel videant, quibusdam punitis, quamplurimi corrigantur? E Quis enim paganus, quis Judæus, quis hæreticus non in domo sua quotidie probet, ex quo opere divinæ providentiæ in eos veniat imponendæ commotio disciplinæ. Ps. 110. 2. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* Prævidit bonos futuros & creat, prævidit malos futuros, & creat. Seipsum ad fruendum præbens bonis, multa munerum suorum largiens & malis, nihil sibi consulens, nec de operibus bonorum & bonis consulens etiam de pœnis malorum.

[a] Lege *depravarunt*, ut apud Augustinum.

ITERUM.

Si quæritur cur serpentem diabolus tentare permissus sit, non sit mirum, cum dæmonia in porcos intrare Christus ipse permiserit. Ibid. c. 12. & 13. Matt. 8. 31. Magis de ipsa natura diaboli scrupulosius quæri solet, quam totam hæretici quidam offensi molestia malæ voluntatis ejus, alienare conantur a creatura summi & veri Dei, & alterum ei dare principium, quod sit contra Deum. Non enim valent intelligere omne quod est, in quantum aliqua substantia est, & bonum esse, & nisi ab illo Deo vivo a quo omne bonum est, esse non posse. Malum vero voluntate inordinate (b) moveri, bona inferiora superioribus præponendo. [b] Atque ita factum est ut rationalis creaturæ spiritus sua potestate propter excellentiam delectatus, tumesceret superbia, per quam caderet a beatitudine spiritalis paradisi, & invidentia contabesceret. In quo tamen bonum est hoc ipsum quod vivit & vivificat corpus sive aëreum, sicut ipsius diaboli vel dæmonum spiritus, sive hominis anima cujusvis etiam maligni & perversi. Nonnulli enim dicunt Ibid. c. 14. ipsum diabolo fuisse casum a supernis sedibus, quod inviderit homini facto ad imaginem Dei. Porro autem invidia sequitur superbiam, non præcedit; non enim causa superbiendi est invidia; sed causa invidendi superbia. Cum igitur superbia sit amor excellentiæ propriæ, invidia vero sit odium felicitatis alienæ; quid inde nascatur satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coæquentur; vel superioribus, quod eis non coæquetur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quisque superbus est. Initium autem figmenti Domini a propheta dictus est, quod fecit ut illudatur ab angelis ejus. Non quia ipsum primitus condidit; sed quia cum sciret eum ad hoc propria voluntate futurum, ut bonis noceret, creavit eum ad hoc, ut de illo bonis ipse prodesset, hoc est enim ut illudatur ab angelis ejus. Quoniam sic illuditur, cum sanctis prosunt tentationes quibus eos depravare conatur, & ideo initium figmenti ad illudendum. Per serpentem vero locutum fuisse diabolum, ipse usus quotidianus docet. nam serpentes, sicut superius dictum est, magis moventur carminibus hominum, quam ullum genus aliud animantium, quia hæc non parva testatio est naturam primitus humanam, serpentis seductam esse colloquio. Hoc autem permittuntur dæmones ad primi facti memoriam commendandam, quod sit eis quædam cum humano genere familiaritas.

D. Potuit eos ista tentatio de paradiso ejicere an non?

M. Id intelligendum quod non potuit,

[b] Apud Augustinum *malam vero voluntatem*.

A si non se elevassent in vanam gloriam, quando eis contrarius hostis promisit dicens: *Si comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii.* Sic namque scriptum est: *ante ruinam exaltabitur cor.*

RECAPITULATIO.

ISIDORUS.

Isid. com. in Genes. cap. 4. Serpens autem ille sapientior omnium bestiarum indicat diabolum, qui inde serpens dicitur, quod volubili versetur astutia. Sed quid est quod ipse per mulierem decepit & non per virum? quia non potest ratio nostra seduci ad peccandum, nisi præcedente delectatione in carnali infirmitatis affectu, qui magis debet obtemperare rationi tamquam viro dominanti, hoc enim in unoquoque homine geritur, in occulto quodam secretoque conjugio. Suggestionem quippe serpentem accipiamus. Mulierem vero animalem corporis sensum, rationem autem virum. Ergo quando occurrit mala suggestio, quasi serpens loquitur; sed sola cogitatio oblectatur illius suggestionis, ut refrenante ratione consensus explendi operis non succedat, sola mulier videtur comedisse inlicitum. Quod si ipsum peccatum etiam & mens perpetrandum decernat, jam vir deceptus est, jam mulier cibum dedisse viro videtur. Inlecebri enim consentire, de ligno prohibito manducare est. Tunc quippe jure a vita beata tamquam a paradiso expellitur homo, peccatumque ei imputatur, etiamsi non sequatur effectus, quia etsi non est in factis culpa, in consensu tamen retinetur conscientia. Hæc secundum *anagogen.* Ceterum juxta metaphoram, poterit callidus ille serpens hæreticorum versutiam designare. Nonnulli enim loquacius atque subtilius promittunt inlicitâ curiositate secretorum adapertionem atque scientiam boni & mali, & in ipso homine tamquam in arbore quæ plantata est in medio paradisi eam dinoscentiam demonstrare. Contra hunc serpentem clamat apostolus cum
2. Cor. 11. 3. dicit: *Metuo ne sicut serpens Æuam seduxit versutia sua, sic sensus vestri corrumpantur.* Seducitur verbis hujus serpentis carnalis nostra concupiscentia, & per illa decipitur Christianus Adam non Christus. Dicit ergo iste ad mulierem: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederitis ex omni ligno paradisi?* sic & hæreticorum curiosa cupiditas, sic prædicatores pravi, ad diligendam erroris fallaciam, auditorum carnalium corda succen-
Prov. 9. 19. dunt, dicentes: *Quare fugitis scientiam habere latentem?* nova semper exquirite, boni malique scientiam penetrate. Unde illa in Salomone mulier hæreticorum speciem
Prov. 9. 17. tenens dicit: *Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavis.* Subjecit deinde idem serpens. *Quacumque die comederitis ex eo, statim aperientur oculi vestri, & eritis ut dii, scientes bonum & malum.* Sic & omnes generaliter hæretici divinitatis meritum profitentur, atque scientiæ pollicitatione decipiunt & reprehendunt eos, quos simpliciter credentes invenerunt. Et quia omnino carnalia persuadent, quasi ad carnalium occulorum apertionem conantur adducere, ut interior oculus obscuretur. Sequitur.

ISIDORUS.

Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum, &c. tulitque de fructu ejus & comedit. Genes. 3. 6. Isid. com. in Gen. cap. 5.
B Mulier comedit antea, non vir, ideo quia carnales facilius persuadentur ad peccatum, nec tam velociter spiritales decipiuntur. Sequitur.

Deditque viro suo & comedit. Utique quia post delectationem carnalis concupiscentiæ nostræ, etiam ratio nostra subjicitur ad peccandum.

Cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & contegerunt se. Gen. 3. 7.

ISIDORUS.

Qui sæculum asperum amplectuntur, qui Com. in Gen. c. 5.
C prurigine voluptatis carnalis uruntur, quique decepti hæretica pravitate, & gratia Dei nudati sunt, tegmenta mendaciorum tamquam folia fici colligunt, facientes sibi succinctoria pravitatis, cum de Domino vel ecclesia mentiuntur. Et ut ait Gregorius: Adam namque post peccatum inobedientiæ mox pudenda contexit, quia contumeliam carnis invenit; & qui auctori suo esse subditus noluit, jura carnis subditæ quam regebat amisit, ut in seipso videlicet inobedientiæ suæ confusio redundaret, & superatus disceret quid elatus amisit. Sequitur.

D
AUGUSTINUS.

D. Adduxit Deus ad Adam cuncta animalia & volatilia, vidensque ea, imposuit nomina.... & de muliere paulo post dicitur: *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum.* Ecce scriptura manifestissime ostendit amborum oculos apertos fuisse. Nec est enim fas dicere primos homines cœcos factos. Et cur post paululum, post ligni vetiti tactum eadem scriptura dicit: *Aperti sunt oculi amborum?*

M. Nisi oculos apertos haberent, nec Aug. lib. 11. deGen. ad lit. cap. 31.
E ille animalibus nomina imponeret, nec illa videret ligni pulchritudinem. Hoc quippe verum est, quia oculos apertos habebant, & tamen nisi ad aliquid essent clausi, nullatenus scriptura diceret: *Aperti sunt oculi amborum.* Aperti scilicet non ad aliud nisi ad invicem cognoscendum, ut esse lex in membris repugnans legi mentis, ut etiam in ipsis membris esset non voluntarius motus, justa scilicet vindicta Dei, ut homo qui noluit Deo esse subjectus, non haberet subditum corpus. Ergo in id aperti sunt

oculi amborum ut moverentur concupiscentialiter membra. Sequitur.

AUGUSTINUS.

Gen. 3. 8. *Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, absconderunt se Adam & Æva uxor ejus a facie Domini in medio ligni paradisi.*

D. Rogo ergo edissere quid sit illa Dei deambulatio?

M. Absit enim ut Deus qui est Trinitas, ex hoc quod ejus dicitur deambulatio, corporeus aut localis esse credatur. Omne locale corpus est utique, & omne corpus locale est. Deus vero incorporea res est, nec corporaliter movetur, neque loco continetur, neque de loco ad locum transfertur. Est nempe ejus deambulatio intelligenda per aliquam creaturam facta, quam creaturam hominem ex ipsius circumstantia scripturæ intellectum a majoribus recolo.

ITEM GREGORIUS.

Greg. l. b. 23. c. 1. *Cum audisset Adam vocem Domini deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se inter ligna paradisi.* Nonnumquam per angelos verbis simul & rebus loquitur Deus, cum quibusdam motibus insinuat hoc quod sermonibus narrat. Neque enim Adam post culpam in divinitate videre Deum potuit, sed increpationis verba per angelum audivit.

D. Sed quærendum nobis est, quid sit quod post peccatum hominis Dominus in paradiso jam non stat, sed ambulat.

M. Hoc patenter datur intelligi, quod irruente culpa, se a corde hominis motum demonstrat. Quid est quod ad auram post meridiem, nisi quod lux ferventior veritatis abscesserat, & peccatricem animam culpæ suæ frigora constringebant. Ad auram namque post meridiem primus homo post culpam absconsus invenitur, quia enim meridianum calorem caritatis perdiderat, jam sub peccati umbra quasi sub frigore auræ torpebat, sicut de eodem peccante homine scriptum est, quia secutus est umbram. Caritatis enim calorem perdiderat, & verum solem homo deseruit, & sub umbra se interni frigoris abscondit. Unde & voce ejusdem veritatis dicitur: *Abundabit iniquitas refrigescet caritas multorum.* (Matt. 24. 12.) Increpavit ergo Adam deambulans, ut cæcis mentibus nequitiam suam non solum sermonibus, sed etiam rebus aperiret; quatinus peccator homo & per verba quod fecerat audiret, & per deambulationem amisso æternitatis statu notabilitatis suæ inconstantiam cerneret, & per auram fervore caritatis expulso, torporem suum animadverteret, & per declinationem solis cognoscceret quod ad tenebras propinquaret.

QUI SUPRA.

Gen. 3. 1. *D. Vocavit autem Dominus Adam & dixit ubi es?* Quid est quod Dominus post lapsum requirit Adam ubi es? Numquid divina potentia nesciebat ad quæ post culpam servus latibula fugerat, cui nihil latet?

M. Hoc procul dubio credendum, quia omnia nuda & aperta sunt oculis ejus. Sed quia vidit culpa lapsum, etiam sub peccato velut ab oculis Veritatis absconditum, quia tenebras erroris ejus non approbat, quasi ubi sit peccator ignorat, eumque & vocat & requirit dicens: *Adam ubi es?* Per hoc quod vocat, signum dat, quia ad pœnitentiam revocat; per hoc quod requirit, aperte insinuat, quia peccatores jure damnandos ignorat. Hoc namque loco desperati ad spem redeant, quia & ipsi impii ad spem indulgentiæ provocantur.

Qui ait: Audivi vocem tuam in paradiso, & timui eo quod nudus essem, & abscondi me. Qui dixit: Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo tibi præceperam ne comederes, comedisti? Dixitque Adam, Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi. Ibid. 10.

GREGORIUS.

Sciendum summopere est, quod quatuor modis peccatum perpetratur in corde, quatuor consummatur in opere. In corde namque suggestione, delectatione, consensu & defensionis audacia perpetratur. Fit enim suggestio per adversarium, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elationem. Culpa enim quæ terrere mentem debuit, extollit, & dejiciendo elevat, sed gravius elevando supplantat. Unde & illam primi hominis rectitudinem antiquus hostis his quatuor ictibus fregit. Nam, ut supra diximus, serpens suasit, Æva delectata est, Adam consensit, qui etiam requisitus confiteri culpam per audaciam noluit. Hoc vero in humano genere quotidie agitur, quod actum in primo parente nostri generis non ignoratur. Serpens suasit, quia occultus hostis mala cordibus hominum latenter suggerit. Æva delectata est, quia carnalis sensus ad verba serpentis mox se delectatione substernit. Assensum vero Adam mulieri præpositus præbuit, quia dum caro in delectationem rapitur, etiam a sua rectitudine spiritus infirmatus inclinatur. Et requisitus Adam confiteri culpam noluit, quia videlicet spiritus quò peccando a Veritate disjungitur, eò ruinæ suæ audacia nequius obduratur. Per timorem quippe Adam semetipsum absconsurus fugerat, sed tamen requisitus innotuit quantum etiam timens tumebat. Cum enim ex peccato præsens pœna metuitur, & amissa Dei facies non amatur, timor iste ex tumore est, non ex humilitate. Hisdem etiam quatuor modis peccatum consummatur in opere. Primo namque latens culpa agitur, postmodum vero etiam ante oculos hominum sine

S. Greg. l. 4. Moral. c. 27.

sine confusione reatus aperitur, dehinc & in A consuetudinem ducitur, ad extremum quoque vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis enutritur. Sequitur.

Gen. 3. 13. *Et dixit Dominus ad mulierem, quare hoc fecisti? quæ respondit, serpens decepit me.*

GREGORIUS.

Greg. l. 22. Mor. c. 15. Adhoc quippe requisiti fuerant, ut peccatum quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent. Unde & serpens ille persuasor, qui non erat revocandus ad veniam, non de culpa est requisitus. Interrogatus itaque homo est ubi esset, ut post perpetratam culpam resipisceret, & confitendo agnosceret, quam longe a conditoris sui facie abscessit; sed adhibere sibimet utrique defensionis solatia, quam confessionis elegerunt. Cumque excusare peccatum voluit vir per mulierem, mulier per serpentem, auxerunt culpam quam tueri conati sunt: oblique Adam Dominum tangens, quod ipse peccati eorum auctor extiterit qui mulierem fecit; Æva culpam ad Dominum referens, qui serpentem in paradiso posuisset. Qui enim ore diaboli fallentis audierant, *eritis ut dii*, quia Deo esse similes in divinitate non quiverant, ad erroris sui cumulum Deum sibi similem facere in culpa conati sunt. Sic ergo reatum suum dum defendere moliuntur, addiderunt, ut culpa eorum atrocior discussa fieret, quam fuerat perpetrata. Unde nunc quoque humani generis rami ex hac adhuc radice amaritudinem trahunt. Et cum de vitio suo quisque arguitur, sub defensionum verbis, quasi sub quadam arbore foliis abscondit, & velut quædam excusationis suæ opaca secreta, faciem conditoris fugit, dum non vult cognosci quod fecit. In qua videlicet occultatione non se Domino, sed Dominum abscondit sibi. Agit quippe ne omnia videntem videat, non autem ne ipse videatur, quia unicuique peccatori exordium illuminationis est humilitas confessionis.

Gen. 3. 14. *Dixit Dominus ad serpentem quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ. Super pectus tuum gradieris & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & mulierem & semen tuum & semen illius. Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.*

HIERONYMUS IN HEBRAICA QUÆST.

In Hebræo ita habet: *Super pectus tuum gradieris*, id est ut calliditates (*a*) & versutias cogitationum ejus aperiret, quod omnis gressus (*b*) ipsius nequitiæ esset & fraudis. Sed & id quod sequitur: *Terram manducabis*: pro terra *aphar* scriptum est, quod nos favillam possumus & pulverem dicere. *Ipse servabit caput tuum, & tu servabis calcaneum ejus*; melius habet in hebræo: *Ipse conteret caput tuum, & tu insidiaberis* (*c*) *ejus calcaneo*, quia & nostri gressus præpediuntur a colubro, & Dominus conteret satan sub pedibus nostris velociter.

ITEM RECAPITULATIO.

GREG. Dicitur postea serpenti: *Maledictus eris inter omnia animantia, super pectus tuum & ventrem gradieris.* Nomine etenim pectoris significatur superbia mentis, nomine autem ventris, ut LXX. transtulere, significantur desideria carnis. his enim duabus rebus serpit diabolus ad eos quos vult decipere, id est aut terrena cupiditate & luxuria, aut superbiæ insana ruina.

Et terram manducabis. Id est ad te pertinebunt quos terrena cupiditate deceperis.

Omnibus diebus vitæ tuæ. Id est omni tempore quo agis hanc potestatem, ante illam ultimam pœnam judicii.

Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius. Semen diaboli perversa suggestio est, semen mulieris fructus est boni operis, quo perversæ suggestioni resistitur. Ipsa caput illius conteret, si eum mens in ipso initio malæ suggestionis excludit. Ille insidiatur calcaneo ejus, quia mentem quam prima suggestione non decepit, decipere in finem tendit. Quidam autem hoc quod dictum est: *Inimicitias ponam inter te & mulierem*, de Virgine, de qua Dominus natus est, intellexerunt, eo quod illo tempore ex ea Dominus nasciturus ad inimicum devincendum, & ad mortem, cujus ille auctor erat, destruendam, promittebatur; nam illud quod subjunctum est: *Ipse conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus*, hoc de fructu ventris MARIÆ, qui est Christus intelligunt. Id est tu eum supplantabis ut moriatur, ille autem victor resurget, & caput tuum conteret, quod est mors. Sicut & David dixerat ex persona Patris ad Filium: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Aspidem dixit mortem, basiliscum peccatum, leonem antichristum, draconem diabolum.

Gen. 3. 15. Isid. com. in Genes. c. 5. Psal. 99.

HIERONYMUS IN EODEM LIBRO.

Genes. 3. 16. Hieronym. Quæst. Hebr. *Multiplicans multiplicabo tristitias tuas & gemitus tuos.* Pro tristitia & gemitu in hebræo *dolores & conceptus* habetur, *& ad virum conversio tua.* Pro conversione Aquila *societatem*, Symmachus *appetitum* vel *impetum* transtulerunt.

ALIBI ISIDORUS.

Isid. ibid. De pœna autem mulieris quid significet quod ei dicitur, *in dolore paries filios*, nisi quia voluptas (*d*) carnalis cum aliquam malam consuetudinem vult vincere, patitur

(*a*) Editi *calliditatem & versutias.*
[*b*] Editi *omnes gressus ejus nequitia essent & fraudes.*
[*c*] Editi *& tu conteres calcaneum ejus.*
(*d*) Editi hic & infra, *Voluntas carnalis.*

in exordio dolores, atque ita per meliorem consuetudinem parit bonum opus quasi filios. Quod vero adjecit: *Et conversio tua ad virum tuum, & ipse tui dominabitur*, hoc significat, quod illa voluptas carnalis, quam cum dolore reluctaverat, ut faceret consuetudinem bonam, jam ipsis erudita doloribus, cautior fit, & ne corruat, obtemperat rationi, & libenter servit quasi viro jubenti, vocaturque dehinc mater vivorum, id est recte factorum, quibus contraria sunt peccata quæ nomine mortuorum significantur.

Gen. 3. 17. *Adæ vero dixit, quia audisti vocem uxoris tuæ plus quam me, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes eam cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ*, & reliqua usque *terra es & in terram ibis*. B

HIERONYMUS.

Lib. Hebraic. Quæst. *Maledicta terra in operibus tuis.* Opera hic non ruris colendi ut plerique putant, sed peccata significant, ut in hebræo habetur, & Aquila non discordat dicens, *Maledicta humus propter te*, & Theodotion, *Maledicta Adama in transgressione tua.*

GREG. D. *Maledicta terra in opere tuo.* Cum maledictionis jaculum divina vox gravi astruat ultione plectendum, ita ut regni quoque cœlestis aditum claudat, quid est quod nunc peccante homine in terræ maledictione, divina voce hoc quod homo facere prohibetur, infertur? C

S. Greg. lib. 4. Mor. c. 3. M. Sciendum est quod scriptura sacra duobus modis maledictum memorat. Aliud videlicet quod approbat, aliud quod damnat. Aliter enim maledictum profertur judicio justitiæ, aliter livore vindictæ. Maledictum quippe judicio justitiæ ipso homini peccanti prolatum est cum audivit:

Gen. 3. 17. *Maledicta terra in opere tuo.* Maledictum justitiæ judicio profertur, cum ad Abra- D

Gen. 12. 3. ham dicitur: *Maledicam maledicentibus tibi.* Rursum quia maledictum non judicio justitiæ, sed livore vindictæ promitur, voce Pauli prædicantis ammonemur, qui ait:

Rom. 12. 14. *Benedicite & nolite maledicere.* Et rursum:

1. Cor. 6. 10. *Neque maledici regnum Dei possidebunt.* Deus ergo maledicere dicitur, & tamen maledicere homo prohibetur, quia quod homo agit malitia vindictæ, Deus non facit nisi examine & virtute justitiæ. Nam & sancti viri cum maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, sed ex justitiæ examine erumpunt. Intus enim subtile Dei judicium aspiciunt, & mala foras exsurgentia, quia maledicto debeant feriri se cognoscunt, & eo in maledicto non peccant, quo ab interno judicio non discordant. Hinc est quod Petrus in offerentem sibi pecunias Simonem, sententiam maledictionis intorsit dicens: E

Act. 8. 20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Qui enim non ait, *est*, sed *sit*, non indicativo sed optativo modo se hæc dixisse signavit. Hinc Helias duobus quinquagenariis ad se venientibus dixit: *Si homo Dei sum, veniat ignis de cœlo & consumat vos.* 4. Reg. 1. 10. Quorum utrumque sententia quanta veritatis ratione convaluit, terminus causæ monstravit. Nam & Simon æterna perditione interiit, & duos quinquagenarios desuper veniens flamma consumsit. Virtus enim subsequens testificatur qua mente maledictionis sententia promitur. Cum enim & maledictionis innocentia permanet, & tamen eum qui maledicitur usque ad interitum maledictio absorbet, ex utriusque partis fine colligitur, quia ab uno & intimo judice in reum sententia sumta jaculatur. ISIDORUS.

Jam vero per sententiam, quæ in virum infertur, ratio nostra arguitur, quæ & super peccati concupiscentia seducta, a paradiso beatitudinis remota, habet maledictiones terrenæ operationis, habet & dolores temporalium curarum, quasi spinas & tribulos. Sic tamen dimittitur a paradiso beatitudinis, ut operaretur terram, id est ut in corpore isto laboret, & collocet sibi meritum redeundi ad vitam beatam, quæ paradisi nomine significatur; possitque aliquando manum porrigere ad arborem vitæ & vivere in æternum. Manus autem porrectio bene significat crucem vel cruciatum pœnitentiæ, per quam vita recuperatur æterna. Sequitur. Isid. com. in Genes. cap. 5.

GREGORIUS.

Terra es & in terram ibis, primus namque homo ita conditus fuit, ut manente illo decederent tempora, nec cum temporibus ipse transiret. Gen. 3. 19. Greg. l. 25. Mor. c. 3. Stabat ergo in momentis decurrentibus, quia nequaquam ad vitæ terminum per dierum incrementa tendebat. Stabat tanto robustius, quanto semper stanti ardentius inhærebat. at ubi vetitum contigit, mox offenso creatore cœpit ire cum tempore, unde ei dictum est: *Terra es & in terram ibis*, statu videlicet immortalitatis amisso, cursus eum mortalitatis absorbuit, & dum a juventute ad senium, a senio traheretur ad mortem, transeundo didicit quid stando fuit. Cujus nos quia de propagine nascimur, radicis amaritudinem quasi in virgulto retinemus. Jam quia ex illo originem ducimus, ejus cursum nascendo sortimur, ut eo ipso quotidiano momento quo vivimus incessanter a vita transeamus. Et vivendi nobis spatium unde crescere creditur inde decrescat. Quia dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad juventutem, juventus ad senectutem, senectus transit ad mortem; cursus vitæ præsentis ipsis augmentis ad detrimenta impellitur, & inde semper deficit, unde se proficere in spatium vitæ credit. Fixum etenim statum hic habere non pos-

sumus, ubi transituri venimus. Atque hoc ipsum nostrum vivere quotidie a vita transire est. Quem videlicet lapsum primus homo ante culpam habere non potuit, quia tempora eo stante transibant, sed postquam deliquit, in quodam se quasi lubrico mutabilitatis posuit; & quia cibum comedit vetitum, status sui protinus invenit defectum.

HIERONYMUS.

Gen. 3. 20. *Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Æva, eo quod mater sit omnium viventium.* Æva quippe vita interpretatur, sive calamitas, de quo poëta * ita cecinit.

* Prudentius

Æva columba fuit, tunc candida, nigra deinde.
Facta per angurium male suada fraude venenum.
Tinxit & innocuum maculis sordentibus Adam.
Dat nudis ficulla draco mox tegmina victor.

Gen. 3. 21. *Fecit quoque Dominus Deus Adam & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos & ait: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. Nunc ergo videte, ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ & comedat, & vivat in æternum.*

AUGUSTINUS.

D. Cum Deus unus sit, dicente scriptura: *Audi Israel Dominus Deus tuus Deus unus est*: quomodo hic dicit: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est?* nobis enim pluralitatem insinuat.

August. lib. 11. de Genesi ad litt. cap. 39. *M.* Deus enim quamvis unus sit, tamen Trinitas est, Pater scilicet & Filius, & Spiritus-sanctus. Unus ex nobis dictum est, propter pluralitatem personarum, sciens bonum & malum: ac si diceret, sicut nos scimus inter bonum obedientiæ & malum inobedientiæ, ita nunc Adam intelligit quia non solum non fuit factus qualis fieri debuit, sed nec quod factus fuerat conservavit. Accepit etiam tunicam pelliciam divino nutu, quo indumento corporis mortalitas significari solet in historia. In allegoria autem a carnalibus sensibus abstractæ voluptates, quæ carnaliter viventem divina lege consequuntur & contegunt, quasi aliquando ad Deum converteret, possitque aliquando manum porrigere ad arborem vitæ, id est ad Christum, & vivere in æternum.

Gen. 3. 24. *Ejecitque Adam Dominus Deus de paradiso, ut operaretur terram de qua sumtus est, collocavitque ante paradisum voluptatis Cherubim, flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.*

HIERONYMUS.


Non ut alii putant (a) quod ipsum Adam quem ejecerat, Deus habitare fecerit contra paradisum voluptatis. Sed quod, illo ejecto, ante fores paradisi cherubim & flammeum gladium posuerit ad custodiendum paradisi vestibulum, ne quis possit intrare. [a] Lib. Quæst. Hebraic.

ISIDORUS.

Isid. com. in Gen. c. 5. Per flammeam frameam, id est per temporales tribulationes peccata sua agnoscendo & gemendo, & per cherubim id est plenitudinem scientiæ, quæ est charitas, perveniet ad arborem vitæ Christum & vivet in æternum. Cherubim namque plenitudo scientiæ interpretatur, framea vero versatilis posita ad custodiendam viam ligni, vitæ temporales, ut diximus, pœnæ intelliguntur. Nemo enim potest pervenire ad arborem vitæ, nisi per has duas res, tolerantiam videlicet molestiarum & plenitudinem scientiæ, id est per caritatem Dei & proximi, plenitudo enim legis caritas.

(a) In editis desiderantur hæc verba, *ut alii putant.*





PASCHASII RATPERTI
CORBEIENSIS ABBATIS
LIBER
DE CORPORE ET SANGUINE DOMINI.

Secundis ejus curis expolitus & auctus, nunc demum ad manuscriptos codices & antiquas editiones recognitus.

OBSERVATIO PRÆVIA.

QUæ sequuntur Paschasii Ratperti abbatis Corbeiensis opuscula duo, ambo ad petitionem Warini Corbeiæ-novæ abbatis, sui olim discipuli, scripta fuere, ambo ad juniorum fratrum, quos necdum unda liberalium attigerat litterarum *condita, ambo jam lucem viderunt, & tamen ambo nihilominus nova prodeunt & apparent. Liber* de Corpore & Sanguine Domini, *primus Paschasii fœtus, longe ante quam ad abbatialem esset dignitatem evectus, eo præsertim tempore fuit compositus, quo abbas Arsenius*, quem sua tempora alterum Jeremiam ferebant, *exsul agebat. Hinc qui nomine Arsenii sanctum Adalardum ab anno* DCCCXIV. *ad* DCCCXXI. *in Herio insula exsulem intellexerunt, hi anno circiter* DCCCXVIII. *scriptum fuisse communi consensu tradiderunt: quæ quidem opinio apud eruditos omnes fere hactenus invaluit. Verum cum Warinus, cui suum Paschasius opus inscripsit, nonnisi defuncto Adalardo suffectus, Corbeiæ-novæ administrationem anno* DCCCXXVI. *assumsit, stare non potest eorum argumentandi ratio. Præterea cum sanctus Adalardus, aliquando Antonius, interdum Augustinus dictus, nusquam Arsenius aut Jeremias sit cognominatus, concidit prorsus illorum sententia. Satius est ergo cum Mabillonio & Cointio asserere Paschasii librum de Corpore & Sanguine Domini conscriptum fuisse tempore exsilii Walæ abbatis sui, cum* discordiarum anfractibus pene laberetur orbis, effusa super magnates contentione imperii, *quod ab anno* DCCCXXX. *ad* DCCCXXXII. *contigisse docet nos Paschasii ipsius Dialogus de gestis Walæ, sive ut fert libri inscriptio*, Epitaphium Arsenii. *In eo quippe Wala perpetuo Arsenius & Jeremias appellatur.*

Posteaquam vero anno DCCCXLIV. *Veteris-Corbeiæ creatus est abbas Paschasius, cum intelligeret non sine fructu ab universis pene legi librum suum, eum denuo recognitum & variis accessionibus auctum Carolo-Calvo regi obtulit. Hinc conjicies quanti tunc æstimatus, æstimandusque sit aureus ille liber, quem vir tantus regum maximo dignum duxit offerri. Et certe traditam ab apostolis sanctisque patribus de sacramento altaris doctrinam, præsertim de reali, ut aiunt, Christi præsentia in eucharistia, de panis & vini in ejus corpus & sanguinem conversione, quam vulgo transtubstantiationem vocant, aliaque mysteria ita clare & perspicue explicuit, ut viam*

ceteris

ceteris, qui eo de argumento multi postea scripserunt, aperuerit: quia, ut ait Possevinus, tamquam propheticus scriptor est habitus; quod ducentis ferme annis Berengarii hæresim antequam nasceretur, extinxit. *Unde nec immerito Mabillonius asseruit* in negotio controversiæ eucharisticæ tantam esse necessitudinem inter Ratpertum & catholicam fidem, ut fere perinde sit hanc an illum impugnare aut defendere, *cum &* Romana ecclesia Ratpertum velut apostolicæ traditionis hac in causa eximium interpretem ac defensorem agnoscat. *Quin & S. Odo Cluniacensis abbas, in lib.* 2. *Collationum, relatis aliquot locis ex libro Paschasii cap.* 30. *&* 31. *hæc subdit:* Hæc & alia multo plura ex dictis patrum ad reverentiam ipsius mysterii commendandam atque majestatem ejus demonstrandam conscripsit, quæ si quis, licet sciolus, legerit, tanta credo discet, ut de hoc mysterio parum se hactenus cognovisse putet.

Quanti ergo sit momenti textum ejus purum & ab omni mendo expurgatum, ab eodem auctore præsertim recognitum & auctum, viris eruditis ac piis exhibere, nemo non videt. Et hanc quidem in se provinciam jam pridem susceperat noster Petrus Sabbatier, *qui cum sanctos patres, de eucharistia ex professo tractantes, ad manuscriptos codices recognitos publicam in lucem edere meditaretur, ipsum Ratberti librum cum manuscriptis viginti jam contulerat; sed cum ad restituendam sacrorum bibliorum antiquam versionem Italicam omnia studia sua convertisset, integrum laborem mihi ultro concessit.*

Codices autem ab eo collati hi sunt.

Aniciensis ecclesiæ codex antiquissimus, atque ipsius Ratperti ætate conscriptus.

Puteanus annorum circiter 900. *qui modo extat in bibliotheca regis Christianissimi, n.* 4356.

Bibliotheca ejusdem alii tres codices 4070. *annorum circiter* 500. *qui factas temporis decursu a Paschasio accessiones continet,* 4074. *&* 4357. *annorum circiter* 600.

Colbertini duo 939. *&* 3682. *annorum circiter* 800.

Reginæ Sueciæ duo, 1547. *&* 1544. *quorum variantes lectiones Romæ existens excipi curaverat noster Mabillonius. Ex his unus supradictas continet accessiones.*

Vaticanus n. 3472. *qui olim Brixiensis sanctæ Euphemiæ monasterii fuit.*

Laudunensis ecclesiæ B. Mariæ codex.

Turonensis Majoris-monasterii annorum minimum 700. *Turonensis alter S. Martini annorum* 600.

Remensis S. Remigii.

Rothomagensis S. Audoeni annorum 500.

S. Germani a Pratis tres, scilicet 462. *annorum* 600. *&* 647. *annorum* 200. *cum altero non multo antiquiore.*

Corbeiensis monasterii duo, 297. *annorum* 500. *optimæ notæ, &* 361. *annorum* 600.

His adjeci Florentinum codicem fratrum Minorum monasterii sanctæ Crucis, ex quorum bibliotheca piæ memoriæ cardinalis Bona Gezonis abbatis Dertonensis tractatum de Corpore & Sanguine Domini describi curavit, atque ad nostrum Acherium transmisit. Quo in opere, paucis exceptis, integer Paschasii libellus continetur. Atque ut nihil diligentiæ nostræ desideraretur, antiquas etiam editiones consuluimus, de quibus aliquid dicere operæ pretium est.

Paschasii Ratperti librum de Corpore & Sanguine Domini primus Hagenoæ apud Johannem Secenum edidit, aut potius depravavit anno MDXXVIII.

Hiobus Gastius, homo Lutheranus, cujus editionem novatorum cacodoxorum propudium & dedecus *post cardinalem Perronium merito appellat Philippus Labbeus in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis tom. 2. p. 157. De ea pauca hæc Mabillonius in præfatione ad sæculum* VI. *Benedictinum tom. 2. disserit:* Ex Lutheranis Hiobus Gastus Hagenoensis Paschasii librum vulgavit anno MDXXVIII. eumque penitus pervertere demum ausus est, pudendo plane ac detestando facinore. Cum enim Paschasium non minus transsubstantiationis & sacrificii, quam realis præsentiæ patronum ubique animadverteret, eo processit hominis impudentissimi temeritas, ut non solum integra hujusce libri capita expunxerit, verumetiam alia subinde verba atque sententias subornarit intruseritque, quo Paschasium errori suo patrocinari persuaderet.

Duodecim post annis, nimirum MDXL. *Guillelmus Ratus doctor theologus, ecclesiæ Rothomagensis canonicus & pœnitentiarius, cum a Francisco Quadrato Beccensi monacho Lanfranci archiepiscopi Cantuariensis, Beccensisque olim monachi, Dialogum in Berengarium hæresiarcham accepisset, illum publicam in lucem emittere statuit, atque ut justum efficere posset volumen, ei Paschasii Ratperti librum de Corpore & Sanguine Domini adjunxit, præfixo ipsi hoc titulo:* Ex vetustissimis orthodoxorum patrum Cypriani, Hilarii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Isichii & Paschasii, de genuino eucharistiæ negotii intellectu & usu libellus, ex divinis scripturis ab iisdem dexterrime conflatus, contra omnes vesano sacramentario spiritu vertiginosos, qui cum ipsi patrum opinionibus pertinacissime innitantur, plane Achilleum telum nuper ex vetusto exemplari, bonis avibus, in fanaticorum omnium interniciem depromtus. *Cujus editionem cum manuscriptis collatam cum discussissem, eamdem esse reperi cum editione Gasti, quam ille absque ullo alio examine, bona fide recudit.*

Idem sentiendum esse opinor de illa editione, qua Lovanii anno MDXLI. *facta fuisse dicitur. Nam illam non vidi.*

Primus hæretici fraudem & virus detexit Nicolaus Mameranus Luxemburgensis, qui depravatoris librum cum manuscriptis conferens, mirari satis haud potuit perversissimi hominis impudentiam. Scire, *inquit*, non possum, quidnam illi homini in mentem venerit, aut quem tum potius in mente vexatorem spiritum habuerit, cum ita hunc auctorem nequiter dilaniaverit, ut in toto fere libro nihil salvi, nihil integri & incorrupti reliquerit: adeo ut etiam ipsum verborum contextum passim inverterit, multa verba omiserit, quædam mutaverit, plurima noviter intexuerit, totas clausulas sustulerit ac variaverit, & alicubi medias, alicubi integras paginas, integra capita abjecerit, & de suo aliquid in abjectorum locum suffarcinaverit. Sic misere & inique tractatus nullus, credo, umquam alius a quopiam auctor est. *Et paulo post:* Sic ille ritus ecclesiæ Romanæ exosos habuit, ut ubicumque in Paschasio vel sacerdotis, vel altaris, vel immolationis, vel consecrationis, vel pœnitentiæ nomen invenit, id aut omiserit, aut expuncto eo, aliud subrogaverit. Nimirum loco sacerdotis, ubique ministrum ecclesiæ, aut ministrum verbi Christi posuerit, quod non est Paschasianum; loco altaris, mensam Domini; loco immolationis, intercessionem; loco consecrationis, benedictionem; loco pœnitentiæ, agnitionem peccati & commissæ inobedientiæ. Item pro celebrari, alicubi posuit, nullo rationis sensu, manducari, & hujusmodi alia plurima. Ubi si in toto non plus peccasset, non satis alieno in libro designatum audaciæ & flagitii videri posset. Verum hæc nihil sunt ad alia quæ corrupit plurima, &c.

Igitur cum falsarii nequitiam deprehendisset vir catholicus & sincerus, prætermisit omnino nihil, ut Paschasius integer & incorruptus in lucem pro-

diret, & ut ipse ait, nec laboribus maximis, nec impensis ullis parcere voluit, quo publicum promoveret commodum, quin & quamprimum postpositis omnibus quamlibet seriis negotiis, optimum auctorem suæ integritati restitueret & in lucem daret, ne iterum alicubi Hagenoica adulteratione monstrosus prodiret per orbem, cum magno suæ existimationis & ecclesiæ detrimento distrahendus. Quapropter cum vetustissimos duos Paschasii codices offendisset Coloniæ, unum in celeberrimo ordinis S. Benedicti S. Pantaleonis cœnobio, alterum in Fratrum Prædicatorum ejusdem urbis conventu, ad eorum fidem Paschasium sincerum & ab omni hæretici fece expurgatum dare non distulit, vulgavitque Coloniæ anno MDL.

Consimile per id temporis studium aggressus fuerat Johannes Ulimmerus, Lovanii apud S. Martinum canonicorum regularium prior, qui acceptis ex Anglia aliquot Paschasii Radberti codicibus manuscriptis, novam libri de Corpore & Sanguine Domini paraverat editionem; sed a Mamerano præoccupatus, totum expectavit decennium, quo expirante ejus privilegio, atque tota & integra editione distributa, Paschasium denuo Lovanii prælo commisit anno MDLXI.

Demum anno MDCXVIII. *recolendæ memoriæ Jacobus Sirmondus, Societatis* Jesu *presbyter eruditissimus, omnia Paschasii opera, ac proinde librum de Corpore & Sanguine Domini ex ms. bibliothecæ Corbeiensis, Nivellianis typis subjecit, unde in varias Patrum bibliothecas tandem transiit.*

His in omnibus fere editionibus atque mss. Paschasii opus in XXII. *capita distributum cernere licet. Sed Mameranus in quadraginta novem divisit, recens sancti Germani a Pratis codex sectiones sexaginta duas habet, Laubiense nonaginta novem. Eam retinuimus divisionem quæ omnium fere est manuscriptorum, titulos capitulorum, quos Laubiensis exhibet codex, propter suam antiquitatem, in inferiori margine annotare contenti.*

VERSUS QUOS SCRIPSIT ad Karolum regem Paschasius Radbertus abbas, (a) quando ad eum misit librum suum de corpore & sanguine Domini.

[a]

[b] AUdenter (*b*) nunc nunc gelida de rupe Camenæ
Ut veniant petimus: verum te, Sophia virgo,
[c] Fulgentis niveum quæ servas (*c*) culmen olympi,
[d] Aurea (*d*) lux mundum inradians, cui vertice surgit,
Et Phœbæ radios facies gratissima mittit,
Componitque humeros ignitis purpura gemmis;
Deprecor ut precibus digneris cedere nostris,
Regis & ad solium pro majestate verendum
Incessu properes gravido, vultuque modesto,
Ut coram steteris nitido sic ore loquaris:
A Rex virtute potens, Sophiæ quem splendor adornat,
Karole, cui nomen serie descendit avita,
En offert famulus devoto pectore munus
Abbas Radbertus, placide quod diva potestas
Accipias, necnon oculis & pectore cernas
Quid habeat, seu quid calamo signante peroret.
Non terrenum aliquid, sed cœli mystica promit.
Nam corpus Christi, roseam seu sanguinis undam
In lucem retegit, quæ sint mysteria monstrans,
B Legerit ut quisquis devota mente fidelis,
Visibili specie cœlorum arcana (*e*) pavescat. [e]

EPISTOLA EJUSDEM Paschasii ad Carolum regem.

DOmino præcellentissimo regi humilis & exiguus Paschasius Radbertus (*f*) [f]

(*a*) Quod quidem non contigit ante annum 844. quo defuncto Isaaco abbate Corbeiæ-veteris, subrogatus est Paschasius Radbertus.

(*b*) Codex Colbertinus hoc modo incipit: *Idonea nunc nunc gelida, &c.* cujus auctoritate expunximus *gelida*, quod præfert codex Aniciensis, ex quo hos versus primus edidit Mabillonius.

(*c*) Sic optimæ notæ cod. Colbertinus, cum Aniciensis legat *lumen*.

[*d*] Id est mense Decembri.


[*e*] Anic. ms. *arcana pavescit*.

[*f*] *Proprium huic nomen erat Radberto; quo nomine subscribit synodo Parisiensi, eidemque scribit Lupus. Adscititium Paschasio, quod agnomen proprio nomini præponere ipse solet*, inquit Mabillonius in elogio ejus historiæ cap. 1.

[a] vester, & si indignus abbas ac (a) levita Christi, monachorum omnium peripsema, [b] (b) plurimam salutem, rex inclyte, vobis.

Hinc inde, ut condignum est, ad superventura diei dominici (c) festa missuri sunt [c] auri argentique & vasorum diversi generis munera, necnon & variæ supellectilis vestium ornamenta, falerata equorum, cetero rumque animalium quæque præcipua: inter quas nimirum, & si ultimus, fide devotus quia monuistis, & mea, ut opto, vos delectant; decrevi non ignavi ponderis metalli vestræ majestati munus offerre: scilicet libellum, quamvis exiguum [d] corpore, magnum tamen de (d) sacramentis sacræ communionis, quem dudum *Placidio* meo (e) *Warino* abbati devoto & fideli [e] vestro consecrans, ideo sic communius volui stilo temperare subulco, ut ea quæ de sacramento corporis & sanguinis Christi sunt necessaria rescire, quos necdum unda liberalium attigerat litterarum, vitæ pabulum & salutis haustum planius caperent ad medelam. Nunc autem dirigere non timui (f) vobis, quatenus nobis operis præ- [f] stantior per vos exuberaret fructus mercedis pro sudore, cum per vos ad plurimos pervenerit commendatus, & gratia nobis responderit oblati muneris: quia pecunia verbi (sicut plenius, Domine mi rex nostis) *Eadem fere in epist ad Placid.* quantos repleverit suis sumtibus auditores, tantis copiosius in se amplificatur meritorum opibus. Qua de causa velim non levi animo ista perlegat vestræ sollertiæ magnitudo, verborum ad alia pretiosorum amore ductus: sed sic super hanc intendat prudentia vestra mensulam paupertatis, ac si ad ferculum Salomonis, quod ambiunt ex *Cant. Cantic. 3. 7. 9.* fortissimis supernorum civium electorum sexaginta fortes. Ubi profecto siquis superciliosus aut invidus, vel indignus accesserit usquam, eorum tutus loquor præsidio, de quibus est sermo, non ista absque periculo contemni, quoniam uniuscujusque ensis *Ibid. 8.* hinc inde vibratur, tam ut talium retundat audaciam, quam ut regis excubias (g) [g] custodiat contra hostes. Qui etsi minus est *4. Reg. xi. 7. 7.* in eloquio, multo præstantius in materia, qua digne credentibus vita præstatur incorruptibilis & æterna. Idcirco ne me putes, Augustorum carissime, (h) fabulam [h] vobis contexere de Maronis salsura. Immo cavendum ne ullus in his offendat; quia nihil felicius, si digne ad ea gustu intelligibili quisque pertingat. Ubi si recte sapio, quotienslibet quicumque recumbit inter ea de quibus agitur, inter angelorum frequentiam & sanctorum omnium epulas versatur: quia convivium æterni regis est ad quod ingreditur, ubi sponsus & sponsa dulcibus deliciarum fruuntur muneribus, & *Matth. 22. 11. 12.* rex totius creaturæ quotidie ingreditur, ut videat discumbentes, si vestem in qua renati sunt habeant nuptialem. Quapropter non pervipendere debemus tantam gratiam: sed cogitare qualiter possimus cum fiducia æternæ vitæ pascua contingere. Hinc ergo, præstantissime rex, de hoc exiguæ (i) lectionis eloquio placeat diligenter intendere, quanta sit virtus in eisdem mysticis sa- [i] cramentis, vitam æternam in præsentiarum accipere, & angelicis escis Christi in corpore quotidie saginari. Quoniam etsi a Deo plena sunt omnia, nosque coram oculis divinæ majestatis semper versamur, & perfidis ubique nullus tutus est locus; tamen plurimum coram sanctis altaribus frequentiam angelorum vultum Dei contemplantem, [ac] divina obsequia observare oportet & vereri, taliaque mente & anima instantius perscrutari. Et ut hæc diligentius vestra perlegat sagax intelligentia, licet humilia videantur, prostratis imploro precibus, quatenus vestro examine comprobatus codex, etsi jamdudum ad plurimos pervenit, deinceps securius haberi possit: quia non de nostro ista edidimus, sed catholicorum patrum doctrinam, veritatis calamo conscriptam, nostro stilo commendavimus. Quod si dignitas vestra ea quæ devotus offero, dignanter acceperit, meaque (k) taliacumque grata fuerint, illud [k] Maronis in fine cantabo.

Aurea mala decem misi, cras altera mittam. *Virg. Bucol. Egl. III.*



(a) Quippe Radbertus ne quidem factus abbas ad sacerdotii gradum voluit promoveri vir modestissimus.

[b] Excidit ab editis vox *plurimam*, quam exhibent & Aniciensis codex & Colbertinus.

[c] Id est ad Natale Domini, ut conjicit Mabillonius præf. ad Sæc. X. Bened. Part. 2. p. 9.

[d] Ex hoc loco refutata manet Ludovici Cellotii sententia, qua duos de Eucharistia Paschasii Radberti libros distinguit, unum breviorem *de Corpore & Sanguine Domini*, hactenus vulgatum: alterum prolixiorem *de Sacramentis*, quem ait excidisse. Hinc enim patet librum de Corpore & Sanguine Domini alium non esse a libro *de Sacramentis*, quo nomine illum appellat libro 12. Comment. in Matth.

[e] Hinc collige Warino Corbeiæ-novæ abbati adscititium fuisse nomen Placidio, quo agnomine diu ignotus jacuit.

(f) Ms. Colbertinus legit *curavi*.

[g] Ms. *custodiant*.

[h] Forte *clarissime*.

[i] Colbert *exiguo*.

[k] Hunc locum emendavimus ope codicis Colbertini, qui legit *meaque*, non *in ea qua*, ut in editis habetur, manifesto amanuensis errore, qui ex una *m* litteras duas fecit *in*, & *qua* posuit pro *que*

VERSUS

VERSUS PASCHASII de corpore & sanguine Domini.

Regis (*a*) adire sacræ qui vis solemnia mensæ,
Almificum Christi corpus contingere votis,
Delicias (*b*) vesci, roseum potare cruorem
Bacchica nostra velim, puero (*c*) quæ misimus olim,
Et niveos casto condas in pectore flores:
Rustica forte animo sordent, sed mella (*d*) manabunt
Tantum (*e*) quæ calamus Christi de fonte ministrat
Unde (*f*) sitim pueri possint * restinguere saltem
Si libeat digne sectari jussa tonantis.
Libertas etenim fidei numquam abnegat ulli
Eximios vitæ fructus de cespite carnis:
Vita, salus, pax, lux, sapientia denique cunctis
Inde (*g*) manat per eum cœli sub cardine quadro.
Tu quoque muneribus si dignus vixeris istis
Accipies palmam regni virtute beatus.

* al. restringere.

INCIPIT (*h*) PROLOGUS Paschasii Radberti ad Placidium discipulum suum de opere subsequenti.

Paschasius (*i*) Radbertus levita monachorum omnium peripsema, dilectissimo filio, & vice Christi præsidenti, magistro monasticæ disciplinæ, alternis successibus veritatis condiscipulo.

Novi (*k*) igitur, nec ambigo tua experimento disciplinarum solertia, quod Arsenius (*l*) noster, quem nostra nunc nobis sæcula Jeremiam alterum tulerunt ab illo, in fidei te mihi commiserit ratione: propter quod a primævo indefessus curavi te rapere de inter undas; sed fateor tibi magis melotam patris supra verticem profuisse: qua denique subvectum (*m*) te congratulor evasisse, me quoque jocundor non in vacuum cucurrisse. (Præfatus (*n*) autem pater, uti justitiæ faventibus moris est, exilium (*o*) fert pro fide, illo ut utar Comici, quia plenus rimarum veritatem sciens silere noluit. Unde adhuc suspecti sumus, quid Dei dispensatio ex eo ulterius velit, quem jam inspicimus promissionibus meritorum hinc inde divinitus (*p*) agitari. Tu tamen) non es secutus juvenilia, ut adsolent, desideria, qui diutinis premuntur inviti disciplinarum compedibus, sed radicatus fide Christi ultroneus moribus & vita quotidie ad meliora, Domino juvante, proficis. Neque, ut frequenter tibi objeceram, supra glaciem scribens ad solem posui, sed in soliditate fidei & caritate Christi interius spiritu (*q*) solidante semina vitæ sevi.

Unde, votorum filii, censura fidei, & dilectionis (*r*) gratia etiam inter mundi turbines, præsertim dum nostrarum (*s*) suis discordiarum anfractibus pene labitur orbis, effusa super magnates contentione imperii, divino arbitrio, quorum lite multum diuque concussus, tandem patent (*t*) occulta,

[*a*] Mameranus & Ulimmerius manifesto errore legunt *Legis*, quo posito, acrostichus in prima littera claudicaret.

[*b*] Editi *Deliciis vesci* contra fidem decem mss. qui constanter legunt *Delicias vesci*, nec male; nam etsi frequentius *vescor* cum casu ablativo jungatur, nonnumquam tamen cum accusativo apud optimos auctores ponitur, ut apud Plinium lib. 10. cap. 38. Propertium lib. 2. eleg. 6. Tacitum in vita Agricolæ. Ex hoc porro loco patet Radberti nomen cum *d*, non cum *t* legendum hoc modo, *Radbertus* non *Ratpertus*.

[*c*] Warino scilicet, seu Placidio abbati, quem *puerum* vocat, quod a primis eum annis erudiisset.

[*d*] Ita Mameranus cum mss. At vero Ulim. & Sirmondus legunt *mella meabunt*.

[*e*] Aniciensis codex, duoque Colbertini, *Iste tamen calamus*.

(*f*) Sic restituimus hunc versum ope manuscriptorum optimæ notæ. Nam editi antea legebant, *Unde sitim possis flammasque extinguere mortis*.

[*g*] Ita Mamer. cum mss. duodecim. Quatuor vero mss. legunt *Inde fluit testor*, duo vero mss. habent *Inde manat semper*. Aniciensis *Inde manat per aon*.

(*h*) Ita titulum præfert codex Colbertinus antiquissimus. Sic vero regii duo mss. *Incipit prologus Paschasii diaconi in libro de Corpore & Sanguine Domini*. Corbeiensis unus, *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Incipit liber Ratberti Paschasii Levitæ de Corpore & Sanguine Domini. Incipit prologus sequentis operis*. Cui paucis mutatis consentiunt sancti Germani & Turonensis S. Martini. In Vaticano, *Prologus libri ad Placidum*, atque ita in duobus reginæ Sueciæ mss. & apud Sirmondum. In pluribus tamen tam scriptis quam editis deest hic titulus.

(*i*) Plures mss. præfationis inscriptionem habent hoc modo: *Paschasius Radbertus Placidio suo salutem*, tum *dilectissimo filio vice Christi præsidenti*. At magis genuina & genio auctoris accommodata nostra lectio, quæ est Corbeiensis codicis & Germanensis.

[*k*] Ita Mameranus cum octo optimæ notæ mss. Editio Sirmondi cum quibusdam codicibus *Novit igitur*, minus quidem proprie.

[*l*] *Arsenii* nomine plerique hactenus intellexerunt Adalardum abbatem Corbeiensem, quem Paschasius in ejus vita *Antonium* & *Augustinum* aliquando appellatum fuisse observat, nusquam *Arsenium*. Sed hoc nomine designatum fuisse Walam ejus fratrem, qui & *Jeremias* dictus est, demonstravit Mabillonius in eius vita quam primus edidit sub hoc titulo, *Epitaphium Arsenii*.

[*m*] Septem mss. legunt, *subvectus tui te gratulor*, Laudunensis *subvectus tunc gratulor*.

[*n*] Isthæc in parenthesi desunt in editione Sirmondi, & in ms. S. Germani. Reperiuntur tamen in omnibus fere manuscriptis & apud Mameranum.

[*o*] Varia subiit Wala exilia, primo anno 830. ad Lemanum lacum, deinde anno insequenti ad Herum insulam, in qua septem annis exsul egerat S. Adalardus ejus frater; ac demum ad quoddam Germaniæ monasterium.

[*p*] Tres optimæ notæ mss. scilicet, Puteanus, Colbertinus & Remensis S. Remigii legunt *actitari*, cujus loco Mameranus cum mss. Vaticano, & Rothomagensi S. Audoeni habent *accitari*.

[*q*] In editione Sirmondi desideratur *Spiritu*, quod omnes mss. proferunt.

(*r*) Vatic. *devotionis gratia*.

[*s*] Ita fere mss. omnes. Editi *noster*.

[*t*] Ita codex Majoris-monasterii cum Sirmondo; sed in plerisque mss. & apud Mameranum desideratur *patent*.

quæ a principio per partes hinc inde con- A creverant, delictorum habenis ubique concupiscentiarum refusis, jam sua summos feriunt fulgura montes; ita ut nihil nostras nisi confusio undique per singula horarum spatia repercutiat aures: tamen non supersedi, ne unicum ac specialem te divinis dumtaxat, quamvis clausus *(a)* in custodia, curarem eluere votis, & ad immortalia æternorum, licet sermone inelimato, pulsum a lacte annuis angoribus ut gliscas feli- B cius *(b)* invitarem. Quod ideo placuit communi (*c*) stylo temperari subulco, & ea quæ de sacramento Dominici sanguinis & corporis tibi exigis necessaria, tui prætextatus (*d*) amore ita tenus perstringere, ut ceteri, quos necdum unda (*e*) liberalium attigerat litterarum, vitæ pabulum & salutis haustum planius (*f*) tecum caperent ad medelam, & nobis operis præstantior exuberaret fructus, (*g*) atque merces pro sudore: quia pecunia verbi, sicut plenius nosti, quantos repleverit suis sumptibus auditores, tantis copiosius in sese amplificatur meritorum C opibus. Ideo velim non puerili animo ista perlegas, verborum ad alia pretiosorum amore ductus, sed sic sedeas ad hanc mensulam paupertatis, ac si ad ferculum Salomonis. Ambiunt ergo eum electorum sexaginta fortes ex fortissimis supernorum. Ubi si quis superciliosus aut invidus (*h*) vel indignus accesserit usquam, eorum tutus loquor (*i*) præsidio, ista non absque periculo contemnit. Quoniam uniuscujusque ensis super femur vibratus, *(k)* tam ut talium retundat audaciam, quam ut regis excubias D custodiat contra hostes; quia etsi minus est in eloquio, nihil præstantius in materia, qua digne credentibus vita præstatur incorruptibilis & æterna.

Hinc ergo ne putes me tibi, fili, fabulam de Maronis salsura contexere, immo crede, post lac infantiæ nihil magis cavendum, ne in his offendas; nihilque felicius, si digne ad ea gustu intelligibili pertingas; ubi, si (*l*) recte sapio, quotiens libet recumbis, inter angelorum frequentiam & sanctorum omnium epulas, quia convivium (*m*) est regis æterni, admisceris. Ubi sponsus & E sponsa dulcibus deliciarum fruuntur muneribus, & rex totius creaturæ quotidie ingreditur, ut videat discumbentes, si vestem in qua renati sunt habeant nuptialem. Unde quia, carissime, (*n*) talia periculosius est præsumere, opesque deliciarum Christi fœdare vitæ criminibus, & quæ sancta sunt impudenter attingere, velim caveas ad hæc una cum iniqua gerentibus introire. Immo lava inter innocentes manus, quia jam sacris es officiis mancipatus, ut sine periculo possis accedere ad commissa, & cum fiducia contingere vitæ pascua, quibus sane refectus & usque ad finem vitæ digne nutritus, valeas pervenire ad locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis, ubi sonus est epulantis. Noli ergo parvipendere tantam gratiam, sed de hoc exiguo lectionis intellige, quanta sit virtus vitam æternam in præsentiarum accipere, & angelicis escis quotidie saginari. Quoniam etsi a Deo (*o*) plena sunt omnia, nos quoque coram oculis divinæ majestatis semper versamur, & perfidis ubique nullus tutus est locus, tamen plurimum coram sanctis altaribus frequentiam angelorum vultumque Dei contemplante, divina obsequia observare oportet & vereri. (*p*) Hæc autem ut securius tua perlegat infantia, placuit, carissime, catholicos ecclesiæ doctores in principio adnotare, ex quibus pauca de pluribus quasi lac teneritudinis eliquaverimus, (*q*) Cyprianum scilicet, Ambrosium, Hilarium, Augustinum, Johannem, Hieronymum, Gregorium, Isidorum, (*r*) Isicium & Bedam, quorum doctrina & fide imbutus, melius possis ad altiora proficere. Nostro quidem stilo nunc sensum eorum commendans, nunc vero propriis eorum verbis (*s*) utens, quæ apta erant meo studio temperavi. Interdum autem quæ manifesta non dubium (*t*) videbantur, vera ratione firmavi, & contra quæque in ejusdem libri margine litteras doctorum quos præmisi, ex initio nominis e regione figere curavi, propter quod lege securus & perfice quæ monui devotus.

Explicit prologus.

[*a*] Quid causæ fuerit cur Paschasius clausus in custodia fuerit, non facile est divinare. Forsitan hic Walæ designat exsilium ad lacum Lemanum, quo jussu Augusti ad eum missus, aliquandiu demorari potuit.

(*b*) Vatic. *facilius.*

[*c*] In plerisque manuscriptis legitur *communius*, in quibusdam *communiter*.

[*d*] Editi, *quæ tui prætexantur amore.*

[*e*] Editio Sirmondi *unde*, sed melius *unda*, ut in ms. Majoris-monasterii & aliis, vel ut habent Laubiensis, & unus regius codex, *unda liberalium attigerant litterarum.*

(*f*) Laub. & Mart. *plenius.*

(*g*) Mamer. *fructus mercedis.*

[*h*] Vaticanus codex non *invidus*, sed *immundus* legit.

[*i*] Mamer. *præsidia ista non absque periculo contemni.*

[*k*] Editi, *vibrat, tam ut talium retundant audaciam, quam ut regis excubias custodiant contra hostes.*

(*l*) Optimæ notæ codices Puteanus, Colbertinus, Vaticanus, Remensis S. Remigii, Laubiensis, Rothomagensis S. Audoeni, Turonensis, Majoris-monasterii, regius unus legunt, *Qui si recte sapias.* Mam. *qua si recte sapias.* Codex vero Majoris-monasterii addit: *Quandocumque tibi placet illud sacrosanctum celebrare vel participare mysterium, quotiescumque recumbis, &c.*

(*m*) Cod. regius unus, *qui ad convivium.*

(*n*) Editio Sirm. *commune*, contra fidem omnium mss. qui legunt *carissime.*

(*o*) Ita Mameranus cum octo mss. Sirmond. vero legit *etsi Deo plena sunt omnia.*

(*p*) Ms. S. Audoeni *venerari.*

(*q*) Tres mss. *eliquaverim.*

(*r*) Mameranus omisit *Isidorum & Bedam.*

(*s*) Manuscripti duo regii, *verbis & exemplis utens.*

(*t*) Ms. S. Audoeni *nondum videbantur.* Vatic. *non dubia videbantur.*

A

INCIPIUNT CAPITULA.

I. Christi communionem verum corpus ejus & sanguinem esse.

II. Quod hoc mysterium Christi nullus fidelium debeat ignorare.

III. Quid sint sacramenta vel quare dicantur.

IV. Utrum sub figura, an in veritate hoc mysticum fiat sacramentum.

V. Quid sit inter immolationes veterum figurasque legalium, & inter sacramentum Dominici corporis & sanguinis.

VI. Quid sit autem digne ad vitam percipere corpus & sanguinem Christi.

VII. Quibus modis dicitur corpus Christi.

VIII. Quod in hac communione aut judicium percipitur aut præmium.

IX. Quid necesse fuerit quod semel gestum est in re, Christum quotidie in mysterio immolari.

X. Cur in pane & vino hoc mysterium celebratur.

XI. Cur in calice aqua misceatur.

XII. Utrum plus aliquid habeat hoc mysterium, quotiens a bono, an minus quippiam, quotiens a malo conficitur ministro.

XIII. Cur colorem aut saporem sacramenta minime permutant.

XIV. Quod hæc sæpe visibili specie apparuerint.

XV. Quibus verbis hoc mysterium conficiatur.

XVI. Utrum hoc corpus post consecrationem panis jure queat vocari.

XVII. Utrum plus ex eo habeat qui majus aut qui minus acceperit.

[a] XVIII. Cur hoc mysterium ante passionem discipulis traditur. *(a)*

XIX. Ut quid in sanguine Christi fragmen corporis admiscetur.

XX. Quare nunc a jejunis mysterium sacræ communionis celebratur, cum Dominus post cœnam apostolis hoc tradiderit.

XXI. Quid sit quod Dominus ait: *Non bibam a modo de hoc genimine vitis, donec illud bibam novum in regno patris mei.*

[b] XXII. Si ulla differentia sit in hoc mysterio justo & pœnitenti. *(b)*

Expliciunt capitula.

INCIPIT *(c)* LIBER PASCHASII Radberti de corpore & sanguine Domini. [c]

CAPUT I.

Christi communionem verum corpus ejus & sanguinem esse non dubitandum.

1 QUisque catholicorum recte Deum cuncta creasse ex nihilo corde credit ad justitiam, & ore confitetur ad salutem, numquam dubitare poterit ex aliquo aliquid B rursus fieri posse, quasi contra naturam aliud, immo jure naturæ, quod necdum erat. Nam natura omnium creaturarum non ex se est, neque ex sese creat rursum omnia, quæ vel sunt *(d)* naturalia rerum nascentia, sed voluntate Dei omnium rerum natura condita est. Propterea quisque recte *(e)* sapit, non naturam causam dicit esse rerum, sed omnium naturarum & ex natura sui generis nascentium *(f)* voluntatem Dei esse confitetur. Porro voluntas Dei tam efficax est & omnipotens, ut ejus velle solum fieri sit, ac per hoc voluisse illum, fecisse est. C Unde nimirum omnium rerum & naturarum causa sola voluntas Dei jure creditur. Ideoque quotienslibet in sæculo videtur quasi contra naturam aliquid evenire, quodammodo non contra naturam est, quia potissimum rerum natura *(g)* creatarum hoc habet eximium, *(h)* ut a quo est, semper ejus obtemperet jussis, ut sicut velle Dei ejus profecto est esse, ita quoque quidquid eam rursus Dei virtus esse decreverit, jure aut crescendo augeatur, aut nascendo, *(i)* licet pro nostris offensis diminuatur, D aut mutando in aliud omnino quod non erat, prætermisso naturæ ordine, convertatur, rectissime confitetur. Hinc ergo pulchre a quodam poëtarum nostrorum dictum est.

Augustinus.

[d] *Vera fides nihil anxie de verbo Domini dubitat.*

[e] [f] [g] [h] [i]

Sedulius.

. . . . . *Subditur omnis*
Imperiis natura tuis, rituque soluto,
Transit in adversas jussu dominante figuras.

Quoniam extra potentiam Dei nihil est, idcirco omnia potest. *(k)* Neque enim sic condidit omnium artifex Deus rerum na- E turas, ut suum velle ab his auferret, quia omnium creaturarum subsistentia *(l)* in ea-

Potentia Dei omnia potest.

[k] [l]

(a) al. *traditum.*

(b) Addit mss. S. Germ. *reconciliato.*

(c) Variant circa hunc titulum codices mss. Remensis S. Remigii sic legit: *Incipit textus libri de corpore Christi.* Duo regii: *Incipit liber Paschasii diaconi de mysterio Corporis & Sanguinis Domini Jesu Christ.*. Codex S. Germani: *Incipit liber Paschasii Radberti Levitæ de Sacramento Corporis & Sanguinis.* Corbeiensis, *Incipit liber de Sacramentis.*

(d) Ita optimæ notæ codices Laubiensis, Vaticanus, Turonensis S. Martini, Rothomagensis S. Audoeni, Remensis S. Remigii, & duo S. Germani, sex Corbeienses. Editi *Quæ pascuntur naturalia rerum nascentia*, quibus concinit codex Majoris-monasterii.

(e) Editi cum codice Florentino, *si recte sapit.*

(f) Mameranus & Sirm. *denascentia.* Laub. Vaticanus, Rothomagensis S. Audoëni, & unus regius, *denascentium.*

(g) Editi *creaturarum*, melius & rectius mss. *creatarum.*

(h) Ms. Tur. S. Martini, *hoc habet proprium.*

(i) Ms. S. Audoeni, *aut decrescendo.*

(k) In codice Laubiensi hic incipit caput I. cum hoc titulo: *Quod Dei voluntas causa sit omnium creaturarum, & ideo neminem movere debere, quod vera sit caro Christi, & verus sanguis, quem de altari sumimus.*

(l) Anic. Regius unus, & Rothom. S. Audoëni, *substantia.*

dem Dei voluntate subsistit & virtute, a qua causam habet, non solum ut subsistat quicquid est, sed etiam ut sic sit sicut ipsa Dei voluntas decreverit, quæ causa est omnium creaturarum. Alioquin nec subsisteret ulla creaturarum existentia, nisi in ejus voluntate, a quo totius ejus esse manat: & ideo natura creaturæ quotiens mutatur, aut augetur, vel subtrahitur, non ab illo esse divertitur in *(a)* quo est, quia sic est, & sic fit, ut ille decernit in quo est.

2. Patet igitur quod nihil extra vel contra Dei velle *(b)* potest, sed cedunt illi omnia omnino. Et ideo nullus moveatur de hoc corpore Christi & sanguine, quod in mysterio *(c)* vera sit caro & verus sit sanguis, dum sic voluit ille qui creavit: *Omnia enim quæcumque voluit fecit in cœlo & in terra*: & quia voluit, licet *(d)* in figura panis & vini maneat, hæc sic esse omnino, nihilque aliud quam caro Christi & sanguis post consecrationem credenda sunt: unde ipsa Veritas ad discipulos: *Hæc (e), inquit, caro mea est pro mundi vita*: *(f)* & ut mirabilius loquar, non alia plane quam quæ nata est de MARIA & passa in cruce & resurrexit de sepulcro. *Hæc, inquam, ipsa est, & ideo Christi est caro, quæ pro mundi vita adhuc (g) hodie offertur, & cum digne percipitur, vita utique æterna in nobis reparatur.* Quod si minus alicui quam dicimus credibile videtur, attendat universa veteris ac novi *(h)* testamenti miracula, quæ contra naturæ ordinem ob fidei firmitatem a Deo gesta sunt, & videbit luce clarius, quod Deo nihil impossibile sit, dum omnium esse Dei voluntas est, & quidquid voluerit Deus, hoc *(i)* singula sunt.

Ipsius Christi corpus sub panis, & sanguis sub vini figura.

Ambrosius.

Profectus digne communicantis.

Radbertus.

3. At vero si quis ista non credit, si vidisset Christum in cruce in specie servi, quomodo Deum illum intelligeret, nisi per fidem prius credidisset. Ita & in hoc corpore, ubi species alia monstratur, quomodo carnem Christi videat, nisi per fidem (k) prius veraciter credat. Cogitet ergo si mare rubrum olim habuit *(l)* in natura dividendi se, ut populus per medium sicco vestigio transiret, aut si habuit omnis illa Ægyptiorum aqua ex se, licet per Moysen, vim se convertendi in sanguinem & cetera. An in voluntate Dei fuit ut impios permulceret ad fidem, & monstraret in specie coloris ejus, quod omnis eorum doctrina & morum aspersio versa esset in sanguinem. Deinde in evangelio aqua *(m)* perhausta de fonte, unde habuit potentiam se in vini demutandi saporem? Et ut de innumeris pauca commemorem, unde habuit ignis ille Babylonius, ubi tres pueri missi sunt, per naturam ne caleret*? An in voluntate fuit ut fieret tamquam spiritus roris flantis*, ut refrigerium magis quam incendium præstaret sanctis. Cogitet ergo quisque panes illi in eremo quinque aut septem, si habuerunt substantialiter ex se, ut tot homines satiarent, & deinde tot sportas replerent, an in gratia *(n)* fuit quod factum est Creatoris: minuendo enim multiplicabantur, necnon etiam & MARIA virgo habuit ut virgo pareret sine coïtu Deum, an in virtute Dei? Et ut apertius dicam, caro nostra vel animalium, numquid non *(o)* terra, immo terra quia dictum est: *Terra es, & in terram ibis.* Quamvis ergo terra vera *(p)* sit caro, licet corruptibilis, si servaverit jura legis & mandatorum Dei præcepta, vestietur adhuc immortalitate. Per ista quæ exponimus quamvis caro, tamen incorruptibilis erat.

Augustinus.

* al. arderet.

* f. flans.

4. Quæ velim diligenter attendas, o homo, & per omnia quæcumque naturaliter videntur esse, vel qua contra naturam facta leguntur ab initio creaturæ, enucleatius obsecro considera, utrum ex sese in sua natura fiant singula, *(q)* vel quæ demutantur in aliud quod non erant, utrum per ordinem sui juris, ut sint mirabilia, aut certe, quod magis fateberis, & illa quæ sunt quasi naturalia, & justa; quæ quasi contra naturam veniunt, prorsus omnia in voluntate Dei esse & in sapientia singula pro utilitate rationabilium procreari, & ideo causam omnium existentium voluntatem Dei recte fatemur, nec immerito, quoniam voluis-

Sola ratio, non fides miratur quid fieri contra naturam.

[a] In editione Sirmondi desiderantur hæc verba: *In quo est, quia sic est, & sic fit, ut ille discernit in quo est*, quæ tamen extant apud Mamer. & Ulimmerium. In duobus mss. sancti Germani, duobus regiis, reginæ Sueciæ duobus, Vaticano, Laubiensi, Puteano, Colbertino, Laudunensi & Turonensi S. Martini.

(b) Quatuor mss. *contra Dei voluntatem.*

(c) Ms. S. Audoeni *in ministerio*, Anic. vero & Colbertinus unus *mysterio*, omisso *in*.

(d) Puteanus, Anic. Remigianus, Vatic. & Florentinus, *licet figura panis & vini*, omisso *in*; tres alii mss. addunt *maneat*, Ulimmerius vero sic legit, *licet figura panis & vini hic sit.*

(e) Anic. *hoc, inquit.*

(f) In codice Laubiensi hic incipit CAP. II. cujus hic titulus: *Quod non sit aliud quod sumimus in Eucharistia, nisi caro de intemerata Virgine nata, & sanguis qui fluxit de latere Christi.*

[g] In cod. Vaticano desideratur *hodie*, desiderantur & hæc mox subsequentia verba: *Et cum digne percipitur, vita utique æterna in nobis reparatur.*

(h) Apud Mameranum & in tribus mss. desideratur *novi*; quod tamen optime quadrat. Nam infra novi perinde ac veteris testamenti refert miracula.

(i) Mamer. & Laub. *hæc singula fiunt*, Rothom. S. Audoëni, *hoc singulariter fit.*

(k) Editi cum quibusdam mss. expungunt *prius*; octo vero mss. pro *veraciter* legunt *veracius*.

(l) Vatic. *habuit naturam dividendi se.*

(m) Editi *si aqua perhausta de fonte habuit potentiam*; at melioris notæ mss. expungunt *si*, leguntque hoc modo: *aqua perhausta de fonte unde habuit potentiam.* Nec male, nam interrogando hic loquitur Radbertus.

(n) Editi cum quibusdam mss. addunt *Dei*, quod superfluum est, nam mox subditur *Creatoris*, cujus loco Laub. legit *creantis omnia.*

(o) Quinque mss. *numquid non de terra.*

(p) Mamer. & Sirm. expungunt *sit*. Laub. *Quamvis ergo terra vera sit caro, corruptibilis est.* Flor. *Quamvis ergo terra sit vera caro, tamen corruptibilis est.*

(q) Vatic. *Fiant singula, quæ augentur, aut minuuntur, aut demutantur.*

se

se (a) ejus fecisse fuit. Unde (b) quotienscumque aliquid fit ex aliquo, (c) virtute voluntatis fit, & in sapientia ejus qualiter fiat, præparatur. Neque igitur voluntas sine virtute, neque virtus sine sapientia quippiam efficit; quia (d) voluntas Dei virtus & sapientia est; ideo quidquid vult, ita fit ut vult, & in nullo fallitur: quia in sapientia sua omnia vult, immo ipsa sapientia ejus voluntas est: & propterea nihil (e) mali, nihil quod non possit vult. Unde quia sic voluit, ut caro ejus esset & sanguis hoc mysterium, in nullo dubites, si Deum credis: sed vera (f) fide habeas in animo. quod hæc est caro illa, quæ oblata est pro mundi vita, quam qui digne comederit, mortem non videbit in æternum. (g) Nihil enim Christus ecclesiæ suæ majus aliquid in mysterio reliquit, quam hoc baptismique sacramentum, necnon & scripturas sanctas, in quibus omnibus Spiritus-sanctus, qui pignus totius ecclesiæ est, interius mystica salutis nostræ ad immortalitatem operatur. Sed in his denique nihil incredulis mirabile, credentibus vero nihil melius, nihil mirabilius, nihilque locupletius in hoc sæculo præbetur, non ut mirabile visui pareant oculorum, sed ut in fide & intellectu divinis redoleant mysteriis, & in eisdem æternitas (h) mortalibus & participatio Christi in unitate corporis concedatur.

Hilarius.

Ambrosius.

Pignus ecclesiæ Spiritus-sanctus.

Via hujus sacramenti.

5. Hac igitur de causa longe ab omnibus quæ facta sunt a sæculo miraculis (i) distat hoc mysterium, quia omnia illa ideo facta sunt, ut hoc unum credatur quod Christus est veritas; veritas autem Deus est, & si Deus veritas est, quidquid Christus promisit in hoc mysterio, utique verum est; & ideo vera (k) Christi caro & sanguis, quam qui manducat & bibit (l) digne, habet vitam æternam in se manentem; (m) sed visu corporeo & gustu propterea non demutantur, quatinus fides exerceatur ad justitiam, & ob meritum fidei merces in eo justitiæ consequatur. Alia namque Christi miracula hoc unum passionis confirmant (n) sacramentum, & ideo non ob miraculum ista mutantur exterius in speciem, sed interius, ut fides comprobetur in spiritu, verissime confitemur: ut quia justus ex fide vivit, habeat justitiam fidei in mysterio, & per fidem vitam in se suscipiat manentem, qua securior adhuc mortalis immortalitate pastus, quantocius ad immortalia festinet, ubi non pedibus, sed fide cum bonis operibus pervenitur.

6. Constat igitur modis omnibus, quod sicut in paradiso lignum (o) fuit, ex quo jugis subsisteret status hominis, si mandata servasset, & immortalitas: ita provisum est in ecclesia hoc mysterium salutis, non quod eidem ligno hoc esset in natura, sed re (p) visibili virtus invisibilis intrinsecus operabatur. Ita siquidem & in isto communionis sacramento visibili, divina virtus ad immortalitatem sua invisibili potentia, quasi ex fructu ligni paradisi, nos & gustu sapientiæ substentat & virtute, quatinus per hoc immortales in anima, quamdiu ex hoc digne sumimus, demum in melius transpositi ad immortalia feramur. Ad hoc ergo, *Verbum caro factum est & habitavit in nobis*, ut per Deum Verbum carnem factum caro proficeret in Deum Verbum, quæ nimirum caro Verbi fit esca in hoc mysterio, cibusque fidelium, dum vere creditur esse caro pro mundi vita, neque aliud aliquid, quam caro corporis Christi, ex qua Christus manet in nobis, ut & nos per eam transformemur in illum; qui nihil aliud factus est, quam Deus caro dignatione sua, ut habitaret in nobis. Si ergo habitat in nobis, ut nos membra corporis ejus maneamus in illo, justum est quia in illo sumus, ut ex eo vivamus, (q) & ideo carne Verbi vescimur & potamur sanguine. Hæc est, inquam, firmitas fidei nostræ, hæc unitas & vitæ communicatio, ubi si naturæ ordo requiritur, succumbit ratio, & tamen manet extra humanam rationem facti veritas, ita ut in ratione fidei vis deitatis & potestas efficax modis omnibus credatur, quia dubietas mentis, licet bonæ vitæ sit qui accipit, excludit, (r) ne ad hujus sacramenti intelligentiam pertingat.

Elegans collatio.

Hilarius.

Joh. 1. 14.

Ratio in re sacramenti cœca.

CAPUT II. (s)

Quod hoc mysterium Christi nullus fidelium debeat ignorare.

1 SAcramentum Dominici corporis & sanguinis, quod quotidie in ecclesia cele-

(a) In quinque mss. deest *ejus*.

(b) Vatic. *Unde quoniam ita est, quotiescumque, &c.* Regius unus & S. Audoëni, *Unde quoniam quotiescumque*.

(c) Ms. Majoris-monasterii, *Ex aliqua virtute*, codices reginæ Sueciæ, *virtute & voluntate fit*.

(d) Editio Ulimm. & Sirmondi, *Quia ergo voluntas*. Sed Mameranus cum plerisque mss. expungit *ergo*.

(e) In editione Sirm. desideratur *nihil mali*, quod habent omnes mss. & alii editi.

(f) Laub. & Laud. cum Mamer. *sed veram fidem habeas*.

(g) Hic in codice Laubiensi incipit CAP. III. cum hoc titulo: *Quod nihil magis Christus ecclesiæ contulerit, quam & baptismi sacramentum, &c.*

(h) Flor. & Prædic. *æternitatis mortalibus participatio*.

(i) Duo mss. regii, *mirabilius distat*. Laub. *mirabilia distat*.

(k) Ulim. & Sirm. legunt, *vera est Christi caro*. Sed apud Mameranum & plerosque ms. deest *est*.

(l) In editis desideratur *Bibit*.

(m) Hic in codice Laub. incipit CAP. IV. *Quare non demutatur caro Christi & sanguis in visu & gustu.*

(n) Editi cum Flor. *confirmat*.

(o) Editi cum tribus mss. *Lignum vita fuit*.

(p) Cod. Majoris-monast. *rei visibili*.

(q) Laub. *Sumamus*.

(r) Aniciensis *excludit eum*.

(s) Cod. Laub. CAP. V. *Quod hoc mysterium nullus fidelium debeat ignorare, quia etiamsi bona vita sit qui accipit, dubietas mentis excludit, ne ad ejus sacramenti intelligentiam perveniatur.*

bratur, nemo fidelium ignorare debet, nemo nescire quid ad fidem, quidve ad scientiam in eo pertineat: quia nec fides in mysterio sine scientia recte defenditur, nec scientia sine fide, quæ nondum capit, quandoque ut percipiat, enutritur. Ac per hoc tanti sacramenti virtus investiganda est, & disciplinâ (a) Christi fides erudienda; ne forte censeamur ex eo indigni, (b) saltem si non satis discernimus illud, nec intelligimus, mysticum Christi corpus & sanguis quanta polleat dignitate, quantaque præemineat virtute, & discernatur a corporeo gustu, ut præstantius sit omni sacrificio veteris testamenti.

[a] [b]

2. Hoc sane si quis ignorat non discernit; & ideo timendum, ne per ignorantiam, quod nobis provisum est ad medelam, fiat accipientibus in ruinam; unde Dominus in levitico: *Qui comederit de sanctificatis*, inquit, *per ignorantiam, addat quintam partem cum eo quod comedit, & dabit sacerdoti in sanctuario: nec contaminabitis (c) sanctificata filiorum Israël quæ offerunt Domino, ne forte sustineant iniquitatem delicti sui, cum sanctificata comederint*. Et addidit: *Ego Dominus, qui sanctifico eos*. Ac deinde: *Sancta sanctorum sunt*. Ubi profecto mysterium corporis Christi & sanguinis designatur; ex quo non habet potestatem edendi, non solum omnis alienigena, inquilinus & mercenarius, verum nec qui per ignorantiam tanti mysterii obcæcatur. Per ignorantiam autem illud percipit, qui virtutem ejus & dignitatem atque circumstantiam ipsius sacramenti penitus ignorat: qui nescit vere quod corpus & sanguis sit Domini secundum veritatem, licet in sacramento accipiatur per fidem; hic quidem mysterium accipit, sed nescit mysterii virtutem, unde Salomon, immo per eum Spiritus divinus jubet: *Cum sederis ad mensam (d) potentis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ apponuntur coram te*: quoniam talia te oportet præparare: Id est mortificationem Christi in corpore circumferendo quotidie prædicare. Diligenter ergo intelligere & spiritalia sacramenta palato mentis & gustu fidei digne percipere, quasi legaliter quintam partem ad ea quæ prius per ignorantiam comederat, superaddere est, dum divina intelligibiliter interior homo noster per Christi gratiam excipit, & per ea (e) virtute fidei Christo incorporatur. Alioquin quomodo lex juberet ad ea quæ comederat aliquis per ignorantiam, quintam superaddere partem, cum jam illa (f) non superessent, quibus ulterius addi quippiam possit: non enim superadditur illi rei quæ jam non est, sed ei utique quæ hactenus est. Unde bene Septuaginta super ipsam addi quintam partem jubent. Quinta igitur pars illius tunc recte a nobis superadditur ei, quod prius per ignorantiam accipiebatur, si quinque sensus corporis intus ad intelligibilia spiritaliter convertantur; quia si recte sapimus, vel recte percipimus, divinus Spiritus qui in nobis est, etiam & per eamdem gratiam ampliatur, (g) eosdemque sensus nostros ad ea percipienda instruit & componit; ita sane ut non solum gustum interius ad mystica perducat, verum & visum atque auditum, necnon odoratum & tactum ita tenus (h) illustrat quodammodo, ut nihil in eis nisi divina sentiantur, nihilque nisi cœlestia, & (i) quod terribile satis est quod communicatur: unde quam bene dicitur: *Addat quintam ejus partem super eum*: vel sicut alii codices habent, *cum eo: & dabit sacerdoti*: quia (k) omnem sanctificationem mystici sacrificii & efficaciam quomodo sensibilis res intelligibiliter virtute Dei per Verbum Christi in carnem ipsius ac sanguinem divinitus transferatur, vel qualiter per hæc communicantes ad spiritalia nutriantur, siquidem Christo, qui verus & summus sacerdos est, catholice totum tribuere oportet, totumque ejus virtuti (l) atque ipsius potentiæ (m) designare: nempe quia ipse liberat ab omni ignorantia & removet nos a carnalibus hujus vitæ illecebris: (n) neque utique sinit terrenum aliquid aut vile ibidem suspicari, sed mystica & spiritalia in his sapere, ita ut nostri corporis sensus ad ea (o) interius sanctificandi avidius transferantur, si quo modo dicere possit præeminentior pars hominis: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*.

Levit. 22. 14.

[c]

Isidorus.

Sola fides discernit naturam hujus sacramenti.

[d]
Prov. 23. 1.

[e]

Isidorus.

[f]

[g]

[h]
Hujus sacramenti gustu totus emendatur homo.

[i]

[k]

[l]

[m]

[n]

[o]

Psal. 83. 3.

3. Recte igitur in Deum vivum totus homo exultat, quia licet ab omnibus Christi caro & sanguis quotidie comedatur, (p) ipse tamen Agnus vivus & integer permanet. non enim

[p]

(a) Vaticanus cod. *Et disciplina Christi fide erudienda*. al. *Et per disciplinam Christi fides erudienda*. Anic. vero ms. & unus Colb. non *erudienda* legit, sed *enutrienda*.

(b) Mam. cum Aniciensi & Majoris-monasterii codd. *indigni salute*.

(c) Ita mss. fere omnes. Editi *contaminabunt*, unus codex ms. *contaminabimini*. al. *contaminabit*.

(d) Colbertinus unus *ad mensam divitis*.

(e) Rothomagensis S. Audoëni & unus regius, *Et per eam virtutem fidei*.

(f) In quibusdam mss. & apud Mamer. & Ulimmer. deest *illa*, codex vero Majoris-monasterii ita legit, *cui jam non superessent*.

(g) Al. *amplificatur*. al. *impletur*.

(h) Ulimm. *Ita quodam modo illustrat*; quidam ms. *Ita tenemus illustret quodam modo*.

(i) Ita Laub. cum quibusdam mss. Editi *Terribile satis est*, omisso *Et quod*. Germ. ms. *Et quidem terribile satis est*.

(k) Ita fere omnes mss. Editi legunt, *qui advertat omnem, &c*. Unus vero codex regiæ bibliothecæ, *Et quia omnis sanctificatio mystici sacrificii & efficacia*. In ms. Majoris-monasterii post *efficaciam* additur *debemus scire*.

(l) Roth. S. Audoëni addit *tribuere*. In Flor. vero deest, *totumque ejus virtuti*.

(m) Vatic. & Flor. *deputare*, editi *designare*.

(n) In quibusdam ms. desideratur *illecebris*.

(o) Mamer. & Vatic. *ad ea interius sanctificanda transferantur*.

(p) Unus codex regius addit *& bibitur*.

jam moritur, *mors ei ultra non dominabitur*; sed tamen in mysterio quotidie veraciter immolatus, (*a*) in ablutionem delictorum comeditur. Unde illico in eadem legis sententia infertur. *Ego Dominus qui sanctifico eos*; sanctificat autem eos, qui per hæc competenter ad Deum sanctificantem tendunt, & cum devotione modo quo oportet ea percipiunt: quia sanctificationis causa, & non contaminationis, renatis in Christo ista proposuit: *Alioquin portabit iniquitatem delicti sui*, ut lex ait, qui sanctificata contaminaverit, comedens per ignorantiam, vel indigne appetens ea ex contemptu. Hinc ergo erudiri oportet eos qui percipiunt vitæ sacramenta, ne forte si quis desidiose salutaria ignorat fidei rudimenta, & ipse a Domino penitus ignoretur.

[a] Isidorus.

CAPUT III. (*b*)

Quid sint sacramenta, vel quare dicantur.

Sacramentum quid.

1 Sacramentum igitur est quidquid in aliqua celebratione divina nobis quasi pignus salutis traditur, cum res gesta (*c*) visibilis longe aliud invisibile (*d*) intus operatur, quod sancte accipiendum sit: unde & sacramenta dicuntur aut a secreto, eo quod in re visibili divinitas (*e*) intus aliquid ultra secretius efficit per speciem corporalem; aut a consecratione sanctificationis, qui Spiritus-sanctus manens in corpore Christi, latenter hæc omnia sacramentorum mystica (*f*) sub tegumento visibilium pro salute fidelium operatur. Magis igitur vis divina ex hoc mentes credentium ad invisibilia instruit, quam si visibiliter ea monstraret, quæ interius præstat ad effectum salutis: *Per fidem enim ambulamus & non per speciem.* (2. Cor. 5. 7.)

2. Sunt autem sacramenta (*g*) Christi in ecclesia baptismus & chrisma, corpus quoque Domini & sanguis, quæ ob hoc sacramenta vocantur, quia sub eorum specie visibili, (*h*) quæ videtur, secretius virtute divina caro consecratur; ut hoc sint interius in veritate, quod exterius creduntur virtute fidei. Est & sacramentum juris, in quo post electionem partium jurat unusquisque quod suo pacto (*i*) decreverit: unde & sacramentum dicitur quod secretius fides invisibilis per consecrationem invocationis Dei, vel alicujus sacri teneatur, ex eo quod foris visu vel auditu vox jurantis sentitur. Fit ergo & Christi nativitas, atque omnis illa humanitatis dispensatio magnum quoddam sacramentum, quia in homine visibili divina majestas intus (*k*) ob consecrationem nostram ea quæ fiebant secretius potestate sua invisibiliter operabatur. Unde mysterium vel sacramentum, quod Deus homo factus est, jure dicitur: sed mysterium græcum (*l*) est, eo quod secretam & reconditam habeat in se dispositionem. Est autem & sacramentum in scripturis divinis ubicumque sacer spiritus in eisdem interius aliquid efficaciter loquendo operatur: sed sacramento scripturarum eruditi, (*m*) divinitus introrsus pascimur, & pasti ad operationem disciplinam Christi erudimur: sacramento vero nativitatis & humanitatis (*n*) ejus, & nos redimimur ad veniam, & scripturæ aperiuntur ad intelligentiam, & via nobis per eum monstratur, & potestas largitur, ut in adoptionem filiorum ex servitute transeamus. Porro baptismi sacramento intrandi ad eamdem adoptionem ostium credentibus panditur, ut deinceps in membris Christi per eamdem renascentiam liberati a malo unum corpus efficiamur: in quo nimirum baptismo & deinceps Spiritus-sanctus in animam renascentis diffunditur, ut universa Christi ecclesia uno spiritu percepto vivificetur, & corpus unum efficiatur; quia sicut omnia membra corporis nostri una vivificantur & reguntur anima, ut ex compage membrorum unum corpus fiat; ita totius ecclesiæ membra uno sancto reguntur & vivificantur spiritu, ut unum corpus Christi efficiant. *Quia si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* (Rom. 8. 9.)

(Isichius. Isidorus.)

3. Nemo (*o*) igitur dubitat quod unusquisque nostrum utero matris adhuc clausus accipiat, licet oculte, animam, ut fit homo in animam viventem; ita interdum ut mater nesciat, quando per eam in illo priusquam exeat vita ingrediatur. Sic plane nemo dubitare debet, quod in alveo (*p*) baptismi priusquam infans a fonte surgat, Spiritus-sanctus in eum qui renascitur adveniat, & si non videatur, quia non minus est divina virtus provida & præstabilis ad regenerationem sacræ adoptionis, quam fuit prius in nativitate carnis, ut vivificaret sata hominis membra, licet concepta sint in delicto. Qua de re fit (*q*) non dubium nobis argumentum, quod Deus scrutator

(*a*) Editi *immolatur*.
(*b*) In codice Laubiensi CAP. VI.
(*c*) Mss. Majoris-monast. *gestu*.
(*d*) Flor. *invisibiliter*.
(*e*) Vatic. *Divina virtus aliquid ultra capacitatem nostram secretius efficit*.
(*f*) Tres mss. *mysteria*.
(*g*) Ex septem sacramentis tria tantum enumerat hoc loco Paschasius, exempli dumtaxat causa. Neque enim ex professo hic agit de numero sacramentorum, sed ad institutum satis ei erat aliqua sacramenta commemorasse, ut hic observat Sirmondus.
(*h*) Editi *qua videntur*.
(*i*) In uno codice legitur, *quod suæ parti*.
(*k*) Mamer. cum tribus mss. *intus obsecrationem*.
(*l*) Ita omnes pene mss. melioris notæ. Sirmondus cum quodam ms. expungit *græcum est*. Codex vero Laub. *Græcum est, ideoque dicitur, eo quod secretam & reconditam habeat in se dispensationem*.
(*m*) Editi cum paucis mss. *erudiendo*, & infra *pascendo*.
(*n*) Flor. *Et humilitatis ejus*.
(*o*) Ita omnes pene mss. Editi *sicut nemo*.
(*p*) Hunc locum restituimus ope codicis Flor. Nam editi & mss. plures legunt *alvo*.
(*q*) Ita melioris notæ mss. Sirmond. cum paucis mss. *fit non dubium*.

[a] omnium & præstabilis, semper proficua (a) dispenset gratia, ne quod disposuit immutetur. Si inter paterna interdum stupra & materni criminis flagitia ex libidine sata, vivificat hominis membra, quanto magis ubique præsens Spiritus-sanctus, quia replet orbem terrarum, offert ut omnibus per fidem renascentibus se promptus ingerat, quatinus per eum membra Christi unum sentiant, & ex omnibus unum fiat corpus.

4. Ceterum sacramento corporis & sanguinis tantumdem pascimur in via & potamur, ut ex eo nutriti in Christo unum efficiamur, quo nimirum vegetati gustu ad immortalia & æterna præparamur, [b] (b) quatinus spiritaliter jam angelica gratia saginati in eo vivificemur. Operatur autem nobis in his omnibus sacramentis spiritus divinus: Si quidem in scripturis sanctis corda nostra illustrat, *quia neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* (1. Cor. 3. 7.) Hinc sane Ezechiel ait: *Quia spiritus vitæ erat in rotis.* (Ezech. 1. 21) Et Johannes: *Qui habet*, inquit, *aures audiendi audiat, quid spiritus dicat ecclesiis.* (Apoc. 2. 7.) Ceterum in Christo idem cooperatur spiritus, quia conceptus creditur de ipso & MARIA semper (c) virgine. [c] Simili quoque modo & in baptismo per aquam ex illo omnes regeneramur, deinde virtute ipsius Christi corpore quotidie pascimur & potamur sanguine. Unde (d) nec [d] mirum Spiritus-sanctus qui hominem Christum in utero virginis sine semine creavit, etiamsi ipse panis ac vini substantia carnem Christi & sanguinem invisibili potentia quotidie per sacramenti sui sanctificationem operatur, quamvis nec visu exterius nec gustu saporis comprehendatur. Sed quia spiritualia sunt, fide & intellectu pro certo, sicut Veritas prædixit, plenissime sumuntur.

CAPUT IV. (e) [e]

Utrum sub figura an in veritate hoc mysticum calicis fiat sacramentum.

(Verum in hoc sacramento corpus fides vera non hæsitat.)

QUod in veritate corpus & sanguis fiat consecratione mysterii, nemo qui verbis divinis credit dubitat; unde Veritas ait: *Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* (Joan. 6. 55.) Et ut discipulis non recte intelligentibus clarescceret de qua dicebat carne, vel de quo sanguine, manifestans insinuat: *Qui manducat meam carnem*, inquit, (Ibid.) *& bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Ergo si vere est cibus & vera caro; & si vere est potus, utique & verus sanguis; alioquin quomodo verum erit quod dicit: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: nisi vera sit caro? utique & *panis qui de cælo descendit*, verus panis: (f) [f] sed quia Christum vorari fas dentibus non est, voluit in mysterio hunc panem & vinum vere carnem suam & sanguinem consecratione Spiritus-sancti potentialiter creari, creando vero quotidie pro mundi vita mystice immolari, ut sicut de Virgine per spiritum vera caro sine coïtu creatur, ita per eumdem ex substantia panis ac vini mystice idem Christi corpus & sanguis consecretur; de qua videlicet carne ac sanguine: *Amen, amen*, inquit, *dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam æternam in vobis.* (Ibid. 54.) Ubi profecto non aliam, quam veram carnem dicit & verum sanguinem, licet mystice: unde quia mysticum est sacramentum, nec figuram illud negare possumus; sed si figura est, quærendum quomodo veritas esse possit. Omnis enim figura alicujus rei figura est, & semper ad eam (g) refertur, ut sit res vera, cujus figura est. [g] Nam figuras veteris testamenti umbras fuisse, nemo qui sacras litteras legit, ambigit: hoc vero mysterium aut veritas est aut figura, & per hoc umbra est. Aut certe quærendum hoc totum utrum veritas dici queat sine falsitatis umbra, quamvis mysterium hujuscemodi res appellari debeat, sed figuram videtur esse dum frangitur, dum in specie visibili aliud intelligitur, quam quod visu carnis & gustu sentitur, dumque sanguis in calice simul cum aqua miscetur. (Hoc sacramentum quomodo veritas & figura sit.) Porro illud fidei sacramentum jure veritas appellatur: veritas ergo dum corpus Christi & sanguis virtute spiritus in verbo ipsius ex panis vinique substantia efficitur; figura vero, dum (h) sacerdote, quasi aliud exterius gerente, ob recordationem sacræ passionis ad aram quod semel gestum est quotidie agnus immolatur. [h]

2. Sed si veraciter inspicimus, jure simul veritas & figura dicitur: ut sit figura vel character veritatis, quod exterius sentitur; veritas vero, quidquid de hoc mysterio interius recte intelligitur aut creditur. Non enim omnis figura umbra vel falsitas; (i) [i] unde Paulus de unico Dei Filio ad Hebræos loquens ait: *Qui cum sit splendor gloriæ, &*

(a) Mam. Ulim. & Sirm. *proficuam dispenset gratiam.*
(b) Editi cum Flor. *præparemur.*
(c) In plerisque mss. omittitur *semper*. In Turonensi vero ms. S. Martini ad marginem hæc quasi prætermissa leguntur. *Et* MARIA *semper Virgine, non ut Spiritus-sanctus, quod absit, in ejus sanctissimo utero fieret pro semine sobolis, sed usus est potius virtute & potentia creatoris.*
(d) Ulim. cum Flor. *unde nec mirum si Spiritus-sanctus, qui hominem in utero Virginis sine semine creavit, etiam ipse panis & vini substantiam carnem Christi & sanguinem, &c.*

(e) Laub. CAP. VII.
(f) Cod. regius, *verus panis est.*
(g) Septem mss. *ad eum refertur.* Vatic. *ad illud refertur.*
(h) Mamer. Sirm. cum plerisque mss. legunt, *dum sacerdos... gerens... agnum immolat.* Ulimm. Flor. & quidam alii mss. *dum sacerdos... ad aram venit, & quod semel gestum est, quotidie agnus immolatur.*
(i) In cod. Laub. hic incipit CAPUT VIII. cum hoc titulo: *Quod omnis figura sit umbra vel falsitas.*

figura

figura ſubſtantiæ ejus, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens. (*a*) Quibus profecto verbis duas in Chriſto ſubſtantias declarat, & utraſque veras. Nam cum dicit, *qui cum ſit ſplendor gloriæ* divinitatis, conſubſtantialem (*b*) prædicat. Cum vero figura vel character ſubſtantiæ ejus, humanitatis deſignat naturam, ubi corporaliter plenitudo inhabitat divinitatis, & tamen in utroque unus & verus Chriſtus Deus catholice commendatur. Unde unam rem ſumit ad demonſtrationem duarum ſubſtantiarum, quam figuram ſubſtantiæ vel characterem nominavit: quia ſicut per characteres vel figuras litterarum infantia noſtra prius pertingit gradatim ad lectionem, deinde ad ſpiritales ſcripturarum ſenſus & intelligentiam; ſic ex humanitate Chriſti ad divinitatem Patris pervenitur; & ideo jure figura vel character ſubſtantiæ illius vocatur. Quid enim aliud ſunt figuræ litterarum quam characteres earumdem, ut per eas vis & poteſtas, ac ſpiritus prolatio (*c*) oculis demonſtretur? Sic itaque formatur Verbum caro, ut per carnem noſtra infantia ad divinitatis intelligentiam nutriatur. Verumtamen neque characteres litterarum, falſitas, neque aliud quam litteræ: neque Chriſtus homo falſitas dici poteſt, neque aliud quam Deus, licet figura, id eſt, character ſubſtantiæ divinitatis jure dicatur; quia noſtram infantiam per ſe ad ſpiritalia interius intelligenda provehit, & ſenſibus noſtris, ut ea quæ in illo ſunt capiamus, viſibilem ſe oſtendit. Sed quia illum ſecundum carnem cœlos oportuit penetrare, ut per fidem illuc in illo renati, confidentius (*d*) appeterent, reliquit nobis hoc ſacramentum viſibile (*e*) in figuram & characterem carnis & ſanguinis, ut per hæc mens noſtra & caro noſtra ad inviſibilia & ſpiritalia capeſcenda per fidem uberius nutriatur. Eſt autem (*f*) figura vel character hoc quod exterius ſentitur, ſed totum veritas & nulla adumbratio, (*g*) quod intrinſecus percipitur, ac per hoc nihil aliud hincinde quam veritas & ſacramentum ipſius carnis aperitur.

3. Vera utique Chriſti caro, quæ crucifixa eſt & ſepulta, vere (*h*) illius carnis ſacramentum, quod per ſacerdotem ſuper altare in verbo Chriſti per Spiritum-ſanctum divinitus conſecratur: unde ipſe Dominus clamat: *Hoc eſt corpus meum.* Et ne mireris, (*i*) o homo, neque requiras naturæ ordinem; ſed ſi carnem illam vere credis de MARIA virgine in utero ſine ſemine poteſtate Spiritus-ſancti creatam, ut Verbum caro fieret, vere crede & hoc quod conficitur in verbo Chriſti per Spiritum-ſanctum, corpus ipſius eſſe ex Virgine. Ubi ſi rationem quæris, quis explicare poterit aut verbis comprehendere? immo ſcias, quæſo, quia ratio in virtute Chriſti eſt, ſcientia in fide, cauſa in poteſtate, effectus vero in voluntate: quia potentia divinitatis contra naturam ultra noſtræ rationis capacitatem efficaciter operatur. Idcirco habeatur ſcientia in doctrina ſalutis, teneatur fides in myſterio veritatis, quoniam in his omnibus per fidem ambulamus & non per ſpeciem. (*k*)

[Margin: [a] [b] [c] [d] [e] [f] [g] [h] [i] Ambroſius. — Ratio numquam penetrat ad ſenſum hujus ſacramenti. — [k]]

CAPUT V. (*l*)

Quid ſit inter immolationes veterum figuraſque legalium, & inter ſacramentum Dominici corporis & ſanguinis.

1. IMmolationem illam agni figuram fuiſſe paſſionis Chriſti, & noſtræ communionis, recte nullus fidelium ignorat. Sed quantum ſit inter illud & hoc ſacramentum, ſeu inter cibum qui de cœlo deſcendit, necnon & aquam quæ de petra fluxit, atque inter iſtud ſpiritale divinumque commercium, quærendum arbitror: præſertim cum beatus apoſtolus clamet: *Quod omnes Patres noſtri eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt.* Ubi ſi eamdem perceperant eſcam, & eumdem potum, quid neceſſe fuit immutari quod ipſum erat, aut dari quaſi aliud, ſi nihil amplius eſt? Ex quo fatendum, ſic eamdem fuiſſe quam nunc percipimus, eſcam, eumdemque potum, ſicut eamdem fuiſſe petram de qua manarunt aquæ, ubi Chriſtus apoſtolo teſte prædicatur. Eadem quippe fuit eſca, quia manna ſpiritaliter percipientibus typus fuit eſcæ corporis Chriſti, & aqua illa quæ de petra fluxerat, potus & figura ſanguinis. Si (*m*) quidem in præfiguratione idem & umbra corporis at-

[Margin: [l] — 1. Cor. 10. 3. Patres æque hoc ſacramento paſti ac nos. — Manna figura corporis Chriſti. — [m]]

(*a*) In codice regio additur: *Sedet ad dexteram majeſtatis in excelſis.*

(*b*) Hic variant editi & mſſ. Laub. Puteanus, duo S. Germani legunt, *conſubſtantialem prædicat.* Vatic. & Flor. *divinitati conſubſtantialem prædicat.* al *divinitatem conſubſtantialem prædicat.* Editi *divinitatis conſubſtantialitatem prædicat.*

(*c*) Ita Ulimm. & Sirm. at mſſ. legunt *prolatione.*

(*d*) Editi *ſequi appeterent.*

(*e*) Vatic. Majoris-monaſt. S. Audoëni, S. Remigii, regius unus, duo Colb. Putean. Mamer. & Ulim. legunt *viſibilem figuram*, Sirm. *viſibile, figuram.*

(*f*) al. *figuralis caracter.*

(*g*) Duo mſſ. *obumbratio.*

(*h*) Sirm. *verum illius carnis ſacramentum.*

(*i*) Anic. Et *ne mereris homo.*

(*k*) Ad calcem hujus capituli Sirmondus hanc apponit obſervationem: *Solet interdum Paſchaſius ita loqui, ut creari corpus & ſanguinem Domini ſumat pro incipere eſſe in ſacramento, & ita tranſubſtantiari panem & vinum. Alioquin ſcimus a theologia, ut differant tranſubſtantiatio & creatio, tametſi in aliquo conveniant. Vid. S. Thom. 3. p. q. 75. a. 8.*

(*l*) Hoc caput quod IX. eſt in codice Laub. hunc in eo præfert titulum: *Quid ſit inter figuras legalium hoſtiarum & Dominici corporis & ſanguinis ſacramentum, & quod agnus & manna & omnia hujuſmodi figuram geſſerint ejuſdem ſacramenti.* In Vaticano: *Quid diſtat inter immolationem veteris & novi agni.*

(*m*) Editi & quidam mſſ. ſic legunt: *Siquidem in præſignatione idem, ſed non idem in adimpletione veritatis: quia quod tunc adumbrabatur in deſignatione futurorum, imago veritatis & umbra corporis, atque exemplaria erant.*

que exemplaria erant, sed non idem in adimpletione veritatis: quia quod tunc adumbrabatur in designatione futurorum imago (*a*) veritatis; nunc autem mysterium impletæ veritatis, & facta est eucharistia ex resurrectione caro Christi, quæ prius per agnum vel per eamdem (*b*) ecclesiam figurabatur credentibus adfutura. De hoc vero pane David cecinerat in parabolis, *Panem angelorum manducavit homo*: Aliquin esca illa, licet de cœlo venerit, & potus, quia corporeus erat, angelis non congruebat, sed utique ille panis & potus qui per hæc præsagabatur. (*c*) Christus ergo cibus est angelorum, & sacramentum hoc vera (*d*) caro ipsius & sanguis, quæ spiritaliter manducat & bibit homo. (*e*) Ac per hoc unde vivunt angeli, vivit & homo, quia totum spiritale est & divinum in eo quod percipit homo.

Psal. 77.

2. Patet igitur quod & agnus ille legalis & manna, & omnia hujusmodi quæ figuram gesserunt carnis ac sanguinis Christi, quod passus semel in pascha & quotidie super altare mane ac vespere immolatur, non nisi figuram istius habuere (*f*) mysterii, & si qua in his virtus sacranda latuit, totum ex ista gratia fidei qua fruimur præfulsit: quam profecto illi per hæc quasi promissam (*g*) suspirantes participabantur tantumdem per fidem, & de figuris sacramentum veritatis intelligebant. Nos vero longe ante patribus hanc gratiam repromissam jam suscepimus, & susceptam veneramur, venerantes autem ex ipsa pascimur & potamur; non figuris quidem legalium ænigmatum (*h*) adumbratam, sed his detectis (*i*) & evacuatis sola veritate fruimur, & veram carnem Christi & sanguinem in mysterio sumimus; unde Salvator: *Caro*, inquit, *mea, vere est cibus, & sanguis meus vere est potus; hanc qui manducat carnem, & hunc qui bibit sanguinem, habet vitam æternam.* Ceterum Dominus ad Judæos: *Patres vestri*, inquit, *manducaverunt manna in deserto & mortui sunt.* Numquid & nos qui ista comedimus, temporaliter non moriemur sicut & illi? moriemur autem, sed non sicut illi in anima, quia illi (*k*) carnaliter manducantes, mortui sunt in æternum: (*l*) nos autem dum nihil carnale in eo sapimus, immo spiritale (*m*) totum spiritaliter intelligentes in Christo manemus. Idcirco de his qui recte percipiunt clamat ipse: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Non enim a nobis propter hanc vitam, ne moriamur temporaliter, sed propter æternam caro Christi & sanguis sumitur spiritaliter; ad quam nimirum vitam nec illi sunt ingressi, qui prius digne in figura ista percipiebant, donec veniret gratia nobis & illis pariter repromissa.

Sacrificium legale hujus sacramenti typus.

Patres quidem sub figura corpus Christi esitarunt, nos revera ipso corpore & sanguine Christi cibamur.

Joan. 6. 56.

3. Unde patet quia multum interest, quamvis eadem esca idemque potus ab apostolo prædicetur, quia idem necdum in re, sed in specie (*n*) ac figura, ubi promissio veritatis inerat: de qua spiritalis intelligentia, atque fidei sacramenta illis licet futura impertiebantur, ita ut nec illis deesset in spiritu, quid jam spe (*o*) potarent, nec nobis quid de ipsis recolendo ad fidei firmitatem & vitam percipiendam copiosius proficiat. Nos autem * & illos spiritales perceptio vivificat, quia bibebant illi de spiritali consequenti eos petra, significans quod Christus post eos venturus esset. Bibimus quoque & nos spiritaliter ac comedimus spiritalem (*p*) Christi carnem, in qua vita æterna esse creditur; alioquin sapere secundum carnem mors est, & tamen veram Christi carnem spiritaliter percipere, vita æterna est.

Patres quomodo hoc sacramento communicarunt.

* al. *tamen*.

CAPUT VI. (*q*)

Quid sit autem digne ad vitam percipere corpus & sanguinem Christi.

1. Hoc sane Christus exponit: *Qui manducat*, inquit, *meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo.* Hoc est ergo manducare illius carnem & sanguinem bibere, si in Christo maneat, & Christus in illo, qui percipit digne, manere possit. Ille igitur in Christo manet, qui renatus ex aqua & spiritu, nullo mortali crimine reus tenetur; & Christus in eo utique qui aperuit illi januam fidei in Spiritu-sancto consecrante, (*r*) ut membrum esset in ejus corpore, & templum est Spiritu-sancti: quia *si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus*: Qui autem ejus non est, vere nec in illo, nec in corpore ejus esse potest; & qui in illo non manet, neque vita spiritus vivit in corpore, in illo utique nec Christus est, neque ille in Christo potest esse; quia omnino Christus vita est: hic autem mortali crimine reus a vita longe alienatur. Hinc quoque

Joan. 6. 55.

August. tract. 26. in Johan. sub finem.

Quomodo homo maneat in Christo.

(*a*) In mss. Turonensi S. Martini desideratur *& umbra veritatis*.
(*b*) Editi & Flor. *per eamdem e cœlis escam*.
(*c*) Editi *præsagiebatur*, contra fidem omnium mss.
(*d*) Editi cum quibusdam mss. *vere caro*.
(*e*) Quæ sequuntur usque *Patet igitur* desunt in Puteano & in Remensi S. Remigii codicibus.
(*f*) Tres mss. *habuerit*.
(*g*) Puteanus codex *quasi promissa suspirantes participantur*.
(*h*) Mamer. cum Puteano, Colbertino uno, Remigiano, & Turonensi Majoris-monast. *& ænigmatibus*.
(*i*) Sirm. *Defectis* contra fidem omnium mss.
[*k*] Editi *carnalia*.
(*l*) Mamer. Ulimm. cum quibusdam mss. *in anima*.
(*m*) Editi *spirituales*.
(*n*) Editi *spe*.
(*o*) Tres mss. *jam sæpe*.
(*p*) al. *spiritualiter*.
(*q*) Laub. Cap. X.
(*r*) Quinque mss. *consecrato*, quidam *consecratus*.

Johan. 6. 57. est quod ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo*: alioquin nisi prius in me maneat & ego in illo, carnem meam manducare non potest, neque sanguinem bibere.

2. Et quid est quod manducant homines? Ecce omnes indifferenter quam sæpe sacramenta altaris percipiunt: (*a*) percipiunt plane, sed alius carnem Christi spiritaliter manducat & sanguinem bibit, alius vero non; quamvis bucellam de manu sacerdotis videatur percipere. Et quid accipit, cum una sit consecratio, si corpus & sanguinem Christi non accipit? vere, quia reus indigne accipit, sicut Paulus apostolus ait: *Judicium sibi manducat & bibit, non probans se prius, nec dijudicans corpus Domini.* Ecce quid manducat peccator; & quid bibit, (*b*) non utique sibi carnem utiliter & sanguinem; sed judicium; licet videatur cum ceteris sacramentum altaris percipere? Et quare? Quia non se probat, nec dijudicat Domini corpus. Cogitat enim infidelis quod digna & sancta indignus possit accipere, non aliud quidem attendens, nisi quod videt, neque intelligens nisi quod ore (*c*) sentitur. Nequaquam igitur credit aut intelligit, quale vel quantum judicium sumit: nempe quia simul omnes ex uno edere visibiliter cernit, nec si aliqua sit ultra virtus in eo satis ex fide sapit. Propter quod illi virtus sacramenti subtrahitur, & in eodem ob præsumtionem judicium (*d*) reatus duplicatur, unde apostolus *Probet se homo prius, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*: Quibus duobus servatis, videat utrum digne accipere possit, videlicet ut dijudicet corpus Domini, quid est quantumve sacramentum, qualisque virtus sacramenti, quia divinum ac spiritale est. Deinde semetipsum probet utrum ipse sit in corpore Christi, vel si Christus in eo maneat, alioquin nisi & illud spiritaliter judicet, (*e*) & semetipsum ad percipendum idoneum probet, judicium sibi manducat, quia bono male utitur: unde non illud ad vitam, sed in eo judicium ad pœnam sumit. (*f*)

Accedentes indigne mortem non vitam sibi manducant. 1. Cor. 11. 29.

Sumturus eucharistiam quomodo præparare se debeat.

Ibid. 27.

3. Et ut ea quæ diximus certioribus exemplis approbemus, referemus de quodam infideli, qui non dijudicans corpus Domini, nec seipsum secundum apostolum probans, hæc mysteria indigne præsumsit accipere, quid sibi inde contigerit. Beato namque Syro Ticinensium primo episcopo missarum solemnia celebrante in ecclesia beatorum martyrum Gervasii & Prothasii, quam ipse dedicaverat, dum copia filiorum ejus, quos verbi semine juxta apostolum Deo genuerat, devote sanctis mysteriis interesset, quidam Judæus audenter ingressus, maligno instigante spiritu, corpus Dominicum sumere, eumque in sterquilinium projicere molitus est. Qui inter turbas fidelium sacram eucharistiam de manu pontificis percipientium, ad manus viri Dei perveniens, ausu nefario, immundo ore corpus suscepit Dominicum, quod ut rejiciendi [causa] os operuit, digna ultione perculsus, sine effectu verborum, cunctis audientibus & videntibus clamare cœpit. Volebat labia jungere, nec valebat; cupiebat verba edere, sed lingua rigida loquendi officium non præbebat, & quasi ignitum jaculum in ore portans, immensis torquebatur doloribus. resonabat omnis illa ecclesia ineptæ vocis clamoribus, & de tam egregii virtute miraculi Christi fidelium lætabatur conventus, impleturque illud: *Derisores ipse deridet*, & quod apostolus ad Galatas scribens ait: *Nolite errare, Deus non irridetur: quæ enim seminaverit homo, hæc & metet*, illud quoque quod in evangelio ipsa Veritas promittit dicens: *qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Judæus ergo hic incredulus nec audierat nec legerat ista præconia scripturarum, qui putavit Christo sanctoque Spiritui stropham inducere. Quem vir Dei suo conspectui præsentari præcepit, eique advenienti dixit: Incredula & perfidiæ mens plena, quare tam iniqui hostis implesti consilium, ut æstimares corpus Christi vilissimum? Ecce quis clandestinus persuasor te miserum illexit ut faceres, cunctis fidelibus suis divina virtus ostendit. Judæus autem nimio dolore superatus, voces emittere absque sermonibus non cessabat, habens in gutture malitiæ suæ cruciatum, quia secundum sanctissimi vaticinium Simeonis, sicut incredulis est pernicies ac ruina; ita fidelibus suis vita & exaltatio est verbum Dei. Nam subtiliter aspicientibus miserabili libratione corpus Dominicum in ore videbatur Judæi dependere, ita ut nec linguæ subter compagi insideret, nec desuper immundo adhæreret palato. Postulantibus autem cunctis fidelibus pro ejus miseria, vir domini Syrus manum propriam tetendit; & sanctæ eucharistiæ mysterium a sacrilego abstraxit ore, dicens: Ecce nunc, incredule, liberatus es, de cetero cave hujusmodi simile ne facias, & ne ulterius repetere, ne deterius tibi aliquid simile contingat. Judæus ergo pedibus ejus advolutus, se Christo Domino crediturum, si sacri eum baptismatis unda perfunderet, ac pio ejus conventui eum copularet, confitebaturque qua intentione Dominicum corpus

(*a*) In codice Laubiensi hic incipit CAPUT XI. cum hoc titulo: *Quid sit quod in Eucharistia sumunt vel indigni vel digni.*

(*b*) Flor. addit, *non probans se prius.*

(*c*) Mſ. S. Audoëni, *quod ore sentis.*

(*d*) Tres mſſ. *judicii reatus.*

(*e*) al. *dijudicet.*

(*f*) Quæ sequuntur eruimus ex optimæ notæ codice 1554. reginæ Sueciæ, & ex codice 4070. bibliothecæ regis Christianissimi.

percipere temere præsumsisset. Prioris etiam culpam incredulitatis, ac deinceps veræ fidei firmitatem se habiturum. Tibi, inquit beatus pontifex Syrus, Deus omnipotens Pater, refero gratias, qui Judaïcam etiam perfidiam non dedignaris corrigere, sed ad tui unigeniti fidem ampla pietate illam convertis. Baptizato autem illo, multi etiam ex Judæis in Christum credentes cum eo sacro sunt renati baptismate, ac Christi fidelibus spiritalique cœtui sunt uniti. Hanc autem ultionem cunctis divinitus ostensam huic nostro opusculo ideo inseruimus, ne quis infidelis antequam corpus Domini dijudicet quid sit, aut mortali crimine reus, priusquam Christo, per pœnitentiam se ipsum probans, in pace reconcilietur, de hoc pane edere & de calice bibere temere ac negligenter præsumat. Hæc pro assertione sacræ communionis dicta sufficiant, nunc ad propositum redeamus.

CAPUT VII. (a)

Quibus modis dicitur corpus Christi.

Ecclesia corpus Christi.

1. Tribus sane modis in scripturis sacris corpus Christi appellatur; profecto quia generalis Christi ecclesia corpus ejus est, ubi Christus caput, & omnes electi membra dicuntur, ex quibus unum colligitur quotidie corpus in virum perfectum in (b) mensuram plenitudinis Christi. Corpus autem Christi, sponsa videlicet Dei, ecclesia jure dicitur: juxta illud quod apostolus ait: *Et erunt duo in carne una. Hoc*, inquit, *sacramentum magnum est (c) in Christo & in ecclesia.* (1. Cor. 6. 16.) Quod si Christus & ecclesia in carne (d) una sunt, utique unum corpus, (e) ubi sponsus caput, singuli autem electi alter alterius membra. Ex quo videlicet quisquis tollit membrum Christi & facit membrum meretricis, aut certe per quodlibet grave delictum membrum diaboli, hic profecto jam non est in corpore Christi; quia factus est alterius membrum. Idcirco ei jure non licet edere de hoc mystico corpore Christi; quod sane corpus, ut vera caro sit Christi, pro mundi vita quotidie per Spiritum-sanctum consecratur; ex qua non habent potestatem edere qui ex adverso sunt. (f) Vescuntur (g) autem eo condigne qui sunt in corpore illius, ut solum corpus Christi, (h) dum est in via, ipsius carne reficiatur, & discat nihil aliud esurire quam Christum, nihil sitire nisi Christum, nihil aliud sapere (i) quam Christum, non aliunde vivere, (k) non aliud esse, quam corpus Christi. (l)

[h] Sacramenti hujus virtus.

2. Ceterum illud corpus quod natum est de MARIA virgine, in quod istud transfertur, quod pependit in cruce, sepultum est in sepulcro, resurrexit a mortuis, penetravit cœlos, & nunc pontifex factus in æternum, quotidie interpellat (m) pro nobis; ad quem si recte communicamus, mentem dirigimus, ut ex ipso, & ab ipso nos corpus ejus, carnem ipsius, illo manente integro, sumamus. quæ nimirum caro ipse (n) est & fructus ipsius carnis, ut idem semper maneat, & universos qui sunt in corpore (o) pascat. Si enim hydria farinæ vel lecytus olei, seu panes secundo (p) crescunt, & non minuuntur dum satiant, quid putas facit caro Christi? Arbor quidem ligni vitæ Christus nunc in ecclesia est, cujus imago in paradiso arbor illa fuit. Idcirco scire convenit, quod veritas hinc completur, quam prius figura præmisit. Nam si homini ex illa semper, Dei servatis mandatis, edere licuisset, numquam (q) mortalis esset: sic itaque ex hoc ligno corporis quicumque spiritaliter comedunt; si mandata observaverint, numquam in spiritu mortales erunt, alioquin præcidendi sunt, ut melius reinserantur, unde (r) & lignum vitæ jure dicitur, quia sicut illud immortalitatem corporis sumtum præstitisset, ita istud immo solidius vitam præstat cum observatione mandatorum Dei æternam. De quo in laude sapientiæ: *lignum vitæ est his qui apprehenderint eam.* Et in Apocalypsi Johannes: *Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei*: (Apoc. 2. 7.) Quia profecto non aliis largitur etiam in mysterio, quam vincentibus.

[m] Augustinus.

3. Sed quoniam de tribus vocabulis corporis Christi diximus, restat etiam intelligere scripturas sanctas, doctrinamque Christi, quam sæpe typice corpus Christi interpretari debere, ut unum corpus ex omnibus perficiatur, quia hæc sunt dotalia, hæc mystica, ut Christus & ecclesia unum corpus solidius confirmetur; alioquin quomodo auderet apostolus Christi ecclesiam de

Augustinus.

(a) In cod. Laubiensi CAPUT XII.

(b) Editi *Et mensuram.* MSS. reginæ Sueciæ, Flor. & regius unus, *in mensuram ætatis.*

(c) Cod. regius addit: *Ego autem dico vobis.*

(d) Cod. Majoris-mon. *Quod si Christus & ecclesia una sunt*, omisso *in carne.*

(e) In eodem codice & altero Coloniensi fratrum Prædicatorum, *unus sponsus*, prætermisso *ubi.*

[f] Hic incipit in codice Laub. CAP. XIII. *Quod illi soli qui eo digne vescuntur, sunt in corpore ejus.*

(g) Puteanus codex, Flor. Laub. Colbert. unus, *vescuntur eam*, Sirm. *vescuntur ea.*

(h) Regius unus codex addit, *quod est ecclesia.*

(i) Laub. *Sentire.* Tres mss. expungunt sequentia verba, *quam Christum.*

[k] Tres mss. addunt, *nisi de Christo.*

[l] Hic in codice Laub. incipit CAP. XIV. *Quod illud sit veraciter corpus quod natum est de intemerata Virgine MARIA.*

[m] al. *interpellans.*

[n] Editi cum pluribus mss. *caro ipsa est.*

[o] Tres mss. *in corpore ejus*, cod. S. Audoëni, *In corpore Christi.*

(p) Vatic. *edendo crescunt.*

[q] Quatuor mss. *mori non posset.* Editi *numquam mori potuisset*, sive ut habet Flor. *posset.*

[r] In cod. Laubiensi deest, *unde & lignum vitæ jure dicitur.*

carne

carne & de ossibus ejus constare? utique hoc sacramentum velint nolint inimici, magnum est in Christo & in ecclesia, quod erunt duo in carne una, & si una caro Christus & ecclesia, jam unitas naturæ amborum plenius commendatur. Quapropter illo integro, (a) Agni carnes, nostra ut tollat peccata, mundi accipiamus; quatinus per hoc Christus in nobis maneat, & nos in ipso renati unum efficiamur.

CAPUT VIII. (b)

Quod in hac communione aut judicium percipitur aut præmium.

1. NIhil inpræsentiarum periculosius, quam lethaliter peccare, & a Christi corpore coram interni judicis oculis decidere. Deinde nihil damnabilius, antequam quis corrigatur, propter perfidiam humanam, cum Juda a mysterio sanctæ communionis pedem non retrahere. Unde a primordio hujus celebritatis judicium male accipientibus minatur, dum continuo post buccellam de manu Domini perceptam, Judam diabolus pervasit. Ubi mox ostenditur futurum in ecclesia judicium, quia sancta sanctorum sunt; si quis ea, lapsus de corpore Christi factus membrum meretricis vel diaboli, præsumpserit; nec dubium quin ob id judicium excipiat, & cum Juda culpæ societur obnoxius; tam quia corruit, quam quia in conscientia damnatus ausus est sine pœnitentia & correctionis venia, sancta mysteria temerare, nec præsentiam divinæ majestatis veritus, dum cogitat nihil amplius, quam quæ videntur; nec intelligit miser, quod numquam caro Christi, nisi de manu ejus & sublimi ara ubi Christus pontifex futurorum bonorum pro omnibus (c) assistit, jure accipitur. Unde sacerdos cum hæc incipit immolare, inter cetera: *Jube*, inquit, *hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum in conspectu divinæ majestatis tuæ*: Et cogitas, o homo, aliunde illud accipere quam de altari, ubi sublimius transpositum consecratur? (d)

(Corpus Christi non nisi de manu Christi accipitur. — Can. miss. — Radbertus.)

2. Sed fortassis ad hæc cæca cogitatio dicit: Et quomodo in cœlum ante conspectum divinæ majestatis tam subito effertur, (e) cum hic aut panis aut caro licet dicatur, (f) in manu sacerdotis visibiliter semper teneatur. Hoc quippe est, o infelix (g) homo, quod sacramentum vel mysterium vocatur. Si enim totum visibile fieret, nullum in eo mysterium vel secretum esset, nulla fides, nulla vis spiritalis, nulla alia res, quam quæ oculis & gustui subjaceret. Nunc autem longe aliter virtus divina interius operatur, quia per fidem ambulamus, & non per speciem. habet enim fides præmium meritorum, ut quidquid per fidem tibi sapuerit, hoc interius totum præbeat: unde scriptum legimus: *Dedisti eis, Domine, panem de cœlo, habentem omne delectamentum, & omnem saporem.* Alioquin nisi per fidem & intelligentiam quid præter panem & vinum in eis gustantibus sapit? Et ideo populus ille carnalis manna fastidivit, quia inibi non nisi carnalia quæsivit. Ceterum quibus omnem saporem & omne delectamentum præbuit, eamdem de cœlo escam, quam nunc percipimus, spiritalis & typica illa perceptio in ore sapuit, hinc apostolus patres nostros eamdem comedisse escam spiritalem testatur, sed non in pluribus eorum bene placitum fuisse Deo: profecto quia fastidientes spiritalia carnaliter sapiebant, non quidem Patres nostri spiritalia prægustantes, sed infideles plane patres pharisæorum, de quibus Dominus dicebat: *Quod mortui sint in deserto.* Illi utique mortui sunt in quibus beneplacitum non fuit Deo; isti vero mori non potuerunt spiritaliter comedentes, quia eis esca illa cœlestis saporem & delectamentum immortalitatis præbuit. Simili itaque modo nunc in ecclesia cibus iste quibusdam vita est, quibusdam vero pœna & supplicium peccati. Porro illis vita est, quibus Christus est vita; illis vero mors, qui per carnem & ignorantiam membra sunt diaboli. Unde, homo, disce aliud gustare, quam quod ore carnis sentitur; aliud videre, (h) quam quod oculis istis carneis monstratur. Disce quia Deus spiritus inlocaliter ubique est. Intellige quia spiritalia hæc sicut nec localiter, sic utique nec carnaliter ante conspectum divinæ majestatis in sublime feruntur. Cogita igitur si quippiam corporeum potest esse sublimius, cum substantia panis & vini in Christi carnem & sanguinem efficaciter interius commutatur; ita ut deinceps post consecrationem jam vera Christi caro & sanguis veraciter credatur, & non aliud quam Christus panis de cœlo a credentibus æstimetur. Putasne aliud esse altare ubi Christus pontifex adsistit, quam corpus suum, per quod & in quo Deo Patri vota fidelium & fidem (i)

(Sap. 16. 20. — Augustinus.)

(a) Vatic. *Illam integram agni carnem ut tollat*, &c.
(b) Laub. CAP. XV. *Nihil in præsenti sæculo damnabilius quam corpus Domini indigne percipere.*
(c) Regius ms. *pro hominibus.*
(d) Cod. Laub. CAP. XVI. *Quid cæca cogitatio sibi interius dicat.*
(e) Ita septem optimæ notæ mss. Editi *offertur*. Flor. *transfertur*. Vatic. *transferatur*.
(f) Cod. Majoris monasterii, S. Audoëni, & unus regius, *licet videatur*. Vaticanus vero hunc locum sic legit: *Licet dicatur aut caro videatur in manu sacerdotis, & visibiliter super altare teneatur.*
(g) Editi cum aliquot mss. *Felix homo*. Flor. *homo*, omisso *felix*.
(h) Cod. Majoris-monasterii, *aliud vide*. Mamer. *disce aliud videre*.
(i) Plures mss. cum editis legunt, *Et fides credentium offertur*.

credentium offert; quod si veraciter corpus Christi altare illud cœleste creditur, jam non aliunde carnem & sanguinem quam de ipso Christi corpore sumere te putabis.

[a] *Angelorum præsentia in sacrificio.* 3. Ceterum (a) de angelorum præsentia dubitare omnino non debes, quia ad hoc secundum apostolum Paulum amministratorii spiritus positi sunt in ministerio pro (b) his, qui hæreditatem accipiunt salutis. Idcirco inter angelorum frequentiam, quam terribile sit indigne ad communionem accedere, debet quisque cogitare; immo quam terribile sit ipsum corporis ac sanguinis sacramentum, ubi plenissime virtus Christi accipitur, & neque ab alio quam ab ipso Christo pontifice porrigitur, licet visibilis sacerdos adsistere & singulis tribuere videatur; quia quod iste per ignorantiam omnibus indifferenter tribuit, Christus virtute majestatis suæ interius, cui ad remedium, cuique ad judicium tribuatur, divinitus (c) discernit. Quis enim carnem ipsius & sanguinem, nisi ab ipso jure percipit, cujus est caro? Et ideo alius accipit mysterium ad judicium damnationis, alius vero virtutem mysterii ad salutem. (d) Nam is qui cum Juda pro contemtu suo & vitio criminis reus tenetur, cum Juda utique condemnatur, (e) & qui cum Petro ac cum ceteris fideliter ac devote participatur, (f) cum Petro quoque & cum ceteris apostolis in corpore consecratur. Hoc ergo judicium in natali (g) calicis mox excipitur, ut doceatur, quid contemtoribus immineat, si damnari a conscientia pedem de mensa Domini non retraxerint. Unde Dominus in Levitico ad Moysen: *Loquere*, inquit, *ad Aaron & ad filios ejus, ut caveant ab his quæ consecrata sunt filiorum Israël, & non contaminent nomen sanctificatorum mihi. Ego Dominus: Dic ad eos*, inquit, *& ad posteros eorum: Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, quæ obtulerunt filii Israël Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Ego sum*, inquit, *Dominus.* Ubi non solum sacerdotes tangit & ministros altaris, verum etiam omnem de stirpe veræ fidei, licet ultimus in ecclesia habeatur, ut hanc legis sanctionem in commune custodiant. Alius quippe Israël carnalis nomine tenus appellatur, alius vero vere (h) videns Deum, de cujus nimirum stirpe nemo immundus debet accedere ad ea quæ consecrata sunt filiorum Israël; (i) quia nemo nisi mundus a mortali crimine digne potest ea sumere. Si quis autem indigne, (k) id est, in cujus anima est immunditia peccati, (l) peribit coram Domino. Hunc igitur ut Septuaginta interpretes ediderunt, *Deus aversatur & ob omni repellit communione spiritus.* Unde postea si Domini ressuscitante (m) misericordia in Christi corpore talis quilibet forte reinsertus fuerit, & per pœnitentiam vivificatus, debet non minus de contemtu, quam de prioris culpæ reatu, quia salutaria vitæ mysteria sumsit ad judicium, medullitus corde ingemiscere, & ad uberiorem amoris gratiam, eo quod evaserit, inardescere.

Quam terribile sit corpus Christi accipere de manu Domini.

[b] [c] [d] [e] [f] [g] *Isidorus.* *Levit. 22. 2.* [h] [i] [k] [l] [m]

4. Hæc igitur quæ consecrata sunt Domino, non aliorum est cibus, nisi qui sunt in Domino, quia hi soli visuri sunt Dominum. Unde illorum jure (n) consecrata, id est, filiorum Israël dicuntur. Nec putes legislatorem Deum de his tantum quæ in lege consecrabantur ista sanxisse, præsertim cum illa nihil aliud fuere quam umbra futurorum. Unde terribilius est ad ea immundum accedere, ubi sacerdos est ille, qui potestatem habet corpus & animam perdere in gehennam. Ex quo in fine concluditur: *Ego Dominus*; ac si patenter dicat: *Ego sum scrutans corda & renes Deus.* (o) Ego sanctificans digne accipientes, ego qui solus potestatem habeo animam perdere male accipientium. Et quisquis accedis, hunc attende, & time pontificem: non enim (p) quem fallere te putas, sed illum cui cuncta (q) patent: & timeas percipere non virtutem Spiritus-sancti, sed judicium sacramenti.

[n] *Legalia sacrificia futurorum umbra.* *Psal. 7. 10.* [o] *Christus summus pontifex hujus sacramenti distributor.* [p] [q]

5. (r) Judicium autem sacramenti est, ut habeat reus prioris culpæ delictum, deinde contemtus sui, peccatum superbiæ vel sacrilegii contra Deum, quia ausus est sancta contingere, quod non licet nisi mundis. Hinc igitur patet, quod (s) gravioris est tali cuilibet, quod excipit, facinoris, quam quod prius admiserat. Nam Judas donec buccellam acciperet, quamvis mente sau-

[r] [s] *Johan. 13.*

(a) In cod. Laub. hic incipit Cap. XVIII. *Quod dubitare non debemus de angelorum præsentia.*
(b) Editi *propter eos*, sed melioris notæ mss. legunt *pro his.*
(c) Puteanus cod. *divinitas decernit*, plures mss. *divinitus decernit.*
(d) Hic in codice Laub. incipit Cap. XIX. *De Juda, & quod consecrata Domino non aliorum sit cibus, nisi qui sunt in Domino, quia hi soli visuri sunt Dominum.*
(e) Mam. *condemnatur.*
(f) Flor. *participat.* Apud Mameranum desiderantur hæc verba, *fideliter & devote participatur, cum Petro quoque.*
(g) Vatic & Flor. *In Dominica cœna, in exordio calicis.*
(h) Ita sex mss. Editi *alius vir videns Deum.* Duo mss. *alius vero videns Deum*, omisso *vere.*
(i) In tribus mss. deest *Israël.*
(k) Regius ms. addit: *accesserit*, editi *sumit.*
(l) Laud addit: *ad hoc altare accesserit.*
(m) Editi *Resuscitante gratia & misericordia.* Quæ sequuntur verba *In corpore Christi* desunt in duobus mss.
(n) Vatic. *illorum juri consecrata.*
(o) In mss. sex deest *Deus.*
(p) Editi cum pluribus mss. *non eum.*
(q) Laud. *cui tanta patent.*
(r) Hic incipit in codice Laubiensi Cap. XX. *Quod judicium sit sacramentum.*
(s) Hic multum variant mss. Editi cum quibusdam mss. *quod gravius est quod talis quilibet plus excipit facinoris.* Cod. Majoris-monast. cum uno Colbertino, *gravius est talis quilibet quod excipit facinoris.* Vatic. *Gravius est talis quilibet quod exhibet facinoris.* Al. *Gravius est talis quilibet quod excipit facinus.* Denique Laub. *Quod gravioris est talis cuilibet quod excipit facinoris.*

cius, interdum tamen a Domini bonitate leniter, crebroque nunc cum aliis, nunc solus monetur: sed postquam indignus mystica præsumsit, invasit eum diabolus, & qui prius nutabat, (*a*) ut accepit, continuo foras exivit. Hinc quoque in libro Samuelis, cum de peccato sacrificii filios suos Heli moneret, dictum legimus: *Non est enim bona fama, filii, quam audio de vobis. Si peccaverit vir* (*b*) *in virum, placari ei potest Deus. Si autem peccaverit in Deum, quis orabit pro eo?* id est, quem apud Deum pro se intervenientem inveniet, qui Dominum totius creaturæ contemnens, in ejus injuriam, ad sanctificata, immo nunc ad corpus & sanguinem ipsius indignus accedit: (*c*) talis profecto nec Dei veretur (*d*) præsentiam, nec frequentiam formidat angelorum, sed sic se ingerit, quasi nullus sit, qui ejus conscientiam videat: propter quod Dominus cum peccata Jerusalem & abominationes quæ fiebant in templo, per visionem (*e*) ostenderet, inter cetera dicuntur sex viri de via portæ superioris advenisse: *Et ecce unusquisque eorum in manu sua ferebat vas interfectionis*: Ubi Septuaginta securim attulisse dixere, de qua Dominus: *Ecce securis ad radices arborum*, videlicet ad cogitationes singulorum posita est. In quorum medio vir unus vestitus lineis & atramentarium habebat scriptoris ad renes suos, qui profecto ingressi steterunt juxta altare æneum quod erat in atrio templi: (*f*) per quod nimirum præsens altare, quo cibum vitæ & stipendium militiæ nostræ sumimus, manifestissime designatur; quia illud aliud interius infra sancta sanctorum aureum fuisse legimus.

[1. Reg. 2. 24.] [Hieronymus.] [Ezech. 9. 2.] [Luc. 3. 9.]

6 Ex quo illud intelligibile demonstratur altare, ubi orationes omnium & vota offeruntur singulorum a summo pontifice Christo Domino; & ideo ad illud mundo corde pertingere, ad istud vero mente simul & corpore absque ulla immunditia debemus (*g*): quia (*h*) sacramentorum vota in illo pro nobis offeruntur altari, quo nimirum Christus concordiam videt omnium, fidemque convenit singulorum, illucque Deo Patri hæc precamur (*i*) per manus angeli gloriosius deferri, & ex illo coram nobis in isto visibili, quia necdum ad illud corporeo ingressu possumus introire, verissima caro Christi & sanguis quotidie ministratur. Idcirco signanter juxta illud æneum, quod erat in atrio, stetisse dicuntur, quia ad illud interius qui semel intraverit, numquam ulterius mortem patietur; (*k*) ad istud vero quod in atrio est, id est in præsenti sæculo, si quis indigne accesserit, judicium damnationis excipit. Ad hoc ergo unusquisque illorum in manu sua vas interfectionis tulisse scribitur. Unde & gloria Domini, quæ assumta fuerat de Cherub, stetit ad limen domus, ut ingredientes plenius dinosceret; *& clamavit ad virum, qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis*: quem profecto virum Christum intelligimus vestitum in habitu pontificis, de quo scriptum est: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: & habet atramentarium scriptoris ad renes suos, ut omnium peccata describat, & sanctorum a peccatoribus numerum segreget, maxime dum ad altare veniunt, & ideo bene juxta illud stare perhibetur, ut milites ad stipendia vitæ percipienda accedentes divinitus discernat. Cui cum in medio candelabrorum aureorum assisteret, dictum est: *Transi per mediam Jerusalem, & signa* tau *super frontes gementium & dolentium super cunctas abominationes quæ fiunt in medio ejus.* Hinc quoque alibi de ipso: *Et ambulabo*, inquit, *inter eos, & ero illorum Dominus.* Quorumvis? illorum utique super quos signatum est (*l*) signum crucis, mortificationem scilicet Jesu in corpore suo circumferentes, qui non solum sua, sed aliorum quotidie delicta lugent, & (*m*) possunt dicere cum propheta: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Ceterum ad eos in quorum manibus vasa interfectionis erant, fit illico vox, propheta audiente: *Transite post eum per civitatem & percutite. Non parcat oculus vester, neque misereamini senem,* (*n*) *adulescentulum, & virginem, parvulum & mulieres interficite* (*o*) *usque ad internecionem. Omnem,* inquit, *super quem videritis* thau *non occidatis; & a sanctuario meo incipite*, sive ut Septuaginta, (*p*) *a sanctis meis*, id est, a sa-

[Hieronym.] [Hieronym.] [Psal. 109. 4.] [Ezech. 9. 4.] [Levit. 26. 12 & 2. Cor. 6. 16.] [Psal. 4. 7.] [Ezech. 9. 5.]

(*a*) Laub. cum uno regio mss. & Mamerano *mutabatur*. Turonensis Majoris-monast. & S. Audoëni *nutabatur*.

(*b*) Sirm. *vir virtutum.*

(*c*) Hic in codice Laubiensi incipit Cap. XXI. *Quod nec Dei veretur præsentiam, nec frequentiam formidat angelorum, qui se ad communionem ingerit, quasi nullus sit, qui ejus conscientiam videat.*

(*d*) Cod. regius, *veretur potentiam, nec præsentiam angelorum.* Cod. reginæ Succiæ post *veretur potentiam*, omittit *nec frequentiam formidat angelorum, sed sic se ingerit quasi nullus sit qui ejus conscientiam*, his omissis prosequitur: *videat propter quod Dominus.*

(*e*) Duo mss. addunt: *Ezechielis propheta.*

(*f*) In Laubiensi codice hic incipit Cap. XXII. *Quod æneum altare istud nostrum significat, ubi cœlestem sumimus panem, & qui indigne ad illud accesserit, nisi corrigi festinet, ab angelis, altaris utique custodibus, interemtus in æternum peribit.*

(*g*) Codices reginæ Succiæ addunt: *accedere.*

(*h*) Vatic. *quia sancta sanctorum sunt quæ in illo.*

(*i*) Editi *precantur*, Colbertinus unus, *hic precatur.*

(*k*) In cod. Laub. hic exhibetur Cap. XXIII. *Quod ad istud altare si quis indigne accesserit, judicium damnationis excipit.*

(*l*) Editi *signatum est signum Tau, id est signum crucis.* Sed mss. expungunt hæc verba: *signum Tau, id est.*

(*m*) Editi *ut possit dicere.*

(*n*) Sirm. *Semen* contra fidem omnium mss. qui legunt *senem.*

(*o*) Al. *mulieres percutite.*

(*p*) Cod. Laub. hic repræsentat Cap. XXIV. *Quod qui sunt causa peccati in plebe, primi accipiunt supplicium in ultione.*

cerdotibus & ministris altaris: non quod sancti sint, sed quia pro ministerio sancti (*a*) vocantur in populo, ut qui sunt causa peccati in plebe, primi excipiant supplicium: quia tempus est ut judicium a domo Dei incipiat. Sed ne putares sine causa juxta altare stetisse, fit ad eos vox divina, quæ utinam in nobis non compleatur: *Contaminate domum, & implete atria interfectis*, quia nulla est regio,* ubi offensio peccati offerentes contaminat: & ideo jure unde peccatum, inde judicium incipit, quia peccato mortuus contaminat prius atria templi, & profanat (*b*) sancta, dum immundus ea contingit; neque fit error judicii, ubi judex est & descriptor suorum militum *Verbum Dei Patris* CHRISTUS JESUS *penetrabilior omni gladio ancipiti, discretor quoque cogitationum & medullarum, pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus.* (*c*) Unde Apostolus de his qui indigne sumunt, non dijudicantes corpus Domini, propterea, inquit, *imbecilles fiunt, & dormiunt multi.* Dormiunt ergo inde (*d*) multi, non somno pacis, sed somno mortis; quia ministerio eorum qui ad hoc positi sunt angelorum perimuntur. Imbecilles vero fiebant, quia variis languoribus ideo cruciabantur quidam, ut corrigerentur, quidam vero ut jam inciperent torqueri, & metu eorum ceteri sanarentur. Alioquin plagæ & infirmitates numquam in populo Christi tantum crebrescerent, præsertim cum in his qui ex Ægypto in figura sanctæ Dei ecclesiæ egrediebantur, lectum sit, *nullum fuisse infirmum.*

* *f.* religio.

Heb. 4. 12.

1. Cor. 11.

Ob sacramenti irreverentiam imbecilles qui, quomodo & quare.

Psal. 104. 37.

7. Nam & ideo lignum vitæ dicitur, quod hanc virtutem divinitus acceperit, ut si quis ex eo manducaret, sanitate corporis ad immortalitatem firmaretur. Quanto magis ex hoc præstatur, non ne moriatur in carne, sed ne lædatur quisque a diabolo, dum eum virtus (*e*) sanguinis defenderit? (*f*) Sed ne forte (*g*) ad hæc quæratur: Si propterea (*h*) infirmantur & dormiunt multi, cur non aperte? præsertim cum magis illi puniantur, qui Dei correptione judicantur indigni: nimirum quia fides renatorum exercenda erat & probanda, nec non & doctrina præceptorum homo erudiendus. Tamen nec dubium quin fidelis vitam, contemtor vero mortem accipiat. Alias si semper in peccantibus aperta ultio fieret, terror homines compesceret, non fides vel religio ad probitatem morum imbueret. Unde secundum Apostolum, cum aliquis infirmatur, prius adhibenda est confessio peccati, deinde oratio plurimorum, post sanctificatio (*i*) unctionis: quia impossibile est per medicinam sanari ullius artis, quem divina ultio premit; & si medicina est sectanda, tamen hoc prius agendum Christiano; quoniam si in angelis pravitas est inventa, & astra non sunt munda coram eo, quanto magis homo immundus probatur, si non confessione & bonis operibus quotidie purgetur.

Communicantes indigne cur aperte non puniuntur.

Jacob. 5. Nota de confessione & extrema-unctione.

8. (*k*) Verumtamen quia sæpe gravius peccantibus divina patientia, licet præsumant indigne, parcit ad tempus, & expectat ad pœnitentiam, non ideo securitas (*l*) subripiat, quia thesaurizat sibi contemnendo (*m*) iram in die iræ, & peccata magis in Deum accumulat. Certus sit enim, quia ultores angeli nec semel indigne communicanti parcerent, nisi bonitas Christi, in cujus judicio pendent omnia, & cui commissum est, ut signum ponat suorum (*n*) in frontibus, gladium suspenderet, & removeret interdum momentaneam mortem. Unde postea resipiscentibus (*o*) duplex in pœnitentia debet esse luctus, vel quia male quis gessit, vel quia demum ad judicium male præsumsit: quod sane delictum nullo alio, nisi Christo interveniente, donabitur. Unde in lege pro hoc quia in sanctificatis deliquit, aries, per quem intelligitur Christus, offerri jubetur, ut apud Deum Patrem Deus homo pontifex in æternum interpellare per fidem credatur, atque ipsum pro se moribus & vita quotidie reindutum (*p*) per fidem offerat; alioquin qui in Deum peccavit, quis orabit pro eo, nisi Deus, qui nostras infirmitates ideo assumsit, ut compatiatur nobis, & per eum donet veniam ex delictis etiam in Deum admissis? Nec hoc dicimus, ut idoneus aliquis pro nobis in (*q*) istis non debeat intervenire, sed Christo totum debemus adscribere, qui suas etiam injurias libenter remittit, & pro delinquentibus in se, sicut prius in cruce fecerat, etiam se Patri offerendo idoneus exorator intervenit.

(*a*) Mss. Majoris-mon. *sanctificantur.*
(*b*) Mam. Ulim. & Sirm. *prophana sancta* contra fidem omnium mss.
(*c*) Hic in codice Laub. incipit CAP. XXV. *Qui sint imbecilles multi, & qui secundum apostolum pro indigne sumto sacrificio dormiunt.*
(*d*) Vatic. *In die multi.*
(*e*) Codices reginæ Sueciæ & unus regius, *Dum eum virtus carnis & sanguinis Domini defenderit.*
(*f*) Hic in codice Laubiensi incipit CAP. XXVI. *Cur non aperte infirmantur & dormiunt corporaliter, qui indigne communicant.*
(*g*) Editi cum quibusdam mss. *Sed forte ad hæc.*
(*h*) Tres mss. addunt *inquit.*
(*i*) Laub. *unctio sanctificationis.* Cod. reginæ Sueciæ, *Sacrificium unctionis.*
(*k*) In cod. Laub. hic incipit CAP. XXVII. *Quod thesaurizat sibi iram contemnenter accedens, & peccata magis accumulat.*
(*l*) Editi *subrepat.*
(*m*) Mam. Ulim. & Sirm. *contemtor*, sed contra fidem omnium mss.
(*n*) Mss. Majoris-monast. *servorum.* Vatic. *servorum suorum.*
(*o*) Ita Vatic. & Flor. Plures mss. legunt *resipiscentibus* in plurali, sed sequentia exposcere videntur singularem num.
(*p*) Mss. reginæ Sueciæ, *in holocaustum*, loco *reindutum.*
(*q*) Ulim. Sirm. cum Flor. *injustis*, contra fidem omnium manuscriptorum.

CAPUT

CAPUT IX. (a)

[a]

[b] *Quid necesse fuerit quod semel gestum est in re, Christum quotidie immolari. (b) Vel quid boni tribuant hæc mysteria digne accipientibus.*

Cur sacra oblatio quotidie immolatur.

1. ITeratur autem quotidie hæc oblatio, licet Christus semel passus in carne, per unam eamdemque mortis passionem semel salvaverit mundum, ex qua morte [c] idem resurgens ad vitam, mors (c) ei ultra non dominabitur: quia profecto sapientia Dei Patris necessarium pro multis causis hoc providit; primo siquidem quia quotidie peccamus, saltem peccatis sine quibus mortalis infirmitas vivere non potest, quia [d] licet omnia peccata donata (d) sint in bap[e]tismo, infirmitas tamen peccati (e) adhuc in carne manet. Unde Psalmista: *Benedic anima mea Domino; qui propitiatur omnibus* [f] *(f) iniquitatibus tuis; qui sanat omnes infirmitates tuas.* Et ideo quia quotidie labimur, quotidie pro nobis Christus mystice immolatur, & passio Christi in mysterio traditur, [g] ut qui semel moriendo mortem vicerat, (h) quotidie recidiva delictorum per hæc sacramenta sui corporis & sanguinis peccata relaxet.

Ps. 101. 1. & 3.

2. (h) (Quod totum in nobis Christum facturum prospiciens, ille magnus lucerna ardens & lucens, Johannes videlicet Baptista, quo inter natos mulierum major nemo surrexit, mox ut eum ad se venientem conspexit, digito eum demonstrans, divino tactus Spiritu exclamat: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata* * *mundi.* Et nos ergo in eum corde credentes, & ore ipsum esse qui peccata mundi tollit confitentes, cum eodem plus quam propheta Christi præcursore alacres in ejus laudibus proclamemus: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ecce innocens & ab omni peccato immunis, utpote qui os quidem de ossibus Adam, & carnem de carne Adam, sed nullam de carne peccatrice traxit maculam culpæ. Ecce qui justus inter peccatores, mitis inter impios, hoc est quasi agnus inter lupos apparens, etiam peccatores & impios justificandi habet potestatem. Quomodo autem peccata mundi tollat, quo ordine justificet impios, apostolus Petrus ostendit, qui ait: *Non corruptibili argento vel auro redemti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati* JESU CHRISTI. Et in Apocalypsi Johannes apostolus: *Qui dilexit nos,* inquit, *a peccatis nostris in sanguine suo:* non solum autem lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, quando sanguinem suum in cruce pro nobis dedit, vel quando unusquisque nostrum in mysterio sacro-sanctæ passionis illius baptismoque ablutus est aquæ, verum etiam quotidie tollit peccata mundi, lavatque nos a peccatis nostris quotidie in sanguine suo, cum ejusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur, cum panis & vini creatura in sacramentum carnis & sanguinis ejus ineffabili spiritus sanctificatione transfertur. Sic quoque corpus & sanguis illius non infidelium manibus ad perniciem ipsorum funditur & occiditur, si fidelium ore suam sumitur in salutem, cujus recte figuram agnus in lege paschalis ostendit, qui semel populum de Ægyptiaca servitute liberans, in memoriam ejusdem liberationis per omnes annos immolatione sua populum eumdem sanctificare valebat, donec veniret ipse, cui talis hostia testimonium dabat, oblatusque patri pro nobis in hostiam odoremque suavitatis, mysterium suæ passionis, oblato agno in creaturam panis vinique transferetur, * sacerdos factus in æternum secundum ordinem Melchisedech, accedens per semetipsum ad Deum ad interpellandum pro nobis. Quia ergo redemtor noster hoc totum quod tempore passionis suæ semel gessit, adhuc usque hodie quotidiana ejusdem beatæ passionis commemoratione peragit, hanc in primis præcipuam esse causam puto, quare nos sacrosanctæ mortis ejus recordationem sacratissimum corpus & sanguinem ipsius quotidie super altaris aram immolantes, assidue replicamus.) Unde oramus: *Dimitte nobis debita nostra;* quia si dixerimus quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est.

Joh. 1. 29.

* al. peccatum.

1. Pet. 1. 18.

Apoc. 1. 5.

* al. transferret.

Matt. 6. 12.

3. Secundo agitur, ut sicut fuit arbor vitæ in paradiso, ita sancta Dei ecclesia, quæ paradisus deliciarum in canticis appellatur, habeat in se mysterium vitæ, quod in eodem ligno figurabatur; ex quo qui edunt servantes mandata vitæ nequaquam possunt mori in æternum. Quod si veluti Adam inobedientes, a diabolo rursus peccato mortis peremti fuerint, sicut ille de paradiso removentur a sanctis altaribus & a ligno vitæ, scilicet a corpore & sanguine Christi, qui est verum paradisi lignum; cujus folium non defluet & omnia quæcumque faciet prosperabuntur: removentur autem ne sumant de ligno vitæ, & male vivant ut moriantur, immo ut resipiscant a malis suis,

Ecclesia paradisus deliciarum.

Psal. 1. 3.

Cur peccantes graviter removeantur a perceptione sacramentorum.

(a) In codice Laubiensi CAP. XXIX. cum hoc titulo: *Cur iteratur hac quotidie oblatio.*

(b) In duobus mss. *Et de exemplis quid boni tribuant.*

(c) Codd. reginæ Sueciæ & unus regius, *Mortem sibi ultra dominari non permittit.*

(d) Al. *nobis donata sint.*

(e) Vatic. *peccandi.*

(f) Laub. *omnibus iniquitatibus meis Israël.*

(g) Codices reginæ Sueciæ addunt, *Et peccata mundi morte tulerat.*

(h) Inclusa parenthesi adduntur in duobus mss. uno regis Christianissimi, altero bibliothecæ reginæ Sueciæ.

& per pœnitentiam reconciliati, Christi (a) per hunc cibum rursus reinserantur (b) visceribus, & feliciter deinceps vivant in æternum. Hoc quippe agunt sacerdotes Christi in ecclesia, & monstrant quod futurum est in illo ultimo examine, quando separabuntur justi ab injustis. Sed hic sicuti Adam expulso spes mansit redeundi ad vitam per pœnitentiam, ita precisis a ligno vitæ patet facultas, si velint redire ad veniam. Ubi cum pœnitentia intercesserit, certa spes percipitur, quia jam vitæ ad mixtus, mori non poterit, si reconciliatus maneat in Christo.

Virtus eucharistiæ.

4. Tertio, (c) ut quicumque digne hanc vitam sumunt, renati unum efficiantur, ut sicut jam per baptismum Christo (d) induuntur, ita Christus in eis per hoc sacramentum corporaliter (e) maneat, ut sint credentes unum in Christo, & Christus in eis maneat, quatinus illud impleatur quod ipse ad patrem orat: *Non pro his autem rogo*, inquit, *tantum*, *sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me*, *ut omnes unum sint sicut tu*, *Pater*, *in me & ego in te*, *ut & ipsi (f) sint in nobis*: Hæc itaque unitas non sicut hæretici volunt sola voluntate inter Patrem & Filium prædicatur, & sicut laborant ex eo quod ait: *Ego & Pater unum sumus.* Tentant igitur ad unanimitatis illud conferre consensum, ut unitas voluntatis in his sit, non naturæ, sicut multitudinis credentium in Jerusalem dicitur: *cor unum & anima una fuisse*; sed nos Patrum vestigia sequentes, credere (g) oportet quod Deus ex Deo substantialiter genitus, naturaliter hoc est quod Pater, ac per hoc (h) unitate naturæ Pater & Filius unum esse probantur, necnon & Christus hodie in nobis non solum per concordiam voluntatis, sed etiam per naturam in nobis, sicut & nos in illo, recte manere dicitur. Nam si Verbum caro factum est, & nos vere Verbum (i) factum carnem in cibo dominico sumimus, quomodo in nobis Christus manere naturaliter jure non æstimatur, qui & naturam carnis nostræ inseparabilem sibi homo natus Deus assumsit, & naturam carnis suæ ad naturam (k) æternitatis sub sacramento hoc nobis communicandæ carnis admiscuit? Et ideo per hoc omnes in Deo Patre & Filio ac Spiritu-sancto unum sumus, quia (l) Pater in Christo & Christus in nobis esse probatur. Hinc igitur est quod & nos in Christo naturaliter unum corpus efficimur, & si quis Patrem in Christo naturaliter confitetur, confiteatur se naturaliter (quia Verbum (m) caro est) unum esse in illo, ut naturalis unitas, per sacramentum appareat veritatis. Hinc ergo dicit: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* Vere igitur sicut per naturam deitatis Deus Pater in Filio est, ita & Filius Deus homo per humanitatem* carnis in nobis esse jure dicitur, ac per hoc mediator Dei & hominum prædicatur; quia per eum communionem unitatis habemus ad Deum, dum ipse in Patre manens, & in nobis quoque manere dicitur. Qua de causa unum nos esse in ipsis superius Pater a Filio secundum humanitatem exoratur.

Johan. 17. 20. — Joh. 10. 30. — Act. 4. 32. — Hilar. lib. 8. de Trinit. — Joh. 6. 57. — * al. unitatem.

5. Ecce duo ista sacramenta quid efficiunt Per baptismum ergo renascimur in Christo, & per sacramentum corporis ac sanguinis Christus in nobis, non solum fide, sed etiam unitate carnis & sanguinis manere probatur; & ideo jam membra Christi ejus carne vescimur, ut nihil aliud quam corpus ejus, unde vivimus, & sanguis inveniamur. Hinc igitur est, quod *nemo ascendit ad cœlum, nisi qui de cœlo descendit*; quia cum illo per hæc mysteria unum sumus. Iteratur autem hoc mysterium, & ob commemorationem passionis Christi, sicut ipse ait: *Hæc quotienscumque agitis, in meam commemorationem facite.* Quotienscumque ergo hunc panem sumitis, & bibitis hunc calicem, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Non itaque sic accipiendum, donec mors Christi veniat, qui jam ultra non moritur, sed donec ipse Dominus ad judicium veniat. Interdum (n) autem semper mors est Christi pro sæculi vita posteris nuntianda, ut discant qua caritate suos dilexit, qui pro eis mori dignatus est: cui omnes vicem debemus rependere caritatis, quia ad hoc nos prior dilexit, cum essemus gehennæ filii, ut diligeremus eum a morte jam liberati.

Johan. 3. 13. — Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 26.

6. Dicunt etiam quidam, quod & ideo quotidie celebratur, ut qui de Judæis credidissent, haberent per hanc gratiam, assueti diebus singulis Domino hostias immolari, (o) quo possent sua (p) religionis vota celebriter offerre & omnium veterum sa-

(a) Ita melioris notæ mss. Sirm. cum quibusdam mss. *reconciliati Christo.*

[b] Duo codices regii, unus reginæ Sueciæ, *Reinserantur visceribus paradisi, id est ecclesiæ, & feliciter.* Alter ms. reginæ Sueciæ, *Reinserantur ejus visceribus, & fideliter.*

[c] Codices reginæ Sueciæ, duo regii, *Tertio etiam Christi passio reputatur, ut quicumque digne ad vitam.*

[d] Ita fere omnes mss. Editi *Christum induunt.*

[e] Vatic. *spiritualiter maneat.*

[f] Editi *& ipsi unum sint in nobis*, atque ita in textu Johannis. Sed in omnibus mss. desideratur *unum.*

[g] Tres mss. *credere indubitanter debemus.*

[h] Vatic. Flor. & Colb. 1. *ac per hanc unitatem naturæ.*

[i] Editi *Verbum carnem*, Colbert. unus, *Et nos veram carnem in cibo.* Colb. alter, *Et nos vere Verbum carnem factum in cibo.*

[k] Tres mss. *æternitatis suæ.*

[l] Duo mss. regii, & duo Sueciæ reginæ, *Quia Pater in Christo Filio & in Spiritu-sancto unum existit, & Christus in Patre & Spiritu-sancto unum permanens, in nobis etiam per assumta carnis naturam unum esse probatur. Hinc ergo, &c.*

[m] Editi *Verbum caro factum est.*

[n] Editi *interim*, sed omnes mss. legunt *interdum*, quæ vox familiaris est Radberto ad significandum *interim.*

[o] Ita editi cum pluribus mss. quidam legunt *immolare.*

[p] Editi *sua religionis vota.*

[a] crificiorum atque holocaustomatum (a) figuris postpositis, hujus mysterii præferre [b] veritatem. (b) Sed licet ita videatur, tamen plenior & perfectior sententia est, quam præmisimus. Quia non minus pro nobis quam pro illis in ecclesia hoc mysterium celebratur. Hæc quippe figura præcessit in in Melchisedech, sicut fides in Abraham, sed quia lex quasi medius paries se injecit, potius in omnibus legum sacrificiis, veritas hujus mysterii adumbrabatur, quibus profecto remotis quod prædictum erat, secundum ordinem Melchisedech Christus verus pontifex successit, sacerdotium habens æternum. Hoc itaque Abraham in Melchisedech fide conspexerat, & ideo decimas ei obtulisse legitur, atque bene- [c] dictionem ab ipso percepisse. Unde (c) rex ille Melchisedech, rex justitiæ vel Salem, & sacerdos dicitur, ut per eum Christus, cujus typum ille gessit, evidenter rex & sacerdos monstretur; alioquin mortalium quis rex justitiæ jure queat vocari, cum nullus, [d] nisi justitia (d) fidei, saltim justus invenitur? Idcirco teneamus nos ad istum pontificem & sacerdotem Christum, & in illo maneamus, quia per hoc quod ille in nobis est, & nos in illo, etiam & ipsi omnes sacerdotes dicimur & sumus. Fecit enim nos regnum & sacerdotes Deo, & ideo gens sancta, sacerdotium regale, populus adquisitionis ab apostolo prædicamur. Hoc igitur notum, quia nos in ipso & ille in nobis per hanc gratiam concorporatur, transfigurans nos in corpore claritatis suæ, ut cum ipso & in ipso sit nobis regnum pacis. Hoc quippe Salem interpretatur & sacerdotium æternum. Hinc quoque propheta

Psal. 147. 1. 3.

canit: *Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Syon. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.* De quo

Hilarius.

Eucharistia omnes continet delicias.

nimirum frumento cœlestis illa Jerusalem saginatur: & notandum quod hoc frumentum, corpus videlicet Christi, adipem habeat, & non solum adipem, sed & omnes delicias, ita & potus sanguinis. Unde quod de petra typice manavit, nunc mel, nunc oleum, nunc aqua, nunc quoque potus dicitur, quia quidquid prægustare spiritaliter potueris, hoc totum ibidem invenies. Et hinc est quod tradunt Judæi, quod manna quando comedebant carnaliter, secundum voluntatem uniuscujusque sic sapiebat unicuique in ore, verbi [e] causa, si pirum, si mala, (e) si uvam, si panem, si carnes desiderasset, seu alia quæcumque, omnia manna præstabat (f) in [f] ore desiderantis. Hæc illi carnalia semper quærentes, nos vero fatemur fide, quod spiritalia & æterna potius, non solum ista, sed & illa in cordibus fidelium præstabant: unde per hæc confidenter oportet credere, si quis digne perceperit, quod vitam percipiat immortalitatis, & deliciis fruatur cum omni delectamento, in spe positus æternorum. (g) [g]

7. (h) Sed quia, juvante Christo, quid [h] boni hæc mysteria digne ea percipientibus tribuant, ostendere curavimus, peratile multis in posterum arbitror, si ea quæ verbis diximus, exemplis quibusdam certa reddamus. Hæc igitur subsequentia libenter, quæso, perlege, quorum quædam ex dictis beati ac præcellentissimi viri Gregorii Romanæ sedis antistitis excerpsimus, atque uti isdem egregius doctor in suis scriptis reliquit, huic nostro opusculo inseruimus, ut tanto auctore in medium adducto, firmius verba nostra roborentur.

8. Judæi cujusdam vitrarii filius, cum apud Christianos pueros ad studia litterarum exerceretur, quadam die dum missarum festa in basilica beatæ Dei genitricis semper virginis MARIÆ celebrarentur, & populus ex more ad eucharistiam de manu sacerdotis accipiendam accederet, ad participationem gloriosi corporis & sanguinis Domini cum aliis infantibus coævis suis prædictus infans Judæus accessit: quo dum propinquaret, divina, ut æstimo, providentia sibi revelante, videt super altare mulierem quamdam honestæ admodum formæ in cathedra sedentem, parvulumque puerum super genibus suis tenentem, qui propria manu sacram communionem sacerdoti porrigebat, ut & ipse plebi fideliter accedenti distribueret: qua & idem Judæus puer percepta, gaudens ad domum revertitur, ac patri operi suo intento, inter amplexus & oscula quæ acceperat cum gaudio refert. At ille Christo Domino & suis legibus inimicus, felle amaritudinis commotus, ait ei: si cum infantibus Christianorum religioni communicasti, ad ad ulciscendam Mosaicæ legis injuriam, oblitus paterna pietate, parricida in te durus existam. Et apprehensum puerum in os fornacis ardentis projecit, adjectisque lignis quo vehementius ureretur institit. Sed non defuit illa misericordia, quæ tres quon-

(a) Hic multum variant mss. Vatic. legit: *Holocaustomatum sacris hujus mysterii.* Regii codices & Sueciæ reginæ, *Holocaustorum figuris hujus mysterii.* Mam. cum quinque mss. *Holocaustomatum hujus mysterii.* Ulim. & Sirm. *Holocaustomatum legitimis hujus mysterii.*

[b] Vatic. *virtutem.*

[c] Vatic. ita hunc locum legit: *Unde Melchisedech ille rex Salem, id est justitiæ & pacis, & sacerdos, &c.*

[d] Quinque mss. *justitia fide.*

[e] In tribus mss. desideratur *Si mala.*

[f] Editi cum ms. Majoris-mon. *sapiebat*; omnes alii mss. *præstabat.*

[g] In cod. Vatic. Majoris-monast. S. Audoëni additur: *A Deo detur in se* (vel *in ipso*) *sperantibus. Sic fiat. amen.* In codice regio *supernorum, & ideo detur in ipso sperantibus. Sic, sic fiat.* Mamer. *A Deo detur ipso sperantibus. Sic, sic fiat, amen.*

[h] Quæ sequuntur hujus capitis suppeditarunt reginæ Sueciæ codex unus, n. 1554. signatus, & codex regiæ bibliothecæ 4070.

dam Hebræos pueros in Chaldaïco camino projectos nube rorulenta resperserat. Ipsa enim & hunc inter medios ignes & prunarum moles jacentem penitus consumi non passa est. quod cum audisset mater, quod scilicet filium communem crudelis pater deliberasset exurere, cucurrit ad liberandum eum; sed cum vidisset incendia ab ore fornacis patulo, huc illucque, flamma dominante, dispergi, ornatum capitis ad terram projecit, discissaque cesarie, se miseram clamitans, civitatem vocibus implevit. Quod cum Christiani cives quid actum fuerit didicissent, concurrerunt omnes pariter ad tam iniquum spectaculum, retractisque ignibus ab ore fornacis, inveniunt puerum quasi per plumas mollissimas recumbentem: quo extracto, admirantur omnes illæsum, clamoribusque locus ille repletur, & sic magnalia Domini ab omni populo benedicuntur. Conclamant etiam ut auctorem sceleris hujus in ipsas projicere flammas debeant. projectum autem ita totum ignis absorbuit, ut vix de ossibus ejus parvum quid relinqueretur indicium. Interrogantes autem infantulum Christiani, quale ei umbraculum fuisset, ait: mulier illa quæ in basilica, ubi panem de mensa accepi, in cathedra sedebat, parvumque infantem in sinu gestabat, hæc me pallio suo, ne ignis voraret, operuit. Esca etiam illa quam de manu sacerdotis acceperam, in tantum me juvit, ut ne spiraculum quidem ignis sentire me putarem, Unde indubitatum est beatam ei MARIAM apparuisse. Agnita ergo infans fide catholica, credidit in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, ac salutaribus aquis ablutus, una cum genitrice sua denuo est renatus. Multi quoque Judæorum hoc exemplo in urbe illa ad fidem conversi sunt.

9. Si ergo hæc mysteria illi, qui absque fide & nondum sacro baptismate renatus, inter membra Christi deputatus est, ad tantum munimem salutis suæ profuerunt, quanto magis indubitanter credendum est fidelibus & jam membra corporis Christi, quod est ecclesia, cujus ipse caput est, per regenerationem effectis, cum digne ea percipiunt, saluti corporis & animæ suæ hæc sacramenta proficere?

S.Greg.hom. 37. in evang. & l. 4. Dialog. cap. 57.

10. Beati etiam Gregorii summi antistitis, sicut promisimus exempla ad medium deducamus; qui refert, quod quidam dum ab hostibus caperetur, longe transductus est: cumque diu teneretur in vinculis, eumque uxor sua ex eadem captivitate non reciperet, extinctum putavit, pro quo jam velut mortuo sacras hostias hebdomadibus singulis omnipotenti Deo, ut animæ ejus vincula solverentur, curabat offerre: cujus toties vincula solvebantur in captivitate, quotiens ab ejus conjuge oblatæ fuissent hostiæ pro animæ ejus absolutione. Nam longa post tempora reversus, admirans valde, suæ indicavit uxori, quod diebus certis hebdomadisque singulis ejus vincula solvebantur, quos videlicet dies ejus uxor atque horas discutiens, tunc eum recognovit absolutum, cum pro eo sacrificium meminerat oblatum. Hinc ergo, mi dulcissime, certa consideratione collige, oblata a nobis sacra hostia quantum valeat solvere in nobis ligaturam cordis, si oblata ab altero potuit in altero solvere vincula corporis. Sed quia te sacris altaribus mancipatum ad hæc sacrificia offerenda scio, devotior & præparatior, * hanc hostiam immolare assidue studeas. Audi, obsecro, ejusdem venerabilis viri Gregorii exemplum, quod ideo præsenti pagina subscribo, quatenus in ara cordis temetipsum mactare sacrificium ardentius accendaris.

* al. promptior.

S.Greg. hom. 37. in evang. & lib. 4. Dialog. c. 56.

11. Narrat enim prædictus doctor, quemdam Cassium nomine, tunc episcopum, cui mos erat quotidianas Deo hostias offerre, ita ut pene nullus dies vitæ ejus transiret, quo non omnipotenti Deo hostias immolaret: cujus cum sacrificio valde concordabat vita. Nam cuncta quæ habebat in eleemosynis tribuens, cum ad horam offerendi sacrificii venisset, velut totus in lacrymis defluens, semetipsum cum magna cordis contritione primitus sacrificium mactabat. quadam autem nocte ejus presbytero per visum Dominus assistit, dicens: vade & dic episcopo, Age quod agis, operare quod operaris, non cesset pes tuus, non cesset manus tua, natale apostolorum venies ad me, & retribuam tibi mercedem tuam. Surrexit presbyter; sed quia e vicino jam apostolorum natalitius dies imminebat, tam propinqui exitus sibi diem episcopo suo nunciare pertimuit. Aliaque nocte Dominus rediit, ejus inobedientiam vehementer increpavit, atque eadem jussionis verba retexuit. Tunc presbyter surrexit ut pergeret: sed rursus infirmitas cordis facta est impedimento indicandæ revelationis, admonitioneque iteratæ jussionis obduruit pergere, & quæ viderat manifestare neglexit: sed quia magnam mansuetudinem contemtæ gratiæ major sequi solet iræ vindicta, tertia visione Dominus apparens, jam verbis verbera addidit, & tam districta cæde mactatus est, ut in eo duritiam cordis emollissent vulnera corporis. Surrexit ergo eruditus ex verbere, perrexit ad episcopum, eumque jam ex more paratum, juxta beati Juvenalis martyris sepulcrum ad offerendum sacrificium consistere reperit, secretum a circumstantibus petiit, seque ejus pedibus stravit, cumque eum ubertim flentem episcopus ad se levare vix potuisset, lacrymarum causas cognoscere studuit. Ille vero relaturus ordinem visionis, prius vestimento

stimento ex humeris devoluto, detexit plagas corporis, & ut ita dicam, testes veritatis & culpæ monstravit quanta animadversionis districtione membra illius accepto verbere, livore inflicto, sudaverant: quæ mox ut episcopus vidit, exhorruit, & qui sibi talia facere præsumsisset, cum magnæ obstupefactionis vocibus inquisivit. At ille respondit, hæc se pro ipso fuisse perpessum. Excrevit cum tremore admiratio, sed nullas jam presbyter inquisitionis ejus moras ducens, secretum revelationis aperuit, eique visionis Dominicæ per ea quæ audierat verba narravit dicens: *Age quod agis, operare quod operaris. non cesset manus tua, non cesset pes tuus, natali apostolorum venies ad me, & retribuo tibi mercedem tuam.* Quibus auditis episcopus in oratione cum magna cordis contritione se prostravit, & qui oblaturus sacrificium ad horam tertiam venerat, hoc pro extensæ orationis magnitudine ad horam nonam usque protelavit, atque ex illo jam die magis magisque ei aucta sunt lucra pietatis, factusque est tam fortis in opere, quam certus ex munere: quippe qui eum, qui ipse debitor fuerat, ex promissione jam cœperat habere debitorem. Huic autem consuetudo fuerat annis singulis natalitio apostolorum die Romam pergere. Itaque ex hac revelatione suspensus, venire juxta morem noluit. Eodem ergo tempore sollicitus fuit, secundo quoque anno vel tertio in mortis suæ expectatione suspensus, quarto, quinto & sexto similiter. qui desperare jam de veritate revelationis poterat, si fidem verbis verbera non fecissent: cum ecce anno septimo usque ad expectati natalis sacras vigilias incolumis pervenit: sed lenis hunc in vigiliis calor attigit, atque ipso die natalitio filiis suis se expectantibus missarum solemnia implere se posse recusavit. Illi vero qui de ejus erant pariter egressione suspecti simul ad eum omnes venerunt, sese unanimiter adstringentes, ut die eodem nequaquam acquiescerent missarum solemnia celebrare, nisi pro iis apud Deum idem antistes intercessor accederet. Tunc ille compulsus in episcopi oratorio missam fecit, & manu sua corpus Dominicum pacemque omnibus tribuit, qui cuncto ministerio oblati sacrificii peracto, ad lectum rediit, ubi jacens, dum sacerdotes suos ac ministros circumstantes se cerneret, quos ultimum vale dicens de servando eos vinculo caritatis admonebat, & quanta debuissent concordia inter se unire prædicabat, cum subito inter ipsa sanctæ exhortationis verba, voce terribili clamavit dicens: Hora est, mox assistentibus ipse suis manibus linteum dedit, quod ex more morientium sibi contra faciem tenderetur, quo tenso, spiritum emisit. Sicque sancta illa anima ad gaudia æterna perveniens, a carnis corruptione soluta est. Quem itaque, charissime, quem vir iste in morte sua invitatus est, nisi eum quem in vita sua fuerat contemplatus? dicens enim Hora est, de corpore exiit, quia & Jesus peractis omnibus, cum dixisset *consummatum est*, inclinato capite tradidit spiritum. Quod igitur Dominus ex potestate, hoc egit famulus ex vocatione. Ecce quotidie hostia illa cum eleemosynis & lacrymis oblata, quantam cum redemtore nostro concordiam habuit. Hanc itaque & tu vir Dei in quantum prævales cum caritatis fervore & cordis contritione offerre stude. vult enim omnipotens Deus nostris placari precibus, qui scit quia portari a nobis non possit iratus, singulariter autem ad absolutionem nostram oblata cum lacrymis, & benignitatem mentis sacri altaris hostia suffragatur, quia is qui in se resurgens a mortuis jam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterum patitur. Nam quotiens ei hostiam suæ passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram passionem illius reparamus. Hac enim hostia animæ purgantur, peccata solvuntur, vitia pelluntur, dæmones fugantur, virtutes acquiruntur, salus animarum & corporum possidetur, totus mundus salvatur. Sed quia quantum vivis corporibus profuerit, aliquantulum prolixe ex dicti B. Gregorii ostendimus, necesse est ut quantum defunctorum animabus prosit demonstremus.

12. Refert enim jam sæpedictus doctor Gregorius, quemdam fuisse presbyterum, qui ob necessitatem corporis sui, a medicis admonitus est, ut in Angulanis thermis, quo aquæ vapores nimios faciunt, lavare consuesceret: quas thermas cum die quadam ex more fuisset ingressus, invenit quemdam incognitum virum ad suum obsequium præparatum, qui sibi de pedibus calceamenta abstraheret, vestimenta susciperet, ut exeunti e caloribus sabana præberet, atque omne ministerium cum magno famulatu perageret. Cumque hoc sæpius faceret, presbyter die quadam ad balnea iturus, intra semetipsum cogitans dixit: Viro illi qui mihi solet tam devotissime ad lavandum obsequi, ingratus apparere non debeo; sed aliquid me necesse est ei pro munere portare. Tunc duas secum oblationum coronas detulit: qui mox ut pervenit ad locum, hominem invenit, atque ex more ejus obsequio in omnibus usus est. Lavit itaque, & cum jam vestitus voluisset egredi, hoc quod secum detulerat, obsequenti sibi viro pro benedictione obtulit, petens ut benigne susciperet quod caritatis gratia ei offerret. Cui ille mœrens afflictusque respondit; mihi ista quare das pater? Iste panis sanctus est: ego hunc manducare non

possum. me etenim quem vides, aliquando loci hujus dominus fui, sed pro culpis meis hic post mortem deputatus sum. Si autem mihi præstare aliquid vis, omnipotenti Deo pro me offer hunc panem, ut pro peccatis meis intervenias, & tunc exauditum te esse cognosce, cum huc ad lavandum veneris, & me minime inveneris: in quibus verbis disparuit, & is qui esse homo videbatur, evanescendo innotuit, quia spiritus fuit. Idem vero presbyter hebdomada continua sese pro eo in lacrymis afflixit, salutarem hostiam quotidie obtulit, & post (B) reversus ad balneum, eum jam minime invenit. qua ex re quantum prosit animabus fidelium immolatio sacræ oblationis etiam post mortem facile ostenditur, quando hanc & ipsi mortuorum spiritus a viventibus petunt, & signa indicant, quibus postea absoluti videantur. Denique si insolubiles culpæ non fuerint, ad absolutionem prodesse innumeris etiam mortuis victima sacræ oblationis potest. Sed sciendum nobis est quia illis sacra victima mortuis prodest, qui vivendo obtinuerunt, ut etiam post mortem ipsa bona adjuvent, quæ hic (C) pro ipsis ab aliis fiunt. Inter hæc autem pensandum est quod tutior via sit, ut bonum quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat dum vivit ipse. Beatius quippe est liberum exire, quam post vincula libertatem quærere. Debemus itaque nosmetipsos Deo, dum vivimus in cordis compunctione mactare: quia qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo vera pro nobis Deo hostia erit, quam offerimus, cum nos ipsos hostiam fecerimus. Igitur (D) dum per indulgentiam temporis spatium habemus, dum judex nos sustinet, dum conversionem nostram is qui culpas examinat exspectat, conflemus in lacrymis duritiam mentis nostræ, formemus in proximis gratiam benignitatis, & fidenter dico, quia salutari hostia post mortem non indigebimus, si dum in hac convalle lacrymarum vivimus, Deo hostia ipsi fuerimus. Hæc pro assertione sacræ oblationis dicta sufficiant, nunc ad propositum redeamus.

CAPUT X.

[a] (*a*) *Cur in pane & vino hoc mysterium celebratur.*

[b] 1. IGitur in pane (*b*) ideo celebratur, quia Christus panis est, qui de cœlo descen- (A) dit, sed sicut panis (*c*) longe aliud ab isto pane (*d*) intelligitur, ita longe in aliud caro a mortali jam nostra carne secernitur. Caro itaque per passionem & vera caro redemtionem suæ conditionis explet: panis vero victum ad æternitatem renatis immortalitatis præbet. Atque ideo nec mirum, si caro Christi panis dicitur, cum (*e*) & caro sub specie panis visibili nihil aliud quam caro porrigitur; sed caro, quia in eadem carne passus in veritate creditur; panis vero, quia granum frumenti cadens in terram & nos ex ipso nihil aliud quam frumentum per fidem genuit. Unde per hoc seipsum suis membris ex se natis vitam præbuit, & præstando nihil nobis aliud, quam panis æternus fuit. Nihil enim (*f*) ad figuram manifestius, nihil ad mysterium evidentius: granum quippe frumenti Christus in terram cecidit, sed multa grana de se genuit, quæ nimirum grana nihil (*g*) aliud quam frumentum, quod in (*h*) horreum coacervatur. Unde mira in ipso nostræ naturæ unitas prædicatur. Nam omnes novimus, quod panis unus ex multis naturaliter granis efficitur. Ex quo nostra in Christo commendatur unitas, & figura veritatis in mysterio approbatur. Ad hoc quippe illud unum mortuum est in terra, ut ex ejus adipe & pinguedine nos fœcundaremur, qui ut ipse ait, *Nisi mortuum fuerit, ipsum solum manet.* (*i*) Nunc vero quia mortuus resurrexit, multum jam fructum affert in (*k*) credentibus. De quo nimirum fructu unus panis efficitur, quia Christus & ecclesia unum corpus esse probatur. Unde dictum est: *Et erunt duo in carne una.* Recte ergo hoc mysterium in pane celebratur, quatenus per hoc altius designetur quid in eo geratur. (*l*) Simili modo & in vino quod ex multis liquatur uvis, & de multis in unum confluit granis, quæ nimirum grana virtutum ex illa creverunt vite quæ dixerat: *Ego sum vitis vera, vos autem palmites.* Non potest ergo palmes a seipso, nisi in vite manserit, facere fructum. Idcirco vinum quod bibimus sanguis est ejusdem vitis qui de latere ejus fluxit. Nam vitis & palmes unum sunt corpus, & ideo unum fructum ferre videntur, quia uva quam palmes affert, de radice profluxit vitis. Hinc quoque (E) & Christus uva dicitur, quam veri (*m*) exploratores, apostolorum scilicet & prophetarum chorus, suis ad nos humeris fortiter gestantes detulerunt. Unde Paulus egregius

Margin: [c] [d] [e] [f] Christi corpus cur dicitur panis. [g] [h] Joh. 12. 24. [i] [k] 1. Cor. 6. 16. [l] Joh. 15. 5. [m]

(*a*) In recentissimo codice S. German. hic titulus sic effertur: *Quod hoc mysterium utrumque & caro & panis dicitur, & de vino, quod ex multis liquatur uvis.*

(*b*) In cod. reginæ Sueciæ & duob. regiis additur: *Hæc oblatio.*

[*c*] Editi addunt *ille*, quod mss. prætermittunt. cod. Majmon. *Sed sicut ille*, omisso *panis.*

[*d*] Quatuor mss. addunt *terreno.*

(*e*) Editi *dum caro porrigitur*, at mss. ad unum omnes: *Cum & caro sub specie visibili, nihil aliud quam caro porrigitur.*

[*f*] In Flor. *nihil ad figuram manifestius, nihil ad figuram evidentius nihil ad mysterium expressius.*

(*g*) Ita Septem mss. Editi *nihil aliud sunt.*

(*h*) Flor. *In ecclesia horreum.*

(*i*) Editi *maneret.*

(*k*) Editi *in se credentibus.* sed mss. expungunt *se.*

(*l*) Mamer. & Ulim. cum quinque mss. *generatur.*

[*m*] Plures mss. cum editis *viri exploratores.*

1. Cor. 6. 20. prædicator: *Pretio*, inquit, *empti estis, portate Dominum* (a) *Christum in corpore vestro.* De qua denique uva dum prælo premitur passionis, sanguis effluxit salutis. Hinc Moïses canit in cantico, quod constituerit populum suum Dominus *super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, & sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo, & sanguinem uvæ biberet meracissimum.* (Deut. 32. 13. 14.) De quo nimirum sanguine omnis inebriatur Christi ecclesia; & ideo speciem vini jure tenet in sensu, dum spiritaliter sanguis potatur in mysterio, quia hinc lætificamur spiritali lætitia ad gaudium: hinc vero (b) redimimur de morte ad vitam, & pretio salutis nostræ interius saginamur. De quibus duobus David cecinerat in mysterio, quod *panis confirmat cor hominis, & vinum lætificat*, utique lætitia spiritali. Propter quod in eadem substantia jure celebratur hoc mysterium salutis, quia Christus panis est qui de cœlo descendit, & vinum, quo lætificantur corda credentium. De quo nimirum Joseph meridie, qua hora Christus passus est, inebriatus legitur mystice cum fratribus suis. Unde & nos, si adhuc aquam tantum non sapimus, intus inebriamur, & gaudemus de bonis Domini super frumento, vino & oleo, quo perfusi sumus lætitia æterna, & gaudio exultationis in Domino.

Credentes Christi vinea & vindemia. Nos enim non solum vinea Domini, sed & vindemia ejus sumus. De qua nimirum vinea Christus in Canticis: *Vindemiavi*, inquit, *mirrham cum unguentis meis: manducavi panem meum cum melle meo, & bibi vinum cum lacte meo:* (Cant. 5. 1.) sed non (c) prius panis comeditur, quam myrrha in nobis mortificationis turgescat, & unguentum boni odoris naribus respergatur. Tunc itaque panem cum melle, quod de petra, quæ Christus est, fluxit, comedimus, (d) [cum in ipso credimus duas naturas, divinam & humanam:] tunc utique vinum suavitatis cum lacte bibimus, [cum per sacram doctrinam intelligimus vinum sanguinem ejus esse.] Propter quod, quia in istis duobus hæc mystica tegebantur; rectum fuit ut in his divinum fieret sacramentum, quatenus totum spiritaliter intelligere mens satageret, ubi nihil carnale sentire licet; unde (e) idem panis Christus, qui de cœlo descendit, in hoc mysterio accipitur, sicut & caro quæ in cruce pependit, cum integer deinceps Christus perseveret, licet ab omnibus quotidie edatur, & fit panis quidem ad vitam & firmitatem animi, caro vero ad unitatem naturæ nostræ & redemtionis pretium. Unde ipse ait: *Caro mea est pro mundi vita, & sanguis vere qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* (Joh. 6. 62. Can. Miss.) Hinc sane est quod sapientia Dei Patris maluit hoc mysterium in speciem panis ac vini permanere, quam in colorem ac saporem carnis & sanguinis demutari, quia nec hoc est jam quod videtur, nec fieret illud amplius ut esset caro & sanguis, quam ut percipitur. Nos enim in eo illum panem qui de cœlo descendit comedimus, & ideo dicitur: *comedi* * *panem cum melle meo*, (Cant. 5. 1. * al. favum.) quod in illo divinitatis dulcedo & humanitas (f) prædicatur; idcirco sicut in isto (g) saporem panis aut colorem non (h) attendimus; ita quoque si mutaretur in carnem, nihil amplius caro Christi esset quam est, quia totum spiritale est quod comedimus, immo durius esset contra consuetudinem humanam, licet carnem salutis, tamen carnem hominis Christi in speciem & colorem ipsius mutatam, & vinum in cruorem conversum, accipere. Unde & illi adhuc rudes discipuli carnaliter sapientes, dicebant: *Durus est hic sermo*, cum diceret: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis manentem*, (Joh. 6. 61. Ibid. 54.) & non poterant sustinere; utique quia carnaliter ea intelligebant. Sic itaque & ille carnaliter sapit, qui ideo non credit carnem Christi esse & sanguinem, quia speciem & colorem exterius non mutavit. Unde orandum (i) ut ipse per se Christus veniat, & comedat panem cum melle suo in nobis, & vinum cum lacte bibat, quia nisi Christus Deus & homo vere intelligatur, & vinum sanguis (k) ejus cum lacte doctrinæ admisceatur, non potest infirma (l) mens capere lucem veritatis & mysterium, vel quod divinum est agnoscere. Ubi mira unitas in hoc, sicuti & in aliis quibuslibet locis, Christi & ecclesiæ declaratur, dum quod nos in illo gerimus, & ille in nobis agere monstratur. (m) Nam dum nos recte panem cum melle comedimus, & vinum calicis cum lacte potamus, tunc & ipse ea se in nobis sumere testatur, quia per hoc nos in suum corpus trajicit, & unum in illo efficimur.

2. Pro talibus igitur & hujuscemodi negotiis, fili carissime, provide sane in pane & vino, sine ulla decoloratione substantiæ, hoc mysterium interius vi & potestate divina peragitur, ut & virtus fidei eniteat in intellectu, & doctrina fluat hinc inde in operatione (n) sacramenti, & veritas resplendeat in præfiguratione mysterii. Nam Mel-

(a) Ita omnes pene mss. editi *Portate Deum.*
[b] Flor. *redimus.*
(c) Mamer. & Ulim. cum ms. Majoris-mon. *sed prius panis comeditur.*
(d) *Desunt in editis verba in parenthesi posita.*
(e) Vatic. *Jure itaque panis Christus.*
(f) Octo mss. *Et humanitatis.*
[g] In cod. Majoris-mon. desideratur *in isto.*
(h) In duebus mss. expungitur *non.*
(i) In ms. Majoris-mon. expuncto *orandum*, sic legitur *Unde & ipse per se.*
(k) Septem mss. legunt, *Et vinum sanguinis ejus.*
(l) Duo mss. *firma mens.*
(m) Editi *monstrat*, sed omnes mss. legunt *monstratur.*
(n) Laud. *in operatione mysterii.*

chisedech prius in figura ista obtulerat panem & vinum. Ideo necesse fuit ut verus rex pacis & pontifex noster secundum ordinem illius eadem offerret, quatenus per hoc figurarum (a) veritas clarescerer, & qui esuriunt justitiam & sitiunt, duobus istis in via interdum satiarentur. Siquidem pane, qui pro omni cibo quamsæpe in scripturis ponitur, & cum omnibus escis congruere videtur, esuries temperaretur, potu vero sanguinis sitis quasi cœlesti rore madesceret, (b) & per hoc amplius homo ad justitiam refectus, (c) in fortitudine cibi cœlestis constantius (d) desudaret. Hoc quippe potu ac cibo Helias de manu angeli pastus, quadraginta diebus, per quos præsens sæculum designatur, in fortitudine usque ad montem Dei dicitur pervenisse. Ex quo patenter innuitur, quod cibus iste manibus angelicis defertur, (e) ac refertur, per quem nostra infirmitas divinitus relevatur, qui nonnisi solis amicis & fratribus porrigitur. Unde sponsus adhortatur in Canticis: *Comedite, amici, & bibite, & inebriamini, carissimi.* Quia profecto talis esca & potus numquam digne sine ebrietate Spiritus-sancti degustatur. Hinc quoque David ebrius gratanter in persona nostra canit: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quampræclarus est.* Præclarus utique, quia omni veritate (f) fulgore clarius resplendet, & luce Sancti Spiritus illustratur, ac per hoc fidelium inebriat mentes. Quo nimirum haustu illi ebrii erant hora diei tertia, super quos se idem Spiritus plenius diffuderat. Idcirco & nostra (g) accipientium præparanda sunt corda, ut tali epulo refecti, ad altiora in fortitudine transeamus. Nemo itaque digne accipit, nisi qui transit, unde & Pascha transitus appellatur. Pascha autem nostrum immolatus est Christus, ad quod qui vult venire, & videre hanc visionem, transeat & ipse cum Moyse, sicut & Christus transivit de hoc sæculo, ut totus jam spiritalis spiritalia ista quam (h) digne percipiat.

Panis in scripturis pro omni cibo.

Cant. 5. 1.

Nemine nisi Spiritu-sancto ebrii hanc escam digne sumere.

Ps. 22. 5.

CAPUT XI.

Cur in calice aqua misceatur. (i)

1. PLane aqua in sanguine quare misceatur, dum in natali calicis factum fuisse (k) non legimus, illa permaxima causa est, quia de latere Christi, ubi passio completur, sanguis pariter & aqua manavit; quod recte mysterium apostoli plene intelligentes, fiendum (l) in hoc calice censuerunt, ut nihil deesset nobis in hoc sacramento ad (m) commemorationem passionis, quod tunc extitit in cruce in consummationem nostræ redemptionis. Nam postquam emisit spiritum, veniens unus militum accepit lanceam, & aperuit latus ejus, unde quasi de vivo (n) fonte manavit sanguis & aqua; & hic est verus calix, quia veraciter passus pro (o) salute nostra, non minus sanguinem pretii, quam undam (p) baptismi fudit, & quod tunc de carne fluxit, hoc nunc credentes in calice bibunt. Caro quidem datur in cibum, sanguis & aqua vere in potum, ut quod simul de latere manavit, hoc totum noster homo his duobus renovatus bibat, ut si quam peccati maculam post fontem traxit, habeat in hoc undam (q) veniæ, qua diluatur (r) omnibus iniquitatibus suis, sanatis omnibus infirmitatibus suis, & pretium suæ redemtionis, quo unusquisque redemtus de die in diem rursus renovetur.

2. Sed & plures dixerunt aquam ideo admisceri debere, ut simul in Christi sanguine baptismus & pretium salutis fluat: non (s) jam quasi duæ res, sed una, sanguis videlicet fiat. Nam & sanguis in corpore ut crescat his duobus (t) pascitur. Ex quo patet quod satis provide ob dispensationem salutis nostræ, divina sapientia hoc simul de suo latere produxit, ut unde mulier, quæ deceperat priorem Adam, creata est, inde rursus ecclesia formetur, cujus Christus in cruce peccata tulit. Quo constat quia omnes in se levavit, (u) dum causas omnium pertulit in cruce. Idcirco ecclesia quæ in illo simul fuit, jure de latere dicitur manasse: quæ bene per aquam, sicut Cyprianus sanctissimus ait, designatur. Unde in Apocalypsi angelus aquas esse populos interpretatur; & ideo recte provisum est, quia (x) simul cum sanguine fluxit, ut in

(a) Manner. cum quatuor mss. *per hanc figuram.*
(b) Duo mss. *veritas hilaresceret.*
[c] al. *rectus.*
(d) Tres mss. *amplius desudaret.*
[e] Vatic. & Flor. *Defertur ad Deum & ad nos refertur.*
[f] Editi cum Flor. *veritate & fulgore*, sed *plures optimæ notæ.* mss. expuncto &, legunt *veritate fulgore.* Quatuor mss. *veritate fulgoris.*
(g) Vat. & Flor. *Id est accipientium.* Cod. reginæ Sueciæ *accipiendum* f. *ad accipiendum.*
[h] Editi *condigne* ac mss. decem *quam digne.*
(i) In recenti cod. S. Germani sic effertur hic titulus: *Ut quid aqua cum vino misceatur, dum in cœna factum non legitur.*

(k) Ulim. & Sirm. addunt: *A Christo.*
(l) Ulm. & Sirm. *faciendum.*
(m) Anic. *Ad commemorationem nostræ redemtionis* (omisso passionis) *quod tunc extitit in cruce in consummationem.* In cod. Majoris-mon. omittuntur hæc verba: *Quod tunc extitit in cruce in consummationem nostræ redemtionis.*
(n) Editi *de uno fonte.*
(o) Vatic. *propter peccata nostra.*
(p) Codex Maj. monast *quam unda baptismi.*
[q] Vatic. *unda veniam qua deleantur.*
(r) In editis & Flor. desiderantur hæc verba: *Omnibus iniquitatibus suis, & sanatur omnibus infirmitatibus suis.*
(s) Ulim. & Sirm. *Non jam duæ, sed una, sanguinis substantia videlicet, fiat*, repugnantibus mss. qui legunt: *Non jam quasi duæ res, sed una, sanguis videlicet fiat.* Seu ut habent Vatic. reg. unus & S. Audoëni, *Sanguis vel aqua videlicet fiat*, vel cum ms. Major. mon. *Sanguis & aqua fiat.*
[t] Ms. Maj. mon. *His omnibus pascitur.*
[u] Sirm. *Lavit.*
[x] Vatic. *quia simul aqua cum sanguine fluxit.*

hoc

hoc mysterio veri sanguinis admisceatur, quatenus & nos in illo simus, ut per hoc salutis sacramentum divinis obtutibus illi (a) coüniti mystice offeramur. Nam si vinum sine aqua offeratur, sanguis Christi incipit esse sine nobis: si autem aqua sola, jam plebs videtur esse sine Christo. Quando autem utrumque miscetur & conjungitur, tunc recte mysterium ecclesiæ spiritaliter perficitur. Nulli igitur liquores sic se coüniunt, (b) quomodo vinum & aqua: profecto quia illud ex aqua per vitem, sicut Christus ex carne per MARIAM nascitur; sed longe excellentius vinum quam aqua. (c) Quas denique aquas Dominum idcirco commutasse legimus, ut in sapientia nostra evacuata, vinum jocunditatis in nobis exuberaret. Hinc sponsa in Canticis: [Cant. 1. 4.] *Introduxit me rex in cellam vinariam, & ordinavit in me caritatem.* Ac deinde: *Exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum.* (d) Exultant ergo fideles dum se intelligunt ad tantam unitatem Christi sociatos per gratiam, & ad tantam flagrantiam caritatis provectos: & ideo quam bene in hoc mysterio nostra figura per aquam admittitur, ut unusquisque in illo Christi sanguine se susceptum intelligat, & in melius transmutatum. (e) Unde licet prius mystice vinum & aqua commisceantur, post consecrationem tamen nonnisi sanguis bibitur; quia in illo prius ex aqua baptismatis suscepti, (f) rursus eum esuriendo & sitiendo quotidie potamus. Nec dubium quin sub hoc mysterio illam bibimus aquam, de qua Dominus: *Qui biberit*, inquit, *aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* [Johan. 4. 14.] Propterea non inconvenienter etiam ob hoc ibidem aqua consecratur, non quod aqua permaneat, sed vertitur in sanguinem, ut significet quid fides percipiat. Nam tria sunt quæ testimonium dant, quod Christus est veritas, spiritus, sanguis & aqua, nimirum quia postquam emisit spiritum de fonte pectoris sui contra naturam manavit felix unda baptismi, & sanguis redemtionis, quibus nonnisi unum salutis opus mystice consecratur, ut corpus (g) & anima ac spiritus integer ad vitam in Christo servetur. Ubi nemo dubitat quod & caro nostra ex hoc reparetur ad vitam; quia (h) totus homo redimitur. Caro quidem carne pascitur spiritaliter, quia Verbum caro factum est; anima vero Christi sanguine reparatur. Omnis itaque anima, teste scriptura, in sanguine est, ut ubi habet in corpore sedem, & per quem ipsa, ut aiunt, vivificat corpus, inde a Christo & ipsa habeat vitam æternam in se manentem. (i) Sed quia spiritus noster atque anima una substantia est, licet spiritus aut mens dicatur ea pars quæ præeminet in homine, ex qua spiritalis interdum appellatur, dum præoccupaverit suis legibus totum hominem, & vivificatur a Deo: anima vero inferior ejus portio, qua corpus animatur, & homo animalis dicitur, animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Hac de causa in hoc sacramento forsitan aqua admittitur, ut tria hæc tribus istis sacrentur mystice rebus.

3. Constat igitur quia etsi tria prius ponuntur, nonnisi caro & sanguis postea recte creditur, dans indicium quod animalis homo totus debeat transire in spiritum & spiritalis fieri. Omnis namque anima in sanguine est. Quod typice dictum accipimus, quia omnis vita ejus ut beate vivat, (k) in Christi sanguine reparatur. Quam bene ergo in sanguine, quia per quem habet cognationem ad carnem, justum erat, ut per eum haberet regressum ad vitam, & ideo in via duobus istis dumtaxat pascimur & potamur, ut totus homo noster, qui duabus constat substantiis, integre reparetur. Hinc quoque David: *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* [Psal. 14, 3.] Sitivit ergo totus homo, ut de carne & anima transiret ad spiritum, quatenus spiritalis (l) totus in Deo esset; propter quod licet dixerim sanguinem ad animam pertinere, quodammodo simul & caro & anima recte sitiunt & potantur sanguine, sicut & pascuntur simul carne Christi: quia non carnaliter ista percipiuntur, sed spiritaliter. Sitit igitur anima talibus refrigerari, sitit & corpus. Comedit anima, (m) comedit autem & corpus, quia talis esca non minus pertinet ad animam quam & ad corpus, quibus usque ad finem vegetata (n) anima immortalis ad vitam transit, caro vero propter sententiam primi hominis ad terram redit: sed quia Christo corporata per lavacrum & immortalitatis alimoniam enutrita, semina vitæ percipit, numquam post finem sæculi in mortem detineri poterit, immo quod in capite præcessit, membris præstabitur.

(a) Mam. Ulm. & Flor. *illico uniti.*
(b) Flor. Remig. S. Audoëni & regius unus *sic se conveniunt.* Aniciensis & Colbert. unus *sic se commeniunt.* mss. Majoris-mon. *Sic sibi coüniunt.*
(c) Hic in Laub. cod. incipit CAP. XXX. *Cur Dominus aquam in vinum mutaverit.*
(d) Sirm. addit *super vinum* quod exsulat ab omnibus mss.
[e] In Laubiensi codice hic incipit CAP. XXXI. *Quod licet prius vinum & aqua commisceantur, post nisi sanguis bibatur.*
(f) Vatic. addit *Renovemur.*
[g] Mam. Ulim. Sirm. & Flor. *ut corpus nostrum.*
(h) Mam. Ulim. cum Laub. Puteano, duobus Colbert. & Germ. *qua totus homo.*
[i] In Laub. cod. incipit CAP. XXXII. *Quod spiritus noster atque anima una substantia sit.*
[k] Cod. Major-mon. *Christi sanguine* expuncto *in.*
[l] Laub. *Spiritualiter.*
(m) In edit. Sirm. deest *comedit anima.*
[n] Editi *Vegetati*, mss. *vegetata* utrumque deest in Vatic.

CAPUT XII.

[a] *(a) Utrum plus habeat hoc myſterium, quotiens a bono; an minus, ſi a malo conficiatur miniſtro.*

1. Vere credere & indubitanter ſcire debemus infra catholicam eccleſiam, ubi catholica fide hoc myſterium celebratur, nihil a bono majus, nihilque a malo minus percipi ſacerdote, nihilque aliud B quam caro Chriſti & ſanguis, dum catholice (b) conſecratur, quia non in merito (c) conſecrantis, ſed in verbo efficitur creatoris & virtute Spiritus-ſancti, ut caro Chriſti & ſanguis, non alia quam quæ de Spiritu-ſancto creata eſt, vera fide credatur, & ſpiritali intelligentia deguſtetur. Si enim in merito eſſet ſacerdotis, non ad Chriſtum pertineret: nunc autem ſicut ipſe eſt qui baptizat, ita ipſe eſt qui per Spiritum-ſanctum hanc ſuam efficit carnem, & transfundit vinum (d) in ſanguinem. Quis enim C alius in utero creare potuerit, ut Verbum caro fieret? Sic itaque in hoc myſterio credendum eſt, quod eadem virtute Spiritus-ſancti per Verbum Chriſti caro ipſius & ſanguis efficiatur inviſibili operatione. (e) Unde & ſacerdos: *Jube hæc perferri per manus angeli tui in ſublime altare tuum in conſpectu divinæ majeſtatis tuæ*: ut quid perferri (f) illuc ea depoſcit, niſi ut intelligatur quod in ejus ſacerdotio iſta fiant. Ipſe enim factus eſt pontifex in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, teſte apoſtolo, ad interpellandum pro nobis, offerens D ſemetipſum Deo Patri. Ad hoc quippe ſemel introivit in ſancta, non in ſanguine alieno, ſed proprio ſanguine; unde non ab alio recte percipitur, quod proprium ejus eſt, ſed ab ipſo ſummo pontifice; neque ab alio caro ejus creatur & ſanguis, niſi a quo creata eſt in utero Virginis, ut Verbum caro fieret. (g) Verbo enim Patris dictum eſt: *Creſcite & multiplicamini*; & ecce adhuc hodie ex eo cuncta creantur animantia, non (h) nova, ſed ex eodem ſemine. Ita

[b] [c] Chriſtus baptizat & conſecrat per Spiritum-ſanctum. [d] [e] Can. Miſſ. [f] [g] Gen. 1. 22. [h]

A & caro Chriſti eodem verbo fit caro, quia *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Unde ſi ex illa benedictione tanta manat multitudo, quid putas (i) ex carne Chriſti? numquid inefficax (k) eſt ex ſe, qui tanta fecit ex nihilo? & ſicut (l) panes auxit quantitate ſubſtantiæ quam natura (m) non dederat, numquid impotens eſt facere ex aliquo, quod ſine ſemine in utero (n) creaverat. Pullulat ergo illa ubertas carnis Chriſti, & manet integer Chriſtus, (o) quia natura manente integra, etiam in creaturis, ad juſſum ejus cuncta exuberant.

2. Propterea licet ſemel dixerit: *Germinet terra herbam virentem*, adhuc hodie ex eo, quæ per ſingulos naſcuntur annos omnia creantur: ſic itaque & in eo quod ſemel (p) voluit, & deinceps carnem & ſanguinem in hac commemoratione juſſit eſſe, fit quod jubetur; (q) quæ ſi quis non credit, impio deterior eſt; quia ille quod non didicit, approbare non poteſt: iſte quod in multis cognovit contra naturam fieri, etiam in carne Chriſti non credit. Propter quod, homo, ſi attendis ſacerdotem, attende Chriſtum Verbum Patris quod caro eſt, & quod ſemel factum eſt, quotidie fieri in myſterio (r) non dubites, dum per hoc caro & ſanguis cibus noſter efficitur (s) æternus: ad hoc quippe, ut & nos ſimus ejus corpus: unde ſacerdos non ex ſe dicit, quod ipſe creator corporis & ſanguinis eſſe poſſit, quia ſi hoc poſſet, quod abſurdum eſt, creator creatoris fieret, ſed obſecrat (t) per Filium Patrem, per quem ad eum acceſſum habemus. Rogamus (u) autem hanc *oblationem benedictam*, per quam nos benedicamur; *aſcriptam*, per quam nos omnes in cœlo conſcribamur; *ratam*, (x) per quam in viſceribus Chriſti cenſeamur; *rationabilem*, per quam a beſtiali ſenſu exuamur, *acceptabilemque facere* dignetur: (y) quatenus & nos per hoc quia (z) nobis diſplicuimus, acceptabiles in ejus unico filio ſimus: *Ut nobis*, inquit, *fiat corpus & ſanguis dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri* Jesu Christi.

Joh. 1. 14. [i] [k] [l] [m] [n] [o] Gen. 1. 11. [p] [q] [r] [s] [t] [u] Can. Miſſ. [x] [y] [z]

[a] Editi cum Flor. Anic. & cod. Majoris-mon. ita hunc titulum exprimunt *Utrum plus aliquid habeat hoc myſterium, quoties a bono, an minus quippiam quam veritas repromittit, ſi a malo conficiatur miniſtro.* In Laub. vero ita: Cap. XXXIII. *Vere credendum, quod in catholica eccleſia nihil majus a bono, nihilominus a malo recipitur ſacerdote.* In recenti vero mſ. S. Germ. *Quod non in merito ſacerdotis, hoc myſterium conſecratur, & nullus magis vel minus percipit ſacerdote qui miniſtrat.*

(b) Ulim. & Sirm. *dum catholice celebratur, conſecretur.* Sed ab omnibus mſſ. exſulat *celebratur.*

(c) Vatic. *ſacerdotis celebrantis.*

(d) Ita cod. Vatic. ſed a ceteris mſſ. deeſt *vinum.*

(e) Ita cod. Laub. hic incipit Cap. XXXIV. *Ut quidem perferri in ſublime altari rogatur.*

(f) Editi cum aliquot mſſ. *perferenda* mſ. Major. mon. *Ut quid in ſublime perferenda.*

[g] In cod. Laub. incipit Cap. XXXV. *Quando non inefficax ſit ex ſe facere quod vult, qui cuncta fecit ex nihilo.*

(h) Mam. *non novo.*

(i) Cod. reg. Suec. *Quid putas quanta ex carne Chriſti?*

(k) Tres mſſ. *inefficax eſt exſequi.*

[l] Duo mſſ. *Et ſi panes auxit.* Editi addunt *Ex nihilo* quod mſſ. omnes expungunt.

(m) Editi Sirm. *quam natura non dederat* at mſſ. omnes *quam natura non dederat*, & quidem ut nobis videtur melius.

(n) Vatic. addit *Virginis.*

(o) Vatic. *quia natura manente integra & gratia etiam in creaturis ad uſum.*

(p) Cod. Major. mon. *Quod ſemper voluit.*

(q) Hic cod. Laub. incipit Cap. XXXVI. *Quod qui non credit, impio deterior eſt.*

(r) In editis deeſt *in myſterio.*

(s) Ita mſſ. in editis deſideratur *æternus.*

(t) Editi *obſecrans.*

(u) Editi *Rogamus hanc oblationem, inquit, benedictam.* repugnant mſſ. qui apponunt *autem* & expugunt *inquit.*

(x) Anicienſis addit: *Ideſt judicatam & ſolidatam.*

(y) Duo mſſ. *digneris.*

(z) Editi *in nobis.*

3. Ecce quid fides instituit, ecce quid Christus indulsit, ut nobis sit corpus & sanguis, quatenus per hoc nos in corpus Christi quotidie transferamur. Prius autem quam Christi (a) corpus consecratione fiat, oblatio sacerdotis est, sicut ipse confitetur, vel cunctæ familiæ offerentium eam, sed in verbo & virtute Spiritus-sancti nova fit creatura in corpore creatoris ad nostræ reparationis (b) salutem. Unde juxta sublimis aram altaris semper assistere, scriptura teste, probatur, ut ex ejus immolatione corpus & sanguinem percipiamus. Ceterum sacerdos quia vices Christi visibili specie inter Deum & populum agere videtur, infert per manus angeli vota populi ad Deum & refert. Vota quidem offert & munera; refert autem impetrata per corpus & sanguinem, & distribuit singulis non quantum visus exterior præbet, sed quantum fides capit. (c) Ubi licet sacerdos in conscientia malus esse convincatur, non suum est quod offert, sed omnium preces & vota per omnem canonis textum commendat. Nam & finis orationis (d) cunctorum vocibus confirmatur, ubi omnes *Amen* voce consona dicunt. Idcirco non unius est (e) quod pro multis offertur, & multorum precibus confirmatur. Nam & Dominus ait: *Quod pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* (Matt. 26. 28.) Si enim (f) pro se tantum esset, ejus merita Deus forsitan (g) attenderet. (h) nunc autem licet leprosus sit qui offert, munda sunt quæ hauriuntur, quia caro & sanguis Salvatoris nullius immunditia sordidatur: (i) ex officio ergo sacerdotis ista & non ex merito præstantur. Idcirco licet (k) reus sit, officium ministerii (l) sacrum est, & gradus sacerdotii a summo pontifice Christo compensatur, ut nihil minus carnis & sanguinis habeat hoc mysterium a quovis indigno; (m) tamen apostolicæ propaginis consecratio exhibeatur. (n) Sacramentum enim consecrandi est, quod habet is qui ordinatur, quia non ex eo, sed ex officio & a summo pontifice gratia quam ipsa Veritas repromisit, impletur, ut in nullo sacerdotium ejus & pontificatus officium, alicujus merito minoretur. (o) Virtus enim consecrandi est in eo, quod habet is qui ordinatur. Et ideo revertentes, qui baptizati sunt prius, sicut non rebaptizantur: ita utique qui prius ordinati sunt, rursus non reordinantur ad unitatem catholicam, si recesserint, redeuntes. Sed aut ministrant, si hoc ecclesiæ utilitas postulat, aut si non, sacramentum tamen ordinationis suæ gerunt, & ideo eis manus inter (p) laïcos non imponitur. Manet igitur in eis sacramenti virtus sibi inutiliter, etiam rei dum consecrant, (q) satis tamen utilis potestas & ordinatio consecrandi, illis, qui (r) gratiam perceptæ benedictionis & administrationis fide, spe & caritate communicant. (s) neque perverso ad salutem proficiunt hæc vitæ sacramenta de cœlesti fonte manantia; quoniam nulla participatio justitiæ cum iniquitate, sicut nec lucis cum tenebris. (t) Tamen (u) tales licet oderint, adulteri sint & homicidæ, & ex parte diaboli plura admiserint, dum falce evangelica necdum præcisi sacrificant, non cogitandum qui & quales sint, sed quid dent, vel (x) quid accipiat is qui cum fide communicatur; neque quis habeat virtutem consecrandi, sed (y) quid habeat. Nam sicut nomine Christi, ipso teste, etiam a membris diaboli dæmonia pelluntur, & virtutes ab eis plurimæ operantur; ita ejusdem virtute in sacramento a malis corpus & sanguis conficitur, licet dictum sit, quod Deus peccatores non audiat, quia & super aquam baptismi, & super oleum, & super eucharistiam, & super capita eorum quibus manus imponitur in sacramento, hæc omnia in sacramento per (z) angelos celebrantur & fiunt. Idcirco va-

(a) In editis deest *Christi*, quod retinent mss. pene omnes.

(b) Cod. Maj. mon. *ad nostræ redemtionis*.

[c] In cod. Laub. hic incipit Cap. LIII. *Quod licet sacerdos in conscientia malus esse convincatur, non suum est quod offert, sed preces & vota per omnem canonis textum commendat.*

(d) Id est canonis, cujus finem tempore Paschasii Radberti faciebat oratio *Libera nos*, quæ Dominicam sequebatur. Ejus conclusionem celebrans sacerdos alta voce pronunciat sive decantat, ut omnes consona voce respondeant, *Amen*. Nam quæ præcedunt submissa voce dicebantur.

(e) Vatic. regius unus, & S. Audoëni *Non unius est oblatio* Laud. *non unius est, quod pro multis effunditur.*

(f) Cod. S. Audoëni & unus regius: *Si enim unius tantum esset.*

(g) Ita octo mss. Sirm. legit: *non attenderet.*

(h) Hic in cod. Laub. incipit Cap. LIV. *Quod licet leprosus sit qui munda præbet, munda sunt sæpe quæ accipiuntur, quia non caro & sanguis est leprosi, sed Christi, quæ nullius valet immunditia sordidari.*

(i) Ita sex mss. Editi *sordidantur.*

(k) Unus cod. regius: *Licet sacerdos reus sit.*

(l) Vatic. *mysterii.*

(m) Flor. *A quovis indigno exhibeatur*, omissis his verbis: *Tamen apostolicæ propaginis consecratio.* Mam. *A quovis indigno quam apostolica propagine consecrata.* Vatic. vero sic legit hoc membrum: *Si tamen apostolicæ propaginis institutione consecratio exhibeatur.*

(n) Apud Mam. & Ulim. & in codd. Puteano, Major. mon. Laub. S. Remigii, Colbertino uno, & Germ. uno desiderantur hæc verba: *Sacramentum enim consecrandi est quod habet is qui ordinatur.*

(o) Hic in cod. Laub. incipit Cap. LV. *Quod virtus consecrandi sit in eo quod habet ille qui est ordinatus, id est in sacerdotio. Et ideo non reordinantur hæretici, etiam sacerdotes vel criminosi quique depositi: quia sicut non nisi unum baptisma, ita non nisi unum sacerdotium, quod nonquidem perdiderunt, sed non ministrandi interdictum, & officium pœnitendi sumserunt.*

[p] Sirm. *Et ideo eis manus inter laïcos imponitur.* repugnantibus mss. qui omnes cum negativa legunt. *Et ideo eis manus inter laïcos non imponitur.*

(q) Flor. & Laub. *consecrantur.*

(r) Quinque mss. *qui per gratiam.*

(s) In cod. Laub. hic incipit Cap. LVI. *Quod perverso magis noceant hæc sacramenta quam prosint.*

(t) In cod. Laub. hic incipit Cap. LVII. *Quod licet adulteri & homicidæ sint sacerdotes, tamen si legaliter non deponantur; non cogitandum quid sint, sed quid dant.*

(u) In duobus reginæ Suec. & duobus regiis mss. omisso *tales licet oderint*, legitur: *Tamen licet hodie sint adulteri.*

(x) Laub. *Vel quid accipiant ab his qui cum fide communicant.* Cod. Major. mon. *sed quid accipit*, omisso *quid dent vel.*

(y) Quatuor mss. *sed a quo habeat.*

[z] Editi omittunt, *Per angelos.*

lent etiam & per homicidas, eo quod etsi non habeant Spiritum-sanctum, Deus est qui dat per ministerium eorum eumdem Spiritum-sanctum, (*a*) & consecrat ex officio munus suæ largitatis: alioquin angustior est gratia Christi, quam fraus & calliditas diaboli. Si enim hortus ille deliciarum clausus potuit habere spinas adversarii, multo magis extra & in eos qui membra non sunt Christi, profecto emanat fons ipsius gratiæ.

4. Non igitur evacuatur quod ubique pollet, neque alterius esse potest, quod proprium Dei est, quia etsi sunt qui dicant hæc sui meriti esse, & fornicantur a Deo, nequaquam illa exhonoranda sunt divini juris sacramenta, ut eorum illa esse putentur, cum Dominus sub specie meretricis synagogæ: *Protulisti*, inquit, *de auro meo & argento meo, & fecisti tibi imagines masculinas, & fornicata es in eis.* (Ezech. 16. 17) Deinde ait: *Accepisti vestimenta mea* (*b*) *versicoloria, & operuisti idola tua. Oleum quoque meum & incensum meum posuisti ante faciem idolorum.* (*c*) *Nam & panes meos quos dedi tibi, & similaginem,* (*d*) *post quæ melle & oleo cibavi te.* Profecto quia etsi carnalis anima convertit ad imaginem phantasmatum suorum omnia sacramenta & verba sacri eloquii: tamen non sua hæc sunt, neque amatorum suorum, sed Dei, licet habeat fornicationem suam seducta vel seducens. Unde & Dominus sua hæc esse protestatur, & ideo non debemus ipsis tribuere quæ Dei sunt, neque quasi (*e*) noxia reprobare, immo quamvis apud fornicariam mulierem dona viri legitimi recognoscere, & verbo veritatis illam fornicationem corrigere si valemus, quæ propria est impudicæ mulieris, non illa dona culpare quæ propria sunt Domini miserantis, quia etsi sacramentum gratiæ dat Deus etiam per malos, ipsam vero gratiam nonnisi per seipsum, in qua (*f*) est remissio (*g*) peccatorum, quam tribuit interdum etiam & per sanctos suos. Unde nihil majus aut minus est a quolibet (*h*) ministro, etsi adhuc in tenebris sit, dum & sacramentum præstatur ex officio & gratia, ex participatione & unitate columbæ, in qua fluit fons vitæ, & manat remissio peccatorum, cujus sacerdos Christus & pontifex in æternum expiat, & offert seipsum pro nobis quotidie ante conspectum divinæ majestatis.

CAPUT XIII. (*i*)

Ut (k) *quid hæc colorem aut saporem in sacramento minime permutant.*

1. Quod (*l*) vero colorem aut saporem carnis minime præbet, virtus tamen fidei & intelligentiæ, quæ nihil de Christo dubitat, totum illud spiritaliter sapit & degustat; quia, ut dixi, qui verbo cuncta creavit, hæc verbo una cum Spiritu-sancto cooperatur, & ideo nihil dubitandum, ubi Deus Trinitas jure opifex creditur. Nihil (*m*) enim in eo deest, ubi efficax virtus ejusdem rei sentitur, ubi & plena similitudo exterius (*n*) & vera virtus Agni atque caro ejus immaculata interius voratur. Nihil enim rationabilius, ut quia nos jam similitudinem mortis ejus in baptismo accepimus, similitudinem quoque carnis ejus sumamus, (*o*) & similitudinem pretiosi sanguinis potemus, ita ut veritas non desit in sacramento, & ridiculum nullum fiat paganis, quod cruorem occisi hominis bibamus. Avidius enim requiritur quod latet, & pretiosius est, quod cum fide quæritur. Ideo quoque sic debuit hoc mysterium temperari, ut & arcana secretorum celarentur (*p*) infidis, & meritum (*q*) cresceret de virtute fidei, & nihil deesset interius vere credentibus promissæ (*r*) veritatis.

[m] Christi carnem veram & immaculatam in hoc sacramento sumi.

2. Insuper & quod majus est, per hæc secretius præstita, ad illam tenderent speciem satietatis, ubi jam non pro peccatis nostris quotidie Christus immolabitur, sed satietate manifestationis ejus sine ulla corruptione omnes sine fine fruemur: alioquin quomodo (*s*) ferrent hæc adhuc increduli, si jam discipuli olim ista sono vocis audientes ferre nequiverunt. Nam cum Salvator diceret: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, &c.* (Joh. 6. 57.) Tum

[*a*] Laub. *Ecce tamen ex officio quo funguntur, munus suæ largitatis divina exhibet misericordia.* Vatic. cum altero mſ. *Non deest tamen, qui dat per ministerium eorum eumdem spiritus.*

[*b*] Al. *diversi coloris.* Laub. cum tribus aliis mſſ. *diversicoloria.* Flor. *versicoloris.*

[*c*] Editi addunt, *Tuorum.*

(*d*) Al. addit *obtulisti.*

[*e*] Ita Laub. cum tribus aliis mſſ. Editi legunt *quasi non cognita.* Put. vero Vatic. Laudun. Maj. mon. S. Audoëni, regius unus, Colbert. unus, Colon. Fratrum Præd. *quasi non agenda.*

[*f*] Al. *in quo.*

[*g*] Al. *omnium peccatorum.*

(*h*) Editi *a quolibet in ministerio*, octo mſſ. *a quolibet in mysterio.*

[*i*] Cod. Laub. Cap. LVIII.

(k) Reginæ Succ. duo codd. & duo regii capitis hujus titulum ita offerunt: *Cur colorem aut saporem hac sacramenta minime permutant*, apud Mamer. *De colore & sapore carnis & de cruore hominis occisi.* Apud Ulm. vero: *Tamen si nihil hujusmodi oculis carnalibus appareat, virtute tamen fidei hac veraciter sumi.*

(*l*) Vatic. & Flor. *Quamvis enim colorem.*

(*m*) Cod. Maj. mon. *nihil enim in eo est.* Cod. reginæ Succiæ unus & duo regii: *Nihil enim incredibile in eodem est.* Mam. & Ulim. *Nihil in eodem est dubium.*

(*n*) In mſ. Puteano & quatuor aliis mſſ. desiderantur hæc verba: *Et vera virtus Agni, atque caro ejus immaculata interius.*

(*o*) Mam. & Ulm. cum Puteano, Major. mon. duobus Colb. & duobus regiis: *Et similitudine pretiosi sanguinis potemur.*

(*p*) Anic. *Celarentur in perfidis.*

(*q*) Duo miſſ. *Et meritum cresceret, ut nihil deesset interius promissa veritatis.*

(*r*) Duo mſſ. *virtutis.*

(*s*) Laub. *Quomodo ferrent homines ad hac adhuc increduli.*

inquiunt,

Ibid. 61. inquiunt, *durus est hic sermo, & quis poterit sustinere eum?* quanto magis (*a*) inscii & perfidi ista durius ferrent, & culparent Christianos fore immundissimos, quod carnem hominis comederent & potarent sanguinem; ac per hoc fieret exsecrabile, quod per fidem debemus credere esse desiderabile, etiam (*b*) per intelligentiam non carnaliter, sed spiritaliter degustare. Per fidem enim ambulamus, & non per speciem. Quod si carnis species in his visibilis appareret, jam non fides esset aut mysterium, (*c*) sed fieret miraculum; quo aut fides nobis daretur, aut (*d*) a perfidis execratio communicantibus importunior grassaretur. Hæc igitur credentibus etiam (*e*) fidelibus data sunt, signa vero & miracula, ut fidem percipiant, non credentibus. Unde oportuit ista non permutari, & credentibus, de his nihil saltem ad modicum dubitare.

Non ratio sed fides corpus Christi veraciter sumit.

CAPUT XIV. (*f*)

Quod hæc sæpe visibili specie apparuerint. (*g*)

1. Nemo qui sanctorum vitas & exempla legerit, potest ignorare, quod sæpe hæc mystica corporis & sanguinis sacramenta, aut propter dubios, aut certe propter ardentius amantes Christum, visibili specie in agni formam, aut in carnis & sanguinis colorem monstrata sint, quatenus de se Christus clementer adhuc non credentibus fidem faceret, ita ut dum oblata frangeretur vel offerretur hostia, videretur agnus in manibus & cruor in calice, quasi ex immolatione profluere, ut quod latebat in mysterio, patesceret adhuc dubitantibus in miraculo. Fecit enim hoc pietas divina quibusdam jam credentibus, & tamen adhuc dubitantibus, ut & ipsi fiduciam de veritate perciperent, & alii de miraculo ad fidem solidarentur; nosque (*h*) Christi gratia per eamdem fidem uberius participaremus. Nam quæ Veritas (*i*) repromisit, sine aspectu credenda sunt. Sed quia duricordes (k) sumus, voluit diuina mansuetudo, in quibusdam omnibus satisfacere, ut (*l*) ulterius de his jam nemo dubitet. Porro quod si nec ostensa creduntur, nec ea quæ Veritas testatur, ex fide communicantur; quærat quilibet ob satisfactionem sui, quid expectet, quoniam nihil extra veritatem est, & quidquid veritas habet, hoc (*m*) ostensio per speciem, quando placuerit, repræsentat. Unde credere oportet, quod & hæc opportunissime ostensa sint, & nihil dubitare de his quæ Veritas repromittit, quia quisquis extra veritatem aliquid quærit, nonnisi falsitatem inveniet, & semetipsum, si quæ a (*n*) Christo dicta sunt non receperit, extra veritatem secludit. Quod autem dixi sæpe (*o*) quibusdam visibile specie apparuisse, pauca (*p*) de pluribus pandam.

2. Beato igitur Basilio divina mysteria publice agente, Hebræus quidam se sicut Christianus populo commiscuit, officii ministerium & muneris (*q*) explorare volens, vidit infantem partiri in manibus Basilii, & communicantibus omnibus, venit & ipse, dataque est ei vere caro facta. Inde accessit ad calicem sanguine repletum, ut vere est, & ipsius factus est particeps, atque de utrisque servans reliquias, abiensque in domum suam, ostendit uxori suæ ad confirmationem dictorum, & narravit quæ propriis oculis viderat. Credens (*r*) ergo ait: Vere quia horribile (*s*) & admirabile est Christianorum mysterium. In crastino venit ad Basilium, postulans se sine dilatione accipere quod in Christo est signaculum. Basilius autem sanctus non differens, sed consuetam eucharistiam volenti (*t*) omnes salvare offerens, baptizavit eum cum omni domo sua credentem Domino.

3. Sed & illud ex vita B. Gregorii addendum. Cum matrona quædam nobilis singulis diebus Dominicis oblationes (*u*) facere consuevisset more ecclesiastico atque offerre, quadam die cum ad communionem sanctam inter alias venisset, ut corpus Christi acciperet; illi autem beatus pontifex offam (*x*) Dominici corporis porrexit, dicens: *Corpus Domini nostri* Jesu Christi *prosit tibi in remissionem omnium peccatorum*; continuo subrisit: quod vir Dei videns, ab ea communionem sacram retraxit, & super altare posuit, donec explicito ministerio sacro, interrogavit eam cur riserit. At

(*a*) Editi: *Quanto magis adhuc inscii*: sed illud *adhuc*, ut non necessarium, exsulat a plerisque mss.

(*b*) Editi cum aliquot Mss. *& jam.* at Laub. tres S. Germani & Martin. *etiam*, unus S. Germ. *& per*, omisso *jam* atque ita Flor.

(*c*) Maj. mon. *Sed fieret mysterium miraculum.*

(*d*) In septem mss. *aut perfidis* expuncto *a*. Vatic. vero hunc locum sic legit *aut perfidis execratiō contemnentibus.*

(*e*) Editi, *Et jam.*

(*f*) In cod. Laub. Cap. LIX.

(*g*) Quatuor mss. addunt: *Et de exemplis eorum qui viderint.*

(*h*) Ita novem mss. Editi: *Et de Christi gratia per eamdem fidem participarentur.*

(*i*) Quatuor mss. *namque veritas testatur & repromisit.*

[k] Ita melioris notæ mss. Editi *duri corde.*

(*l*) Editi *ut alterius* mendose & repugnantibus omnibus mss. qui legunt, *Ut ulterius.*

[*m*] Plures mss. *hac ostensio.*

(*n*) Cod. Colb. *de Christo.*

[*o*] Editio Sirm. *Sæpe quibusdam ardentius Christum amantibus visibili specie apparuisse.* At mss. perplures: *Sæpe quibusdam visibili specie apparuisse.* Laub. vero, Vatic. Laud. Remensis, S. Remigii, Turon. Maj. mon. Rothom. S. Audoëni, regius unus: *Amantibus hæc præmonstrata fuisse.* Flor. cum Mam. & Ulim. *Sæpe quibusdam Christum amantibus præmonstrata fuisse.*

(*p*) Sex mss. hi nimirum qui omittunt ea quæ de SS. Basilio & Gregorio sequuntur: *unum e pluribus.*

[*q*] In uno cod. S. Germ. *muneris divini gratiam explorare volens.*

[*r*] Editi *credens ergo ut vere*, at melius mss. *credens ergo ait; vere*, &c.

[*s*] Unus Colb. *Terribile.*

[*t*] Ita omnes mss. Editi: *Volens omnes salvare.*

[*u*] Editi *oblationem* mss. omnes *oblationes.*

[*x*] Anic. *particulam & offam.*

illa: Recognovi, inquit, portiunculam oblationis meæ fuisse, quam corpus Domini te appellasse audivi, & ideo risi. Tunc sanctus vir Gregorius loquens ad populum, exhortatus est eos Deum exorare precibus ad corroborandam fidem mulieris, ut visibili se (a) specie Dominus demonstraret, quod oculis mentis illa credere non valebat. Quod cum oratum fuisset, surgens una cum populo, mox cernentibus cunctis pallam revolvit altaris, contuente etiam illa, invenit partem quam posuerat in modum digiti auricularis sanguine (b) superfusam. Tunc mulieri sacerdos inquit: Disce verum esse quod Veritas ait, quia panis quem nos offerimus, vere est corpus Christi, juxta ipsius vocem, & sanguis vere est potus. Crede jam tandem, quod aliud esse non potest, nisi quod divina majestas voluit. Deinde sacerdos Christi continuo precibus egit, ut eadem caro & sanguis pristinam reciperet formam; sicque factum est, ut omnes glorificarent Deum, & infidelitas pelleretur feminæ, sacroque sancta (c) communicata mysterio sanaretur.

4. (d) Abbas autem Arsenius tantæ sanctitatis & compunctionis gratia dicitur repletus fuisse, ut pro nimia lacrymarum exuberatione, pannum ad tergendum faciem semper in sinu deferret. Hic etiam sæpissime narrabat de quodam sene Scithi habitante, qui erat magnus in activa vita, simplex autem in fide, & errabat pro eo quod erat idiota, & dicebat non esse naturale * corpus Christi panem istum quem sumimus, sed figuram ejus esse. Hunc autem duo senes audientes quod diceret hunc sermonem, scientes quia magna esset vita ejus & conversatio, cogitaverunt quia innocenter & simpliciter diceret hoc. Et venerunt ad eum, & dicunt ei: Abba, sermonem audivimus cujusdam infidelis, qui dicit quia panem quem sumimus, non naturale corpus Christi, sed figura est ejus. Senex ait: Ego sum qui hoc dixi. Illi autem rogabant eum dicentes: Non sic teneas, abba, sed sicut ecclesia catholica tradidit. Nos autem credimus quia panis ipse corpus Christi est, & calix ipse est sanguis Christi secundum veritatem, & non secundum figuram. Sed sicut in principio pulverem de terra accepit, & plasmavit hominem ad imaginem suam, & nemo potest dicere quia non est imago Dei incomprehensibilis; ita & panis quem dicit quia corpus meum est, credimus quia secundum veritatem corpus est Christi. Senex autem ait eis: Nisi rem ipsam cognovero, non mihi satisfaciet petitio vestra. Illi autem dixerunt ad eum: Deprecemur Dominum hebdomada hac de mysterio hoc, & credimus, quia Dominus revelat nobis. Senex vero suscepit cum gaudio istum sermonem, & deprecabatur Deum dicens: Domine, tu cognoscis, quia non per malitiam incredulus sum in re hac; sed ne per ignorantiam errem, revela ergo mihi, Domine JESU CHRISTE, quod verum est; sed & illi senes abeuntes in cellas suas, rogabant & ipsi Deum in cellis suis dicentes: Domine JESU CHRISTE, revela seni mysterium hoc, ut credat, & non perdat laborem suum. Exaudivit illos Dominus, & hebdomada completa venerunt Dominico die in ecclesiam, & sederunt ipsi tres soli super sedile de sirpo, quod in modum fascis erat ligatum, medius horum sedebat senex ille. Aperti sunt autem intellectuales oculi eorum, & quando positi sunt panes in altare, videbatur illis tantummodo tribus tamquam puerulus jacens super altare, & cum extendisset presbyter manum, ut frangeret panem, descendit angelus Domini de cœlo habens cultrum in manu, & sacrificavit puerulum illum, sanguinem vero ejus excipiebat in calice. Cum autem presbyter frangeret in parvis partibus panem, etiam & angelus incidebat pueri membra per modicas partes. Cum ergo accessisset senex, ut acciperet sanctam communionem, data est ipsi soli caro sanguine cruentata. Quod cum vidisset, pertimuit, & exclamavit dicens: Credo, Domine, quia panis qui in altari ponitur, corpus tuum est, & calix tuus est sanguis, & statim facta est caro illa in manu ejus panis secundum mysterium, & sumsit illud in ore gratias agens Deo. Dixerunt autem ei senes: Deus scit humana natura quia non potest vesci carnibus crudis, & propterea transformavit corpus suum in panem, & sanguinem suum in vinum his qui illud fide suscipiunt, & egerunt gratias Deo de sene illo, quia non permisit Deus perire laborem ejus, & reversi sunt omnes cum gaudio in cellas suas.

5. (e) Nonnumquam vero ad votum desiderantibus Christum hæc præmonstrata leguntur, sicut illud in gestis Anglorum, quod quidam presbyter fuerit religiosus valde, *Plecgils* nomine, frequenter missarum solemnia celebrans ad corpus S. Niniæ (f) episcopi & confessoris, qui cum digno moderamine sanctam, Christo propitio, duceret vitam, cœpit omnipotentem Deum piis (g) pulsare precibus, ut sibi monstraret naturam corporis Christi atque sanguinis. Itaque non ex infidelitate, ut adsolet, sed ex pietate mentis ista petivit; fue-

* al. naturaliter.

[a] Ita codex Anic. alii mss. expungunt *se*.
(b) Al. *Sanguine superfuso*.
[c] Editi *sacroque sancto*.
(d) Quæ hic narrantur ex relatione abbatis Arsenii, in duobus continentur mss. reginæ Succiæ 1554. & regis Christianissimi 4070.
[e] Hic in cod. Laub. incipit CAP. LX. *Miraculi intimatio super idem sacrosanctum mysterium.*
[f] Editi *Nini* ms. Major. mon. *Nili*.
[g] In cod. Maj. mon. deest *Piis*.

rat enim a puero divinis legibus imbutus, & propter amorem superni regis olim patriæ fines & dulcia liquerat arva, ut Christi mysteria exul sedule disceret. Idcirco ejus amore magis succensus, quotidie pretiosa munera offerens, poscebat sibi præmonstrari quæ foret species latitans sub forma panis & vini; non quia de Christi corpore dubius esset, sed quia vel sic Christum cernere vellet, quem nemo mortalium jam super astra levatum, in terris (*a*) passim conspicere potest. Venerat ergo dies ut idem celebrans pie solemnia missarum more solito procubuit genibus: *Te deprecor*, inquit, *omnipotens, pande mihi exiguo in hoc mysterio naturam corporis Christi, ut mihi liceat eum prospicere præsentem corporeo visu, & formam pueri, quem olim sinus (b) matris tulit vagientem, nunc manibus contrectare*: qui dum talia precaretur, angelus de cœlo veniens affatur: Surge, inquit, propere; si Christum videre placet, adest præsens corporeo vestitus amictu, quem sacra puerpera gessit. Tunc venerabilis presbyter pavidus ab imo (*c*) vultum erigens, vidit (*d*) super aram Patris Filium puerum, quem Simeon infantem portare suis ulnis promeruerat. Cui angelus inquit, quia Christum videre placuit, quem prius sub specie panis verbis mysticis sacrare solebas, nunc oculis inspice, attrecta manibus. Tum sacerdos cœlesti munere fretus, quod mirum dictu est, ulnis trementibus puerum accepit, & pectus proprium Christi pectori junxit; deinde profusus in amplexum, dat oscula Deo, & suis labiis pressit pia labia Christi. Quibus ita exactis, præclara Dei Filii membra restituit in vertice altaris, & replevit cœlesti pabulo Christi mensam. Tum rursus (*e*) humo prostratus deprecatus est Deum, ut dignaretur ipse iterum verti in pristinam speciem; qua expleta oratione, surgens a terra, invenit corpus Christi in formam remeasse priorem, uti deprecatus fuerat: & mira omnipotentis Dei dispensatio! qui ob unius desiderium, ita se præbere dignatus est visibilem, & non in figuram agni, ut aliis quibusque (*f*) sub hoc mysterio, sed in formam pueri, quatenus & veritas patesceret in ostenso, & sacerdotis desiderium impleretur ex miraculo, nostraque fides firmaretur ex relatu. Verumtamen non prius idem communicasse pueri corpus & sanguinem legitur, quam rediret in prioris formæ speciem, ne absurdum videretur quod præsumserat, & fides uberius requiratur interius in eodem quod exterius visu conspexerat. Hæc (g) interim dixisse sufficiat de ostensione carnis Christi pro assertione veritatis.

6. Ceterum si quis ex eo non credit illud quod in evangelio prædicatur, prioribus, inquam, illis deterior videtur, qui sub unius speciei gustu; omnem saporem & omne delectamentum fide perceperant. Nec tamen illud tunc aliud monstratum, licet quidquid saporis & delectamenti est interius, sub uno eodemque colore totum manna præstiterit. Potior quippe virtus rerum est, quam species & fucatus (*h*) color, idcirco virtus magna (*i*) consideranda est, quam color seu sapor exterius; quia qui universis (k) virtutem naturæ dedit, hic (*l*) huic sacramento divinitus indulsit, ut sit caro & sanguis ipsius, ut quod caro & sanguis Christi ecclesiæ contulit, hoc totum sacramentum hujus mysterii compleat, & ad immortalitatem suos immaculatos clementer perducat. Carnales quoque & corruptibiles ad spiritalia & incorruptibilia (*m*) proficere faciat. Propterea ergo debuit spiritaliter celebrari, quatenus per (*n*) hoc de visibilibus ad invisibilia feramur, & quod adhuc latet, fide instantius requiramus. Nihilque dubitandum de specie, dum virtus Christi interius totum præstat ex mysterio, quidquid evangelium repromittit ex divinitatis oraculo.

CAPUT XV. (*o*)

Quibus verbis hoc mysterium conficitur.

1. NUlli dubium quod sicut quando in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti tertio mergimur in fonte, tunc utique baptizamur, non in virtute illius & potestate qui hæc dicit, sed in virtute Christi qui hoc præcepit, dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti*. Sic utique & hoc sacramentum non meritis, non verbis humanis, sed procul dubio divinis efficitur & consecratur mandatis. Creatur enim ibidem ex aliquo, non qualiscumque, sed nova salutis creatura, caro & sanguis Christi, veluti in baptismo homines (*p*) nova effi- Marc. ult.

[*a*] Anic. & Major. monast. cum Ulim. *In terris passum.* Mam. cum Puteano, Remig. uno S. Germani omittit *passim* sive *passum*.
(*b*) Vatic. *Virginis matris*.
[*c*] Al. *ab humo*.
(*d*) Cod. Vatic. hunc locum sic legit: *Super aram summi Patris unigenitum incarnatum* JESUM, *quem senex justus Simeon*, &c.
[*e*] Editi *prostratus homo*.
(*f*) Editi *quibusdam*.
(*g*) In codice Laub. hic incipit CAP. LXI. *Exemplum de manna*.
(*h*) Septem mss. *fuscatus color*.
[*i*] Editi *virtus magis consideranda*.
[*k*] Vatic. *universis rebus*. Flor. *universa virtutem natura dedit*.
(*l*) Ms. Maj. mon. *hoc huic*.
(*m*) Editi *perficit*, Flor. & ms. S. Audoëni *perficiat*. mss. octo. *perficere faciat*.
(*n*) In cod. Maj. mon. expunctum est, *Per hoc*.
[*o*] In cod. Laub. hic incipit CAP. LXII. cum hoc titulo: *Non dubitandum de specie dum virtus Christi totum interius præstat*. Apud Mam. Ulim. & in recenti cod. S. Germ.: *Quod hoc mysterium nullius meritis consecratur, nisi illius cujus nutu reguntur & sunt*.
(*p*) Sex mss. *homines efficiuntur novi & corpus Christi*.

Ambrosius. ciuntur creatura, & corpus Christi. Idcirco non æstimandum est quod alterius verbis, quod ullius (*a*) alterius meritis, quod potestate alicujus ista fiant, sed verbo creatoris, quo cuncta creata sunt visibilia & invisibilia: cujus ergo potentia creata sunt prius, ejus utique verbo ad melius recreantur, quia nemo creator alicujus (*b*) rei, aut recreator, nisi unus Deus catholice prædicatur. Propterea veniendum est ad verba Christi, & credendum quod in ejusdem verbis ista conficiuntur. Reliqua vero omnia quæ sacerdos dicit, aut clerus canit, (*c*) nihil aliud quam laudes & gratiarum actiones sunt, aut certe obsecrationes fidelium, postulationes, petitiones. Verba autem Christi sicut divina sunt, ita efficacia, (*d*) ut nihil aliud proveniat, quam quod jubent, quia æterna sunt. *Cœlum*, inquit, *& terra transient* (*e*), *verba autem mea non transibunt*, (Matt. 24. 35.) sed facient omnia ad quæ præmissa (*f*) sunt, quia Patris nonnisi unum & substantivum & consubstantiale ac sempiternum est Verbum. Unde sacerdos prius inter cetera etiam verba evangelistarum assumens, ait: (Can. Miss.) *Qui pridie quàm pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas*, (*g*) *elevatis oculis in cœlum ad te Patrem suum omnipotentem, gratias tibi agens benedixit, fregit & dedit discipulis suis.* Ecce usque ad istum locum verba sunt evangelistarum; porro deinceps verba sunt Dei, potestate & omni efficientia plena: *Accipite & manducate ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum.* Sed ne forte putares quod de illo uno tantum pane & in illa una hora hoc eum esse jusserit, secutus (*h*) adjungens ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* (*i*) Unde fatendum, quod quidquid tunc illud fuit quod apostoli ab eo perceperunt, hoc totum est, quia idipsum est: & si velis audire quid est, *Hoc est*, inquit, *corpus meum, quod pro vobis tradetur.* (*k*) Crede, ô fili, quia ita est, quoniam ipse dixit, & factum dubitare non potes; ipse mandavit & creatum est. Præceptum ergo posuit, (*l*) *In meam commemorationem hoc facite*; & ideo quotiescumque fit catholice, vere hoc fit quod dictum est: *Hoc est corpus meum.*

2. *Simili modo posteaquam cœnatum est*: refert sacerdos verba evangelistæ, *Accipiens hunc præclarum calicem.* Et notandum quod hunc quem offerimus, & non alium, *in sanctas ac venerabiles manus suas*, (*m*) [ab eo quod continet id quod continetur ostendens, dicit eum accepisse,] *Item tibi gratias agens benedixit, & dedit discipulis suis dicens.* (*n*) Audisne ubique, quod ipse gratias egerit, quod benedixerit? & ideo licet nos gratias agamus Deo, ille est qui pro nobis gratias agit per se, & nos tamen per illum; & quia per illum, ejus gratiarum actio jure dicitur. Sic itaque licet sacerdos benedicat, ipse est qui benedicit & frangit; alioquin nisi ejus esset benedictio, nulla (*o*) sanctitas in eo esset: unde in Levitico ad Aaron & ad filios ejus: *Invocabitis ergo nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eos.* (Thren. 4. 4.) (*p*) Sacerdos ergo invocat, sed ipse benedicit & frangit; quia nisi ille frangeret hunc panem, parvuli omnes jejuni remanerent. Hinc quoque propheta suspirans, quia necdum Christus venerat, aiebat in Lamentationibus suis: *Parvuli petierunt panem, nec erat qui frangeret eis.* (Levit. 6. 27.) Et ideo hic solus est qui frangit hunc panem, & per manus ministrorum distribuit (*q*) credentibus, dicens: *Accipite & bibite ex hoc omnes*, (Can. miss.) tam ministri quam & reliqui credentes: *Hic est calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti.* In hoc quippe verbo sanguis efficitur, quod ante vinum & aqua fuerat. Efficitur ergo sanguis, sed ille utique quem discipulis tradidit; sanguis plane novi & æterni testamenti, quod testamentum numquam immutabitur, quia æternum est; numquam veterascet, numquam irritum erit, & hoc est testamentum hereditatis nostræ, per quod nobis divina & cœlestia traduntur.

3. Hoc igitur est mysterium fidei. De hujus namque sanguinis figura populus sanctificatus est veteris testamenti. Sed in illo sanguine umbra erat, hic autem veritas; *Qui pro vobis*, inquit, *effundetur*, *& pro multis in remissionem peccatorum.* (Luc. 22. 20.) Nam ubi Lucas dixit, *pro vobis*, ibi Matthæus *pro multis* (Matt. 26. 28.) posuit; unde credendum quod Christus utrumque dixerit, quia hic sanguis & pro apostolis & pro multis qui credituri erant per verbum eorum effusus est. Hic utique & non alius, neque alicujus (*r*) alterius;

[*a*] Ita cod. Laub. reliqui communiter mss. expungunt *alterius.*

(*b*) Quinq. mss. *creator tanta rei.*

(*c*) Laub. *nihil aliud sunt quam laudes gratiarum actiones fidelium obsecrationes.*

[*d*] Cod. Maj. mon. *Ita efficientia.*

(*e*) Ita mss. omnes Editi *transibunt.*

(*f*) Editi cum Flor. *Ad qua missa sunt.*

(*g*) Editi cum aliquot mss. *Et elevatis.* at plures mss. expungunt *&.*

(*h*) Editi *secutus, adjunxit & ait.*

[*i*) Hic in cod. Laub. incipit CAP. LXIII. *Fatendum quod illud quod apostoli acceperunt, quando Christus eis dixit:* Hoc est corpus meum. *idem nos, non aliud accipimus, si digne accipimus.*

[*k*] In editis Flor. & in ms. Sangerm. adduntur isthæc: *In hoc ergo verbo creatur illud corpus, quia divinum Verbum est, & omnipotentia plenum, ubique præsens, ubique omnia complens. Et quod dicit.* Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. *Credo &.*

(*l*) Editi addunt *dicens.*

(*m*) Inclusa parenthesi desunt in Editis Flor. & in ms. S. Germ.

(*n*) Vatic. cum altero ms. addunt: *Accipite & bibite ex eo omnes, hic est enim sanguis meus.*

(*o*) Ms. Maj. mon. *Nulla secura sanctitas.*

(*p*) In cod. Laub. hic incipit CAP. LXIV. *Quod sacerdos Domini in consecratione quorumlibet invocat, sed Christus benedicit, frangit, & tribuit.*

(*q*) Tres mss. *Distribuit etiam calicem credentibus.*

[*r*) In plerisque mss. desideratur *alterius.*

rius;

rius, ſed ſanguis JESU CHRISTI in hoc verbo efficitur. Viget autem hoc verbum & manet, *Hic eſt enim calix ſanguinis mei qui pro vobis fundetur & pro multis.* Quapropter, o homo, quotienſcumque bibis hunc calicem, aut manducas hunc panem, non alium ſanguinem te putes bibere, quam eum qui pro te & pro omnibus effuſus eſt in remiſſionem peccatorum; neque aliam carnem, quam quæ pro te & pro omnibus tradita eſt & pependit in cruce, quia ſic Veritas teſtatur: *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur.* Et de calice: *Hic enim ſanguis meus eſt, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Unde ſicut tunc (a) in remiſſionem fuſus eſt peccatorum & traditus, ita adhuc (b) hodie in remiſſionem comeditur & potatur delictorum: ut quia in terris ſine quotidianis levibuſque delictis vivere non poſſumus, ut præmiſi, tali eſca & potu refecti, ſine macula & ruga inveniamur, & non ſolum hoc, ſed etiam omni benedictione cœleſti, quæ in illis eſt, repleamur, ac per hoc unum corpus cum illo & in illo maneamus, ubi Chriſtus caput & nos omnes membra cenſeamur.

Vide quam carnem hoc ſacramentum porrigat

CAPUT XVI. (c)

Utrum hoc corpus poſt conſecrationem panis jure queat vocari.

I. QUod panis etiam quamvis vera caro ſit, hoc myſterium poſſit nominari probat apoſtolus, ubi dicit: *Probet ſe homo & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*: quia (d) Chriſti caro & vera caro, & tamen panis vivus qui de cœlo deſcendit jure catholice prædicatur: caro quidem ſecundum gratiam, panis vero ſecundum efficientiam, quia ſicut hic panis terrenus vitam ſubminiſtrat temporalem, ita ille cœleſtis vitam præſtat æternam & cœleſtem, quia vita eſt ſempiterna. Denique & ſanguis hic ſecundum efficientiam, ſimili modo vinum typice poteſt vocari, quia ſicut vinum lætificat cor hominum ſobrie potatum, ita longe locupletius hoc vinum ſanguinis lætificat cor hominis interioris, & inebriat mentem amore ſpiritali: unde dictum eſt: *Et calix (e) meus inebrians quam præclarus eſt: Et vinum lætificat cor hominis.* De quo nimirum vino ſponſa in Canticis exultat, quod Chriſtus in ea ſuam ordinaverit caritatem. Ceterum ſecundum præmiſſam doctrinæ veritatem, nihil aliud quam caro Chriſti & ſanguis jure creditur, quæ non ſapore carnis, ſed ſpiritali dulcedine deguſtantur, & fidei ratione intelliguntur.

1. Cor. 11. 28. — Pſal. 22. 5. — Pſ. 103. 15.

CAPUT XVII. (f)

Utrum plus ex eo habeat, qui majus aut qui minus acceperit.

I. SI enim figura iſtius ſacramenti in manna illo cœleſti præceſſit, vere & hujus rei ratio exinde aperte monſtratur, quod dicitur: *Qui plus collegerat, non habuit (g) amplius, neque qui minus paraverat invenit minus.* Non eſt omnino quantitas viſibilis in hoc æſtimanda myſterio, ſed virtus ſacramenti ſpiritalis; ſicut nec quantitas hominis Chriſti metienda in corpore, ſed virtus in eo & divinitas conſideranda: nam plus retulit mulier illa in evangelio, quæ fimbriam veſtimenti ejus tetigit, quam turba quæ totum corpus preſſit, quia plus eum mente concepit, cum (h) fide credidit. Idcirco cogitandum eſt a nobis, non quantum dente premitur, ſed quantum fide & dilectione (i) capitur. Non enim recte caro Chriſti ſine divinitate ſumitur, nec divinitas ſine carne præſtatur. Unde in evangelio: *Regnum cœlorum ſimile dicitur theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit homo, (k) vadit & vendit omnia, & emit agrum illum.* Quia nec ager, corpus videlicet Chriſti, ſine theſauro, (l) nec theſaurus divinitatis ſine agro (m) carnis jure comparatur. Et o (n) quam bene in agro theſaurus abſconſus dicitur! quia in carne Chriſti divinitas corporaliter inhabitans, etiam in hoc myſterio ab aſpectu oculorum ne (o) videatur ſubtrahitur, ut fide (p) avidius quæratur, quæſita verius (q) inveniatur, inventa vero carius habeatur, & habita deſiderabilius fruamur; (r) quia in Chriſto omnis plenitudo corporaliter inhabitat, ſine dubio divinitatis. Idcirco neceſſe eſt, qui corpus ejus comederit, de plenitudine divinitatis illud* fide percipiat. Unde ſanctus evangeliſta: *Et nos omnes*, inquit, *de plenitudine ejus accepimus.* Alioquin niſi de plenitudine (s) prius accipias, nec ad modicum carnis pervenire poteris, quia non theſaurus emitur propter agrum,

Exod. 16. 18. 2. Cor. 8. 15. — Matth. 13. 44 — * f. illius. — Joh. 1. 16.

(a) Hic *tunc* reſtituimus ope codicis Vaticani, quod ab aliis exulat mſſ.
(b) Editi *Ad hoc* contra fidem omnium mſſ.
[c] In cod. Laub. CAP. LXV.
(d) Cod. Laub. *quia de Chriſto caro vera caro eſt.*
[e] Duo mſſ. *Calix tuus.*

(f) In cod. Laub. CAP. LXVI. Titulus vero hujus capitis apud Ulim. & in recenti S. Germani mſſ. ſic effertur: *Vim & rationem hujus ſacramenti corporis & ſanguinis Domini prorſus a rationis ſenſu eſſe reconditam.*

(g) In duobus mſſ. deeſt *habuit.*
[h] Ita locum iſtum reſtituimus ope mſ. Maj. mon. nam alii mſſ. expuncto *cum* legunt, *Et fide credidit.*

(i) Mamer. cum tribus mſſ. *Dilectione & dilatatione capitum.*
[k] Cod. unus regius addit: *Abſcondit, & præ gaudio illius;*
(l) Editi addunt: *Divinitatis.* quod ab omnibus mſſ. abeſt.
[m] Flor. *Sine agro id eſt corpore Chriſti.*
(n) Editi, *Qui quam bene*, mſ. Laud. *Qui bene*, duo mſſ. *Quia quam bene*, Flor. *Bene autem*, Quatuor mſſ. *Et o quam bene.*
[o] Editi cum Flor. *Ne caro videatur.*
(p) Tres mſſ. *ne fides avidius.*
(q) Putean. cod. *quæſita veritas.*
(r) Editi & Flor. *fruatur.*
(s) Editi *de plenitudine ejus*, ſed mſſ. expungunt *ejus.*

sed ager propter thesaurum. Nam thesaurus de plenitudine divinitatis cum eo & in eo credentibus (a) venumdatur; & ideo, fili, hoc mysterium dum communicas, dilata sinum mentis tuæ, emunda conscientiam, & percipe non quantum mica exhibet, sed quantum fides capit; quia in Christo plenitudo divinitatis manet, in te autem de plenitudine, non quanta est, sed quantum idoneus fueris, præstatur.

CAPUT XVIII. (b)

Cur hoc mysterium ante passionem discipulis traditur.

ANte passionem autem Domini hoc sacramentum ideo celebratum est, ut de legali pascha continuo, quia umbra removenda erat, ut veritatis (c) lux clare sceret. Numquam (d) umbra potest desistere, nisi radiante luce. Aliud vero Christus noverat, quod & boni digne, & mali indigne hoc mysterium, licet præsumtive, accepturi essent, voluit formam cunctis dare communicantibus, quid boni, quidve mali percipiant: & (e) ideo Judas in figuram omnium malorum ad percipiendum (f) admittitur. Nam si post resurrectionem fieret, jam Judas cum sanctis apostolis communicare non posset, quia judicio æterno jam damnatus erat. Nam per hoc mysterium passio Domini & mors prædicanda erat, ideo magis congruit in ipso passionis articulo hoc tradere, quam post resurrectionem: quia ad hoc immolatus est Agnus, (g) ut nos ejus carnem comedamus. unde Paulus: *Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur.* (1. Cor. 5. 7.) Ceterum, quia ipse transibat (h) jam de hoc sæculo ad Patrem, id est de hac mortalitate ad immortalitatem: fecit adhuc mortalis, quod nos post eum & in illo facturi eramus simili modo mortales, quatinus tali nos refecti pabulo, & inebriati poculo, faciamus pro illo securi de immortalitate, quod ille pro nobis prior fecit mortalis (i); ad hoc quippe immortalitatis præstitit alimoniam, ut mortem non timeamus. At vero quod ultimum est, si post resurrectionem hoc dedisset, dicturi essent hæretici, quod (k) incorruptibili jam Christo & in cœlo posito, non posset in terris ejus caro a fidelibus vorari. Nunc vero quod integer & (l) incorruptus manet, dicimus contra eos, quod in morte ejus ista percipimus, ut usque ad finem sæculi omnes inde pascamur, & tamen quod seminatum est resurgens (m) incorruptum permaneat. Ad hoc ergo granum frumenti in terram cecidit, ut multum fructum afferret: si enim hoc ille concessit seminibus, multo magis id sibi præstitit, ut idipsum maneat incorruptum, & deinceps multam alimoniam immortalitatis præbeat ex sua (n) fructificatione credentibus. Unde qualis ille resurrexit, talia sunt & hæc semina immortalitatis, quæ immortales faciant digne percipientes: & ideo quotiens ista comedimus, mortem Domini annuntiamus, quia de morte ista immortalia meruimus, (o) donec veniat ipse vivus & immortalis, ut cum ea etiam & nos tali longe diuque refecti (p) immortali cibo ipsi per eum immortales regnemus.

CAPUT XIX. (q)

Ut quid in sanguine Christi fragmen corporis admisceatur. (r)

I. PAtet sensus quod jam caro frangitur, quia sanguis est in calice qui de latere manavit, & ideo quam recte caro sanguini sociatur, quia nec caro sine sanguine utique, nec sanguis sine carne jure communicatur. (Augustinus.) Totus enim homo, qui ex duabus constat substantiis, redimitur, & ideo carne simul Christi & sanguine saginatur. Denique non, sicut quidam volunt, anima sola hoc mysterio pascitur; quia non sola redimitur morte Christi, & salvatur; verum etiam & caro nostra per hoc ad immortalitatem & incorruptionem reparatur. Carni quidem nostræ caro Christi spiritaliter (s) convisce rata transformatur; (t) [teste Hilario, ut unum simus in eo per hoc mysterium naturaliter, ut & Christi substantia in nostra carne inveniatur,] sicut & ipsam nostram in suam constat assumsisse deitatem, unde orantes ad Deum cum propheta dicimus: *Memorare (u) quæ mea substantia: numquid enim vane constituisti omnes filios hominum?* (Psal. 88. 48.) Quæ igitur major securitas hominis, quam ad suam substantiam orare, & eam (x) in

(a) Mamer. Ulim. cum quinque mss. *A credentibus omitur* duo mss. *Emendatur*, Laub. *Emundatur*.

(b) Laub. CAP. LXVII.

(c) Editi *Ut veritas clarescerent*, mss. *ut veritatis lux clarescerent*.

(d) Editi *numquam igitur*. Flor. *numquam enim*.

(e) Hic in Laub. incipit CAP. LXVIII. *De Juda proditore*.

(f) In ms. Maj. mon. deest, *ad percipiendum*.

(g) Tres mss. *Agnus Christus*.

[h] Ulim. Sirm. *Transiturus*. Mam. cum quatuor mss. *transiens*. Reliqui fere omnes mss. *transibat*.

(i) Al. *mortalibus*.

(k) Ita mss. pene omnes Editi, *Quod incorruptibilis jam Christus & in cælis positus*.

(l) Editi *Incorruptibilis manet*. at mss. *Incorruptus manet*.

[m] Tres mss. *Resurget incorruptum*, omisso *permaneat*.

(n) Vat. *Ex sua mortificatione*.

[o] Editi *Donec veniat vivus & mortalis*, contra fidem omnium mss. qui legunt: *Donec veniat vivus & immortalis*.

(p) Editi & Flor. *Immortalitatis cibo*.

[q] Laub. CAP. LXIX.

(r) Cod. Laub. addit: *Et quod non solum anima, sed corpus hoc mysterio pascitur*. Codex vero S. Germani recenti manu conscriptus hunc præfert titulum: *Corporis & sanguinis Domini perceptionem nobis ad salutem esse necessariam*.

(s) Laub. *Specialiter convisceratа*, ms. Maj. mon. *Spiritualiter consecrata*.

(t) Inclusa ansulis desunt in Editis.

[u] Editi cum uno ms. *memorare mea substantia*.

(x) Editi *Eam Deo*.

Deum venerari, atque per unitatem personæ fidenter (a) dicere: *O Deus mea substantia, qui me constituisti & creasti; numquid vane me creasti?* non utique, licet vanitati subjaceat homo (b) vivens, quia Deus creator, & Verbum Patris factus (c) homo. Unde constat per hoc quod & nos in illo, & ille utique in nobis, dum (d) carne spiritaliter se refundit, ut nos per hoc in incorruptionem transformemur.

2. Porro sanguis ejus, ut dixi, potatur, quatenus anima, quæ in sanguine peccati est, renovetur; quia & Christi anima non in sanguine peccati, sed in sanguine carnis, etiam uti natura est hominis, carnem humanam, quam Christus susceperat, vivificavit. Idcirco non recte caro sine sanguine communicatur; sed ut caro habeat relationem ad animam, quæ in sanguine Christi est, & anima vivificatrix (e) carnis per sanguinem relationem habeat ad Deum, atque ita totus homo sanetur. Hinc quoque Dominus cum dixisset: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam:* continuo subjecit; *Et ego resuscitabo eum in novissimo die. Habet* namque ideo dixit, quia mox anima carne soluta intrat in vitæ promtuaria, ubi sanctorum animæ requiescunt. Deinde, quod ad corpus pertinet, addidit, *& ego resuscitabo eum in novissimo die*, ut sicut integre creatus est homo, ita quoque redemtus integre prædicetur; ac deinde in novissimo ad integrum reparandus credatur.

Joh. 6. 55.

3. (f) Porro in calice, quantum datur intelligi a sanctis patribus, ideo simul corpus & sanguis per hanc partem junguntur, quia calix passionis Christi præfigurat mysterium, sicut canitur in psalmis: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Per calicem namque salutis passio designatur. In qua nimirum passione simul caro Christi cum suo sanguine fuit; idcirco jam immolato Christo per sacramentum divinæ traditionis, corpus frangitur ad escam populis, & partitur fidelibus; sanguis vero in calice ac si in passione fusus, spiritaliter consecratus pro nobis ostenditur ad potandum, Deo Patri a summo pontifice oblatus, quatinus eo pretio quo redemti sumus de morte ad vitam, & in corpore Christi aggregati, exuamur a culpis quotidianis levibusque peccatis. Deinde eo ipso cibo potuque pascamur & potemur ad vitam, ut ex ipso per ipsum refecti convisceremur (g) in Christo, quatenus & ipsi cum eo unum inveniamur, alioquin vitam in nobis habere non possumus; unde ipse Salvator: *Nisi manducaveritis*, inquit, *carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Ps. 115. 13.

Joh. 6. 54.

4. Quapropter etiam nonnulli quærunt, si qui baptizantur, & præventi morte fuerint velocius, nec sinuntur carnem Domini manducare, neque ejus sanguinem bibere, utrum vel quantum noceat, aut si nihil noceat, præsertim cum mox renati in Christo, unum cum eo corpus effecti, in adoptionem filiorum Dei venisse vere creduntur. Unde constat quia renati ad vitam, mox translati per mortem carnis ad ipsam eamdemque vitam, quæ Christus est, sine ullius labe peccati, in ipso (h) concorporati inveniuntur; & ideo non obesse credimus, eos viaticum non accepisse hujus sacramenti ad vitam in via; quia in nullo post perceptam vitam declinaverunt (i) a via, sed manserunt in vita, quæ Christus est, & ideo non defecerunt in via, donec perventum est ad veritatem, in qua sempiterna & vera est vita. Ceterum quantisper hic remanentibus valde pernecessarius est ad vitam ille cibus cœlestis & potus, quatenus (k) sicut aluntur cibis terrenis ad tempus ut vivant, sic alantur spiritaliter renati per hæc ad perpetuam vitam, ne deficiant in via, donec transeant per mortem carnis ad perpetuam, ubi nullus defectus est, & sempiternam vitam.

5. Interim tamen justum & pernecessarium, ut redemtus alatur ad incorruptionem & potetur ad vitam. Propterea mox Salvator intulit: *Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus:* ac si diceret, quia generaliter homines cibum & potum ob id permaxime appetunt, ut non esuriant neque sitiant, & ne moriantur, hoc utique communis iste non præstat cibus & potus, sed caro mea & sanguis, quia (l) immortales & incorruptibiles facit, & ideo vere cibus & potus nominatur. (m) Constat igitur & liquet omnibus, quod in hac mortali vita sine cibo & potu non vivitur: sic itaque ad illam æternam non pervenitur, nisi duobus istis ad immortalitatem spiritaliter nutriatur; & ideo bene simul in calice (n) redduntur, quia de uno calice passionis Christi hæc duo nobis ad vitam manarunt. Sed infelix est animus, qui hoc non satis credit, & tamen non dubitat quod cibo & potu vita humana sustentetur. (o) Si enim in hoc mortali cibo tanta

Ibid. 56. Aug. in Joh. cap. 6.

Infelix qui non credit ea quæ in hoc sacramento latent.

(a) Anse. *Fidentes*, mss. Major. mon. S. Audoëni, & unus regius *fideliter*.
(b) Editi, *Omnis homo vivens.*
(c) Editi, *Factus est homo.*
(d) Editi, *Dum in carne.*
[e] Al. *Vivificata Christi per sanguinem.*
(f) Quæ sequuntur usque ad *Interim tamen justum.* desiderantur in undecim mss.
(g) Editi *convesceremur.*
(h) Editi *non incorporati*, non ita bene.
(i) Cod. regius *Declinaverunt, sed manserunt in via.*
(k) Cod. regius *Quatenus sic alantur spiritualiter renati per hac ad pepetuam vitam.*
(l) Editi *qui immortales facit.*
(m) Al. *nominantur.*
(n) Quatuor mss. *creduntur.*
(o) Hic incipit in codice Laub. Cap. LXX. *Exemplum de cibo mortali ad mortalem.*

vis inest, ut quotidie vitam labentem reparet & vires restituat, quid sentiendum de hoc immortali cibo & potu, in quo vita æterna præstatur & immortalitas *(a)* regnat? Veritas enim est Deus, & Christus Veritas est, quia utique Deus: propterea, o homo, si Veritas est, crede, caro Christi & sanguis quia vita est, & ideo Veritas protestatur: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam in se manentem*; manentem utique & non *(b)* labentem, quia in hac vita nemo vivit, nisi vivendo labatur in mortem. In illa vero semper in eodem statu manendo sine defectu vivitur. Igitur si quis sequitur *(c)* viam, tenet veritatem; & qui tenuerit veritatem, jam vitam habet in se manentem, quia Christus est via, vita & veritas; unde & hoc mysterium nonnumquam viaticum appellatur, quia si quis illo fruitur in via, pervenit ad vitam, quam jam in se habet, & falsitate nulla fallitur, quia veritate Dominici corporis & sanguinis ad vitam illustratus *(d)* vegetatur.

Ibid. 55.

Viaticum cur dicatur sacramentum corporis Christi.

CAPUT XX. *(e)*

Quare (f) nunc a jejunis mysterium sacræ communionis celebratur, cum Dominus post cœnam apostolis hoc tradiderit.

1. Sacramentum ergo fuit, quod Dominus post cœnam apostolis hoc tradidit. Sic enim illud impleri oportebat circa finem diei ad vesperam, ut hora *(g)* ipsa sacrificii ostenderet jam finem sæculi advenisse, unde Johannes: *Filioli mei, (h) novissima hora est.* Porro apostoli ideo jejuni jam non erant, quia necesse fuit ut pascha illud typicum prius compleretur, deinde ad verum paschæ sacramentum transirent. Hoc enim in mysterio tunc factum est, ut & umbra finem acciperet, veritate ostensa, & ipsi deinde ad veram mox transirent novitatem. Ex quo factum quod jejuni corpus & sanguinem primitus minime percepere. Ceterum universaliter *(i)* in ecclesia omnes cum summa religione jejuni communicare consueverunt. Sic enim placuit Spiritui sancto per apostolos *(k)* ut in honorem tanti mysterii primitus corpus Christi & sanguis sobrie acciperetur, quam ceteri cibi, & ideo per omnem ecclesiam Christi mos iste satis decenter ac provide inolevit. *(l)* Neque observandum, sicut apocryphorum monimenta decernunt, donec ea digerantur in corpore, ne communis cibus accipiatur, sed satis invigilandum, ut antea se quisque præparet, & post acceptam gratiam nullus indignum se reddat. Spiritaliter enim hæc accipienda sunt & non carnaliter.

1. Joh. 2. 8.

2. Licet igitur *(m)* caro in carnem & vinum convertatur in sanguinem, veluti *(n)* a natura probatur, tamen altius hæc consideranda sunt, ubi non modo caro aut sanguis Christi in nostram *(o)* convertuntur carnem aut sanguinem, verum nos a carnalibus elevant & spiritales efficiunt. *(p)* Hoc sane nutriunt in nobis quod ex Deo natum est, & non quod ex carne & sanguine. Dedit itaque nobis Christus potestatem filios Dei fieri, verumtamen non ex voluntate *(q)* carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nascimur. Illa *(r)* ergo nativitas nostra, quæ ex Deo est, utique spiritalis *(s)* est, quia Deus spiritus est, & ideo hæc mysteria non carnalia, licet caro & sanguis sint, sed spiritalia jure *(t)* intelliguntur. Unde longe inferius vita nostra ista temporalis corporeo isto communi alitur cibo & potu, longe vero excelsius ac præeminentius vita illa quæ absconsa est cum Deo, qua conformes illi & configurati sumus, illo saginatur cibo & potu, quem in scripturis & de altari accipimus, & transvehit nos ad spiritalia, ut ibi vivamus *(u)* exinde, ubi vita nostra *(x)* servatur æterna. *(y)* Ac per hoc qui sic accipit, digne accipit, & qui digne illud acceperit, habet jam vitam æternam in se manentem.

Per hoc sacramentum spirituales effici.

3. *(z)* Frivolum est ergo, sicut in eodem apocrypho libro legitur, in hoc mysterio cogitare de *(a)* stercore, ne commisceatur in digestione alterius cibi. Denique ubi spiritalis esca & potus sumitur, & Spiritus-sanctus per eum in homine operatur, ut si quid

(a) Ita omnes mss. Mamer. & Sirm. expungunt *regnat.*
(b) Tres mss. *Labantem.*
(c) Editi *si quis sequitur vitam.*
(d) Vatic. *Illustratur vegetatus* Mam. & Ulim. cum duobus mss. *Illustratur & vegetatur.*
[e] In cod. Laub. Cap. LXXI.
(f) Editi cum duobus mss. addunt *generaliter*. In ms. vero Maj. mon. sic effertur hic titulus, *Generaliter nunc jejuno* (forte *a jejuno*) *mysterium sacra communionis celebratur.* Omissis quæ sequuntur, quæ etiam in codice Rothomagensi S. Audoëni omittuntur.
[g] Vatic. *ut hora ipsius sacrificii.*
[h] Editi *Jam novissima hora est.*
(i) Flor. *universa in ecclesia.*
(k) Editi addunt *Ordinare*, quod exsulat ab omnibus mss.
(l) Hic in codice Laub. incipit Cap. LXXII. cum hoc titulo: *Non observandum in hoc quod quidam dicunt, commisceatur ille cibus divinus, cum isto mortali, donec digeratur.*
[m] Ulim. cum Anic. Laudun. & uno S. Germ. *Licet enim panis in carnem.*
(n) Mamer. cum uno ms. *Velut si a natura probatur.*
(o) Flor. *non vertuntur.*
(p) In Laub. hic incipit Cap. LXXIII. *Quod non nutriat cibus divinus nisi quod ex Deo est, digeratur.*
(q) Tres mss. *non ex voluptate.*
(r) Cod. Major. mon. *In illo ergo.*
(s) In cod. Major. mon. repetitur *Spiritualis.*
(t) Al. *Jure creduntur.*
(u) Mamer. *Vivamus ex fide.*
[x] Al. *ubi nostra servatur æternitas.*
(y) In editis & in cod. Major. mon. desiderantur hæc verba *ac per hoc qui sic accipit, digne accipit.*
(z) In cod. Laub. incipit hic Cap. LXXIV. *Frivolum est quod quæritur utrum in stercora.*
[a] Heribald. Autisiod. & Raban. Mogunt. Antistit. in fœdam Stercoranistarum hæresim declinasse contendit Jacobus *de Sainctè Beuve* in singulari dissertatione quæ penes me est manuscripta. Utrumque ab ea purgat Mabillonius in præfatione ad sæculum IV. Bened: part. 2. pag. 32. & seq.

in

in nobis carnale adhuc est, transferatur in spiritum, & fiat homo spiritalis, quid commixtionis habere poterit? Quantum igitur distat vita illa æterna ab ista mortali vita, tantum & iste cibus omnino præeminet ab illo communi, quo simul nobiscum etiam animalia vivunt, & ideo communis appellatur, quia omnium est, bonorum scilicet & malorum, necnon & animalium; (*a*) at vero iste nonnisi filiorum Dei est cibus, ut (*b*) inde alantur unde vivunt: Christo enim vivimus, cujus & membra sumus. Dispensative satis provisum est, ut ex illo interdum pascamur, quatenus per hoc cum illo & in illo unum corpus inveniamur. (*c*) Verumtamen quod jejuni communicamus, satis provide fit, ut dum sobrietas flagrat in corpore, dum omnis fervor carnis quiescit, & (*d*) omnes animi sensus ad (*e*) intelligentiam & discernendi rationem fortius vigent, illo prius cibo interior noster homo inebrietur, quatenus deinceps quod præeminet in nobis vegetatum cœlesti dulcedine, illud (*f*) regat & gubernet, quod inferius est, nec ad noxia & superflua se relaxet. Dignum igitur fuit, ut quod sublimius est, majori honore potiretur, deinde quod inferius, & tamen necessarium, (*g*) indulgentiam istius vitæ perciperet, prius tamen ad cœlestia & æterna utroque (*h*) felicius invitato. Hæc est namque vera & nova conspersio sinceritatis & veritatis, ut simus azymi sine fermento malitiæ & nequitiæ. (*i*) Nam in calice nihil aliud bibimus quam Christi sanguinem, ubi & nos per aquam admixti (*k*) coüniti sumus: in pane vero nihil præter corpus, ubi nos per Christi conspersionem (*l*) jam membra sumus; quæ nimirum conspersio per aquam Sancti Spiritus fit, de qua Christus in evangelio: *Qui credit*, inquit, *in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Et continuo evangelista: *Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Hæc igitur conspersio de multis granis fecit unum corpus, corpus, inquam, sinceritatis & veritatis, si tamen sumus azymi, id est, absque fermento malitiæ & nequitiæ, (*m*) ut digne hunc panem de hac aqua conspersum accipere possimus. O mira Dei omnipotentis dispensatio, qua (*n*) tantis instruimur disciplinis & firmamur exemplis, si non sit mens ingrata de tantis beneficiis, & dubia de tam immensis promissis. Idcirco, ô homo, serva conspersionem gratiæ, quia licet triticum sis, nisi doctrina & virtute Spiritus-sancti ad hanc unitatem & conspersionem fueris bene in farinam attenuatus, deinde conspersus gratia & igne caritatis decoctus, non poteris ad soliditatem fidei firmari. Propterea (*o*) sit tibi semper mola superior spes promissionis, & mola inferior timor perfectæ caritatis, quibus duobus bene attenuatus possis Spiritus-sancti gratia in Christi corpore uniri. Patet igitur quod hæc mystica sunt, & ideo, fili, sic ista debes cogitare, quasi cœlestia; sic contingere, quasi divina; sic accipere ut salutaria, in quibus vita æterna repromittitur; sic credere, ut dicuntur; deinde sic vivere, ut in Christo semper veritate & sinceritate conspersus membrum ejus inveniaris.

Quantum interfit inter cibum communem & hoc sacramentum.

Johan. 7. 38.

CAPUT XXI. (*p*)

Quid sit quod Dominus ait: Non bibam amodo de hoc genimine vitis, donec illud bibam novum in regno Patris mei.

1. EX hoc ergo loco quidam mille annorum fabulam astruunt, (*q*) quod Christus corporaliter (*r*) sit regnaturus, quando & hæc nova corporaliter debeat comedere vel potare, quæ usque ad consummationem sæculi non se facturum, ut aiunt, denuntiavit. Nos autem catholice sensum ipsius Domini requirentes, non hæreticorum næniás sequamur, sed ejus qui ait: *Accipite & comedite ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum*: & calicem illum esse dicamus, de quo idem: *Hic est calix meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* De quo nimirum calice propheta ait: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Per quem utique calicem passio Domini designatur. (*s*) Unde idem ad Patrem: *Pater*, inquit, *transfer a me calicem istum*, scilicet mortis passionem, ne per manus Judæorum fiat: ac deinde, *Pater, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Propter quod

Hieronymus

Can. Miss.

Psal. 115. 13.

Luc. 22. 42.

Matth. 26. 42.

(*a*) Hic in cod. Laub. incipit Cap. LXXV. *Quod iste cibus non nisi filiorum Dei sit.*

(*b*) Vatic. & Laub. *ut unde aluntur, inde vivant.*

[*c*] In cod. Laub. hic incipit Cap. LXXVI. *Quare jejuni communicamus.*

(*d*) Editi *Et omnis animi sensus.*

[*e*] Mam. Ulim. cum quatuor mss. *intelligentia & discernendi ratione.*

(*f*) Tres mss. *illud servet & gubernet.*

(*g*) Ulim. cum sex mss. *indulgentia*, duo mss. *indulgentia.*

(*h*) Hic variant mss. sex legunt: *utroque felicius invitati.* Septem cum Mamer. *felicius invitati* expuncto *utroque.* duo *felicius invitatum.*

[*i*] Hic in cod. Laub. incipit Cap. LXXVII. *Quod non in calice aliud sumimus, nisi sanguinem.*

[*k*] Vatic. *Admixti communiter sumus*, duo regii *Ad mysticum coüniti sumus.* Tres mss. *Admixti, communiti.* Flor. *Per aqua admixtionem uniti sumus.*

[*l*] Ulim. & Sirm. *Ejus jam membra sumus.* Sed a mss. exsulat *Ejus.*

(*m*) Duo mss. *ob quod digne.*

(*n*) Ulim. & Sirm. *Quantis instruimur disciplinis.* Vatic. *Per quam tantis instruimur disciplinis.* Mam. cum septem mss. *Qui tantis instruimur disciplinis.*

[*o*] Editi cum ms. Maj. mon. *Propterea sit tibi semper mola inferior timoris & superior perfectio caritatis.* Mem. & Ulim. *perfecta caritatis.* Reliqui omnes mss. nostram præferunt lectionem.

(*p*) Laub. Cap. LXXVIII.

[*q*] Anic. & duo Colb. addunt: *dicentes.*

[*r*] In tribus mss. desiderantur hæc verba: *Sit regnaturus, quando & hac nova corporaliter*, lapsu ut videtur librariorum.

[*s*] In cod. Laub. incipit hic Cap. LXXIX. *Quid sit transfer calicem istum a me.*

& mos bene inolevit, ut sanguis Christi numquam in catino, numquam in cratere, neque in alio vase, quam in calice consecretur; sed neque alio nomine, ut fieri solet in aliis quibusque vasis, nisi semper juxta proprietatem linguarum calix vocatur, ut exinde omnibus calix passionis Christi ad memoriam reducatur. Ex quo nimirum calice, id est, ex eadem morte sanguis, & per sanguinem vita hauritur æterna, quem cum bibimus, quid aliud quam mortem Domini annuntiamus? Idcirco necesse est, ut unusquisque prius moriatur huic sæculo, quia sicut nemo nisi consepultus (a) mortem recte annuntiat, ita nemo exinde vitam sumit, nisi resurgens in novitate vitæ ambulet, & jam in Christo maneat. Unde si volumus eam cum Christo percipere, sursum in cœnaculum vitæ ascendamus, utique in cœnaculum magnum & stratum, quia nisi magnum sit, non omnes capit. (b) Ascendamus autem sursum, quia qui deorsum jacent, non (c) ista cum Christo, sed fel draconum infeliciter cum Juda, ut sint in felle amaritudinis, bibunt. Hinc quoque Paulus ait: *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Non enim alibi hic calix novi testamenti quam sursum accipitur; & quia novi testamenti est, nonnisi ab innovatis qui sunt sine vetustate peccati communicatur. Novi autem testamenti ob distinctionem veteris dicit: De quo Moyses cum aspergeret populum de sanguine holocaustorum, medium ejus in crateras, & medium effudit super altare, & ait: *Hic est sanguis testamenti quod mandavit Dominus.* Sanguis (d) tantum testamenti, quia figura erat & umbra hujus mysterii, per quod testatus est Dominus daturum se nobis, cujus nimirum sanguine populus aspersus est Christianus, & medium ejus (e) passim per crateras refunditur, quia mysticum est & morale ex scripturis quod in eo percipimus. Deinde medium ejus super altare pro multorum exhauriendis peccatis; unde nunc salutis potum sumimus, quoniam & sapientiam doctrinæ ex illo habemus, & redemtionis pretium inde pro nobis offerimus.

Per mortem ingredimur vitam.

Coloss. 3. 2.

Exod. 24. 8.

3. Ergo quod tunc ille pro nobis semel fecisse legitur, hoc nos, ipso jubente, quotidie facimus. Necnon & in Salomone legimus, quod sapientia miscuerit (f) in crateras vinum suum; quod sane vinum illa moralis intelligentia est, de qua inebriantur animæ fideles; & illud quod refunditur ad altare, quando dicitur: *Jube hæc perferri per manus angeli tui in sublime altare tuum, in conspectum divinæ majestatis tuæ*; ideo fit, ut sanguis Christi inde pro nostris exhauriendis quotidie delictis rursus in pretium sumatur redemtionis, & interior homo noster per hoc plenius innovetur, & (g) coüniatur Christo non modo moribus & vita, verum etiam & in unitate naturæ per corpus hinc inde, ut in illius forma inveniamur. (h) Neque enim hic sanguis integre percipitur, nisi (i) & moraliter mentem inebriet, & spiritaliter de altari corporis Christi ob renovationem nos refundat: ubi profecto Christus convivium & conviva noster simul esse voluit. Per hoc ergo quod nos (k) corpus ejus sumus de carne & de ossibus ejus, ille nobiscum illud bibit novum in regno Patris; quia sanguis est novi testamenti. Nos vero quia corpus ejus sumus, & ille in nobis ut caput regnat, regnum Patris jure vocamur, in quo nimirum Christus jam illud bibit novum, quotiens fideles infra ecclesiam istud digne percipiunt. Sicut enim patitur in suis, & esurit, & sitit, & vestitur, ac suscipitur; sic quoque bibit illud novum in regno Patris, id est, in ecclesia, quotiens eum digne sui aut comedimus aut potamus. Nam de vinea illa, quæ fecit labruscas, fel (l) amaritudinis potatur, quod est calix passionis. Ceterum in regno adoptionis de genimine vitis novæ bibit, & de vinea Sorech, quæ interpretatur Electa; rubentia enim musta in eo prælo crucis eliquantur, & dum quotidie Christi sanguinem de altari sumimus: idcirco quotiens novum ex hoc vinum bibimus, in regno (m) Patris Christus illud se bibere fatetur, cujus (n) nos membra sumus, etiam qui bibimus. Hinc ergo convivium nostrum dicitur, quia Pascha nostrum immolatus est Christus; conviva (o) vero (p) eo quod cum illo epulamur, transformati in novitatem, quia corpus ejus sumus, ex quo se in regno Patris illud novum bibere testatur: alioquin eum in illo regno futuro hunc potum corporeo gustu & escam hanc nec (q) recte bibiturum nec percepturum credimus; sed sicut ipse (r) sacerdos & auctor salutis instituit, ex quo renovati sancti apostoli per adventum Sancti Spiritus de cœlis, & ine-

Can. Miss.

Christus convivium & conviva.

Hieronymus Christus in suis patitur, esurit, & sitit.

(a) Octo mss. *sepultus.* quidam omittunt *recte.*
(b) Hic in cod. Laub. incipit Cap. LXXX. *Quam grave sit communicantem in imis jacere.*
(c) Editi *non musta cum Christo.*
(d) Editi expungunt *tantum.*
[e] In cod. Anic. desiderantur hæc verba: *Ejus passim per crateras refunditur, quia mysticum.*
(f) Anic. *miscuerit in terra vinum suum.*
(g) Editi *Et conjungatur.*
(h) In cod. Laub. hic incipit Cap. LXXXI. *Quid sit cum illud bibam novum in regno Dei.*
(i) Put. & duo Colbert. *nisi & immortaliter mentem inebriet.* Recens S. Germ. cod. hunc locum sic legit: *Nisi & immortaliter de altari corporis Christi ob renovationem nostram refundatur*, Mam. *Nisi & mortaliter, &c.*
[k] Ms. Major. monast. *Semper corpus ejus sumus.*
(l) Ita cod. S. Audoëni alii legunt *felle amaritudinis.*
(m) Editi *In regno Dei*, Laub. *In regno* expuncto *Dei* seu *Patris.*
(n) In uno ms. desunt hæc verba: *Cujus nos membra sumus, etiam qui bibimus.* In Vaticano autem post hæc verba, *Cujus nos membra sumus*, desiderantur ea quæ sequuntur usque ad *Ex quo se*,
(o) Editi *convivæ* repugnantibus mss. qui constanter legunt *conviva.*
(p) Ms. S. Audoëni: *Qui cum illo epulamur.*
(q) Ulim. & Sirm. expungunt *recte.*
(r) Vatic. *sicut ipse præceptor & auctor.*

briati sunt musto caritatis: ex eo sane credimus hunc calicem in ecclesia consecratum, quod (a) ille Spiritus veritatis, in quo renovati sunt ex vetustate, induxerat eos in omnem veritatem, & confirmaverat in plenitudinem doctrinæ. Profecto ubi jam sicuti a Christo, ita sane ab eis & deinceps in novitate spiritus consecratur. Aliter autem *meus cibus est*, inquit, *ut faciam voluntatem ejus qui misit me, & impleam* (b) *opus ejus*. [Johan 4. 34.] [Hieronymus] Ergo dum facimus voluntatem Patris, & impletur (c) opus caritatis, Christus utique nobiscum bibit in regno ecclesiæ suæ sanguinem suum, quia ille caput & nos membra sumus. Hunc utique cibum Jacob patriarcha esuriebat, dicens: *Si fuerit Dominus mecum, & dederit mihi panem ad edendum, & vestimentum ad induendum.* [Gen. 28. 20.]

4. Quotquot ergo in Christo baptizantur, (d) Christum induunt, & panem comedunt angelorum; (e) in quo nimirum mysterio benedixit Isaac eumdem Jacob filium suum, quasi nulla alia esset benedictio quam frumenti & vini, scilicet in pane carnis Christi, & in potu sanguinis, quæ de agro corporis (f) nobis quotidie per officium sacerdotis maturescunt, bibimus, (g) & comedimus. Hinc quoque idem ait: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine* (h) *terræ abundantiam frumenti & vini* [Gen. 27. 28.] In rore quidem cœli, quia hæc mysteria divinitatis ope conficiuntur. De pinguedine vero terræ, quia caro Christi de Virgine orta creditur: ubi procul dubio (i) plebi Christianorum plenissima præstatur abundantia panis & vini, in (k) quibus sine dubio vita fruitur angelorum.

5. Nec (l) igitur, carissime fili, istam parvipendas vitam, ubi tanta redolent sacramenta. Habes quam a longe tantus patriarcha sensit in filio fragrantiam hujus mysterii: ait enim; *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* [Ibid. 27.] Quia profecto in isto agro corporis Christi thesaurus absconditus vernat floribus immarcessibilibus, & redolet suavitatem (m) odoris, *quem qui invenit homo, vadit & vendit omnia quæ habet, & emit agrum istum:* [Matt. 13. 44.] ubi (n) thesauri omnes sapientiæ atque scientiæ contemplantur. De quo sane agro panis vitæ carnis, (o) & potus sanguinis, credentibus quotidie exuberat, & a fidelibus mensuitur. (p) In quo utique verus Jacob benedicitur, & dominus fratrum suorum constituitur; quia nimirum sine isto nulla rerum alia proficit benedictio unde beatus. Idem, Esau ferus venator ad benedicendum cum tardior occurrisset, benedictione hac jam fratri indulta, ait: *Venit germanus tuus fraudulenter*: ac deinde. [Gen. 27. 35.] *Frumento & vino stabilivi eum*: quod est aperte dicere, firmavi eum pane corporis Christi & vino sanguinis, in quibus æterna (q) illa maneat abundantia. *Tibi autem, fili, ultra quid faciam.* (r) Quid igitur? tantus & talis Dei cultor si nihil invenit filio ultra quid præbeat, nisi eadem illi votis imploret? Putasne, quod absit, si fueris indignus tanta gratia, ullis quod polleas bonis, ultra quam nihil amplius in hac vita præstatur? aut forte ideo parvipendes, quia in ore non tibi sapit, quod in spiritu ille longe præsenserat in eo, & frui desiderabat? Sed & hoc licet in spe refectus olim Abraham fuerat, ideo benedictus Deo excelso dictus est. Qua denique benedictione post eum Deus Isaac perfuderat, propterea & ipse filium suum Jacob eisdem ditabat (s) bonis, & prophetali eloquio implorabat quod omnibus erat repromissum.

6. Magnum igitur bonum & summæ benedictionis arcanum in hoc (t) mystice Christi ecclesiæ præparatur, ubi Christus est conviva deliciarum & convivium. De hoc quippe bono Zacharias olim repromisso ammirans ait: *Et quid bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* [Zach. 9. 17.] (u) Ubi notandum quod non nisi electorum est cibus, ex quo bonum salutis ecclesiæ, & pulchritudo decoris præstatur. Quia etsi quotidie sordescit, exinde reparatur, ut sponsa Christi sine macula & ruga talibus inveniatur respersa muneribus; alioquin dum quotidie peccamus, licet in minimis, quomodo sine macula esse possumus? Non est ergo immaculata quam nævi obscœnitas dedecorat. Sed quia per hæc purgatur jugiter, pulcrum ejus est hoc corpus, ex quo jam speciosa per lavacrum amplius pulcrescit, ut candore lilii & rubore sanguinis in hoc mysterio decoretur. Bonum quippe ut

[a] Editi & Flor. *Quoniam ille spiritus.*
[b] Editi addunt: *Qui in cœlis est.* quæ verba desunt in omnibus mss.
(c) Vatic. *Et impletur a nobis.* Tres mss. *& implemus opus charitatis.*
[d] Tres mss. *Baptizamur, Christum induimus, & panem comedimus angelorum.*
(e) Hic incipit in codice Laub. Cap. LXXXII. *Quare Isaac benedictionem dederit Jacob frumenti & vini.*
[f] Colb. & Anic. addunt, *Christi*, Flor. *Christi ejusdem.*
(g) In editis desideratur *bibimus.*
(h) In quatuor mss. desideratur *terra.*
[i] In editis deest *plebi.*
[k] In tribus mss. *in* non comparet.
(l) Editi *Ne igitur, carissime fili, ista parvipendas, ubi vita tanta redolent sacramenta*, sed nostram lectionem retinent septem mss.
(m) Editi *suavitate.*
[n] Al. *ubi thesauros omnis sapientia & scientia contemplatur.*
(o) Editi *idest carnis.*
(p) Hic incipit in cod. Laub. Cap. LXXXIII. *Quod sine hoc sacramento nulla alia proficit benedictio.*
(q) Editi *In quibus illi æterna maneat abundantia.*
(r) In codice Laub. incipit hic Cap. LXXXIV. *Quod si quis ingratus divina respuat corporis & sanguinis Christi mysteria, nihil sit, quod illi in hac vita melius tribuat Deus.*
(s) Editi *ditabat donis.*
(t) Mam. *In hac mystice ecclesia præparatur.* Maj. mon. ms. cum altero S. Germ. *In hoc mystica ecclesia præparatur.*
(u) Hic in cod. Laub. incipit Cap. LXXXV. *Quod non sit nisi electorum cibus.*

ad vitam æternam proficiamus, pulchrum A vero dum immortalitatis gloria vestimur, ut & interius fruamur vitæ dulcedine, & exterius fulgeamus nitidius de tanti beneficii gratia; *Et vinum*, inquit, *germinans virgines*. Felix fructus ubertatis, ex quo [a] virginitas germinatur. (*a*) Nam in hoc nostri germinis vino, castitas corrumpitur, ab isto vero Virgines procreantur; & ideo jure omnis ecclesia Christi virgo nominatur, quia isto repleta vino, nullum præter [b] Christum amare novit, (*b*) nullum esurire alium, nullumque sitire, quoniam summum ejus bonum est, & summa pulchritudo vestis illa contexta desuper ex vellere Agni, quæ nuptialis alibi appellatur. Sed & caritatis vino ebria jure omnis anima, quæ Christi potatur sanguine virgo dicitur.

[c] 7. Habes, carissime, sanctorum vitæ bonum, quod (*c*) nullum est aliud; habes pulcrum venustatis, quo tuas infantiæ abluas fœditates. Exerce te in castitate, quoniam hic sanguis nihil magis diligit, quam in Christo virgines; virgines, inquam, sed prudentes & pudicas, quia sunt & fatuæ intus in animo, non habentes oleum secum [d] (*d*) Spiritus-sancti. Quod (*e*) profecto si [e] quis non habuerit, hic non est Christi. Nam neque frumentum carnis sine vino sufficit sanguinis, neque caro aut sanguis sine oleo Spiritus-sancti prodest nobis, immo magis [f] officit. (*f*) Ideo quisquis recte vult communicare, sic vivat necesse est, ut templum 1. Cor. 3. 17. Spiritus semper esse queat; *quia si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Eph. 4. 30. Hinc quoque Paulus: *Nolite contristare Spiritum-sanctum in quo signati estis*; profecto quia sine illo nulla Christi gratia habetur; propterea & Johel cum pœnitenti-Johel. 2. 19 bus veniam repromitteret, *respondit Dominus, inquit, & dixit populo suo: Ecce ego mitto vobis frumentum, vinum, & oleum, & replebimini in eo.* In eo utique replebimini, licet tria promiserit, quia caro & sanguis per eumdem Spiritum-sanctum consecra-[g] tur, alioquin (*g*) mihi nec caro est, nec sanguis, sed judicium quod percipio, quia [h] sine donante (*h*) nullum male præsumentibus donum ex Deo præstabatur. Nam idem & spiritus donum dicitur, si septem ipsius dona dicantur, quibus (*i*) Christus [i] & ecclesia repletur. Sed ille ad plenum hæc omnia donorum possidet, ecclesia vero per partes individue, sicut eidem placuerit qui se dividit in singulis & impertitur omnibus. In eo tamen divinitus adimplemur, quia sine illo anima cujusque vacua invenitur. Ideo hunc semper oremus, hunc desideremus jugiter, ut ejus repleatur bonis desiderium nostrum, & semper ab illo re-B novetur, ac si aquilæ, inventus nostra.

8. Liquet ergo quod (*k*) sine illo nihil est [k] quod habetur, nihil quod percipitur: eo quod omnia dona virtutum hoc uno (*l*) [l] claudantur. Idcirco (*m*) si volumus cœlesti- [m] bus ditari donis, donum Patris ac Filii, id est Spiritum-sanctum, (*n*) qui ab eis con- [n] substantialis procedit & coæternus, ardenti animo petamus, ut per eum (*o*) caritas in [o] cordibus refundatur nostris, atque in ipso renascentes, quotidie ad vitam sanctificemur; quia quoscumque ille sanctificaverit sui roris aspersione, eos profecto Patrem & C Filium inhabitare credimus. Hinc idem Filius ait: *Ego & Pater* (*p*) *ad eum veniemus* [p] *& mansionem apud eum faciemus*: non quasi Joh. 14. 23. prætermisso Spiritu-sancto, sed signanter insinuans, quod ad eos tantum Pater & ipse veniant, (*q*) quos idem suæ præventu [q] aspirationis sanctificaverit Spiritus, licet in omnibus sibi semper cooperatrix sit tota Trinitas. (*r*) Qua de causa sicut nihil in [r] hac vita felicius bono Christiano, ita nihil Bono Christiano nihil felicius. illo periculosius, si desertus a tanta gratia fiat membrum meretricis. (*s*) Et ideo, ca- [s] D rissime, castum te custodi, quia hoc munus quo virgines generantur, nimirum non modo carnis luxuriam, verumetiam mentis exsecrat (*t*) desidiam, & omne quod est, [t] unde noster (*u*) interior homo possit macu- [u] lari. Quo velim, quia ordinante Deo jam sacris assistis altaribus, lava inter innocentes, non cum Pilato, manus, quia nulla excusatio prodest, ubi testis est conscientiæ (*x*) judex, [x] & si (*y*) probaveris te primum, tum de pane [y] illo ede, & calice securus bibe. Sin autem,

(*a*] Hic incipit in cod. Laub. Cap. LXXXVI. *Quod in vino nostri germinis castitas corrumpitur, ab isto virgines procreantur.* E

[*b*] Cod. Maj. mon. omisso *nullum esurire* subjicit *nullum sitit.*

(*c*] Mss. Maj. mon. *Quod nihil aliud est.* Al. *quod nullum est aliud simile vel melius.*

(*d*) Al. *secum a Spiritu sancto.*

(*e*) Ita Colb. unus codex, & bene, nam refertur ad *oleum* alii mss. *Quem profecto.*

[*f*] In cod. Laub. hic incipit Cap. LXXXVII. *Quomodo vivere debeat qui communicare debet.*

(*g*) Mamer. & Ulim. cum Anic. Majoris-mon. & S. Aud. *Alioquin malo nec caro nec sanguis, sed judicium quod percipitur* sive *percipit.*

[*h*] Editi cum ms. Maj. mon. addunt *Spiritu* quod ab omnibus mss. exsulat.

(*i*) Duo mss. *quibus Christus ecclesiam replet.*

[*k*] Quatuor mss. *Quod sine dubio absque illo nihil est quod habetur.*

(*l*) Ms. Maj. mon. *Hoc uno dono claudantur.* Anic. *Hoc uno laudantur.*

(*m*) Tres mss. *Idcirco si volumus cœlestibus acquiramus nobis donum Patris & Filii, Spiritum-sanctum.*

(*n*) Deest apud Sirm. *Id est Spiritum-sanctum.*

(*o*) Colb. unus *per eum caritatis donum.*

(*p*) Tres mss. *Ego & Pater unum sumus, & ad eum veniemus.*

(*q*) Quatuor mss. *veniens* forte *venient.*

(*r*) In codice Laub. hic incipit Cap. LXXXVIII. *Quod nihil felicius bono, nihil infelicius malo.* Textus vero sic. *Qua de causa fit quod sicut nihil.*

(*s*) Hic item incipit in codice Laub. Cap. LXXXIX. *Quod gravius sit, peccatis sordescentibus, si impudenter ad communionem accedant.*

(*t*] Editi *exsecratur*, sed mss. fere omnes *exsecrat.*

(*u*] Quatuor mss. *unde noster exterius homo.*

(*x*) Mam. cum sex mss. *conscientia judex.*

(*y*] Editi *Et cum probaveris te purum.* Sed mss. omnes nostram lectionem retinent.

da

da (*a*) honorem Deo, & corrige quantocius pœnitudine (*b*) cordis maculam erroris, ſi quo modo valeas demum Chriſti altaria circumdare piis amplexibus, & ad ſancta ſanctorum mente pura devotior (*c*) introire; alioquin gravius eſt in ſordibus adhuc ſordeſcere, & ad illicita Dei myſteria, contemto Deo, impudenter accedere.

9. (*d*) Hæc igitur ob cautelam tui dixerim, dilectiſſime fili, quia novi pleroſque veluti ſues immundas, (*e*) qui ſub obtentu pœnitentiæ redeunt ad volutabra tanto proclivius vitiorum, quanto facilius ad hæc ſine præjudicio reatus ſui accedunt, iſta pedibus calcare: quin & quia ſemel eos Dei patientia ſuſtinuit, dum indigni (*f*) vitæ myſteria præſumerent, (*g*) ulterius ea quæ dicimus vera (*h*) malunt credere. Verentur enim coram humanis obtutibus ſuam verecundiam portare, quam coram majeſtate divina & omnium ſupernorum (*i*) civium præſentia temeritatis incurrere offenſam. Quibus profecto cordis induratio, cum nec ſe corrigunt, nec Dei viſitantur pietatis verbere, jam pœna peccati eſt & contemtus ſuperbiæ; ſed Dominus quia eos continuo non punit, ut prætulimus, numquid non curat, aut ſuas injurias itatenus inultas obliviſcitur? Nequaquam hoc dixerim, præſertim cum idem videat, & ad iracundiam exinde amplius concitetur, eo quod provocent eum filii ſui ac filiæ in iram, quos angelorum gratis ſociaverat menſæ. Hinc quoque eſt quod ſequitur: *Abſcondam faciem meam ab eis, & conſiderabo noviſſima eorum.* Deut. 31.17.

10. [(*k*) De quorum manifeſta damnatione etiam Apoſtolus terribilem infert ſententiam, dicens: *Irritam quis faciens legem Moyſi, ſi ſine ulla miſeratione ſub duobus vel tribus teſtibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcavit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, & in quo ſanctificatus eſt, Spiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Heb. 10, 28. Filium itaque Dei conculcare non immerito dicitur, qui radicem omnium virtutum caritatem, per quam etiam ipſe unigenitus Dei homo fieri dignatus eſt, negligenter peſſumdat; ac ſic fraterno repletus odio, antequam illi in pace reconcilietur, hæc ſacroſancta ſacrificia offerre præſumit. Sed ejus munus ab omnipotenti Deo non accipitur, niſi ante proximi diſcordia ab animo pellatur, dicente Veritate: *Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi mu-* Matt. 5.23.

A *nus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeras munus tuum.* Qua in re penſandum eſt, cum omnis culpa hujus hoſtiæ munere ſolvatur, quam gravis eſt culpa diſcordiæ, per quam nec munus accipitur. Debemus itaque, antequam hoc offeramus, ad proximum, quamvis longe poſitum, longeque diſtinctum, mente ire, eique animum ſubdere, humilitate illum ac benevolentia placare; & ita ſcilicet conditor noſter, dum tale placitum noſtræ mentis aſpexerit, a peccato nos ſolvit. Veritatis autem voce atteſtante diſcimus,

B quia ſervus qui decem millia talenta debebat, cum pœnitentiam ageret, abſolutionem debiti a Domino accepit. Matt. 18.24. Sed quia conſervo ſuo centum denarios ſibi debenti debitum non dimiſit, & hoc eſt juſſus exigi quod ei fuerat jam dimiſſum, & in carcerem truſus eſt. Ex quibus videlicet dictis conſtat, quia ſi hoc quod in nos delinquitur ex corde non dimittimus, & illud rurſus exigimur, quod nobis jam per pœnitentiam dimiſſum fuiſſe gaudebamus. Ille igitur ſui delicti bene veniam poſtulat, qui prius hoc quod in ipſo delinquitur relaxat: quod quicumque facere ſpernit, ſi divinam

C hoſtiam tractare temere præſumſerit, Dominicum corpus conculcare dicitur, non quod ab ullo mortalium conculcari poſſit; ſed quia male tractanti potius in conculcationem convertitur, ſanguinemque teſtamenti, novi videlicet & æterni, polluere non inconvenienter dicitur, quicumque ſociam angelorum caſtitatem ſpernens immundæ luxuriæ ſordibus inquinatur; & ſic antequam per humilem confeſſionem, ac dignis fructibus pœnitentiæ, ſeu largis lacrymarum fluminibus abluatur, ad hujus

D menſæ participationem indignus præſumit accedere. Spiritui etiam ſancto gratiæ quam maximam videtur contumeliam facere, quicumque terrenam panis ac vini ſubſtantiam, dum ejuſdem Spiritus virtute & conſecratione ſanctificatur, in ipſam eamdem carnem & ſanguinem, quam B. Virgo ejuſdem Spiritus virtute & operatione concepit & peperit, dubitat poſſe converti. Unde autem veniam peccaminum conſecuturus eſt, qui Spiritus-ſancti, qui remiſſio omnium peccatorum eſt, iram con-

E tra ſe accendit, dum dubitat eum aliquid non poſſe operari? Quam gravi itaque pœna iſti tales Dominicum corpus & ſanguinem male tractantes plectendi ſunt, luce clarius patet, dum ab Apoſtolo graviora mortis ſupplicia promereri judicantur.]

[*a*] Cod. reginæ Sueciæ & duo regii *Da honorem tantis myſteriis.*
[*b*] Editi *plenitudine* mſſ. omnes *pænitudine.*
[*c*] Al. *ditior.*
[*d*] Hic in cod. Laub. incipit CAP. X C. *Deploratio immunde viventium communicare præſumentium.*
[*e*] Mſſ. fere omnes *veluti ſues immunda.*
[*f*] Mſſ. quinque *indigne.*
[*g*] Vatic. & Flor. *Temerarent.*
(*h*) Vat. *Vera nolunt credere.*
[*i*] Mam. & Sirm. *Supernorum præſentia.* Ulim. *Supernorum ſpirituum præſentia.* mſ. Maj. mon. *Supernorum ſanctorum præſentia.*
(*k*) Anſulis incluſa ſuppleverunt reginæ Sueciæ codex 1554. & codex regis Chriſtianiſſimi 4070.

Propter quod & sæpe hi tales interdum proponunt se ad horam in melius converti cum summa deliberatione mentis, sed iterum tentationis impetu pejus ruunt. Idcirco, tu si vis salvari & his ad vitam frui, velim sic te agas, ut Deum præsentem semper ubique intelligas, & sic coram ipso verseris, ut in nullo majestatis ejus oculos offendas, quia si quis se putat ab eo uspiam delitescere, noverit eum omnino quod offensum non effugiet, qui ubique virtute pollet, sed apud eum omnia recondita quæ gessit, & signata in thesauris ejus inveniet.

CAPUT XXII. (a)

Si ulla differentia sit in hoc mysterio justo & pœnitenti reconciliato.

1. Patet igitur ex lege divina, licet Christus immoletur agnus in ecclesia, quod pro (b) differentia meritorum, hæc & (c) præmia tribuantur; unde Dominus in Exodo cum de Pascha loqueretur: *Decima die mensis hujus, tollat unusquisque agnum per familias & domos suas. Erit autem*, inquit, *Agnus absque macula, masculus, anniculus, juxta quem ritum tolletis & hœdum.* Ubi Septuaginta: *Erit vobis agnus immaculatus. De agnis*, inquiunt, *& hœdis sumetis eum.* Ex quo profecto liquet, quia ob differentiam meritorum ista præcipiuntur; si forte quis agnum non potuerit paupertate (d) vitæ assequi, id est, vitam immaculatam offerre, saltem hœdum habeat, qui semper in sacrificiis pro pœnitentibus mactatur. De quo divinæ legis interpres B. Hieronymus ait, quod Christus in domo ecclesiæ dupliciter immolatur: Si justi sumus, inquit, de agni carnibus vescimur; si peccatores & pœnitentiam agimus, nobis hœdus occiditur: non quod Christus hœdus sit, quem (e) a sinistris stare docuit, sed pro diversitate meritorum unicuique aut agnus aut hœdus (f) fit; alioquin ex lege cur hœdum simul cum agno juberet tolli, nisi ob meritorum distinctionem: ubi mox: *Et servabitis eum*, inquit, *usque ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam.* Nec tamen aperte insinuat, si de solo agno accipiendum est, quod similiter (g) de hœdo jubeat; sed ex hoc, uti moris est in scripturis divinis, latenter ostendit, quod aliud est quod perfectum (h) perfectioribus mandat, aliud vero quod lapsis & torpentibus ad indulgentiam providet. Idcirco de solo agno quid agendum aperte instituit, de hœdo vero quasi nolens edicere pressius reticuit; (i) quoniam aliud est quod ipse ubique vult perfectius, (k) aliud autem dum interdum quid indulget. Unde & alio loco de Pascha sic præcipitur: ut qui primo mense Pascha facere non potuerit, secundo faciat, id est, si cum perfectis in primo mense, quasi in prima gratia, sine mortis reatu agnum edere non potuerit, saltem secundo mense, id est, in pœnitentia reatus sui, hœdum indulgentiarum percipiat. Ait enim ita: *Homo qui fuerit immundus super animam sive in via procul in gente vestra, faciat phase Domino mense secundo.* (l) Aliter autem si aut immundus in anima non fuerit, aut procul torpore (m) ignaviæ a templo Sancti Spiritus non recesserit, & phase Domino non fecerit, *exterminabitur anima illa de populis suis omnino*, quia nisi manducaverit carnem filii hominis, vitam nequibit æternam habere, quoniam sacrificium Domino non obtulit tempore suo. Et ne putares quod de his forte diceret, qui sunt extra Christum, addidit *in gente vestra*, quia omnes Christiani quasi sub una generatione reputantur. Humilius est sane cum pœnitentibus hœdum, quam cum perfectioribus & sanctis Christum agnum comedere. Quod bene intelligens senior ille filius, de agro reversus, sed male contra dulcissimum patrem invidia permotus, objurgat dicens: *Tot annis servio tibi, numquam mandatum tuum præteriens, & non dedisti mihi hœdum saltem, ut cum amicis meis epularer.* Et quam juste! quia pro peccato (n) cœcatus, mente noluit intrare intus, nec (o) corde repœnitere. Ideo prorsus ex omnibus bonis paternis, nec hœdum indulgentiarum meruit adquirere, dum vitulus repœnitenti filio juniori tenerrimus immolatur: & quod gravius est, contumaci animo in patrem refert injurias, quas ille ex sua carnalitate ex (p) impœnitenti sibi corde contraxerat.

2. (q) Quapropter (r) post naufragium,

Exod. 12. 3.

Christus dupliciter immolatur.

Ibid. 6.

Num. 9. 10.

Ibid. 13.

Luc. 15. 29.

[a] Laub. CAP. XCI. In codice vero Vatic. hic titulus habetur: *Quod immolatio Agni Paschalis ad corpus Christi pertineat.* Textum autem hujus capitis ita incipit: *Patet igitur ex lege divina, licet Christus immoletur, tamen Agnus immolatur in ecclesia.*

(b) Mss. *providentia meritorum.* Tres mss. *pravidentia meritorum.*

(c) Ms. Maj. mon. *Hac & merita.*

[d] Editi cum ms. Major. mon. *pro paupertate.*

(e) Ita cod. S. Aud. Editi cum aliis mss. *quos a sinistris.*

(f) Ms. Major. mon. *aut hædus fit.*

(g) Al. *quod de hædo jubeat.*

[h] Editi cum paucis mss. *profecto perfectioribus.* Manier. vero *Quod perfectioribus in scripturis divinis latenter ostenderet, quod aliud est quod perfectioribus mandavit.*

(i) Al. *pressius tetigit.*

(k) Editi *perfectus.*

[l] Hic in cod. Laub. incipit CAP. CXII. *Quod quem criminalia non gravant, si communicare negligit, exterminium meretur.*

(m) Mam. *Torpore via.* Ulim. Sirm. cum Flor. & ms. Majoris-mon. *Torpore vita.* Omnes alii mss. *Torpore ignavia.*

(n) Ita cod. Majoris-mon. Mam. *pro peccatis.* alii mss. *profecto.*

(o) Colb. duo *Ne corde repaniteret.*

[p] Mss. sex *impanitens cor contraxerat.* Mam. & Ulim. cum duob. mss. *Impanitens sibi cor contraxerat.* Duo vero mss. sic legunt hunc locum. *Ex sua carnalitate vel calamitate, impanitens, vel impanitenti corde sibi contraxerat.* quæ lectio videtur interpolata.

(q) Hic collocari debet ex codice Laub. CAP. XCV. *Quod melius sit ferventi animo pœnitentiam agere, & sic vel hædum mystice in convivio Domini sumere, quam ab illo diutius abstinere.* quod in locum sequentis capitis transposuit librarius, qui & sequentia capita transtulit.

[r] Editi *Quapropter naufragium qua secunda tabula.*

quia secunda tabula est, ferventi animo pœnitentiam agamus, nimirum quia melius est, saltem hœdum mystice infra convivium Christi, ubi agnus immolatur Christus, cum fratribus epulari dumtaxat; quia sumus rei & noxii, quam cum jurgio contra pium Patrem insolescere, & ob invidiam dedignari, ne ad ineffabile Patris gaudium saltem rogati veniamus. Nec dubium quin divinitus reconciliati quantocius per hanc humilitatis viam usque ad pios paternos amplexus reascendentes, in hoc cœlesti convivio, pro nobis non solum hœdus indulgentiarum Christus immolabitur, verum sua benignitate agnus seu vitulus, Verbi divinitate saginatus, pro gaudio nostræ salutis mystice mactabitur; alioquin quomodo inter agnos, quos a dextris locabit, peccator venia recepta, ovis centesima restituetur, nisi *(a)* gratia unitus Christi jam in eo unum corpus inveniatur? (*b*) Verumtamen nec mirum si in hoc mysterio Christus pro peccatoribus quasi hœdus accipitur, qui in lege quam sæpe sub figura hircus (*c*) immolatur; unde quia duabus constat substantiis, duo ex lege hirci simul *(d)* uno in loco offerri jubentur. Quorum unus pro peccatis sorte Domino mactatur, alter vero vivens assumitur, quem emissarium lex vocat, & super ejus caput omnes iniquitates filiorum Israël confitendo universa delicta atque peccata eorum imprecabantur, & sic ad eremum mittebatur, *(e)* portans omnia peccata filiorum Israël in terram solitudinis. Ex quo profecto liquet quod Christus in similitudine carnis peccati occubuit pro nobis, & omnia maledicta legis & peccata nostra super se tulit, & ad eremum ubi nonaginta & novem oves in deserto reliquerat, festinus revolavit. Non quod illinc hircus, aut hic hœdus jure credatur, sed quia pro nobis figuram carnis peccati assumsit, & de peccato damnavit in carne peccatum, ut qui erant hœdi a sinistris jure locandi, sint oves in dextris clementer restituti: sic quoque & post lavacrum idem *(f)* qui agnus est justis, fit & peccatoribus hœdus, quatenus per hoc & ipsi justi constituantur, ut nemo a carne Christi & sanguine extraneus deputetur, nisi qui seipsum culpis exigentibus absciderit.

3. Ecce qualis est ordo: nam qui non manducat carnem Christi, neque bibit ejus sanguinem, procul dubio nec vitam habet in se manentem; & quicumque indigne comederit, non virtutem carnis, sed judicium *(g)* Dei sumit. (*h*) Porro si quis peccator est, & jam peccare desiit, licet *(i)* hœdus, ei tamen caro Christi sacramentum efficitur, ut per hoc & ipse ad veram innocentiam redeat, & inter agnos a dextris connumeretur. Illi vero qui semper deinceps post lavacrum, protegente Deo, in corpore (*k*) manserunt, nullis obvoluti (*l*) criminibus, digne accipiunt agni carnes, & potantur sanguine. Verumtamen si ita loquimur, non æstimandum, quod hic aut ille aliud accipiat, quam Christi carnem & sanguinem; quia sicut nec hœdus dicitur nisi dispensative, ob mysticam significationem, ita nec agnus, nisi ut ille intelligatur verus advenisse agnus, qui ex lege multotiens præfigurabatur, & vera mentis innocentia per eum cunctis patesceret. Ceterum quamvis hœdus dicatur mihi pro qualitate meriti & obfuscatione (*m*) delicti, tanti est omnino pretii pro mundi vita, quanti est & caro Christi: nimirum quia nihil aliud est mihi, quam caro Christi. Sed ideo rursus hœdus fit pœnitenti pro mysterio, ut maledicta facinorum & peccata expiet, sicut & agnus leviora quæque. Hinc & prius canitur *Agnus Dei* quam comedatur, quatenus per hoc fides incalescat, quia ipsius est caro (*o*) immolata pro nobis, ut tollat rursus peccata mundi. Implet autem hoc sacramentum ad expiationem pro peccatis nostris, quæ (*p*) demum contraximus, si nos cessemus ab his, & ita comedimus ut jubemur, in una scilicet domo, quæ est sancta Dei vivi ecclesia, extra quam nulli fas est edere agni carnes; neque crudum quid ex his aut coctum aqua, sed assas (*q*) tantum igni passionis Christi cum lactucis agrestibus absque fermento, id est, ut in azymis sinceritatis & veritatis eas comedamus absque fermento corruptionis. Deinde probet se unusquisque, & ut præcipitur, sic se agat. *Renes vestros*, inquit, *accingetis*, quia hæc sunt vitæ semina quibus virgines generantur. (*r*) Unde constat quod nulli peri- Exod. 12.11.

(*a*) Ulim. & Sirm. *nisi gratia Christi unitus.*
[*b*] Quæ sequuntur desunt in Vatic. usque ad *justis fit & peccatoribus.*
[*c*] Al. *immolabatur.*
(*d*) Editi *Simul in loco.* quæ verba desiderantur in mss. S. Aud. & S. Remigii.
(*e*) Ita mss. tredecim Ulim. & Sirm. *mittebant portantem omnia peccata.* Cod. Colb. unus *Et sic ad eremum per hominem mittebatur, portans omnia peccata.*
(*f*) Ita omnes mss. Editi *Idem Agnus est justis.* Laub. *Idem justis fit Agnus.*
[*g*] Mam. & Ulim. *Judicium sibi sumit.* Sirm. *Judicium sibi manducat.*
(*h*) Hic collocari debet, quod errore librarii inverso ordine positum est in codice Laub. Cap. XCVI *Quod qui per se innocens justis in perceptione est Agnus pœnitentibus non absque figura mysterio sit misericorditer, ne eos a sua communione respuat, saltem ut hœdus.*
[*i*] Editi *Licet hœdus ei sit.*
(*k*] Editi & Flor. *In corpore Christi manserunt.* mss. quinque *Incorrupti manserunt.*
(*l*) Mss. tres *mortis criminibus.*
(*m*) Mss. tres *ob fuscationem.*
[*n*] Hic in cod. Laub. incipit Cap. XCIV. *Quare prius* Agnus Dei *canitur, quam comedatur.*
(*o*)] Ms. Maj. mon. *Caro immolati.*
[*p*] Ms. S. Remigii *Quæ de mundo contraximus.*
[*q*] Anic. *sed assatum.* Puteanus & unus regius, *sed assum.* mss. S. Remig. & Major. mon. *Sed assas tantum igni passionis Christi.*
[*r*) Hic collocari debet quod librarii errore inversum est in codice Laub. Cap. XCVII. *Quod nulli periculosius communicant, quam luxuriosi.*

culosius ea contingunt quam luxuriosi & incesti. Propterea primum hoc loco & lex castitatis in renibus, quorum scrutator est Deus, per seipsum affigitur. Nam si qui uxoribus debitum reddunt in lege, non possunt ad Deum, neque ad panes propositionum, neque ad ulla legis consecrata, nisi prius saltem triduo vel eo amplius sanctificentur, accedere: quanto magis si volumus panem illum, qui de cœlo descendit, & Agni Dei carnes digne comedere, necesse est ab omnibus peccati operibus vacare, purificationemque mentis ad Deum dirigere. Et *calceamenta*, inquit, *habebitis in pedibus*; ne dum sumus in via istius sæculi, a serpente mordeamur. *Et baculum in manibus*: de quo legitur in psalmo: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Quibus ita præmissis, sic ait: *Comedetis illum (a) festinanter. Est enim phase, id est transitus Domini.* (b) Alioquin desidia (c) torpentes, & hic in sæculi actibus remorantes non digne comedunt Pascha, videlicet carnes Agni, & ideo satis timendum talibus, ne cum Ægyptiis nocte perimuntur, (d) sopore peccati premantur. Vastantur enim ab angelo, quorum mentes Agni sanguine non sunt respersæ tam exterius in carne, quam intus in conscientia. Salvantur vero lumbis succincti, & calceati pedibus, baculo Christi sustentati, ad patriam hinc quantocius summo mentis ardore vel desiderio festinantes. *Est enim phase, id est, transitus Domini.*

4. Putas ergo, carissime, quod lateat Deum ullius conscientia, non dico si criminibus est obvoluta, verum ignavia si torpeat. (e) Patet igitur, quod (f) nisi desiderio cœlestis patriæ ad superna (g) ubi Christus est, in dexteram Patris, fide plenissima & spe certa, necnon caritate non ficta, festinus transeat, de Agni carnibus jure non comedit, quia legem in hoc jubentis violat. Propterea quotiens (h) ea percipimus, attollamus mentes in desiderium, & per ardorem fidei festinemus ad tantam (i) satietatem visionis, quia nimirum hic gustus est, illic autem satietas. Satiabimur, (k) inquit propheta, *dum manifestabitur gloria tua*. (Psal. 16. 15.) Transit ergo Christus in nobis de hoc sæculo ad Patrem, transeamus & nos in illo, quia cum illo simul omnes, si (l) ejus membra connumeramur, una persona & unum corpus sumus. Qui autem adhuc resident per desidiam super ollas carnium & (m) negligentiam, non cum illo hinc (n) transeunt neque festinant ad patriam. Idcirco Pascha numquam rite celebrant, quia Pascha a transitu nominatur. Unde (o) votorum fili, transeamus hinc festinantes succinctis mentibus & calceatis in præparatione evangelii pacis pedibus, ut ad illa resurrectionis gaudia quantocius (p) venire valeamus.

5. (q) Dic, rogo, hoc mysterio Dominici corporis & sanguinis quid amabilius cum legitur, quid jucundius cum intelligitur, quid dulcius cum digne percipitur, quid pulchrius, cum in decore suo sicuti est quandoque videbitur? Hæc tibi, fili dilectissime, pro ostendenda dignitate tanti mysterii pauca in præsenti opusculo hactenus dicta sufficiant. Hoc tantum te pro certo credere oportet, quia non digne, nec tanta ut sunt, a nobis explanari potuerunt. Nec mirum, cum ipsæ etiam angelicæ virtutes in suæ naturæ subtilitate, hæc contemplantes admirentur & contremiscant, ac vix hæc penetrare prævaleant. Cum ergo beatorum spirituum natura, carnis pondere carens ad hæc indaganda vix sufficiat, quando sufficienter aut digne loqui poterit homo de Deo, mortalis de immortali, visibilis de invisibili, mutabilis de immutabili, opus de opifice, creatura de creatore, factura de factore, parvus de immenso, temporalis de æterno, humilis de altissimo, plasmatus de limo de illo qui omnia creavit ex nihilo, cujus est inenarrabilis omnipotentia, qua nos omnipotentissima miseratione salvavit, qui & opus creatricis omnipotentiæ gratis fecit, & opus gratiæ salvatricis omnipotenter implevit. Illic habens potestatem condendi & regendi creaturam suam, hic habens potestatem ponendi & sumendi animam suam pro nobis unigenitus Dei JESUS CHRISTUS Dominus noster, qui cum Deo Patre & Spiritu-sancto vivit, & gloriatur, & regnat in Trinitate & unitate perfecta, Deus homo per omnia sæcula sæculorum. Amen.

In codice Laubiensi post finem capitis quod in editis est XXII. hæc sequuntur.

QUid tibi sit lex, ô carissime, ad hæc [quæ] legisti & perlegisti? quid, quæso,

[a] Editi *festinantes*.
(b) Ex codice Laub. hic collocandum est CAP. XCVIII. *Quod desides & in sæculi actibus remorantes, non digne pascha comedant.*
(c) MSS. duo *desiderio torpentes*.
[d] Put. *opprimantur*.
(e) In cod. Laub. hic incipit CAP. XCIX. *Quod nisi ad cœlestia festinantes de Agni carnibus jure comedant.*
(f) MSS. quatuor *Quod nemo nisi desiderio*.
(g) Colb. unus *ad supernam ubi Christus est dextram patris.*
(h] Mam. & Ulim. *Quotiens eam percipimus*. Sirmon. *Quotiens eum percipimus*.
(i) MS. Maj. mon. *ad tantam satietatis visionem.*
(k) Editi *Satiabor*, Colb. *Satiabitur*.
[l) Laub. expuncto *si* legit tantum *ejus membra* mss. reginæ Sueciæ & duo regii *Si inter ejus membra* al. *Si ejus membris connumeremur*.
[m] Al. *& per negligentiam.*
(n) Editi expungunt *hinc*.
(o) Anic. *Unde voto sanctorum fidelium transeamus hinc.*
(p) MS. Major. mon. *quantinus pervenire valeamus, ipso præstante qui vivit & regnat in sæcula sæculorum.*
(q) Quæ sequuntur a Paschasio addita, reperiuntur in regii Christianissimi codice 4070. & in codice reginæ Sueciæ 1554.

deliberaveris

deliberaveris jam pande. Obsurdueris an A obmutueris monstra. Utrumque video. Stupere te tantum dum considero, & quod in propheta talibus legitur, nonnihil vereor. Moneo tamen si nihil aliud invenis quod facias, Dei te, perdita omnimodis aliunde fiducia, totum dedas clementiæ, & non prius ignavæ prorsus desidiæ, sed elaborationem continua, abrenuntiatis animo his saltem, quæ Apostolo auctore, mortalia non ambigis crimina fore. Et quia non sufficit, *declina*, dicit *a malo, & fac bonum*. Si non vales, scio enim quod non vales secundum modum culparum agere pœnitentiam, desunt enim tempus, ætas, sanitas corporis, B alacritas mentis, facultas expletionis, fac quantulamcumque & hanc continuam. Licita sese ingerunt aliquoties, memento illicita te sæpius usurpasse, mendica aliunde copiam, aut vim extorque lactucarum agrestium, coque azymam, fermentum malitiæ abjice, renes accinge, baculum regiminis manui adhibe rationis, festina per desiderium quo nequis aspirare per meritum. Reconciliare quibusdam satisfactione, universis affectu, immolans dehinc tanto formidolosius, quanto petulantius extorquere C animo, ut fuerat consultius; quia non vales, cessationem præmitte, si datur, cum lacrymis; si non, cum singultu interno; detur de tuo aliquid pro necessitate interjaciens orationis piissimi redemtoris legationem auditui. Quis enim scit si convertatur, & ignoscat, & avertatur ab ira furoris, & non pereas æternaliter? Periisti quidem criminaliter.

His subjiciuntur in eodem codice sequentes orationes.

Ecce ego, Domine, ecce ego, qui dignus non fueram miser & infelix ingredi D atria ecclesiæ tuæ, nec per limina sancta intrare domum tuam, accedo ad ministrandum sanctis altaribus tuis, & asto reus & peccator ante conspectum divinæ majestatis tuæ, sine ullo ornatu boni operis, & sine ullo fructu digno pœnitentiæ, & sine ulla vel sola cogitatione munda. Indignus enim & sceleratissimus sum nimis; sed de tua ineffabili pietate & misericordia, & de meritis sanctorum tuorum confisus, licet tremens & pavidus præsumo accedere ad offerenda sancto nomini tuo sacrificia. Et ideo, Domine creator piissime, redemtor clementissime, qui omnem animam confitentem & pœnitentem magis vis emendare, quam perdere, & qui non pro justis, sed pro peccatoribus incarnari voluisti, & latroni in cruce pendenti ac tuam majestatem confitenti non solum pepercisti, sed etiam paradisum tecum intrare promisisti, me miserum & peccatorem confitentem, & desidiose licet pœnitentem peccata mea, a tua ne repellas pietate & misericordia, nec frustra accipias fidem, spem atque fiduciam, quam in tua inæstimabili clementia habeo; sed sicut omnibus criminosis & peccatoribus in te credentibus, de tua misericordia confidentibus pepercisti: ita mihi misero ad te fugienti, & post peccata ac scelera mea multa diabolo renuntianti, atque ad te revertenti parcere & indulgere, atque ad celebrandum injunctum officium paterna pietate dignum me facere & suscipere digneris, & licet importunius quam competeret me ingeram: siquidem interdictum mihi tam veteris quam novæ legis censura ignorare non valeo: cum & exterminatores impiorum atque custodes sacrorum altarium tuorum angelos vasa interfectionis in manibus gestantes, sacris oraculis tuis non incredulus, sciam omnino præsentes; capta tamen jam olim præsumtionis quadam de tua vera misericordia fiducia, quia scilicet usque etiam quod istud quo inveteratus dierum malorum perveni, te semper irritans, senium, me ultores illi tuarum, Domine, injuriarum, non, ut dignum fuerat, interfecerunt; scientes forsitan quia benignitas tua ad pœnitentiam me thesaurizantem, licet iram [merear] in die iræ & revelationis justi judicii tui, patientissime expectares, habentibus etiam adversum me multis mala fratribus: quia, Domine, asto, verum suspectus & tremens, ne subito utique, te in corpore & sanguine tuo, cum nusquam per divinitatem desis, præsente, ut justum est, feriar. Parce tamen adhuc, præsumens deprecor, piissime, parce, differ ictum, suspende vindictam, & non aspiciens ad iniquitates, scelera & delicta juventutis meæ, & ut pejus fateor etiam senectutis; sed ad misericordias & miserationes tuas multas, quibus generi humano semper misereri consuevisti; & suscipe preces & hostias quas pro peccatis meis & pro peccatis fidelium tuorum, tam vivorum quam mortuorum, majestati tuæ offerre præsumo. Recordare quod caro sumus & fragili materia conditi. etiam cœli non sunt mundi in conspectu tuo, & angeli tui reprobi inventi sunt coram te, quanto magis homines terreni, indigni & immundi? Non enim possumus esse mundi, nisi a tua pietate & misericordia quotidie corde & corpore mereamur mundari. Quapropter tu, E Domine, tu qui intentionem & devotionem torpentem, miseram ac pollutam ad sacrosanctum altaris tui mysterium excitare [voluisti], meque indignum & peccatorem ad tibi ministrandum permisisti, impudenter licet, accedere, contine adhuc, misericors, quam mereor iram, exhibe gratuitam clementiam, & concede propitius, ut celebratio hujus sacri mysterii ad quod tepidus & pavidus accedo, non ad judicium

& ad condemnationem, sed ad remissionem peccatorum & ad salutem mihi proveniat sempiternam.

Item, ita, Domine, immensi criminis rei, conscientia teste, confundimur, ut ad officium tuum nec securi possimus venire, nec liberi. Quis enim pensans peccatum suum, non se a facie tua vellet abscondere, si liceret tantæ majestatis oculos declinare, si aut evasurus lateret, aut occultatus evaderet; aut quis non magis videre te cuperet, si non, quod eum peccantem prospicis, plus timeret. Ergo, quia tu ubique nos invenis, ad te confugimus, quem fugere numquam valemus. Restat miseris, non latebras intervenire, sed lacrymas. Foveat indulgentia, quos terret offensa. Minatur potentia, sed misericordia consoletur. Ex te est qui libet, per te est qui excuset. Parce, omnipotens Pater, & quos aspicis humiles per reatum, erectos numerare digneris in præmium, & quos intelligis per confessionem miseros, non facias in examinatione confusos.

Item alia. Dimitte, Deus, quidquid per intemperantiam mordacis linguæ incauti oris nostri increpatio momordit in subditos, quidquid minus de boni perfectione diximus. Parce quidquid incongruum vel minus temperate protulimus, tu ignosce. Non incautum præsumtio puniat; sed agnoscentem me iniquitates meas pietas tuæ miserationis absolvat. Et quia non mihi alibi est fiducia, nisi in misericordia tua, tu & os meum præconio veritatis per arma & opus pleniori ubertate sanctifica, ut & dignum me salves, & commissum mihi gregem pro tua pietate justifices. Quidquid in illis vitiatum respicis sana, quidquid in me vitiosum inspicis cura; si quam vitio tepiditatis meæ vel incuria contraxerunt vel contrahunt labem omitte; si quo etiam, me ignorante vel cognito deciderint in crimine, atque si exempli mei offendiculo provenerint in culpam ignosce, & pro culpis talibus misero mihi ultionis non restituas vicem. His tamen quibus increpationis visus sum adhibere judicium, & increpatio ipsa eis proficiat ad salutem, & oratio hæc interpellans commisso eos revocet ab errore, ut non perferant tartareos cruciatus, quibus utpote mortales pœnitentiæ indiximus leges, quo utrorumque incommodis parcens, & illorum iniquitatibus tribuas veniam, & meam abluas contractandæ regendi incommoditatis offensam. Præbe, Deus, aurem sacrificiis nostris, me mihique commissos tuis adscribe in paginis, quo cum grege mihi credito, & a cuncto eluar crimine, & ad te merear pervenire in pace. Pacatum redde, Deus, nostrorum cordium habitaculum, expulsione carnalium vitiorum, & qui in subditis conor jam summam exercere virtutum, pacatis mentium corporumque incommodis, pacificus merear, te judicante, coronari cum angelis. Fac ergo quod nos, Deus, aspicientes, in conspectu tuo flammescentes, tuæ gratiæ dono zelus tuæ domus nos comedat, atque ita per vigorem Sancti Spiritus regentes subditos temperemus, ut & disciplinis nostri regiminis obtineant lucrum, & illorum duritia frangatur, ac vita fructificetur. Suscipe, Domine, votorum nostrorum libamina, ut per hæc quidquid in subditos correctionis verbo vel merito impertimur, non ad discordiam nostri, sed ad perpetuum dulcedinis gaudium nobis & illis profecisse lætemur. Absolve nos, Deus, & alieno & nostro delicto, ut in utroque spiritualis gratiæ efficientiam cupientes, fiducialius tuo nomini supplicemur. Per Dominum.

Item. Impellit ministrandi officium hostia salutaris populi pro delicto. Terret conscientia indebiti sacerdotii pro reatu, si a me omnium sacerdotum peripsema sacrificium offeratur, pollutæ conscientiæ crimen augetur; si tantæ majestati, universæ carnis judici non offertur, negligentiæ reatus adscribitur. Inter hæc tuæ, omnipotens, libramen pietatis imploro, cujus ultionis diem, accusante conscientia, pertimesco, ut non indignum, quæso, misericordia tua judices, quem a tempore pœnitentiæ non excludis. Suspende securim, donec cultor vineæ admoveat coffinum stercoris infructuosæ arboris ad radicem. Parce mihi, Domine clementissime, pœnitenti, qui David post lapsum clementer ad veniam revocasti, qui Petri misericors amare flentis lacrymas respexisti, qui latronem in crucis patibulo tanti facinoris reum divina gratia illustrasti, cui mox obtinuit confessio perspicue Dei Filium cernere, fides præmium, pœna veniam, lamenta gaudia sempiterna, dum confessor in cruce, possessor extitit paradisi post crucem: sed quia verba venia tuæ pietatis indigent, quæ indigni sacerdotii opera non commendant, saltem adstantium vota suscipe, ut & mihi suis apud te precibus veniam, & eorum meritis sacrificia nostrorum vulnerum salubriter nobis conferant medicinam, ut quia omnipotens pro omnibus factus es hostia pro peccatis, adsis nobis sacrificatio in sacrificio pro delictis, Christe Salvator mundi, qui cum Patre & Spiritu-sancto vivis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.


In veteri codice Majoris-monasterii ad calcem libri Paschasii de corpore & sanguine Domini hæc subjicitur oratio, quæ in aliquibus editis ei præmittitur.

Domine JESU CHRISTE, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu-sancto, for-

mam servi accepisti, & per crucem & passionem tuam secundum carnem moriendo, centesimam, quæ perierat, ovem, devicta morte resurgens ad vitæ pascua reportasti; munda me tua misericordia, quem hujus tanti mysterii, non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ ministrum effecisti, ab omni sorde vitiorum; quatenus ad salutem animæ mundus percipiam sacrosanctum corpus & sanguinem tuum, quo vivificatus in die judicii partem beatæ resurrectionis obtineam, & tibi cum sanctis gloriam A in æterna lætitia sine fine decantem. Amen. Benedictus Deus.

In codice vero Corbeiensi legitur hæc oratio Paschasii Radberti ante perceptionem eucharistiæ.

Sit nobis hoc sacramentum tuum, Domine JESU CHRISTE, sit ad remissionem peccatorum. Fiat nobis hæc eucharistia ad vitam, & viscera misericordiæ & gratiam salutis, sanitatemque animarum nostrarum. Amen.



PASCHASII RATPERTI
CORBEIENSIS ABBATIS
DE FIDE, SPE ET CARITATE LIBRI TRES.

Ex ms. codice Corbeiæ novæ.

OBSERVATIO PRÆVIA.

Alterum Paschasii Radberti opusculum, quod novum hic viris eruditis ac piis exhibemus, tres de fide, spe & caritate *libros complectitur, qui quo sint tempore conscripti paucis accipe.*

Cum jubente Warino Corbeiæ novæ abbate, in juniorum fratrum gratiam, quos ille de tyrocinio ad perfectiora *provehebat, editi fuerint; ante annum* DCCCLVI. *quo Warinus ad superos transiit conscriptos fuisse constat. Constat etiam post editos in Matthæum libros, quos lib.* I. *cap.* 9. *citat, Paschasium Warini jussis obtemperasse. Idque, ut vero simile est, ante susceptam Corbeiæ veteris præfecturam, quam anno* DCCCXLIV. *obivit, alioquin non* jubente *sed* deprecante *Warino opus istud aggressus diceretur. Annum præcise designant annales Corbeienses a Guillelmo Leibnitio Rerum Brunswicentium tom.* 2. *inserti, in quibus ad annum* DCCCXLIII. *hæc lego.* Præradbertus lector eximium librum scripsit, de fide, spe, & caritate. *De quo ad annum* DCCCXXXIX. *idem annalista hæc habet.* Præradbertus commonachus noster claruit pietate & doctrina a Bathurato episcopo in Patherbrunn. valde dilectus. *Ubi quod* Præradbertus *appellatur, error est annalistæ, decepti inscriptione recentioris codicis Corbeiensis, quæ amanuensis ipsius errore sic effertur.* Præradbertus Warino Corbeiensi abbati & archimandritæ suo salutem, *cujus loco si antiquiores libros consulere licuisset, non* Præradbertus; *Sed* P. Radbertus *legisset, quod sane præmissi versus acrostichi indicant, quorum initiales litteræ efficiunt* Radbertus levita.

Tractatum de Fide, Spe & Caritate publicam primus in lucem emisit noster Bernardus Pez, *acceptum a cl. viro Georgio* Eckart, *qui illum ex codice*

Corbeiensi non satis fideliter descriptum ipsi tradidit edendum, tot mendis conspurcatum, ut non solum verba integra, sed integras passim lineas omittat aut saltem immutet: id quod Bernardo Pezio viro diligenti minime censemus esse tribuendum; sed Eccardo aut illi qui ejus nomine tractatum præcipiti nimis calamo descripsit: quod indigne ferentes nostri Corbeienses, exemplum aliud accurate descriptum & diligentius collatum, ut nostra hac in amplissima collatione locum habere posset, mihi contulerunt. Ita præ ceteris optavit reverendissimus ac perillustris dominus Anscharius de Graß. ejusdem loci prior ac celsissimi principis abbatis consiliarius intimus ac vicarius generalis & archidiaconus, qui illum editioni paraverat.

RUmpe camœna moras, virtutum fœdera pange,
Ad cœli thalamos quo possim scandere perpes.
Dic, nivei flores quo vernant, cespite fosso,
Bucolicosque relinque favos, sublimia carpe.
Excipiam vitæ fontes aperire calentes,
Rauca licet pueris, cœlestia munera pandam.
Tres sunt, quæ veniunt uno de fonte sorores,
Virgineo gressu, Christi de sanguine lotæ; (a) [a]
Sed CHARITAS harum est cunctis præcelsior una,
Laude FIDES digna virtutum summa gubernat,
Et petit arma prior, sancti quibus omnia vincunt,
Virgo beata Dei SPES tendit ad ardua gressum,
In solio recubans, Christi munimine tuta:
Tres istæ nectunt virtutum fœdera, quæque
Ad cœli thalamos animam conscendere cogunt.

P. RADBERTUS WARINO
Corbeiensi abbati & archimandritæ suo salutem.

NEc dubium, quin altissimum est, de his differere, quæ nemo novit, nisi qui accipit; accipi autem non arte, vel eloquentia queunt; præsertim cum apostolus Jacobus dicat: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum esse.* (Jacob. 1. 17.) Unde diu mecum (b) multumque, mi Pater, [b] deliberans, adorior, quod exigis, de fide, spe, atque caritate quippiam, quid sint, A vel qualiter habeantur. Profecto cum (c) nullus, ut prætuli; earumdem virtutum [c] intelligentiam, nisi ex dono Sancti Spiritus potest acquirere, sine quibus nullus in re dicitur Christianus; etsi omnes reliquæ virtutes videantur adeptæ; quoniam ex istis, & in istis totius humani generis salus, & virtutum efficientia pendet; scripturarum quoque divinarum, non dico quælibet manifestiora, verum omnia profundissima panduntur & obscura, non quidem poëtarum falsura. (d) Tres nunc musarum [d] B fingo sorores, aut Pierium (e) pulso illectus; [e] sed vias vitæ aggredior manantes de paradiso. Unde novo appulsus amore, pii favoris voto devinctus, tuis me precibus adjuvari credidi; ne sine his, de his loqui audeam; quoniam non ista atramento & charta traduntur; sed calamo Spiritus sancti; de quo propheta canens: *Lingua mea,* inquit, *calamus scribæ velociter scribentis.* (Ps. 44. 2.) Verumtamen non adeo (f) lectionem omit- [f] tendam censeo, immo disciplinam earum, eruditionem sectandam; ut habeat Christianus quod intelligat, & in his precibus universi quod exoptent. Alioquin quodcumque agimus, aut cuicumque doctrinæ C insistimus, nihil est, quod acquirimus; quia in his est, quodcumque nobis a Deo donatum credimus, speramus, & per caritatem diligimus. Nulla igitur pagina divinarum scripturarum, quæ tres hasce virtutes fundamentum & culmen totius Christianitatis non prædicet, & insinuet; quibus cetera præstantur dona, & vita consequitur sempiterna. Pascuntur enim septem Spiritus-sancti donis, sicut in Job præsignatum legimus, quod tres filiæ ejus, quotidie per orbem dierum in singulorum fratrum suorum epulabantur domibus; (Job. 1. 4.) videD licet (g) quia fides, spes, atque caritas rore [g] Spiritus-sancti opime saginantur, ut visibilia contemnant (h), & ad ea, quæ non [h] videntur indesinenter festinent (i); spiritu [i] quippe Dei aguntur, & ideo pro his, quæ jam donatas diligunt (k), ardenter invigilant. [k] Quapropter de his loqui, ut congruit,

(a) Edit tota. (b) In editis deest *mecum.*
(c) Edit. *profecto enim nullus.* (d) Edit. *Falsimenta.*
[e] Edit. *Pieridum.* (f) Edit. *non ideo.*

(g) Edit. *videtur.* (h) Edit. *contemnentur.*
(i) Edit. *Festinetur.* (k) Edit. *diligentur ardenter invigilatur.*

sicut

sicut dixi, altissimum est, tacere vero, & non pro his doctrinis, & precibus insudare, stultissimum; quandoquidem nec beatitudo vestra petiit more sanctorum Patrum [a] (*a*) de fide disputare; sed quid sint [b] (*b*), qualeve negotium gerant, vel quid proprium, aut quid commune in credentibus germanitatis officio impendant, suis quos de tyrocinio ad perfectiora provehis, paucis capitulatim pandere jussisti; unde habeant hi ad modicum, quid degustent; perfectiores vero omnium [c] (*c*) sanctarum scripturarum volumina perlegant; quoniam in his, si recte sapiunt; non deerit, quo amplius & perfectius Domino reserante crescant, & crescendo ad ea, quæ sempiterna sunt, feliciter perveniant. Amen.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Fides?

1 QUærendum prius, quid sit ceterarum omnium virtutum initiatrix fides; quia sicut apostolus ait: licet aliis quibusque Christianæ religionis enitere videamur operibus: *Sine fide impossibile est placere Deo.* [Heb. 6. 33.] Et ideo satis admodum studiose, non dico, quærenda, immo imploranda est fides; sine qua nemo adhæret Deo; per quam sancti vicerunt regna, operati sunt justitiam, per quam adepti sunt repromissa, at adhuc hodie ex ea mirabiles prædicantur: alioquin quis justificatur, nisi ex fide? *Justus autem*, inquit, *meus* [d] *(d) ex fide vivit.* [Heb. 10. 38.] Ergo quærenda talis, ac tanta potestas fidei, cui omnia cedunt, sine qua nemo vivit, per quam nobis reliqua virtutum præstantur bona, & *ad mensuram fidei nostræ* [Rom. 2. 3.], ut apostolus ait, omnia gratis dispertiuntur. Manifestum igitur, quod ex diffinitione rerum, juxta philosophorum sententiam, quæque illustrantur, ut melius a singulis intelligantur. Propterea quærenda hujus diffinitio, non physica inquam, & humana, sed divina; ut per eam quoque, quid sit, de qua quæritur, evidentius apprehendatur. *Fides*, inquit apostolus [Heb. 11. 1.] in quo Christus loquebatur, *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, quod altera interpretatio, *convinctio non apparentium*, habet. Convinctio autem non apparentium jure fides dicitur; quia nobis invisibilia, & æterna, necdum igitur apparentia in corde convincit, & religat. Unde & religio nominatur. Religio autem, eo quod religet mentes nostras ad Deum, dicta probatur; vel quia invisibilia, & æterna per fidem quasi thesaurum, ne a nobis prolabatur [e] (*e*) in corde vinculo amoris fortiter ligat. Qui nimirum thesaurus, ut scriptum est, *requiescit in ore sapientis.* [Prov. 10. 13.] In ore quippe, quia de corde manat. Quem thesaurum in Christo novimus, in quo sunt [f] (*f*) *omnes thesauri sapientiæ, atque scientiæ* [Col. 2. 3.]; Christus vero *per fidem in cordibus nostris* [Eph. 3. 17.], teste apostolo, convinctus, & compactus caritatis loro [g] (*g*) tenetur; cum quo Pater, & Spiritus-sanctus *mansionem in nobis facere* [Joh. 14. 23.] dignentur [h] (*h*); ut sit jam in cordibus nostris Deus [i] (*i*) Trinitas substantia necdum apparentium. Ecce quid sit fides, *substantia*, inquit, *sperandorum, argumentum non apparentium.* Porro sperandorum substantia Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus est, totus Deus, integer Deus, unus Deus, sicut propheta canit: *Spes mea Dominus.* [Psal. 55. 5.] Quicquid enim illud est, quod Deus est, hoc totum recte credentes sperant: quia ex illo, & de illo plena immortalitas exspectatur, plena beatitudo, plena & interminabilis æternitas, atque immarcessibilis vita. Illum itaque sperant, quia cum jurejurando pollicitus est olim patribus daturum se nobis; qui etiam fecisse gaudentes [k] (*k*) credimus, & credentes speramus: sperantes vero patienter sustinemus, donec post modicum (quia adhuc secundo veniet, & non tardabit) plenitudo adoptionis recipiatur, quæ jam in spe per fidem in nobis indulta tenetur. *Dedit*, inquit evangelista, *potestatem eis filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis; sed ex Deo nati sunt.* [Johan. 1. 12.] Ex Deo itaque renascuntur, qui fide plena ex aqua & Spiritu-sancto ad immortalia renovantur. Hæc, inquam, est fides, plena Deo, plena Deitatis substantiâ, qua renascimur; credere Patrem, ac Filium, atque Spiritum-sanctum, unum Deum, verum, permanentem, incommutabilem, sempiternum. Hæc, inquam, est sperandorum substantia, & hæc via credendi, repleta omni veritate. Qua [l] (*l*) profecto fide interdum totus Deus creditur, tenetur, amatur, atque colitur; in qua nihil vacuum, nihil dubium, nihilque adumbratum; sed solidum, integrum, atque verum.

2. Hæc igitur, ut quidam diffiniunt, origo justitiæ est, sanctitatis caput, devotionis principium, religionis utique fundamentum; sine qua nemo Deum promeruit, nullus viam sanctitatis arripuit. Est enim innocens, & pura credulitas, qua itur ad Deum, per quam præceptis [m] (*m*) insistimus, & Deum jure cum pietate veneramur; quæ nimirum excludit dubia, firmat [n] (*n*) in animo certissima promissorum Dei. Hinc & signa

[a] Edit. *sanctorum primum.* (*b*) Edit. *quid sit qualeve negotium geratur.* (*c*) Edit. *omnia.*

(*d*) Edit. *inquit apostolus* omissa *meus* quod extat apud apostolum in epistola ad Hebræos. (*e*) Edit. *prolabantur.* (*f*) Edit. *in quo scilicet.* (*g*) Edit. *thoro.* (*h*) Edit. *dignatur.*

(*i*) Edit. *SS. Trinitas*, omissa voce *Deus*, quæ tamen optime quadrat. (*k*) Edit. *sperantes.*

(*l*) Editi *quia*, longe melius *qua.* (*m*) In edit. desiderantur hæc verba: *Per quam præceptis insistimus & Deum pure cum pietate veneramur.* (*n*) Edit *parit in animo.*

ostendit, virtutes exercet, & carismata sacramentorum complet. Tenet igitur Deum, & tenetur a Deo. Aliud siquidem a Deo fide percipimus, aliud ex fide debemus; quæ nimirum fides pactum est, vel fœdus inter Deum, & homines. Unde nec debet aliquis placitum fœderis destituere, cujus se pignus conspicit retinere. Nam etsi inter idoneos probosque viros semper pacta servantur; fitque violatæ fidei reus, qui aut placitum dissolverit, aut pactum irruperit, vel sociale commercium perfida calliditate mutaverit; quanto magis inconcusse servandum, quod cum Deo contrahitur, cum Christo initur, ne reus æternis legibus obnoxius censeatur? Unde irretractabiliter observandum, quicquid cum Deo in spe cœlestium promissorum copulatur; quia etsi homines in invicem (a) nonnumquam aut fallunt, aut falluntur: Deus ab homine falli nequaquam potest. Propterea exigit (b) quid promiseris; quoniam remunerator est eorum quæ compleveris. Hinc quoque angelus in Apocalypsi ait: *Esto fidelis usque ad mortem; Vincenti*, inquit, *dabo edere de ligno vitæ; quoniam hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Fides utique, quæ *per dilectionem operatur*, & non, quæ *sine operibus mortua* jacet in semetipsa, qua dæmones credunt, & contremiscunt. *Apoc. 11. 10.*

3. Verum igitur, quia infidelitas nos a ligno vitæ expulit, necesse est, ut fidelitas revocet. Dictum est ergo homini in paradiso: *Quare dixit vobis Deus, ne comederitis de ligno dignoscentiæ boni malive? scit*, inquit, *Deus quod, in quacumque die ex eo comederitis, eritis sicut Dii.* Quæ nimirum fides, immo infidelitas ex mundo, & diabolo fuit: idcirco satis oportet ex Deo sit fides, & in Deum, per quam itur ad Deum, ut non ex sese, aut ex mundi, vel ex mendacio diaboli; sed tota pendeat ex Deo, & maneat in Deum. Alioquin, quomodo vincere potest mundum, si oblectetur, & faveat his, quæ sunt in mundo? Propter quod, ut inexsuperabilis, tota sit, ut dixi, in Deum, & ex Deo, nihil consentiens faventibus oculorum concupiscentiis, & inimicorum fallaciis, in quibus vitæ superbia ministratur; immo præceptis Dei obediat, promissis inhæreat, dictis credat, ex carne & de mundo nihil præsumat. Qua sane, si quis nascitur, fide, natus ex Deo (c) parente ipsius jure dicitur; quia talis ac tanta fides, teste apostolo, sperandorum substantia divinitus prædicatur. In qua nimirum nihil nisi contemplatio deest Deitatis; *quoniam videbimus eum, sicuti est*: interdum autem tantum credimus, quia est; etsi necdum apprehendimus, quid est, donec evacuetur quod ex parte est; cum autem evacuatum fuerit (d), invenietur totum quod in fide est. Et ideo fides nostra jure ipsa substantia deitatis appellatur, quæ est sperandorum facultas, si forte nihil intra se de illo tenuerit, nisi quod ipse est. Alioquin falsa fides falsam prætendit spem; idcirco non fides, sed error potius, sicut nec spes, sed delusio recte dicitur. Unde de hac substantia nihil fingere, nihil sentire, nihilque præsumere debemus; nisi quia est, & quantum de se docuit, qui se ipsum abundanter novit. Ceterum si sensibus nostris subjaceret, inferior nostri (e) esset: sed quia præeminet (f), & exsuperat omnem sensum; credere oportet, quia est Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus, unus Deus, magnus, & immensus Deus, non habens, sicut scriptum est, consummationem; semper ubique totus, non accessu quidem, aut recessu, quia illocalis est, usquam attingens. Sed totus in Patre Filius, & totus in Verbo Pater, totusque Spiritus-sanctus in Patre ac Filio, unus Deus, una substantia: Tres quidem personæ, sed una æqualitas: nec minor Pater solus, quam simul Filius, & Spiritus-sanctus; sicut nec major Pater, & Filius; quam solus Spiritus-sanctus. Profecto, quia unum sunt. Unitas autem nec plus, nec minus recipit; sed semper una quantitas (g) prædicatur. Idcirco Deus jure semper una immensitas, una sperandorum facultas, fide creditur, spe tenetur, caritate veneratur, diligitur, & simul his tribus unus Deus, immensus, & sempiternus colitur. Longum est igitur de hac Trinitate immensa doctorum catholicorum ad modicum volumina pervadare; præsertim, cum nec nostri operis assertio id proposuerit; sed tantum tuis obtemperare jussis, & simplicioribus exhortando ostendere, quid sit fides, spes, atque caritas, quibus Deus Trinitas colitur, & prædicatur. Aliud quippe est a sapientibus, & eruditissimis ecclesiarum doctoribus de fide Trinitatis subtilius, ad refellendos fidei adversarios disputare (h); in quibus perpauci probantur idonei: aliud siquidem paucis explicare quid sit ipsa fides, spes, atque caritas; sine quibus nemo salvatur, nemo Christianus jure creditur.

Gen. 3. 2.

Joh. 3. 2.

4. Hinc quoque summopere intellectualiter quærendum, quid sit, quod ait apostolus: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Numquid igitur tale argumentum, quale utuntur philosophi ad decipiendos interdum incautos (i)? absit. Sed hoc verbum veniens ab ambiguo græco, multis in latino licet impropriis, interpretatur verbis; vix tamen

(a) Edit. *invicem.* (b) Edit. *exigitur* sed melius *exigit* scilicet *Deus.* (c) Edit. *natus ex Deo patre dicitur* omissa *ipsius jure.* (d) Edit. *fuit* non ita bene. (e) Edit. non habent *nostri*.

[f] Edit. *prominet.* (g) Edit. *qualitas.*
[h] Edit. *disputari* non ita recte. [i] Edit. *innocentes* sed longe melius *incautos.*

exprimens efficaciam verbi apostoli; & ideo alii *argumentum*, alii *capitulum*, alii *convictio*, vel *visio* transtulere: sed bene ad sensum *capitulum* sonare videtur; quia hic initium rerum non apparentium fides tenetur, illic integritas visionis; & sicut vera quælibet argumenta sapientes sæculi persuadere solent; ita fideles Christi ea, quæ certissima sunt & vera, fide investigare: *Per fidem enim ambulamus, & non per speciem*; (2. Cor. 5. 7.) & ideo fides quasi argumentum investigandi tenetur; species vero, quæ per eam quæritur, veritas; quam jam fides illustrata quærit, non aliud, sed eum ipsum, quem jam per fidem tenet. propter quod per prophetam dicitur: *Lætetur cor quærentium Dominum, quærite Dominum*, (*a*) *& confirmamini, quærite faciem ejus semper*: ac si patenter dicat: Quærite Dominum, & non alium: sed eumdem ipsum, quem jam invenisse constat per fidem; scilicet, ut confirmemini magis ac magis in idipsum, donec ad speciem perveniat; *quia videbimus eum, sicuti est*. Et non ut aliud requiratis, *quærite*, inquit, *faciem ejus semper*. Porro *semper*, quia immensus est, & non recipit consummationem. Siquidem fides propterea dilatari jubetur, atque ad immensa progredi, ne forte finem faciat credendi. Immensus quidem Deus, immensam requirit fidem, qua capiatur; & ideo expedit nullam (*b*) & ipsam de illo recipiat consummationem; donec liceat videre, veluti est, Deum deorum in Sion. De quo sane sponsa in canticis: *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea*. (Cant. 3. 1.) Et post pauca: *Cum pertransissem eos*, inquit, *inveni quem diligit anima mea: tenebo eum, nec dimittam, donec introducam illum in domo matris meæ*. (Ibid. 4.) Quid putas, quo abierit, vel quo invenerit eum, vel quibus vestigiis quæsierit illum? fidei utique gressibus in corde (*c*), ubi prius jacens in lecto infirmitatis, nequiverat invenire; quia profecto modo infidelitatis adhuc premebatur. Unde signanter in nocte quæsisse illum dicitur; quæ mox, ut (*d*) pertransiit tenebras cæcitatis, invenit eum fide; propter quod & constanter abnegat, numquam se dimissuram, donec ingrediatur domum cœlestis Sion, quo liceat evidenter faciem ejus speciemque tueri. Quam sane faciem semper requirere, & numquam quærendi studium abrumpere se jurat; quia profecto fides argumentum non apparentium est, & necdum species perfectæ visionis. Ergo dum fides recta tenetur, ille in corde versatur, quem qui apprehenderit, necesse est fidem teneat confessionis: alioquin, nisi fides servetur, ille in nobis esse non potest, qui non nisi fide apprehenditur, apprehensus vero in cordibus nostris fide servatur ac tenetur.

5. Et notandum, quæ videntur, quia temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna. Porro fides circa ea, quæ non videntur, semper versatur; quia illa sunt sperandorum pascua. Alias autem ea, *quæ videntur, quis sperat?* (Rom. 8. 24.) Et ideo fides sperandorum substantia est; quia illa omnia in se gerit, quæ non videntur. Contemnit vero temporalia, & supergreditur visibilium universa, nihil in se habens caducum, nihil vacuum, nihilque infirmum: immo plena Deo, plena veritate, quia Deus veritas est: plena æternitate, plena incommutabilitate, ad eamdem quoque satisfactionem ducit, ad quam etiam, quæ videntur: proindeque neque circa ea, quæ videntur, credulitas, vel incredulitas dici potest, sicuti nec fides; nisi cum circa ea, quæ non videntur, amplius, quam circa illa, quæ videntur, satisfactionem habuerit: quoniam, quæ sunt in spe, sine substantia quodammodo esse videntur, dum sine fide putantur: & ideo omnis fides tribuit substantiam. Et ut evidentius loquar verum, ipsa est essentia, seu substantia eorum, ut puta resurrectio generalis necdum facta est, & ideo quasi necdum est in substantia: sed quia credimus Christum resurrexisse caput totius ecclesiæ; credimus & in illo omnia membra sui corporis resurgere; immo resurrexisse, sicut ait apostolus: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite*. (Col. 3. 1.) Ecce quod notandum in re visibili; quia in Christo est, & necdum apparet, ut futura est; fides nobis tribuit substantiam; & spes vera facit eamdem resurrectionem jam subsistere in anima nostra. Et hoc est, quod dicit apostolus: *Fides est sperandorum substantia*. Et ut alii codices habent; *Visio necdum apparentium*. Vera igitur visio; quia fides recta verior est quam visio; quoniam etsi visu sæpe fallimur, ut multis in locis probare possumus; fide tamen numquam deludimur; quia fides numquam aliud, quam veritatem recipit; propterea recte plus, quam visio, etsi necdum apparentium, dici potest. Unde sint (*e*) hæc omnia, quæ videntur in visu, quo sæpe deludimur, & temporalia, quæ momentis singulis delabuntur, & ad non esse festinant; illa vero quæ non videntur, in fide, quia æterna sunt; de quibus Esaias propheta: *Sperastis in Domino, sperastis*, inquit, *in sæculis*. (Isa. 26. 4.) Et ideo profecto certiora sunt illa, quæ semper manent ut sunt, & creduntur; quam illa quæ videntur, ut non sint, (*f*) & labuntur. *Præterit enim figura hujus sæculi*, (1. Cor. 7. 31.) quæ videtur, & illa quæ fide tenentur, semper immutabilia, sine fine, & ideo

(*a*) In edit. desideratur *quærite Dominum*.
(*b*) Edit. *ne & illa ipsa*. (*c*) Edit. *gressibus & corde*.
(*d*) Edit. *ubi pertransiit*. [*e*] Edit. *unde sunt*.
[*f*] Edit. *ut sint*.

æterna. Ad quæ nimirum fide venimus; quia [a] interdum (a) per fidem ambulamus, & non per speciem. Idcirco quisquis ad ea venire festinas, noli fingere tibi speciem aliquam; ne desinas per fidem ambulare; quia *justus* [b] *ex fide* interdum (b) *vivit*; & non ex visione rerum. alioquin cavendum, ne sine fide incipias, dum per præceps tibi falsa incipis fingere, justus non esse, & inter mortuos deputari; quia omnino *justus ex fide vivit*.

CAPUT II. *Si fides circa ea versatur quæ non videntur; utrum evacuanda sit cum illa per speciem apparuerint?*

NOn enim æstimandum, cum quisque fidem suam videt, qua credit quæ nondum videt, quod aliquid sempiternum videat. Non enim profecto semper hoc erit, quod utique non erit; quoniam peregrinatione ista finita, qua peregrinamur a Domino, species illa successura est, per quam videbimus facie ad faciem quæ modo non videntes credimus, donec necesse est per fidem ambulare. Tamen, quia credimus, videre merebimur, atque jam ad speciem nos perductos esse per fidem sine fine gau- [c] debimus: neque enim (c) jam fides, quâ credantur quæ non videntur; sed species, qua videantur quæ in hac peregrinatione prius credebantur. Tunc ergo in præteritis [d] atque transactis fides ista reputabitur, (d) non in præsentibus rebus, semperque manentibus, quas utique contemplatio præsentabit; & ideo in recordatione potius erit, sicuti infantia, vel pueritia juventuti: quibus evacuatis succedit senectus, & manet tamen idem homo, nec substantia per- [e] mutatus. (e) Sic itaque fide evacuata, manebit incommutabilis Veritas visione fruenda; nec alia, nisi ad quam per fidem gradiebamur, quamque per fidem credidimus, a qua prius peregrinabamur. Siquidem non alia, sed ipsa eademque substantia sempiterna, incommutabilis; & ideo apostolus fidem dupliciter diffinivit dicens: *Sperandorum substantia*, & *argumentum non apparentium*; quia profecto etsi fides evacuatur, tamen substantia fidei manet. Aliud quippe fides est, aliud substantia fidei; & ideo argumentum veritate manifestata evacuatur; sperandorum substantia manet, quæ in fide erat visione reddita. Ac per hoc firma est fides; quoniam nihil aliud quam veritatis substantiam gerit, quæ numquam evacuatur; sed visione æterna sine fine fruetur. Ad quam itaque caritas flagrat pervenire; & ideo fide atque spe ab Apostolo major prædicatur. Quoniam etsi nunc tria

A manent, his tamen major jure caritas appellatur; quia cum caritas de visione beata perfectius augmentabitur, ut æterna permaneat; tunc fides atque spes rerum necdum (f) apparentium visione evacuabitur; [f] eo quod quisque, quæ jam videt, nec credit, nec sperat; sed contemplatione fruitur perfecta. Erit tamen in memoria vestigium recordationis earum adfixum, quo gaudium æternæ beatitudinis augeatur ad (g) ea, quæ credidimus, speravimus pervenisse perpetua delectatione fruituri. [g] Alioquin si nullum in nobis quasi vestigium transiens relinquatur, profecto nec in me- B moria nostra ejus aliquid remanebit, quo recurramus (h) cum gaudio eam præteritam recordantes; [h] præsertim cum omnia, quæ nobis suggessit, visu recolentes amabimus. Et ipsa erit substantia, quam nunc credimus, speramus etiam, & amore fruimur; de qua scilicet substantia per Jeremiam Dominus: *Si stetisses*, (i) inquit, *in* [i] *substantia mea, & nota fecisses verba mea* Jer. 23. 22. *populo meo, avertissem eos utique a via sua mala*. Stare quidem est in substantia Dei per fidem, Deum corde credere ad justitiam: & verba populo nota facere, ipsum C confiteri ad salutem; ac per hoc, quamdiu justus ex fide vivit, tenditur ad æternam per eamdem fidem licet temporalem; quæ constituta est in æternis; quia quæ videntur, temporalia sunt, & ideo minime creduntur; quæ vero non videntur, æterna; propterea per fidem, donec videantur sicuti sunt, interdum versantur in corde; quæ sane fides scientia dumtaxat nutritur, in qua, quæ sunt æterna, admodum contemplamur.

CAPUT III. *Utrum fides visibilis sit, cum sit substantia sperandorum, argumentum necdum apparentium?*

D MAnifestum, quod credere jubemur quæ videre non possumus; ipsam tamen fidem, quoniam nobis inest, profecto videbimus in nobis, quia & rerum absentium præsens est fides, sicuti rerum quæ foris sunt intus est fides: & rerum, quæ non videntur, videtur fides; & ipsa tamen temporaliter fit in cordibus hominum: quod si (k) ex fidelibus infideles fiant, (l) perit [k] ab e[illegible] Non ita tamen de cordibus recte [l] perire dicitur, quando (m) eam veritas in- [m] E venta, quæ in fide erat, pellit; immo satis optabiliter rerum verarum fides in easdem transit, ut non sit jam argumentum rerum quæ non videntur, sed substantia, quæ prius in fide erat latens, præsens exhibita, ut videatur. Quapropter non est dicendum *pe-*

[a] Edit. *Quia per fidem ambulamus* omisso *interdum*.
[b] In edit. etiam hic desideratur *interdum*, id est *interim*.
(c) Edit. *Neque est jam fidei*. [d] Edit. *computabitur*.
(e) Edit. *permutatur*. (f) Editi *nedum*.

(g) Edit. *Nos ad ea quæ credidimus speravimus pervenisse perpetua delectatione fruituros*. (h) Edit. *Recreamur*.
(i) Edit. *Si stetissent*, & paulo post, *fecissent*.
(k) Edit. *quia si*. (l) Edit. *fiunt*. (m) Edit. *quoniam*.

rit;

rit; quando ea quæ credebantur fide, videntur jam per speciem, sublato argumento, veritate ipsius substantiæ manifestata. Aut numquid fides dicenda est ipsa visio veritatis, cum sit ab apostolo diffinita convinctio vel argumentum rerum non apparentium? Non itaque, sed veritas reserata, quæ non dico in fide; verum ipsa fides fuit, quæ argumento evacuato, visu fidelium in sempiternum fruenda erit. Aliquando autem in præsentiarum & rebus falsis accommodatur fides, quasi dicamus: Mihi facta est fides, & decepit: si tamen talis habita fides sit dicenda. Porro fides Christianæ religionis communis est omnibus, non sicut aliqua corporis forma communis est ad videndum omnium oculis quibus præsto est; ex ipsa quippe omnium cernentium (a) informatur aspectus; sed sicut dici potest facies humana omnibus hominibus communis. Nam hoc ita dicitur, tamen ut (b) singuli suas habent facies. Itaque ex una doctrina fidem impressam credentium cordibus singulorum, qui hoc idem credunt, verissime dicimus: sed aliud sunt ea quæ creduntur, aliud ipsa fides, qua creditur. Illa quippe in rebus est, quæ vel esse, vel fuisse, vel futura dicuntur; hæc omnino in animo credentis est, ei tantum conspicua, cujus est, quamvis sit & in aliis non ipsa, sed similis. Non enim numero est una, sicut ait (Eph. 4. 5.) Apostolus: *una fides*; sed genere. Propter similitudinem tamen & nonnullam diversitatem, unam dicimus magis esse, quam multas: facilius itaque (c) dicitur multas animas fuisse, singulas singulorum, de quibus legimus in Actibus apostolorum, quod fuerit eis *anima una* (Act. 4. 32.): quam (d) cum dicat Apostolus, *una fides*, ut audeat aliquis tot fides dicere singulas singulorum, quot sint & fideles. Veruntamen qui dicit: *O mulier, magna est fides tua!* (Matth. 15. 28.) Et alteri: *Modicæ fidei quare dubitasti?* (Ibid. 14. 31.) suam cuique esse significat fidem, etsi omnium una est fides. Non quod altera sit, seu plures; sed quia una eademque fides in singulis Dei discernitur distributione, & propria efficitur credendi quantitate, & qualitate intelligendi: quam nec sicut imagines, quas in memoria ex corporibus, quæ vidimus oculis corporeis, in corde conspicimus, quando absentia cogitamus; nec sicut ea quæ non vidimus, & ex his quæ vidimus, cogitatione utcumque formamque in animo, quo (e) commemorando quando libuerit recurramus: (f) nec sicut homo, cujus non vidimus animam, sed ex nostra eam conjicimus, eumque vivere motibus corporeis intuemur: non sic itaque videtur fides in corde, in quo est, ab eo, cujus est, quamvis ex auditu in nobis concepta sit: non tamen ad eum sensum corporis pertinet; quoniam non est ipsa sonorum: nec ad visum prorsus, quia non est color, nec corporis forma; neque ad eum sensum qui dicitur tactus, quoniam nihil corpulentiæ habet; nec ad ullum omnino sensum corporis, quia omnino cordis est res, & non corporis: nec foris est a nobis; sed in intimis animi: nec eam quisquam hominum videt in alio; sed unusquisque in semetipso suam utique fidem videt, & cognoscit, tanto (g) luce clarius, quanto plus scientia pollet & intellectu: quam profecto nulla imaginatio corporis gignit aut nutrit; sed pietas in Deum ea (h) certissima scientia tenet ex his quæ Christus in carne aut docuit, aut gessit; puraque conscientia clamat, & ad ea quæ nondum intelligit, ex his quæ intellecta conspiciuntur, fide devotus ardenter festinat. Ceterum in altero quisque credit fidem esse, non videt; & tanto firmius eam in aliquo credit, quanto fructus ejus magis novit, quos operari fides solet per dilectionem; a qua (i) si quis se subtraxerit fide, (k) incipiet (l) jam mortuus inter impios deputari; quoniam *justus*, inquit, (m) *ex fide vivit.*

Caput IV. *Quare dicta sit fides, & quod nonnisi inter duos integra jure habeatur fides.*

Est autem fides dicta, eo quod fiat dictis; ut quidquid dictorum pollicitatio tenet rerum non apparentium, alter eorum dictis impleat, alter vero, quæ dicta sunt interdum (n) donec ostendantur, per fidem in corde teneat. Quæ nimirum fides inter Deum & hominem irretractabilis esse debet; quia quæ Deus Veritas dixit, absque ulla dubietate hominibus credere convenit; & quæ homo fide spopondit opifici, quantum ex se est, operibus ad intus gratia servare (o) usque ad mortem utraque debet. Itaque de illo, & de his quæ nobis in suis sacræ scripturæ libris erudiri voluit, & cum necdum contueantur, amplius & perfectius per ea quæ jam ex eisdem dictis visa sunt, & substantialiter exhibita, credenda sunt absque ambiguo, & in animo firmiter retinenda: quia, ut dictum est, rerum præteritarum exhibitio, certitudo est futurorum: nihil enim verius quam ipsa Veritas; & ideo clamat Apostolus, *quod non mentitur Deus.* (Tit. 1. 2.) Deus autem veritas est, & non ex accidente, sed essentialiter; idcirco incommutabilis; & quia incommutabilis, quidquid incommutabiliter dixit, profecto fiendum (p) est. Hinc namque ait: *Cœlum* (Luc. 21. 33.)

(a) Edit. *credentium.* [b] Edit. *Et tamen singuli.*
[c] In editis desideratur *dicitur.* (d) Edit. *quia.*
(e) Edit. *quodammodo.* (f) Edit. *Rememoramus.*
[g] Edit. *tanta*, sed melius *tanto*, cui respondet *quanto plus, &c.* (h) Editi *eam* non ita male.

(i) Edit. *Et quibus.* (k) In edit. desideratur *fide.*
[l] Edit. *incipit.* (m) In edit. desideratur *inquit.*
(n) Edit. *interim.* (o) Edit. *operibus servare usque ad mortem utique debet.* [p] Edit. *faciendum.*

& terra transibunt; *verba autem mea non transient.* (a) Quapropter, quia transire non possunt, nisi fiant, credenda sunt. Quorum verborum fides, quia ex veritate formatur, vera esse debet, & non ficta, nulla dictorum diffidentia obfuscata, immo luce clarius veritate, quæ Christus est, illustrata debet splendescere usque ad visionem perfectam: quia nimirum ad hoc venit Christus, lux vera, *ut illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum*, quem nemo tenebrarum potuit comprehendere. Unde dictum est: *Et tenebræ eum non comprehenderunt.* Sed quia fides ex Deo illustratur, debet in nullis offuscari, sperandorumque substantiam jugiter in memoria credentis præsentare: quia dum fidelis quisque veritatem requirit, non aliam utique, sed eamdem ipsam quam in fide gerit, perseveranter quærit; ut per fidem ad ejusdem satietatis visionem devotus pertingat æternaliter, quam modo æternam in corde credit temporaliter: non quod ipsa sit temporalis in animo, sed quia argumentatio fidei est temporalis, donec mens exspoliet se temporalibus & induatur æternis. Hæc nimirum fides est, per quam, quæ Deus de se docuit aut promisit, etiamsi nondum intelligimus, vere credimus, & confitemur. Ceterum ut integra in nobis maneat illa quæ per dilectionem operatur, agenda sunt quæ nos Deo fide promisimus, ut dictorum fides operibus comprobetur: alioquin ille fidelis manet, licet aut nos de illo diffidentes simus, aut certe quæ spopondimus opere minime compleamus. Hæc est, inquam, integra fides, si Deum ex toto corde credas, & a nullis mandatorum ejus te subtrahas; fidem quoque, qua diabolo & pompis ejus, suisque operibus abrenuntiasti, observa (b) ne corrumpas; quoniam hæc est integra fides, quam se Paulus apostolus gloriatur servasse: *Fidem*, inquit, *servavi*, *cursum consummavi.* Et alibi: *Scio cui credidi*, *& certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem.* Servat igitur Paulus fidem, servat & Christus: ex se quippe ait, *Fidem servavi*, ex Deo vero, *Certus sum quia potens est depositum meum servare.* Sed ut sciremus, quia & nos ex Deo in nobis depositum habemus, quod oporteat fide integra custodire, ait Tito: (c) *Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum*, *qui habitat in te.* Ecce depositum quod Deo commisimus, ex quo certi esse debemus, quia servatum nobis restituet: ita sane, si nos ejus depositum penes nos in corde inviolabile custodimus; & ideo, ut dixi, fides integra non minus quam inter opificem & opus ipsius probatur. Quod si de illo aliquid est quod non credimus, ille verax est, non se negabit; nos si forte, quia increduli, condemnabimur: nam quia & se credidit nobis, abrenuntiato diabolo & pompis ejus suisque operibus, restat ne rei inveniamur, opere (d) conservemus pollicitationem nostram, in qua renati sumus. De hac quippe in Apocalypsi monet Spiritus-sanctus: *Esto fidelis usque ad mortem.* Plane quia post terminum vitæ hujus, non fides, sed fidei merces erit ipsa deitatis contemplatio. Interdum (e) autem dum peregrinamur a Domino, fidei jura integre servanda sunt; quia nihil prodest fide nosse Deum, quem operum factis & moribus abnegamus. Quoniam non prius confessionem Deitatis requisiti in baptismo edidimus, quam his omnibus abrenuntiaremus. Unde nihil prodest dicere confessionis ore: Domine, Domine; nisi feceris ea quæ jubet, & omiseris quæ prohibet; quia *nulla pars lucis est cum tenebris*: nam qui prius eramus tenebræ, nunc facti sumus lux in Domino, necesse (f) est, ut *sicut filii lucis ambulemus.* Unde quod apud Deum semel deposuimus, ut vita nostra cum Christo abscondita in cœlis servaretur; non repetamus, donec Christus iterum appareat; ut *cum Christus apparuerit vita nostra*, *cum ipso appareamus in gloria.* Servemus & depositum ejus in nobis, utique bonum thesaurum, scilicet repertum in agro corporis Christi, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ atque scientiæ*, fide integra bajulantes eum *in vasis istis fictilibus*; quatenus hinc inde fideles inveniamur, ne a latronibus in via, quod absit, exspoliemur.

[Marginalia: Joh. 1. 9. — Ibid. 5. — 2. Tim. 4. 7. — 2. Tim. 1. 12. — 2. Tim. 1. 14. — Apoc. 2. 10. — 2. Cor. 6. 14. — Eph. 5. 8. — Col. 3. 4. — Col. 2. 3. — 2. Cor. 4. 7.]

CAPUT V. *Quod gemina sit, una eademque fides, sicut charitas una prædicatur.*

HÆc de fide, quæ in Deum est, dicta sint; ceterum videamus, si & proximo fides servanda sit; præsertim cum in Salomone legamus: *Fidem posside cum proximo tuo*; utique, quia fides communis possessio est; non enim in aliquo sine proximo jure possidetur; quia etsi illi deest, cui (g) tuam servare disponis; in illo tamen oportet tuam possideas. Alioquin solus sibi quis recte possidere poterit, quam mox sine illo amittit? Unde necesse est quisque in altero possideat fidem, quam in proprio corde gerit; de qua mihi dubitandum ut amittas, etiam dum proximus suam perdiderit. Magnus igitur thesaurus fides non ficta, in qua veritas servatur. Et ideo hinc inde inter proximos alternis resplendeat affectibus, quatenus media mentis possessio plures uniat, dum dilectionem operatur in proximo & veritatem, quam in se diligit servari, custodit alteri. Unde, ut dixi, jure gemina prædicatur; quia sicut est charitas, qua Deus ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota vir-

[Marginalia: Eccli. 22. 28.]

(a) Edit. *transibunt.* (b) Editi *observes.*
(c) In editis deest *Tito.* [d] Edit. *opere ut conservemus.*
(e) Edit. *Interim*, cujus loco solet Paschasius uti verbo *Interdum.* (f) Edit. *ideo necesse est.*
(g) Editi *si tuam servare*, omisso *cui.*

[a] tute (a) diligitur; ita debet esse & fides, qua A ipse idemque ex toto corde, & ex tota anima, atque ex tota fidei virtute credatur, creditus ametur, amatus vero spe certa teneatur, & ideo fidem ei, quam de nobis promisimus, ex toto custodiamus: quia fides sine operibus ab apostolo mortua prædicatur: nam justus ex fide vivit; fides vero justis suisque (b) operibus vivificatur. Quæ si mortua fuerit, possessorem minime suum poterit vivificare. Quapropter nemo se deludat: si vult justus ex fide vivere, vivat fides ejus a suis justisque operibus necesse est, ut per eam, quæ vivit, vivificetur & ipse; ne forte per eam, quæ mortua est, moriatur & ipse. Fides namque proximo tanta & talis servanda est, qualem, quantamve ab eo sibi servari voluerit; alioquin nemo alteri (c) fidem impendit, quam sibi de corde tollit; & ideo nostrum est quod perdimus, dum proximo fidem negamus; ac per hoc quantum eam nobismet servamus, tantum alteri illam impendimus. Sed non ista itaque alternis propositio suis respondet partibus: non enim, ut de nostra scimus fide, omnibus de sua credere jubemur: quoniam multi multa loquuntur, & ideo rara est fides: sed ut supra præmisi, tanto credibilius ex altero sentimus, quanto fructuosius apud eum cujus fides est, (d) per dilectionem circa Deum & proximum operata fuerit; tamen dictum legimus ab Apostolo: *Caritas omnia credit.* Numquid & falsa proximorum idcirco credere persuadet? Quia si omnia credit, quærendum quæ omnia? ne forte ob hoc etiam erroribus involvamur. Credit itaque omnia credibilia absque ulla exceptione de Deo, in quo nulla est falsitas; & ideo de illo divinitus quæ dicuntur omnia credit. De proximo vero ad mensuram sui fidem recipit; qui si bene sapit, nec seipsum ex toto corde credit, quia *Omnis homo mendax.* Unde sola sunt illa in nobis credibilia, quæ divinitus veritate fulciuntur; illa vero quæ necdum in fratribus luce veritatis comprehenduntur, nec falsitatis mendacio deteguntur, propter charitatem fide ferenda sunt, *quoad usque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Hinc quoque apostolus: *Infirmum in fide assume, & non in disceptationibus*; ne dum non creditur, scandalo pusillanimitatis patiatur. Ergo ex nobis omnibusque amicis & inimicis fides servanda est: (e) amicis siquidem in Deum, inimicis propter Deum; quoniam sicut Deus charitas, ita & veritas divinitus prædicatur. Nec igitur æstimandum, quod alteram proximis, aut ulli hominum fidem debeamus, quam quæ per dilectionem operatur. Ceterum illa, quæ illicitas fovet hominum voluntates, sicut non est charitas intentio illa qua diligitur iniquitas, sed odium animæ; ita nec fides appellanda, sed infidelitas, qua fovetur proximus, dum scit illum noxia velle, in quo non liceat consentire. Quoniam Christianorum sola fides est, quæ per dilectionem operatur. Idcirco infidelis quisque convincitur, dum sine fide quæ Christianorum est, circa Deum & proximum comprobatur. De cetero quantum nobis impedit, B si charitas proximi circa nos frangatur, tantum & si fides violetur: ita demum si nostra fides, aut charitas in nobis circa Deum & proximum integra custodiatur. Quam sane possessionem nemo invitus perdit, nemo alteri sine fructu rependit; nemo cum impenderit, amittit; nulli plurimis data minuitur; nulli non expensa servatur.

Jac. 2. 26. — 1. Cor. 13. 7. — Psal. 115. 2. — 1. Cor. 4. 5. — Rom. 14. 1.

Cap. VI. *Quod numquam recte de alio hoc genus locutionis, nisi de Deo solo, & in Deum accipitur, quando dicimus:* Credo in Deum.

C 1. PRoprietas igitur hujus verbi consideranda est, cum dicimus ex auctoritate symboli, quod in baptismo confessi sumus: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, & in* Jesum Christum, *filium ejus*, ut subintelligatur *Credo.* Deinde *Credo & in Spiritum-sanctum.* In totis sane tribus personis una confessio est ab apostolis tradita, una proprietas verbi ab omnibus voce intelligibili confitenda. Nemo enim recte dicit: Credo in proximum, vel in angelum, vel in quamlibet creaturarum. Unde & proprietatem hujus confessionis in omnibus D scripturis divinis soli Deo reperies conservatam. Ex quo constat, quibus debetur una confessio, quod una sit Deitas, dum quidquid, salva relatione personarum, credimus in Patrem, hoc totum in Filium, hoc & in Spiritum-sanctum, scilicet unum, consubstantialem Deum, unam omnipotentiam, magnitudinem, unam vitam, unamque veritatem, & quidquid, ut dixi, substantialiter Patrem esse credimus, absque personarum distinctione, hoc totum esse Filium, & Spiritum-sanctum confitemur. Dicimus tamen: Credo cuilibet ho- E mini, sicuti dicimus: credo & Deo. Unde Dominus: *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi.* Credimus ergo patriarchis & prophetis, credimus apostolis, & sanctis prædicatoribus, credimus & sanctis angelis, credimus proximis nostris, quos bonæ fidei esse non dubitamus; nec tamen in quemlibet (f) [f]

Joh. 5. 46.

(a) Edit. *ametur.* In editis deest *Ex tota virtute diligitur: ita debet esse & fides, qua ipse idemque ex toto corde, ex tota anima.*

(b) Edit. *pisque*, sed melius *suisque.* Nam paulo post subdit: *Vivat fides ejus a suis justisque operibus.*

(c) Editi *alterius*, sed melius *alteri.*

(d) In editis deest *est.*

(e) In editis desideratur *amicis siquidem in Deum; inimicis.* (f) Editi *qualibet* minus bene.

eorum umquam aliquem recte credidisse legimus. Credimus ergo illis ex participatione veritatis, bonitatis Dei; non tamen in illos credimus; quia nec ipsi recta veritas aut bonitas, lux vel vita substantive creduntur aut prædicantur. Et propterea jure in omnibus scripturarum locis hujus verbi privilegium in Deum servare convenit. Unde Dominus in evangelio volens se ostendere consubstantialem Patri: *Creditis*, inquit, *in Deum, & in me credite*. (Joh. 14. 1.) In quem, nisi esset & Deus, credere non oporteret; & ideo in se credere jubet, ut se Deum suis exhibeat.

B 2. Sed miseri hæretici semper inveniunt sibi rimas pravitatis suæ, per quas extra effluant; dicunt & in symbolo confitendum, non quod ex auctoritate apostolica hoc perceperunt, sed quia ex suo mendacio illud addiderunt: *Credo & in sanctam ecclesiam catholicam*: cum non sit ita accipiendum; sed remota *in* syllaba, quæ de mendacio Macedonistarum supercrevit, ut & Spiritum-sanctum docerent creaturam, dicendum: *Credo sanctam ecclesiam esse*, sicut *vitam æternam*, & *carnis resurrectionem*: alioquin si in sanctam ecclesiam credimus; C in hominem videmur credere, quod non licet. Nam ecclesia sancta ex hominibus esse cœpit, & non homines ex ecclesia: idcirco, qui se dicit credere *in ecclesiam*, in homines se credere confitetur. Propter quod removenda hujusmodi locutio in omnibus, & soli Deo exhibenda, in quem credere oportet ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute, scilicet in Patrem, & Filium, & Spiritum-sanctum, unum Deum, quod est summum bonum, summa beatitudo, summa salus credentium; & in nullum alium, nisi in ejus solius majestatem. D Verumtamen aliud est, Deum credere, & aliud, in Deum: nam & *dæmones Deum esse credunt, & contremiscunt*; (Jac. 2. 19.) sed in Deum malitia obcœcati sua credere nequeunt; quia profecto in Deum credere, nisi qui pie speraverit, non comprobatur. Est autem credere in Deum, fideliter eum quærere, & tota in eum dilectione transire. Ergo, *Credo in Deum*, hoc est dicere: Colo illum, spe & charitate, adoro illum, & totum me in ejus devotionis famulatum transpono atque transfundo.

E 3. Et hæc est fides, dicente Paulo apostolo, *quæ per dilectionem operatur*. (Gal. 6.) Operatur autem per dilectionem; si & Deum propter Deum, proximum vero, ut se ipsum, in Deum diligat. Quæ Dei dilectio tunc integre servatur, si fides proximo non negetur. Hoc igitur depositum penes nos proximo servandum est ex lege; de quo Paulus discipulum monet dicens: *Bonum depositum custodi*, inquit. (1. Tim. 1. 14.) Bonum igitur, quia sine deposito fidei, nihil recte debemus,

A nihil exsolvimus; per quod cuncta integra proximis conservamus: alioquin, *quod non ex fide, peccatum est*; (Rom. 14. 23.) & ideo ex fide Christi servetur fides proximo, sine qua dilectio tollitur, & charitas, quæ in Deum est, violatur. Credimus ergo & in verbis Dei, quomodo (*a*) æterna, & incommutabilia sunt. [a] Unde dicitur: *Et crediderunt in verbis ejus, & laudaverunt laudem ejus*. (Psal. 105. 12.) Sic enim credendum in scripturis divinis, quia ex Deo sunt, ut in nullo penitus de his dubitemus: alias autem quomodo in Deum ex toto corde credimus, si forte in his fidei ulla titubatio mentis fiduciam pepulerit? Hoc igitur primum credendum, quod Deus locutus sit in omnibus scripturis divinis, sicuti confitemur ex fide Nicæni concilii, quod Spiritus-sanctus locutus sit in prophetis: Et dominus de se ipso: *Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*. (Joh. 6. 63.) *Non enim*, inquit, *a memetipso loquor*; (Joh. 14. 10.) vere quia ex Patre est: Et ideo credendum in verba Dei, ut & in Deum; quoniam (*b*) [b] ex Deo sunt; æterna enim, & incommutabilia sunt; in quæ nimirum verba, quia (*c*) [c] credimus, & speramus: Non enim licet credere in aliquod, si non liceat sperare; sperare autem absurdum est; nisi in Deum, & in verba, quæ sunt ex Deo. Unde psalmista: *In verbo*, inquit, *tuo supersperavi*. (Ps. 118. 147.) Et ideo, quoties non credimus verbis sanctorum Dei, quia ex Deo sunt, delinquimus. Hinc quoque jure Zacharias ab angelo condemnatur: *pro eo*, inquit, *quia non credidisti verbi meis*. (Luc. 1. 20.) Utique, quia verba angeli Dei verba fuisse nemo est qui dubitet; & omne quod est ex veritate, profecto ex Deo est. Unde si quis non acquiescit veritati, credit autem iniquitati, peccat; etsi non omnibus credere debemus. Constat ergo in Deum, & in verba quæ sunt ex Deo, nos credere debere, atque sperare ex toto corde, ex tota anima, & ex tota virtute: proximis vero solummodo credere, & quantum ex nobis est, eis fidem integram custodire.

CAPUT VII. *Credibilium genera quot sunt?*

Credibilium genera sunt tria: alia sunt enim quæ satis facile creduntur; & licet credita, numquam intelliguntur: ut sunt historiæ temporalium gestorum, vel relationes rerum; quæ, quamvis credantur; quia non sunt intelligibilia, numquam intellectum requirunt; sed ex sensibus, quibus alia videndo, aut audiendo, gustando, vel pertractando, odorandove persensimus, in memoria ea quæ dicuntur reimaginantes, credibilia judicamus; sed quia intellectus imaginabilibus non subjacere probatur; idcirco numquam intelliguntur,

[a] Edit. *quoniam*. (b) Edit. *quia*. (c) Edit. deest *quia*.

licet

licet credantur; sed ex energia quodammodo reimaginata in memoria, quia jam [a] sensibus tam præterita, quam absentia non subjaceret, creduntur, etsi intelligantur; quoniam temporalia sunt. Alia vero sunt, quæ ut creduntur mox intelliguntur, sicuti sunt omnes rationes humanæ, quibus rationabilia comprehenduntur. Quæ nimirum non modo creduntur apprehensæ; verum continuo intelliguntur: sicuti cum de numeris disserimus, vel de quibuslibet disciplinis liberalium artium, ut puta: unus & duo cum credimus quod tres fiant, quis non intelligat continuo, quod ita sit? Intelligere enim mentis oculo videre dicimus. credimus ergo cuncta numerabilia ex uno constare; quia omnes numeri ex uno, & per unum ad unum tendunt: & non solum credimus, sed & intelligimus: unitas namque numquam ullius numerositate evacuatur, ut puta duo: quid enim sunt, nisi duæ unitates? Et simul unitas, ac dualitas tres esse probantur; quod nusquam in aliis quibuslibet numeris eo modo reperies, quorum extremitates sine medio esse nequeunt. Et unus, ac duo, & tres simul positi, sex fiunt; qui est primus omnium numerorum perfectus; & ideo Deus Trinitas in senario perfecit omnia temporalia, & requievit in sabbato; quæ est una, & ultima sempiterna requies. Credimus ergo, & mox ut credimus fas est intelligere, quia omnia ex uno, per unum, ad unum colliguntur. Verbi gratia: sex ex uno incipiunt, per unum multiplicantur, & in unum veniunt senarium numerum: & decem similiter, & centum, & mille. Nec non & homo, & mundus ab uno, per unum, in unum, ut unus sit homo, & mundus, licet plura eorum sint membra, quæ particulatim uniuntur. Hæc de his pauca dixisse sufficiant, quæ tamen, ut præmisi, mox ut creduntur, intelliguntur certa ex ratione. Et si omnia percurreris, invenies ex intellectu nihil sine unitate Trinitatis, & Trinitate unitatis constare: quia sunt omnia in numero, & pondere, & mensura constituta. Est namque in singulis numerositas unitatis; sicut & in toto unitas numerositatis. In Deo vero perfecta Trinitas unitatis, & simplex unitas Trinitatis.

2. Porro illa, quæ de Deo divinitus dicuntur, credibilia quidem sunt simul & intelligibilia; sed nisi credantur, prius numquam intelliguntur: idcirco necesse est credantur ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute; ut Christo illustrante hic ex parte & in futuro ex toto intelligantur. Et tanto amplius vel perfectius hic aut illuc, quanto mundiores corde mandatorum Dei præceptorumque observatores erimus: Hinc quoque per prophetam canitur: *A mandatis tuis intellexi*: quoniam de observantia mandatorum utique intellectus nascitur, & sapientia præstatur: *Lex Domini*, inquit, *immaculata convertens animas; testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis: præceptum Domini quoque lucidum illuminans oculos.* Igitur illuminatio perfectæ intelligentiæ merces est fidei: quia mandatorum Dei observatio de perfecta fidei virtute [b] descendit: alioquin nisi prius perfecte credas, o homo, & fides ex operibus vivat, intelligere minime valebis: quoniam *timor Domini sanctus intellectus est bonus omnibus facientibus eum.* Ecce distendit se aliquis efficax [c], pollens ingenio, & vigens ratione, cupit Deum ut est intelligere, fingit sibi in animo exempla, format imagines, proponit rationem, nec capit tamen ea quæ audit, vel legit, & dicit fortassis aut ita est, aut omnino non est: o infelix, & cæca mentis pervagatio, quæ sibi simulacrum in animo gerit! putat enim, quod immensum, & incomprehensibilem cæcus comprehendere possit; nec vult credere; sed mox sine operibus quibus intellectus acquiritur, sua industria intelligere: aut, quod pejus est, ex imaginatione visibilium Deum sibi in corde fingere. Quæso talis redeat ad ordinem, & dicat cum propheta: *Da mihi intellectum*: Et, si non, quo inpræsentiarum te intelligam; saltem quo legem tuam perscrutari, & custodire in toto corde merear. Satis est utique nosse, vel credere, quod est Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus, unus Deus, una majestas, & quicquid ipse de se docuit; etiamsi non intelligatur quomodo est, tantum ut fide præceptis obediamus. *Si vis*, inquit cuidam, *ad vitam ingredi, serva mandata.* Et nequaquam, ait, intellige, quomodo, qualis, quantusve sim; sed mandata implere jubet; quia omnino, ut prætulimus, intellectus de mandatis Christi quotidie [d] augetur, quo possit Deus deorum, non hic admodum; sed in Sion, [e] ut est, mundo corde manifestissime contemplari. Et non hæc dicimus, quod non debeat aliquis intelligentiam Dei interdum habere, & scrutari; sed quia hoc paucorum est, ad cautelam reducimus Christianum; quia etsi necdum intelligere omnes, tamen credibilia ex Deo corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem debemus; alioquin sicut Isaias ait: nisi crediderimus, non dico nos non intellecturos, sed nec permanebimus in Christo, quo intelligere possimus.

Ps. 118. 104. — Psal. 18. 10. — Ps. 118. 34. — Matt. 19. 17. — Isai. 7. 9.

(a) In editis desideratur *jam.* (b) Editi *unitati.*
(c) In editis desideratur *efficax.*
(d) In edit. desideratur *quotidie.*
(e) Edit. addunt *ab eo.*

CAPUT VIII. *De vera & indubitata fidei disciplina.*

1. LIquet omne quod scitur, quia non ex sua, sed ex comprehendentium natura cognoscitur: sic itaque & omne quod creditur, non ex sese, sed ex efficacia fidei, cujus est, spiritu pietatis illustrata recte creditur: ita tamen, ut ea, quæ creduntur ex æternis, neque intra intelligentiam sint credendi, neque extra fidem intelligendi; sed fides, qua de Christi incarnatione catholice ea quæ credenda sunt creduntur; scientia, quæ per Spiritum-sanctum est, fulcitur, sicut est illa, quæ de divinitate B totius Trinitatis, atque unitatis est, spiritu intelligentiæ illustratur. Unde apostolus: *Alteri quidem datur sermo sapientiæ per Spiritum-sanctum; alteri vero sermo scientiæ; alteri fides in eodem spiritu*; quæ profecto, ut firma sit & indubitata, hinc inde spiritu sapientiæ atque scientiæ instruitur, & solidatur: ita ut quæ de Christo sunt, spiritu scientiæ in animo credentis commendentur, licet de illo non omnia sciantur, fide tamen integra, quæcumque magister veritatis docuit, non minus de sua huma- C nitate, quam ex divinitate Deitatis, Patris, & Filii, atque Spiritus-sancti creduntur, etiamsi minus intelligantur. Harum igitur doctrina imbutus animus, in quodam sui secessu fidem nutrit, quam veritas credentibus reseravit. Nec sibi aliud quicquam relictum a natura sua intelligens, in quo majus creatori suo possit officium, munusve præstare; quam ut tantum eum intelligat, quantus nec intelligi, nec sciri potest; licet possit credi. Et ideo fides præminet scientiæ vel intellectui nostro, quia D etsi, ut est, necdum scitur, nec intelligitur; tamen quia est, ita ut est, vel quicquid de illo sermo divinus prædicat, hoc totum fide creditur, ut per eam melius intelligatur. Propter quod intelligentia fidem sibi necessariæ religionis assumpsit; quia æternitas, & majestas Deitatis excedit. Verum, quia non ex sua natura comprehenditur; sed efficacia fidei aliquando plus, aliquando minus creditur; idcirco aliquoties aberratur, dum fide male præsumitur, non quod ille docuit, qui se totum, & soli plenissime E unum Deum, immensum, incapabilem (*a*) [a] novit. Quapropter illa est vera fides & indubitata, quæ plenissime credit omnia, quæ Veritas de se docuit, & eis divinitus inspiravit, quos ad hoc eligit, ut scripturas canonicas credentibus aperirent: quibus profecto si crederent, Deo utique credidissent, qui nihil aliud, quam quæ inspirata erant divinitus protulerint. Unde dum illa vel non creduntur, vel aliter, quam dicta

Margin: 1. Cor. 12. 8.

A sint (*b*), interpretantur, homo impietate (*c*) [b] [c] sua seu fide ficta decipitur; cum melius esset credere sine intelligentia, quam male intelligens (*d*) erroribus subjacere. Hinc [d] quoque dicitur: *Altiora te ne quæsieris, & profundiora te ne scrutatus fueris.* Non quod non quærenda sint ea quæ non videntur, cum sint æterna, etsi temporalibus sint altiora; sed quia fide potius sunt, quam ratione humana scrutanda. Prohibemus ratione quærere altiora Deitatis, quoniam si perscrutari possent profundiora tantæ majestatis, fides non necessaria esset, dum ratio humana omnia comprehenderet. nam ad ea, quæ sunt æterna, & videri nequeunt, sensus omnino corporeus non penetrat, & incorporea non apprehendit; quia inferius jacet.

Margin: Eccli. 3. 22.

2. Porro imaginatio, quæ frequenter est in memoria sola, sine materia judicat quamcumque corporis figuram; & non apprehendit illud, quod Deus est, cujus nulla est ex subjecta materia corporis figura. Ratio vero hanc quoque transcendit speciem, quæ & sensus, atque figuras consideratione sua perpendit universalium; nec tamen attingit ea, quæ sunt in singulis creaturarum naturis, quanto magis ut possit perscrutari, quæ sunt incomprehensibilia divinitatis. Ceterum intelligentia celsior oculus in anima supergreditur universitatis ambitum, & ex parte ipsam illam Deitatis naturam interdum cognoscens, contemplatur. Unde apostolus: *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus: sed cum venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Sed fides quæ per dilectionem est, licet ex parte sit; non ex parte; sed ex toto credit omnia quæ non videntur: ita ut magister veritatis edocuit, ut Spiritus-sanctus reseravit. Ea itaque credit, quæ necdum intellectus apprehendit, & ideo justus non ex intellectu, sed ex fide vivit. Nam superior amplectitur inferiorem, & dijudicat; inferior vero ad superiorem nullo modo consurgit. Non enim sensus aliquid extra materiam valet; sicut nec imaginatio extra formas; quas Ideas Græci vocant, ad quas sensus non dies altius, verum nec ad ipsas (*e*) discernendi gratia pertingit: ut nec [e] energia ad rationis normam, quæ absque fuco ullius imaginationis quæque suæ facultatis libere discernit, quamvis simplicem intelligentiæ formam adhuc Deitatis nequeant intueri. Ergo his omnibus prominet intellectus, & discernit universas rationis atque imaginationis figuras, necnon & omne materiale sensibile cognoscens, nec ratione utitur, nec imaginatione, nec sensibus; sed illo purissimo mentis oculo, uno ictu, cuncta, quæ infra se sunt, cons-

Margin: 1. Cor. 13. 9.

(*a*) Edit. *Incomparabilem.* (*b*) Edit. *sunt*
[*c*] Edit. *inpietate* non bene, unde editor in margine recte monuit legendum *impietate.* (*d*) Edit. *intelligentem.*
[*e*] Edit. *ipsum.*

picit. Sed quia nondum est ad liquidum emundatus, neque plena incorruptione vestitus, fide potius interdum purgandus est, donec in via sumus: alioquin ut Isaias fatetur: Isa. 7. 9. *Nisi credideritis, non intelligetis.* Intelligentia enim est merces fidei, & ideo quæ necdum intelligimus, fide credimus, operibus veneramur, ut intellectu totum quod in fide est, comprehendamus. Propterea cum Deus veritas est in causa, non intellectus jure de fide disputat, quia fides ea credit, quæ necdum intellectus aut scientia apprehendit. Innititur enim supra petram, B quæ Christus est, & omnia, quæ Spiritus-sanctus in scripturis novi ac veteris Testamenti disseruit, indubitanter credit, profecto quia sufficit Dei sermo, qui effusus est virtute Spiritus-sancti in auribus nostris, de quo nullus recte judicat, qui sane sapit. Unde sola fide oportet quæ præcepta sunt explere, Patrem, & Filium, & Spiritum-sanctum, ut ipse de se docuit, qui solus se 1. Petr. 12. novit adorare, venerari, *in quem & angeli desiderant prospicere.* Sed quia necdum con- 1. Cor. 11. 9. templari possumus *quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascen-* C *dit*, credamus in illum, in quo sunt hæc omnia; quoniam ipse est fons vitæ, ipse incommutabilis virtus, lumen indeficiens, [a] summum & sempiternum bonum. quam (a) magna multitudo dulcedinis eorum, qui timent, & credunt in eum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute!

3. Nemo igitur, qui hæc omnia quæ Deus est, intelligat, nisi quantum credentibus revelaverit Spiritus: sicut Paulus apo- 1. Cor. 11. 10. stolus testatur: *Nobis*, inquit, *revelavit Deus per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim*, in- D quit, *scit hominum, quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Ecce quam bene disputat de eo, qui est ineffabilis, & incomprehensibilis, qui nescit ea quæ sunt in illo, qui circa nos est, & hoc esse probatur, quod nos sumus, qui vix se novit, & hoc quod ipse est non apprehendit. Quid putas de ea natura ratione humana dicturus, quam nec angeli apprehendunt? Illi quidem contemplantur eum ut est, venerantur & diligunt; verumtamen nec quomodo sempiternus sit sine initio, & sine fi- E ne, vel quomodo genuerit Pater Filium, cum numquam fuerit sine Filio; & alia hujusmodi, quæ de illo ineffabiliter dicuntur, nec dubitant, nec requirunt. Verum igi- 1. Cor. 11. 10. tur quod Paulus ait: *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei*: Et ideo non sensu, non imaginatione aliqua, non ratione humana, quid sit Deus, qualis, quantusve, cognoscitur: sed *si quis spiritum, qui ex Deo* A *est, habuerit, scit ea quæ a Deo donata sunt nobis*: ut credamus in illum, ut confiteamur corde, atque ore, quia ipse est, ex quo, & per quem (b), & in quo sunt om- [b] nia visibilia: in quem sperantes ad eum venire optamus, ut ardentius sine fine, quæ sunt sempiterna frui possimus.

CAPUT IX. *De fide baptismi non immutanda.*

1. Fides baptismi, qua renascuntur præsciti & prædestinati ad vitam, ex aqua & Spiritus-sancto, illa est, quæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti per dilectionem credentibus commendatur. Unde Dominus ad discipulos: *Ite docete omnes gen-* Matt. 28. 19. *tes, baptisantes eos, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.* Quæ nimirum fides, quodammodo in baptismo Christi sensibilis apparuit; quando (c) super eum Pa- [c] ter intonuit: *Hic est filius meus dilectus, in* Matth. 3. 17. *quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Et ut jussio Patris impleatur, qua præmonuit *ipsum audite*, oportet de hac fide retractantem neminem suscipere: *Ite*, inquit, *docete omnes gentes, baptisantes eos, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.* Quia jam in Mathæo prolixius disseruimus unde hic, quia de fide agitur, pauca posuimus; ita ut non solum Trinitas totius majestatis evidentissime intelligibilis declaretur: verum quin sensibilis quodammodo, cum sit incomprehensibilis, ac si corporeis sensibus distincta, ad intelligendum luce clarius pertractetur. Pater scilicet clamans ad Filium in voce, idemque Filius veraciter humanatus in carne, ab ipso Patre diligentius prædicatur: Spiritus vero sanctus super eum in columba demonstratur. Sed & per ipsa plurima (d) quæ Johannes ad- [d] huc de Christo ignorabat, divinitus edocetur, impleturque illud propheticum: *Vox Domini super aquas, Deus majestatis* Psal. 28. 3. *intonuit, Dominus super aquas multas.* Prædicatur ergo a Patre Filius; prædicatur a Spiritu-sancto; prædicatur etiam a se ipso, dum de se Patrem insinuat, & unum se esse cum Patre testatur: *Ego & Pater unum su-* Joh. 10. 30. *mus.* Quid igitur ultra mens (e), tali rena- [e] ta sacramento, dubitationis poterit habere in fide; cum uno eodemque momento, Patris vox ad nos delapsa Filium in aquis visibiliter apparentem prædicat, & Spiritus-sanctus desuper in columba quæ sentienda sint de eo, evidentius edocet. Quod si sane in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum, multo firmius recte accipitur de se Patris, ac Filii, ac Spiritus-sancti testimonium.

2. In hac quippe fide renati sumus, quid

(a) Edit. *quia magna.* (b) In editis desideratur *Et in quo sunt omnia visibilia, in quem.* (c) Edit. *quod*, sed melius *quando.* (d) Edit. *Plurimum.* (e) Paulo aliter hunc locum legimus in editis. *Quid igitur ultra menti, tali renata sacramento dubitationis momenti? Patris vox ad nos delapsa.*

opus est amplius de fide quasi dubios retractare? Præceptum est itaque apostolis: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti.* *In nomine* ergo cum dixit, unum eos ostendit, quod (*a*) tribus nominibus satis ad intelligendum Trinitatem egregie distinxit: sed tria hæc unum nomen (*b*) esse edocuit;
Psal. 104. 4. quia etsi dictum est: *Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem ejus semper.*
Matt. 7. 7. Atque illud: *Quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis*: oportet non alium tamen quam unum Deum in tribus personis recte quærere, quo Trinitatis nomine signati sumus: sub qua omnino fide rebus exspoliati mundi, nudi fontem introivimus. In quo nimirum fonte quicumque baptizati sumus in Christo (*c*) Jesu, in morte
Rom. 6. 4. ipsius baptizati sumus. *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte.* Et ideo jam ultra de fide nihil retractare debemus, sed custodire modis omnibus quod (*d*) credidimus, & credendo gratis a Deo accepimus. Credere omnino debemus aliud non esse credendum; idcirco nec requirendum eo quod jam inventum credidimus. Ergo aliud non requirimus, quia nec ipse nobis mandat, eo quod unus est, aliud requirendum, & scimus, (*e*) quod nisi hoc unum, aliud quippiam nihil est necessarium. Amplectimur autem eum, quia unus est, & certæ devotionis affectu in una eademque fide proficiendo, sperando, atque amando, quia infinitus est, ipsum semper requirimus, donec (*f*) in ænigmate, & nondum in specie, quem (*g*) tenendo quærimus, ardentissimo amore quotidie perscrutamur. Sed & cum ænigmata rerum præsentium fuerint evacuata, etiam certi sumus, quod non alius, quam unus idemque Deus Trinitas sibi credentibus, ut jam per fidem percepimus, apparebit. Per hanc itaque fidem signatum est lumen vultus Dei super nos, & ideo ad infidelitates quorumdam hominum, & ad tenebras erroresque respicere non debemus. Ex fiducia igitur probationis, quia tempora periculosa pronuntiantur (*h*) futura, præveniendo monere desideramus quosdam ultra (*i*), nisi quod in baptismate credendo perceperunt, idque esse, & non aliud, quod quærere interim debebunt: nam ratio quærendi nonnisi in tribus rerum articulis consistere videtur: in re videlicet, in tempore, atque in modo. In re, ut quid sit quærendum consideremus. In tempore, ut quando, ne forte (*k*) quando quærendum non est, aut aliud, aut illud quod quærimus non satis inveniamus. Porro in modo quousque quærendum sit aspiratur; idcirco nobis scrutandum est, quod Christus instituit, & tenendus est ipse quem invenisse gaudemus: quia omnino nequaquam, nisi invenisses primùm, credere potuisses. Ad hoc ergo quæsisti, ut invenires; (*l*) invenisti autem, ut crederes. In qua nimirum fide omnem probationem quærendi & inveniendi credendo fixisti, dum te cum Christo in mortem per sepulcrum fontis, exspoliato (*m*) mundo, sepelisti. Quod si vere mortuus es, & vita tua abscondita est cum Deo in cœlis, quid adhuc cum sibi viventibus, & non Deo, de fide quasi dubius disputas? vel quid sæviente persecutore, de morte formidas, qui jam mortuus in sepulcro fontis cum Christo teneris, & vitam tuam in cœlis repositam perfecte credis? Nec dubium quin, quod si priorem vitam tuam in terris receperis, novam, quam in cœlo cum Christo absconderas, perdidisti. Sub tali siquidem te ille determinavit sepulcro, qui te non vult jam deinceps aliud credere quam quod instituit. Idcirco neque tu aliud debes quærere profecto, (*n*) neque tormentis addictus, (*o*) ac si invitus, quicquam aliud confiteri. Novissime melius censeo ignorare manens (*p*) infra baptismi sacramentum, ne quod non debeas, ediscas, quam in aliqua fraudis curiositate captus ducaris extra (*q*) captivos.

3. Totum igitur novit qui Christum noverit: *Fides*, inquit, *tua te salvum fecit.* Marc. 10. 52.
Et ideo maneat Christianus intra fontem fidei, ex qua (*r*) renatus est in salutem. Et si quippiam hæsitaverit ad horam, tangat manu fidei adhuc Christum in fonte, quo Verbum caro descendens, nobis est baptizatus. Deinde Patris vocem desuper, ut nos erudiat per aurem exteriorem, auditu auris interioris audiat intonantem: *Hic est* Matt. 3. 17.
Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Quæ nimirum vox quasi aliquid ad eum (*s*) insinuandum corpus, immo quia auribus sensibilis, verum corpus fuit. Idcirco quia per ea in voce non inclusus Pater sonuit jure (*t*) auribus quodammodo, etsi est incomprehensibilis, dicitur sensibilis extitisse; sicut & Spiritus-sanctus per subjectam speciem visibilis apparuisse manifestatur. Verumtamen secundum proprietatem naturæ, quia Deus Trinitas, cum ubique totus recte dicitur, non in loco cernitur, quia incorporeus & illocalis esse atque invisibilis probatur. Neque circum-

[a] Edit. *quia*. (b) Edit. *nomine*.
(c) In edit. desiderantur hæc verba: *In Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* (d) Edit. *qua*.
(e) Edit. *sumus* male. (f) Edit. *nunc*. (g) Edit. *& quem*.
(h) Edit. *Prenuntiantur*. (i) Editi addunt *nibil recipiendum*.
(k) In editis totus hic locus non ita clare sic refertur: *Nec forte quando quærendum non est; ne aut illud quod quærimus, non satis inveniamus.*
(l) Edit. *invenias*. (m) Edit. *& spoliatus*.
(n) In editis deest *profecto*. (o] Edit. *adactus etsi invitus*.
(p) Edit. *manentem*. (q) Edit. *captivus*.
(r) Edit. *Ex quo*. [s] Edit. *ejus*. [t] In edit. deest *jure*.

scribitur

scribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec sentitur incessu. Hinc quoque dicitur (Joh. 1. 18.): *Deum nemo vidit umquam, sed unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse narrabit (a) nobis.* Non tamen ita intelligendum, quod sono debeat perstrepere in auribus nostris; sed quia Verbum & imago est Patris, dum se mentibus nostris innotescit, ineffabili luce Patrem declarat atque insinuat manifeste, juxta quod idem testatus est dicens (Joh. 14. 9.): *Qui videt me, videt & Patrem meum.* Quæ nimirum visio non corporeis sensibus deprehenditur; sed sicut scriptum est (Matth. 5. 8.): *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Prædicat ergo Filium Pater sensibili vocis sono, & Filius dum se exhibet visibilem, quia Verbum Patris est, non alium quam cujus est Filius, in se declarat. Porro Spiritus-sanctus, quia (b) ex Patre Filioque procedit, etiam & ipse non divisus in natura substantiæ majestatis, sed distinctus in persona, ut Deus Trinitas hominibus panderetur, medius in columbæ specie apparuit. Nec ideo tamen idem circumscribitur visu, velut nec Pater hic aut alibi auditur affatu, sicut nec, dum deambularet in paradiso, potuit incessu sentiri. Alioquin quotiens per subjectam se patribus ostendit formam, sensibilis fuisse videri potest, quod absurdum est credere; sed quia invisibilis est, visus est ut voluit; non quidem ut est, sed quali specie illi placuit apparere: siquidem & hic aliter auditus est, non modo a Johanne, verum alibi & ab aliis interius: aliter a turba hic aut alibi (Joh. 12. 29.), qui quodam in loco tonitruum factum esse dicebant. Unde nec mirum, si vocem (c) prædicatoris quamplures non obediunt, cum & hanc (d) vocem multi audientes, nihil eis profuisse probatur. Deus est enim qui incrementum sine voce dat intus: de quo beatus Ambrosius: *Quod (e) cum absens*, inquit, *putatur, videtur; & cum præsens est, non videtur.* Non enim dixit: absens est; sed *cum absens putatur.* Nusquam enim est absens, qui cœlum & terram atque omnia complet, nec spatiis includitur parvis, magnisve diffunditur, sed ubique totus, & nullo continetur loco.

4. Hoc itaque qui (f) excedente mente intelligit, hic videt Deum, & cum absens putatur, hic sane intelligit, etsi distinctus in baptismo apparuit Deus Trinitas in personis, quod inseparabilis sit, sit (g) ubique totus propter unitatis substantiam. Non quidem in loco, sed totus ubique, Pater in Filio, & Filius in Patre totus, atque Spiritus-sanctus in Patre & Filio simul totus, & coæternus manet Deus: quia nimirum quodcumque Pater est, hoc & Filius atque Spiritus-sanctus est: & quodcumque Filius, hoc est Pater & Spiritus-sanctus: necnon & quod Spiritus-sanctus, hoc totum Pater atque Filius. Sed tamen alius Pater, alius est Filius, alius Spiritus-sanctus: alius, inquam, non aliud: quia qui Pater est, non est Filius neque Spiritus-sanctus: sic & qui Filius, nequaquam Pater aut Spiritus-sanctus: sed neque idem Spiritus est Pater, aut Filius. Quod volens Deus Trinitas adhuc rudibus in fide luce clarius aperire, qui necdum aliud sensu quam corporea (h) sciunt cogitare, trino distincte, ad cognoscendum unum refulsit specialitatis numero: quatenus visu, auditu, & tactu adhuc lactantes in fide tribus istis sensibus intus in se traherent prima fidei rudimenta. Unde cooperante ipso, qui (i) exterius sentiebatur, fides perfecta deinceps uberibus scripturarum plenius nutriretur. Non enim prius adhuc animales spiritalia potuissent ad plenum capere; & ideo necesse fuit, ut per sensum exterius tenera credentium infantia fidem perciperet, & de sensu carnis introrsus rediens totus homo conversus ad Deum, invisibilia videndo per fidem fieret spiritalis, & tenderet sublimius per fidem doctrinarum lacte nutritus ad spiritalia converti. Unde & quamplurimi sanctorum in tantum spiritaliter profecerunt, ut spiritualia spiritualibus comparantes, viderunt melius ea videri mente, quam sensu corporeo persentiri. Quia etsi visus a plurimis aut auditus, sicut hoc loco, ex quo agitur, in divina auctoritate legitur, sine ulla sui commutatione, aut per corpus visus est, aut certe per corporales quasdam imagines, quas Dei quidem voluntas elegit, non quas natura formavit; fecit enim ista Deus quibus voluit, quando voluit, & ut voluit, sua tamen in se latente incommutabiliter manente substantia, & sine ullis locorum aut temporum intervallis omnia implente, ita, ut nec minor sit in parte, quam in toto; neque major in toto, quam est in parte. Verumtamen quomodo voluit quam sæpe apparens (k) in locis & in tempore, ut eos qui locales & temporales erant, ad invisibilia protraheret credenda, & illa postponerent quibus tenebantur devincti, & cernebant suis defectibus quotidie labefactari. Hinc quoque certum est, ut præmisimus, in fonte baptismatis ideo totam simul divinitatem majestatis in Trinitate sensibus corporeis se quodammodo sensibilem infudisse, ne quando ex fide renascentes ad vitam alteram deinceps susciperent, nisi per quam quisque junctus est Deo, & carnali sensu

(a) Edit. *narravit.* (b) Edit. *qui.*
(c) Edit. *voci . . . obediunt.*
(d) Edit. *Cum & hanc vocem multis audientibus nihil profuisse probatur.* (e) In edit. deest *quod.*
(f) Editi *quivis credente mente intelligat, etsi distinctus,* omissis his, *Hic videt Deum, & cum absens putatur, hic sane intelligit.* (g) In edit. deest *fit.*
[h] Edit. *temporalia.* [i] Edit. *quod.*
(k) Edit. *apparuit.*

male deceptus periret. Signatus quippe est fons iste annulo fidei; & ideo nullum debet quandoque finem admittere. Ex cujus nimirum irriguo deliciarum hortus, videlicet Dei generalis ecclesia, undique satis munitus atque conclusus, florens viret; quia in se Christum non solum sepultum, verum resurrexisse gaudet. In istis sane fidei rudimentis fidelis cujusque anima requiescit secura: in hac quotidie virtutum operibus floret, & contra omnes pressurarum impulsus velut clypeum protectionis opponit. Ex quo denique nimia securitatis fortitudine circumvallata fidenter canit illud in
Cant. 5. 2. Canticis: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Dormit enim spei suæ certitudine soporata: (a) vigilat vero pervigili diligentia, [a] ne quod signatum est annulo fidei, fraudulentius corrumpatur. Unde summopere,
Heb. 11. 16. sicut Paulus apostolus testatur, *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Hæc est, inquam, integra & vera fides: Credere quia est Pater, & Filius, & Spiritus-sanctus, unus omnipotens Deus, retributor omnium contemnentium se, justorumque remunerator; pro quo cavere mala quæ vetuit, & bona agere fide firma, quæ per dilectionem operatur, confidenter usque ad finem vitæ convenit.

Cap. X. *De potentia fidei.*

1. POtentiam fidei solus novit, qui Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute non modo credit, sed & diligit. Qua nimirum fide totum hominem immortalem futurum, qui utique anima constat & corpore, vereque beatum, non argumentatione humana, sed divina auctoritate promittitur; cujus itaque potestas ex Deo est: de qua sane potestate Johannes testatur dicens: *Quotquot autem*, inquit, (b) *rece-* [b]
Joh. 1. 12. *perunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Sed & quid sit eum recipere mox insinuat, dum subjungit: *His qui credunt in nomine ejus.* Credulitas autem nominis ejus vera fides est, per quam dedit nobis potestatem filios Dei fieri. Et si per eam nobis tantam dedit potestatem, non dubium est, quin filii Dei nominemur & simus. Quid ergo quod fides non possit, quam tantam percepisse potestatem non dubium est?
Ibid. 13. *Non enim ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; sed ex Deo* renati sumus. Fide igitur fontem introivimus, quamvis iræ filii; sed Dei filii ex aqua & Spiritu-sancto renati exsurreximus; (c) quia [c] Deum in nobis prius per fidem suscepimus. Ergo Spiritus-sanctus Deus est, & ideo quia ex eo, utique ex Deo nati sumus. Sed ne infirmitas carnis nostræ, quam videmus & gestamus, ad tantam excellentiam venisse

A desperaret, mox adjungitur: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*: saltem ut Joh. 1. 14. a contrario persuaderetur, quod incredibile videbatur. Si enim natura Dei Filius propter filios hominum misericordia sua factus est filius hominis; hoc est enim, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*; quanto credibilius est, natura filios hominis, gratia Dei fieri filios Dei, & habitare in Deo, potestate accepta, ex quo renati sumus. In quo sane solo, & de quo solo esse possumus beati, participes ejus immortalitatis effecti, propter quos ad persuadendum Dei Filius particeps nostræ mortalitatis dignatus
B est fieri. Quid enim hoc difficilius, quam illud, cum potestas, quæ Deus, & ex Deo est, omnia possit? Idcirco potestas fidei, si vera sit fides & integra, quanta sit nemo qui (d) noverit, nisi qui ex Deo & in Deo [d] vivit. Unde nec dubium, fides vera quod cum Deo multa possit. Eadem quippe fide priores sancti sine baptismo innumera & mirifica potuerunt. Quos commemorans Paulus apostolus, *Fide*, inquit, *plurimam* Heb. 11. 4. *hostiam Abel quam Caïn obtulit Deo, per*
C *quam testimonium consecutus est, esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo, & per illam adhuc hodie defunctus loquitur.* Ecce quid potuit in una eademque re: non enim hostiam hanc vel illam magis elegit Deus, sed fidem offerentis: *Fide*, inquit, *plurimam hostiam Abel quam Caïn obtulit Deo.* Fide, & non substantia, quia *quicquid* Rom. 14. 23. *sine fide est, peccatum est*, & quod cum parva fide agitur, Deo modicum est; & quod cum magna plurimum. Unde cuidam: *O* Matt. 15. 28. *mulier, magna est fides tua!* Et quia magna erat, audi quantam retulerit potestatem: *Fiat tibi*, inquit, *sicut vis.* Quanta vi agat
D quisque magna, parvave, non amplius pensatur apud Deum, nisi quanta offertur (e) [e] fide.

2. Et ideo considerandum & connumerandum est cum apostolo, quanta, qualia, fide potuerunt sancti Dei priores necdum adepti repromissionem, quam jam magna ex parte percepimus. Enimvero per fidem pene omnia potuerunt, immo sicut Salvator interrogat, credendum est quod *omnia pos-* Marc. 9. 22. *sibilia sint credenti.* Et ideo per fidem multa & magna prodigia, quæ connumerat apo-
E stolus Paulus, operati sunt. *Sancti*, inquit, Heb. 11. 32. *per fidem vicerunt regna, & per fidem operati sunt justitiam, per fidem adepti sunt repromissiones.* Quid plura? Omnia per fidem fecerunt, & ideo talia ac tanta potuerunt, quorum fides vera & invicta permansit. Sed & apostoli & sancti martyres quid per fidem non potuerunt? Qui, quod majus omnium miraculorum, etiam per fidem seipsos contemnentes, pro Christo mori volue-

(a) Editi *separata*, sed melius *dormit soporata*.
(b) In edit. deest *inquit*. (c) Edit. *Surreximus*.

[d] Edit. *Nemo noverit*, omisso *qui*.
[e] Edit. *offeratur*.

runt. Et ideo testes appellantur, qui ut aliam in Christo meliorem & perpetuam astruerent vitam, istam caducam & temporalem acris (a) cruciatibus addicti emittere optaverunt. Ita & sancti confessores, sanctæque virgines, & sancti omnes fide perfusi, magna & ineffabilia fecerunt, quando & (b) seipsos & præsens sæculum calcarunt, ut in beata immortalitate se immortales reciperent. Qui nisi Christo plus quam sibi credidissent, numquam talia & tanta potenter agerent, & patienter ista sufferrent. Unde perpende, ô homo, quanta potest, qui suis talia posse dedit. Et si minor fides tibi est, aut nulla, implora fidem, ut tibi augeatur: quoniam fides quæ in Christo est, omnia potest. Hinc sane Paulus: *Omnia possum*, inquit, *in eo qui me confortat*. Propter quod Deus, non ratione nos discutere, sed fide in se credere voluit, & pro certo scire, qui se nobis donavit, quod in se posse omnia per fidem concessit. Et quotiens non possumus, non de infirmitate potestatis, quam nobis dedit; sed de infidelitate peccati, quâ delinquimus, ut minus valeat fides, infirmamur. Et ideo meminisse debemus charitatis solium (c), unde cecidimus, pœnitentiam gerere, ut priora fidei opera per dilectionem Christi potenter implere possimus. Alioquin *sine fide impossibile est placere Deo*, cur (d) per fidem in Christo omnia sunt possiblia credenti: siquidem non ut miracula possit suo non in tempore; sed ut filius Deus maneat per adoptionem post finem temporis; quæ nimirum potestas plus est, quam sperare aliquis posset.

[a] [b] Phil. 4. 13. [c] Heb. 11. 6. [d]

3. Unde succurrat nobis fides, quia naturæ ratio deficit. Et si ex nobis nihil sumus, ex illo posse omnia fidendo, sperando, amando præsumamus: quia sicut in illo omnia posse potentia est: ita ex nobis, qui nihil, aut parum possumus, magna infirmitas est. Sed *hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*. Magna igitur virtus fidei, magna potestas: nec immerito, per quam Deo fœderamur, & Deus in nobis habitare creditur: si ex Deo possit tanta; quia quicquid fides nostra est, sperandorum substantia est; sperandorum autem substantia Deus est; Deus vero omnipotens est; & ideo fidei, quæ ex Deo est, & in qua Deus est, jure præstitit (e) majestas divina, ut talia tantaque possit, ut firmior sit fides ex Deo. Nunc autem quid dubitare possumus de fide, cum solum, quia credidimus (f), tam magna, & ineffabilia potuerunt sancti, & possumus ex fide? *Hæc est*, inquit, *victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*. Justum, inquam, est ut talia possit fides, per quam credidimus quæ non videntur, ut certiores sint fideles, quod

1. Joh. 14. [e] [f]

A summa omnipotentia est, & sempiterna virtus, in quem credit fides. Potentia igitur fidei exhibitio est majestatis. Habet enim testimonium fides ex miraculorum operibus dum nihil ex se, sed totum ex eo potest, quo confortatur, in quem credit. Et quanto plus crediderit, ex eo quo pluris est, potentior efficitur. Nec enim plus credi potest, quam ipse est, in quem oportet ex toto credere. Propter quod ut dixi irretractabilis est fides, quæ tanta potest, ut vincat mundum, & plura potuit per sanctos, ut opera quantociens ostenderit Deitatis. Sed & quod majus est, licet defuncti, B adhuc fides eorum quamplurima quotidie perficit prodigiosa valde: ita ut magis, qui tanta queunt, quam viventes, videantur vivere; quia omnino in illo vivunt, qui potest omnia. O fides indubitata, quæ ad tantam pervenis victoriam; etiam ut illis defunctis, qui per te crediderunt, tamen plena omnipotentia vigeas, & opereris quo certius a timidis, & incredulis sis credenda: ita ut nihil sit verius quam quæ promittis, nihil potentius eo, ex quo talia, tantaque possis, nihilque beatius, atque in votis indefessis victrix cum triumpho tuos, C teque sequentes quotidie perducis. Quæ non solum in terris talia geris, verum invicta virgo cœli templa penetrans, regnum polorum tuis congressa virtutum armis potenter diripis, & qui fornicantur abs te, inanes deseris, sine qua nostrum nihil posse, per quam omnia agmina congrediuntur, & calcantur vitia; quam si quis non credit, nihil inveniet ulterius, quo aliquid vitæ, vel virtutis possit.

Caput XI. *De justitia fidei.*

1 Justitia igitur fidei est, qua de impiis per fidem justi efficimur, sine ullis bo- D norum operum meritis præcedentibus, qua gratis quidem justificamur sine operibus: ut, qui eramus iræ filii, sola fide per gratiam efficiamur adoptionis. Gratis autem ideo, quia nec ipsa fides in nobis, nisi per gratiam, & justificatio fidei ex gratia. Hinc quoque David ait: *Misericordia ejus præveniet me*. Et alibi ipse: *Misericordia tua subsequetur me*: Alioquin nisi præveniret prius misericordia gratis, nemo fidelis esset. E Gratis quidem, quia fides ex gratia: deinde quod ait: *Misericordia ejus subsequetur me*; profecto quia, ut fidelis quisque permaneat, Christi gratia præstatur: quatinus justus ex fide per gratiam operetur. *Arbitramur enim*, inquit apostolus, *justificari hominem per fidem sine operibus legis*. Et paulo post ex Genesi: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam. Ei*, inquit, *qui operatur, merces non imputatur secundum gra-*

Ps. 53. 1. Ps. 22. 6. Rom. 3. 28. Ibid. 3. 4.

[a] Edit. *acribus*. (b) Edit. *quando seipsos*, omisso &. (c) Edit. *solum*. [d] Edit. *cum per fidem*.

[e] Edit. *persistit*. [f] Edit. *crediderunt*.

tiam, sed secundum debitum: Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam. Ecce quid fides possit, quia credit in eum, qui est essentialiter justus, *ut sit*, inquit, *justitia Dei per fidem* JESU CHRISTI *in omnes, & super omnes, qui credunt, quia justificetur gratis per gratiam ipsius.* Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. Gloria igitur Dei est, ut appareat ipse solus justus, & potens, ex quo justificantur omnes per fidem JESU CHRISTI. Sed quærendum arbitramur, justificari hominem sine operibus per fidem; quid sit quod Jacobus ait: *Fides sine operibus mortua est.* Quomodo enim vivificari potest, ut justus ex fide vivat, si in semetipsa prius mortua manet. Ergo justificamur gratis per fidem; sed non ex alia, quam quæ per dilectionem operatur. Quia igitur gratis propterea justificamur, non dico, quia nulla fidei merita præcesserant; verum nec ipsa fides, qua boni aliquid ageremus, in nobis erat: Et ideo, dum fides in nobis, sine nostris meritis refunditur, gratis fide sine operibus justificamur. Sed deinceps restat, in nobis ipsa eademque fides bonis justisque operibus insistat: ut sit illa, quæ per dilectionem operatur; quia *justus ex fide vivit*: alioquin sine operibus mortua mortuum præmonstrat, ut jam non justus ex fide vivat, sed cum dæmonibus credat & contremiscat.

Rom. 3. 22.

Jac. 2. 26.

2. Ergo fides vera ex gratia est; & ideo numquam infructuosa, neque sine illa quippiam operatur. Gratia igitur Christi fides nobis per Spiritum sanctum datur, gratia nutritur, gratia, ut perseveret usque in finem, conservatur. Nihil enim gerit sine gratia prorsus, quia & ipsa, ut vivat, bonis justisque operibus gratis est inspirata. Restat igitur, *ut qui gloriatur, in Domino glorietur*: quoniam *neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Alioquin quomodo volentis illud bonum esse potest, quod vult; aut currentis illud, quo currit, cum nec velle, nec currere habet, sine gratia miserentis Dei? An nescis homo, quia jam magni aliquid, & multum percepisti quando velle ex Dei inspiratione, & currere per fidem cœpisti? Unde ne glorieris, quasi non acceperis; neque applaudas tibi ex te velle bona quæ velis, vel currere per fidem ad vitam, quo curris: immo velle, & currere jam miserentis est Dei: ut gratia per fidem justificatus misericorditer, nec desinas bona velle, quæ non videntur, & velis: nec currere per fidem ad Deum Patrem, & Filium, & Spiritum-sanctum, quo currebas, in quo sunt omnia, quæ non videntur & credis. Velle quippe (*a*) tibi Christi gratia concessit: fides vero bonis

2. Cor. 10. 17.
Rom. 9. 16.

[*a*]

A operibus inhærendo currere viam, quæ Christus est, ministravit. (*b*) Hinc credere ex toto corde, sperare ex tota anima, diligere ex tota virtute convenit; quod si non desieris velle, & currere, donec pervenias, quo volendo ibas, credendo currebas; quia verax est omnipotens, qui non mentitur, Deus, omnino percipies quod volebas, & videndo frueris, quæ credebas. Interdum (*c*) autem petendo desuda: quærendo invigila: pulsando persiste, ne defficias. Pete credendo fide illa quæ accepisti; quære sperando quæ invenisti, pulsa diligendo ad quem intrasti. Jam enim justus ex fide vivis (*d*), B ne te subtrahas a vita fidei: quia (*e*) si te subtraheris, non placebit, inquit, spiritus divinus animæ meæ. Cave ergo ne sis subtractionis filius, sed acquisitionis: emptus enim, & acquisitus es Christi sanguine: vive interdum justus ex fide, nihilque de te præsumas; sed fides Christi, gratia cooperante, bonis justisque operibus animetur. verum quod (*f*) in nullo deerit, quicquid promissum est, si velle per gratiam, currere per fidem ne desieris. Hæc, inquam, est vera justitia fidei, de meritis non præsumere, Christique gratiam non negligere, eique bona, quæ agis, adscribere, quæ usquam, C & umquam nulli defuit, cui fides, quæ per dilectionem est, affuit, ex qua justus ex fide vivit. Unde totum sit miserentis Dei, quod accipimus velle, & currere, ut justi ex Deo vivamus. De promissis autem Dei nihil hæsitantes diffidentia; sed confortati fide in omnibus, constanter Deo gloriam demus, plenissime scientes, quæcumque promisit, quod potens est, & facere. Necnon & fidei bona, quæ agimus, tam volendo quam & currendo confitemur, quod sine ipso nihil possumus, per quem omnia se posse confortatus apostolus gloriatur: ut & nos, non D ex nobis: sed apud Deum gloriam habeamus.

[*b*]

[*c*]

[*d*]
[*e*]

[*f*]

3. His quippe duobus justificamur, volendo ex gratia, currendo per fidem: quoniam, etsi alia sunt quæ volumus, licet necdum possumus; alia quibus agendo jam per gratiam fide currimus: utraque tamen dona sunt Spiritus-sancti. In quibus profecto pacem habentes ad Deum, reconciliati fide gratis justificamur. Ad hoc quippe *proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine Christi ad ostensionem justitiæ suæ*; E ut sit ipse justus, & justificans eum, qui ex fide est JESU CHRISTI. *Ad ostensionem*, inquit, *justitiæ suæ*, & non nostræ. Unde ipsius totum est, quod credimus, quod fide viventes justificamur: equidem miserentis Dei, & non currentis, ne nobis aliquid dum tribuimus, prolabamur. Christus enim, ut ipse ait: *Via est, & veritas, & vita.* Via,

Rom. 3. 25.

Johan. 14. 6.

(*a*) Edit. *quidem.* (*b*) *ministravit* melius *ministravit.* (*c*) Edit. *Interim.* (*d*) Edit. *vivit.* (*e*) Edit. *qui.* (*f*) Edit. *quidem.*

per

per quam fide curramus; in qua qui currit, debet & ipse ambulare, ut ipse ambulavit. Veritas, in quam credimus, credendo cognovimus, cognoscendo amamus; amando vero fide petimus, petendo quærimus, quærendo pulsamus. vita enim vero est, qua fide justificamur, cum non nobis, sed ei tribuimus, ex quo justi ex fide vivimus Ergo quomodo non vivimus cum vita (*a*) per fidem ad ea festinantes, quæ non videntur totum ex fide vivimus? Et ideo quid de vita dubitate possumus, si jam ex fide justi sumus? Hæc est, inquam, in Christo credere, fide justificari secundum eum justis operibus vivere. De qua nimirum fide salvator inquit: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivit; & omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum.* (Joh. 11. 26.) Quisquis ergo justus ex fide justificatur, licet prius peccator mortuus, qui credit in eum, qui justificat impios, profecto vivit: & omnis, qui vivit, & credit in ea quæ non videntur, quoniam æterna sunt, procul dubio æterna vita, secundum interiorem hominem vivit: alioquin quomodo recte credit, si non secundum ea quæ sunt æterna, justus ex fide vivit? Unde constat, non ei, qui ex parte; sed qui ex toto profecto credit, fidem ad justitiam reputari. Quæ fides nimirum tanta, & talis esse debet; ut justificet impium, ne ultra jam sit impius. Quod satis de Latrone factum monstratur, quem de cruce mox justum transvexit (*b*) in paradisum. Sed & Abraham: quia *credidit, reputatum est ei ad justitiam,* (Rom. 4. 3.) profecto, quia ex toto credidit. Nam & antea fides ejus in multis agendæ (*c*) vitæ negotiis præcesserat, quæ ad ultimum suis adintegratur partibus, & universa colligitur, qua Deum ex toto credidit, & reputatur ei ad justitiam. Nequaquam igitur de filiis Israël ita legitur, quamvis crediderint, sicut scriptum est, quia crediderunt Deo, & Moysi servo ejus, quod ad justitiam eis sit reputatum. Et ideo in Abraham fides ex multis perfecta partibus colligitur, quæ ad justitiam singulis, ut sint filii Abrahæ, debeat reputari. Ergo talis, ac tanta fides secundum Christi gratiam est, ut promissio ex fide firma sit credentibus, & non ex efficacia mentis. Quæ autem ex gratia est, vere justificat hominem, ut sit justus & habeat gloriam apud Deum, cujus gratia illustratur, ne cum ejus fide ulla injustitia regnet. Alioquin *quæ societas luci ad tenebras, vel quæ participatio justitiæ cum iniquitate?* (2. Cor. 6. 14.) Si enim recte credis in Christo, ex Deo natus esse probaris, & *qui ex Deo natus est,* sicut Johannes testatur, *non peccat;* (1. Joh. 5. 18.) quod si peccaverit, manifestum est, quia perfecte non credit. Indicium ergo veræ fidei est, si non delinquatur; certitudo vero, si opus fidei exerceat ad justitiam, ut tantum gloriam habeat apud Deum. Initium quippe justificationis apud Deum fides est, quæ credit in justificationem: & hæc fides, cum justificata fuerit, tamquam radix bonæ arboris imbre suscepto hæret in animæ solo, ut ex doctrina Christi surgant in ea rami, qui fructus operum ferant. Non enim ex operibus prius radix justitiæ; sed ex radice justitiæ, fide scilicet, fructus operum crescunt. Hæc namque est radix justitiæ, quam Deus accepto fert sine operibus, tantum, ut in eadem justitia permanens, fructus faciat justitiæ. Quæ nimirum fides non qualiscumque est; sed talis omnino, quæ per dilectionem operatur: verbi gratia, misericordiam, benignitatem, mansuetudinem, modestiam, humilitatem, longanimitatem, patientiam, ceterasque virtutum opes, quarum profecto fructus simul cum sua radice reputatur ad justitiam omni credenti. Et hinc est, quod de Abraham dicitur: *quia credidit Deo, & reputatum est ei ad justitiam:* (Rom. 4. 3.) verumtamen secundum gratiam, & non secundum debitum; quia juxta eumdem apostolum: *Gratia autem Dei, vita æterna est.* (Rom. 6. 23.) Inde si quis fidem se putat habere sine gratia, cogitet, quia necdum adeptus est vitam, ut justus ex fide vivat prorsus; quia in gratia fidei vita probatur æterna. Hinc quoque apostolus: *Si habuero,* inquit, *omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* (1. Cor. 13. 2.) Quæ nimirum fides, licet omnia credat; tamen, quia per gratiam donum charitatis minime percepit; idcirco per dilectionem non operatur, ut habeat vitam æternam, qua justus ex fide vivat: Alioquin quomodo nisi vita vivit, quæ (*d*) est in gratia Christi, quisquis ad æternam festinat. Unde summopere juxta apostolum curandum, ne Christi gratia in nobis vacua persistat, (1. Cor. 15. 10.) profecto quia sine charitate, ut nihil prosit nobis, etiamsi montes transferat, & dæmonia expellat, vacua manet, eo quod si est omnimoda in credendo, nec est tamen gratia charitatis adimpleta in agendo. Et quia deest gratia, ut credenti nihil prosit, deest illi vita æterna, ut justus ex fide vivat. Unde cum apostolis orandum: *Domine auge nobis fidem;* (Luc. 17. 5.) quatenus illa sit fides, quæ per dilectionem operatur in nobis, qua si quis credit, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Constat ergo quod omnis qui vivit, & credit in Christo, non morietur in æternum, omnino ex integro, quia credit, & justificatur per fidem justitia Dei, de qua propheta orat, & dicit: *Domine in tua justitia libera me, & eripe me.* (Psal. 30. 2.) Quæ nimirum justitia Dei, quia ex gratia est, jure dicitur, propterea promissio ex fide firmior habetur; ut omnis qui vivit & cre-

[*a*] Edit. *vita.* (*b*) Edit. *transvehit.* (*c*) Edit. *agendi.* (*d*) Edit. *qui.*

dit, non moriatur in æternum. Alioquin si credit, & necdum vivit justus ex fide; nihil proficit ad vitam; quoniam justitiæ Dei necdum est subjectus. Rursus aliquis prius quodcumque gesserit, si hac fuerit justitia justificatus, jam vita æterna vivit: vita vero æterna qui vixerit, non morietur in æternum; quoniam æternum est, quod vivit, dum omnino Christo, qui vita est, credendo, sperando, amando ex toto vivit.

CAPUT XII. *Quid sit armatura, vel instrumenta fidei, quibus tanta possit.*

1. Armatura, vel instrumenta fidei sunt virtutes agendæ vitæ, quibus fides per Spiritum-sanctum vivificatur, & coroboratur in interiorem hominem; ut contra omnia possit. Hæc namque turris illa est ex evangelio, quæ construitur virtutum sumptibus, in qua mille clypei dependent, & omnis armatura fortium; Quam si quis sine his erigere eam voluerit, pro[...]itur; ita ut omnes qui viderint eum, incipiant illudere, quod hic cœpit turrim ædificare fidei, nec potuerit consummare. Itaque sine virtutum sumptibus nemo fidem ædificat, ut ad cœlum usque pertingat, & contra omnia possit. Cujus fundamentum, ut firma sit, Christus robur omnium virtutum locatur: patientia vero, & longanimitate, atque perseverantia constructa lapidibus quadris, ad finem usque perducitur: spe certa in cœlo, ne moveatur in terris inter fluctus tentationum, quasi anchora firmatur; quam sane spem, teste apostolo, tutam habemus in cœlo: charitate vero, ut sit structura virtutum compacta inter Deum, & hominem, vel proximum, & indissolubilis connexio deifice cæmentatur; quoniam charitas vinculum est perfectionis: in qua vis ipsius fidei, & fortitudo, quam ex Deo habet, manu exerta pugnat clypeo bonæ voluntatis, ne ab hoste feriatur; hinc in Deo coronat: Prudentia autem, quasi oculus, acutissime, quæ sint salutis, & adversa, ut declinentur, contemplatur. Consilium vero, quomodo illa effugiamus, vel ista conservemus, insinuat. Porro justitia fidem velut loricam induit, & obtegit, ne lædatur. Spiritus vero sancti gladius, quod est verbum Dei, fortiter hostem verberat. Ceterum humilitas custos virtutum, ne aura, quæ aggregamus, & ventus tentationum huc illucque dispergat, ligat, & componit, ut Christo erigente, turris fidei gradatim surgat: ubi obedientia, si quo modo possit placere per fidem, qui se probavit, fortiter desudat. Mansuetudo, modestia, benignitas leniter, atque suaviter motus componunt animi; ne in aliquo charitatem lædant. Timor quoque compungit, & ad cautelam, currentem inter laqueos tentationum reducit: sed ne tristibus absorbeatur, gaudium Spiritus, & exultatio vitæ spiritalis mentem exhilarat: ita ut fides gaudeat magis in passionibus, quam in prosperis. Illustratur sapientia & intellectu; veritate ut fortis sit, viriliter accingitur. Quæ omnia virtutum instrumenta, temperantia, quæ alio nomine discretio vocatur, nutrit ut mater, & regit; ne infirmentur (*a*) & distemperantia concentus harmoniaque virtutum solvatur. [*a*]

2. Talibus igitur & hujuscemodi armis præmunita fides, inimici jacula repellit, castitatem custodit, pudicitia decoratur, bonis omnibus pinguescit, & ditatur. Unde præsentis vitæ paupertatem diligit, æterna, quæ creduntur, inhiat, & ambit. Solum ergo habere gaudet, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ atque scientiæ; quoniam ipse est turris, quæ fide Christi a fundamento construitur: de qua propheta David: *Deduxisti me*, inquit, *quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici.* In hac quippe turre fides radicata dilectionis amore, & fundata, omnia virtutum recondit instrumenta. In hac sibi thesaurisat thesauros immarcessibiles, quo (*b*) fures non effodiunt, nec furantur, quo sunt omnia æternorum, quæ non videntur, & ideo secura facultates temporalium melius eo recondit, ut æternas eas recipiat; quasi penes hanc vitam illas expenderet; fruitur enim pace per Christum, jam Deo reconciliata in cœlestibus, *quæ exsuperat omnem sensum.* Quæ nimirum pax custodit corda fidelium, & intelligentiam, ne se subtrahat altius, ut moveatur a fide, quo non oportet. Nam quocumque ratio deficit, vel intellectus, fides succrescit, nosque sinu materno complectitur, & nutrit, donec perveniamus ad speciem, quam ardenter in mente tenemus per fidem. Alioquin multum desipit, qui totum de Deo, ratione, vel intellectu dumtaxat comprehendere credit.

3. Profecto, quia ratio fide inferius agit, dum ubi ratio succumbit, fides divinitus inspirata succedit. Qua de causa multi ratione humana, vel artis eloquentia fisi, & volentes omnia deitatis arcana temere comprehendere, longius recesserunt a fide: atque ita, dum fidem conati sunt per rationem excludere, alieni facti sunt a fide; & dum altiora se humanis sensibus conantur circumscribere, multa sine fide, de fide sunt locuti: sed vera fides tuta semper requiescit in Christo, quæ quamvis plurima noverit, sufficit ei, quod Christum, & hunc crucifixum novit. (*c*) Hinc quoque Paulus: *Non judicavi me*, inquit, *scire inter vos, nisi* JESUM CHRISTUM, *& hunc crucifixum.* In quo profecto ac si fortitudi- [*c*]

Luc. 14. 28.
Psal. 60. 4.
Phil. 4. 7.
1. Cor. 2. 2.

(*a*) Edit. *infirmetur.* (*b*) Edit. *quos.* (*c*) Editi *noveris.*

nis turre, hinc inde fides virtutibus circumsepta, una quidem manu eademque credenti ædificat turrim; altera vero armorum apparatibus improbos revincit hostes, & eorum repellit insidias; ne falsis decepta oblectamentis succumbat.

5. Sic itaque sancti patres nostri de captivitate, in figura totius ecclesiæ reascen- Esd. 4. 7. dentes, destructam Jerusalem una quidem manu reædificant; altera vero circumcirca hostibus obsessis, fortiter eadem fide divinitus imbuti, propugnant. In quo namque conflictu bene fides etiam suis decertat partibus, ut majora semper velit. Unde magnifica jure dicitur, dum potiora semper, & quæ in ea sunt præterita, obliviscens appetit. Cujus nimirum fortitudo Joh. 16. 33. Deus est, ut ipse clamans ait: *confidite, ego vici mundum.* Ac si patenter dicat: non in vestris viribus: sed in mea erit fortitudine, quod victores eritis. Unde si deficitis, & tentationibus propellimini, ad meam respicite victoriam, meumque implorate auxilium; quia in mea victoria vestra est fortitudo. Confidite, inquit, non de vobis, sed de mea victoria; quoniam ego vici mundum. Meæ quidem potestatis est, quod vici, quam sane potestatem, & fidei jure concessi; tantum confidite. Hinc quoque Joh. 5. 4. Apostolus, *& hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Quæ profecto fides, nisi confidentiam habeat de Christi victoria, infirmatur; & ideo credere oportet ex Matt. 28. 20. toto corde, quod promisit: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Ad quod ergo nobiscum se pollicetur affuturum, nisi rursus ut pugnet, & vincat in no- [a] bis? quod (a) si vera est fides, talibus & hujusmodi firmatur promissis, ne deficiat, dum impellitur: alioquin nisi ea crediderit, quanto magis tepescit fidendo, tanto plus offendit fortitudinem fidei, quæ Christus est, amittendo. Non enim permittit nos tentari supra id, quod possumus: quia ipse novit vires nostras, sed quotiens vincimur, propria licet ex infirmitate, voluntatis vitio prosternimur amissa confidentia; & ideo dejicimur. Propter quod in omnibus perseverantia fidei est necessaria; ne prius demus manus peccandi, quam divina virtus, [b] quia (b) nobiscum est, ferat auxilium: sed relinquit ad modicum, ut in his exercea- [c] mur. Quod si amittimus confidentiam, magis incidimus in tentationem qua (c) labimur; & dum respicimus tenebras peccati, amittimus lumen fidei, in qua nobis certa victoria repromittitur. Propter quod vigeat in fide magnificentia, imploret Christi auxilium confidentia, quæ satis est necessaria, & ferveat perseverantia usque ad finem. Certissimum est enim, quod numquam in tali, ac tanta fide aberit Christi victoria; quoniam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Matth. 10. 22. Quod, *si moram fecerit*, ut ait propheta, & tardaverit largiri, quod exoptas; expecta, *quia veniet, & non tardabit.* Heb. 2. 3. Cave igitur, ne perdas sustinentiam. *Væ*, inquit propheta, *his qui sustinentiam perdiderunt, & deveneruntt in vias pravas.* Eccli. 2. 16. Quid itaque facient, cum inspicere cœperit Deus conscientias singulorum? Quapropter noli a fide desistere (d), [d] noli a cœpto itinere declinare; festina quo tendebas, & si cecideris (e) ob fragilitatem, [e] citius resurge. Noli vitiis succumbere; sed esto invictus mente fidei. Gressus tuos non retrahat inimicus festinantis animæ, fides certa perducat ad Deum. Non enim es victus, donec sponte jaceas: sed congrederis, dum vincere adhuc (f) per fidem appetis. [f] Nulla igitur virtus sine fide pugnat; quoniam *quod non est ex fide, peccatum est.* Rom. 14. 23. Et ideo, quantisper fracta fuerit, qualibet arma fidei resumat, eadem fides mox convalescat; quoniam ipsa est, quæ primum ceteras ad campum producit certaminis. Ipsa quidem prior petit campum; & ad agonem pugnatura, exerta brachiis, & nuda humeris præcedit intrepida: ita ut nec telorum meminerit, nec armorum suffragia; sed fidens pectore, omnes animæ virtutes accendit ad victoriam; quibus suffulta Christum desuper astantem aspicit, & clamantem: *Confidite, ego vici mundum.* Joh. 16. 33. Unde si nuda humanis viribus semper (g) Dei tuetur auxiliis: & ut aper- [g] tius fatear, nulli umquam victoria defuit, nisi cui tanta, vel talis fides vitiorum impulsu defecit; & ideo semper clamandum: *Domine auge nobis fidem.* Luc. 17. 5.

CAP. XIII. *Quod propria sit unicuique sua, quamvis sit omnium fides.*

1. QUamvis Apostolus dicat: *Una fides, unum corpus, unum baptisma:* Eph. 4. 5. tamen ut supra dixi, propter differentiam donorum, specialis & propria habetur in singulis. Hinc itaque in alio modica reprehenditur, in alio vero magna laudatur. Et tamen una eademque in omnibus jure creditur, ex qua unum corpus in Christo (h) [h] efficimur, per quam uno baptismo consecramur, & in una spe vocationis nostræ, una & sola fides est qua renascimur. Verumtamen propter gratiam donorum propria unicuique largitur, & ad mensuram ipsius fidei, teste apostolo Paulo, cetera carismatum dona præstantur. Est enim initiatrix omnium virtutum, & ideo prior illa per Spiritum sanctum datur, ut reliquæ vir-

(a) Edit. *quasi vero est.* (b) Editi *qua nobiscum est.*
(c) Edit. *quam labimur.* [d] Edit. *Desiperes.*
(e) Edit. *recesseris.* (f) In editis deest *adhuc.*

(g) Editi *semet* non male.
[h] In editis desideratur *in Christo.*

tutes ad ejus mensuram singulis dispertiantur. Unde ubique prius fides aut requiritur, aut datur. Requiritur autem, cum Martha

Joh. 16. 27. interrogatur: *Credis hoc?* Tum illa: *Credo utique, Domine, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.* Post cujus itaque fidem mox Lazarus resuscitatur. Et alibi cum quidam paralyticus a quatuor

Matth. 9. 2. ferretur, *Videns* JESUS *fidem illorum*, ait evangelista, qui efferebant. Quod satis considerandum, quia quodcumque gerimus ex fide, pensatur. Unde Dominus in Le-

Levit. 6. 15. vitico, cum de sacrificiis loqueretur: *Tollet*, inquit, *sacerdos pugillum plenum simila.* Ergo per pugillum fides exprimitur, ut unusquisque tantum offerat Deo, quantum fides capit. Affectum namque fidei divinus arbiter intus in occulto prius examinat, & tunc

[a] ex ea opera compensat. Opera quippe (a) palam sunt gesta, sed fides soli Deo patet. Ideo inquit evangelista. *Videns* JESUS *fidem illorum* qui afferebant: quoniam quicquid Deo sine recta fide offertur, magis

Gen. 4. 5. displicet, sicut de Caïn legitur: *Quod respexit Deus ad Caïn, & ad munera ejus non respexit.* Quare autem ad munera non respexerit, manifesta ratio est, quia cum eum prius intuitus, repperit in ejus intentione cordis, quod non recta fide offerret: idcirco munera ipsius, quamvis recte oblata,

1. Joh. 3. 12. jure repudiavit. Hinc quoque Paulus: *quoniam*, inquit, *ex maligno erat*, utique ex maligno animo. Et ideo apud Deum, qui corda inspicit singulorum, nullam retulit

Rom. 2. 28. mercedis laudem. Unde Paulus: *non qui in manifesto circumcisus est*, ait, *sed qui in oc-*

Rom. 4. 2. *culto Judæus.* Et de Abraham: *Si enim ex operibus justificatus est, habet gloriam; sed non apud Deum.* Patet igitur ex omnibus, quod occulta cordis solius est Dei nosse. Idcirco ipse per se prævidet in unoquoque fidei affectum & intentionem cordis, ut exinde, quod solius Dei est nosse, scilicet ex fide, habeat unusquisque intus gloriam apud Deum solum, qui occulta fidei solus conspicit, & qualitatem comprobat ipsius ac quantitatem. Non enim in omnibus æqualis, sed una est fides. Una videlicet, quia nonnisi unus est Deus, sed non æqualis, quia non omnibus perfecta est fides. Profecto in uno eodemque homine aliquando ex parte, aliquando perfecta est, in tantum, ut plerumque multa ex fide habeat: sed necdum in ea vivit justus. *Justus*, inquit, *meus ex fide mea vivit.* Ergo quisquis ex fide Christi vivit, totus Deo vivit,

Gal. 2. 20. sicuti qui dicebat: *Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus.* Quod scientes apostoli dicebant: *Domine, auge nobis fidem.* Nam qui fidem sibi augeri exoptant, jam aliquam fidem habent, & ex fide rogant, ut

[a] Edit. *quidem.*

A ex integro in fide vivant.

3. Propter quod nemo sibi applaudat, mox ut quippiam de Deo crediderit, & aliquid ex fide fecerit; sed consideret, si jam totus ex fide vivit: deinde si fides ejus in charitate radicata & fundata fuerit; ut sit illa quæ per dilectionem operatur. Alioquin *si habuerit*, juxta Apostolum, *omnem* 1. Cor. 13. 2. *fidem, ita ut montes transferat, charitatem autem non habuerit, nihil ei prodest.* Quæ

B nimirum fides in evangelio grano sinapis Matt. 17. 19. comparatur, etsi tanta posse videatur, magna quidem potest, quia ex magno potestatem magnam accepit: *Dedit eis potestatem* Joh. 1. 12. *filios Dei fieri.* Sed hi, qui tantummodo montes sine charitate transferunt, & dæmonia repellunt, virtutesque multas faciunt, licet omnimodam fidem habeant in credendo, quia necdum viscera sunt dilectionis Christi, degenerantur a Christo, & necdum plenam perceperunt potestatem fidei, ut essent filii Dei. Tamen numquam adeo vacua est fides; sed qualis & quanta fuerit

C ipsa, talis & tanta ubique (b) potestas ejus [b] refertur, cui cum desunt viscera amoris, deest & potestas adoptionis; quoniam omnis *adoptio* & paternitas charitatis amore plena sunt, & sola dilectione sibi ad invicem conviscerantur. Hinc quoque imploranda est semper illa, quæ per dilectionem operatur, ut sit integra & vera fides, sicut in credendo, ita & in agendo, amando, virtutum operibus insudando, tantum ut habeat gloriam apud Deum, apud quem semper nuda & aperta versatur. Ipsa est enim

D sperandorum substantia, & ideo totum debet in se gerere, quicquid in futuro speratur. Alioquin si aliud in se gerat, non est Christi fides, non est sperandorum substantia; quia quicquid in Christo est, hoc totum recte speramus, si recte credimus. Unde semper, ut dixi, orandum, ut recte credamus; & si quid in nobis minus esset credendi, utique supplicandum cum apostolis: *Domine, auge nobis fidem*, quousque om- Luc. 17. 5. nia per Christum sint possibilia credentibus nobis. Per Christum autem, apud quem semper, & in quo fides vera versatur, apud

E quem gloriam indefessa requirit, & habet; eo quod omnis gloria ejus ab intus; foris vero cuncta quæ fiunt devota contemnit. Intus autem legit & orat, intus operatur & diligit, intus sua congregat virtutum opera; intus, quamvis foris pugnet, secura quiescit: foris quidem pugnat, sed intus vincit: in quo est intus impetrat; intus impetrata reportat. Ad hoc ergo agit foris, ut intus ad se omnia trahat, ubi sua est confessio, & omnis pulchritudo, sanctitas, & magnificentia in sanctificatione ejus. Quæ non solum pro se agit, verumetiam pro aliis, qui-

(b) In edit. hæc desiderantur, *potestas ejus refertur, cui cum sua desunt viscera amoris, deest &c.*

bus

bus deest, multum intervenit: interveniendo autem quam sæpe præstandi compos (a) efficitur. Hinc est quod in evangelio legitur: *Fiat tibi sicut vis*; & *Fides tua te salvum fecit* frequenter auditur. Necnon & aliud: *Videns* Jesus *fidem illorum*, qui efferebant, ait paralytico: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.* Namque ecce filius Altissimi ex fide aliorum, qui erat (b) antea gehennæ filius, ægrotum liberat, ubi mira dispensatio fidei aperitur, quantum in eo valeat, cujus est fides, quæ tantum pro altero valuit impetrare. Hinc etiam Dei ecclesia, dum ad renascendum filii deferuntur, quorum non dico fides; sed nulla est ratio vel sensus, ut possint credere: tamen credit, quod aliorum fide salvantur. Et si bene perpendis, nihil salutis sine fide præstatur.

Matt. 15. 28. Marc. 10. 52. Matth. 9. 2.

2. Est tamen, sicut dixi, modica in aliquibus, est & magna in nonnullis: apostolis dubitantibus etenim dicitur: (c) *Quid timidi estis modicæ fidei?* Centurio vero laudatur quod non invenerit tantam fidem in Israël. Necnon & Maria solum quia credidit beata prædicatur. Ait enim: *Beata, quæ credidisti, perficientur in te quæ dicta sunt tibi ab angelo.* Et mirum si non ita in omnibus qui perfecte credunt, & perficiuntur & præstantur quæ recte per charitatem fidei optantur & quæruntur. Unde Dominus, *si habueritis fidem*, inquit, *velut granum sinapis, & dixeritis monti huic: tolle te hinc, & mitte te in mare, fiet utique.* Verumtamen quivis (d) de quolibet monte dictum accipiat, vel de cujuscumque grano sinapis; nemo tamen qui sane credit, dubitare debet, quod hæc ita sint, ut Veritas repromisit. *Sed non omnium est fides.* Nam & apostolus inter cetera Dei dona atque Spiritus-sancti dicit: *Alteri datur fides in eodem Spiritu.* Quid putas? numquid & omnibus non datur, qui aut (e) sermonem scientiæ vel sapientiæ, aut gratiam sanitatum, aut prophetiam, aut genera linguarum, & cetera hujusmodi (f) perceperunt; cum hæc omnia juxta eumdem apostolum, unicuique secundum mensuram fidei dispertiantur? utique datur his omnibus prior fides, qui gratiam Spiritus-sancti aliquam percipiunt. sed sunt aliqui, qui ut illi in sapientia, vel scientia, vel gratia sanitatum, vel prophetia pollent; ita & ipsi fidei virtute præcellunt ut quamplurimum possint, etsi cuique sua sit fides. In qua nimirum fide hoc in tempore nonnulli plus fervent, adimplentes præcepta agendæ vitæ, & calcantes ea quæ contraria sunt saluti: Nonnulli vero sic cœlestia meditantur, ut terrena non relinquant, quos si requisieris, omnes pariter se credere confitentur unum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum-sanctum; sed eorum non æqualis est omnium fides; & ideo nobis proximi fides non ex voce tantum, sed ex operibus pensatur; quoniam quantum in eo vivit, tantum aut bona volendo, aut piis justisque operibus insistendo ad ea quæ non videntur ardenter curritur; tantoque potentior ad agendum, quanto devotior circa Deum, & tanto validior quæ contraria sunt ad resistendum, quanto ceterarum virtutum instrumentis armata, & confisa fuerit in Deum. Et non dico quod inæqualis una eademque, verum nec in uno eodemque homine semper æqualis esse probatur: altera enim fuit in Petro, quando interrogatus: *Vos quem me esse dicitis?* dicebat: *Tu es Christus Filius Dei vivi*: altera, quando ab ancilla requisitus negavit: *Non novi hominem.* Sed & Dominus: *Ego pro te rogavi, Petre, ne deficiat fides tua: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Puto, quando necdum conversus erat, perfecte (g) fidelis nondum erat; & cui præstatur ejus fides ne deficiat, aliqua fides profecto erat: sed timore pressus male negavit, quod intus in conscientia occulte pressit: sed talis fides etiam ab intus periret, nisi quamcito eam pietas suo aspectu refunderet. Qui postea conversus, etiam inter verbera, & ad mortem usque intrepidus confitetur. Ergo & ceteri, dum adhuc confirmandi erant, necdum in fide perfecti erant. Et ideo nemo se (h) applaudat perfecte fidelem, mox ut quantisper cœperit (i) credere, donec Christum & Spiritum-sanctum in se habitare sentiat per fidem. Unde apostolus Paulus: *Flecto*, inquit, *genua mea ad Patrem Domini mei* Jesu Christi, *ut det vobis divitias gloriæ suæ, virtutem corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, habitare Christum per fidem in cordibus vestris: in caritate radicati & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas & profundum. Scire etiam supereminentem caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Ecce si fidelis es, jam ad quid tendendum, ut fidelis permaneas. Hinc quoque Dominus in Apocalypsi Johannis, ecclesiæ *Esto*, ait, *fidelis usque ad mortem, & dabo tibi edere de ligno vitæ.* Consummata igitur fides usque ad mortem pertingit, cui nulla possunt obsistere blanda vel aspera; siquidem nec mors quæ cunctis asperior videtur, donec ea quæ non videntur apprehendat, ad quæ (k) nemo nisi per mortem venit umquam; & ideo, quam bene fides etiam nec mortem timet: alioquin si fides argumentum est eorum quæ non vi-

Matt. 8. 26. Ibid. 10. Luc. 1. 46. Matt. 17. 19. 1. Cor. 12. Matt. 16. 15. Matt. 26. 72. Luc. 22. 32. Eph. 3. 14. Apoc. 2. 10.

(a) Edit. *Compos efficit.*
(b) Edit. *qui erant antea gehennæ filii*, non ita bene; alioquin subdere deberet, *ægrotos liberat.* (c) Edit. *dicit.*
(d) Edit. *quisvis.* (e) Edit. *qui autem.* (f) Edit. *hujus.*

(g) Edit. *perfecto*, sed melius *perfecte.*
(h) Editi *sibi*, sed melius *se.* (i) Edit. *cœpit.*
(k) Edit. *Ad quam nisi per mortem venit numquam.*

dentur, & ad ea venire festinat quæ nonnisi A venturum ad judicandos vivos & mortuos, post mortem comprehendere valet: quomodo fides est, si mortem timeat? Quod si [a] (a) justus ex fide vivit, qualis est virtus, [b] quæ (b) vita justi est, & vivificat ad vitam, ut mortem paveat? Timor enim mortis de pœna peccati est; & ideo justus jam fide vivens timere non debet; quia sicut Christus vita, mortem morte peremit; ita & fides vita justi, per mortem de morte ad vitam transit; ut jam justus non ex fide, sed ex vita sempiterna, quæ nunc in fide est, immortaliter vivat.

CAPUT XIV. *Quod fides recte circa tria versatur tempora, & ultra ad æterna.*

PRofecto fides non minus de præteritis credit, quam de præsentibus & futuris. Heb. 11. 3. *Fide*, inquit Paulus, *intelligimus adaptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.* Quæ qui non credit, infidelis probatur: Et hæc est fides, quam docet Gen. 1. 1. Spiritus divinus per Moïsen dicens: *In principio fecit Deus cælum & terram*, id est creaturarum omnia quæ sunt in cœlo & in terra. Unde restat aliud nihil esse, quam unum Deum quem credit fides; & ea quæ sunt ab uno Deo; creatorem videlicet & creaturam. Siquidem creatorem ante omnem, & supra omnem, & ultra omnem creationem. Ante omnem, quia ipse sine initio est, & creatura omnis ab ipso est. Supra omnem; quia ipse potentior atque excelsior, & creatura per ipsum, a quo regitur & gubernatur, ut sit, omnino est. Ultra enim prorsus; quoniam sine fine est, & creatura infra ipsum finiens, ut cum ipso sit, vere & indubitanter est. Idcirco nihil extra ipsum; sed ipse ante omnia, & supra omnia, & ultra omnia utique est. Hinc ergo constat fidem de præteritis agere, necnon & de præsentibus & de futuris. De præteritis quidem, dum ea credit quæ ante sæcula sunt, unum Deum in tribus subsistere personis, ex quo omnia. De præsentibus, cum ea quæ nunc ultra hujus vitæ sæcula sunt, unum scilicet, eumdemque permanentem Deum esse intelligit, per quem omnia. De futuris vero, cum ea quæ ultra hujus sæculi finem prætendunt, Patrem videlicet & Filium, atque Spiritum-sanctum, unum Deum in Trinitate sine fine permanere non dubitat, cum quo omnia. Et hæc est, inquam, altitudo divitiarum, in quam credit fides. sed quia incomprehensibiles viæ ejus sunt; idcirco sine ulla disputatione & retractatione de Christo integra & inconcussa semper cum ipso, donec in via sumus, & ea non videntur quæ creduntur, vera manet fides. Credimus enim eum mortuum, quod jam præteriit: ipsumque credimus nunc sedere ad dexteram Patris; quod præsentis est: &

[a] Edit. *quia si.* [b] Edit. *qua.*

venturum ad judicandos vivos & mortuos, quod futurum est. Sed si quæritur Christiano quid credendum? licet ab uno Deo jure omnia creata sunt, non tamen rerum natura ita rimanda est, quemadmodum ab eis quos Physicos Græci vocant. Non itaque metuendum, ne aliquo (c) deviet numero [c] elementorum, de motu atque ordine & defectibus siderum, de figura cœli, de generibus & naturis animalium: neque existimandum Christianæ fidei aliquid obesse, si quippiam ignoramus fruticum, (d) la- [d] pidum, fontium, fluminum & montium; B de spatiis quoque locorum ac temporum, de signis imminentium tempestatum, & alia scientia de his rebus quas illi invenerunt, vel invenire se promittunt. Nam & ipsi non omnia repererunt, licet quædam humana conjectura investigantes, quædam vero historica experientia cognoscentes, plura vero sua opinione confingentes, ediderunt. Satis est enim Christiano rerum creatarum causas, sive cœlestium sive terrestrium, sive visibilium sive invisibilium, intelligere, non nisi bonitate creatoris Dei existere; nullamque esse naturam, quæ non aut ipse sit, aut ab ipso; ipsumque esse Trinitatem, C Patrem scilicet, & Filium a Patre genitum, & Spiritum-sanctum ab utroque procedentem, unum Deum, a quo creata sunt omnia; nec summe nec æqualiter, nec immutabiliter bona; sed tamen bona etiam singula, simul vero universa valde bona.

2. Eam igitur solam appellamus fidem, quam divina eloquia docuerunt, earum scilicet rerum quæ non videntur, non quæ omnino videntur; & si in quibusdam fidem a contrario damus, quando non absurde interdum dicimus aliquid nos vidisse & credidisse; verumtamen fides nostræ religionis numquam sine spe est, numquam D sine amore; neque spes aut charitas sine fide: unde fides de invisibilibus, sicut & spes, de qua Apostolus ait: *Spes quæ videtur, non* Rom. 8. 24. *est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.* Ergo ea quæ adhuc speramus, jam credimus, & quæcumque credimus, profecto speramus, sperantes autem amamus. Unde fides invisibilia comprehendit, Deum scilicet supra omnia, & E circa omnia, atque intra omnia, ubique totum & sempiternum. Creaturam vero omnem ab ipso auctore Deo conditam; quam sane creaturam a creatore secernens, solum Deum propter seipsum credit, sperat, atque amat. Et hæc est, ut dixi, Christianæ normæ fides, quæ secundum Apostolum per dilectionem operatur: alioquin nisi credas primum, nec habes quid speres, vel quid ames, sicut nec quid invoces; & ideo fides credulitas est in Deum, immo

(c) Edit. *aliquis.* [d] Edit. *fructuum.*

substantia, quam sperare & amare propter seipsum, quia summum bonum est, oportet. Fides est, inquit, sperandorum substantia; quia profecto quanta est fides in nobis, quæ per dilectionem operatur, tanta & spes esse debet. [a] Nisi (a) ultra speremus, aut aliud sine substantia spei sperare videamur aut amare. Sic itaque & in oratione fides credit, spes & charitas orant; sed quia sine fide fore nequeunt, etiam & fides orat. Aliàs autem orare, vel invocare, vel sperare, vel amare invisibilium non possumus eorum, in quem non credimus; & ideo implo- [b] randa est magna fides, (b) ut sit & magna spes atque charitas. Quæ licet tribus mo- [c] veatur, ut protuli (c), temporibus, extra omne tempus Deum sempiternum confitetur Patrem, & Filium, atque Spiritum sanctum. Ipsa vero ideo his afficitur temporibus, quoniam sub tempore agitur, ut ad ea fidelis quisque pertingat, quæ semper eadem sunt & sempiterna. Non quia in quem credit fides sit sub tempore; sed quia quæ ab eo aut fuerunt, aut sunt, aut futura sunt, omnino sunt in tempore, donec evacuetur & ipsa fides, quæ piis operibus nunc credit a Domino quæ geruntur. Unde quisquis es, si necdum ea quæ non videntur idoneus es credere, saltem operibus crede; quoniam ab opifice idcirco invisibiliter verbo virtutis visibilia fiunt, ut ex his invisibilia comprehendas; a creatura etenim mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur; ab invisibilibus ergo visibilia reguntur, & ideo potius semper invisibilia sunt fide quærenda, quæsita vero amanda, & pio amore sine fine fruenda. Novimus enim pro certo, quod ista quæ videntur, [d] non ipsa se fiunt (d); sed tamen facta sunt & videntur: non quomodo fiunt, sed quia omnino existunt, & facta sunt. Propterea credenda est potentia Deitatis, & sapientia atque voluntas, quoniam quicquid voluit aut potuit, in sua sapientia fuit, ob id nihil reprehensibile fecit; ergo ut habuit non majus posse, quam velle, neque ipsum velle plus quam posse, ita nec velle aut posse majus quam sapere. Hinc igitur in ejus voluntate universa sunt posita, cujus potestatem nihil excedit; sed potentia qua facta sunt, continentur, ejusque sapientia, in qua facta sunt, reguntur; quæ simul omnia unum Deum declarant; quoniam ex diversis & contrariis unus est mundus: qui nisi esset unus, cujus arbitrio regitur & potentia, numquam tam diversa & contraria unam haberent harmoniam, & omnia tam concorditer ad unitatem tenderent. In nullo enim dissident, ne unum efficiant. Quæ, si essent dii multi, ut gentilitas delusa mentitur, tam contraria rerum elementa, &

(a) Edit. *nisi*. (b) In edit. desideratur *ut sit & magna spes atque*.

A naturarum negotiorumque diversitas olim sæculo finem imponeret, præsertim cum & ipsi inter se, ut ipsi fingunt, diversi moribus, & potentia contrarii prædicantur. Nunc autem dum simul omnia mundi, unam hominis pariunt utilitatem, & multiplex rerum ac temporum varietas, unam efficit ubique, & in omni tempore sæculi consonantiam, & fructus vitæ humanæ singula tribuunt ubertatem; patet quod unus sit omnipotens, ad cujus voluntatem hæc omnia fiunt, & in cujus sapientia præparantur, ne ab invicem prolabantur, sed si-B mul omnia usibus vitæ humanæ concorditer serviant. Quæ quamvis visibilia sint, tamen invisibiliter intus moventur ab invisibili Deo, ut mens per id ad eum redeat, a quo talia & tanta sine nostris fiunt aspectibus. Unde per fidem ambulamus, & non per speciem, quoniam ea quæ non videntur fide quærimus: ea vero quæ videntur, nec credimus, nec speramus, profecto quia ex dono Dei his utimur: sed largitorem adhuc suspirantes requirimus, ut qui tanta dedit, quæ videntur, seipsum, quem necdum vi-C dimus, clementer ostendat suis, ut sufficiat nobis.

CAPUT XV. *De dono gratiæ, & perseverantia fidei.*

1. NEmo igitur Christianorum aut initium fidei, aut perfectionem se habere existimet; sed donum Dei esse fidem quo cetera donentur dona, certissime intelligat. Alioquin *quis prior dedit ei, & retribuetur illi.* Rom. 11. 35. Ergo quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia; ideo initium fidei nostræ ab ipso, neque ut quidam vo-D lunt, hoc excepto, cetera per ipsum; sed ex ipso fide initiamur, & per ipsum augmentum sumimus, ut in fide crescamus, & in ipso donum perseverantiæ sumimus, ut in una eademque permaneamus. Unde apostolus: *Vobis*, inquit, *donatum est, non* Phil. 1. 29. *solum ut credatis in eum*; *verum etiam ut patiamini pro eo.* Utrumque ergo Dei donum insinuat, initium atque finem, ne si ex nobis initium dixerimus nos habere, jam incrementum fidei merces sit initii nostri, & non gratia largitoris: Quis enim non videat, quod prius sit cogitare, tum demum E credere? Quoniam nullus credit aliquid, nisi prius cogitaverit, illud credendum est; quamvis credere nihil aliud sit, quam cum assensu auctoritatis Christi, ea quæ non videntur, & ipse docuit, sine percunctatione certius cogitare; Etsi non omnino (e) [e] quæcumque cogitat, credit, tamen quæcumque credit, credendo cogitat, & cogitando credit ea, quæ pertinent ad religionem catholicæ fidei, vel pietatem. Hinc

(c) Edit. *pratuli*. (d) Edit. *faciunt*.
(e) Edit. *omnis quæcumque*.

2. Cor. 3. 5. quoque apostolus: *Non sumus idonei cogitare aliquid, quasi ex nobismetipsis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quod si cogitare non sumus idonei; quanto magis nec credere. Verum igitur sufficientia nostra, qua credere incipimus, ex Deo est. Et sicut nemo sibi sufficit, ut incipiat, ita nec quodcumque opus bonum ex se habet ut perficiat; sed incipiendi & perseverandi sufficientia nostra ex Deo est. Verum quodcumque promisit Deus, potens est & facere. Promisit ergo fidem gentium Abrahæ, qua ejus heredes essent: quam sane fidem gentibus potenter effecit, ut non ex operibus [a] glorietur omnis caro (*a*) coram illo; sed ex gratia, quæ est in CHRISTO JESU, salvetur; alioquin jam non est gratia nisi sit 1. Cor. 4. 7. gratuita. *Quid ergo habes, quod non accepisti?* puta, fidem te habere suspicaris, quasi ex te: jam ergo, si ita est, aliquid habes, quod non accepisti; præsertim cum fides exordium omnium donorum Dei, jure creda-Rom. 12. 3. tur; ut est illud apostoli: *Sicut unicuique* [b] *Deus partitus est mensuram fidei.* Quod (*b*) si fides non est ex Deo, jam reliqua, quæ ad mensuram fidei dispertiuntur, retributiones sunt fidei, & non dona: mala igitur talis gloriatio, cum nihil nisi accipiendo habere possumus. Unde apostolus: *Si autem*, inquit, *accepisti, cur gloriaris, quasi non acceperis?* Non idem donatum sibi exclamat, ut fidelis esset; quoniam reliquiæ per electionem gratiæ salvæ fiunt, & non 1. Cor. 16. 6. ex meritorum operibus. Ipse est enim Deus, *qui operatur omnia in omnibus*: Quod (*c*) si [c] omnia, utique & fidem, per quam & alia in nobis adoriuntur virtutum dona: prop-[d] terea nemo se (*d*) applaudat a se quippiam habere, nisi vitia, ne gloriari in homine 1. Cor. 1. 31 videatur; sed *qui gloriatur, in Domino glorietur*; a quo, & per quem, & in quo habemus, non solum quod fideles sumus; verum etiam, ut in eisdem fidei operibus per-Jac. 1. 17. maneamus. Denique *omne datum optimum*, quod est fidei sacramentum, *& omne donum perfectum*, scilicet in (*e*) ejusdem ope-[e] ribus permanendi gratia, *desursum est, descendens a Patre luminum.* Unde dicamus Ps. 113. 9. cum propheta: *Non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo gloriam*; quoniam nihil possumus ex nobis, nisi quantum a Deo accepimus.


2. Accepimus ergo fidem ex Deo, si forte [f] jam fideles sumus, & ideo Patrem Deum, (*f*) vocare audemus in cœlis: *Dedit*, inquit, Joh. 1. 12. evangelista, *potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Quæ sane potestas fides est vera, per quam adoptamur in Deum (*g*): sed data utique, ut sit integra [g] gratia, non merces reddita. Hinc alibi Rom. 8. 14. apostolus: *Quicumque spiritu Dei aguntur* A *ii sunt filii Dei.* Ex quo notandum, quod non solum nostræ religionis fides aut opera, verum ipsi, ut sunt filii, aguntur Dei spiritu, ne ullis sibi applaudant de meritorum operibus: Et ideo poscenda est prior fides, quæ datur in eodem spiritu: Demum ut opera fidei per dilectionem augeantur; postremum ipsa eademque ad finem usque servetur. Quod si aliquid virtutum defuerit; edocet (*h*) apostolus Jaco- [h] bus, quomodo impetremus. *Si quis*, inquit, Jacob. 1. 5. *indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autem in fide nihil hæsitans.* B Ex quo patet, dum omnia virtutum dona nobis in fide sint poscenda, & ad mensuram fidei dispertiantur, quod ipsa eademque fides magnum sit Dei donum, licet prius non petentibus nobis sit largita, quoniam nemo sine voluntate sua recte credit; & tamen voluntas ipsa credendi a Domino præparetur. Velle quidem & perficere ipsius sunt dona, ut nemo de se glorietur, sed in omnibus misericordiæ Dei se committat; quando quidem juxta illud propheticum David: *Misericordia ejus præve-* Psal. 58. 11. C *niet me.* Et alibi orans ipse: *Misericordia* Psal. 22. 6. *ejus subsequetur me*; ut in nullo, nisi de illo præsumamus; quoniam nisi ab illo, nihil est quod habemus. *Non enim volentis, aut* Rom. 9. 16. *currentis, sed miserentis est Dei.* Prorsus quia jam velle & currere non aliquod, sed magna sunt dona Dei, secundum consilium voluntatis suæ, & non secundum meritum voluntatis nostræ. Non enim nos elegimus eum, sed ipse nos elegit, ut credendo eum eligeremus: fecit prius in nobis fidem, quam inspiravit; ut per eamdem fidem cetera, D quæ ipsius sunt bona, petendo, quærendo, pulsando acciperemus. Et ideo quos elegit, non eos electos, sed vasa iræ invenit. fecit enim eos, ut eum eligerent credendo, quos præscivit & prædestinavit ante mundi constitutionem in Christo, *ut essemus* Eph. 1. 4. *sancti*, inquit, *& immaculati in conspectu ejus, in charitate prædestinans nos in adoptionem filiorum Dei, secundum placitum voluntatis suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo.* Nemo igitur applaudat sibi, quasi ex se, sed totum Deo tribuat, qui nos & E præscivit, & elegit: non quod jam electi, aut sancti essemus ullis existentibus meritis præsentibus, præteritis, aut futuris; sed ejus misericordia, qui eramus vasa iræ, ut essemus sancti per Christum, secundum placitum voluntatis suæ, & non secundum meritum voluntatis nostræ, in sua quidem nos gratificavit voluntate; ut gratia salvi facti simus. Unde apostolus: *Gratia salvi* Eph. 2. 8. *facti estis per fidem*; *Et hoc*, inquit, *non ex vobis, sed Dei donum est*; id est, quod per

(*a*) In editi deest *caro*. (*b*) Editi *quia si fides*.
(*c*) Edit. *quia si omnia*. (*d*) Edit. *sibi*.

(*e*) Edit. *de ejusdem*. (*f*) Edit. *Dominum*.
(*g*) Edit. *a Deo*. (*h*) Edit. *docet*.

fidem

fidem a gratia salvamur. Hinc ipse in evan- A
gelio: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum,*
Johan. 6. 29. *quem misit ille*: Quod si fides credentium opus Dei est, jure dicimus justificari hominem per fidem, & non ex operibus, ut ex ipsa fide cetera consequantur virtutum dona, in quibus juste vivamus, & sit secundum gratiam juxta apostolum firma promissio ex fide, ne dum homo suæ infirmitati plus committit, quam firmitati promissionis Dei, prolabatur incautus. Sed
[a] forte ad hæc aliquis: incerta est mihi (a) de me Dei voluntas, utrum me per gratiam ex fide salvare velit. quid igitur? ô homo! certa-ne tibi est de te tua voluntas? num- B
quid non times illud, quod dicitur: *Qui*
1. Cor. 10. 12. *stat, videat, ne cadat?* Incerta est etenim de te tibi tua voluntas: cur non ergo firmiori ac potentiori te totum committis, qui jam tibi gratis aliquid donavit? Nam non solum velle & credere, cum nec velles nec crederes, nisi donaret ipse; verum etiam & currere concessit gratis. Idcirco melius de illo confidere oportet; *quia neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*; tantum ne confidentiam amittas.
Ipsius est enim jam, quod volumus, aut C
currimus, committenda est ei fides nostra, cui, & a quo credimus: Spes quoque, & charitas in illo, & non in nobis solidius confirmanda; quoniam etsi quippiam facimus, ipsius dona sunt, dum Deus per gratiam suam ex fide prius operatur in nobis, ea recte ut faciamus. Quapropter pro cer-
[b] to noveris, quod maximum Dei (b) donum est fides, in nulloque de misericordia Dei dubitandum, quamdiu voluntas credendi, & operandi est, ut sit illa fides, quæ per dilectionem operatur in bonis,
sive etiam in nobis per JESUM CHRISTUM D
dominum nostrum. Amen.



PROLOGUS
IN LIBRUM DE SPE.

[c] DIcato tibi, carissime, quasi prætextatorio (c) habitus Christianæ fidei negotio catholicorum Patrum sensibus elimato, nunc paucis aggrediar, ut promiseram, de spe: cujus cum fide tanta Christi resultat gratia, ut quotidianis successibus usque ad cœli secreta, quo Christus pro nobis pontifex factus introiit, pene-
[d] trantes (d), sempiterna cœlorum gaudia securæ jam possideat. De qua spei possessio-
Jer. 17. 17. ne Propheta canit dicens: *Spes mea Dominus*. Parum quippe fore credens, ut tibi, qui florida perfectione harum virtutum quotidie virescis, tanto dignus fœdere quasi libellum dotis earum de singulis conscriberem, quatenus distincte tui possint agnoscere, quibus mente pacisceris fidei conjugio, vel quale illarum in spe promissionis Christi charitate perfecta, frueris patrimonio. Qua de causa velim nostris dignatus tuis faveas precibus, si quo modo, quid sit Christianorum spes, digne valeam explicare.

Explicit prologus.

INCIPIT LIBER DE SPE.
CAPUT PRIMUM.

EST igitur spes vitæ Deus, mentisque commercium velut anchora inter procellas sæculi, juxta quod beatus & egregius Paulus apostolus dicit, & per subjectam similitudinem hortatur dicens: *Per* Heb. 6. 18.
duas, inquit, res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, certissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introiit JESUS *secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum.* Ergo fortissimum solatium & inviolabile nobis proposita spes; quoniam impossibile est mentiri Deum, qui nobis ea quæ speramus repromisit; quam sicut anchoram habemus. Sicut anchoram autem eam dicit, juxta similitudinem navigantium; qui dum mediis fluctibus hinc inde circumferuntur, solent projicere anchoram suam, quatenus
solo (e) circumligata inter medias tempe- [e]
statum procellas tuta navis atque immobilis subsistat, ne vi ventorum ad naufragosa maris loca projiciatur. Sic itaque spes nostra non in solo æquoris, sed in Christo, qui est petra firmissima anchorisatur, quam tutam, ac firmam, atque procedentem ad interiora cœli habemus. Et est mira comparatio; ut navis ecclesia intelligatur, mare præsens sæculum; procellæ fluctuum & tempestates, tribulationes ac persecutiones hujus sæculi; vis ventorum, contrariæ potestates. Quibus collisi, & appulsi spem nostram projicimus velut anchoram, non ad arenam maris, sed ad Christum; ut in E
eo, qui est petra fimissima, figatur, & solidetur: quam sicut anchoram animæ habemus tutam ac firmissimam. Anchora namque a græco; quod est anchir derivatur. Anchir quippe manus interpretatur: ita ut sicut manus colligit, & constringit, anchora colligere, vel constringere arenam videatur; & inde est, quod ita nominatur:

(a) In edit deest *mihi*.
(b) Edit. *quod maximum Dei beneficium sit credere, nec dubitandum quamdiu voluntas credendi & operandi est, orandumque ut sit illa fides, &c.*
(c) Edit. *Prætextario.* (d) Edit. *penetrans.*
[e] Edit. *soli.*

sed quam bene spes nostra anchora dicitur, ut quodcumque constringimus operatione, Christus sit; pro cujus amore etiam nos superimpendimus: & quodcumque colligimus, in eo figatur mens, ut ipse sit spes nostra, sicut propheta canit: *Spes mea Dominus a juventute mea*: [Psal. 70. 5.] quatenus ab eo, nullis divellamur tentationum fluctibus. Ligatur autem fune fidei, & charitatis, hisque contexitur *funiculus triplex*, qui in Salomone [Eccli. 4. 12.] *difficile rumpitur*, quo anima ad Christum juncta solidatur, & nullis dirimitur illusionibus. Nihil enim certius, quam quæ manu tenemus: manu autem spei, quæ est anchora animæ tuta, Christus tenetur & constringitur, de quo sponsa in Canticis: *Inveni*, [Cant. 3. 4.] inquit, *eum, tenebo eum, nec dimittam illum*. Tenebo, ait qua vis manu, nisi manu spei, qua seminamus euntes per fidem, & flentes per desiderium. Seminamus autem in spe; sicut omnis, qui arat seminavit, in nullo nutantes; quia tenemus eum, & manemus in illo, in quo qui manet, fructum fert plurimum. Unde hortatur apostolus: *Teneamus propositam spem*, quoniam in Christo spes nostra omnis proposita est, quem proposuit nobis Deus Pater propitiationem pro peccatis nostris. Teneamus ergo eum, immo oremus jugiter, ut teneamur ab illo, quem sicut anchoram habemus animæ tutam, qua ligemur, ne avellamur ullis aurarum motibus; sed vincti post eum currentes immobiles maneamus. Hæc nimirum spes inviolabilis est; quoniam etsi ex nobis quantisper aliquando diffidimus, in eo tuti, ac firmi maneamus, a quo manu tenemur, & firmamur. Ipse est enim anchora nostra, qua ligamur; de qua nemo, qui possit nos aufferre. tenemus autem illam, & tenemur; sed majus est, quod tenemur a [a] Christo, quam quia (a) tenemus; eo quod tamdiu tenere illum possumus, quamdiu ab illo tenemur. Verumtamen teneamus necesse est, ut teneamur; quatenus hinc inde nullis abrumpamur fluctibus. Porro spes nostra Christus est, & per Christum quicquid in illo nobis repromissum est, nihil aliud sperantes, quam quæ ab illo, & in illo credentibus sunt donata. Siquidem illud totum, quod Deus est Pater, & Filius, atque Spiritus-sanctus recte speramus. Speratur autem & carnis resurrectio; necnon & vita æterna; atque interminabilis in Christo beatitudo; quoniam hæc omnia per ipsum, & ab ipso donata sunt nobis. Creduntur autem hæc omnia prius, idcirco jure sperantur. Creduntur quod sunt, deinde sperantur per Christum, quia (b) donata [b] sunt; & hæc est spes nostra viva, de qua apostolus: *qui regeneravit*, inquit, *in spe* [1. Petr. 1. 3.] *viva*. Viva utique & vera, quoniam Christus vita & veritas est. Maneamus igitur in eadem, in qua renati sumus; quoniam (c) [c] in spe viva, & necdum in re sumus. Et quia necdum in re, idcirco adoptionem filiorum exspectantes, speramus, quam jam in spe percepimus, habemus, & tenemus. Tenentes autem de illa securi sumus; quoniam de his, quæ donata sunt nobis in Christo, jam certi sumus. Unde & orantes dicimus: *Pater noster, qui es in cœlis*. Etsi adhuc in re (d) necdum sumus, tamen in [d] spe jam esse cœpimus, quicquid futuri sumus. In spe siquidem, sicut ait apostolus, *jam consedere nos fecit in cœlestibus*, jam con- [Eph. 2. 6.] resurreximus (e) per baptismum, sicuti & [e] consepulti sumus illi per mortem. Ideo hæc omnia, spe firma, vera, & viva nobis donata tenemus, tenentes autem hanc propositam spem, tuti ac securi sumus; quoniam in Christo eam habemus, in quo cuncta credimus. Ipse namque est sperandorum substantia, quam fide acquisivimus, licet differatur in re; & ideo tam patienter, quæ jam data sunt, devoti expectamus. Ipse est veræ futuræ pollicitationis religiosus assensus, promissæ gloriæ devota intentio, sanctorum destinata (f) posses- [f] sio, bonorum omnium exspectatio futurorum. In qua nimirum spe viva regenerati, quæ sursum sunt sapimus, ubi vita nostra cum Christo abscon$sa servatur. Illucque vivamus, ubi renati sumus. Spes autem viva & vera Christus est, in quo, quæ sempiterna sunt, habemus, quibus imbuti atque initiati, festinemus ingredi ad eamdem requiei gloriam, ubi non qualicumque promissione; sed spe viva renascendo intravimus.

CAPUT II. *Quid sit inter spem & fidem.*

QUamvis igitur spes cognata sit fidei, & propinquitas credendi, ita ut una earum sine altera stare non possit; tamen distinguenda est altera ab altera sicut vocabulo, ita rationabili differentia. Quatenus & spes fide solidetur, & fides spe certa jugiter ad ea, quæ sempiterna sunt, & non videntur, fulcigatur. Est enim earum prima differentia, quod sperari recte nihil potest, nisi quod recte creditur, tamen credi potest, quod omnino non speratur: Quis namque fidelium est, qui pœnas, & supplicia non credit impiorum; tamen (g) nec sperat, licet omnino timeat? [g] quoniam spes solummodo bonarum rerum est, timor vero malarum. Ergo quamvis nonnulli sperare pro timere dixerint; spes tamen semper proprie in bonis est, sicut

(a) Edit. qua. (b) Edit. qua.
(c) In edit. desideratur *Quoniam in spe viva & necdum in re sumus.*

(d) Edit. *jure*. (e) Edit. *jam consurreximus*.
(f) Editi *distincta*. [g] Edit. *qua tamen*.

timor quamsæpe in malis: Etsi *timor sanctus permanens in sæculum* per prophetam dicatur. Denique fides non minus malarum rerum, quam & bonarum; quoniam & bona creduntur, & mala. Est enim & altera earum differentia; quia fides, & præteritarum rerum est, & præsentium, & futurarum: Præteritarum, quicquid de principio sæculi in scripturis sanctis legimus, necnon & Christum mortuum, quod præterit, omnino credimus: Præsentium, dum & ipsum sedere ad dexteram Patris. quod nunc est, vera fide credere nos profitemur: Futurarum vero, quod venturum eum ad judicandum vivos & mortuos, necnon & carnis nostræ resurrectionem procul dubio credendo prædicamus. At vero spes solummodo futurarum est, & bonarum rerum: non autem aliquid nisi de futuro semper speramus; quamvis fides tria in credendo jugiter occupet tempora. fides namque quamvis ad tria se superextendat tempora credendi; non nisi præsens est fides; sicut & cum mala credimus, semper dum recte creditur, bona est fides. Alioquin unicuique si non præsens sit, fuisse nihil prodest; donec veritatis visio evacuet, quod ex parte est, & verum inveniatur, quod in fide est. Unde quia vera, semper credenti bona est fides.

Ps. 18. 10.

3. Porro earum alia adhuc differentia est, quoniam spes numquam sine amore est, fides vero interdum potius timore premitur, quam amore levetur. De qua sane fide Jacobus apostolus ait: *Quod* (a) *& dæmones credant & contremiscant*, qui omnino nec sperant, nec amant. Sed Christianorum fides ea est, quæ per dilectionem operatur, quæ numquam sine spe atque amore invenitur. Unde illi formidant, nos sperantes amamus; etsi quantisper de pœna peccati timemus, in quantum minus speramus. Idcirco homo desine peccare, ac de præteritis judicium sume, ut possis sperare credendo; quoniam sicut nec spes sine amore est, ita nec Christiani fides, ut sit ea quæ per dilectionem operatur, sine charitate: quæ nimirum charitas foras mittit timorem, ut possit magis sperare aliquis, quam timere. Numquam igitur inpræsentiarum charitas sine spe, sicut nec spes aut charitas sine fide. Hinc ergo est, quod fides credendo quærit quæ non videntur, & æterna sunt; spes vero præsumendo petit, ut perveniat ad rem, quam ex dono jam in se percepit & secura est. Deinde charitas infatigabiliter pulsat, & orant duo simul, ut aperiatur janua, & evacuetur, quod ex parte est, fruaturque rebus, quod perfectum & æternum est. Spes igitur & charitas orant, ut dixi, & petunt ac pulsant; fides vero credit, & quærit quod sperandum & amandum sit. Non

[a] Jac. 2. 19.

A ergo ideo quærit, ut aliud requirat quod speretur aut ametur; sed sicut longe supra exposui: quia immensa sunt quæ non videntur, ut ipsa eademque magis magisque amplius & perfectius inveniantur fide, quatenus plus sperari possint (b) & amari. Per fidem enim ambulamus, & non per speciem; ac per hoc cum eisdem & fides orat, sine qua esse non possunt. Hinc quippe dicitur: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Nihil enim sperari potest profecto, quod non creditur. [b] Rom. 10. 14.

4. Præterea fides non minus suarum rerum est, quam & alienarum: credit enim B se quisque aliquando esse cœpisse, nec fuisse sempiternum; credit & alia, atque alia non solum de aliis hominibus multa quæ ad religionem pertinent; verumetiam & de angelis: sed spes nonnisi rerum ad eum pertinentium est, qui earumdem spem gerere probatur; alioquin potius credere dicendum quam sperare, nisi processus sit ad eamdem rem, & nobis possit contingere. Credimus ergo quæ nobis interdum non veniunt, (c) sed numquam recte speramus nisi ea, quæ ob beneficium meritorum & C gratiam clementiarum indulta sunt, vel (d) quæ nobis possunt amando contingere. Est præterea quando ex usu nonnumquam & fides earum rerum dicitur quæ videntur; spes vero nonnisi solummodo, teste Apostolo, quæ non videntur; quamvis & ipse fidem definiat esse *argumentum rerum non apparentium*: verumtamen quando quisque non verbis, non rebus, non denique ullis argumentorum nexibus, sed præsentium rerum evidentia credidisse, hoc est fidem accommodasse dicitur: non ita absurdum videtur, ut recte reprehendatur in verbo, eique dicatur: Vidisti ergo & non credidisti. Sed quamvis & ista possit esse diffe- D rentia, melius tamen illam Christianorum appellamus fidem, quam divina eloquia docuerunt, earum scilicet rerum quæ non videntur; sic itaque & spes earumdem rerum. Unde Apostolus: *Spes quæ videtur, non est spes; quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus.* Cum ergo bona nobis futura esse creduntur, nihil aliud quam sperantur, & ideo illa quæ non videntur, & æterna sunt, prius creduntur, cum repromissa sperantur, sperata vero amantur; E quia summa & sempiterna sunt: (e) alioquin juxta Salomonem: *Væ his qui sustinentiam*, spem videlicet, *perdiderunt, & diverterunt in vias pravas.* Quod si spem non amitterent, aurarum pulsibus ad prærupta non diverterent. Nihil enim periculosius quam desperatio. Idcirco quisquis es, nullis delictorum ponderibus graveris, nullis cupiditatum vinculis traharis, nullis promisso-

[c]

[d]

Rom. 8. 24.

[e] Eccli. 2. 16.

(a) Editi *quia*. (b) Editi *possit*. (c) Editi *conveniunt*. [d] Edit. *id est*. (e) Edit. *aeternis*.

rum dilationibus fatigeris. Quod si moram fecerit, juxta prophetam exspecta eum: si peccatorum sarcinis ad ima demergeris, resume spei fiduciam, ut avolare possis ad misericordissimum salutis portum; quoniam necdum defecerunt miserationes Christi. Et si in profundum decidisti barathrum vitiorum, spera firmiter, quod inde te, si recesseris ab istis, clementer liberabit. Quod si adhuc his traheris colligatus, fortior catena spei est, charitate atque fide corroborata, quandoque volens peccare, si desieris.

A

CAP. III. *De participatione fidei atque spei.* B

1. Sciendum sane, quod fides fundamentum ceterarum virtutum est, & prior procedit in campum: spes vero ad ea quæ creduntur, ipsum hominem, ut perveniat, constituit: illa dat principium meritorum; ad summum ista perducit. Illa credendi aggreditur initium; ista virtutis perfectionem quotidie meditatur. Illa quæ promittuntur credit; ista quæ promissa sunt jam cernit, & amplectitur interiora cœli, quò Christus introiit. Per fidem enim ambulamus; per spem vero jam pervenimus: beati (a) igitur & immaculati necdum sumus; [a] tamen per eamdem spem, quia Christo consepulti sumus, & conresurreximus, qui sedere nos fecit in cœlestibus, jam in via utcumque dicimur. Spes enim nec fallit, nec fallitur, nisi prior fides se subtraxerit. Tunc quippe vera est ista, si fides servato fœdere impleta fuerit: nam fides sperandorum substantia est, qua sublata, spes sine substantia est, ac per hoc jam non est spes, cui sperandi (b) facultas deest, fides videlicet irremota, spei semper ubique (c) mater & nutrix. Constat igitur quod ad invicem inseparabiliter hærent. Unde & Apostolus cum de Abraham loqueretur, ait: quod *contra spem in spem* quippe *crediderit*. (Rom. 4. 18.) Quod si *in spem* omnino *credidit*, spes ei rursus via & facultas credendi fuit. Hinc liquido colligitur, quod sibi (d) alternatim ut maneant, substantiam promissorum Dei præbeant. Et mirum quod Abraham *contra spem in spem credidisse* dicitur. Si enim spes vera fuit, quid contra veritatem spei venire potuit? immo cum desperasse in Genesi de filio legatur, nisi forte Apostoli (e) iste sit sensus, quando contra spem, quam (f) gessit de servo, quod hæres ipsius esset, credidit mutato ordine in spem promissorum Dei amplius & perfectius, quod de se centenario, & uxore sterili atque anu filium sibi hæredem susciperet: vel certe quia ipsum eumdemque filium pro certo hostiam

C

D

& holocaustum fore credens, in mandato Dei speravit, nihil hæsitans diffidentia, sed totus pendebat in Deo fide, atque spe non dubia, quodcumque jubebat pio ac devoto animo, ut fieret. Sperabat enim eum melius victurum cum Deo ut esset, quam si hunc sine Deo male servaret, qui dederat utique cum non esset. Contra quam sane spem securus in spem credebat, ut audierat: *Non enim erit hic heres tuus; sed qui exierit de lumbis tuis, ipse erit heres tuus*. (Gen. 15. 4.) Et illud: *Suspice cœlum, & enumera stellas, si potes*. Deinde inquit: *Sic erit semen tuum.* Nec dubium, in (g) hanc eum spem credidisse contra eamdem spem, qua filium offerendo hostiam & holocaustum fore Deo sperabat. Credebat enim ex toto hinc inde, quicquid ab eo audiens devotus implere curabat, nihil retractans, nihilque dubitans, nihil reprehendens in illo; nec discutiebat quod audierat, *hic heres tuus erit*, nec interrogabat cur (h) eum perimere juberet, quem senex heredem susceperat. Illi quidem totus aderat, illi vivebat, illi se totum fide in omnibus committebat, nihil credens de illo nisi verum; nihil sperans ab illo, nisi salutare sibi & proficuum. Et hæc est indiscussa fides de Deo, & spes certa in Deum, quam omnes filii debent imitari penitus: *Non enim qui ex carne sunt, sed qui ex fide, hi filii sunt Abrahæ*. (Gal. 3. 7.)

2. Quam sane fidem & spem inconcussam inviolatamque debent servare filii, ut heredes existant: alioquin quomodo quæ non videntur assequi capaces erunt. Jam enim salvi facti sumus, sicuti & de fide dicitur, quod per eam salvi facti sumus. Et illud: *Fides tua te salvum fecit*. Et ideo, sicut Abraham in spem contra spem credidit; ita & omnes, qui per fidem filii sunt ejus, contra spem utique in spem credant & ipsi. Ergo de singulis quibusque quæ creduntur, sive de resurrectione mortuorum, sive de hereditate regni cœlorum, (i) sive de adoptione filiorum Dei, & beata immortalitate carnis & animæ, quantum ad naturam spectat humanam: quis umquam talia sperare potuit, etsi esse illa credere licuisset? Hæc enim omnia contra spem videntur esse, quantum ex nobis est; sed quantum ad potentiam Dei, bene in spem creduntur, ut filii simus Abrahæ. Jure igitur in ejus exemplo tali speramus; quoniam quæcumque promisit Deus, potens est & facere (k); si tamen nobis qui credidimus (l) maneat fides vera, & spes atque charitas illibata. Unde de Abraham dicitur, quod *non infirmatus est fide*. (Rom. 4. 19.) Ex quo liquido demonstratur, quod sit aliqua (m) fidei infirmitas, sicut

E

(a) Editi *uti igitur*. (b) Editi *sperando*.
(c) Editi *Et ubique*. (d) Editi *quod si alternatim maneant*.
(e) Edit. *apostolo*. (f) In edit. desideratur *quam*.
(g) In editis deest *in*.

(h) Edit. *Cum eum perimere juberet*.
(i) Edit. *regni cœlestis*. (k) Edit. *& servare*.
(l) Edit. *credimus*. [m] Edit. *aliquando*.

&

& sanitas: hinc quoque Apostolus monet: A
Tit. 1. 13. *Increpa illos, ut sani sint in fide.* Beatus ergo cujus non infirmatur fides, & spes certa contra spem in spem vitæ, fide quotidie virescit & fructificat. Sed alia est illa, quæ de solo & in solo Deo innititur, & ipsa est Christianorum processus; alia vero, quæ variis & incertis, licet optatis, negotiorum implicatur suasionibus; de qua sane Seneca philosophus suo Lucilio: *Spes*, ait, *incerti boni nomen est*. Et miser, qui tali eum committebat spei, quem curabat revocare a sæculo. Porro Christianorum illa certa, & secura substantia est, quæ non fallit, nec fallitur.
Rom. 5. 5. Unde Apostolus: *Spes*, inquit, *non confunditur*. Et mox, quare ullis non confundatur erroribus, reddit causam: *Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis.* Hæc igitur omnia per Christum data sunt veris, & religiosis cultoribus. Propterea juxta hunc, quem magnum illo in tempore putabant, non eis spes incerti boni nomen est; sed certior ultra quam dici queat: Veritas est enim & omnipotens, qui nobis talia spopondit; idcirco nihil de illa incertum nostra spe remansit, nihil dubietatis, nisi quod certiores de illo, quam de nobis sumus: de nobis quidem infirmi; sed de illo fortes sumus: ex qua etiam infirmitate per ejus misericordiam relevamur, ut fidentes & sperantes ad eum pergamus; & ideo, ut dictum est, nihil certius quam spem nostram gerimus; quia profecto non in alio aliquo, sed in solo omnipotente Deo, qui non mentitur, incumbit & requiescit. Ergo fides, quia ex homine per Christi gratiam operatur, quam sæpe infirmitate humana prolabitur. Spes eo quod tota in solo Deo, & ex Deo est, numquam minuitur: illa siquidem geminas agit partes; spes vero nonnisi de solo
[a] Deo præsumit, cui ergo (*a*), inquit Dominus *promissa non muto*, idcirco prior utrasque impleat illa partes, ut ex Deo quodcumque credibile recte sentiat, & quod de
[b] se promisit, expungat (*b*); cum vere, quia ex Deo est, spes plenissime noverit, quod verax omnipotens Deus, quia promissa non mutat, ejus perficiet vota.

3. Alioquin maledictus homo, qui spem suam ponit in homine: nihil ergo præsumit de homine, & ideo requiescens in veritate, nec quicquam parit mendacii. Quod si moram fecerit in aliquo promissorum, exspectat devota, requiescit secura, adhortatur in cunctis, dum fides dimicat, semperque digito promissa insinuat & ostendit. Est ubique irremota comes ejusdem fidei, quarum mira germanitas, semper quæ non videntur & æterna sunt ardenter quærit: ergo dum ista in terris laboribus fatigata desudat; illa cœlos penetrat, & quæ sempiterna sunt exhibet. Hinc est quod fides, victoria nostra, omnia vincit, quia spem sibi, non carnem brachii sui, sed Deum ponit: spes enim fidei Deus est; & ideo quotiens nobis aliquid deest gratiæ; spes hortatur, quod nihil abest cui Deus totus est. Unde recreamur confidentia, ut ex Deo sit totum quod agimus, quod habemus & quod optamus. Unum ergo initium habent, unumque medium & unum finem; nec altera sine altera quicquam gerit quod perfectum sit, & ideo orandum, ut quod agimus fide atque spe, semper ex Deo sit.

B

Caput IV. *Quare dicta sit spes.*

1. Sicut etymologiæ probat veritas, & majorum dictis annuitur, spes dicta est, quasi est pes, eo quod semper effectum habeat progrediendi ad ea, quæ cum desiderio exspectat fiducialiter, & cum afflictione animi sustinet patienter. Hinc quoque legitur: *Spes, quæ differtur, affligit animam*: Non quod passibus virtutum ad ea, quæ inhiat, non pergat secura; sed quia ardentius mens æstuat, dum & ea per fidem inspicit, quæ jam in spe percepit, licet in re necdum apprehenderit, & charitate degustat, quod differtur longius quam exoptat. Unde ferventius jugiter inflammata (*c*), ut ad ea festina in spe perveniat; cui quod absit, si spes defuerit, violenta desperatione submergitur; unde & desperatio dicitur. Nam desperatio dicta est, eo, quod desit illi pes in via, quæ Christus est, gradiendi: sed econtrario quibus ipse est via & spes, quotidie prosperis successibus innovatur. (*d*) De quibus Isaias propheta: *Qui autem*, inquit, *sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, volabunt & non deficient*: Current autem pedibus, eo quod sit eis pes positus in via recta, ut nulla subripiat desperatio, ac non laborabunt, quia in via, quæ Christus est, securi currunt (*e*); immo portantur. Unde Dominus: *Ego feram, & ego portabo.* quos igitur ille portat, hi nimirum numquam deficient; quoniam propositam spem fortiter tenent manu fidei, quam sicut anchoram tutam animæ in cœlis habent; & ideo certi illuc pergunt, ubi se jam in spe pervenisse lætantur: figitur namque fides in Christo, & spes incedit, quatenus alternis successibus iter faciant, & ducant animam, quo charitas inebriata (*f*) invitat. Hinc ergo est, quod ait: *Mutabunt fortitudinem*, quoniam fortis facta est ut mors dilectio illorum qui fide & spe ardenter currunt: sed mox ut cuipiam fides, aut spes defecerit, claudicans torpescit. Quod si utroque pede; qui nam

Prov. 13. 12. C [1] [d] Isai. 40. 31. D [e] Jerem. 22. 58. E [f]

[a] Edit. *ego*. [b] Edit. *expugnet*.

(c) Edit. *inflammatur*. [d] Edit. *innoventur*.
(e) Edit. *current*. (f) Edit. *Ebriata*.

incessus virtutum erit? Profecto quia fides non sine spe, nec spes sine fide proficit, sed alterius gressibus proponuntur, & uno charitatis vivificantur spiritu: alioquin quomodo fides, etsi credat Deum, sine spe ad eum properat (a), ad quem pervenire minime sperat: aut quomodo spes graditur (b), si non est in fide, substantia sperandorum, ad quam quotidie propulsando piis gemitibus suspiret? Ad illa igitur spes festinat, quæ fides credit & charitas desiderat: & ideo, ut diximus, a sanctis patribus spes dicta, eo quod sit pes (c) in Christo proficientibus: sicut econtrario apostatis & impiis, quibus deest pes & facultas gradiendi, desperatio. Quapropter nec currunt, nisi ad mortem, nec ambulant, nisi ad pœnas, nec pennas assumunt virtutum, nec mutant fortitudinem; sed semper ima petunt, & quæ carnis sunt, sapiunt.

3. At vero justi fidentes cum David canunt: *Pes meus stetit in via* (d) *recta.* (Psal. 25. 12.) Qui si forte corruerint, quia *septies in die cadit justus*, (Prov. 24. 16.) mox resumunt constantiam & mutant in Deum fortitudinem dicentes: Dominus robur meum, virtus mea, & refugium meum. Quod satis Esaïas hortatur dicens: *Quis ambulavit in tenebris, & non est lumen ei? speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.* (Isa. 50. 10.) Quid enim benignius, quidve misericordius dici potuit? Quod si aliquando ambulasti, ô homo! in tenebris, & vitiis carnalibus; hortatur ne frustra misericordiam derelinquas; sed rursus spera in Deum, ut sit tibi pes gradiendi, & innitere super Deum tuum, ne ullis desperationum fraudibus abrumparis; quia si vetus error abierit, ut idem fatetur propheta, pacem habebis cum Deo tuo: unde conversus ad Deum, *servabis*, inquit, *pacem, pacem, quia in te speravimus.* (Isa. 26. 3.) Deinde subjungit: *Sperastis in Domino in sæculis æternis, in domino Deo forti in perpetuum.* Ac si patenter dicat: quia sperastis in Domino, sperate non in rebus transitoriis; sed in sæculis æternis. Despicite nunc temporalia, concupiscite sempiterna; quoniam quæ videntur temporalia sunt, & quæ non videntur æterna. Quod autem videt quis quid sperat? Unde sine aliquo desperationis molimine sperate in domino Deo forti in perpetuum. Sperate autem, non sicut carnalis Israël, semper præsentium rerum bona; quamquam & ipsa non nisi a Deo (e) habere possimus, sed in æterna cœlorum bonis tota spes nostra dirigatur: & mox adjicientur quæ non præpediunt; quando (f) ea quæ sempiterna sunt solummodo diligimus. Quod si in istiusmodi temporalibus nimium delectamur, pes illicò gravatur; dum minus ad illa, quæ summa, & immarcessibilia sunt intendimus. Unde sint nobis hæc in via peregrinandi subsidia, illa vero hæreditas in patria. Curramus igitur pedibus fidei speique & charitatis: ambulemus nec deficientes (g); interdum autem pennigero volatu anchoram nostram sublimius consequamur; ut ubi pro nobis pontifex introiit Jesus, & ipsi ingrediamur; quatenus ubi est spes nostra Dominus, & nos simus: alioquin nullus tutus est locus: propterea ergo David orat dicens: *Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii.* (Psal. 30. 3.) Felix igitur nimium (h), & certissima spei processio, quam sicut anchoram tutam animæ habemus, ac firmam in cœlis; & ideo quis desperare poterit eo introire, quo jam spe gratulamur intrasse? Nihil enim firmius, nihil validius, nihilque certius, quam qui spem suam ex toto corde, & ex tota anima, atque ex tota virtute integram & perfectam ponit in Domino. Ergo in spe constituti sumus, ut omne bonum nobis præsentis vitæ & futuræ de illo pendeat agendum, ne ab illo sperare deficiamus. Hinc profecto David gratanter ait: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam.* (Ps. 14. 9.) Et ut apertius insinuet, cur tam securus in pace ad somnum veniat, continuo subjungit dicens: *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.* In spe igitur, ut dixi, singulariter in Christo constituti, pergimus devoti ad eum mittentes semina nostra, veluti omnes agri cultores, quia sicut Paulus apostolus ait: *Omnis qui arat aut seminat; in spe utique arat & seminat.* (1. Cor. 9. 10.) Credamus creatori nostro, qui repromisit ea, quæ jam data sunt nobis, & speremus totis visceribus; quia in hoc constituti sumus ex ipso, & in ipso, & per ipsum, ut (i) quæ sempiterna sunt capiamus.

Caput V. *Quid sit inter spem veram falsamque, vel si dici queat spes, nisi in Deum.*

1. Inter spem veram falsamque eamdem substantiam, quam & inter veram falsamque fidem, divinis comprobamus eloquiis: est namque vera fides de Deo, ut est omnia recte sentire, nihilque ab ejus operibus discrepare; falsa vero non de illo, ut est, digna credere; neque justis fidei operibus insistere; sed in alio quolibet malo confidere. De qua sane confidentia Jeremias ait: *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor ejus.* (Jerm. 17. 5.) Ergo cum dicit, qui confidit in homine, tale est ac si dicat, qui sperat: quoniam omnis confidentia de

(a) Edit. *properet.* (b) Editi *gradiatur.*
(c) Edit. *Eo quod sit spes*, sed melius *pes.*
(d) Edit. *in directo* additurque *id est in via recta* quod est glossema amanuensis. (e) Edit. *non ideo habere possimus.*
(f) Editi *quoniam.* (g) Edit. *nec deficientes iter; dum autem.*
(h) Edit. *nimirum.* [i] In editis deest *ut.*

spe nascitur veritatis, aut vanitatis. Nam A quid sit vanitas ecclesiastes dicat: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* (Eccle. 1. 2.) Quod si ergo omnia vanitas illa quæ transeunt & mutantur, quisquis in his spem suam, vel confidentiam ponit, vanam gerit spem, eo, quod de vanitate præsumit. Hinc quoque apostolus auditores suos monet: (1. Tim. 6. 17.) *Nolite*, inquit, *sperare in incerto divitiarum*: quarum utique spes incerti boni est, ut ille voluit exprimere, de quo supra diximus: sed & David: *Nolite*, ait, *sperare in iniquitate.* (Ps. 61. 11.) Ex quo liquet usitatissime spem in veris vanisque rebus sæpe dici: illa tamen (*a*) salubris & vera Christianorum esse probatur, B quæ post tribulationes & penurias hujus vitæ atque miserias patientiam operatur, patientia vero probationem: de qua probatione Christi spes, quæ nascitur, in nullo penitus potest confundi; quoniam hinc inde Spiritus sancti gratia fulcitur. Et hæc est vera & indubitata fidei substantia. Substantia, inquam, profecto quam exspectantes, juste pieque vivimus. Hinc quoque apostolus ait: (Tit. 1. 2.) *Juste, & pie vivamus, exspectantes beatam spem, & adventum Domini.*

2. Sed quærendum quomodo exspectare jubemur spem, in qua, & cum qua jam in Christo renati vivimus: aut numquid sine spe juste pieque vivimus, qui tamen (*b*), quod agimus boni, in spe agimus? Et si jam spem habemus, quomodo quod habemus, expectamus? vel numquid ista, quæ in præsentiarum est, misera est; & illa, quæ in futuro est, exspectatur beata? Nequaquam igitur hoc dixerim, quia Christianorum una est spes, sicut & una fides. Idcirco spes ista (*c*), qua respergimur, propria est illa, eademque quam exspectamus: quoniam ex ipsius claritate (*d*) nostris in cordibus relucescit: alioquin calor, sicut numquam, nisi ex igne est, & lux numquam nisi ex lumine (*e*); sic itaque spes ista, qua perfundimur, non nisi ex Deo est: Deus autem spes nostra est; & ideo spes nostra in præsentiarum est & exspectatur: quoniam, etsi spes tam de futuro, quam & de absente est apud Deum, qui semper præsens est & ubique, spes nostra semper in illo est. Unde donec veniat nobis quod promissum est, exspectamus beatam spem, immortalitatem videlicet carnis & animæ, atque adventum Domini: ut deinceps semper cum illo & in illo beati maneamus. Hæc igitur est spes vera, quam sicut anchoram tutam ac firmam habemus: habentes autem, quidquid in illa est exspectamus; expectantes vero ex dono jam habemus, quicquid in Christo nobis repromissum est: & ideo inpræsentiarum de futuro beatam & perpetuam spem gerimus, quam desiderantes & sustinentes juste pieque vivere monemur. Unde invigilandum ne sustinentiam amittamus: sicut nonnulli, de quibus apostolus ait: *Væ his, qui sustinentiam amiserunt*: sustinentia autem hæc inter varios agones semper dulcedine piæ exspectationis refovetur; quoniam spes, quæ charitate fulcitur, in nullo confunditur, pro qua fidenter contemnuntur omnia, quæ vana sunt, & vincuntur adversa. Dirimit enim Christiana spes omnem hominem a cultura Deorum; quia omnes Dii gentium vanitas, & dæmonia sunt. Dirimit ab his, quæ in mundo sunt, quoniam vana sunt universa. Dirimit ab erroribus, & pravis suasionibus, & gloriatur in solo Domino, ejusque promissionibus, in tantum, ut nec de se, nec de alio quolibet quippiam præsumat, ne maledictioni subjaceat, qua dictum est: *Maledictus omnis qui ponit carnem fortitudinem suam, & a Domino recedit cor ejus*; immo tota ingreditur, ubi pontifex pro nobis introiit Jesus, & velut anchora totum hominem ad Christum solidat & confirmat, ut ibi cor habeat, quo thesauros sapientiæ atque C scientiæ esse non dubitat. *Alioquin si tantum in hoc sæculo in Christo sperantes sumus*, (1. Cor. 15. 19.) ut ait apostolus, *miserabiliores cunctis hominibus sumus.* Tantum in hoc sæculo cum ait, nec exclusit, ut (*f*) in hoc sæculo sperare in illo non debeamus, sed tamen (*g*) quicquid est inpræsentiarum speramus (*h*), totum referri convenit ad futura, & primum quæ sempiterna sunt quærere. Unde Dominus: *Primum quærite regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* (Matth. 6. 33.) Quæ omnia? nisi quæ præsentis vitæ necessaria sunt, adjicientur quidem; quoniam non propter ista; sed propter illa credentes certamus; sperantes vero vitæ D semina serimus, amantes ad ea tantummodo mentem semper dirigimus. Nam ut ait apostolus: *Omnis qui arat, in spe debet arare*: (1. Cor. 9. 10.) ita si quidem, & qui boni aliquid gerit, utique in spe debet percipiendi etiam & seipsum expendere: sed agricolarum spes, quia inpræsentiarum est, debet esse in Deum; quoniam ipse est auctor & largitor omnium, ne stulta spes inveniatur. De qua ut (*i*) dixit apostolus, *si tantum in hoc sæculo in Christo sperantes sumus, miserabiliores nos esse cunctis* protestatur hominibus: tamen jam gradus est eundi ad Deum, bona saltem inpræ- E sentiarum ad eum referre, a quo illa (*k*), esto indigni, percipimus, ut ad ea quæ non videntur per ista dirigamur. Hinc David de Judæis; *dedit*, inquit, *regiones gentium, & labores populorum possederunt*; (Ps. 104. 44.) moxque addidit: *ut custodiant ejus justificationes*,

[*a*] Edit. *Illa tum salubris.* (*b*) Edit. *quia jamtum quod agimus boni.* (*c*) In edit. deest *ista.* (*d*) Edit. *charitate.* [*e*] Edit. *luce.* (*f*) Edit. *quod in hoc.*

(*g*) Editi *sed etiam.* (*h*) Edit. *quod speramus.* (*i*) In editis deest *ut dixit.* (*k*) Editi *a quo ista etsi.*

& legem ejus requirant. Nimirum ut de ipso jam percepta securiores, & ardentiores essent ea, quæ sempiterna sunt, percipiendis. & ideo falsa spes est ex toto, quæ sine Deo in incerto divitiarum est, aut in homine, quia caro est; aut in alio aliquo, quod omnino non est. Illa vero firma & tuta, quæ tantum in Deum est, ut speret quæ non videntur, & æterna sunt.

3. Porro spes percipiendarum rerum temporalium ad ea quæ videntur, (a) non recta est; ut ad ea quæ non videntur, intentione referatur, & propter ipsa (b), quasi in via ista, spe devota quærantur: alioquin sperare tantum (c) in præsentiarum magna miseria est. Quod si profecto omnis, qui arat, in spe debet arare, ipsa eademque spes non in sulcis aut seminibus, non in temporis dispensatione, aut illius naturæ potestate: sed ex Deo nobis omnia præstita præsumat, a quo etiam in laboribus frugum sperare bona temporalia debemus, & sperata referre ad illa quæ sempiterna sunt, ut ad ea perveniamus. Hinc quoque hortatur psalmista cum ait: *Spera in Domino, & fac bonitatem*; [Ps. 36. 3.] quia tunc recte, quæ promissa sunt, speramus, si quæ jussa sunt compleamus; *quoniam quæcumque seminaverit homo, hæc & metet.* [Gal. 6. 7.] Unde Christianorum spes sola hæc est, ut ex Deo cuncta speremus, quæ data sunt nobis, & mittamus semina in illo bonorum operum, quæ centuplicata repromittuntur nobis; quatenus & ipsa sit spes, quæ per dilectionem una cum fide usque in finem inter prospera & adversa continua operatur. Quibus probata impulsionibus omnino non confunditur; quoniam charitate diffusa in corde, infatigabiliter ad ea quæ sempiterna sunt, sublimatur. Quod si necdum peccare aliquis desiit, neque ad facienda, quæ jubentur erigitur, vana spe indulgentiam aut meritum ex Dei pietate præsumit. Non enim est otiosa spes; sed ex fide vera de Deo atque fidei operibus subsistentiam (d) sibi radicatam mercatur. Est autem ipsa eademque fides, atque omnia fidei opera sperandorum substantia; unde probet se unusquisque, quantum operatur ex fide, & credit. Recte igitur per fidem tantum sperare potest ab illo, qui dedit potestatem credendi & operandi per fidem, nosque filios adoptionis procreari: alioquin temeritas est magis quam spes, si amplius, aut aliud sperat aliquis, nisi quod recte credit devotionis affectu, & operatur pietatis processu. Creduntur autem quæ promissa & data sunt in Christo, idcirco jure sperantur, si fides per dilectionem inter prospera & adversa, temporalibus omissis, est adimpleta, ut probationem (e) ex Deo reportet. Qua nimirum probatione securus aiebat, qui cum Deo disputans tripudiabat spe (f) dicens: *Spero in te Domine, quod non ad consumptionem meam emittis manum tuam.* [Job. 30. 24.] quasi patenter dicat: ut flagelles, & probes me, mortique tradas. Sed si in profundum inferni dimersus fuero, inde me liberabis. Ecce quanta spes qualisve non confunditur, quæ firma & solida, quæ secura & devota in Deum subsistit. Non enim formidat pœnas, non locum inferni; quia nusquam est locus, quo non sit, qui potens est, omnipotens Deus, & ideo, cujus est spes etiam inter miserias omnino beatus esse probatur. *Beatus*, inquit David, *cujus est Dominus Deus ejus.* [Psal. 143. 15.] Hoc igitur sciens beatus Job, in inferno miser esse non poterat nec confundi; quoniam sibi Deum propitium post tentationem ubique credebat; quem sibi affuisse in eadem minime dubitabat. Patet, quod non ulla (g) Christianorum spes est nisi Deus summus, in quo sunt omnia quæ non videntur, neque veram aliquem gessisse aut gerere, quamvis dicatur, in alio aliquo spem, quæ omnino vana & falsa est. Hoc quippe sciens sancta illa mulier plaudebat apud cordis judicem: *Nos spem*, inquiens, *in alium Deum numquam habuimus.* [Ester. 1. 19.] Quod si haberet, omnino vana esset: quoniam omnes Dii gentium dæmonia. Dominus autem solus, cœlorum veritas, spes ipsius erat, ex qua omnes beatificantur, qui recte sperant in illum & perseverant; ideo de illo gloriabatur. Profecto liquet, quamvis dicatur spes aliqua hinc inde, non nisi ex Deo (h), ut vera esse possit. Vera autem spes numquam est sine confidentia perveniendi; quia sine processu est, & adipiscendi gratia, jam non est spes, sed desperatio ruinosa: spes vero licet inter adversa, numquam est sine gloria, etiam in tribulationibus, de quibus permaxime Paulus gloriatur apostolus, & non solum in eisdem; verum in spe gloriæ filiorum, quæ numquam misera est. Vera siquidem gloria semper miseriis caret: spes ergo gloriæ misera esse non potest, quæ a gloria illustratur, & ideo teneamus spem lucis, ne tenebris involvamur; festinemus ad immortalitatis spem, ut morte careamus. Spes igitur omnium earum est rerum, quæ non videntur, quam si quis sane servaverit spem, bonis justisque operibus confertam, his omnibus sine fine fruetur bonis, etiam & in morte beatus. Pascitur autem Christianorum spes, ut quotidie virescat, patientia, consolatione sanctarum scripturarum, sicut Paulus apostolus demonstrat dicens: *Quæcumque scripta sunt*, [Rom. 15. 14.]

(a) In editis deest *ad ea quæ videntur*. (b) Edit. *ipsum*.
[c] Edit. *totum*. [d] Edit. *substantiam*.
[e] In editi deest *ex Deo reportet. qua nimirum probatione*.
(f) Edit. *sæpe dicens*. (g) Edit. *nulla*.
(h) In editis additur *esse*.

ad

ad nostram, inquit, *doctrinam scripta sunt*, *ut per patientiam*, *& consolationem scripturarum spem habeamus*. Ergo per patientiam, & consolationem scripturarum spes augetur; quoniam de patientia probatio nascitur perfectionis, & de perfectione bonorum operum spes Christo committitur, atque de consolatione scripturarum solidatur. Ideo & scripturæ meditandæ sunt, ex his ut consolemur inter varias tentationum pressuras; & patientia conservanda, dum laboribus fatigamur. Unde Dominus *In patientia*, inquit, *vestra possidebitis animas vestras*. Celsa igitur spes gloriæ, quæ omnibus illustratur bonis, & virtutum pennescit alis, ut semper ad altiora attollat animam possidentis.

Caput VI. *De desperatione.*

1. Desperationis malo nihil pejus inpræsentiarum, quoniam desperare semper ad ima corruere est: omnis enim qui desperat, id agit, ut aut gratis concessam a Deo veniam amittat, aut speratam tantum, quamvis nec indultam, non requirat. Quare quisquis hoc ipsum non desperare amaverit, & habuerit, quia diligit, nulla desperatio est, sed gradus adipiscendi. Omne quod sperat aliquis, & diligit; de quibus autem desperare cœperit, mox & non diligere, eo quod ad se non pertinere repromittit. Porro quæ amamus, omnino aut habemus aut speramus; sperata vero ad nos pertinere pro certo confidimus, & ita ea spe non dubia custodimus: alioquin desperare a Deo retrorsum alienari est: idcirco blasphemare in Spiritu-sancto sola desperatio & impœnitudo cordis est, ac per hoc nulla remissio peccatorum, ubi desperatio & impœnitentia cordis manet. Hinc desperare non congruit, ne non adipiscatur, quia desperare nihil aliud est agere, quam ne assequatur spes. Nam desperare ab spe fugere est, & quisquis ab spe fugit, ab ea utique re (a) apostata recedit, ad quam per (b) spem festinus ire debuerat. Necesse est autem, qui desperat retrorsum alienando, ut spem numquam habeat, sicut qui tenebras semper intendit, ut lumen numquam videat. Nam qui tenebras tuendo (c) plus incumbit, quid agit, nisi ne lumen videat? Sic & qui desperat, facit sibi ne aliquid boni contingat. Ergo desperare nihil aliud est, quam spem a rebus bonis avertere. Unde levet homo a malitia cor suum; quoniam quanto profundius desperando ruit, tanto longius a re optabili recedit.

2. Nascitur autem desperatio quatuor ex causis. Ex tepiditate scilicet, vel ignavia, ex amore rerum temporalium, vel oblectatione voluptatum; ex immanitate delictorum vel scelerum; ex contemtu superbiæ, & cupiditate propriæ potestatis. Porro ex tepiditate vel ignavia nascitur, cum torpet animus, & præcepta Dei impossibilia judicantur; non quod adeo sint gravia; sed pressus misero languore animus nec vult assurgere, quatenus Christi per gratiam omnia possit cum Apostolo in eo qui mentes nostras confortat. Nec igitur probat, quod labor Christi omnia vincit, fitque reus, dum aut naturam male (d) torpore pressus accusat, aut certe Deum gravia & impossibilia præcepisse judicat. Ex amore quoque temporalium rerum vel oblectatione nascitur, dum hisce rebus mens quasi beata gaudet oblectari, quo *beatum dixerunt populi*, *quorum dextera*, *dextera est iniquitatis*; *quorum filii sicut novellæ plantationis*, *& filiæ sunt compositæ ut similitudo templi*; *quorum promtuaria plena sunt*, *ovesque fœtosæ*, *& boves pinguissimi*. Quibus profecto illecta, & variis inebriata mens oblectamentis, sempiterna bona non sperat, nec requirit. (e) Omnem ergo spem suam in his posuit; idcirco jam alia non intendit. Deinde ex immanitate vel enormitate scelerum desperatio nascitur, quia majora, fallente diabolo, sua homo judicat delicta, quam misericordiam Dei: ubi interdum etsi (f) de potentia præsumit, de voluntate dubitat. Quod David bene intelligens misereri sibi, non secundum sua delicta, sed *secundum magnam misericordiam Dei*, *& secundum miserationum multitudinem* rogat, non tanta sua reputans facinora, quantas Dei noverat miserationes. Sed & propheta alius: *Novi quod multæ sint*, inquit, *miserationes ejus*. Patet igitur, quod nulla est culpa, quam Dei non excedat misericordia, neque ullus est delictorum numerus, quo numerosiores non sint miserationes, si non desperatio vel impœnitentia cordis claudat januam. Ad ultimum de contemtu nascitur periculosior desperatio, in qua semel omnes angeli satanæ corruisse noscuntur, qui etsi possent, contemnunt redire præ superbia. Hinc quoque scriptura de reprobis: *Impius cum in profundum malorum venerit*, *contemnit*. Alioquin si non impœnitudine cordis in desperationem ruisset, numquam in tam profundum malorum venisset, ut contemneret. Quæ nimirum culpa immanior est omnibus culpis, quæ nec hic, nec (g) in futuro remittitur, eo quod claudit aditum Spiritui-sancto ad animam, ne per indulgentiam ejus veniam accipiat. Et hoc est blasphemare, ut dixi, in Spiritu-sancto, per desperationem ruere, ne cor ad pœnitentiam redeat, relaxare. (h)

Ps. 143. 8. — Ps. 50. 3. — 1. Paral. 21: 13. — Prov. 18. 3.

[a] In edit. deest *re*, cujus loco substituit *&*.
(b) Edit. *ad spem*. (c) Edit. *tenendo*. [d] Edit. *malo*.
(e) Edit. *acquirit*. [f] In editis omissum *etsi*.
[g] In edit. deest *nec*, quod tamen requiritur.
[h] Edit. *reluctari*.

3. Quapropter etsi inmanissimum est scelus, satis (a) ut secundum magnam misericordiam Dei pœnitentia recepta (b) veniam speret. Si autem innumera sint peccata, credat pro certo, quod numerosior sit & misericordia; ne aut magnitudo delicti nos absorbeat, aut multiplicitas demergat. Quod bene intuens alibi David orat: *Non me*, inquit, *demergat tempestas aquæ, neque absorbeat profundum.* (Psal. 68. 16.) Quia profecto quos semel absorbuerit desperatio, veluti dæmones semper ne redeant ad ima trahit. Ceterum spes aliqua progressio est, ita tamen si falsa non est: quia profecto falsa sicut nihil juvat, ita vera sperantem beatificat. Magna igitur securitas spei, cui promissa Dei, immo specialiter Deus ipse præsto est. Et ideo spes, juxta hebraicam veritatem in Psalmis, fiducia vel securitas appellatur, ubi ait: *Quoniam tu, Domine, specialiter in securitate habitare me fecisti*; (Psal. 4. 10.) quippe quia securitas magna est habitare animam in adjutorio Altissimi, & commorari in protectione Dei cœli. Hanc sane spem tutam habemus in interiore velaminis Christi, ubi pontifex Christus introiit. Quia (c) si peccator es, venia regnat; si vero infirmus & ægrotus, salus; si autem mortuus, delictis vita datur; & si in tenebris; lux omnia circumlustrat. Nec est ullus desperationis locus, ubi omnipotentia viget, tantum si te anima (d) ne aut ignavia deprimat, aut bona transitoria ne oblectent, aut immanitas scelerum ne demergat, aut contemtus ne absorbeat: quibus propulsis, spes secura in refugium Altissimi tuta, cuncta superat. Unde & beati omnes etiam in miseriis (e) hujus sæculi jam dicuntur qui sperant in Domino. Qui autem sperant, nec delinquunt, sicut Psalmista canit: *Et non delinquunt omnes qui sperant in Domino.* (Psal. 33. 23.) Patet ex verbis Apostoli, quod charitas numquam delinquit, quia *numquam excidet*: (1. Cor. 13. 8.) sicut nec spes, quia omnia in charitate agit. Nulla igitur spes est quæ non diligit, & non credit; quod si credit & diligit, non delinquit. Hinc quoque Veritas: *Omnis*, inquit, *qui vivit & credit in me, non morietur in æternum.* (Joh. 11. 26.) Nam spes omnis Christianorum de fide & charitate procedit. Tolle igitur fidem, nec est quid sperare possis; quia fides circa ea versatur quæ non videntur & æterna sunt. Quod si speras ea, & diligis, quia summum bonum, & sempiterna sunt, utique credis, quia sunt, & quod ad te pertineant; speras vero, (f) quia data per fidem & repromissa sunt. Unde Deus per fidem in nobis habitare dicitur, sicut & nos in Deo jam per gratiam sumus, in quo spem nostram totam posuimus. (Jer. 17. 17.) Alias autem sicut dicitur Deus charitas, ita & *spes mea Dominus est.*

4. Sed quærendum utrum ipse amor amandus sit, quo Deus amatur, & fides credenda, qua Deus creditur. Tunc intelligere forte valebimus, si spes speranda sit, qua, quæ sempiterna sunt, speramus. De qua sane spe Apostolus: *Qui regeneravit nos*, (1. Pet. 1. 3.) inquit, *in spem vivam*, profecto quia est & mortua. Atque idem: *Juste*, inquit, *& pie vivamus, exspectantes beatam spem & adventum Domini.* (Tit. 2. 1.) Ex quo liquet, quia etsi amandus est amor, non tamen omnis amandus est, sicut nec omnium fides credenda. Est præterea & turpis amor, quo animus sæpe seipso inferiora sectatur, & jure cupiditas dicitur. Sic itaque & fides falsa, quæ non fides, sed error appellatur. Idcirco sicut nullus rei amor amandus est, nisi ejus qui non potest deesse cum amatur; & fides ex toto nulla credenda, nisi ejus rei quæ semper idem est & numquam immutatur: ita nec spes indubitanter speranda, nisi ejusdem rei quæ jam habetur cum speratur, & sperantes in se jam beatos facit. De qua sane spe propheta: *Beati*, inquit, *omnes qui sperant in te, Domine.* (Psal. 83. 13.) Quam nimirum spem beatam exspectamus, & adventum Domini. Sed quid est dicere, exspectamus, nisi quia eamdem spem licet habeamus, speramus tamen, etsi ex illa jam beati sumus. Harum igitur rerum nihil est aliud amare quam nosse; sicut nec sperare aut credere, quam habere: ut puta quod Apostolus ait: *Fides est sperandorum substantia.* Quod si fides est sperandorum substantia, utique certa res & firmissima, nec spes vacillet: alioquin si fides fallit, & evacuatur res, quæ in fide phantasma erat, nec invenitur in re quod amabatur in fide, nihil enim est aliud amare, quam per seipsam rem aliquam appetere. Cum autem defecerit phantasma, quæ creditur aut amatur res (g) fit indubitata miseria. Unde summopere in Deum certissima fides esse debet, ut & amor præcipuus convalescat. Quod bene discipuli euntes in Emaüs de Domino: *Nos*, inquiunt, *sperabamus quod ipse esset redemturus Israel*; (Luc. 24. 21.) profecto quia duricordes erant ad credendum in omnibus quæ de illo scripta erant: alioquin si perfecte credidissent, & perseveranter sperarent. Cum autem defecit fides, & spes recessit: & ideo inquiunt: *Nos autem sperabamus.* Sed cum Veritas eis se de scripturis cœpisset aperire, mox fides recaluit (h) atque spes revixit. Postremo: *Nonne*, inquiunt, *cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via?* Ex quo constat quod nulla earum sine altera valet, neque diligitur, aut saltem speratur, si per fidem

(a) Edit. *satis est.*
(b) In editis omisso *recepta* legitur *iterum veniam speret.*
(c) Edit. *quo.* (d) Edit. *Si te anima aut ignavia ne deprimat.* (e) Edit. *inter miserias.* (f) Edit. *vere.*
(g) In editis omisso *res* additur *ea fit indubitata.*
(h) Edit. *revaluit.*

non habetur; alioquin inpræsentiarum quomodo ullus beatus esse potest? Beatitudo vero certa de re nascitur summæ bonitatis, quæ numquam potest deesse dum amatur, aut speratur, aut omnino integre creditur.

5. Potest tamen habere homo, quod nec amat, nec credit, nec sperat, ex quo numquam nisi false beatus dicitur: ut puta, propheta felicitatem hujus sæculi cum dinumerasset: *Beatum*, inquit, *dixerunt populum cujus hæc sunt*. Sed ne putares, quod vere continuo veram introduceret beatitudinem, si quomodo falsam excluderet: *Beatus*, inquit, *populus*, *cujus est Dominus Deus ejus*. Rerum igitur temporalium non hoc est sperare aut credere, quod habere; neque hoc amare quod nosse, & ideo nec speranda sunt, nec amanda. Sed in illo spes nostra & amor dirigendus est, qui non potest auferri, dum speratur aut amatur. Alias autem, si non speratur nec amatur Deus, nemo potest perfecte illum habere vel nosse. Quis enim potest nosse illud summum bonum, quantum sit bonum, qui non fruitur? Quod si non amamus, neque fruimur; nec habemus igitur quod sperandum aut amandum est, qui nec speramus nec amamus. etiamsi amare possumus quod non habemus, tamen nemo vitam beatam novit, & miser est; quoniam si amanda est, sicuti est, hoc est nosse quod habere, & habere profecto quod sperare. Quæ cum ita sint, quid est aliud beate vivere, nisi sempiternum aliquid cognoscendo habere? Unde Dominus Deo Patri: *Hæc est*, inquit, *vita æterna*, *ut cognoscant te solum verum Deum*, *& quem misisti* JESUM CHRISTUM. Et hæc est vita æterna, de qua recta (*a*) dicitur fide, quod speranti vel amanti non possit auferri. Nam omne quod speratur æternum amatur (*b*) & creditur; sed non omne quod creditur recte amatur, quia est supplicium æternum quod non amatur. Tamen est modus loquendi in scripturis sanctis, ut omne in quodcumque creditur, jure speratur (*c*) & amatur, ac per hoc fit, ut non quodcumque creditur continuo speramus: sed non in quodcumque; quia non in alium oportet credere (*d*) quam in Deum; fruimur illo & speramus. Omnium enim rerum præstantissimum est id quod Deus est. Propterea eum habere non possumus nisi in ea re, id est in mente, qua præstantiores sumus. Et quidquid in mente habetur credendo, utique & sciendo habetur. Id vero quod scitur aut creditur, quia summum bonum est, speratur jure atque amatur. Sed nullum bonum perfecte noscitur, quod non perfecte amatur, & prius nec intelligitur, nisi cre-

Psal. 143. 3. — Job. 17. 3. — [a] — [b] — [c] — [d]

A datur. Fruitio enim summi boni charitas est. Porro initiatrix omnium virtutum, & via ad summum bonum fides est, medium vero earum spes certa est, omnium autem præceptorum finis charitas. Sed nec principium sine fine, (*e*) licet futura sit charitas sine fide, quia cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Neque media earum, spes videlicet sine principio fidei, neque sine fine perfectæ dilectionis; ac per hoc (*f*) fide vivificamur, spe rapimur, charitate inflammamur. Et quia quæ credimus, spe rapimur ad æterna, inter quæ B illam posuimus velut anchoram tutam: æternitatis vero amore mens afficitur, ut circa æterna semper verfetur, quibus demum, quia (*g*) æterna sunt, mens vita beata vivat. Et hinc est quod Dominus jubet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, *& ex tota anima tua*, *& ex tota mente tua*. Ac per hoc, quia amor appetitus est mentis, & videmus excepta parte rationabili, qua mens intelligit, alias partes ejus ad appetitum tendere, cum omnis appetitus conversus fuerit, ut in (*h*) dilectionem Dei tota mens versetur, erit tranquillitas magna, C & pax in homine; ita ut nihil aliud desideret contemplari, quam quod diligitur & æternum est. Sic quoque mens æternitate afficitur, & indissolubili pacto, quo tota inebriata viget, quotidie cum Deo intus spe & vi amoris rapitur.

[e] — [f] — [g] — [h]

CAPUT VII. *Quod inpræsentiarum nec spes sine timore admodum agitur, nec timor sine spe ad alta subrigitur.*

1. IGitur harum duarum virtutum alis mens ac si gemino remigio moderatur, dum timore premitur, ne altius ad D naufragosa devietur. Elevamur autem spe semper ad meliora virtutum incitamenta, & præsumendo quæ promissa sunt, quasi adepta circumfusis visceribus amplectuntur: sed necessario timore compungimur, ne ad vitia hinc inde prolabamur. Unde timore coercemur, spe vero sublevamur. De quo [illegible]e timore Petrus (*i*) apostolus: *Cum timore*, inquit, *& tremore vestram salutem operamini*. Et de spe Isaïas propheta: *In spe*, inquit, *erit fortitudo vestra*. Constat igitur, quod spe corroboramur de Do- E mino: & in spe bona quæ agimus operamur. Timore autem operata, & quæ repromissa sunt, quasi sub sigillo reservata vel reposita conservamus. Hinc quoque propheta canit dicens: *Timor Domini ipse thesaurus ejus*. Quibus duobus modis in farina bene redigimur, quatenus Domini doctrinâ (*k*) in azymis sinceritatis & veritatis con-

[i] — Phil. 2. 12. — Isa. 30. 15. — Isa 33. 6. — [k]

(*a*) Edit. *recte*. (*b*) In editis desideratur *Et creditur*, *sed non omne quod creditur recte amatur*.
[*c*] Edit. *speretur & ametur*.
(*d*) In editis deest *credere*, quod tamen est necessarium.
(*e*) In editis deest, *licet futura sit caritas sine fide*.

(*f*) Edit. *ac per hanc fidem vivificamur*.
[*g*] Edit. *qua æterna*. (*h*) Editi *ut & dilectione Dei versetur*, omisso *tota mens*.
(*i*) Editor correxit *Paulus* & bene.
(*k*) Edit. *doctrinam*, sed melius *doctrina*.

spergamur & simus azymi. Frumentum A etenim ex eo quod in terra granum decidit, Domini per gratiam sumus, necesse mola superior atque inferior ex lege nos æquissimo jure redigat in farinam. De qua sane mola in libro Numerorum legimus: *Non accipies loco pignoris superiorem aut inferiorem molam.* Superior quidem atque inferior mola, qua mentes fidelium bene rediguntur in polentam, & fit *nova conspersio* juxta Apostolum; tum recte loco pignoris non accipitur, cum spes & timor a doctrina prædicatoris non subtrahitur. *Non accipies* autem dixit, pro eo quod est dicere *non auferes.* Unde & accipitres (*a*) nonnullæ vocantur aves, eo quod auferant. De quo sane verbo Paulus ait: *Sustinetis enim si quis devorat, si quis accipit.* Ac si diceret: Sustinetis si quis rapit & aufert. Ex quo liquido colligitur, quod de loco pignoris, id est confessionis aut conscientiæ alicujus peccati, non est auferenda mola superior, spes videlicet, aut inferior, quæ est timor dilectionis. De quo sane timore propheta canit dicens: *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi.* Non sunt igitur auferendæ duæ istæ virtutes de mentibus singulorum, eo quod quantum spes ad altiora mentem subvehit, tantum necesse est timor cor male (*b*) præsumentis inferius premat; quæ nimirum ita sibi utiliter vicissim junguntur, ut una sine altera salubriter stare (*c*) nequeat, quia incassum quisque misericordiam sperat, si non etiam justitiam districti judicis metuat: ac demum periculose de justitia interdum formidat, si non de misericordia largitoris firmiter confidat. Loco igitur pignoris mola superior atque inferior tolli prohibetur; quatenus nec spes sine timore, nec timor sine spe umquam inveniatur; non ideo ne aliquis ab spe dilapsus in solo timore remaneat; aut certe sine timore præsumtione male deceptus spe vana depereat. Nam Christi misericordia sicut non sine justitia est, ita nec justitia sine misericordia. Et ideo sic formidinem timoris spes temperet, ut spei certitudinem timor sanctus custodiat. De quo sane timore propheta ait: *Timete Dominum omnes sancti ejus*; atque illud: *Timor Domini fiducia fortitudinis.*

Deut. 24. 6. — [a] — 1. Cor. 11. 20. — Psal. 18. 10. — [b] — [c] — Psal. 33. 10.

2. Magna igitur fiducia timoris, sicut & magna gloria spei. Nam spes inchoativum est laboris, timor vero custos mercedis. Unde confidenter quisque agit, si merita suffragantur, ut potiora petendo studiosius elaboret, quo tali ac tanta quotidie spe sit dignior. Quis enim athletarum, si (*d*) coronam desperet, promtus in stadium descendat? aut si eam postulet, jure victor offendat? Igitur probatio spem facit, spes vero confidentiam. Et ideo non confunditur, quamvis hactenus timore sancto servetur; quoniam fides suo in tempore quæ dilectionis sunt operatur, in qua divitiæ salutis, sapientiæ atque scientiæ servantur. Et hinc est quod continuo subjungitur: *Timor Domini ipse thesaurus ejus.* Locuples igitur thesaurus, in quo divitiæ salutis renitescunt, & sapientiæ atque scientiæ opes gloriosius fulgent. Thesaurus ergo earum virtutum timore servatur, spe præsumitur. Unde & Apostolus: *Qui regeneravit nos*, inquit, *in spem gloriæ filiorum Dei.* Spes quippe semper præmiorum est adeptio, vel gloria desiderantis: timor vero respersus pudor sanctæ dilectionis, ne in aliquo offendas præmio invitatus, cui placere mente disponis. Non enim est pœnalis iste affectus, sed pudoratus, fide victus & dilectione veræ charitatis. Alioquin sine timore fœdus amoris vix aut numquam servatur: sicut nec sine spe segnitiæ vel torporis materia (*e*) est; spes vero incitamentum virtutis. Incitatur ergo quisque ad ea quæ desiderat: tum maxime cum illa omnino sine diffidentia percipere (*f*) gratiam sperat. Et ideo numquam spes sine lætitia comitatur: ut sit jam in illa futuræ beatitudinis exhibitio; de qua sane spe propheta promittit dicens: *Lætentur omnes qui sperant in te, Domine.* Alioquin in eo timore qualis beatitudo est, qui sine spe traditur? Jure igitur sine lætitia jucunditatis prædicatur, & tamen a propheta omnino beatus esse dicitur, quoniam jucunditatis rore refrigeratur. De quo idem: *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.* Atque illud: *Beati omnes qui timent Dominum.* Beatitudo ergo in eo jure repromittitur, quoniam per gratiam Sancti Spiritus ad spem usque gloriæ sublimatur, & duobus istis ad meliora indesinenter afficitur. Unde sicut dixi, quia Dominicum ex grano seminis frumentum sumus, harum virtutum molis in pulverem redacti, doctrina Christi renovamur. De quo profecto sacrificio in Levitico jubemur plenum pugillum tollere, quia non amplius a nobis bonorum operum accipitur virtus, nisi quantum ex fide offertur. Hæc est, inquam, farina quam Sara obtulit, & in qua mulier illa ex evangelio fermentum doctrinæ Christi Trinitatis numero recondidit & abscondidit.

(d) — Rom. 5. 2. — [e] — [f] — Psal. 5. 12. — Psal. 85. 11. — Psal. 127. 1.

3. Sed interdum quamvis timor mentem reprimat & humiliet, nonnumquam vero consolidat & confortat; sicut est illud Salomonis, de quo supra dixi: *In timore Domini spes fortitudinis*; quia sicut in via sæculi audacia fortitudinem, sæculi timor debilitatem:

[*a*] Edit. *accipitri.* (*b*) In edit. desideratur *male*, quod tamen congrue hic dicitur. (*c*) Edit. *Stare.*

(*d*) In editis male desideratur *si.*
(*e*) Edit. *natura est.* (*f*) In editis deest *percipere gratiam.*

debilitatem : ita in via Dei timor fortitudinem gignit. Unde & Eliphas beati Job virtutes enumerans : (Job. 4. 6.) *timor tuus fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum*, ait. Timori quippe fortitudinem ſubjunxit; quoniam, ut dictum eſt, de timore fortitudo mentis generatur. Mens namque noſtra tanto validius terrores (*a*) rerum temporalium deſpicit, quanto ſe auctori earumdem temporalium veracius per fortitudinem ſubdit. Ergo mens bene in timore Domini conſtituta, extra quod timeat non invenit, dum poteſtate (*b*) quadam interius ſupra omnia fiducialiter elevatur. A timore quidem (*c*) gradus virtutum incipitur, deinde mens fortitudine roboratur, roborata vero patienter mala præſentium (*d*) tolerat. De qua nimirum patientia perfectio viarum Dei aggreditur, ut ad ſpem ſolidius conſurgat. (*e*) Ita ſiquidem Apoſtolus teſtatur dicens, (Rom. 5. 4.) quod *patientia probationem, probatio vero ſpem operatur*. Quibus itaque gradibus mens divinitus vegetata profecto non confunditur, quia charitas Dei diffuſa in cordibus credentium hæc omnia operatur. Quapropter ſatis ſit tantiſper de ſpe noſtræ ſalutis prælibaſſe, finem libelli quem ſperando quibuſque prodeſſe parvulis edidimus, ſine ejuſdem ſpei fine ponamus, ut in ſequenti, ſicut tua beatitudo exegit, de charitate reſumtis viribus ardentius, licet breviter, aliquid dicamus, ipſo adjuvante, qui cum Patre & Spiritu-ſancto unus & verus eſt Deus, JESU CHRISTO Domino noſtro. Amen.

PROLGOUS

IN LIBRO DE CHARITATE.

DIu intermiſſis ſcripturarum ſtudiis, longo curandarum rerum fatigatus naufragio, licet agreſtis, devotus tandem (*f*) amicam repeto quietem; ut quod in torporem ignavi actus vitæ ſopitis ſenſibus demerſerant, Chriſti charitas, de qua loqui deſidero, evigilet & abſtergat, ne iners ſolertia, defecato pauliſper fruens ſilentio, ſine fructu remaneat. Fodi nimirum puteos, quos foderat ſenex Abraham : ſed quia eos ſemper obſtruere geſtiunt Philiſtiim; rurſus elaborandum cum Iſaac, reperta (*g*) in fonte fidei aqua viva, quatenus vincere poſſimus jurgia, & calumnias inimicorum. Deinde alium puteum ſpei profundius egerere; ſicque rixas & inimicitias omnium adverſariorum ſuperare : ſed quia tandem his exhauſtis, aquas ſalientes in vitam æternam, Domino largiente, paululum deguſtavimus : reſtat tertium effodere, pro quo, & contra quem nullus rixari queat. Vocatur autem idem puteus latitudo, de quo pſalmiſta ait : (Pſal. 118. 96.) *Latum mandatum tuum nimis* : eo, quod quicquid latet, vel quicquid patet (*h*), omnia contineat. Ergo ad iſtos aquarum puteos Sara, Rebecca, Rachel, necnon & Sephora illa Æthiopiſſa venire atque haurire conſueverant. Bene namque has tres ſeptem donorum ſorores germaniſſimas omni dilectionis officio ſibi in animo devoverant, quarum potatu quotidie inebriantes ſe, ſemper ibi reperiebantur. Siquidem & philoſophi eoſdem voluerunt fodere puteos, quos phyſicam, ethicam, logicam appellarunt; ſed quia ſine Chriſto aquam inveniunt, ſed non vivam; Ita & Salomon tres condidit libellos de tribus iſtis virtutibus, ubi in tertio quanta ſit latitudo & profunditas, ſoli amplexus ſponſi, & oſcula ſponſæ probant. De quo nimirum puteo mulier Samaritana requiſita neſciens prophetizat, quod puteus altus ſit nimis, & nemo ex eo bibit, niſi cui JESUS aquam ſalientem in vitam æternam tribuerit. Altus quippe fons eſt, quo nemo altius aſcendit; idcirco invocandus eſt ille, ſine quo ad hauriendam aquam illuc nemo pervenit. Nequaquam igitur iſti puteorum rivi illius patuli fluenta, quæ fabularum ſalſura condivit; ſed quæ JESUS credentibus reſeravit dicens : (Joh. 7. 38.) *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Hæc quippe, de qua loqui diſponimus (*i*), mandatum dici poteſt mandatorum, vel donum omnium donorum, ſicut eſt canticum canticorum; quoniam omnia hoc uno complentur mandata, ſicut & omnia in iſto uno conſummantur ſalutis dona. Alioquin ſine charitate quodcumque donorum habueris, nihil tibi prodeſt.

Explicit prologus.

INCIPIT LIBER DE CHARITATE.

Quid ſit charitas?

CAPUT PRIMUM.

1. INterrogemus Johannem apoſtolum, & ipſe narrabit, quid (*k*) de fonte Chriſti (*l*) pectoris hauſit : dicit enim : (1. Joh. 4. 16.) *Deus charitas eſt*. Ecce quam brevis diffinitio, & habes quid ſit charitas. Sed hanc nemo philoſophorum penetrat, quia immenſa & profunda eſt. Porro diffinitionum genera apud illos plura legimus, utputa uſialis (*m*), quod eſt ſubſtantialis. quæ propriæ & vere dicitur definitio : ſecunda, quæ græce onomatica vocatur, quæ notio dici poteſt, eo

(*a*) Edit. *errores*. (*b*) Edit. *pietate*. (*c*) Edit. *quidam*.
(*d*) Edit. *præſertim*. (*e*) Edit. *reſurgat*.
(*f*) Edit. *tamen*. (*g*) Edit. *reperto fonte*. (*h*) Edit. *poteſt*.

(*i*) Edit. *diſponemus*. (*k*) Edit. *quidquid*.
(*l*) In editis deſideratur *Chriſti*. (*m*) Edit. *uſiodis* melius *uſialis* a græco *οὐσία* *quod eſt ſubſtantia*.

quod de actibus, de qua quæritur, rei notitia insinuatur. Sed apostolus aperte clamat, *quia Deus charitas est*. Quippe non relative, neque nuncupative, sicut de Domino quædam dicuntur; sed substantialiter, sicut veritas, & lux, ac cetera, quæ Dominus substantive prædicatur. Unde quærendum utrum Deus Pater sit charitas, an Deus Filius, an Deus Spiritus-sanctus, an Deus ipsa simul Trinitas? Nec tamen fatendum propterea charitatem Deum esse, quod sit donum Dei; sed quia charitas est illa substantia, quæ Deus est, sicut & bonitas, ac vita, & cetera, ut dixi, quæ de Deo substantialiter dicuntur. Dicitur enim Deo: *Tu es patientia mea, & refugium meum*, ac multa talia; sicut & : *Tu es spes mea, & misericordia mea*, nec recte dicimus. *Tu es charitas mea*; quin immo dicendum *Deus charitas est*, sicut dictum est, Deus spiritus est. Hoc qui discernit a Deo intellectum, & non ab homine quærat rationem. Tamen (*a*) licet dicamus: sapientia, & veritas, & vita seu lumen Deus est, ac similia; hæc omnia non nisi una substantia est. Similiter & charitas cum dicimus quia Deus est, hoc est, quod vita, quod lux, quod sapientia, & cetera, eo quod Deus Trinitas simplex substantia est. Recte igitur intelligimus, quia Deus Pater charitas est, & Deus Filius similiter charitas est, & Deus Spiritus-sanctus. (*b*) sicut & sapientia Deus Pater est, & Deus Filius, & Deus Spiritus-sanctus, non tamen tres charitates ideo dicimus, aut tres sapientias; sed unam sapientiam, & unam charitatem; sicut & unum Deum Patrem, & Filium atque Spiritum-sanctum confitemur. Et sicut proprie verbum Dei etiam Dei sapientia Filius dicitur: ita ergo charitas aptissime Spiritus-sanctus est appellatus; sed ita, ut illa simplex Dei natura non sit aliud substantia, & aliud charitas. sed charitas ipsa substantia sit Patris, & Filii, & Spiritus-sancti; quamvis proprie Spiritus-sanctus charitas nuncupetur. Hinc quoque Johannes apostolus: *Dilectissimi, diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est. Et omnis qui diligit, ex Deo natus est, qui non diligit, non cognovit Deum, quia Deus dilectio est.* Manifestat autem Spiritum-sanctum intelligendum eamdem dilectionem esse, quem dixit ex Deo, quia Spiritus-sanctus ex Deo Patre est, & Filio. Tamen & Filius de Patre Deo est, idcirco illud apertius designatur, ubi ait, quod *in hoc cognoscimus, quia in ipso manemus, & ipse in nobis, quia de spiritu suo dedit nobis.* Et hoc est in Deo manere, qui manet & in charitate, quia Spiritus-sanctus quem dedit nobis, dilectio est: Et omnis, qui diligit, ex Deo est, quia Spiritus-sanctus (*c*), qui est dilectio, Deus est. Ecce quid sit charitas! Ubi qui manet, nullis inimicitiis, nullis calumniarum insidiis defraudatur, sed ex Deo totus, in Deo (*d*) securus manet.

Psal. 70. 5. [a] [b] 1. Joh. 4. 7. [c] [d]

2. Ergo qui habet charitatem, in se Spiritum-sanctum habet, quia Spiritus-sanctus charitas est; ideoque talis Christi est, eo quod spiritum Christi habeat. Alioquin si non spiritum Christi, nec charitatem habet, & Christi non est, quia sine (*e*) Spiritu ejus est. Non modica igitur virtus charitas, quæ Deus est. Unde nec haberi potest; nisi ab illo, in quo est, cui credendum est. Et Johannes, *nos*, inquit, *cognovimus, & credimus charitati Dei, quam habet in nobis.* Et qui (*f*) est, quam habet in nobis, nisi quia de Spiritu suo (*g*) dedit nobis? Ergo cum spiritus datur, Christi charitas diffunditur. sicut Paulus testatur apostolus, *quod charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis.* Unde cum super apostolos venit, in fervore ignis apparuit, quia charitas quos repleverit, ardentes facit, Deoque conjungit. Unde si Deus Pater charitas est, & Filius charitas est: charitas autem Patris, & charitas Filii unum sunt, & non unus. Ex quo consequenter unum bene dicuntur, qui veniunt simul ad Deum, qui perfecti sunt in charitate, juxta veritatis assertionem, & mansionem apud eum faciunt. Propter quod talis charitas, quæ Deus est, cum fuerit in aliquo, is nihil terrenum, nihil materiale, nihilque corruptibile diligit; quia contra naturam est charitatis quippiam corruptibile diligere, præsertim cum ipse sit fons incorruptionis. Ipsa est enim sola habens immortalitatem, siquidem *Deus est charitas, qui solus habet immortalitatem, habitans lucem inaccessibilem.* Quid aliud immortalitas, nisi vita æterna creditur? Quam daturum se promittit Deus credentibus in ipsum solum verum Deum, (*h*) & quem misit JESUM CHRISTUM filium ejus.

[e] 1. Joh. 4. 16. [f] [g] Rom. 5. 5. 1. Joh. 4. 16. 1. Tim. 6. 16. (h)

3. Idcirco ante omnia, & super omnia imprimis hoc amabile, & beneplacitum dicitur esse Deo, ut diligat quisque dominum Deum suum ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex totis viribus suis, quia Deus charitas, & Filius qui ex Deo est, charitas est. Unde sui simile aliquid in nobis Deus requirit, ut per hanc charitatem, quæ est in CHRISTO JESU, qui est charitas, velut quâdam cognatâ per charitatis nomen affinitate sociemur. Sicut Paulus jam conjunctus ei dicebat: *Quis nos separabit a charitate Dei, quæ est in* CHRISTO JESU *domino nostro*? Hæc nimirum charitas hominem proximum in invicem sibi & Deo fa-

Rom. 8. 35.

(*a*) Edit. *Tam.* (*b*) In editis desideratur *sicut & sapientia Deus Pater est, & Deus Filius est, & Deus Spiritus-sanctus.* (*c*) In edit. deest *sanctus.* (*d*) Edit. *ideo.*

(*e*) Edit. male *simul* longe melius *sine.* (*f*) Editor emendavit *quid est* non male. (*g*) Non ita bene correxit *sancto* pro *suo.* (*h*) In edit. omissum est *Deum.*

cit, sicuti Veritas in evangelio demonstrat dicens cuidam superbienti, quod quidam cum descendisset ab Jerusalem in Jericho, Luc. 10. inciderit in latrones; quem cum vulneratum ac semivivum sacerdos, ac levita prætererint, amplectitur Samaritanus, qui misericordiam ei fecerat, huncque proximum fuisse declarat eorum, (a) & ab ipsius confessione proximum fuisse manifestat. Unde adjecit: *Vade*, inquit, *& tu fac similiter.* Ibid. 37. ac si aperte dicat: quisquis secundum Deum proximus velit esse, faciat charitatis opera, quæ sunt viscera secundum interiorem hominem, ut maneant simul unum in Domino. Nam cœlestis illa Jerusalem sola conviseratur charitate; illinc ex qua omnis germanitas constat, & perpetua societas. Unde jam hic anima concorporetur in membris Christi, & conflagretur (b) cœlesti lumine. Hic namque est ignis ille, quem Jesus venit mittere in terram, & quid vult, nisi ut ardeat, & exurat omnia carnalis vitæ desideria? Iste quippe ignis est, qui de cœlo venit in veteri testamento, quem jugiter sacerdoti nutriri mandatur, ne extinguat, quia nullo ex alio holocaustum, vel sacrificium Deo dignum crematur. Si quis vero alienum obtulerit, sicut factum est illis, quos ignis exussit, Nadab & Abiu, morte plectetur æterna, quoniam ignis iste perpetuus est.

CAPUT II. *Cujus lingua sit charitas.*

1. CHaritas ergo græcum est, quod in latino dilectio appellatur. Sed melius in græco charitas vim suæ significationis exprimit, quam dilectio, quæ a diligendo quippiam nominatur. Sæpe enim diligimus quod demum improbandum melius judicamus. Dictum est enim, quod similis similem sibi diligat. Unde dum vitiosi, vitiosos diligimus, non quia hoc sunt quod creati sunt; sed quia vitiosi sunt, numquid talis dilectio charitas est appellanda, aut ex Deo est? absit. Nam omnis qui diligit, ex Deo natus est. Ille vero qui sic diligit, utique se primum, & eum quem diligere videtur, odit, quoniam *omnis qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Verumtamen licet odium sit, dilectio juxta verbi ethimologiam vocatur, & ideo, ut dixi, non satis ubique latinus iste sermo vim charitatis exprimit, quia charitas numquam, nisi ex Deo, vel in Deum, vel propter Deum jure dicitur. Dilectio vero aliquando odium approbatur, sicut econtrario odium, dilectio vera secundum divinarum scripturarum intelligentiam: ut est illud: *Qui odit animam suam* Joh. 12. 25. *in hoc mundo, &c.* quæ leguntur. Sed Johannes non de alia dilectione, nisi quæ ex Deo, & Deus est: Unde absolute universaliter definit dicens: *Omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognovit Deum. Qui (c) non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est.* 1. Joh. 4. 7. Et hæc est dilectio Christianorum, ut Deum, & in Deum, & propter Deum diligas. Deum autem in se, & propter se, quia summum bonum est; membra vero Christi in Deum, quia membra sunt ejus, qui Deus est; & ideo in Deum, quia Deus charitas, diffusus in eorum cordibus, facit eos manere in Deum per spiritum adoptionis, ita ut filii jure nominentur, & sint. Verumtamen non ita quasi summum bonum sint, diligendi, sed quia in summo bono sunt boni filii, per Spiritum-sanctum boni præsciti & prædestinati, ut maneant in spiritu adoptionis. Reliqui omnes propter Deum sunt diligendi; quia boni a bono Deo sunt creati, licet vitio suo sint mali effecti. Nam & dilectio dicta videtur eo quod liget. Duos enim in invicem alligat; quia non minus, quam inter duos charitas esse potest. facit namque unanimes in domo, ita ut plurimi sint cor unum & anima una. Quapropter recte vinculum perfectionis vocatur. Ligat etiam animas indissolubili amoris vinculo ad Deum, quas prius ipse suæ dilectionis loro sibi astrinxerit, ut maneant in Deum. Unde Dominus: *Volo Pater*, inquit, *ut & ipsi unum sint in nobis, sicut ego & tu unum sumus.* Joh. 17. 21. Alioquin civitas illa Jerusalem cœlestis quomodo constaret ex tam diversis unita in Deum, ut ultra jam non possit dissolvi, nec ullo fraudis dolo corrumpi, nisi esset interius, & exterius charitate Christi sic perfusa, quatenus nec inter fluctus sæculi submergi queat. Hinc quippe dicitur: *Et linivit arcam Noe bitumine intus & foris.* Genes. Quæ nisi esset linita, inter undas illæsa superferri non posset. quod si inter auras sæculi a Deo ecclesia solidatur ne corrumpi possit, quanto magis in patria, ubi jam nullus procellarum motus erit? Hinc quoque David canit: *Lauda Jerusalem Dominum.* ac si patenter Ps. 147. 12. dicat: *Quoniam confortavit seras portarum tuarum*, ne rursus queant infringi. Deinde addidit: *Benedixit filios tuos in te, qui posuit fines tuos pacem.* Exclusis quippe reprobis & maledictionum filiis, omnes unanimes futuri ad dexteram Patris benedicti erunt, quorum hic animæ jam in Christo unum esse cœperunt, ut illic in unitate Patris plenius colligantur.

2. Denique unitas numquam dividitur, ideoque quicquid unitate solidatur, firmissimo dilectionis vinculo tenetur ac ligatur. Hinc namque scriptura sancta quasi honestiori vocabulo pro amore, vel cupidine usitatissime charitatem ponit vel dilectionem, licet nonnumquam & amore fruamur Christo, sicut est in Canticis de sponsa:

(a) Editi *coram.*
(b) Editi *flagretur.*

(c) In editis desideratur *qui non diligit, non novit Deum* quæ tamen verba extans in Johannis textu.

Cant. 5. 8. *Quia amore langueo.* Necnon & de sapientia in Proverbiis: *ama eam & servabit te,* seu [a] & (*a*) in aliis quibuslibet locis. Tamen (*b*) [b] ubi nullius lapsus videtur occasio, jure in scripturis sanctis nomen amoris inseritur: ceterum ubi celsior dignitas nominis commendatur, charitas vel dilectio dicitur. [c] Etsi (*c*) nihil sit in divinis eloquiis utrum amor Dei, an charitas an dilectio nominetur, tamen nomen charitatis in tantum extollitur, ut Deus etiam ipsa charitas appelletur. Hinc quoque Johannes ait: *cha-* 1. Joh. 4. 8. *rissimi diligamus invicem, quia charitas ex Deo est, & omnis qui diligit ex Deo natus est, & cognoscit Deum: Qui autem non diligit, non cognoscit Deum, quia Deus charitas est.* Ta- [d] lis igitur virtus longe differtur (*d*) a cupidine vel amore, de quibus sapientes sæculi quasdam artes, quibus amor in anima nasci vel augeri posset, conscriptas reliquerunt. Sed profecto has quique carnales ad vitiosa & culpabilis amoris incitamenta traxerunt. Unde sancta scriptura charitatem gloriosius commendat, ne apud nos, ubi quanto plures simpliciores, tanto imperitiores hujus occasione vocabuli ad amorem carnalium rerum labantur, sicuti fecerunt hi, qui pro his quæ dicta sunt de amoris natura in lapsus carnalium & impudicitiarum præcipitia corruerunt: præsertim cum illi volentes ostendere vim amoris nihil aliud esse, quam virtutem, quæ animas de terris ad fastigia cœli celsa perducat, nec ad summam posse beatitudinem perveniri, nisi amoris desiderio succendatur animus. Mul- [e] ta de amoris natura dixere quidam (*e*) quæ adumbrata protulerunt; sed ideo errasse contigit, quia non apprehenderunt quod Deus charitas esset. Unde non cognoverunt Deum, neque dilexerunt. Nos autem, quia diligimus, utique & cognoscimus: cognoscentes autem plenius amamus, & quia amamus, in omnibus recte obedimus, ita ut etiam inimicos diligamus: qui profecto ut eorum vitia oderimus, sic sunt diligendi, quia a bono sunt, ut in bonum Deum redeant, & permaneant boni.

[f] 5. Constat (*f*) igitur, ut dixi, quod amor quo dilectio fulcitur, nonnumquam in malo accipitur; sed Christianorum nonnisi in bono, ut quidquid in Deum aut propter Deum diligis, ames necesse est sicut temetipsum. Deum vero ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute diligas & ames; quoniam amor & dilectio convisceratio est patris in filium, & filiorum refusio in patres, fraterna quoque germanitas. Alioquin tolle dilectionem, quid habet pater ad filium, aut filius ad patrem, vel quid fratres ad invicem? Idcirco tu homo dilige, quia Deus dilectio est. Sed quid est quod non diligeris a Deo, nisi quia non diligis? alioquin Deus dilectio quomodo potest non diligere, cum sit ipse dilectio? Quod bene prodigus insinuat filius. Consumpto itaque (*g*) luxuriose [g] patrimonio & perdito, tandem ad se rediens patrem vocat quem deseruerat. Et bene. Quia licet ille non amando degener esset factus, pater in se manens non amiserat viscera paternitatis, quæ nimirum viscera charitas est. Et ideo misit Deus Spiritum suum, qui est charitas proprie vocatus, & ex Patre Filioque procedit in cordibus nostris, ut per charitatem concorporemur in corpore Christi, quatenus in Patre & Filio, una cum Spiritu-sancto nos unum simus, sicut & ipsi in se unum sunt. Quia totus Deus Pater & Filius atque Spiritus-sanctus una charitas, & una vita, atque una Deitas est; & ideo bene qui diligit, cui datum est ut diligat, ex Deo natus est. Et qui manet in hac dilectione, in Deo manet, & Deus in eo.

CAPUT III. *De sententia Pauli, ubi ait: quod* major est charitas.

1. Ait enim: *Manent autem nunc fides, spes, charitas, tria hæc. Major autem horum,* vel sicuti nostri codices habent, 1. Cor. 13. 13. *Major autem his est charitas.* Sed beatus Augustinus, *major autem horum*, nos dicere debere insinuat. Dicit enim ita, si videretur dicere, *Major autem his est charitas*: aliam charitatem (*h*) quasi quartum aliquid [h] inducere videretur, quod tribus dinumeratis, fidei videlicet, spei & charitati præponeret. Porro comparativus, quia genitivum pluralem aliquando regit, videtur melius per eumdem casum sonare: sicut & cum de tribus quibuslibet interrogamus, quis illorum prior est, volentes unum de ipsis priorem agnoscere: si dicimus, quis illis prior est? nescio quam personam quartam videmur inquirere, quæ tribus illis prior sit. His ita dictis, quærendum quare dixerit Apostolus, cum maneant hic tria hæc, & simul omnia agant, nec una sine altera possit perficere, quod major illarum sit charitas, videlicet fide & spe inpræsentiarum, sine quibus nulla est charitas. Major autem forte charitas ideo dicitur, quia omnia credit, omnia sperat, præsertim cum non facile dixerim continuo, quod omnis fides perfectam habeat charitatem. Unde Apostolus: *Si habuero,* inquit, *omnem fidem,* 1. Cor. 13. 2. *ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Sed videtur mihi non posse habere omnem fidem, qui charitatem non habuerit, ita ut montes transferat. Alioquin quomodo habere po-

[a] Edit. *sic in aliis.* (*b*) Edit. pro *tamen* habent *scilicet.*
[c] Editi *Etsi autem.* (*d*) Edit. *differt.*
[e] Edit. *quidem.* (*f*) Edit. *restat.*

(*g*) Editi *namque.*
[h] Edit. *majorem, quasi quartum aliquod.*

test aliquis omnia mysteria & omnem scientiam, ut idem ait Apostolus, nisi habuerit charitatem; maxime cum dicat Johannes: [1. Joh. 5. 1. 18.] *Omnis qui credit quia Christus est veritas, ex Deo natus est; & qui ex Deo natus est, non peccat.* Unde (*a*) colligitur [quod] is qui credit quia Christus est veritas, ex Deo natus est; & qui ex Deo natus est, non peccat. Qui autem peccat, non credit, nec diligit, & peccato obnoxius est. Constat igitur quod non diligit qui peccat. Charitas ergo peccandi excludit affectum, quandoquidem & timorem excludit foras; fidei autem plenæ perfecta est charitas, sed fides non semper plena est. Hinc & apostoli: *Domine auge nobis fidem*, scilicet ut infirmantem sanaret fidem.

6. Fides vero velut prævia charitatis occupat animam, quia credendo unusquisque diligere incipit, credendo plenam charitatem possidet. Unde restat juxta illud Apostoli, quod sicut charitas credit omnia, ita & perfecta fides inpræsentiarum fidem habeat omnem; quoniam fides semitas præparat veræ dilectioni; ac per hoc omnis fides est ubi perfecta charitas est; quia charitas credit omnia, id est facit per fidem omnia credere, & habere hujusmodi animæ (*b*) omnem fidem, sicuti & omnem spem, quoniam omnia sperat. Unde nimirum major est charitas, quia per fidem spemque complectitur. Et talis charitas nihil timet, sed excludit foras timorem. Omnia suffert, omnia (*c*) sustinet; & qui (*d*) sustinet omnia, etiam martyrium non timet, eo quod ei jam crucifixus mundus sit, & ille mundo, ut non timeat quæ sunt in mundo. Recte etiam charitas major, quoniam omnia (*e*) virtutum genera agendæ vitæ comprehendit, sicut suas quasque species genus. Et constat ex omnibus, sicut & omnia ex ea subsistunt. Soliditas (*f*) ergo earum, & perfectio charitas est, quoniam ex charitate radicantur universa & fundantur, ut accepta Deo & perfecta maneat. (*g*) Deinde cessantibus aliis, charitas ardentior beata erit, ut puta fides & spes, cum per visionem Christi evacuatæ fuerint, quia *cum pervenerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Tunc sola charitas major omnibus, etiam juxta quod inpræsentiarum est, & se gloriosior virebit. Ceterum in hac valle lacrymarum, quia de cœlis est, quasi peregrina & ideo rara manet. Porro in supernis tota regit & regnat; ac per hoc cum perventum fuerit in sua, erit charitas omnia in omnibus, quia Deus charitas est, & regnabunt in omnibus singuli unum corpus cum Deo, alter alterius membra sine fine beati.

6. Hæc sunt namque viscera illius civitatis, & ista compago ac vita perennis gloriæ. Unde necesse est, si quis illuc vult vivere, hic jam per charitatem incipiat, & per eam operetur; quoniam quicquid sine charitate est aut fit, prodesse ad eamdem vitam non potest. Ista ergo est eminentior via, quam Apostolus solis filiis demonstrat, & excelsior cunctis. Hinc quoque magis hortatur dicens: *Sectamini charitatem*; [1. Cor. 14. 1.] profecto quia charitas plus est, quam omnium charismatum dona, eo quod una ex omnibus adimpletur, & singula ut prosint, ex ea vivificantur & crescunt. Sunt enim in virtutibus principia, sunt media, sunt & summa. Unde sapientia de se loquens dicit: [Prov. 8. 22.] *Dominus creavit me in principio viarum suarum*, ut inde inciperent, id est a Christo videlicet sapientia Dei Patris, qui vellent venire ad Patrem. Sed & Apostolus, cum ambularet in via quæ Christus est, & ad palmam supernæ vocationis sequeretur vocantem Deum, ea quæ retro sunt obliviscebatur, extendens se ad ea quæ ante sunt, ut ad summa veniret. Transierat enim principium viarum Dei, quia non indigebat aggrediendi exordio; sed ad veritatem in via gradiens pervenire, atque permanere (*h*) in via charitate repletus, & per charitatem adoptione recepta filius in domo cum Patre sine fine beatus. (*i*) Ex quo liquet quod nulla res in via tenere nos debeat, quando nec ipse Dominus, in quantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluit; sed semper transire, ne rebus temporalibus, quamvis pro salute nostra susceptis & gestis, male hæreamus infirmi, quin immo per eas potius curramus alacriter ad eumdem ipsum qui nostram naturam temporalibus liberavit, & collocavit ad dexteram Patris. Hoc quippe est quod ipse alibi ait: *Etsi noveramus Christum secundum carnem, jam non novimus*, [2. Cor. 5. 16.] quia exutus omnium mortalitate & temporalitate Deus & homo, unus Dominus JESUS CHRISTUS cum Patre coæternus vivit, manet & regnat Deus.

CAPUT IV. *Quod charitas gemina sit.*

1. EX omnibus & in omnibus scripturarum locis patet, quod charitas una eademque gemina est, id est (*k*) Dei & proximi: nec una jure sine altera; quoniam Deus charitas ita jubet, ut qui diligit Deum, diligat & proximum suum. Una quippe dilectio, sed duobus mandatis movetur affectus, ut Deum ex toto corde & ex tota anima, & ex tota virtute, proximum vero sicut nosmet in Deum diligamus. Et hoc

(*a*) In edit. deest, *unde colligitur [quod] is qui credit, quia Christus est veritas, ex Deo natus est, & qui ex Deo natus est, non peccat.*
[*b*] Edit. *animam.* (*c*) Editi addunt *omnia sperat.*

(*d*) Edit. *Et quia.* [*e*] In editis deest *omnia.*
(*f*) Edit. *sodalitas.* (*g*) Editi *maneant.*
(*h*) In edit. deest *permanere in via.*
(*i*) In edit. additur *permanere cupiebat.*
(*k*) In editis desideratur *id est.*

mandatum habemus, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Quod si dicimus quia diligimus Deum, & fratrem vel unum odimus, mendaces sumus, & veritas, id est Deus, in nobis non est, quem nos diligere mentimur. Dicit enim Johannes: *Si fratrem quem vides non diligis, Deum quem non vides quomodo diligere potes?* Argumentum igitur dilectionis Dei dilectio proximi est; quia proximi dilectio initium Dei amoris est. Diligendus ergo proximus est, ut in proximo diligatur Deus, quia omnis ejus dilectio, si justa est, ad Deum refertur, in quo diligitur proximus, & propter quem inimicus. Idcirco in veteri testamento duæ fuisse memorantur tabulæ digito Dei conscriptæ, quia charitas proximi & Dei gemina est, quâ *(a)* gratia Spiritus-sancti diffunditur in cordibus nostris. Nam digito Dei Spiritus-sancti gratia designatur. Unde & Christus, in digito Dei, id est in Spiritu-sancto dæmonia pellebat, ac per hoc unus idemque Spiritus tam in veteri quam in novo est operator, ut charitas Dei & proximi repleat corda credentium. Sed ibi in tabulis lapideis, quia idem populus cor gerebat lapideum; hic vero in cordibus credentium, ubi Dei & proximi vera dilectio servatur. Quem nimirum Spiritum Dominus noster Jesus Christus semel dedit adhuc in terra consistens, & semel cœlo præsidens. Neque enim alio in loco datus aperte monstratur, nisi cum insufflatione in terra percipitur, & postmodum in linguis variis cum de cœlo veniens monstratur. Cur *(b)* ergo prius in terra, postmodum de cœlo discipulis mittitur, nisi quia duo sunt præcepta charitatis, dilectio videlicet Dei, & dilectio proximi? Ergo prius in terra datur, *(c)* ut diligatur proximus, deinde de cœlo idem datur, ut diligatur Deus, ac per hoc sicut unus est Spiritus & duo data, ita una est charitas & duo præcepta.

1. Joh. 3. [a] [b] [c]

CAP. V. *Quod quatuor sint diligenda.*

1. QUatuor ergo diligere ex ipso præcepto dilectionis debere comperimus: licet ad illam dilectionem Dei earum tria referantur, quia dilectio ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, omnes cogitationes, omnemque vitam & omnem intellectum ad se invitat, ut in Deum cuncta conferat homo, a quo habet ea ipsa quæ confert. Nullum enim a se rivulum duci extra patitur Deus, cujus derivatione ejus dilectio minuatur. Cum autem ait: *ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute*, nullam vitæ nostræ neque dilectionis partem reliquit, quæ vacare debeat: immo quicquid aliud diligendum venerit, quasi ex præcepto in animo illuc rapiatur necesse est, quo totus impetus & fons dilectionis manat ac currit. Tamen integra dilectio Christi, ut dixi, ad quatuor se extendit, unum scilicet quod supra nos est; alterum, quod nos sumus; tertium vero quod juxta nos est; quartum, quod infra nos esse videtur. Porro de secundo & quarto in scripturis sanctis nulla præcepta sunt data a Deo; quia quantumlibet quisque aberret a veritate, nullus tamen *(d)* qui se & corpus suum quodammodo non diligat. Quamvis ergo fugax animus ab incommutabili bono, id tamen semper agit, ut ipse sibi quæ diligit & corpori suo paret. Unde nimirum non potest nisi se & corpus suum, licet male, diligere. Male ergo se diligit, quisquis sibi vult vindicare quod uni proprie debetur Deo; quia talis dilectio melius odium quam charitas vocatur. Unde propheta: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Et ideo restat, ut diligatur Deus ex toto, sicuti summum bonum, quem quicumque diligit, mandata ejus custodit. Unde Dominus: *Si diligitis me*, inquit, *mandata mea servate.* Porro mandata ejus, immo mandatum omnium mandatorum est, ut diligamus sicuti nosmet omnem proximum; quia profecto in his duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ: alioquin supervacuum videretur ut se quisque & corpus suum diligeret, mandare; quoniam id quod sumus secundum animam, & id quod infra nos secundum corpus ad nos pertinet, & inconcussa lege a natura diligimus. Quæ lex nimirum etiam in *(e)* bestias promulgata videtur. Et scriptura dicit: *quod carnem suam nemo umquam odio habuit*, sed nutrit & fovet eam, sicut Christus ecclesiam. Hinc ergo oportuit præcipere: *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua*: Deinde *diliges proximum tuum tamquam teipsum.* In quibus duobus præceptis tota lex pendere probatur & prophetæ. Quia nullum diligendarum rerum præceptum nisi duobus præmissum est; præsertim cum præcedat dilectio Dei, ejusque dilectionis modus præscriptus appareat, ita ut cetera in illud unum confluant. Porro de dilectione nostra nihil videtur dictum; sed cum dicit: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, nihil prætermisisse videtur, sed simul in nobis nostra dilectio commendatur. Ergo integra nostra dilectio est, ut anima ad immortalitatem, ad beatitudinem in Deum diligatur, & corpus nostrum ad sanitatem, *(f)* ad incorruptionem, ad immortalitatem præparetur. Nam sicut integer homo ex anima constat

Luc. 10. 27. [d] Ps. 10. 6. Joh. 14. 15. [e] Luc. 10. 17. [f]

[a] Edit. *qua*, sed melius *quâ*.
(b) Edit. *cunctis ergo cur prius*, sed redundat *cunctis*.
(c) In edit. desideratur, *ut diligatur proximus, deinde de cœlo idem datur*.

(d) Edit. *nullus tamen est, quo se.* (e) Edit. *ad bestias.*
(f) Edit. *sanctitatem & incorruptionem ut immortalitatem.*

& corpore, ita dilectio plena est, ut diligatur corpus proximi ut nostrum, & anima secundum Deum. Talis quippe dilectio infusio est Spiritus-sancti; quoniam *charitas Dei*, sicut dicit Apostolus, *diffusa est in cordibus nostris per eumdem Spiritum sanctum*, (Rom. 5. 5.) ut diligatur & proximus. Quæ nimirum charitas sursum, ac si ignis, semper anhelat, quia de supernis est. Nam & ignis iste visibilis illuc se (*a*) attollit, quo substantiam & originem habere dicitur. Sic itaque ignis iste dilectionis, quem venit Jesus mittere in terram, vultque ut ardeat, semper ad patriam festinans, quosque inflammaverit, illuc optat rapere, & ea quæ de supernis sunt semper diligere. Quod si dilectio est, non potest eum a quo est, & se in illo in quo est, non diligere, ac per hoc dum diligit eum a quo est, diligit & se, ut in ipso maneat in quo est. Quo nimirum fonte anima renata transit in Deum, non per immutationem substantiæ, sed per renascentiam affectus, ut ex toto diligat Deum: sed quia nonnumquam sæculi præpeditur oblectamentis, dicit in Canticis: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* (Cant. 1. 3.) Nec itaque quia diligit sola vult currere post eum quem diligit; vult enim ut & caro secum ad incorruptionem transeat, sicut propheta canit: *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* Et dum integre se diligit homo in Deum, diligit & proximum secundum Deum. Et hæc est vera & integra charitas, ut diligat ex toto Deum, non propter aliud, sed propter ipsum, quia incommutabile & summum bonum est; deinde proximum in Deum, & propter Deum, quatenus totus homo noster quam multipliciter sitiat ac desideret Deum.

Cap. VI. *Quid sit proximus quem jubemur diligere.*

Proximus noster omnis homo accipitur vel propter conditionem naturæ, vel propter efficientiam operis, vel compassionem misericordiæ. Nihil enim magis proximum, quam hoc esse, quod nos sumus, & hoc velle, quod nobis volumus. Unde Dominus volens nobis insinuare quid sit proximus, cuidam interroganti; *Et quis est meus proximus*; (Luc. 10. 30.) parabolam proposuit: *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho*, ac cetera quæ sequuntur: ubi inter cetera nullum proximiorem fuisse insinuat, quam qui curam ejus gessit, opusque misericordiæ circa eum impendit, in tantum, ut ipse (*b*) interrogatus ista fateatur: cui Dominus inquit; *Vade & tu fac similiter.* (Luc. 10. 37.) Hinc quoque exhibendum est quicquid volendo, agendo circa proximum, pietatis officio possumus, ut ille nobis proximus sit vicissim agendo, nosque illi etiam gratis opus misericordiæ impendendo. Sed nemo gratis id agit, qui propter Deum id agit; quoniam ipse prior dilexit nos, ut diligamus eum, sicut quæ (*c*) de Spiritu suo, qui est charitas, dedit nobis, ut diligere possimus & ipsi, Spiritum sanctum. Quod si germanitas carnis habet aliquid germanitatis, multo magis adoptio filiorum Dei, quæ tota renascitur ex spiritu dilectionis. Et notandum, quod nemo sine mercede retributionis diligit, idcirco nemo gratis diligit. Nam proximi nomen ad aliquid est, sicuti patris ac fratris, quia nemo nisi proximi proximus est, sicut nec filius aut frater nisi patris & fratris (*d*). Idcirco si jure pater diligitur ille cœlestis, recte & proximus, & frater fratris, & (*e*) ipsi in eo, qui est cœlestis, cœlestes efficiamur. Nullus ergo exceptus est homo, cui misericordiam denegemus; quando etiam inimicos diligere jubemur. *Diligite*, inquit, *inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* (*f*). (Matth. 5. 44.) Omnis enim homo, aut amicus, aut inimicus nobis probatur; idcirco nemo excipitur ab officio pietatis, quia dilectio proximi malum non operatur; verum etiam præstantissimos ad omne opus bonum nos facit; unde plenitudo legis charitas appellatur. Manifestum igitur sub hoc præcepto, quo proximos diligere jubemur, etiam sanctos angelos contineri, a quibus nobis tantæ misericordiæ impenduntur officia, quanta in scripturis sanctis animadvertere possumus; quoniam secundum apostolum (*g*) *ipsi administratores sunt eorum in ministerio positi, qui hæreditatem accepturi sunt salutis.* (Heb. 1. 14.) Quapropter jure (*h*) proximi censentur, qui nobis plurima misericordiæ opera impendunt. ex quo & Dominus noster, quia Samaritanus noster esse voluit, relictos nos a latronibus semivivos jacentes invenit: & quia medicinam salutis impendit, proximus factus est nobis, ad nos veniens per hoc, quod caro factum est & habitavit in nobis. Hinc quoque propheta: *quasi proximum*, inquit, *& quasi fratrem nostrum, sic complacebam*: (Ps. 34. 14.) sed quoniam excellentior supra nos est divina natura, distincta est Dei dilectio a dilectione proximi: quoniam ipse sola sua bonitate præbet nobis opus misericordiæ, quia summum bonum est; nos vero nobis in invicem propter ipsius gratiam, ut in illo nos inveniamur, qui perditi eramus. Ille siquidem agit, ut eo perfruamur bono, quod ipse est, nos vero in invicem diligimus, ac miseremur nostri, ut perfruamur illo cui culpis exigentibus, nobismet in invicem male abusi sumus.

(*a*) Edit. *illuc attollit*, omisso *se*.
(*b*) In edit. deest *ipse*. (*c*) Editi *quoque*.
(*d*) Editi male *filii*. (*e*) Editi *ut ipsi*.

(*f*) In edit. omissum est *vos*. (*g*) Edit. *Ipsi administratores sunt in ministerio positi eorum, qui.*
(*h*) In edit. deest *jure*.

Caput VII. *Quid fruendum quidve utendum sit.*

Definitum quippe a sanctis patribus est, quod aliæ sunt res, quibus frui, aliæ quibus uti, aliæ quibus simul frui & uti debemus. Illæ namque quibus fruendum est, Pater & Filius & Spiritus-sanctus est, eademque trinitas, una & summa res communis omnibus ea fruentibus; si tamen res dicenda est, & non rerum omnium causa. nec non etsi causa præsertim, quia nullum nomen invenitur, quod tantæ conveniat excellentiæ majestatis, tamen dicitur Deus Trinitas unus Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, Pater scilicet, & Filius, & Spiritus-sanctus. Horum quoque singulus quisque Deus, & plena substantia, & simul omnes unus Deus & una substantia; quæ nimirum res fruendo beatos nos facit. Ceterum juvamur rebus, quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem, quas omnino nec amare, nec diligere debemus; sed his uti, ut ad illam substantiam, qua nos beatos faciat (a) pervenire, [a] atque ei inhærere possimus. Tertio loco nos sumus, qui fruimur & utimur, inter utrasque constituti. Idcirco nobis cavendum est, ne fruamur, quibus utendum est, ne forte præpediamur in via, ne veniamus ad patriam, qua Deus perfecte fruendus est. Est enim frui dilectione perfecta, vel amore alicui rei propter seipsum inhærere, atque eamdem rem ex corde diligere: uti autem, quod in usum venit nostræ necessitatis, ad id quod diligimus, aut amamus obtinendum, si tamen amandum sit illud, profecto cum nihil propter seipsum, sed propter Deum amare debeamus; quia summum bonum est; & proximum, quia a summo ita constitutum est: alioquin usus illicitus potius abusio nominatur. Unde apostolus: *quicumque voluerit amicus esse hujus sæculi*, id est his frui, quæ sæculi sunt, & diligere propter se, quia bona sunt, *inimicus Dei constituetur*. Bona sunt quidem recte utentibus; [b] sed abutentibus vere (b) in superbia valde (c) perniciosissima comprobantur. Porro [c] recte utentibus sic sunt, quasi si aliquis peregrinando festinus ad patriam venire anhelet, onustus cibariis incedat, quibus nimirum prægravatus non propterea, quia diligit, sed his utendo ad illud (d) quo tendit [d] pervenire possit, licet invitus utendo portat: alioquin quisquis ea quibus utitur fruendo diligit, miser illectus, atque a bono abstractus in via torpescit. Sed si animadvertes, nec se homo frui debet, quia nec semetipsum propter se, sed propter eum debet diligere, quo fruendum est. Alioquin

A non se refert ad Deum, sed ad seipsum (e) [e] conversus, jam cum defectu se fruendo miser remanet; quia non ad beatitudinem erectus, sed ad miseriam depressus jacet. Unde si nec se homo quodamodo ad se conversus frui debet; quanto minus nihil aliud quid diligere; sed eo uti debet ad necessitatem, quatenus illuc perveniat, quo fons dilectionis manat. Et ideo nemo se (f) applaudat, [f] quilibet homo quamvis bonus, utrum propter seipsum diligere debeamus; quin immo in Domino, vel propter Dominum, ut ad B Dominum tota dilectio nostra referatur, ut in illo nos in invicem diligamus, in quo, & ex quo beati esse possimus. alias (g) autem [g] beatus apostolus Paulus Philemoni: *Ego*, *Phil. 20.* inquit, *te frater fruar in Domino*, nisi addidisset *in Domino*, videretur eum propter seipsum diligere. Sed doctor egregius in illo eum diligere optat, illoque frui, in quo eorum uterque beati esse possent. Quapropter diligamus Deum, non propter aliud, sed propter seipsum; quia summum bonum est, ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente nostra. Nullaque res sit, qua C frui, nisi illo debeamus. Hinc restat, ut tota dilectio nostra illuc se rapiat, ubi summum bonum est, rebusque illis fruamur, quibus beati esse possumus, ne forte abutamur licitis in superbiam, & miseria in quibusque remaneamus. Ergo nobismet & proximis fruamur, sed in illo (h), ut secundum illum, [h] & propter illum nosmet in invicem diligamus, non quales nunc sumus; sed quales futuri esse credimur, ut tales illi summo & incommutabili bono nosmet meliorando quotidie in via, quæ Christus est, ambulando semper inhæreamus: Deinde ceteris D rebus nec frui, sed uti debemus. Quarumque (i) usum ad ejus gratiam referre, quem [i] diligimus; & ista est vera dilectionis regula, ut diligatur Deus ex toto propter seipsum, quia nihil illo melius, nec sine illo boni quippiam invenitur. Deinde diligatur proximus, sicut seipsum, homo secundum Deum, & propter Deum diligit. Nemo est igitur, qui ex toto jam perfectus inveniatur; sed in quantum secundum Deum se perfecte credit vivere, diligat se homo, in illo ut permaneat: in quantum vero peccator E est, diligat se propter Deum, ut perveniat ad perfectionem & gratiam, ut totus & integer homo incommutabilis quodammodo, atque incorruptibilis perseveret. Ad hoc quippe & proximum debemus diligere; sed quia nemo tam bonus in hac vita, qui mali quippiam aliquid non admittat; nemo tam malus, qui boni aliquid non habeat, sic diligendi sunt hinc inde in Christo proximi, ut malitia exuti ad eum omnes

[a] Edit. *facit.* (b) In edit. deest *vere.*
(c) Item *valde* desideratur. [d] Edit. *ad aliud.*
(e) Edit. *ad ipsum.* (f) Edit. *sibi applaudat quamvis bonus* omisso *quilibet homo.*
(g) Edit. *aliud.* [h] Edit. *sed in Domino.*
(i) Edit. *earumque.*

perveniant

pervenianṭ præsciti, & prædestinati per gratiam, sintque ut angeli in cœlo, fruendo claritate loci, semper beati, & in laude Christi gloriosi.

Caput VIII. *De ordine charitatis.*

Cant. 1. 3. Legimus in canticis sponsam gloriantem, ubi ait: *Introduxit me rex in cellam vinariam, & ordinavit in me charitatem*: Quod nimirum magnæ laudis est, magnæque dilectionis affectus, dum inquit: *Ordinavit in me charitatem*; alioquin, nisi ordinata sit charitas, omnino vera esse non poterit, vel perfecta; quia ille juste, & sancte vivit, qui de singulis quæ sunt, prout sunt, juste sentit, eaque quomodo diligenda sunt diligit, vel quomodo his utendum utitur. Nam ipse ordinatam habet charitatem, qui aut diligit quod diligendum est, aut omnino non diligit quod diligendum non est, neque minus diligit quod est amplius diligendum, nec plus quod utique minus diligendum esse cognoscitur; sed æquissime diligit quod minus vel quod amplius diligendum est: anhelat quoque ne aut minus vel amplius de his amando sentiat, quæ [a] debet (*a*) æquissime diligere, ut puta omnis peccator in quantum peccator est, non est utique diligendus; omnis vero homo in quantum homo est, diligendus est propter Deum: & omnia membra Christi, in quantum membra sunt, diligenda sunt in Deum, quia membra Christi sunt: Deus vero propter seipsum, quia summum bonum est, utique ex toto diligendus est; unde si Deus omni homine amplius diligendus est, unusquisque nostrum vere amplius Deum diligere debet, quam seipsum; id est plus quam animam suam; quia qui diligit animam suam plus quam Deum, non est illo dignus; unde sancti martyres plus Deum dilexere, [b] (*b*) quam seipsos: idcirco deposuerunt corpora mortalia, tradentes animas suas, ut eas in vitam, juxta promissum Dei, invenirent æternam. Deinde amplius homo alius diligendus est, quam corpus nostrum; quia secundum interiorem hominem anima ejus ita diligenda est, ut anima nostra. Tamen ita omnia propter Deum & in Deo diligenda sunt plusquam corpus; quia potest nobiscum homo interior Deo perfrui; quod non potest corpus. Corpus namque per animam vivit, qua fruimur Deo, & ideo animam proximi secundum interiorem hominem diligamus ut nostram; & corpus ad incorruptionem, sicut & nostrum. Constat igitur, quod omnes æque sint diligendi; sed [c] cum (*c*) omnibus prodesse non possumus, his potissimum consulere debemus, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet

A oportunitate rerum nobis constrictius quasi quadam sorte junguntur. Nam & ignis iste corporeus magis eos tam calore, quam & lumine tangit, quos proximiores esse constiterit; sed ignis iste dilectionis omnes in Christo vel propter Christum amplectitur, præsentes absentesve, dum & propter delinquentes gemit, & propter sanctos Deum (*d*) laudare meminit, cum quibus, & in quibus se participem esse lætatur. Tunc Patrem simul cum eisdem invocat dicens: *Pater noster, qui es in cœlis.* Quis enim de tanta adoptione non gaudeat? quis de tanta germanitate ubique diffusa non congratuletur? sed inter omnes qui fruuntur nobiscum Deo, partim eos diligimus, quos ipsi adjuvamus; partim a quibus adjuvamur; partim quorum indigemus præsidio, eorumque (*e*) indigentiæ subvenimus, partim quibus nec ipsi conferimus aliquid utilitatis, nec ab eis, ut nobis conferatur, attendimus. Et omnes tamen diligere debemus, ut & nobiscum diligant & velle orare ac desiderare; idcirco omnis dilectio nostra in invicem ad unum illum finem referenda est; ut omnes fruantur Deo, & nobismet in Deo, licet interdum utamur proximis sicuti & ipsi nostris in invicem utuntur suffragiis. Utimur autem eorum temporalibus præsidiis, fruimur vero eisdem in Domino, secundum interiorem hominem, ut omnes renovemur in agnitione filii Dei, & reformemur ad imaginem gloriæ claritatis (*f*) suæ. Quibus nimirum sponsa inebriata poculis exultat dicens: *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Ista sunt namque pocula charitatis Christi, quibus transmutamur ad formam incorruptibilis Dei; quoniam Deus charitas est, ut per charitatem diligamus (ut ita dicam) eamdem charitatem, quæ Deus est, ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute; deinde proximos sicut nosmet, ut quod nobis volumus fieri, faciamus & aliis, & quod nolumus nobis, non irrogemus ulli. Ista namque est ordinata charitas, iste est ignis ille perpetuus, quem venit Jesus mittere in terram, vultque, ut ardeat. Ista est eminentior via quam demonstrat apostolus, sine qua nihil proficit, contra quam nihil valet; quoniam ita est ut mors inexpugnabilis fortitudo charitatis; quam profecto quisque charitatem debet nutrire, Dei implendo mandata, ut cuncta, quæ agimus, hoc igne crementur in conspectu divinæ majestatis, quatenus accepta fiant Deo. His itaque anima renata affectibus fit holocaustum, Deo exhibens corpus, quod vivificatur ab ea, (*g*) hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, & fit rationabile obsequium nostrum, profecto, quia charitas

[d] [e] [f] Cant. 1. 3. [g]

(*a*) Edit. *decet.* (*b*) Editi *diligere.*
(*c*) Edit. *sed tamen dum omnibus.*
(*d*) In editis desiderantur *Deum.*
(*e*) Edit. *Quorumque.* (*f*) Edit. *charitatis suæ.*
(*g*) Edit. *ab eo.*

ordinata prius per Spiritum-sanctum in cordibus nostris diffusa jugiter aspiratur.

CAP. IX. *Quid sit initium charitatis quidve perfectio.*

NOn igitur continuo fit summus: & ideo quærendum est principium charitatis, ut ad ejus perfectionem, Deo inspirante, venire possimus. Nam officium ejus nihil aliud est, quam diligere, & diligendo mandata Christi adimplere. Principium vero ejus ab his incipit rebus (licet intus (a) vivificentur) quæ foris sunt; quoniam sicut clamat apostolus: qui habuerit substantiam hujus mundi, & clauserit viscera misericordiæ, ne indigentibus largiatur, non dico charitatem, sed nec principium habere putatur dilectionis: Dicit enim ita: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, viderit que fratrem suum necessitatem patientem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei est in illo?* (1 Joh. 3. 17.) ac sic patenter dicat: Quomodo diligere poterit intrinsecus qui ea quæ extrinsecus sunt non impendit? clausa quippe viscera manare non sinunt pietatem ad proximum; dum se & res transitorias plus diligit, quam proximum. Quomodo ergo dare poterit, quod præcisum dolet, quando id non impendit, quod omnino extrinsecus amissum non dolet? Constat igitur esse principium charitatis atque indicium, (b) si proximo non negemus, quod sine dolore amittimus, & superfluo possidemus; deinde ut officiose quæcumque possumus beneficia actu impendamus: alioquin dilectio, quæ videtur esse, dum torpet clausis visceribus, non est dilectio, dum negat proximo, quod nec præcisum dolet. Ergo aperiantur viscera, ut habeat principium, & quæ hujus mundi sunt saltem proximo non negentur; quoniam hæc omnia communiter data noscuntur. Unde Dominus inquit: *quod si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est quis dabit vobis?* (Luc. 16. 12.) aliena quippe sunt in nobis, quæ hujus mundi sunt, licet in usu data sunt: idcirco proximis, quod omnibus in commune datum est, negare non debemus. Quod si foris negamus quod alterius est, intus clausis visceribus amittimus quod nostrum est: sed quia principium charitatis esse diximus, substantiam hujus mundi largiri liberalissime proximis, quærendum est, quid sit, quod ait apostolus: *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* (1 Cor. 13. 3.) Fortassis ergo aliquis dare potest facultates suas sine dilectione pauperibus, aut corpus tradere pro aliquo (c) negotio, ita ut ardeat, sed certissimum quod sine charitate nihil prodest. Porro, ut dixi, charitatis officium est diligere; unde quicquid sine dilectione agitur Dei & proximi, nihil prodest. Nam dilectio proximi germanitatem servat, germanitas autem in adoptionem transit, adoptio vero per gratiam filios Dei nos efficit. Hinc quoque quia fratres & filii uni (d) patrisfamilias, sumus hæreditas cœlestis fide, & substantia hujus mundi communis nobis est. Sic ergo largire (e) debemus proximis, quasi cohæredibus, & quod eorum est singulis non negare; quia secundum apostolum, nihil aliud debere debemus, nisi ut invicem diligamus: Hinc quoque *charitas non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt*; qui profecto novit jus naturæ, & hæreditatis ac gratiæ consortium. Sic itaque singulis quæ hujus mundi sunt largire (f) satagit quasi debitum; quia non sua sunt, quæ hujus mundi sunt; sed illa charitatis propria noscuntur, quæ æterna sunt. Illa namque debentur in via, quæ hujus sæculi sunt ad usum itineris. Ceterum illa ad perpetuitatem & æternitatem, quibus fruamur, prædicanda, exoranda sunt proximis, quia nobis propria, largiente Domino, per gratiam jam facta sunt. Unde seu substantiam proximo præstemus, seu officium misericordiæ agamus, seu bona exoremus, seu cœlestia prædicemus; liberalissime mandat apostolus; *nihil aliud debemus, nisi ut invicem diligamus.* Dilectio quippe sola pro debito est, quam quotidie solvendo debemus, ut debendo persolvamus: sed quicquid possumus, proximis non negemus; alioquin quisquis claudit viscera pietatis proximo, nec initium charitatis habere cognoscitur. quomodo ergo animam dare pro amicis potest, qui nec substantiam impartiri gaudet? Nam sicut Dominus ait: *Majorem charitatem nemo habet; quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* (Joh. 15. 13.) Et hæc nimirum est charitas, quæ foras mittit omnem timorem, qua charitate sancti perfusi, non timuerunt omnino mori pro Christo, ut & amici Dei sint appellati: sed quia in charitate omnia pendunt (g) mandata, & varia sunt circa Deum & proximum ejus negotia; varius est & ordo beatorum, multæque mansiones in regno cœlorum: alii namque sunt qui substantiam mundi possident, & proximis largire (h) contendunt, alii qui cuncta relinquentes, & non solum corpus, sed etiam animam pro Deo & proximis tradunt, omniaque quæcumque possunt, pro communi salute gerunt, adeo ut unus in veteri testamento deleri se optat (i) pro fratribus de libro vitæ; alter vero in novo anathema fieri gaudet. (k) Unde liquido

(a) Edit. *licet Deus vivificet.* (b) Edit. *initium.*
(c) Edit. *alio.*
(d) Edit. *unius patrisfamilias.* (e) Edit. *largiri.*
(f) Edit. *largiri.*
(g) Edit. *pendent.* (h) Edit. *largiri.*
(i) Edit. *optet.* (k) Edit. *gaudeat.*

constat, quod numquam charitas excidet, licet timidis & incredulis quæ dicimus difficilia videantur. Ceterum iis qui præsciti & prædestinati sunt conformes fieri imaginis Filii Dei, cuncta videntur levia, quibus nec substantia mundo in mente est; nec labor aliquid esse; quia spiritu Dei aguntur, [a] ex quo renati, & filii sunt (a) Dei appellati. Unde habeat quisque saltem initium charitatis, quatenus bona sæculi proximis impendat pro viatico, Christi amore ductus: fide charitateque succensus flagret, ut audiat a Domino: *Quod uni ex minimis istis fecisti, mihi fecisti.* (Matt. 25. 40.) Festinet opus misericordiæ instanter operibus exhibere; quoniam labor omnia vincit, ut sibi & proximo gaudeat in omnibus subvenire, ac per hoc ad ultimum, si res ita decreverit, animam ponere non metuat pro fratribus, & amicis, ut illa comprobetur charitas, qua nulla est major inter proximos. Varia quippe sunt dona, varius labor, varius & ordo meritorum. Unde propheta: *Astitit regina*, inquit, *in vestitu deaurato circumdata varietate* (Psal. 44. 10.): sed sicut felicior est, qui ponit animam pro amicis suis, ita & infelix nimium [b] (b), qui claudit viscera pietatis proximo, ne indigenti subveniat; quoniam talis quilibet in tenebris & umbra mortis manet.

CAPUT X. *Quomodo diligat nos Deus? ut fruatur nobis, an ut utatur?*

Manifestum est ergo ex divinis scripturarum sacramentis, quod multum nos diligat Deus, qui proprio filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit eum. Quod nisi diligeret, cum inimici essemus, non nos sibi reconciliaret per mortem Filii sui, ut de inimicis non solum amici; verum etiam filii essemus: sed si fruitur bono nostro, cum jam adoptati sumus, videtur agere, quod nemo sani capitis homo dixerit; profecto quia omne bonum nostrum, aut ab ipso, aut ipse est. Hinc quoque liquet nullius egere bono; quia ex ipso, & per ipsum, & in ipso non solum bonum nostrum subsistit, verum & omnium angelorum: unde propheta conversus ad eum implorat dicens: *Conserva me, Domine, quoniam speravi in te: Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* (Ps. 15. 2.); ac si patenter dicat: Idcirco totam spem meam in te posui, quia summum bonum tu es; alioquin si ullius egeres bono, utique Deus non esses. Modo quia bonorum meorum non eges, nec ullius alterius bono egere probaris, obsecro, conserva me, ut permaneam bonus. Unde liquet, quod non fruitur nobis Deus, sed utitur;

A alias autem, si nec fruitur, nec utitur, non patet quomodo nos diligat Veritas. Verumtamen non ita, ut nos utimur rebus, quia nos res quibus utimur, ad id referimus, quo bonitate Dei fruamur. Deus vero ad suam bonitatem usum nostrum refert, quia malis nostris bene utitur; quoniam ipse summa bonitas est, sicuti & summus Deus, & summa charitas. Nam & nos in quantum ab ipso sumus, vere boni sumus. Idcirco quia ipse justus est, non impune mali sumus. Ergo ille usus Dei, quo nobis utitur; non ad ejus, sed ad nostram refertur utili- B tatem, & ad ejus tantummodo bonitatem. Nos vero cum subvenimus cuilibet miserendo, ad ejus id facimus (c) utilitatem [c] cujus miseremur, & ad nostri mercedem cum miseremur; quæ nimirum merces summa est, ut fruamur Deo; deinde qui illo fruimur, ut nobismet in invicem perfruamur in ipso diligendo deposcimus: alioquin si dilectionem nostram in nobismet tantum ponimus, remanemus in via, quia spem beatitudinis nostræ in angelo aut in homine quamvis sancto posuimus. Omnis igitur dilectio nostra ad eum referenda est, ex quo C & per quem, & in quo solummodo boni esse possumus; quia neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid; sed qui incrementum dat Deus. Quapropter cum homine frueris in Deo, Deo potius frueris quam (d) homine. [d] Illo enim frueris quo beatus efficeris, & ad eum te pervenisse gaudebis per dilectionem amoris, quo spem tuam posueras. Dicunt (e) tamen frui posse, [e] cum aliquâ utimur delectatione; quam nimirum delectationem nobiscum gerimus: sed si referimus eamdem delectationem ad illud summum bonum, ubi permanendum D est, ut delectemur in illo; jam non fruitio proprie potest dici, sed usus, quo nosmet [f] in (f) invicem diligimus; quia dilectio nostra ad illum refertur, cui ex toto adhærere gaudemus, & in quo finem lætitiæ nostræ posuimus. Nam & Christus Verbum Patris initium viarum Dei appellatur, ut ab illo inciperent omnes, qui vellent venire ad Deum; quoniam ipse est Deus. Sed sicut ait Apostolus: *Si noveramus Christum secundum carnem, jam non novimus*, profecto E quia secundum carnem viam se voluit præbere venientibus, ad principium viarum (g) congruit transire, [g] ut perveniat ad vitam & veritatem in qua permaneant beati. Unde Apostolus quæ retro sunt obliviscens, ad ea quæ ante sunt se extendit; quia jam principium viarum Dei transierat, non indigens eo a quo aggrediendum & exordiendum est omnibus, qui ad vitam & veritatem optant venire & in Christo permanere. Ex

(a) In editis deest *sunt*.
(b) Edit. *nimirum*. (c) Edit. *faciamus*.
(d) Edit *cum homine*. [e] Edit. *dicendum*
(f) Edit. *invicem*, omisso *in*.
(g) Editor addidit *ad quod hominibus*.

quo colligitur quod nulla res in via nos debeat retinere, quando nec ipse Dominus, in quantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluit; sed transire, ne rebus temporalibus, quamvis pro salute nostra ab illo susceptis & gestis hæreamus infirmiter; sed per easdem potius curramus, ut præmisi, alacriter, ut ad eum pervenire possimus, qui formam servi suscepit, nostramque naturam ad dexteram Patris collocavit.

CAPUT IX. *De nutrienda charitate.*

1. NUtrienda ergo charitas est, etsi de cœlo credatur data, quia ignis iste perpetuus est. Unde & in Levitico jussum legimus de igne illo cœlesti per singulos dies a sacerdote ut nutriatur. Quia profecto non licebat in sacrificio Domini alienum ignem offerre, ne forte sicut Nadab & Abiu periret qui obtulisset; sed supponebant per singulos dies mane & vesperi lignum in pabulum ignis, ut nutriretur, & esset semper in altari perpetuus. Ipse namque est ignis ille quem venit JESUS mittere in terram, & vult ut ardeat; idcirco quærendum quibus alimentis charitas nutriatur, qua amantur quæ sempiterna sunt & proximus, ut ad ea proficiat quæ semper idem sunt. Deus igitur & proximus unde amantur, charitas proprie dicitur, nec ultra procedit; sed tunc consummata ac purgatissima est, si nihil aliud amatur. Hanc quippe, ut diximus, & dilectionem dici placuit; sed tunc recta est, cum Deus magis diligitur quam animus, ut malit homo Dei esse, quam suus, & secundum voluntatem Dei cunctos animi motus dirigere; deinde officia carnis acie mentis suæ subjicere: ita ut nihil aliud quam Deum & proximum secundum Dei voluntatem diligat. Charitatis vero venenum rerum temporalium est cupiditas. Nutrimentum ergo ejus imminutio cupiditatis; deinde perfectio nulla cupiditas, quia radix omnium malorum sola cupiditas prædicatur. Quisquis igitur charitatem nutrire vult, instet minuendis cupiditatibus, gloriam vitæ præsentis fugere, voluntatemque propriam abnegare. Est autem cupiditas amor adipiscendi aut obtinendi carnis præsentisque vitæ oblectamenta. Hujus initium minuendæ (*a*) est [a]
Deum timere, sicut scriptum est: *Initium sapientiæ timor Domini*. His anima initiata gradibus, restat ut ad sapientiam pertingat, quatenus pro sempiternis omnia quæ in hoc mundo bona putantur & mala contemnat. De promissionibus quoque sanctorum & certaminibus nemo desperet. Placendi ergo gratia nihil anima nisi secundum Deum agat; sed quia in hoc itinere charitatis, quanta pericula quantæque difficultates occurrant, non est differendi nunc ratio proposita; sed quibus nutriatur charitas initiis, veritas requirenda: restat ut dilectio Christi plenissime mandatorum ejus præcepta intendat, sicut discipulis suis ipse auctor Veritas ait: *Si diligitis me*, inquit, *mandata mea servate*; observatio ergo mandatorum Dei adimpletio est charitatis; sed in ipsa eademque charitate per fidem ambulamus, a qua incipimus; alioquin infirmante fide charitas languescit; quia quotiescumque scripturarum sanctarum in mente vacillat auctoritas, fides titubat, unde cum fides ceciderit, etiam quisque a charitate cadit continuo. Non enim potest diligere, quod esse non credit; idcirco scripturæ sanctæ diligentius scrutandæ sunt & plenius credendæ, ut fides sancta succrescat, & præcepta Dei copiosius intelligantur. Quisquis igitur scripturas sanctas vel quamlibet partem earum intellexisse se putat, ita ut eo intellectu (*b*) [b]
fidem & geminam charitatem Dei & proximi non ædificet, nondum omnino intellexit. Et si ex ipsis Dei scripturis jam fidem percepit, & diligit, bene agendo efficit, ut etiam speret ad id quod diligit pervenire. Itaque tria hæc sunt, quibus omnis scientia & prophetia militat in hac vita. Sed fidei succedit species (*c*) olim credita, quam [c]
videbimus sicuti est; spei vero succedit beatitudo ipsa ad quam perventuri sumus: charitas autem istis decedentibus augebitur potius. Si enim credendo diligimus quæ nondum videmus, quanto magis cum videre cœperimus. Et si amando speramus quo nondum pervenimus, quanto magis cum perventum fuerit: quoniam præsentis vitæ bona sicut cum non habentur in desiderio sunt; ita profecto habitæ mox vertuntur in fastidium: cœlestia vero & sempiterna e contrario; cum non habentur, fastidio sunt; & cum percipiuntur, magno in desiderio. Sed interdum quia per fidem, qualia sunt creduntur, in spe jam, quia donata sunt nobis, habentur; habita vero diliguntur & prægustantur. Pro quorum dilectione omnia præsentis vitæ non minus prospera quam adversa contemnuntur, tantum ut illa adipiscantur. Omnium ergo virtutum instrumentis utitur charitas, & ipsa sunt ligna quæ supponuntur in pabulum Dominici ignis, ut nutriatur in altari. Altare ergo illud Dominicum corpus est, Deo Patri satis placabile, in quo cuncta offerimus vota, & charitatis igne cremantur. Alioquin ignem alienum qui obtulerit, concupiscentiam scilicet carnis, cum Nadab & Abiu peribit; quia ignis iste cœlestis est, & non aliunde; neque alibi quam ex virtutibus & in Christo nutritur. Mane igitur ac vesperi ligna supponuntur in pabulum

Marginal references: Ps. 110. 10. — Joh. 14. 15.

(*a*) Edit. *minuendi*.

(*b*) Edit. *eo intellecto*. [*c*] Editi *spes*.

bulum sanctæ charitatis, ut ardeat jugiter A in altari, quando per charitatem reliquæ virtutes operantur. Sin alias extinguitur, quia charitas numquam est otiosa. Suppositis ergo virtutibus ardet in Christo, & tunc demum omnia nostra vota hoc igne
1. Tim. 1. 5. concremata, fiunt accepta Deo. *Finis*, ait Apostolus, *præcepti*, *charitas de corde puro & conscientia non ficta. De corde*, inquit, *puro*, ut nihil aliud quam id quod diligendum est diligatur: *& conscientia non ficta*, quatenus spes in nullo confundatur erroris naufragio. Omnium ergo scripturarum intellectus ad ista tria refertur; quoniam quicquid est quod in divinis legimus litte- B ris, his tribus comprehenditur donis, & in his omnium scripturarum terminatur finis. Et nisi propter eruditionem aliorum, his adeptis ad plenum, scriptura sancta necessaria non esset. Unde ut nutriatur charitas, sæculi amicitia & cupiditas carnis pellantur primum; deinde supponantur jugiter ligna virtutum, circa Deum & proximum ut ardeat; quoniam quisquis venenum ejus primum a se non expulerit, non dico perfectionem charitatis, verum nec initium habet.

C

CAPUT XII. *De differentia charitatis, utrum sit aliqua eorum qui primam fidem custodiunt, & qui post lapsus ad pœnitentiam redeunt.*

1. HInc sane per Jeremiam Dominus ad
Jer. 2. 2. Jerusalem: *Recordatus sum tui*, inquit, *miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto.* Et deinceps: *Sanctus Israël Domino primitiæ frugum ejus.* Quibus profecto verbis gloriosiorem insinuat charita- D tem circa perseverantem animam, cujus adolescentiam miserans Dominus, etiam cum lapsa fuerit, amorem desponsationis ejus recordatur. Tenera quidem, & dulcis est charitas virginalis; præcipue in spiritalibus, ubi sola dilectione sponsus & anima fœderantur. Comparatur enim anima sancta primitiis frugum quæ Domino consecrantur; & ideo a sponso tam tenere diligitur virginitas, ut sequantur agnum quicumque eam integram illibatamque servaverint, quocumque ierit. Alioquin animæ
Joel. 1. 8. quæ corruerit per Joëlem dicitur: *Lamentare* E *ad me super sponsam præcinctam sacco in virum ejus virginalem* dolens eam, eò quod de tam bonis decidisset meritis; ita ut odia contraheret, pro flagitiis habens offendicula delictorum. Hortatur ergo, immo mandat sponsus apud se pro ea lamenta fundere, vel etiam ipsam plangere animam; unde & nostra interpretatio, *plange* habet, *quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ.* Utique quia pro male-

ficiis jam sponsus virginalis Christus abscesserat ab ea qui dixit: *Sponsabo te mihi in* Osee 2. 19.
fide, in justitia & misericordia. Sed quia primam desponsationis fidem irritam fecit, & sanguinem testamenti pollutum duxit, jubetur plangere accincta sacco, super virum pubertatis suæ, quoniam ablatus est ei. Jam enim non est mollis & tenera, idcirco debet plangere præcincta sacco; alioquin si fœdus virginitatis servasset, nec lugeret, nec ab ea sponsus recessisset. Hinc Dominus in evangelio: *Non possunt*, in- Marc. 2. 19.
quit, *lugere filii sponsi, quamdiu cum illis sponsus est: veniet autem tempus cum auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt ac lugebunt.* Habet itaque anima lætitiam & exultationem suam, quamdiu cum ea Christus est; quia dies sunt epularum, & refectionis ac gaudii. Suscepit enim fœdus perpetuum a Deo, idcirco deliciis affluit; fruitur cœlestium alimentorum copiis, inebriatur vino quo corda sanctorum lætificantur: sed posteaquam sponsum factis amisit suis, jubetur in cilicio peccatorum suorum agere pœnitentiam, & deflere semetipsam, (a) quia perdidit virum, & spre- [a]
vit eam sponsus propter fœditates ejus, qui non solum dilexerat illam gratis, verum crucifixus est pro ea. Unde & a principio anima (b) cujusque virginalem vitæ [b]
suæ florem de fonte Christo dicavit; (c) [c]
sed cum ad ignominias hujus sæculi se divertit, neglecto fidei suæ pacto, mox virginitatis suæ sponsum perdidit, & diabolo suisque pravis operibus se miscuit, cui renuntiaverat prius.

2. Tamen misericors Dominus nec sic deserit animam pravis constupratam flagitiis, cum per Jeremiam increpat dicens:
Frons mulieris meretricis facta est tibi: no- Jer. 3. 3.
luisti erubescere: Ergo amodo saltem voca me, Pater meus es tu, dux virginitatis meæ tu es. Et bene inquit, *dux virginitatis meæ*, quia quamdiu virgo voluit permanere anima fœdere servato amoris, ducem habuit Christum; quo relicto, cœpit per prærupta gradi, & ad ima corruere. Igitur quomodo mulier, si contemnat virum, sic contemsit infelix Dominum; quapropter revocans eam Dominus per prophetam: *Numquid* Ibid. 5. 6.
irasceris, inquit, *in perpetuum, aut perseverabis in finem? Ecce locuta es, & fecisti mala, & potuisti.* Multis interea modis utitur sermo divinus, ut miseram compescat animam a suis flagitiis: sed felices qui charitatem primam custodiunt, ne fœdus fidei irrumpant; aliter autem, nisi esset prima gloriosior a principio conservata, nequaquam Spiritus-sanctus in Apocalypsi per Johannem Angelo Ephesi ecclesiæ scriberet inter cetera: *Sed habeo adversus te pauca,* Apoc. 2. 4.
quod charitatem tuam primam reliquisti. Hæc

[a] Edit. *seipsam.* (b) Edit. male *animam.*

(c) Edit. *ditavit.*

enim prima ideo dicitur, quia altera, vel quia sit ipsa primordialis, quando Spiritu-sancto in fonte refundimur, & præcipua. Ibid. 5. *Memor esto*, inquit, *unde excideris, & age pœnitentiam.* Profecto, quia nemo recte pœnitet, nisi prius intelligat excellentiam charitatis, & gratiam quam amisit, quove pervenerit, ut portet confusionis suæ ignominiam, & respiret ad ea quæ amisit. Sic demum, *priora*, inquit, *opera tua fac.* Et quæ sunt opera priora, nisi dilectionis, ut servet omnia mandata? Quæ nimirum opera charitatis intelliguntur; immo ipsa charitas; sed propter ignominiam sordis [a] (a) tantum opera dicuntur, immutato nomine, etsi priora sint, ut sit aliqua distinctio eorum qui permanserunt, vel qui naufragaverunt a fide dilectionis Christi: verumtamen etsi multi deinceps plus diligunt, tacetur de gloria interdum, tacetur & de specie pulchritudinis, solummodo legimus Luc. 7. 47. de Maria, quod *dimissa sint ei peccata multa, quia dilexit multum.* Exquo patet, quod [b] (b) charitas animarum quasi alter baptismus est. Et si est in mente unde cecidimus, ut quid priora opera agere jubemur; nisi ut per eam charitatem ad ea redeamus, a quibus prius decidimus?

3. Sed tam multum distat inter primam & corruptam animæ charitatem, atque inter eam, quamvis & ipsa sit una eademque charitas, quæ post lapsum animæ reformatur: quandoquidem nec speciosa videtur anima, quæ suis defuscatur criminibus, etsi multum diligat Deum: quia sicut quidam audenter ait: Cum Deo loquor; cum Deus omnia possit, suscitare virginem quamlibet corruptam non potest post ruinam. Potest quidem liberare a pœna, sed non valet coronare corruptam. Quæ nimirum [c] (c) sententia satis formidolosa probatur, si forte vera convincitur; præsertim cum legimus Afram, & alias quamplurimas martyrio coronatas. Unde aut de corona virginitatis solum intelligendum, aut certe aliter legendum, quam nostri codices habeant, ut sit sensus, quod non valeat coronare incorruptam. Manet enim facti causa, etsi corona tribuitur pro ardore deinceps magnæ dilectionis. Legitur ergo: Amos 1. 2. *Virgo Israel cecidit, & non est qui suscitet eam.* Non ita tamen intelligendum, quod nullus sit, sed dolentis affectum, & implorantis Dei auxilium, [d] (d) quod nemo nisi Deus prostitutam possit reerigere; idemque ipse ab ea quæ ceciderat, peccatis intervenientibus, erat prohibitus, ne fieret suo justo judicio, quod posset per potentiam. Alioquin quomodo Luc. 15. 7. *gaudium est in cælo*, Domino attestante, *super uno peccatore pœnitentiam agente, quam* A *super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia*, si nemo de ruina potest redire ad gloriam? Quod si Spiritus-sanctus igne charitatis ita inflammaverit animam cujusquam (e) sceleribus prostitutam, ut [e] numerosiora virtutum opera seu præstantiora faciat quam fecisset divinitus inspirata. Et quis est qui æstimat, ubi tanta Dei superabundat gratia, quamvis prius abundarent delicta, qui gratiam dedit, quod non possit recompensare laboribus mercedem? Tamen adeo non est speciosa charitas in anima laborantis, quæ tantam por- B tat confusionem ob recordationem, & pristinæ disrupta charitatis fœdera. Unde etsi magis jam flagrat in animo ardore dilectionis, jure (f) dolet pro confusione sui [f] reatus. Hinc ergo cujusque recte se plangentis anima sibi sordet per culpam, quæ jam Deo redolet per veniam. Illinc æstuat apud sponsum amore dilectionis justis bonisque operibus jugiter satisfacere: hinc suis obfuscatur flagitiis; illinc suis rebaptizatur lacrymis; hinc tenebricatur peccatorum suorum aspectibus; illinc resplendet gratia C Dei respersa, & virtutum muneribus. Hinc tristis, quod cicatrices suorum vulnerum vel facti sui causa maneat; illinc læta, quod jam per charitatem ad amplexus prioris viri redeat. Plus igitur gratulabunda de venia, quam tristis de culpa; quæ discessit, festinat ad immensa gaudia quandoque perventura, cum mors absorpta fuerit in victoria. Interdum tamen, (g) sicut propheta [g] monet, accingitur cilicio, & conspergitur cinere, planctuque amaro, quia peccavit Domino, quotidie majori innovata amore dupliciter vulneratur. Talis igitur chari- D tas, quia squalida & respersa confusionis amaritudine, quasi secunda dicitur, eo quod non est pulchra aspectu, ut Rachel, in qua renitet principium visionis; sed lippet oculis obfuscatis caligine peccati. Tamen quia multa donata sunt ei, merito plus diligit, & diligendo plurimos quam Rachel filios facit. Gratias Deo, quia utraque uxor & fœcunditate jam recompensatur despecta (h) quicquid in ejus pulchri- [h] tudine minuitur. Hinc igitur & per Jeremiam hortatur post ruinas: *Saltem amodo* E *voca me vir meus*, quamvis esset prius repudiata. Et Lia cum peperisset primum, gloriatur, quod respecta sit humilitas ejus a Deo; deinde, quod illam Dominus viderit (i) haberi contemtui; ac sic cum pepe- [i] risset tertium: Gen. 29. 34. *Nunc*, inquit, *copulabitur mihi maritus meus*, eo quod pepererim illi tres filios. Et tu igitur anima, licet laboriosis insistas operibus, festina virtutum adimplere numerum, quatenus amare pos-

[a] Edit. *cordis.* (b) Edit. *quia.*
(c) Edit. *qua quidem sententia.*
[d] Editor addit *innuit.* (e) Edit. *cujusque.*

(f) Edit. *etiam dolet*, omisso *jure.*
(g) In editis deest *tamen.*
(h) Edit. *despectus* minus bene. (i) Edit. *videret.*

sit te sponsus, & rursus recopulari, qui prius A te despexerat ob fœditatem tui sceleris, donec ex te pura nascatur dilectionis confessio. Satage dotari dote bona, ut tecum semper sit per charitatem sponsus tuus, comparetque te cum sorore, quæ mansit pulchra aspectibus, ut quicquid in te fœdavit corruptionis macula, totum recompenses virtutum ex prole.

CAPUT XIII. *De eo quod Apostolus supereminentem viam Corinthiis insinuat charitatem.*

1.Cor.12.13. 1. ADhuc, inquit Apostolus, cum charismatum dona dinumerasset, *supereminentiorem viam vobis demonstro.* Deinde, *si linguis hominum loquar & angelorum; charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam; & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum: Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem non habuero, nihil mihi prodest.* Tria quidem proposuit: linguas primum angelorum & hominum, ut nihil prodesse insinuet loquenti, quicquid sine charitate ore profertur; sed sicut æs, aut cym-
[a] balum (*a*) sunt pulsantis, ita qui linguis, sibimet nihil prosunt, sed vacui in se sunt sine sensu: Deinde prophetia, seu scien-
[b] tiæ dotibus qui pollent, (*b*) aut mysteria norunt; jam introrsus aliquid habent; sed nihil sunt; quia istis omnibus inflati, charitate sola, quæ ædificat, intus carent. Ceterum si sint officiosi, & in cibos pauperum cuncta distribuant, & si tradiderint sine charitate corpus, ut ardeat, nihil prodest; quia nullum est sacrificium Deo acceptum, quod non igne crematur charitatis. Deus igitur charitas est, & quicquid sine charitate offertur mercede vacuatur. (*c*) Unde tribus istis apostolus simul omnia comprehendit. Nam nonnisi ore, aut animo, aut actu aliquid gerimus. Sed ore nihil majus, quam angelorum aut hominum si linguis loquamur: animo vero quid excellentius, quam si prophetiam apprehendimus, vel nosse omnia mysteria, ita ut
[d] symmista Dei dicatur (*d*) animus? Deinde si polleat omni scientia, omnique fide, ita ut montes transferat, quid præstantius prædicatur? Postremum actu qui facultatem pauperibus omnem distribuerit, corpusque igne cremaverit, ultra quid faciet, non habebit. Et his ita exageratis charitas excellentior jure prædicatur, sine qua Deo nihil acceptum; quoniam radix omnium

bonorum charitas, & vinculum est sanctæ perfectionis. Ista namque est via munda, quæ profecto sancta vocatur, per quam nemo alienus transit; sed justi tantum ingrediuntur; unde nihil excellentius illa, quam soli sancti accipiunt, & nemo exterorum intrat: alioquin sacramentum baptismi non minus mali, quam & boni quotidie intrant, simul omnes eucharistiam in ecclesia sumunt, prophetiam habent, linguis loquuntur, mysteria norunt, scientia pollent, fidei signa operantur, & alia quamplurima gerunt, transfigurantes (*e*) se in angelum lucis: sed sola charitas est, quam [e]
B nonnisi boni percipiunt. Unde Dominus: *In hoc*, inquit, *cognoscent omnes, quia* (*f*) [f] Joh. 13. 35.
mei estis discipuli, si dilectionem habueritis in invicem. Tolle igitur dilectionem, & omnia simul fructu evacuantur operis; quia sola charitas Christum exinanivit, ut formam servi acciperet; sola rursus per adoptionem, & de servis filios facit. forma discipulatus Christi & agnitio dilectio est, quam nimirum formam, qui amiserit, alienus est a corpore; quia nulla Christi compagine tenetur astrictus, nullo decore indutus, nulla intus specie decoratus. Un-
C guentum ergo exinanitum nomen Christi per charitatem fulsit, sicut in Canticis legitur; & ideo adolescentulæ diligunt eum, Cant. 1. 3.
quia profecto dilectioni (*g*) Dei sola dilectio nostra vicem rependit, cum & ipse [g]
prior dilexerit (*h*) nos, ut iræ filii qui eramus, faceret sibi per adoptionem & ipse filios. (b)

2. In sola namque dilectione summa perfectionis consistit; quia charitas nihil iniquitatis admittit. hinc nemo pollutus transit per eam: quod si semel ad eam intraverit, jam non pollutus; sed renatus in
D Christo in ejus corpore consecratur. Et juxta illud Jeremiæ, invenit jam sibi gratiam, quia longe Dominus apparuit ei, atque dilexit charitate perpetua, & melius est quod acquisivit, omnibus vitæ bonis. Est enim quasi hortus irriguus cunctis donorum repleta muneribus, & ideo in Canticis a sponso gratanter canitur. *Hortus* Cant. 4. 12.
conclusus soror mea, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuæ paradisus. Ecce quam bene rebaptisatur, qui charitate nutritur, in cujus nimirum anima jam paradisus flo-
E ret. Habes igitur anima fontem quo renascaris. Et si primam fidem irritam fecisti; fontem itaque (*i*) signatum sigillo Christi, [i]
quo nullus, qui intrat, est alienus. Nam baptismi fontem, non dico, quod Simon magus felle amaritudinis obvolutus intravit, verum & omnes reprobi: sed nemo illorum charitatem adiit, de qua nullus, qui

(*a*) Editor addit *tinniens.* (*b*) In editis desideratur *aut mysteria norunt, jam introrsus aliquid habent.*
[*c*] Edit. *vacatur.* (*d*) Editi *vocatur.*

(*e*) Editi *transfigurantem.* (*f*) Edit. *quod.*
(*g*) Edit. *dilectio in Deo.* (*h*) Edit. *dilexit.*
(*i*) Edit. *nempe.*

intrat exit. Illi vero foras exierunt a sacramento muneris; quia non fuerunt ex nobis, & una nobiscum in charitate renati.
[a] quod (a) si essent, profecto ab ea numquam exissent, unde beatus apostolus, videns se
Rom. 8. 35. Christi charitate devinctum: *quis nos*, inquit, *separabit a charitate Dei? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas, an periculum? an gladius?* Et ut indissociabile ostenderet charitatis connubium, indubitanter ait: *Certus sum enim, quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in* CHRISTO JESU. Ergo qui tam fidenter loquitur, nihil de charitate dubitat; quoniam conclusus & signatus est deliciarum omniumque virtutum hortus. Siquidem facilius fuit hostem irruere ad illum paradisi prioris Adæ locum, de quo eum sua expulit fraude; quam ad fontem charitatis, quo nullus potest accedere, nisi ex ea sit renatus. Alioquin etiam diabolus, si ad charitatem intrasset, jam non hostis, sed civis sanctorum, & domesticus Dei esset. apud Deum quippe charitas est, scilicet apud Patrem, quoniam Deus Filius ex Deo Patre chari-
Psal. 35. 10. tas est. Unde dicitur, *apud te est fons vitæ.* fons utique signatus signo Patris; quoniam imago Dei Patris est. De quo nimirum fonte hauriunt omnes aquam vitæ gratis salientem in vitam æternam. Nemo igitur, nisi JESUS CHRISTUS dat hanc aquam, quoniam puteus altus est, puteus aquarum viventium. De quo si quis sitit, veniat ad Christum, & dabitur ei gratis fons æternus; sed nemo ut accipiat venit, si non Pater eum attraxerit.

3. Ex quo liquet, quod jure supereminentior via charitas vocetur quam nemo,
[b] ut protuli (b), nisi qui accipit novit. Hoc sane Samaritana illa ex evangelio mystice
Joh. 4. 11. designat: *Domine puteus altus est, & in quo haurias non habes.* Profecto quia non noverat, cum quo ageret, & signanter insinuat, quod Christi charitas altissima sit, de qua nisi qui accipit, in quo hauriat nullus habet: quandoquidem charitas semper ad Deum tendit, a quo & originem ducit, & ad proximum ardenter respicit, cum quo participium creationis, & recreationis habere novit. Ergo sicut altissima virtus, ita & nomen; quoniam numquam recte quicquam aliud præter Deum & proximum per charitatem diligere mandamur, quamvis sæpe abusive dicatur, quia semper charitas excellit in divinis rebus, ut puta principaliter Dei nomen in eo est, ex quo omnia, & per quem omnia, & in quo omnia,

A & virtutem, ac naturam trinæ majestatis, ac singularitatis enunciat; sic itaque secundo in loco per gratiam etiam homines Dii appellantur, ad quos sermo Dei factus est, nuncupative tamen, sed non ficte. Jam tertio dæmones dii gentium non substantialiter, nec vere nuncupative per gratiam; sed falso appellantur, cum scriptura dicat (c). [c]
Omnes dii gentium dæmonia. Ita & charitas Ps. 95. 5. nomen primum & principaliter est in Deo, propter quod jubemur ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente eum diligere, a quo habemus ut diligere possimus; quoniam ipse prior (d) dilexit nos. Et hoc [d]
B est diligere Deum quod & diligere sempiterna bona; deinde secundo in loco per eamdem charitatem etiam proximum diligere jubemur tamquam nosmetipsos: jam tertio aliud quid falso sub charitatis titulo diligere (e) dicitur, quando (f) pecuniarum, [e] [f] vel voluptatis, seu quarumlibet potius cupiditas est appellanda. Non enim harum dilectionem Deus hominibus concessit, sed usum dedit: inest ergo in omni anima rationabili motus amandi; sed varius eventus percipiendi ut ad virtutem charitatis
C tendat animus. Siquidem & ipse affectus amoris beneficio conditoris rationali animæ est indultus; quamvis interdum ad amorem pecuniæ & avaritiæ studium divertat, aut erga gloriam inanem sectandam, ut fiant homines inanis gloriæ cupidi; aut certe circa scortum, ut inveniantur impudicitiæ, libidinisque captivi. Necnon & ad aliam virtutem tanti boni, his similia dum fornicantur a Deo, periculosius effundunt; sed & cum ad diversas artes, etiam quas liberales vocant, dum se his illiciunt,
D non principale bonum intendunt; quoniam animi virtutes ex ipso intelligantur, ex quo sunt, Unde & Dominus, ut cuncta ab animo quasi superstitiosa removeret; *Diliges dominum Deum tuum*, inquit, *ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis: deinde proximum sicut te ipsum: in quibus duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ.* Iste est puteus viventium aquarum altus & profundus, iste est fons vitæ, & supereminentior via, per quam nemo pollutus transit, ex quo qui renascitur, factus
E est filius adoptionis; quoniam fons vitæ manat in eo salientis in vitam æternam. Iste est hortus conclusus, fons signatus, in quo emissiones sunt paradisi. Hinc quippe in sanctorum mentibus jam floret, ut fructificarent Deo, in charitate radicati, & fundati. Idcirco quisquis ad vitam festinat, charitatem desinenter sibi dari exoptet, datamque excolat, ut & ipsam dilectionem suam, qua Deum diligit & proximum, quotidie ardentius ad Deum referat, quia

(a) Edit. *quia.* (b) Edit. *protuli.*
(c) Edit. *dicet.* (d) Edit. *pater* pro *prior.*
(e) Edit. *obligare.*
(f) Edit. *quoniam.*

Deus

Deus charitas, nihil negat charitati nostræ, qua ipse diligitur. Hinc quippe Paulus inquit. *Charitas cooperit multitudinem peccatorum*; (1. Pet. 4. 8.) Et ut evidentius loquar: Ubi charitas regnat, nulla valent delicta, quoniam ipsa est fons vitæ, & ablutio omnium criminum.

CAPUT XIV. *De eo quod scriptum est:* mihi autem adhærere Deo bonum est.

Quia de charitate aliquid diximus, bonum ejus prægustare debemus: Bonum ergo charitatis Deus Trinitas est, & ipsa Trinitas Deus charitas est sempiterna: Quod nimirum bonum solum & singulare bonum est, cui adhærere vivere est, & intelligere degustare. Unde propheta: *Mihi autem*, inquit, *adhærere Deo bonum est, ponere in Deo spem meam*, (Psal. 72. 28.) & hoc est bonum. In uno eodemque bono quasi interdum sibi distinguit bona; quia aliud est adhærere Deo per amorem intelligentiæ, aliud per desiderium spei. quod enim intelligitur certum, & verum est, sed non omne, quod credimus. verum quamvis supra dixerim in hac peregrinatione, quod intellectu fides præstantior sit: non quia certior de se; sed quia instituta a veritate, [a] interdum (*a*) quousque evacuetur quod ex parte est, præstantior est. Tunc demum intelligentia erit sola, per quam semper cohæsi ac præsentes erimus. Nunc autem quicquid est, quod minus intelligimus, credimus peregrinando, & speramus. Unde duobus istis jam beati sumus, intelligendo scilicet, & sperando: sed intelligendo cohæremus Deo, sperando vero peregrinamur, quia intelligit admodum ex parte anima rationalis Deum; & quicquid est, quod intelligit Deum, in quantum intelligit, junctum est & hæret Deo. Nam intelligit anima, quod Deus summum & incommutabile sit bonum, quia semper ejusmodi est, & numquam patitur mutationem aliquam; idcirco qui se mutabilem sentit, bonum est ei inhærere bono incommutabili, ut exinde bona permaneat; ceterum quod minus intelligit, in illo transponere omnem spem suam debet; donec purgetur oculus intelligentiæ, & evacuentur mala. Quibus duobus anima jam beata efficitur, re videlicet atque spe. Re quia videt, & cognoscit Deum, spe vero quia velut anchora tuta commoratur in adjutorio Altissimi, & protectione Dei. His inflammata anima luminibus indesinenter satagit mentis oculum non avertere a summo bono; quia quoties ad ea respicimus, quæ sensibus comprehenduntur & corporea sunt, quasi depulsi a lumine in tenebris versamur. nec spe tamen ab illo avellimur, sed manemus,


A quia Deus cordis nostri pars nostra factus est in æternum: alioquin recedere ab igne tanti amoris, frigescere est; aliud vero amare, fornicatio; unde propheta: *Ecce*, inquit, *qui elongant se a te peribunt*; (Ps. 72. 27.) aliud quippe paulisper recedere est, aliud elongare. Nam recedere aliud intendere est, elongare vero non solum terrena desiderare, sed etiam aut a dæmonibus expetere, aut ea quasi summum bonum diligere. Tamen etsi recedere ab intentione amoris languescere est, quia spes non abrumpitur inter procellas sæculi, sub protectione Dei commorari tutissima anchora est: sed (*b*) quan- [b]
B to tepidius amamus (*c*), tanto minus atten- [c]
dimus, & quanto minus attendimus, tanto plus elongamur. Unde cavendum, ne dum plus elongatur animus, fornicetur (*d*): *perdidisti*, inquit, *omnes qui fornicantur abs te*; [d]
quia profecto fornicatio casto amori contraria est. Nihil enim anima Deo digna ab sponso quem diligit aliud quam ipsum requirit, non divitias (*e*), non honores, non [e]
aurum, non prædia, non voluptates sæculi neque alia, quæ sunt in mundo, quoniam (*f*) [f]
solum amat, in quo habet omnia, per quem sicut credit, facta sunt omnia: Hinc quoque semper castus amor devotus dicat: *Mi-* (Psal. 72. 28.)
C *hi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Hoc igitur est totum bonum, quo nihil amplius invenitur; sed tunc ei adhærebimus indefessi, cum videbimus eum facie ad faciem; nunc vero in quantum possumus; quia semper non possumus, adhæreamus ei per desiderium, adhæreamus & per intellectum, ne forte dum recedimus, refrigeremur; aut certe aliud amando, fornicemur. Sed quia continui esse non possumus in fervore charitatis, eo quod minus adhæreamus, prægustando in intellectu, ponamus spem nostram in domino Deo, velut anchoram tu-
D tam in cœlis. Pone, quæso anima, spem tuam in Domino, quia necdum hæres ei per præsentiam, quatenus spe firmissima tota inhæreas. Altissimum ergo habes positum refugium tuum in adjutorio Dei, sub protectione ipsius commorare, sursum te attolle, quia gravitas iniquitatis in talento plumbi sedet, gravitas vero charitatis semper velut flamma ad Deum intus an-
E helat. Micantes ergo dilectionis, ac vibrantes sursum semper affectus movet; sed inter fluctivagas mundi auras spes fixa in Deum secura manet; quoniam hæc sunt; *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis conscenderunt, quæ præparavit Deus his, qui diligunt eum.* (1. Cor. 2. 9.) Ergo dilige tantum, & invenies, quoniam præparata sunt ante tempora sæcularia diligentibus. Dilectio namque sola inveniet per deside-

(*a*) Edit. *interim.* (*b*) Edit. *scilicet.*
(*c*) In edit. deest *tanto minus attendimus, & quanto minus attendimus.* (*d*) Editi *fornicatur.*
(*e*) Editi *delicias.* (*f*) Edit. *quia.*

rium, quod spes jam tenet per fidem dilectionis. Magna igitur vis dilectionis, quæ talia comprehendit, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt; sed dilectioni parata sunt ab æterno. Quæ nimirum dilectio, quæ in corde venit, omnia ista apprehendit: apprehensa vero diligit: quam profecto dilectionem anima si non amiserit, sine fine beata sui sponsi dulcis fruetur amplexibus.

2. Hæc prout potui, Pater, quia petisti olim, licet in multis occupatus, devotus obtuli; non ut sufficiat de his, quod dixi; sed ut habeat beatitudo tua adhuc tyronibus quid exhibeat de tribus istis virtutibus, sine A quibus nemo est (a) Christianus. Quarum igitur summa omnium scripturarum sanctarum explet eloquia: Quas qui habuerit non atramento, sed Spiritu-sancto scriptas in præcordiis, habet omnem intelligentiam rerum spiritalium in terris. In terris quippe, quia peregrinamur, sed secundum spiritalem hominem quotidie fructificantes per agnitionem Dei renovamur in cœlis. Per eumdem largitorem omnium bonorum, & auctorem harum virtutum Jesum Christum, qui cum Patre, & Spiritu-sancto vivit & regnat Deus per immortalia sæcula, & in æternum benedictus. Amen.

(a) In edit. deest *est*.



FLORI MAGISTRI
OPUSCULUM
DE EXPOSITIONE MISSÆ,
AB EDITO IN BIBLIOTHECA PATRUM AUCTIUS ET EMENDATIUS.

Ex ms. codice Bibliothecæ reginæ Sueciæ.

OBSERVATIO PRÆVIA.

Quod hactenus in Bibliotheca Patrum legebatur abbreviatum magistri Flori opusculum in canonem missæ, prodit nunc primum integrum ac numeris omnibus absolutum ex vetustissimo codice reginæ Sueciæ sæculo X. saltem exarato, ac proinde ad auctoris ætatem proxime accedente, ex quo Romæ existens Mabillonius illud describi curavit. Nam cum illud cum edito diligenter contulisset, ne partem quidem quartam Florianæ expositionis in Patrum Bibliotheca contineri animadvertit, ac proinde non immerito existimavit publica luce dignum, idque ipsum optasse videtur claræ memoriæ cardinalis Bona, qui & ipse reginæ Sueciæ codicem examinaverat.

Floruit autem Florus circa annum 840. regnante apud Francos Carolo-Calvo, fuitque Lugdunensis ecclesiæ diaconus, ut vulgo dicitur, sive subdiaconus, ut placet Wandalberto, qui ipsum uti & Walfridus Strabo, ob præclaram eruditionem & indefessam legendi scribendique assiduitatem mirum in modum prædicat: Sic enim ille in præfatione ad suum martyrologium: Ope, *inquit*, & subsidio præcipue usus sum sancti ac nominatissimi viri, Flori Lugdunensis ecclesiæ subdiaconi, qui, ut nostro tempore revera singulari studio & assiduitate in divinæ scripturæ scientia pollere, ita libro-

rum authenticorum non mediocri copia & varietate cognoscitur abundare. *Ex hoc Wandalberti loco refutata manet Johannis Trithemii opinio, asserentis Florum fuisse Trudoniensis monasterii monachum, nisi forte sub vitæ finem monasticæ professioni nomen dederit. Cum autem in sanctorum patrum lectione, quorum egregiam librorum copiam habebat, esset versatissimus, hoc opus aliaque ab eo edita ex eorum præsertim dictis & sententiis composuit, quorum persæpe integra verba uno tenore prosequitur, nonnumquam mentem solum exprimit. Expositioni missæ aliud ejusdem Flori opusculum subjicere libet adversus Amalarium, quod ex duobus antiquissimis mss. uno Pelteriano, altero Achillis Harlæi ante annos* 800. *exaratis olim descripsit Mabillonius.*

---

[a] 1. INcipit opusculum de actione (*a*) missarum collectum quam maxime, & in ordinem digestum ex verbis sanctorum patrum Cypriani, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Gregorii, Fulgentii, Severiani, Vigilii, Isidori, Bedæ, Aviti, sicut suis locis per singula litteræ nominum quæ forinsecus prænotantur ostendunt; sed & ex antiquis mysteriorum libris quædam verba necessario sumta sunt. Quod autem eadem nomina in ipsa opusculi serie ubique inserta non sunt, illa necessitas fecit, ne frequens eorum interpositio fieret absurda & incommoda ipsius dictionis & sensuum interruptio. in qua tamen expositiuncula non tam verba, quæ satis simplicia sunt, sed potius ipsius mysterii ratio & actio imponitur & commendatur, videlicet qua fide celebrandum, quanta pietate sit amplectendum.

Aug. in Psal. 33. n. 4.

2. In mysterio corporis & sanguinis Domini nostri JESU CHRISTI, quod sancta ecclesia per universum mundum pro salute ejusdem mundi offert, maxime nobis humilitas commendatur. Unum (*b*) enim nobis fecit idem Dominus JESUS CHRISTUS per humilitatem, quia per superbiam recesseramus a Deo: redire autem ad eum nisi per humilitatem non poteramus, & quem nobis proponeremus ad imitandum non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum superbia tumebat, etsi existeret aliquis humilis vir in spiritu, sicut erant prophetæ & patriarchæ, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines. Ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Deus factus est humilis, ut vel sic superbia generis humani non dedignaretur sequi vestigia Dei. Erant autem, ut legimus, sacrificia antea Judæorum secundum Aaron in victimis pecorum, & hoc in mysterio nondum erat sacrificium corporis & sanguinis Domini, quod nunc diffusum est toto orbe terrarum. Proponamus nobis ergo ante oculos duo sacrificia, & illud

[b] Humilitas in mysterio corporis & sanguinis Domini commendatur.

A secundum ordinem Aaron, & hoc secundum ordinem Melchisedech. Scriptum est enim: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* Hoc autem manifeste dicitur de Domino nostro JESU CHRISTO. Quis ergo erat Melchisedech? utique, sicut legimus, rex Salem. Salem civitas fuit antea illa, quæ postea, sicut docti prodiderunt, Jerusalem dicta est. Ergo antequam ibi regnarent Judæi, ibi erat ille sacerdos Melchisedech, qui scribitur in Genesi sacerdos Dei excelsi. Ipse occurrit Abrahæ, quando liberavit Loth de manibus persequentium, & prostravit eos a quibus ille feriebatur, & liberavit fratrem. Post liberationem fratris occurrit ei Melchisedech. Tantus erat Melchisedech a quo benediceretur Abraham. Protulit panem & vinum & benedixit Abraham, & dedit ei decimas Abraham. Vide quid protulit & quem benedixit, & dictum est postea: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* David hoc in spiritu dixit longe post Abraham. Temporibus autem Abrahæ fuit Melchisedech. De quo ergo alio dicit: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, nisi de illo cujus novimus sacrificium.

Psal. 109. 4.

B

C

3. Sublatum est enim sacrificium Aaron, & cœpit esse sacrificium secundum ordinem Melchisedech. Dominus itaque noster JESUS CHRISTUS in corpore & sanguine suo voluit esse salutem nostram. Unde autem commendavit corpus & sanguinem suum? De humilitate sua. Nisi enim esset humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ipsius: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ecce cibus sempiternus; sed manducant angeli, manducant sempiternæ virtutes, manducant cœlestes spiritus, & manducant & saginantur, & integrum manet quod eos satiat & lætificat. Quid autem homo posset ad illum cibum?

Joh. 1. 1.

(*a*) Per actionem missarum intelligunt auctores liturgici canonem missæ. *Actio dicitur ipse canon*, inquit Walfridus Strabo lib. de rebus eccles. c. 22. *quia in eo sacramenta conficiuntur Dominica. Canon vero eadem actio nominatur, quia in ea est legitima & regularis sacramentorum confectio.* Et Micrologus cap. 12. *Orationem quam canonem sive actionem propter regularem sacramentorum confectionem, Romano more appellamus, quis composuerit, aperte non legimus,*

[*b*] Apud Augustinum legitur *viam*, & quidem, ut videtur, melius.

Unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo, ut mensa illa lactesceret, & ad parvulos perveniret. Unde autem fit tibi lac? unde autem cibus in lac convertitur, nisi per carnem trajiciatur? Nam mater hoc facit; quod manducat mater, hoc manducat infans: sed quia minus idoneus est infans qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, & utilitate (a) mamillæ & lactis succo de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane pavit nos sapientia Dei? Quia *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Vide ergo humilitatem, quia panem angelorum manducat homo. Et scriptum est: *Panem cœli dedit eis, panem angelorum manducavit homo*, id est Verbum illud quo pascuntur angeli sempiternum, quod est æquale Patri, manducavit homo, quia *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Saginantur illo angeli; sed *semetipsum exinanivit*, ut manducaret panem angelorum homo, *formam servi accipiens in similitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, ut jam de cruce commendaretur nobis caro & sanguis Domini novum sacrificium.

[a] Joh. 1. 14. Psal. 77. 24. Phil. 2. 6.

4. Ipse ergo a domino Deo missus sacerdos noster, assumsit a nobis quid offerret Deo. Illas sanctas primitias carnis ex utero Virginis holocaustum obtulit Deo; extendit manus in cruce, ut diceret: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*, sicut novimus, quia Dominus circa vesperam pependit in cruce, & impietates nostræ propitiatæ sunt; alioquin absorbuerant nos. Merito illi cantavimus in psalmo: *Et impietates nostras tu propitiabis.* Tu sacerdos, tu victima, tu oblator, tu oblatio. Ipse sacerdos est, qui nunc ingressus est interiora veli. Solus ibi ex his qui carnem gestaverunt interpellat pro nobis. In cujus rei figura in illo primo populo, & in illo primo templo, unus sacerdos intrabat in sancta sanctorum, populus omnis foris stabat, & ille qui solus ingrediebatur interiora veli, offerebat sacrificium pro populo foris stante. Quid enim ageretur in illo populo Judæi nescierunt; sed modo sciunt; de illis quippe dictum est: *Quamdiu legitur Moïses, velamen supra cor eorum positum est, ibi velamen figura est; sed tolletur figura, & apparebit veritas.* Sed quando tolletur velamen? audi Apostolum: *Cum autem transiens ad Dominum auferetur velamen.* Propitiatis ergo peccatis nostris & impietatibus per illud sacrificium vespertinum, transimus ad Dominum, & aufertur velamen. Propterea & Domino crucifixo velum templi scissum est. Itaque nec carnem præputii circumcidimus juxta ritum Mosaïcæ legis, nec abstinemus carnibus, quas eadem lex dicit immundas, nec sabbatha & neomenias & dies festos eorum carnaliter observamus, nec victimas pecorum sacrificamus Deo, nec pascha in ove & azymis similiter celebramus, & si qua alia fuerunt vetera sacramenta, quæ omnia umbras futurorum appellat Apostolus, quia ea significabant suo tempore revelanda quæ nos revelata percipimus, ut remota umbra nuda eorum luce frueremur. Nam & exuendo veterem hominem circumcidimur in exspoliatione corporis carnis, & quos cibos illi vetant in pecoribus, nos vitamus in moribus, & exhibemus corpora nostra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, cui & animas nostras in desideriis suis pro sanguine intelligenter effundimus, & Christi velut Agni immaculati sanguine ab omni iniquitate mundamur, qui propter similitudinem carnis peccati etiam caprino pecore in veteribus sacrificiis figuratur, nec eum negat in crucis cardibus taurum, qui in illo cognoscit maximam victimam. In illo requiem cum invenimus, vere sabbatizamus, & lunæ novæ observatio vitæ novæ est sanctificatio, & pascha nostrum est Christus, & azymus noster sinceritas veritatis, fermentum non habens vetustatis; & quæcumque alia illis veteribus adumbrata sunt signis, in isto habent finem, cujus regni non erit finis. In illo quippe omnia oportebat impleri, qui venit legem & prophetas non solvere, sed implere. Proinde illa vetera signa rerum non evacuavit arguendo, sed implendo mutavit, ut alia essent quæ nunciarent venisse jam Christum, quam fuerant illa quæ prænuntiabant esse venturum. Quoniam ergo sicut scriptum est in Cantico canticorum, *aspiravit dies*, removeantur umbræ; Spiritualis significatio jam lucescat, carnalis celebratio jam quiescat. audiamus Dominum vetera Judæorum sacrificia repudiantem, & novum Christi sacrificium apertissime promittentem per Malachiam prophetam dicentem: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia nomen meum magnum est in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Certe hic negare non possunt Judæi, non solum non accipere sacrificium de manibus eorum, sed nec se illi offerre manibus suis. Locus enim unus est lege Domini constitutus, ubi manibus eorum sacrificia jussit offerre, præter quem locum omnino prohibuit. Hunc ergo locum quem pro suis meritis amiserunt, etiam sacrificium

Aug. in Psal. 64. Psal. 140. 2. Psal. 64. 4. Christus sacerdos & victima. Heb. 9. 7. 2. Cor. 3. 15. Ibid. 16. Cant. 2. 17. Vetera sacrificia reprobavit. Malach. 1. 10

[a] Apud Augustinum *& per humilitatem mamillæ & lactis succum, &c.*

sacrificium quod ibi tantum licebat offerri in locis aliis offerre non audent. Ecce omnimodo impletum est, quod ait propheta, *Et munus non suscipiam de manibus vestris.* Neque hoc ita prædictum & impletum est, ut eos prophetica sententia respondere permittat. Quia manibus non offerimus carnem, corde & ore offerimus laudem, secundum illud in psalmo: *Immola Deo sacrificium laudis etiam.* hinc enim contradicit eis qui dicit: *non est mihi voluntas mea in vobis.* Deinde ne existiment Judæi, quod illis non offerentibus, nec illo accipiente de manibus eorum Deo, sacrificium non offeratur, quo quidem ille non eget, qui bonorum nostrorum nullius indiget: tamen quia sine sacrificio non est, quod non illi, sed nobis utile est, audiant ipsum Dominum contestantem, immo aperiant oculos & videant, quia *ab ortu solis usque ad occasum*, non in uno, sicut in illis fuerat constitutum, sed *in omni loco* offertur sacrificium Christianorum, nec cuilibet Deo, sed ei qui ista prædixit Deo Israël. Unde alibi dicit ecclesiæ suæ: *Et Redemtor tuus Deus Israël, Deus universæ terræ vocabitur.* Hoc sacrificium mundum offertur Deo Israël, non ab una gente Judæorum, de cujus manibus non se accepturum prædixit, sed ab omnibus gentibus, quæ dicant *Venite ascendamus ad montem Domini*, nec in uno loco sicut præceptum erat in terrena Jerusalem; sed in omni loco usque in ipsam Jerusalem; nec secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. Christo enim dictum est, & de Christo tantum modo ante prædictum est: *Juravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quid est *juravit Dominus*, nisi inconcussa veritate firmavit? Et quid est *non pœnitebit eum*, nisi hoc sacerdotium nulla alia ratione mutabit? neque enim sicut hominem pœnitet Deum, sed Dei dicitur pœnitentia quævis ab illo institutæ rei cujusque mutatio, quæ credebatur esse mansura. proinde cum dicit *non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, satis ostendit eum pœnituisse, hoc est eum mutare voluisse sacerdotium, quod constituerat secundum ordinem Aaron, sicut de utroque videmus impletum. Nam & Aaron sacerdotium jam nullum est in aliquo templo, & Christi sacerdotium æternum perseverat in cœlo. Hunc sacerdotem & hoc sacerdotium magnifice commendat apostolus, cum gratiam evangelii a regalibus cæremoniis distinguens, scribit ad Hebræos: *Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, eo quod morte prohiberentur permanere; hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium: unde & salvare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad*

Psal. 49. 14.
Isa. 54. 5.
Psal. 109. 4.
Heb. 7. 28.

A *Deum, semper vivens ad interpellandum pro eis. Talis decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui non haberet quotidie necessitatem, quemadmodum sacerdotes, primo pro suis peccatis hostias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel seipsum offerendo.* Et iterum: *Talem habemus pontificem, qui consedit ad dextram majestatis in cœlis, sanctorum minister & tabernaculi veri quod fecit Deus & homo.* Sancti ergo patres nostri in veteri testamento uni Deo & creatori omnium victimas obtulerunt, quas sibi ipse offerri voluit, per earum similitudinem promittens victimam veram, per quam nos sibi peccatorum remissione reconciliavit in CHRISTO JESU domino nostro, ut ei offerretur similitudo, promittens veritatem sacrificii, cui erat offerenda ipsa reddita veritas in passione corporis & sanguinis Christi. Hujus sacrificii caro & sanguis ante adventum Christi per victimas similitudine promittebatur, in passione Christi per ipsam veritatem reddebatur, post ascensum Christi per sacramentum memoria celebratur. Proinde prima sacramenta, quæ observantur & celebrantur ex lege, prænunciativa erant Christi venturi, quæ cum suo adventu Christus implevisset, oblata sunt; & ideo oblata quia impleta. non enim venit solvere legem sed adimplere. Alia sunt instituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tamquam justitia fidei revelata, & in libertate vocatis filiis Dei jugo servitutis ablato, quod duro & carni dedito populo congruebat, qualia sunt in ecclesia baptismus Christi, eucharistia Christi, signaculum (a) Christi. Hinc est quod cautissimo divisionis ordine ecclesia Dei vivi, quæ est columna & firmamentum veritatis, tempora venturi Christi venientisque discernit, & omissis sacrificiis quibus Christus passurus promittebatur, hoc sacrificium offert, quo Christus jam passus ostenditur, qui propterea verus est sacerdos, quia semetipsum veram pro nobis hostiam obtulit, sicut apostolus testatur dicens: *Estote ergo imitatores Dei sicut filii carissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis*, ut in ipso sacerdote ac sacrificio fieret remissio peccatorum, id est per mediatorem Dei & hominum, hominem CHRISTUM JESUM; per quem facta peccatorum purgatione reconciliamur Deo. Non enim nisi peccatis homines separantur a Deo, quorum in hac vita non fit nostra virtute, sed divina miseratione purgatio per indulgentiam illius,

B, C, D, E

Heb. 8. 1.
[a]
1. Cor. 11. 1.

(a) Id est confirmationis sacramentum: unde & apud græcos episcopus confirmans hanc adhibet formam *Signaculum doni Spiritus-sancti*, & ordo Gelasianus *signum Christi in vitam æternam. Amen.*

non per nostram potentiam, quia & ipsa quantulacumque virtus quæ dicitur nostra, illius est nobis bonitate concessa.

Christus hominum mediator.

5. Propterea ergo nobis per mediatorem præstita est gratia, ut polluti carne peccati, carnis peccati similitudine mundaremur, per hoc scilicet quod eramus & non eramus. Eramus enim homines, sed justi non eramus. in illius autem incarnatione, natura humana erat, sed justa, non peccatrix erat. Hæc est mediatio, qua manus lapsis jacentibusque porrecta est. Hoc est semen dispositum per angelos, in quorum edictis & lux dabatur, quia & unus Deus coli jubebatur, & hic mediator venturus promittebatur. Usus sacramenti fide etiam justi antiqui mundari pie vivendo meruerunt, sicut beatus Petrus apostolus ad quosdam qui in lege justificari quærebant, manifeste testatur, dicens: *Quid tentatis Dominum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus; sed per fidem domini* JESU *credimus salvari; quemadmodum & illi.* (Act. 15. 10.) Omnis itaque hominum multitudo, propter quos a dæmonum dominatione liberandos Christus advenit, in illo habent misericordissimam purgationem & mentis & spiritus & corporis sui. Propterea quippe totum hominem sine peccato ille suscepit, ut totum quo constat homo, a peccatorum peste sanaret. Gratia quippe Dei non potuit gratius commendari, quam ut ipse unicus Dei Filius in se incommutabiliter manens, induceret hominem, & spem dilectionis suæ donaret hominibus homine medio, qua ad illum ab hominibus uniretur, qui tam longe erat, immortalis a mortalibus, incommutabilis a commutabilibus, justus ab impiis, beatus a miseris, & quia naturaliter indidit nobis ut beati immortalesque esse cupiamus, manens beatus suscipiensque mortalem, ut nobis tribueret quod amamus, perpetiendo docuit contemnere quod timemus. Hac Dei gratia qua in nos ostendit magnam misericordiam suam, & in hac vita per fidem regimur, & post hanc vitam per ipsam speciem, incommutabilis veritatis ad perfectionem plenissimam perducimur.

6. Hanc igitur gratiam purgationis & redemtionis nostræ, quam nobis Dominus & Salvator in sacramento sui corporis & sanguinis commendavit, longe antequam pateretur in populis prædicavit; sed pridie quam pateretur, id est ea nocte qua tradebatur, in cœna discipulis suis tradidit. Nam B. Johannes evangelista statim post illud de quinque panibus miraculum, quo in quinque millia hominum satiata sunt, narrat eum fugisse in montem, declinando scilicet a turbis, quæ tanti signi admiratione permotæ, cupiebant rapere & facere

A eum regem, & mox veniente nocte ambulantem super mare venisse Capharnaum, atque ibi jam die altera occurrentibus sibi turbis, & inter alia quærentibus & dicentibus: *Quid faciemus ut operemur opera Dei?* (Joh. 6. 28.) Respondisse eis: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* Cumque respondissent: *Quod ergo tu signum facis, ut videamus & credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manna manducaverunt in deserto, sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis manducare. Dixit eis* JESUS: *Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est, qui descendit de cœlo, & dat vitam mundo.* Et post paululum: *Ego sum panis vitæ. qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet umquam.* (Joh. 6. 35.) Et iterum: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam.* (Ibid. 47.) *Ego sum panis vitæ, patres vestri manducaverunt manna in deserto & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et rursus post aliqua: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis; qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus & sanguis meus vere est potus. qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo. Sicut misit me vivens Pater & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipsi vivet propter me.* (Ibid. 54.) Post hoc subjunxit evangelista: *Hæc dixit in synogoga docens in Capharnaum.* (Joh. 6. 59.) quod totum, sicut ipse evangelii secundum Johannem textus ostendit, manifeste anno integro ante passionem Domini gestum est. nam sicut idem evangelista scribit, quando illud de quinque panibus miraculum factum est, *Proximum erat pascha, dies festus Judæorum;* (Joh. 6. 4.) nec tamen in ipso, sed in pascha anni sequentis eum ad passionem venisse commemorat. Hinc est quod in illa cœna paschali, quando Dominus traditus est, nihil de ipso corporis & sanguinis ejus mysterio idem B. Johannes commemorat; quia videlicet copiosius hoc & sublimius in præcedentibus evangelii sui partibus explicaverat, & a reliquis tribus evangelistis, quod in eadem cœna in commemoratione Dominicæ passionis ad salutem fidelium fuerat traditum, diligenter noverat commendatum. Verba quippe Matthæi hæc sunt: *Cœnantibus autem eis, accepit* JESUS *panem, & benedixit, & fregit, deditque discipulis suis, & ait: accipite & comedite: hoc est corpus* (Matth. 26. 26)

meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus, novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Marcus vero sic ait: *Et manducantibus illis, accepit* JESUS *panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait sumite: Hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: Et biberunt ex illo omnes, & ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur.* Lucæ vero his verbis narratio explicatur: *Et accepto calice gratias egit, & dixit, accipite & dividite inter vos. Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. similiter & calicem, postquam cœnavit dicens: Hic calix novum testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis funditur.* Beatus etiam Paulus commemorans sacratissimæ illius cœnæ mysterium, inter alia sic dicit: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam dominus* JESUS, *in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem.* Quantum est istud & ineffabile salutis mysterium & pietatis sacramentum, tanta contestatione prædictum, tanta veritate commendatum, ut prius hoc Dominus corpus & sanguinem suum assereret, quam pro nobis suum corpus & sanguinem traderet. nemo enim potest passionis Domini corporisque ejus & sanguinis pro majestate rei sacramenta cognoscere.

Marc. 14. 22. — *Luc. 22. 17.*

Fulg. epist. 14. ad Ferrandum n. 43.

7. FULGENTIUS. Notandum quoque diligenter, quod in eadem cœna & Judaicum Dominus pascha comedit, quod oportebat auferri, [a] (a) & sacramentum corporis sui & sanguinis dedit, quod ad salutem fidelium oportebat institui. *Desiderio*, inquit, *desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Manducavit ergo pascha, quo passurus significabatur, antequam pro nobis voluntarie pateretur. Comedit pascha Judæorum, quo promissus est Christus, ut veniret ad pascha nostrum, quod immolatus est Christus.

August. epist. 54. ad Januarium.

8. AUGUSTINUS. Aperte enim dicit evangelium, quod manducantibus illis accepit JESUS panem & benedixit. Cum etiam superius dixisset: Cum sero autem factum esset, discumbebat cum XII. & manducantibus illis dixit: Unus ex vobis tradet me. post enim tradidit sacramentum, unde liquido apparet, quando primo acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos, nequaquam tamen propterea calumniandum est universæ ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur. Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani dominicum prius intraret, quam ceteri cibi. Ideo enim per universum orbem mos iste servatur. neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cœnati fratres ad illud sacramentum accipiendum convenire debebunt, aut sicut faciebant quos apostolus arguit & emendat, mensis suis ista miscere: ait enim, *convenientibus vobis in unum, jam non est dominicam cœnam manducare.* hanc ipsam acceptionem eucharistiæ dominicam cœnam vocans. *Unusquisque enim*, inquit, *suam cœnam præoccupat ad manducandum*, unde & indigne dicit acceptum ab eis, qui non discernebant a ceteris cibis veneratione singulariter debita. Continuo quippe cum dixisset *judicium sibi manducat & bibit*, subjecit, *non dijudicans corpus Domini.* namque Salvator quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat; & ideo non præcipit, quo deinceps ordine sumeretur, ut apostolis, per quos ordinare ecclesias disposuerat, servaret hunc locum.

Eucharistia a jejunis sumenda. — *1. Cor. 11. 18.* — *1. Cor. 11. 21* — *Ibid. 29.*

Cyprian. epist. 63. ad Cæcil.

9. CYPRIANUS. neque enim quia post cœnam calicem obtulit Dominus, etiam dominici diei sacrificium post cœnam celebrare debemus. Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii ostenderet occasum & vesperam mundi, sicut de paschali agno in Exodo scriptum est: *Et immolabit eum omnis multitudo filiorum Israël ad vesperam.* Et iterum in psalmis: *Allevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.*

Exod. 12. 6. — *Ps. 140. 2.*

10. AUGUSTINUS. Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus. Cum vero ait apostolus de hoc sacramento loquens: *Propter quod, fratres, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate. Si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis*, statim subtexuit, *cetera autem cum venero ordinabo.* Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in epistola totum illis agendi ordinem insinuaret, quem universa per orbem servat ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla horum diversitate variatur. Nam & ubi ad Timotheum scribens ait: *Obsecro itaque primo omnium fieri obsecrationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones*, hoc constituisse intelligitur, quod omnis & pene omnis frequentat ecclesia, ut obsecrationes accipiamus dictas quæ fiunt in celebratione sacramentorum, an-

1. Cor. 11. 33. — *1. Tim. 2. 1.* — *August. epist. 149. ad Paulinum n. 16.*

(a) Apud Fulgentium legitur *offerri*; sed sive *offerri*, sive *auferri* legas, utraque lectio bona, & certe non ea quam profert Florus noster spernenda videtur. nam in dominica cœna Judæorum pascha finem accipiebat & debebat auferri.

tequam illud quod est in Domini mensa incipiat benedici; orationes, cum benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam benedictionem fere omnis ecclesia dominica oratione concludit. Interpellationes autem, sive, ut quidam codices habent, postulationes fiunt, cum populus benedicitur. Tunc enim antistites velut advocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati. quibus peractis, & participato tanto sacramento, gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis ultimam commendavit apostolus. Hæc autem causa præcipua fuit ista dicendi, ut his breviter præscriptis atque significatis, non putaretur negligendum esse quod sequitur, *pro omnibus hominibus, pro regibus & his qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate*, ne quisquam, sicut se habet humanæ cogitationis infirmitas, æstimaret non esse ista facienda pro iis a quibus persecutionem patiebatur ecclesia, cum membra Christi ex omni essent hominum genere colligenda. Unde adjungit & dicit: *Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Domino, qui omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Et ne quisquam diceret posse esse salutis viam in bona conversatione & unius Dei omnipotentis cultu, sive participatione corporis & sanguinis Christi. *Unus enim Deus*, inquit, *unus enim mediator Dei & hominum homo* JESUS CHRISTUS, ut illud quod dixerat, *omnes homines vult salvos fieri*, nullo alio modo intelligatur præstari, nisi per mediatorem nostrum Deum. quod semper erat Verbum, sed hominem CHRISTUM JESUM cum *Verbum caro factum est & habitavit in nobis.* Ideo enim Christus mediator Dei & hominum dictus est inter Deum immortalem & mortalem hominem Deus & homo reconcilians hominem Deo, verus rex, verus sacerdos. ergo petit homo a rege Christo regatur, si forte peccaverit, eodem sacerdote Christo expletur.

Nota. 1. Tim. 2. 2. Ibid. 3. Christus unica salutis via.

11. Primo igitur [a] convenientibus in unum, & astantibus in domo Dei fidelibus, præcedente modulatione divinarum laudum, præcedente lectione apostolorum & evangeliorum, præcedente etiam nonnumquam sermone & allocutione magistrorum, subjuncta quoque symboli confessione, & oblatione populorum, & initiata consecratione sacramentorum, in quibus omnibus mens astantium ad divina & cœlestia cogitanda ac desideranda præparatur, assistit sacerdos altari, & celebraturus divina mysteria, ecclesiam salutando orat, & orando salutat dicens:

[a] Ordo in sacra liturgia observatus.

12. *Dominus vobiscum.* Qui salutationis sermo non humano arbitrio compositus, sed ex divinæ scripturæ auctoritate desumtus probatur, ubi frequenter & singulariter & pluraliter positus legitur. Singulariter, sicut ait angelus ad B. MARIAM, *Ave gratia plena, Dominus tecum*; & sicut ad Gedeon similiter salutando dixit: *Dominus tecum, virorum fortissime.* Pluraliter autem, sicut in libro Ruth, qui utique sicut ceteri sacræ scripturæ libri divina & mystica continet, legitur Booz salutando dixisse messoribus: *Dominus vobiscum.* Cui & ipsi resalutantes dixerunt: *Benedicat tibi Dominus.* Et sicut in historia libri Paralipomenon propheta missus a Deo invenitur salutasse Asa regem Juda cum exercitu suo, invocato Dei auxilio, victores de prælio revertentes. Ait enim: *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo.* Et addidit: *Si quæsieritis eum, invenietis: si autem dereliqueritis illum, derelinquet vos.* Unde patet, quia sicut NIHIL PEJUS potest esse homini quam derelinquere Deum & derelinqui a Deo: ita e contrario nihil melius est quam habere Deum & esse cum Deo. Et quia salutare nihil est aliud quam salutem optare, hæc est vera salutatio, veræ salutis optatio, id est cum ecclesia sua tamquam in templo suo, cum dicit Apostolus: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Et ecclesia habet Dominum secum inhabitantem & illuminantem, regentem & protegentem, ut ille sit ei Deus, & illa sit populus, sicut propheta promisit dicens: *Et inhabitabo & inambulabo cum illis, & ero eis Deus, & erunt ipsi populus*, ut dum tantæ beatitudinis dono ecclesia Dei & possidet Dominum & possidetur a Deo, quatenus & ipsa sit hereditas Domini, & Dominus pars hereditatis ejus, impleatur in illa quod Psalmista ait: *Beata gens, cujus Dominus Deus ejus, populus quem elegit in hereditatem sibi.* Hoc est enim summum hominis bonum possidere Deum, & possideri a Deo; ipsum solum diligere & ipsi soli servire, illi soli adhærere, ut dicat illi anima devota: *Mihi autem adhærere Deo bonum.* Et iterum: *Adhæsit anima mea post te*, ut adhærens Domino, unus cum eo spiritus fiat, dicente Apostolo: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Nam & ipse Apostolus in epistolis suis ita salutat dicens, ut aliquando dicat: *Dominus cum omnibus vobis*; aliquando: *Deus autem pacis sit cum omnibus vobis*; item aliquando: *Gratia Domini nostri* JESU CHRISTI *sit cum spiritu vestro, fratres, amen.* Et nonnumquam sub distinctione personarum, totam invocans Trinitatem, ita salutat: *Gratia Domini nostri* JESU CHRISTI *& caritas Dei, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* In quibus omnibus hoc optat fidelibus scribens, quod sacerdos ad altare assistens, scilicet, ut habentes Deum non deserantur

Luc. 1. 28. Jud. 6. 12. Ruth. 2. 4. 1. Par. 28. 9. Summum bonum possidere Deum. 1. Cor. 3. 16. 2. Cor. 6. 16. Psal. 32. 12. Psal. 72. 28. Psal. 62. 9. 1. Cor. 6. 17. Gal. 6. 18. 2. Cor. 13. 13.

[a] Hic solum incipiunt editi.

ferantur ab eo. Recte ergo ecclesia tam salubri sacerdotis voce accepta, & ipsa resalutando orat, & orando resalutat sacerdotem, dicens:

13. *Et cum spiritu tuo.* Nihil enim melius invenit ecclesia quod optaret sacerdoti, nisi quod sacerdos optat ecclesiæ, id est ut idem Dominus qui dignatur esse cum ecclesia, dignetur etiam esse cum spiritu sacerdotis, ac sic in utroque benigna illa Domini promissio impleatur, qua ascensurus in cœlum omnibus fidelibus promisit (Matt. 28. 20.) dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Hoc ergo tantum bonum sibi invicem optant & postulant, & sacerdos ecclesiæ, & ecclesia sacerdoti, ut sicut ejus gratia illuminatur, ejus præsentia confortatur, ejus protectione munitur; semper eum manere nobiscum, quemadmodum est pollicitus, sentiamus. Hoc etiam modo aliquotiens salutat Apostolus, & pluraliter, ut superius (Gal. 6. 18.) memoravimus, ubi ait: *Dominus* JESUS CHRISTUS *cum spiritu vestro, fratres, amen.* Et singulariter, ubi ad Timotheum salutans dicit: *Dominus* JESUS CHRISTUS *cum spiritu tuo, amen.* Et bene Dominus cum spiritu hominis esse optatur, quia in spiritu & mente rationali creatus est homo ad imaginem & similitudinem Dei: & ibi est capax divinæ gratiæ & illuminationis, ut in quantum ei datur possit sentire dulcedinem suavitatis, & splendorem præsentiæ ejus, ut fiat in eo illud quod Psalmista ait: (Psal. 33. 9.) *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* Et iterum: (Ibid. 6.) *accedite ad eum, & illuminamini, & vultus vestri non erubescent.* Sic namque sanctificato spiritu hominis per inhabitationem Dei, efficitur homo etiam in corpore templum. Unde ait Apostolus: (1. Cor. 6. 19.) *Corpora vestra templum est Spiritus-sancti quem habetis a Deo.* Sed & illa salutatio episcopalis ad populum, qua dicitur *Pax vobiscum*, sive *Pax vobis*, similiter non humano sensu inventa, sed de scripturæ sanctæ auctoritate sumta est. Nam & in veteri testamento invenitur dixisse angelus Daniheli prophetæ: (Dan. 10. 19.) *Noli timere, vir desideriorum, pax tibi, confortare, & esto robustus.* Et in novo, id est in evangelio, pene semper ita Dominus legitur apostolos salutasse dicendo: *Pax vobis*; & eisdem apostolis eamdem salutationis formam commendavit dicens: (Matt. 10. 12.) *In quamcumque autem domum intraveritis, salutate eam dicentes: Pax huic domui, & si ibi fuerit filius pacis, requiescet pax vestra super illum: sin autem, pax vestra ad vos revertetur.* Merito ergo & apostolorum successores, id est ecclesiarum præsules hac salutatione utuntur, domum Dei salutantes, ubi oportet omnes esse filios pacis: (Matt. 5. 9.) *Beati* enim *pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur*; ut salutatio pacis super eos

A requiescens, & salutantibus & salutatis possit esse fructuosa. Pax autem quæ, sive per angelum, sive per Dominum, sive per pastores ecclesiarum fidelibus imprecatur, non est mundana aut caduca, sed divina & æterna, quæ nos Deo conciliat, & contra tentationes diaboli atque adversitates sæculi ipsius protectione munitas, tranquilla proximis caritate conjunget. Hanc enim Dominus ecclesiæ suæ commendavit dicens: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* (Joh. 14. 27.) Et continuo subjunxit, *non quomodo hic mundus dat, ego do vobis.* De hac iterum dicit: *Hæc locutus sum vobis, ut in* (Ibid. 16. 33.) B *me pacem habeatis; in mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.* Hanc & Apostolus fidelibus implorat dicens: *Et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custo-* (Phil. 4. 7.) *diat corda vestra & intelligentias vestras in* CHRISTO JESU, quæ passionum tempore servanda est, & ubique fideliter tenenda, quanto attentius & devotius ea hora cum in domo Domini & in conspectu Dei assistitur, & vota & munera omnium sacris altaribus offeruntur? quando aliter divinam majestatem nobis propitiare non possumus, C nisi sincero caritatis affectu illud implere studeamus, quod de hac re specialiter Dominus præcipit dicens: *Si offers munus tuum* (Matt. 5. 23.) *ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*

14. GREGORIUS. Qua in re pensandum (S. Greg. homil. 8. in Ezechiel.) est, cum omnis culpa munere solvatur, quam gravis est culpa discordiæ, pro qua nec munus accipitur. Debemus itaque ad D proximum, quamvis longe positum longeque disjunctum, mente ire, eique animum subdere, humilitate illum ac benevolentia placare, ut videlicet conditor, dum tale munus nostræ mentis aspexerit, a peccato nos solvat, quia munus pro culpa sumit. Veritatis autem voce testante didicimus, quia servus qui decem millia talenta debebat, cum pœnitentiam ageret, absolutionem debiti a Domino accepit. Sed quia conservo suo centum sibi denarios debenti debitum non dimisit, & hoc est jussus exigi, E quod ei fuerat jam dimissum. Ex quibus videlicet dictis constat, quia si hoc quod in nos delinquitur ex corde non dimittimus, & illud rursus exigitur, quod nobis jam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus.

15. S. CYPRIANUS. Summopere autem (De oratione Dominica. Attentio in oratione commendatur.) necesse est, ut quando stamus ad orationem, quando tam sancta & veneranda mysteria sub oculis Dei geruntur, toto corde ad precandum invigilemus. Cogitatio omnis carnalis & sæcularis abscedat, nec quidquam animus quam id solum cogitet quod

precatur. Ideo & sacerdos ante illam sacrosanctam orationem, præfatione præmissa, parat fratrum animos dicendo: *Sursum corda*, ut dum respondet: *Habemus ad Dominum*, admoneatur nihil aliud se quam Dominum cogitare debere, claudatur contra adversarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se adire hostem Dei tempore orationis patiatur. Obrepit enim frequenter & penetrat, & subtiliter fallens preces nostras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, & aliud in voce, quando intentione sincera Deum non vocis sonus; sed animus & sensus debeat orare, quasi sit aliud quod magis cogitare debeamus, quam quod cum Deo loquimur. Quomodo a Deo audiri postulamus, cum nos ipsi non audiamus? Volumus esse Deum memorem nostri, quando memores nostri ipsi non sumus, hoc est quando oramus, majestatem Dei negligentia orationis offendere, hoc est vigilare oculis & corde dormire, cum debeat Christianus, etiam dum dormit oculis, corde vigilare, sicut scriptum est ex persona ecclesiæ loquentis in Cantico
Cant. 5. 2. canticorum: *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Quapropter sollicite & caute Apo-
Col. 4. 2. stolus admonet dicens: *Instate orationi vigilantes in ea*, docens scilicet & ostendens, eos impetrare quod postulant a Deo posse, quos ipse videt in oratione vigilare. Quid est ergo sursum habere corda, nisi ea quæ sursum sunt quærere, quæ sursum sunt sapere? quærere videlicet amando, sapere intelligendo, sicut Apostolus eodem ser-
Col. 3. 1. mone admonet dicens: *Si conresurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dexteram Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram*. Hunc ascensum cordis nostri qui fit ad Deum a convalle plorationis, id est ab humilitate contribulationis, non nostris viribus, sed auxilio Dei ostendit nobis Psalmista di-
Psal. 83. 6. cens: *Beatus vir cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum*. Ascensus enim utilis non potest esse, nisi primo humilitatis a convalle nobis ascendendum esse meminerimus. Convallis enim locus est terræ depressus. Docens ipse Dominus a convalle plorationis ascendendum, quando pro nobis humiliari usque ad mortem crucis & pati dignatus est. Hoc exemplum non relinquamus. Istam convallem plorationis martyres intellexerunt, & inde ut coronarentur ascenderunt. Amor sanctus ad superna elevat, & ad æterna inflammat. Obligata enim anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis, volare non potest; mundata vero ab affectibus & sordidissimis sæculi, tamquam extensis pennis, ex duabus alis resolutis, id est duobus præceptis dilectionis Dei & dilectionis proximi, volat ad Dominum, ascendens volando, quia ascendit amando ad illam scilicet supernam Jerusalem matrem omnium nostrûm, quæ est in cœlis. Ab illa enim peregrinamur in hac vita, ad ejus reditum suspiramus tamdiu miseri & laborantes, donec ad illam redeamus, nec cives nostri angeli dimiserunt in peregrinatione; sed annuntiaverunt nobis ipsum regem venturum ad nos. Et venit ad nos, & contemtus est inter nos a nobis, & postea nobiscum, & docuit nos contemni, quia contemtus est; docuit tolerare, quia toleravit; docuit pati, quia passus est; & promisit resurrecturos, quia resurrexit, in seipso ostendens quid sperare debeamus. Si ergo prophetæ & patres antiqui antequam Dominus Jesus Christus veniret in carne, antequam mortuus resurrexisset & ascendisset in cœlum, suspirabant tamen illi civitati, quantum nos oporteat desiderare quo nos ipse præcessit, & unde numquam recessit. Antiqui sacerdotes qui non tam curabant de cultu sermonis, quam de salute & ædificatione plebis, propter idiotas & rusticanos, non sursum, sed vulgari sermone *Sursum corda* dicere solebant, ut res tanta plenius omnium sensibus commendaretur. Monet autem adhuc sacerdos & dicit:

16. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* [a]
(*a*) Gratiarum actio Patri luminum semper a nobis debetur, a quo sine ulla dubitatione omne datum optimum, & omne donum perfectum, scriptura teste, descendit. Nemo est enim donis Dei beatus, qui donanti existit ingratus, quia & hoc quod inter sacra mysteria cor habere sursum jubemur, ipso adjuvante id valemus, quod jubente admonemur. Et ideo sequitur, ut de hoc tanto bono sursum levati cordis non nobis gloriam, quasi nostrarum virium tribuamus, sed domino Deo nostro gratias agamus. Hoc enim continuo commonemur, quia hoc dignum est, hoc justum est; recordari oportet semper hæc verba unde sint, quas actiones & quanta sanctitate commendentur, teneamus & habeamus quod accipimus, & datori gratias agamus. Quamvis enim accipere & habere nostrum sit, id tamen habemus quod accepimus, quoniam superbienti, & ex eo quod habebat, quasi a seipso haberet impie glorianti. Veritas per Apostolum dicit: *Quid enim habes quod* 1. Cor. 4. 7.
non accepisti; quod si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Merito ergo in illo verissimo & singulari sacrificio Domini, Deo nostro agere gratias admonemur, ut agnoscat homo, si quid bene vivit, Dei gratia se habere, & ut perficiatur in dilectione justitiæ non se aliunde consecuturum, quia cogitatio pium facit. Ipsa est illa sapientia

[a] Vide S. Augustini sermonem 227. ad infantes de sacramentis.

quæ pietas vocatur, qua colitur Pater luminum, a quo omne est datum optimum, & omne donum perfectum. Colitur autem sacrificio laudis actionibusque gratiarum, ut cultor ejus non in seipso, sed in illo glorietur. *Non enim spiritum hujus mundi accepimus*, ut ait idem Apostolus, *sed Spiritum qui ex Deo est*, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Quis est autem spiritus mundi hujus, nisi superbiæ spiritus, quo cor insipiens obscuratum est eorum, qui cognitum Dominum, non ut Deum, gratias agendo glorificaverunt? Consideremus ergo hæc, & de omnibus beneficiis Dei semper illi gratias referamus, interque omnia opera ejus, nihil est quod vel considerare libentius, vel laudare dulcius debeamus, quam quod Christus factus est humilis, & ad hominem, qui cadendo ad ima dejectus fuerat, sponte descendit, ut vel sese erigendum crederet qui jacebat. Denique ut levaret in cœlum spem nostram, levavit primo carnem nostram, & ut non dubitaremus secuturum quod promisit nobis, illuc jam præcessit quod accepit ex nobis.

1. Cor. 2. 12.

17. FULGENTIUS. Ideo ergo præcipue in ipso sacrificio corporis Christi a gratiarum actione incipimus, ut Christum non dandum, sed datum nobis in veritate monstremus; & in eo quod gratias agimus Deo, in oblatione corporis & sanguinis Christi cognoscamus non adhuc occidendum Christum pro nostris iniquitatibus, sed occisum; nec redimendos nos illo sanguine, sed redemtos. Vera est enim beati Petri prædicatio dicentis: *Non corruptibilibus argento vel auro redemti estis de vestra vana conversatione paternæ traditionis; sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati & incontaminati Christi*. Bene itaque admonenti sacerdoti & dicenti *Gratias agamus domino Deo nostro*, respondet ecclesia:

Fulg. epist. 14. ad Ferrand. n. 44.

1. Pet. 1. 18.

18. *Dignum & justum est*. Quid enim potest esse magis Deo dignum, aut quid ei justius a nobis rependi potest, quam & tantæ misericordiæ Dei, cui vicem referre non possumus, debitas gratias reddamus, audientes Apostolum exhortantem nos & dicentem: *Gratias agentes Deo & Patri, qui dignos nos fecit in sorte sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii caritatis suæ, in quo habemus redemtionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum?* Sic enim dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum daret, & gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. qui ergo per hanc gratiam eripimur de potestate tenebrarum, id est diaboli & angelorum ejus, & transferimur in regnum filii dilectionis Dei, ut efficiamur genus electum, regale sacerdotium, habentes in eodem filio per sanguinem ejus redemtionem, remissionem peccatorum. Quid dignius agere possumus, quam quod B. Petrus apostolus admonet dicens: *Et virtutes annunciétis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum; qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti*. Hanc ergo ecclesiæ responsionem confirmat sacerdos, & in Deum mente suspensus, cognoscente secum omni ecclesia proclamat & dicit:

Col. 1. 12.

1. Petr. 2. 9.

19. *Vere dignum & justum est, æquum & salutare*. Quod est justum, hoc est & æquum, sed repetitio sermonis, confirmatio est veritatis, nam justitia & æquitas una res est, sicut cantamus in psalterio de Domino: *Judicabit orbem terræ in justitia & populos in æquitate*. Salutare autem dicitur, quod est salubre, & quod salutem conferat. Vere ergo ut incessanter gratias agamus, dignum est tantis Dei beneficiis, justum nostris obsequiis, æquum ipso pondere rationis, salutare manifesto fructu salutis, quo & Deum laudantes, salvantur, & ingrati ipsius judicio reprobantur. Nam Deum fideliter laudantes vere salvantur, sicut in psalmo cantatur: *Laudans invocabo Dominum & ab inimicis meis salvus ero*. Ingrati autem reprobantur, sicut aperte in evangelio ipse Dominus ostendit, qui ex decem leprosis ejus virtute mundatis, unum ad se suppliciter revertentem, & magna voce gratias agentem, laudavit, & gratia fidei salvavit, dicendo: *Non est inventus qui rediret & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena*; & continuo clementer adjunxit: *Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit*. Novem autem reliquos, licet crediderint se per eum posse mundari, quando una voce clamaverunt dicentes: JESU *præceptor, miserere nostri*; tamen quia tantæ virtuti extiterunt ingrati, velut infideles, nescire se ostendit, dicendo: *Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt?* Nescire autem Dei reprobari est: unde & quibusdam dicturus est: *Amen dico vobis nescio vos*. Ex quo quantum malum sit gratiarum actionem Deo debitam negligere, evidenter ostenditur, quando eos quos credentes mundavit, etiam mundatos istius culpæ merito tamquam infideles abjecit. Gratias autem agere debemus semper & ubique, id est in omni tempore & in omni loco, ut impleatur in nobis quod cantamus in psalmo: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo*. Et iterum: *In omni loco dominationis ejus benedic anima mea Domino*.

Psal. 95. 10.

Ingrati a Deo reprobantur.

Ps. 17. 4.

Luc. 17. 18.

Matth. 25. 12.

Ps. 33. 2.

Ps. 102. 22.

20. AUGUSTINUS. Quis est ergo qui benedicit & gratias agit Domino in omni tempore, nisi humilis corde? Ipsam enim humilitatem docuit Dominus noster in corpore suo, quia cum commendat corpus & sanguinem suum, humilitatem suam commendat. Esto humilis, si vis benedicere do-

Aug. Enar. 2. in Ps. 33. n. 4.

minum in omni tempore, semper laus ejus in ore tuo, quia & Job non tantum benedixit Dominum, quando abundabant illi omnia, quibus eum legimus divitem fuisse. Ablata sunt omnia uno tempore, & implevit quod in hoc psalmo scriptum est dicens: *Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est.* Post: *Sit nomen Domini benedictum.* Ecce habet exemplum benedicentis in omni tempore. Non habebat quæ teneret, sed habebat quod laudaret. In laude Dei sui quasi in rerum copia quiescebat. Deus illi solatium fuit, ne possessionum damnis periclitaretur. Numquid enim perdidit Deum, quamvis perdiderit quod dederat Deus? Plus est enim habere eum qui dat, quam illa quæ dat. Si enim pulcra sunt quæ dat, quanto pulcrior ille qui dat? Si magna sunt, quanto major ipse largitor? Et certe quæ in hac terrena vita dederit Deus, aut dum vivimus nos deserunt, aut a nobis morte deseruntur. At vero ipse Deus æterna possessio semper præsens numquam deserit possidentem. Sint ergo casta vota fidelium, vilescat temporale bonum, & veniat æternum. Inhæreat Deo anima pia in eum oratione suspensa, & per spirituales amplexus ei connexa desideret illud quod secum ipse largitur. Quantum est quod nobis exhibebit Deus, si seipsum nobis nolit exhibere? Si ergo bona suppetunt sæculi, fit misericordiæ faciendæ materies: Si defuerint, fit patientiæ fidelis occasio. Tali enim devotione etiam in omni loco Deo gratiæ aguntur, quia qui ubique est præsens, ubique agnoscit laudatorem suum, etiam cum ore quiescente, & tacente lingua, secreto cordis affectu fidelis ei anima benedicit, cum agit in silentio quod canitur in psalmo: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus.* Quisquis ergo supplicaturus & gratias acturus Deo, locum sanctum & aptum requiris, interiora tua munda, & omni inde mala cupiditate depulsa, præpara tibi in cordis tui pace secretum, volens in templo orare. In te ora, & ita age semper, ut templum Dei sis. Ibi enim Deus exaudit, ubi habitat.

Job. 1. 21.

Ps. 102. 1.

21. *Vere dignum & justum est, æquum & salutare nos tibi semper & ubique gratias agere.* subjungit ad quem dirigat orationem dicendo: *Domine sancte pater omnipotens æterne Deus*, & per quem eamdem orationem dirigat addendo: *Per Christum Dominum nostrum.* Quod ergo dicit, *Domine*, refertur ad creaturæ subjectionem, de quo & in psalmo canitur: *quoniam omnia serviunt tibi.* Et alibi: *Dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Quid est enim *bonorum meorum*, nisi a te datorum? quomodo eget aliquo bono, a quo omne bonum datur? Ideo verus est Dominus, qui servo suo non indiget. Et quo servo indiget? Quod vero adjungit *sancte Pater*, refertur vel specialiter ad unigeniti filii generationem, in qua coæternus & coæqualis Patri, de qua etiam Propheta ait: *Generationem ejus quis enarrabit?* vel generaliter ad omnium filiorum Dei adoptionem, cujus tanta est gratia, ut cum haberet unicum, noluerit illum esse unum, sed ut fratres haberet, adoptavit illi qui cum illo possiderent vitam æternam, pro quibus ipse eisdem verbis Patri supplicans ait: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Hæc ergo vox, ut dicatur Deo *Pater sancte*, & propria est unici Filii per naturam, & communis omnium adoptione filiorum per gratiam, per quam etiam concessit ut orantes dicant: *Pater noster, qui es in cœlis*, qui vere omnipotens & æternus est Deus, omnipotens scilicet virtute, qua omnia condidit & continet & regit, veraciter scriptura dicit, *quia tibi impossibile nihil est.*

Ps. 15. 2.

Augustin.

Isa. 53. 8.

Augustin.

Joh. 17. 11.

Matt. 6. 9.

22. Augustinus. Qui tamen si compos est, ut numquam suæ rationis instituta convellat. Ipsius est etiam vera æternitas, cui quod est esse perpetuum est. qui initio carens, sicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem. Tota autem oratio & & gratiarum actio, quam semper & ubique debemus, dirigitur & offertur Deo Patri per Christum dominum nostrum, tamquam per mediatorem & conciliatorem Dei & hominum, de quo apostolus ait: *Unus enim Deus unus & mediator Dei & hominum homo* Jesus Christus, *qui dedit semetipsum redemtionem pro omnibus*, qui cum in natura Deitatis sit unum cum Patre, suscipiendo naturam nostram, factus est nobis mediator ad Patrem. Ideo enim mediator Dei & hominum, quia Deus cum Patre, quia homo cum hominibus, non mediator homo præter Deitatem, non mediator Deus præter humanitatem. Divinitas sine humanitate non est mediatrix, humanitas sine divinitate non est mediatrix. Sed inter solam divinitatem & humanitatem solam, mediatrix est humana divinitas, & divina humanitas Christi, qui etiam semetipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus, secundum formam servi. Hanc enim obtulit, in hac oblatus est, quia secundum hanc mediator est. In hac sacerdos, in hac sacrificium. Per ipsum ergo & petitiones & laudes suas offert ecclesia Deo Patri, sciens per eum solum se posse accipere quod postulat, per eum solum placere posse quod laudat, sicut in evangelio promittit dicens: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Hæc est enim mediationis gratia per quam exauditur ecclesia, secundum quam & Apostolus exhortatur

1. Tim. 2. 5.

Christus mediator hominum ad Patrem.

Joh. 16. 23.

Heb. 13. 15. tatur dicens : *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo*, id est fructum labiorum confitentium nomini ejus. Idem namque mediator Dei & hominum Deus super nos homo propter nos per humanitatem interpellat pro nobis apud Patrem, per divinitatem exaudit & præstat cum Joh. 14. 12. Patre, sicut ipse testatur dicens: *Quia ego ad Patrem vado, & quodcumque petieritis in nomine meo hoc faciam, ut clarificetur Pater in Filio.* De qua mediatione & advoca- 1. Joh. 2. 1. tione etiam B. Johannes apostolus ait: *Advocatum habemus apud Patrem* JESUM CHRISTUM *justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, quia qui per humanitatem interpellat pro nobis apud Patrem, idem per divinitatem propitiatur nobis cum Patre. Orat itaque sacerdos pro ecclesia, orat ecclesia pro sacerdote, sicut orat Apostolus pro plebe, orat plebs pro Colos. 4. 3. Apostolo, qui dicit: *Orantes simul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium verbi.* Et pro Petro orat ecclesia cum esset in vinculis, quomodo & Petrus pro ecclesia, quia omnia pro invicem membra orant. Caput pro omnibus interpellat, de quo scriptum Rom. 8. 34. est : *Qui & est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*

Lib. 22. Moral. n. 42. 23. GREGORIUS. Unigenito enim Filio pro homine interpellare est apud coæternum Patrem seipsum hominem demonstrare, eique pro humana natura rogasse, est eamdem naturam in divinitatis suæ celsitudine suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus non voce, sed miseratione, quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo servavit : qui quoniam hoc quod moriendo in sepulcro posuit, resurgendo super angelos elevavit; recte sacerdos adjungit & dicit:

24. *Per quem majestatem tuam laudant angeli.* Hæc est enim ineffabilis gloria Salvatoris & mediatoris nostri, qui, ut Apo- Heb. 1. 3. stolus ait, *purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit.* Cujus nominis alti- Phil. 2. 9. tudinem alibi exponens dicit: *Propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine* JESU *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum*, quatenus per eumdem mediatorem laudet, adoret & contremiscat majestatem Dei Patris non solum ecclesia hominum in terris; sed etiam ecclesia angelorum in cœlis.

Vide S. Aug. serm. 340. n. 11. 25. AUGUSTINUS. Sic enim ecclesia tota & una accipienda est, non solum ex ea parte qua peregrinatur in terris a solis ortu usque ad occasum laudans nomen Domini, & post captivitatem vetustatis cantans canticum novum; verum etiam ex illa quæ in cœlis semper ex quo condita est, cohæsit

A Deo, nec ullum malum sui casus experta est. Hæc in sanctis angelis beata persistit, & suæ parti peregrinanti sicut oportet opitulatur, quia utraque una erit consortio æternitatis, & nunc vera est vinculo caritatis. Hæc ergo quæ peregrinatur in terris, sanguine mediatoris nullum habentis peccatum, ab omni est peccato redemta, ... ejus non est. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. 31. *qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Non enim pro angelis mortuus est Christus; sed ideo etiam pro angelis fit ipsa redemtio hominum; B quoniam cum ipso redimus in gratiam post inimicitias quas inter homines & sanctos angelos peccata fecerunt, & ex ipsa hominum redemtione, ruinæ illius angelicæ damna reparantur. Propter hoc ait Apostolus, *instaurari omnia in Christo, quæ in cœlis sunt* Eph. 1. 10. *& quæ in terris.* In ipso instaurantur, quippe quæ in cœlis sunt, cum id quod inde in angelis lapsum est, hominibus redditur. Instaurantur autem quæ in terris sunt, cum ipsi homines qui prædestinati sunt in æternam vitam, a corruptionis vetustate reno- C vantur, ac sic per illud singulare sacrificium, in quo mediator est immolatus, pacificantur cœlestia cum terrestribus, & terrestria cum cœlestibus, quoniam sicut Apostolus dicit, *in ipso complacuit omnem ple-* Col. 1. 19. *nitudinem habitare, & per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in terris sunt, sive quæ in cœlis.* De ipso namque & alibi idem Apostolus ait: *Et ipse est caput corporis ecclesiæ.* Col. 1. 18. Et iterum: *Et estis in illo repleti, qui est ca-* Ibid. 2. 10. *put omnis principatus & potestatis.* Omnes D ergo qui ab initio sæculi fuerunt justi, caput Christum habent. Illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse jam credimus, & in ejus fide & ipsi sanati sunt, in cujus & nos, ut esset ipse totius caput civitatis Jerusalem omnibus connumeratis fidelibus ab initio usque in finem, adjunctis etiam legionibus & exercitibus angelorum, ut fiat una civitas sub uno rege, & una quædam provincia sub uno imperatore, felix in perpetua pace ac salute, laudans Dominum sine fine beato fine. Istorum vero trium ordinum spirituum, id est E angelorum, dominationum, potestatum, qui divinam majestatem laudare, adorare, & tremere dicuntur, talis est differentia.

26. GREGORIUS. Quod angeli, qui la- Hom. 34. in evang. n. 8. & seq. tine nuncii interpretantur, ex ipso nomine officium suum nobis indicant, quia videlicet a Deo missi, voluntatem ejus hominibus nuntiant, sicut legimus in veteri testamento missos angelos ad Abraham, ad Loth, ad Jacob, ad Moïsen, ad Josue, ad Daniel & Tobiam, & in novo frequenter, unde & per Psalmistam dicitur: *Benedicite* Ps. 102. 20. *Domino angeli ejus, potentes virtute, facien-*

tes verbum illius, ad audiendum vocem sermonis ejus. Et iterum: *Qui facit angelos suos spiritus*, ac si aperte dicat, qui eos quos semper habet spiritus, etiam cum voluerit angelos, id est nuncios facit. Dominationes autem vocantur & angelorum agmina, quæ mira potentia præeminent, eo quod eis cetera ad obediendum subjecta sint. Potestates etiam vocantur hi qui hoc potentius ceteris in suo ordine perceperunt, ut eorum ditioni virtutes adversæ subjectæ sint, quorum potestate refrenantur, ne corda hominum tantum tentare prævaleant, quantum volunt. Hi ergo tam beati & sublimes in cœlestibus spiritus per Christum Dominum nostrum majestatem Dei laudant, sicut ad eos gratulando dicitur in psalmo: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes angeli ejus, laudate eum virtutes ejus.* De quibus & Deus in libro Job loquitur dicens: *Quando facta sunt sidera, laudaverunt me omnes angeli mei voce magna.* Adorant quoque eamdem divinam majestatem, sicut in hymno confessionis Esræ ad ipsum Deum dicitur: *Tu ipse, domine Deus, qui fecisti cœlum, cœlum cœli & universa quæ in eo sunt, & tu vivificas omnia hæc, & exercitus cœli te adorant.* Tremunt etiam sicut per figuram de eis in libro Job dicitur: *Columnæ cœli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus.*

Psal. 103. 4. — Ps. 148. 1. — Job. 38. 7. — 2. Esd. 9. 6. — Job. 26. 10. — Lib. 17. Mor. n. 44.

27. GREGORIUS. Quia ipse quoque virtutes cœlestium quæ Deum sine cessatione conspiciunt, in ipsa sua contemplatione contremiscunt. Sed isdem timor ne eis pœnalis sit, non timoris est, sed admirationis. Cum igitur in cœlestibus tanta sit devotio laudantium, veneratio adorantium, tremor admirantium, consideret hæc homo, cui dictum est, *Quid superbit terra?* & audiat Apostolum monentem: *Cum metu & timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini.* Sequitur sacerdos in Dei laudibus, & dicit:

Phil. 2. 12.

28. *Cœli cœlorumque virtutes ac beata Seraphim socia exultatione concelebrant.* Subauditur hoc quod jam supradictum est, *majestatem tuam.* Hanc namque non solum, ut præmissum est, angeli, dominationes, & potestates laudant, adorant, tremunt; sed etiam cœli, & cœlorum virtutes, & Seraphim concelebrant, id est in commune celebrant, concordi devotione & communi gaudio laudant. Nam celebritas est conventus populi in laude, & celebrata dicimus in celebri, id est in frequentissimo conventu acta. Celebrat itaque & concelebrat majestatem Dei beatus ille populus angelorum, de cujus inenarrabili multitudine scriptum est: *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*, quia adest illis semper vultus præsens Dei, dicente Domino in evangelio: *Angeli eorum* A *in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.* Qui dum sine defectu conspicitur & amatur, amatur & laudatur, electorum civium mera lætitia agitur, vicissim de se omnes in suo conventu gratulantur. Ipsa est enim domus Dei æterna, de qua in psalmis canitur: *Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Et iterum: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Ideo hic bene dicitur, quia majestatem Dei socia, id est juncta exultatione concelebrant, quoniam, ut jam dictum est, sine intermissione laudantes vicissim de illo, & de se in illo lætantur, sicut B de ipsis Seraphim manifeste in Isaia legitur, *quia volabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.*

Dan. 7. 10. — Matth. 18. 10 — Psal. 83. 5. — Psal. 86. 7. — Isa. 6. 3.

29. AUGUSTINUS. Merito enim laudant cui ministrant, & assistunt, & dant gloriam in excelsis Deo, quia illi debent quod sunt, illi debent quod vivunt, illi debent quod juste vivunt, illi debent quod beate vivunt, ne putemus hominem solum pertinere ad gratiam Dei. Quid erat angelus antequam fieret? quid est angelus si deserat qui creavit? Hunc ergo omnium creatorem laudant & concelebrant cœli, sicut eum lau- C dant sol & luna, omnes stellæ & lumen. Unde in psalmo dicitur. *Laudate eum sol & luna; laudate eum omnes stellæ & lumen. Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ omnes quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini.*

Psal. 148. 3.

30. AUGUSTINUS. In hymno quoque trium puerorum ad laudem Dei elementa omnia provocantur, non quod elementa muta habeant sensum laudandi; sed quia cuncta bene cogitata laudem pariant, & impletur cor consideratione creaturæ ad eructandum hymnum creatori. Et quia lon- D gum fuit in ista gratiarum actione totos angelorum ordines, qui in scripturis novem inveniuntur, sigillatim ponere; post cœlos ponuntur Virtutes, quo nomine omnes cœlestes spiritus nonnumquam generaliter appellari solent, ut est illud in psalmo: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris omnis Virtus eorum.* Et iterum: *Dominus Virtutum ipse est rex gloriæ.* Tamen proprie in ordinibus angelorum Virtutes illi spiritus vocantur, per quos signa & miracula frequentius fiunt. Ad ultimum ponuntur Seraphim, qui est summus ordo an- E gelicorum spirituum; & vere beata, quæ ex singulari propinquitate conditoris sui incomparabili ardent amore. Unde & Seraphim ardentes vel incendentes interpretantur: quia quo subtilius claritatem divinitatis aspiciunt, eo validius in ejus amore flammescunt.

Psal. 32. 6. — Psal. 23. 10.

31. VIGIL. Sciendum quoque quod Cherubim & Seraphim per M litteram prolata, juxta proprietatem linguæ hebrææ, masculini sunt generis & pluralis numeri tantum.

A Si autem per N litteram dicantur, sicut in psalmis & hymnis, & in præsenti gratiarum actione ponitur, græca declinatione in neutrale genus mutantur, velut cum dicimus lucida sidera, speciosa nemora, jocunda littora: sic & beata Seraphin neutrali genere & plurali numero accipimus. Illud autem attentissime cognoscendum, quod ante ita sancti angeli & ceteræ cœlorum Virtutes majestatem Dei Patris laudare, tremere, & communi exultatione concelebrare dicuntur per Christum Dominum nostrum, tamquam hæc venerationis & glorificationis obsequia soli Deo Patri deferant, non etiam Filio & Spiritui-sancto. B Certissima enim fide tenere & scire debemus, quia totius sanctæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus-sancti, sicut una est divinitas & individua majestas, ita ei in omnibus æqualis honor & individua glorificatio debetur; nec ullo modo aut Pater sine Filio, aut Filius sine Patre & Spiritu-sancto aut laudari, aut adorari, aut ullo divini cultus obsequio honorari potest.

32. Vigilius. Nulla enim est in Trinitate distantia; sed sive quis Patrem adoret, C ibi est Filius & Spiritus-sanctus. Sive Filio & Spiritu-sancto supplicet, ibidem sine dubio & Pater invenitur, quia dum Patrem aut Filium invocas, totam Deitatis unitatem, totam amplecteris Trinitatem. Si enim vere & fideliter creditur, quia Pater in Filio & Filius in Patre est, sicut Isaias ad eum-
Is. 45. 14. dem Filium loquitur dicens: *In te est Deus, & non est Deus præter te.* Et in evangelio:
Johan. 10. 38. *Ego*, inquit, *in Patre & Pater in me est*, nulli dubium, quod similiter ut Patri etiam Filio, qui in eodem Patre consubstantialiter manet, a nobis sacrificium immoletur. Cum enim ita in se invicem, ut separari nequeant D manent, quod uni exhibueris, utrisque ex-
Joh. 14. 9. hibitum crede. Denique Filius ait: *qui me vidit vidit & Patrem. Ego & Pater unum sumus*, sic visio Filii Patris est contemplatio, Patris honorificentia sive gloria, dicente eodem Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.

33. Augustinus. Quid si inveniuntur qui Patrem honorificant, & non honorificant Filium? Non potest, inquit, fieri. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit il- E lum, sed ne forte Patrem quidem honorifices tamquam majorem, Filium vero tamquam minorem, corrigit te ipse Filius & revocat te dicens, ut omnes honorificent Filium non inferius, sed sicut honorificant Patrem. Quidquid ergo mandatis cœlestibus obsequendo divinitati exhibemus, sive in sacrificiorum ritu, sive in supplicatione precum, sive in alio quolibet munificentiæ genere & Patri & Filio æqualiter debetur. ac si nullum venerationis honorem privatim possidet Pater, qui non ad Filii & Spiritus-sancti pertineat dignitatem. Nam si sacramentum regenerationis baptisma ad eos æqualiter pertinet, dum in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti beata illa secundæ nativitatis gratia celebratur; nulli dubium quod & mysteriorum sacrificia communi dignitatis honore Pater & Filius & Spiritus-sanctus possidet, quia inseparabili Deitatis unitate Trinitas ipsa connexa est. Ut autem ad solum Patrem oratio dirigatur, id apostoli sancti, sancto per eos ordinante spiritu, sanxerunt, ut qui multorum Deorum errores unius Dei prædicatione nitebantur evellere, sub Trinitatis sacramento uni personæ in sacrificiorum ritu supplicandum esse decernerent, ne qui unum Deum, ob falsorum deorum exstirpandos errores, prædicabant, in pluralem divinitatis numerum incidisse arguerentur ab his qui ineffabile Patris & Spiritus-sancti mysterium ignorabant. Rectissime ergo constitutum est, ut quia Pater & Filius & Spiritus-sanctus unius Deitatis, unius naturæ, unius æqualitatis, unius denique potestatis existunt, unâ ex eis personâ propter unitatis mysterium retinendum in sacrificio invocarentur. Nec alia debuit, nisi quæ prima est, in qua ceteræ duæ naturaliter manentes existunt. Quod vero per Filium invocamus, cum ad eum dicimus: *Per Jesum Christum Filium tuum*, hic, ut supra jam dictum est, ex ea parte percipitur, qua pro nobis sacerdotis officio functus est. Tunc cum Deo Patri immaculatam suæ carnis hostiam in ara crucis obtulit, unde vas electionis, *Considerate*, inquit, *apostolum & pontificem con-* Heb. 3. 1.
fessionis nostræ Jesum, *qui fidelis est ei qui fecit eum.* Factus ergo sacerdos pro nobis interpellet necesse est; sed ea, ut diximus, parte qua hominis gerit naturam. Unde & apostolus non divinitati, sed humanitati ejus hoc intercessionis ejus mysterium coaptavit dicens: *Unus enim mediator Dei &* 1. Tim. 2. 5.
hominum homo Jesus Christus. Quod autem oratio & adoratio sicut Patri ita etiam & Filio deferatur, ostendit Isaïas dicens. *Ipsum gentes deprecabuntur, & erit no-* Isa. 11. 10.
men ejus gloriosum. Et iterum ubi inducit Deum Patrem loquentem ad Filium, *labor* Isa. 45. 14.
Ægyptiæ, negotiatio Æthiopiæ & Sabaim, viri sublimes, ad te transibunt, & tui erunt. post te alligabunt vinculis alligati, & te adorabunt, teque deprecabuntur, quoniam in te est Deus, & non est præter te. Item in Johel: *Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus* Joh. 2. 32.
erit: quod de Filio dictum apostolus edocet tunc, cum Judæorum incredulitatem exprobans ait: *Omnis qui invocaverit no-* Rom. 10. 13.
men Domini salvus erit. Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt? David etiam supremarum sedium confessorem Filium deprecans ait: *Qui sedes super cherubim ap-* Ps. 79. 3.

pare coram Ephraim, Benjamin, & Manasse. Excita potentiam tuam & veni & salvos facias nos. Audi etiam Spiritum-sanctum quemadmodum laudis sacrificium & Filio, & Patri, & sibi præcipit immolari, ubi vere individua Trinitas cum personarum distinctione evidentius demonstratur. Dicit ergo
Ps. 49. 14. idem Spiritus-sanctus in psalmo: *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua, & invoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & honorificabis me.* Ecce Spiritus-sanctus, & Deo Filio sacrificium laudis & Patri Altissimo vota ac sibi invocationis & glorificationis hostiam a veritatis cultoribus suadet exhiberi.

34. AUGUSTINUS. De illo quippe dicit
1. Cor. 6. 15. Apostolus: *Nescitis quia corpora vestra templum in vobis est Spiritus-sancti, quem habetis a Deo & non estis vestri: quia emti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.* Quemnam Deum nisi Spiritum-sanctum, cujus corpora nostra esse dixerat templum?

35. VIGILIUS. Debetur ergo gloria Spiritui sancto. Quod vero Virtutes angelicæ cum Patre simul etiam Filium laudent atque glorificent, ostenditur nobis in Deuteronomio, ubi ita ad Filii venerationem cœlestis invitatur exercitus. *Lætamini cœli simul cum eo, & adorent eum omnes angeli Dei. Lætamini gentes cum populo ejus, & glorificent eum omnes filii Dei.* In Apocalypsi quoque B. Johannes postquam vidit quatuor animalia & viginti quatuor seniores coram Agno, qui librum signatum aperuit,
Apoc. 5. 9. cecidisse dicentes: *Dignus es accipere librum & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo,* subjunxit voces militiæ cœlestis redemtioni no-
Ibid. 11. stræ congratulantes, & ait: Et *vidi & audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, & erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna, dignus est Agnus qui occisus es accipere virtutem & divinitatem & sapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem.* Post hæc, inquit, *vi-*
Apoc. 7. 9. *di, & ecce multitudo magna, quam dinumerare nemo poterat ex omni gente & tribu & populo & lingua stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes, salus Deo nostro sedenti super thronum, & Agno.* Ecce laudis sacrificium indiscrete Patri & Filio sanctorum immolat chorus, quorum voces multitudo angelorum adorando, & *amen* respondendo, confirmat, sicut statim in eodem libro sequi-
Ibid. 11. tur: *Et omnes angeli stabant in circuitu throni, & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adoraverunt Deum dicentes amen.* Sanctum quoque Spiritum in eadem gloriæ sublimitate beatus Petrus prædicat dicens: *Spiritui sancto misso de cœlis, in quem deside-*

A *rant angeli prospicere.* Sequitur sacerdos & dicit.

36. *Cum quibus & nostras voces, ut admitti jubeas deprecamur* GREGORIUS. Voces angelorum sunt in laude conditoris ipsa admiratio intimæ contemplationis, quales ergo oportet esse voces nostras, quas in conspectu Dei cum angelicis laudibus deprecamur admitti, id est intromitti, ut possimus dicere: *Intret in conspectu tuo.* Et iterum; *ut veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.* Utique tales voces & talis clamor non est in sono oris, sed in desiderio cordis. Voces enim apud secretissimas

Angelorum voces quid. lib. 2. mor n. 10.

B aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Æternam etenim vitam si ore petimus, nec tamen desideramus, clamantes tacuimus. Si vero desideramus ex corde, etiam cum ore conticescimus, tacentes clamamus. Sic Moyses ab strepitu verborum tacebat, & tamen silens aure divinæ pietatis audiebatur, cui dicitur: *Quid* Exod. 14. 15.
clamas ad me? Intus est ergo in desiderio clamor secretus, qui ad humanas aures non pervenit, & tamen auditum condito-

C ris replet; & quia superna illa civitas ex angelis & hominibus constat, ad quam tantum credimus hominum genus ascendere, quantos illic contigit electos angelos remansisse, sicut scriptum est: *Statuit terminos gentium juxta numerum angelorum Dei,* merito sancta ecclesia, quæ illis socianda est in cœlo, & cum illis in Dei laudibus permansura, jam nunc ipsis vocibus Deum laudat in terris, quibuscum sancti angeli laudant in cœlis, & hoc non superba præsumtione, sed supplici confessione, & sic desiderans majestatem Dei credere & confiteri in mundo sicut ab angelis videtur, &

D laudatur in cœlo. Hæc enim confessio non est peccati, de qua nobis præcipitur: *Confi-* Jac. 5. 16.
temini alterutrum peccata vestra. Et psalmi-
sta ait: *Dixi confitebor adversum me injusti-* Ps. 31. 5.
tiam meam; sed laudis & gratiarum actionis, qualis intelligitur in psalmo ubi cani-
mus: *Confiteantur Domino misericordiæ ejus,* Ps. 106. 8.
& mirabilia ejus filiis hominum. Et qualem dominus JESUS, qui nullum omnino habebat peccatum, in evangelio Deo Patri
offert dicens: *Confiteor, tibi Pater, Domine* Matt. 11. 25.
cœli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & revelasti ea parvulis. Una igitur con-

E fessione, id est laude & gratiarum actione jam nunc cum angelis sociantur, laudantes de cœlestibus & terrestribus tamquam qui fecit cœlum & terram dicentes.

37. *Sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus sabaoth, pleni sunt cœli & terra.* Istæ sunt voces angelorum laudantium in cœlis hunc hymnum gloriæ Dei. & Isaïas propheta se audisse testatur, quando gloriam Dei vidit, & seraphim istis vocibus eum conlaudantia audivit. Et B. Johannes in Apocalypsi

A Apocalypsi sub figura quatuor animalium introducit. Legitur namque in Isaïa de seraphim laudantibus ita: (Isa. 6. 3.) *Et clamabant alter ad alterum & dicebant sanctus, sanctus, sanctus, dominus Deus sabaoth, plena est omnis terra gloria ejus.* In Apoclypsi vero de quatuor animalibus sic legitur: (Apoc. 4. 8.) *Et requiem non habebant, die ac nocte dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus dominus Deus omnipotens, qui est, & qui erat, & qui venturus est.* Manifestum est ergo quod in his verbis divinæ laudis, quæ ad imitationem supernarum virtutum juxta Isaïam decantat ecclesia, unus sermo de Apocalypsi additus sit: B nam in Isaïa tantum *Dominus sabaoth* legitur; in Apocalypsi vero *dominus Deus omnipotens*, & ideo non humano arbitrio, sed utriusque scripturæ auctoritate conjuncta dicimus: *Dominus Deus sabaoth.* Item in Isaïa legitur: *Plena est omnis terra gloria ejus*, tamquam hoc angeli non ad ipsum Deum, sed de ipso ad invicem dicant, nos autem conversa ad eum voce dicimus: *Pleni sunt cœli & terra gloria tua*: quod non humano sensu præsumtum, sed de alia scriptura assumtum & additum est, loquente ipso Deo in Jeremia propheta & dicente: *Cœlum & terram ego impleo.* Quidquid autem in Dei laudibus scriptura dicit, recte C & ad ipsum dicitur gratulando, & de ipso ad alios exhortando vel instruendo.

38. HIERONYMUS. Sabaoth autem est de decem nominibus Dei apud Hebræos, & latine interpretatur exercituum, sive virtutum, sicut frequenter in prophetis positum est: *Hæc dicit Dominus exercituum.* Et in psalmo: (Ps. 23. 10.) *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Qui ideo Dominus exercituum & Dominus virtutum vere dicitur, quia omnis militia cœlestis exercitus, omnes supernæ virtutes atque angelicæ potestates ejus imperio subjacent, ejus serviunt D voluntati.

39. GREGORIUS. (Lib. 17. mor. n. 19.) Angelicos enim spiritus recte militiam dicimus, quia decertare eos contra potestates aërias non ignoramus: quæ tamen certamina non labore, sed imperio peragunt, quia quod agendum (a) [a] contra immundos spiritus appetunt, ex adjutorio cuncta regentis possunt. De hac namque militia nascente rege nostro scriptum est: (Luc. 2. 13.) *Subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis.*

E 40. AMBROSIUS. Quid sibi ergo vult in hoc hymno angelico sub uno nomine sanctitatis trina repetitio? si trina repetitio, cur una laudatio? Si una laudatio, cur trina repetitio, nisi quia Pater & Filius & Spiritus-sanctus sanctitate unum sunt? non dixit semel, ne Filium sequestraret; non bis, ne Spiritum sanctum præteriret; non quater, ne creaturam conjungeret, & ut ostenderet unam esse Deitatem, cum tertio dixisset, *sanctus, sanctus, sanctus*, addidit singulariter *Dominus sabaoth.* Sanctus igitur Pater, sanctus Filius, sanctus & Dei Spiritus, tota videlicet Trinitas adoratur & laudatur ab angelis. Hanc seraphim glorificant & omnes potestates virtutesque cœlestes. Adjungunt autem huic hymno angelorum sumta ex evangelio verba turbarum laudantium Deum & regem nostrum venientem Hierosolymam, atque dicentium.

41. *Hosanna in excelsis, benedictus qui venit in nomine Domini hosanna in excelsis.* Ita enim ex scriptura prophetica & evangelica completur plena laudatio, cum post laudem & gloriam sanctæ Trinitatis adjungitur etiam gratiarum actio de adventu Salvatoris, qui unus in ipsa & ex ipsa Trinitate pro salute nostra homo factus in mundum venit, & eamdem salutem moriendo & resurgendo perfecit. *Mortuus est enim propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* (Rom. 4. 25.) Unde rite illi gratias agentes, dicimus *Hosanna* id est salus in excelsis.

42. VIGILIUS. Hoc est enim quod in psalmo canitur: *Domini est salus & super populum tuum benedictio tua.* (Ps. 3. 9.) hoc quod in magnæ devotione laudis in Apocalypsi sanctorum chorus resonat. *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno.* (Apoc. 7. 10.) Recte quoque subjungimus: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, juxta quod in evangelio Judæis non credentibus dixit: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me*, (Joh. 5. 43.) assumunt autem versiculum laudis turbæ de psalmo centesimo decimo septimo, quem de Domino cantatum esse manifestum est: quod cum turbæ dicunt hosanna, hoc est quod ibi dicitur: *O Domine salvum me fac, o Domine bene prosperare*, (Ps. 117. 25.) & statim subjungitur: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Quod vero in ejusdem laudis prosecutione subjungitur *Hosanna*, id est salus sive salvifica in excelsis, aperte docet adventum Domini in carne, non solum humani generis in terra, sed & angelorum in cœlis esse salutem: quia dum nos tendenti ad superna perducimur, eorum profecto numerus, qui satana cedente erat minoratus, impletur. Hinc etenim Paulus ait: *Instaurari omnia in Christo, quæ in cœlis & quæ in terra sunt in ipso.* (Ephes. 1. 10.) Recte igitur *Osanna in altissimis* in ejus laude canitur, cujus tota incarnationis dispensatio pro implenda gloria patriæ cœlestis apparuit. Post has laudes & gratiarum actiones, pro tanta gratia redemtionis nostræ, quæ in illo divino mysterio agitur & commendatur, facto totius ecclesiæ silentio, in quo cessante omni strepitu verborum, sola ad Deum dirigatur intentio, & devotio cordium, sociatis sibi om-

(a) Apud Gregorius legitur *agendo*.

nium votis & desideriis, incipit sacerdos orationem fundere, qua ipsum mysterium Dominici corporis & sanguinis consecratur. Sic enim oportet, ut in illa hora tam sacræ & divinæ actionis, tota per Dei gratiam a terrenis cogitationibus mente separata & ecclesia cum sacerdote & sacerdos cum ecclesia spiritali desiderio intret in sanctuarium Dei supernum & æternum. Et quoniam *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare.* (Johan. 4. 24.) Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum, sic eumdem Deum Patrem deprecetur, & dicat.

43. *Te igitur, clementissime Pater*, usque, *hæc sacrosancta sacrificia illibata.* Dirigitur ergo oratio sicut & reliquæ orationes juxta regulam fidei, & morem ecclesiæ ad clementissimum Patrem, cujus erga nos peccatores & indignos tanta extitit clementia & misericordia, quantam Apostolus commendat dicens: *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* (Rom. 8. 32.) Et iterum. *Deus autem qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, per hanc gratiam spiritum adoptionis accepimus,* (Eph. 2. 4.) quam commendat Apostolus dicens: *Sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus abba Pater.* (Rom. 8. 15.) Et ideo in hoc spiritu adoptionis, qui postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, quia eos quos replere dignatur, inenarrabili desiderio gementes & postulantes facit, clamat sacerdos cum ecclesia non voce, sed corde dicens: *Te igitur clementissime Pater supplices rogamus & petimus.* quæ supplicatio & inclinatio cordis ad Deum tantæ reverentiæ & humilitatis esse debet, ut imitari queat illud quod de sua supplicatione apostolus dicit: *Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur.* (Eph. 3. 14.) In qua flexione genuum non corporis prostratio, sed supplex affectus, & cordis contritio intelligitur. De qua psalmista ait: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* (Ps. 50. 19.) Secundum hoc ergo dicitur: *Supplices rogamus ac petimus*, & hoc per JESUM CHRISTUM filium tuum Dominum nostrum, per quem omnis supplicatio & petitio nostra ad Deum dirigi debet, tamquam per verum mediatorem & æternum sacerdotem, qui sedet ad dexteram Patris, & interpellat pro nobis. Pro qua autem re dicit sacerdos ad Deum Patrem *rogamus & petimus*, nisi pro eo quod sequitur, videlicet ut ea quæ ipsi offeruntur dona munera sancta sacrificia accepta id est beneplacita habeat & benedicat? Sacerdotum est enim offerre & majestatem Dei invocare; Dei est autem dignanter suscipere, & ea quæ offeruntur benedicere, sicut in lege præcipit sacerdotibus dicens: *Sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis*, (Num. 6. 23.) & post verba benedictionis subjungit: *Invocabunt nomen meum super filios Israël & ego benedicam eis.* (Ibid. 27.) Quid apertius? Illi invocabunt & ego benedicam, & tamen supra eis dixerat, sic benedicetis, sed illi exorando, ille largiendo. ita ergo & in oblatione divini sacrificii sacerdotes exhibent offerendi & supplicandi ministerium; sed Deus largitur benedictionis donum per unum & verum sacerdotem, per quem & oblata sanctificat, & sanctificata acceptat, dicunt itaque.

44. *Uti accepta habeas & benedicas*, ac si suppliciter dicant: Petimus ut hæc Spiritu tuo sanctifices atque ore tuo benedicas, ut quod nostræ humilitatis geritur ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Quod autem subjungitur: *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata*, non aliud atque aliud dicitur; sed res una pro sui magnitudine diversa appellatione laudatur, & laudando commendatur. Quæ enim divinis offeruntur altaribus & *munera* appellantur, sicut Dominus in evangelio dicit: *Si offers munus tuum ad altare*, (Matth. 5. 23.) & *dona* vel *sacrificia* dicuntur, sicut ostendit apostolus dicens: *Omnis namque sacerdos ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*, (Heb. 5. 1.) sed, ut dictum est, ipsa sermonum repetitio tanti sacramenti est commendatio, & piæ devotionis excitatio, quia hæc sunt vere *sancta* & *illibata*, id est inviolata & incontaminata sacrificia, quæ nulla digne possunt verba laudare, quæ in mysterio Dominici corporis offeruntur, in cujus figuram hostiæ illæ veteris legis immaculatæ ac sine ullo vitio jubebantur offerri, qualis solus inventus est Christus sine ullo omnino peccato. Sequitur sacerdos & dicit.

45. *In primis quæ tibi offerimus* usque *famulo tuo papa nostro* AUGUSTINUS. Sic omnino dignum fuit, ut inciperet sancta oblatio, videlicet pro ecclesia Dei sancta catholica toto terrarum orbe diffusa. Ipsa est enim universitas sanguine Domini redemta. Ipsa est hæreditas a Patre ei promissa & data, sicut ipse Pater loquitur in psalmo: *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* (Psal. 2. 8.) Hæc unitas corporis Christi templum Dei est, cui apostolus dicit: *Templum enim Dei sanctum est quod estis vos*, (1. Cor. 3. 17.) omnes qui credunt in Christum, & sic credunt ut diligant. (August. in psal. 130.) Hoc est enim credere in Christum diligere Christum. Tamquam lapides sunt vivi, de quibus templum Domini ædificatur. Hoc autem templum est ubi rogatur Deus & exau-

dit. Quisquis enim præter templum oraverit Deum, non exauditur ad illam pacem supernam, non exauditur ad vitam æternam, quæ non conceditur nisi ei qui in templo Dei orat. Qui orat in pace ecclesiæ, in unitate corporis Christi, quod corpus Christi constat ex multis credentibus in toto orbe terrarum. Et ideo exauditur qui orat in templo, quia ipse orat in Spiritu & veritate merito ab ea & pro ea, quia in ea incipit divina oblatio, tamquam dicatur Deo de illa & in illa: *Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ & in mari longe.* Ipsa est namque unitas, quæ a finibus terræ, id est ab oriente & occidente, septemtrione & meridie ad Dominum clamat & dicit a finibus terræ *ad te clamavi dum anxiaretur cor meum.*

Psal. 64. 6.

Psal. 60. 3.

46. Isidorus. Hinc & ecclesia græce dicitur, quod in latinum vertitur convocatio, eo quod omnes ad se convocet, & catholica appellatur, id est universitatis. non enim sicut conventicula hæreticorum in aliquibus regionum partibus coartatur; sed per totum terrarum orbem dilatata diffunditur. Hinc & universitas ab uno cognominata est, eo quod in unitatem colligitur, unde ait Dominus in evangelio, *qui mecum non colligit, spargit.* Id est qui in unitatem meam non colligitur, a me divisus in dispersionis perditione dissipatur. Pro hac itaque primum in illa oblatione postulatur, ut eam Deus toto orbe terrarum pacificare dignetur, videlicet ne per hæreses ac schismata ejus unitas dilanietur, aut adversitate persecutionum ejus tranquillitas perturbetur. Ut enim hanc pacem tam interius quam exterius faciat Deus ecclesiæ suæ, & ipse apostolus orat dicens: *Pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras in* Christo Jesu. Et omnem ecclesiam orare admonet, cum ait: *Volo igitur primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones.* Et post paululum. *Ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate.* Postulatur autem omnipotens Deus, ut illam custodire, adunare & regere dignetur. Ipse est enim verus custos populi sui, id est veri Israël, de quo in psalmo cantatur: *Ecce non dormitavit neque dormiet qui custodit Israël.* Et iterum, *nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Id ipsum autem videtur adunare quod pacificare, id ipsum custodire quod & regere: quia ecclesiam suam Deus & pacificando adunat, & adunando pacificat, & custodiendo regit, & regendo custodit. Pacificando namque adunat cum omnium fidelium corda, in sua pace conjungit, cum omnium fidelium mentes per unitatem fidei, spei & caritatis unius efficit voluntatis, & per Spiritum-sanctum caritate diffusa, impleatur in ea quod scriptum est: *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una*, Et *ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.* Custodiendo quoque regit eamdem ecclesiam, cum inter omnia pericula clementer eam gubernat & dirigit. cui orantes in psalmo dicimus: *Salvum fac populum tuum & benedic hæreditati tuæ, & rege eos & extolle eos usque in æternum.*

Isid. lib. 8. origin. c. 1.

Luc. 11. 23.

Phil. 4. 7.

1. Tim. 2. 1.

Ps. 110. 3.

Psal. 126. 1.

Act. 4. 32.

Ps. 131. 1.

Ps. 27. 8.

47. Quod vero post generalem ecclesiæ commendationem adjungitur, *Una cum famulo tuo papa nostro*, ipsa unitas ecclesiastici corporis fortius commendatur; quia divinæ religionis cultum, ut beatus Leo scribit, quem in omnes gentes omnesque nationes Dei voluit gratia coruscare, ita Dominus noster Jesus Christus humani generis Salvator instituit, ut hujus muneris sacramentum in beatissimo Petro apostolorum summo principaliter collocaret, atque ab ipso quasi quodam capite dona sua vellet in corpus omne manare, ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus esset a Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuæ unitatis assumtum, id quod ipse erat voluit nominari dicendo: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam.* Unde constat, sicut iterum beatus papa Pelagius docet, ab universi orbis communione separatos esse, qui qualibet dissentione inter sacra mysteria apostolici pontificis memoriam secundum consuetudinem non frequentant. Sequitur in mysterio.

Papæ in missa commemoratio in signum unitatis.

Matt. 15. 18.

48. *Et antistite nostro & omnibus orthodoxis atque apostolicæ fidei cultoribus.* Sicut enim universalis ecclesiæ commemoratio propter unitatem societatis & pacis conjungitur commemorationi apostolici pontificis, ita dignum & religiosum est, ut singulæ ecclesiæ commemorationem subjungant suorum antistitum: probantes se per illam orationem dominicæ oblationis servare cum eis unitatem spiritus in vinculo pacis. ὀρθόδοξοι autem græce, latine rectæ gloriæ dicuntur, eo quod nullo hæretico depravati, rectæ fidei confessione Deum glorificent. Iidem ipsi ergo sunt catholicæ & apostolicæ fidei cultores, catholicæ id est universalis, quam universa ubique servat ecclesia, ejusdemque & apostolicæ, quam in toto mundo apostolorum doctrina fundavit.

Item proprii antistitis.

49. Cultores autem hujus fidei non possunt dici, nisi illi qui recte credunt & veraciter diligunt. Hoc enim unusquisque colit quod maxime diligit. Unde & de quibusdam gulæ & ventris amatoribus ait Apostolus: *quorum Deus venter est.* Ille ergo veritatis cultor, qui jungit fidei dilectionem, ut Deum, de quo recte credit, diligendo colat, & colendo promereatur. Ipsa

Phil. 3. 19.

Extra ecclesiam non quærenda religio. Gal. 6. 15.

est fides, quam commendat Apostolus dicens: *In* CHRISTO *enim* JESU *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur.* Neque enim in confusione paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum, neque in cœcitate Judæorum quærenda religio est; sed apud eos solos qui Christiani, catholici vel orthodoxi nominantur, id est integritatis custodes & recta sectantes.

50. Completa hac oratione, qua in primis universalis ecclesia cum apostolico pontifice & omnibus orthodoxis Deo commendatur, adjungitur in conclusione more solito, *Per Christum Dominum nostrum.* Aliter enim nec oratio nec oblatio ecclesiæ Deo offerri potest, nec illa (*a*) pro quibus Deus exoratur accipere, nisi per unum mediatorem Dei & hominum, qui interpellat pro nobis. Quod ergo offert ecclesia, offert per illum, quod Deus eamdem ecclesiam pacificare, custodire, adunare dignetur, præstat per illum; per ipsum nostra ad Deũ vota ascendunt, per ipsum divina ad nos dona descendunt. Hoc namque ipse in evangelio commendat dicens: *Quia ego ad Patrem vado, & quidquid petieritis in nomine meo hoc faciam, ut clarificetur Pater in Filio.* Quam petitionis formam in omni oratione sua custodit ecclesia. Sequitur in mysterio.

[*] Per Christum vota nostra ad Deum ascendunt, & per eum ad nos Dei dona descendunt. Joh. 12. 23.

51. *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, & omnium circumadstantium, quorum tibi fides cognita est & nota devotio.* In quibus verbis cum primum dicitur: *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum,* & sic deinde subjungitur: *& omnium circumastantium,* manifestum est, quod quasi quidam locus sit, ubi aliquibus specialiter nominatis, etiam ceterorum qui assistunt in ecclesia commemoratio adjungatur. In quo itaque loco aut liberum est sacerdoti, quos desideraverit particulariter nominare, & nominatim Deo commendare: aut certe illud ab antiquis observatum est, ut ibi offerentium nomina recitarentur, quod videtur beatus papa Innocentius in quadam epistola significare, ubi ait: Superfluum est, ut cujus hostiam necdum Deo offeras, ejus ante nomen insinues, quamvis illi incognitum nihil sit. Prius ergo oblationes sunt commendandæ, ne tunc eorum nomina, quorum sunt edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia quæ ante præmittimus, ut ipsi mysteriis viam futuris precibus aperiamus. Fit ergo hæc oratio ad Deum Patrem, ut memor esse dignetur famulorum famularumque suarum, utriusque videlicet sexus sibi servientium, non solum eorum qui nominantur, sed & omnium circum-

Offerentium nomina in canone recitata.

(*a*) Id est ecclesia constans ex omnibus fidelibus.

A astantium, ac de omnibus & pro omnibus simul dicitur, *quorum tibi fides cognita est & nota devotio,* id est, quam recte credant, quam devote te diligant, tu solus vides in conscientiis singulorum. Tu es enim scrutans corda & renes, & tibi veraciter dictum est: *Tu enim solus nosti corda filiorum hominum,* qui in tuis cultoribus magis oblationem fidei & devotionis requiris; fidei, cum per legislatorem tuum dicis: *Audi, Israël, Dominus Deus tuus Deus unus est;* Deut. 6. 4.
devotionis, cum statim adjungit: *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Et Ibid. 5.
B hanc [cum] fidem & devotionem Deo offerre, hoc est vere sacrificium salutare, est attendere mandatis. Sequitur in mysterio.

52. *Qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, tibique reddunt vota sua æterno Deo vivo & vero.* In quibus verbis considerandum est, quod tota ecclesia offerat Deo illud sacrificium laudis: & quia de omni multitudine circumstantium fidelium dicitur: *Qui tibi offerunt.* Quod enim adimpletur proprie ministerio sacerdotum, hoc generaliter agitur fide & devotione cunctorum. Omni enim ecclesiæ dicitur per beatum Petrum apostolum: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium* offerre spiritales C hostias & acceptabiles Deo per JESUM CHRISTUM. Omnem ergo ecclesiam sacerdotium sanctum appellat, quod sola domus Aaron in lege nomen & officium habuit, quia nimirum omnes fideles summi sacerdotis membra existunt, cuncti oleo lætitiæ signantur, illius corpori uniti, qui rex summus & sacerdos est verus. Regnum suis tribuit ut rex, & ut pontifex eorum peccata sui sanguinis hostia mundans, quamquam & in eadem lege veteris testamenti hujus spiritualis sacerdotii, quo tota D ecclesia consecratur, evidenter mysterium commendatur, cum ille Agnus in pascha mactandus, quod vobis immolatus est Christus, non a solis sacerdotibus, sed ab universo generaliter populo jubetur immolari, dicente Domino: *Immolabit eum omnis multitudo filiorum Israël ad vesperam* Hunc namque Agnum in paschali solemnitate immolatum eadem lex & victimam & hostiam & sacrificium esse commendat, præcipiente Domino & dicente: *Non immolabit super fermento sanguinem hostiæ meæ, neque residebit mane de victima solemnitatis* E *phase.* Et iterum: *Nemo,* inquit, *qui fuerit immundus super anima sua, in via procul in gente vestra, faciat phase Domino mense secundo.* Et post pauca: *Si quis autem mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo.* Offerunt ergo sacerdotes ecclesiæ, offert per ipsos & in ipsis tota ecclesia Deo sacrificium laudis, quod a cultoribus

Cum sacerdote ecclesia tota offert sacrificium.

1. Pet. 2. 9.

Exod. 12. 6.

Exod. 34. 25.

Num. 9.

Ibid. 13.

toribus suis sibi offerri ipse præcepit, dicens: *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Psal. 49. 14.

53. AUGUSTINUS. Non quod a nobis tamquam indigens expetat laudem; sed ut in ea nobis consulat ad salutem, sicut & in eodem psalmo iterum dicit: *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic via est ubi ostendam salutare meum.* Ibid. 23. Quid est enim salutare Dei, nisi Filius Dei Salvator mundi? Ipse igitur sacerdos & victima sacrificium laudis implevit, malorum operum tribuens indulgentiam, & bene operandi largiens gratiam. Ad hoc enim Dominus sacrificium laudis ab ejus cultoribus immolatur, ut qui gloriatur in Domino glorietur. Hoc ergo sacrificium laudis, id est oblationem Dominicæ passionis, in qua nulla nostra merita agnoscimus, sed solam Dei gratiam collaudamus; quia in hoc apparuit caritas Dei in nobis, quia unigenitum Filium suum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Hanc offert devotio fidelium pro se suisque omnibus, id est ad se vel genere vel familiaritate, vel qualibet alia conditione, sub ejusdem fidei professione pertinentibus, tam viventibus videlicet, quam mortuis. Et hoc qua spe fideles faciant subjungitur, quæ non pro aliquo temporali lucro, sed solummodo *pro redemtione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ*; pro spe videlicet æternæ salutis. Spe enim salvi facti sumus. Nec solum pro salute æterna, sed etiam pro temporali incolumitate, id est corporali sanitate. Incolumitas enim sanitatis integritas. Utraque enim salus, animæ scilicet & corporis, ab illo est, de quo in psalmo canitur: *Domini est salus. Tibi,* inquit, *reddunt vota sua æterno Deo vivo & vero*, juxta quod in psalmo dicitur: *Et redde Altissimo vota tua*, vota videlicet fidei & piæ devotionis, per quam nosmetipsos Deo vovimus & reddimus. Quisquis enim bene cogitat quod Deo voverat & quæ vota persolvat, hac exigitur, hac debetur, ut seipsum voveat & reddat. Sed sicut videndum est quid offerat, ita etiam considerandum est ubi offerat: quia veri sacrificii extra catholicam ecclesiam locus non est: unde multum consequenter adjungitur in mysterio:

54. *Communicantes & memoriam venerantes, in primis,* &c. usque *& omnium sanctorum tuorum.* AUG. Quos dicit communicantes & memoriam venerantes beatæ genitricis Dei & apostolorum & martyrum, & omnium sanctorum, nisi & seipsum sacerdos qui offert, & omnes circumstantes, qui simul offerunt unum sacrificium laudis? quod ut Deo possit esse acceptum & beneplacitum, non alibi hoc offerunt & sacerdotes & ecclesia cum sacerdotibus, nisi in communione & societate sanctorum, in quibus voluit idem omnipotens Deus ecclesiæ suæ constare fundamentum, sicut Apostolus dicit: *Estis cives sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum & prophetarum.* Eph. 2. 19. In eorum ergo communione & memoriæ veneratione tamquam in templo vero Dei, offert devotio fidelium Deo vota & munera sua, & ideo fiunt communicantes eorum memoriæ tamquam filii patrum & sectatores præcedentium. Quid est enim communicantes, nisi communionem & societatem tenentes? Et quid est eorum memoriam venerari, nisi cum pietate & humilitate eorum vestigia sequi? Ad hanc societatem nos beatus Johannes apostolus invitans ait: *Quod vidimus & audivimus annuntiamus vobis.* 1. Joh. 1. 3. Et quasi interrogaremus quid nobis prodesset illa annuntiatio, ait: *Ut & vos societatem habeatis nobiscum.* Et ne quis contemnendum putaret hanc societatem tamquam hominum, continuo adjunxit: *Et societas vestra sit cum Patre & Filio ejus* JESU CHRISTO, manifeste ostendens, quia quicumque societatem cum Deo habere desiderant, primo ecclesiæ societati debent adunari, illamque fidem addiscere, & ejus sacramentis imbui, quam apostoli ab ipsa præsente in carne Veritate perceperunt. Pro ipsa enim & sancti martyres passi sunt, & ipsa catholica fundatur ecclesia, cui beatæ & gloriosæ Virginis partus extitit salutis exordium.

Sacrificium in communione sanctorum offerendum.

55. AUGUSTINUS. Quæ vere semper creditur virgo, quia vel si Domino nascente corrumperetur ejus integritas; non jam ille de Virgine nasceretur, eumque falso, quod absit, natum de Virgine MARIA tota confiteretur ecclesia, cui pro humani generis salute vero homini facto singulari munere datum est, ut statim ex quo in utero Virginis concipi & homo fieri inciperet, verus esset & Deus: unde & eadem gloriosa semper Virgo MARIA vera Dei genitrix credenda est & confitenda. Ipsa ergo in hac venerabili communione sanctorum prima ponitur, per quam & illi & nos meruimus auctorem vitæ suscipere, & ei conjungitur communicatio beatorum apostolorum & martyrum, non solum qui hic nominatim exprimuntur, sed & omnium quorum nec numerum nec nomina scire possumus. Et tamen si istis paucis nominatis pie adhæremus, etiam illis quos nosse non possumus, in horum communione copulati sumus. Sequitur in mysterio. Vide Aug. Serm. 186.

56. *Quorum meritis precibusque concedas.* Propter merita namque & intercessiones sublimium justorum, quos intercessores &

patronos quærimus, nostræ infirmitati Dominus miseretur & propitiatur, ut in omnibus sive adversis sive prosperis, ne vel in istis deficiamus, vel in illis decipiamur, protectionis ejus muniamur auxilio.

57. VIGILIUS. Denique defesso ab hostibus Ezechiæ & auxilium ejus invocanti ait: *Civitatem hanc salvabo, & protegam eam propter me, & propter David servum meum.* 4. Reg. 20.6. Et Moïses ita deprecans Deum placare curabat: *Quiescat*, inquiens, *ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui, Recordare Abraham, Isaac & Israël servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum dicens: multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli.* Exod. 32.12. Nec dubitandum est fidelium petitiones a spiritibus justorum sciri, quia qui intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia sit foris aliquid quod ignorent. Postulat ergo ecclesia suffragia sanctorum martyrum, nec tamen erigit altaria in quibus sacrificet martyribus, sed uni Deo & martyrum & nostro. Ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in ejus confessione vicerunt suo loco & ordine nominantur, non tamen a sacerdote qui sacrificat invocantur. Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in memoriis sacrificet eorum, quia Dei sacerdos est, non illorum. Ipsum vero sacrificium est Christi, quod non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi. Sequitur in mysterio.

Sacrificium non offertur martyribus, licet in eorum memoriis, sed Deo.

Aug. de Civ. Dei l. 22. c. 10.

58. *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ*, &c. usque *Per Christum Dominum nostrum.* Et in his verbis unitas ecclesiæ offerentis ostenditur, quando in illa sacrosancta oblatione communis servitus exhibetur Deo tam a sacerdotibus quam a cuncta familia domus Dei. Hæc autem est servitus quæ nulli alii debetur, nec sanctis angelis, nec sanctis animabus, nisi uni Deo vivo & vero, de quo nobis præcipitur: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Matt. 4. 10. Etsi enim ab homine sit vel offertur, tamen sacrificium res divina est, unde & alibi divina lege præcipitur: *Sacrificans diis eradicabitur, nisi Domino soli.* Unde merito illi in cœlestibus sedibus constituti immortales & beati, quia nos mortales & miseros, ut immortales beatique simus misericorditer diligunt, nolunt nos sibi sacrificare, sed ei cujus & ipsi nobiscum sacrificium esse petiverunt. Cum ipsis enim sumus una civitas, cujus pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur. Oratur itaque Deus ut hanc oblationem, quam illi soli debita servitute defert ecclesia placatus accipiat. Hæc est vera oblatio, in qua Filius offertur, Pater reconciliatur, & vitali oblatione placatus dies nostros in sua pace disponat, ut etsi in mundo pressuram habemus, in illo pacem habeamus. Finito autem hujus mortalitatis cursu, ab æterna damnatione ereptos, in electorum suorum grege nos adnumerare dignetur. Quia ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab Omnipotente disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante secula disposuit donare. Sequitur in mysterio.

Vide S. Aug. lib. 10. de Civit. Dei cap. 19.

GREG.

59. *Quam oblationem tu Deus in omnibus*, &c. Oratur Omnipotens, ut oblationem suis sacris altaribus impositam & tantis precibus commendatam, ipse per virtutem descendentis ita legitimam & perfectam eucharistiam efficiat, ut in omnibus sit ascripta, id est numerum placitorum sibi numeretur recepta, sit etiam rata, id est immobili firmitate perpetua. Hoc namque dicitur ratum, quod est immobili ratione firmum & inconvulsum. Sit quoque ejusdem Spiritus-sancti operante virtute, rationabilis & per hæc omnia singulariter Deo grata & acceptabilis, ut quamvis de simplicibus terræ frugibus sumta divinæ benedictionis ineffabili potentia efficiatur corpus & sanguis unigeniti Filii Dei, sicut ipse testatur: *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*, ut per hunc cibum & potum impleatur in mentibus sumentium quod ipse promittit dicens: *Sicut me misit vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Hæc est ergo vera & æterna hostia, quia vera & æterna est virtus, vera & æterna per eam perficitur salus. Est enim novi & æterni testamenti. Hæc est rationalis hostia, plena videlicet rationis, plena mysterii, quæ tunc tractabili tractatione in veteribus sacrificiis fiebat, sed nunc spiritali ratione celebratur, & fidei puritate exhibetur, juxta Apostolum fidelem præcipientem rationabile obsequium nostrum. Ut enim hoc Apostolus diceret, utique de spiritali sacrificio loquebatur. Unde & alibi ait: *Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari.* Ipsa autem cœlestia melioribus hostiis quam istis. Ut enim corda fidelium fierent cœlestia, & sicut portaverant imaginem terreni, portarent & imaginem ejus qui de cœlis est, & qualis cœlestis tales fierent & cœlestes, non brutorum animalium cruore, sed rationabili sanguinis Christi cruore mundari debuerunt; qui, ut idem testatur Apostolus, per Spiritum-sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo. Hoc namque nobis in sacramento corporis & sanguinis Filii Dei quotidie instauratur. Hoc corpus & hic sanguis non in spicis & in sarmentis colligitur, sed certa consecratione mysticus fit. Novus non nascitur, cum panis & vini creatura in sacramentum carnis & sanguinis ejus ineffabili Spiritus sanctificatione TRANSFERTUR. Quod autem non ita sit,

Joh. 6. 56.

Ibid. 58.

Heb. 9. 23.

S. Aug. lib. 20. contra Faust. c. 13.

quamvis sit panis & calix, alimentum est refectionis, non sacramentum religionis, quo divinum altare Christus implevit. Invitavit ergo Dominus servos, & præparavit eis cibum seipsum. Quis audeat manducare Dominum suum? Et tamen ait:
Joh. 6. 58. *Qui manducat me, vivit propter me.* Quando Christus manducatur, vita manducatur, nec occiditur ut manducetur, sed mortuos vivificat, quando manducatur. Reficit, sed non deficit; manducatur Christus, vivit manducatus, quia resurrexit occisus, nec quando manducamus partes de illo facimus; & quidem in sacramento sic fit, B per partes manducatur in sacramento, & manet integer totus in cœlo, manet integer totus in corde tuo. Sequitur in mysterio.

60. *Qui pridie quam pateretur, accepit panem, &c.* usque ad *hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facietis.* Unde universalis ecclesia, ut jugem memoriam Domini & Redemtoris celebret, ipse Dominus tradidit apostolis, & apostoli generaliter omni ecclesiæ. In his verbis, sine quibus nulla lingua, nulla religio, nulla civitas, id est nulla pars ecclesiæ catholicæ conficere potest, id est consecrare sacramentum corporis & sanguinis Domini, ipse C Dominus tradidit apostolis, unde universalis ecclesia jugem memoriam sui redemtoris celebret, & apostoli generaliter omni ecclesiæ. Christi ergo virtute & verbis semper consecratur & consecrabitur. Illius sermo est qui cœlestia sacramenta sanctificat. Ille in suis sacerdotibus quotidie loquitur. Illi funguntur officio, ille majestate divinæ potestatis operatur. Ipse est enim ille verus Melchisedech, qui hæc sancta sacrificia, quæ ille tunc in mysterio præfiguravit, per oblationem sui corporis suique sanguinis adimplevit. Ipse ex Spiritus paracliti virtute & cœlesti benedictione san- D ctum corpus & sanguinem suum esse perficit. Quod autem de pane ait: *Accipite & manducate ex hoc omnes.* Similiter & de calice: *Accipite & bibite ex eo omnes* commendatio est unitatis & pacis, ut per hoc mysterium Christo participantes, unum omnes simus in illo, sicut apostolus affirmat,
Gal. 3. 28. dicens: *Non est Judæus neque Græcus; non est servus neque liber, non est masculus neque femina, omnes enim vos unum estis in* CHRISTO JESU. Hanc nempe unitatem in E communicatione hujus sacramenti alibi
1. Cor. 10. 16 commendat dicens: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est, & panis quem frangimus nonne participatio corporis Christi est?* quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus. Tanta enim ecclesiæ est in Christo unitas, ut quomodo una fides & unum baptisma & unum al-

Consecratio eucharistiæ per verba Christi.

A tare, de quo ait Isaias: *Erit altare Domini in medio terræ Ægypti;* ita unus ubique sit Isa. 19. 19.
panis corporis Christi, & unus calix sanguinis ejus. Unde & ecclesia ex traditione his verbis consecrans mysterium sacri corporis & sanguinis Domini, designanter dicit Dominum dixisse Apostolis: *Accipite & manducate ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum. Simili modo posteaquam cœnatum est, accipiens & hunc calicem præclarum.* Attendat fidelis quisque, quid est quod dicat *hunc*, videlicet quod calix, quem sacerdos catholicus sacrificat, non est alius, nisi ipse quem Dominus apostolis tradidit. Sicut ergo de sanguine, sic quoque de corpore sentiendum & tenendum est. Quod autem *præclarum calicem* dicit, manifeste de psalmo sumtus est: *Et calix tuus inebrians quam* Psal. 22. 5.
præclarus est. Et vere præclarus, quo sanguis offertur immaculatus nulla peccati macula tectus. Hoc poculo fidelium inebriatur affectus, ut lætitiam induat de remissione peccati. Hac ebrietate animus non confunditur, sed consecratur.

Idque ex traditione ecclesiæ.

61. Item, quod in his verbis dicitur: *Novi & æterni testamenti*, manifestum est, quia in evangelio non legitur, nisi tantum modo, *Calix sanguinis mei novi testamenti*, sed quod hic additur *æterni* & in propheticis & in apostolicis litteris continetur. Nam in Isaia legimus promittente Deo fidelibus: *Et feriam vobiscum pactum*, idest testamentum sempiternum. Et in Ezechiele, ubi promittit ecclesiæ: *Et suscitabo tibi* Ezech. 16. 60
pactum sempiternum. Et Apostolus dicit: *Una* Heb. 10. 14.
enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Et iterum: *Deus autem pacis,* Ibid. 13. 20.
qui eduxit de mortuis pastorem, Agnum ovium in sanguine testamenti æterni dominum nostrum JESUM CHRISTUM. Ideo ergo AUGUSTIN.
sanguis Christi novum est testamentum, quia nova dilectio, qua usque ad mortem in novissimis sæculorum temporibus nos dilexit. Dilectio ista nos innovet, ut simus homines novi, hæredes testamenti novi, sicut & apostolus docet dicens: *Quanto ma-* Heb. 9. 14.
gis sanguis Christi, qui per Spiritum-sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi? Et ideo novi testamenti mediator. Per hunc ergo sanguinem novi testamenti qui est effusus in remissionem peccatorum, emundavit, idest innovavit conscientiam fidelium, & fiunt iidem fideles juxta eumdem Apostolum heredes secundum spem vitæ æternæ, & repromissionem accipiunt qui vocantur æternæ hereditatis. Et ideo sanguis ille novi & æterni est testamenti, quia quos a vetustate innovat ad æternam hereditatem perducit. Hinc Zacharias propheta velut ad ipsum Dominum loquens ait: *Tu quo-* Zach. 9. 11.
que in sanguine testamenti tui emisisti vinctos

tuos de lacu, in quo nunc erat aqua: quia videlicet per hujus sanguinis effusionem & antiqui justi spe futuræ redemtionis devincti ab inferni claustris educti sunt, & per eumdem etiam omnes credentes a peccatorum vinculis & de lacu miseriæ & de luto fœcis eripiuntur.

62. Item, quod hic dicitur *mysterium fidei*, & in illis verbis Domini quibus mysterium corporis & sanguinis sui tradidit, non legitur, videtur de alio loco evangelii sumptum esse, ubi secundum Johannem de hoc eodem sacramento quibusdam dis-
Joh. 6. 63. cipulis non credentibus loquens ait: *Verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt, sed sunt quidam ex vobis qui non credunt.* Ostendit enim se magnum dixisse my-
Ibid. 64. sterium cum ait: *Verba quæ ego locutus sum, spiritus & vita sunt.* Cum autem adjungit:
Ibid. 65. *Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt*, ostendit istud mysterium non esse nisi fidei & fidelium, qui illa verba fideliter audiunt; & ideo eis spiritus & vita sunt: quia eos spiritaliter intellecta vivificant. Aut certe hæc verba de Apostolo sumta sunt, ubi
1. Tim. 3. 9. ait: *Habentes mysterium fidei in conscientia pura*, quia sicut sacramentum sanctæ Tri-
Vid S. August. lib. 1. de Peccat. meritis & remiss. c. 24. nitatis, ita & sacramentum Dominicæ passionis & mortis, quod illa oblatione frequentatur æqualiter necessarium ad salutem, æqualiter in conscientia pura est sumendum ac retinendum. quod etiam in baptismate celebratur, docente eodem apostolo ac dicente: *Quicumque enim baptizati sumus in* CHRISTO JESU, *in morte ipsius baptizati sumus.* Totum ergo quod in hac oblatione Dominici corporis & sanguinis agitur, mysterium est: aliud enim videtur, aliud intelligitur: quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet spiritualem. Sciendum vero
Ex traditione aqua in sacrificio vino miscetur. quod eumdem calicem Domini sanguinis juxta observantiam ecclesiæ catholicæ ab apostolis traditam, nisi mixtum aqua offerri non licet, quia vinum fuit redemtio-
Marc. 14. 25. nis nostræ mysterium, cum ait: *Non bibam a modo de hoc genimine vitis*, & de latere ejus quod lancea transfixum est, aquaque cum sanguine egressa vinum de vera carnis ejus vite cum aqua expressum ostendit. Hæc sunt enim sacramenta ecclesiæ, sine quibus ad vitam, quæ vere vita est, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum, aqua illa salutare temperat poculum: hæc & lavacrum præstat & potum.

63. Hoc totum Dominicæ oblationis mysterium quanta pietate & amore agendum est & accipiendum sit, commendat
Luc. 22. 19. nobis ipse Dominus dicendo: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facie-*
1. Cor. 11. 26. *tis.* Quod exponens apostolus ait: *Quoties enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Illius ergo panis & calicis oblatio mortis Christi est commemoratio, & annunciatio, quæ non tam verbis, quam mysteriis ipsis agitur, per quæ nostris mentibus mors illa pretiosa, altius & fortius commendatur. Quid est enim mortis Christi commemoratio, nisi caritatis ejus commendatio, quam nobis beatus evangelista Johannes commendans, ait: *Sciens* JESUS Joh. 13. 1.
quia venit hora ejus, ut transeat de hoc mundo ad patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit, id est usque ad mortem eum illa dilectio perduxit, quia tantum dilexit eos, ut moreretur propter eos. Hoc enim testatus est dicens: *Majo-* Joh. 15. 13.
rem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis. Propterea & iturus ad passionem, & per resurrectionis & ascensionis gloriam discessurus e mundo, hoc sacramentum ultimum discipulis tradidit, ut memoriam tantæ caritatis, per quam solam salvamur, arctius eorum mentibus infigeret; quatenus semper memores simus, & quales & quantum ab eo dilecti simus; quales, ne de nobis gloriemur; quantum, ut de illo speremus, quod utrumque diligenter Apostolus imponit & inculcat dicens: *Ut quid enim Christus, cum* Rom. 5. 6.
adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? Et post paululum: *Com-* Ibid. 8.
mendat autem, inquit, suam caritatem Deus in nobis, quoniam si cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est; multo magis justificati nunc in sanguine ipsius salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius. Hoc ergo agendum, hoc frequentandum commendavit, quo usque ipse veniat in fine sæculi, quando erit sanctorum requies, non adhuc in sacramento spei, quo in hoc tempore consociatur ecclesia, quamdiu bibitur quod de latere Christi emanavit, sed jam ipsa perfectione salutis æternæ, cum tradetur regnum Deo & Patri, ut in illa perspicua contemplatione incommutabilis veritatis, nullis mysteriis corporalibus egeamus. Hæc namque Gregorius.
singulariter victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem unigeniti per mysterium reparat. qui licet surgens a mortuis, jam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur: tamen in se ipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salute partitur. Ejus sanguis non jam in manus infidelium funditur. Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium, quod pro absolutione nostra passionem unigeniti filii semper imitatur. Sequitur in mysterio.

64.

64. *Unde & memores nos servi tui*, &c. usque ad *calicem salutis perpetuæ*. Quia Dominus & Salvator noster mysterium suæ mortis, quam pro nostra omniumque salute suscepit, tanta pietate memoriæ fidelium commendavit, ut per oblationem & participationem sui corporis & sanguinis eamdem vivificavit mortem suam. Et quia in participatione corporis & sanguinis sui vivificam suam mortem nos annunciare voluit Dominus & Salvator noster donec ipse veniat, dignum & salubre est, ut hæc veneranda mysteria frequentando memores sint sacerdotes & populus, universa videlicet ecclesia beatæ passionis ejus. Et vere beatæ, quia sine peccato suscepta, totius mundi peccata delevit, & quia non solum, ut Apostolus ait, *mortuus est propter delicta nostra*, sed etiam *resurrexit propter justificationem nostram*, memores simus resurrectionis quoque ejus ab inferis, & quoniam resurgens a mortuis & assumtus in cœlum, sedet a dextris Dei, simus memores etiam gloriosæ ascensionis ejus. Hæc est enim tota salus nostra & vita, si incessanter memores simus. Memores igitur Dominicæ passionis, resurrectionis & ascensionis tam sacerdotes quam plebs fidelis offerunt præclaræ, id est præcellenti & gloriosæ majestati Dei, non de suo, sed de ejus donis ac datis, juxta quod scriptum est. Et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi, in mysterio Dominici corporis & sanguinis vere hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam. quæ trina repetitio tanti mysterii est laudatio. Hæc namque hostia, quam hostiam puram, sanctam, immaculatam dicimus, id est panem sanctum vitæ æternæ & calicem salutis perpetuæ sumentibus vita æterna est, dicente Domino: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*. Quam vero hostiam puram, sanctam & immaculatam offert ecclesia, nisi quam a Domino accepit? id est panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ. In hoc enim pane sumentibus vita æterna est, sicut ipse Dominus panis vivus & panis vitæ de se ipso ait: *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi*. Et iterum: *Panis enim Dei est qui descendit de cœlo & dat vitam mundo*. Et alio loco dicit: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*. Et quod iste sit panis corporis ipse exponit dicendo: *Et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita*. Ergo & calix sanguinis ejus, calix est salutis æternæ, quia sanguis ille pro multis effusus est in remissionem peccatorum, ut salvum faceret populum suum a peccatis eorum. De hoc canitur in psalmo: *Calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo*. Est enim calix iste salutaris accipienti, & in sacramenti perceptione, in passionis imitatione, sicut a sanctis martyribus acceptus est. Hunc panem significavit manna, hunc panem tribuit altare Dei. Noverunt fideles Christi corpus, si in Christi corpore homo fuerit, accipiet de Christi spiritu. Sicut autem corpus nostrum sine spiritu non potest vivere, sic non habebit spiritum vitæ, nisi qui in Christi corpore fuerit inventus. Qui vult vivere, accedat, credat, vivat Deo de Deo; incorporetur, ut vivificetur. Hoc est enim manducare illam escam, & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere, sicut ipse dicit: *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo*. Sequitur in mysterio.

Rom. 4. 25. — Joh. 6. 59. — Joh. 6. 51. — Ibid. 33. — Ibid. 59. — Ibid. 52. — Psal. 115. 13. — Joh. 6. 57.

65. *Supra quæ propitio ac sereno vultu*, &c. usque *immaculatam hostiam*. Oratur Deus, ut super hæc munera vitæ & salutis, quæ præclaræ majestati ejus offeruntur, propitio id est placabili & sereno vultu respicere dignetur, non quia vultus ejus aliquando obnubilatur & aliquando serenatur, ut ipse sit pater luminum, ut beatus Jacobus dicit: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Et beatus Johannes testatur: *Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ*. Sed qui semper in lumine est, tunc super nos serenat, ac illuminat vultum suum quando declarat super nos misericordiam, sicut in psalmo orantes dicimus: *Illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri*. Sicut e contrario de quibusdam, qui ejus misericordia indigni sunt, ipse dicit: *Abscondam faciem meam ab eis*. Et iterum quibus se placabilem præbet, promittit dicens: *Et non avertam faciem meam a vobis*. Unde & beatus Daniel istis ipsis verbis exorat dicens: *Exaudi, Domine, preces servi tui, illumina faciem tuam super sanctuarium tuum, & propitius intende populum istum, super quem invocatum est nomen tuum*. Neque enim Deus humana forma faciem aut vultum habere putandus est: quia ut Dominus in evangelio ait: *Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare*. Sed facies & vultus Dei præsentia ejus est. Quid est enim facies Dei super nos illuminata, nisi præsentia declarata, cum misericordiam & bonitatem ipsius præsentem nobis adesse sentimus. Sic & respicere Dei visitatio pietatis ejus est, sicut in psalmo orantes dicimus: *Deus virtutum converte nos, respice de cœlo, & vide & visita vineam istam*. Oratur itaque omnipotens Deus, ut placabilis ac propitius factus, sereno vultu, id est declarata bonitatis & pietatis suæ præsentia respiciat dignanter ecclesiæ suæ munera, & accepta & beneplacita habeat, sicut munera pueri sui justi Abel, cujus fides & justitia & oblationis acceptio & in lege veteri commendatur, ubi scriptum est: *Et respexit Deus ad Abel & ad munera ejus*; & in evangelio: *a sanguine Abel justi*; & in apostolo

Jacob. 1. 17. — 1. Joh. 1. 5. — Psal. 66. 2. — Deut. 31. 17. — Jerem. 3. 12. — Dan. 9. 17. — Joh. 4. 24. — Facies Dei est ejus præsentia. — Ps. 79. 15. — Genes. 4. 4. — Matt. 23. 35.

Heb. 11. 4. ubi scribit: *Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus.* qui non ætate sed simplicitate & puritate puer Dei appellatur. Sicut etiam de David qui mortuus est senex, in evangelio dicitur: *In domo* Luc. 1. 69. *David pueri sui.* Et *sicut sacrificium*, inquit, *patriarchæ nostri Abrahæ.* Utique quod sacrificium in oblationem unigeniti filii Isaac offerens cum Deo holocaustum, quod ita acceptum fuit, ut mereretur audire: *Per* Gen. 22. 12. *memetipsum juravi, dicit Dominus, quia fecisti rem hanc, & non pepercisti unigenito tuo propter me, benedicam tibi*, &c. qui quidem patriarcha non tantum est Israëliticæ plebis secundum carnem, sed etiam nostræ secundum fidem. Adjungitur adhuc: *Et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech*, de quo manifeste scriptum dicit: Gen. 14. 18. *Et Melchisedech rex Salem protulit panes & vinum. erat enim sacerdos Dei altissimi, & benedixit Abraham*, cujus sacerdotium & sacrificium tantum magnificatur, ut dicat de eo Apostolus: Heb. 6. 3. *Primum quidem Melchisedech qui interpretatur rex justitiæ, deinde rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem habens, assimilatus per omnia filio Dei, qui manet sacerdos in æternum.* Quod vero post hæc omnia subjungitur *sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*, ad superiora referendum esse videtur, ubi dictum est: *Super quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris*, ut ad complendam petitionem subjunctum sit. Hoc autem totum exoratur omnipotens Deus, ut sacrificium ecclesiæ ita acceptum habeat, ut sacrificium justi Abel, & patriarchæ Abrahæ, & summi sacerdotis Melchisedech; quia & in illis antiquis sacrificiis imago erat hujus veri sacrificii, & hoc ipsum uni Deo auctori utriusque testamenti & utriusque sacrificii ordinatissima temporum dispositione tunc placebat in præfiguratione venturæ veritatis, quod & nunc placet in adimpletione ejusdem veritatis. nam & in sacrificio Abel, quod de primogenitis ovium & adipibus earum oblatum, sacrificio Caïn quod ex terræ fructibus offerebatur, prælatum est, novi testamenti fides præfigurabatur, qua innocentia gratiæ Deum laudans, veteris testamenti terreni operibus anteponitur, & in immolatione unici & dilecti filii Abrahæ immolatio ejus præfigurabatur, de quo dicit Pater: Matth. 17. 5. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Unde ait Apostolus: Rom. 8. 32. *Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et sacrificium Melchisedech tam vera erat significatio sacrificii Christi, ut inde prædictum sit: Ps. 109. 4. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Sequitur in mysterio.

68. *Supplices te rogamus omnipotens Deus*, &c. Hæc verba mysterii tam profunda, tam mira & stupenda quis comprehendere sufficiat? quis inde digne aliquid loquatur? magis veneranda sunt & pavenda, quam discutienda. Beatus tamen Gregorius, idoneus tanti mysterii interpres, in quodam loco aliquid de iis tamquam de re ineffabili pene ineffabiliter loquitur. Quis enim fidelium, inquit, habere dubium possit, in ipsa S. Greg. l. 4. Dialog. 60. immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo JESU CHRISTI mysterio angelorum choris adesse, summis ima sociari, terram cœlestibus jungi, unum quid ex visibilibus atque invisibilibus fieri? Idem etiam doctor quomodo accipiendum sit sublime altare Dei in conspectu divinæ majestatis ejus quodam loco subtiliter ostendit, exponens illum versiculum psalmi: *Constituite diem solemnem in confrequentationibus usque ad cornu altaris.* Psal. 117. 27. Dies, inquit, solemnis est Domino conjunctio cordis nostri; sed tunc in confrequentatione dies solemnis constituitur, cum in lacrymas pio amore ejus assidue mens movetur, cui velut si diceremus: Quamdiu ista acturi sumus? quamdiu tribulatione afficimur? Illico terminum quousque fieri debeat subjunxit, dicens, *usque ad cornu altaris*: cornu quippe altaris est exaltatio sacrificii interioris, ubi cum venerimus, jam nulla necessitas est, ut solemnem diem Domino de nostra lamentatione faciamus. Beatus quoque Augustinus de eodem sublimi altare dicit, exponens versiculum psalmi, *Lavabo* Psal. 25. 6. *inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum, Domine*, sic breviter designat: Munda, inquit, faciam inter innocentes opera mea, quibus amplexabor sublimia tua. Item alio loco exponens illum versiculum: *Et introibo ad altare Dei, ad Deum* Psal. 42. 4. *qui lætificat juventutem meam*, de eadem re S. Aug. in Psal. 42. n. 5. sic dicit: Est enim quoddam altare invisibile, ad quod non accedit injustus, ille solus accedit qui ad istud securus accedit. Illic inveniet vitam suam, qui in isto discernit causam suam; quale ibi sacrificium est, ipse qui intrat assumetur in holocaustum. Et repetit aliis verbis quid hoc altare sit, ad Dominum inquiens: *Ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Item alibi idem doctor exponens eumdem versiculum, quem & beatus Gregorius: Sic enim est, inquit, in domo illa sempiterna sacrificium laudis, & sacerdos sempiternus est, & altare sempiternum, pacata mens ipsa justorum. non ergo sufficiat in terra dies ille solemnis, quo Agnus occisus est, sed constituite illum in condensis sempiternum, alta & secreta rimantes, quo usque perveniatis, exaltatis a Deo mentibus vestris, usque ad ejus divinitatem. Et quid ibi aliud nisi laudes cantabimus? quid ibi aliud dicemus, nisi *Deus meus es tu, & confitebor tibi*.

Deus meus es tu, & exaltabo te? Non strepitu verborum istud dicemus, sed dilectio inhærens illi, per se ipsam clamat istam vocem, Dilectio ipsa vox est, Hæc de sublimi altare Dei in conspectu divinæ majestatis ejus necessario in hoc loco ex sanctorum patrum verbis posita sunt, ut quis carnaliter cogitans, æstimet in cœlis esse altare corporeum, ex cœlesti sive supercœlesti corpore factum; sed potius juxta sensum spiritalium patrum intelligamus sublime altare Dei, rationabile & intelligibile esse in electa & rationali creatura, angelica videlicet & humana, quæ in sanctis angelis, ex quo condita est, in sui contemplatione conditoris sublimata, & sibi nimium per spiritum pacis unita, verum & sublime altare Dei existit, ex quo accipit Deus sempiternum sacrificium laudis & hostiam jubilationis, ad cujus altaris unitatem adjungitur nunc per fidem, & in futuro per divinæ contemplationis speciem omnis multitudo hominum electorum. Sed quamdiu in ista mortalitate vivunt, antequam reipsa ingrediantur ad illud altare Dei antequam perveniant, usque ad cornu altaris, ut orationibus & supplicationibus suis tamquam in inferioribus adhuc positi, a supernis virtutibus juventur, ut earum interventione exaudiantur, & quasi de sublimitate altaris suscipiantur, sicut legimus, & Danieli oranti & deprecanti Gabrielem angelum apparuisse, eique dixisse: *Ab initio precum tuarum egressus est sermo, & ego veni propter sermones tuos, & nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael archangelus princeps vester.* Et in Zacharia propheta legimus pro consolatione & liberatione populi Dei angelum deprecantem & dicentem: *Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem & urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est.* Et respondit Dominus angelo verba bona, verba consolatoria. Similiter & ad Tobiam Raphael angelus dicit: *Quando orabas tu cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino, & nunc misit me Dominus, ut curarem te,* &c. Fit ergo & in ista oratione & oblatione sacra consecrationis aliquid incomprehensibile & ineffabile, & multo his omnibus mirabilius, ut per angelica ministeria & supplicationes tamquam de sublimi altari divinæ majestatis conspectibus offerantur in illa immolationis hora, cum adstantibus sibi ministris cœlestibus Christus, ut proposita consecret, adesse credendus est; de qua re commodum videtur beati Ambrosii verba ponere de expositione evangelii secundum Lucam: Non enim dubites, inquit, assistere angelum, quando Christus assistit, Christus immolatur. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus; unde non immerito etiam Zachariæ deprecanti apparuit angelus a dextris altaris incensi, quia veri sacerdotis jam nunciabatur adventus & cœleste sacrificium parabatur, in quo angeli ministrarent. Sic ergo cogitanda sunt, ut aliquid quo nihil sit melius atque sublimius illa cogitatione conemur attingere.

Dan. 9. 23. Zach. 1. 12. Tob. 12. 12. Amb. l. 1. in Luc. n. 28.

67. Similiter quoque & illud quod sequitur: *Ut omnes quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii corpus & sanguinem sumserimus, omni benedictione cœlesti & gratia repleamur.* Ista enim munera, ista sunt dona super omnem gloriam constituta, quibus fideles suos omnipotens Deus reficiens, glorioso Filii sui corpore vivificat, sanctificat, æternitati præparat, per hæc corda fidelium omni benedictione replet cœlesti & gratia, tribuens corporibus castimoniam, mentibus fidem, cogitationibus puritatem. Per hæc tuetur suos misericordia, confirmat spe, munit caritate, ut tanta Domini participatione, qui intra se Deum suscipientes, templum ejus effici mereantur. Quid sit ergo per participationem corporis & sanguinis Filii Dei omni benedictione cælesti & gratia repleri, & quantum hoc bonum debeat esuriri ac sitiri, audiamus beatum Ambrosium dulciter docentem & exhortantem: » Christus ecclesiæ cibus, Christus est potus. Caro Dei cibus, & Dei sanguis est potus. Christus nobis quotidie ministratur. Cibus iste non corpus impinguat, sed confirmat cor hominis. Hic est panis vitæ: qui ergo vitam manducat, mori non potest. Accedite ad eum, & satiamini, quia panis est. Accedite ad eum, & potate, quia fons est. Accedite ad eum, & illuminamini, quia lux est. Accedite ad eum & liberamini, quia ubi Spiritus Domini, ibi libertas. Accedite ad eum, & absolvemini, quia remissio peccatorum est. Corpus Domini Jesu postulatio est divinæ reconciliationis & protectionis æternæ. Accipe tibi munimentum, suscipe Dominum Jesum tuæ mentis hospitio, ubi corpus ejus, ibi Jesus est. Cum hospitium tuum adversarius viderit occupatum, cælestis fulgore prudentiæ intelliget locum tentamentis suis interclusum esse per Christum. Qui sit iste quæris? Audi ipsum dicentem: *Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriet; & qui credit in me, non sitiet umquam.* Sequitur in mysterio.

Joh. 6. 35.

66. *Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei,* &c. usque *lucis & pacis indulgeas deprecamur.* Orat pia mater ecclesia etiam pro defunctis suis, & eos sacræ oblationis intercessione commendat, certissime credens, quia sanguis ille pretiosus, qui pro multis effusus est in remissionem peccatorum, non solum ad salutem viven-

tium, ſed etiam ad abſolutionem valeat defunctorum, ſicut beatus Johannes teſtatur dicens: *Et ſanguis Filii ejus* JESU CHRISTI *emundat nos ab omni peccato.* Procedunt enim fideles de corpore exeuntes ad Dominum, ſed non præceduntur ab eccleſia, quia præcedunt cum ſigno fidei & dormiunt in ſomno pacis: cum ſigno fidei, quia ex aqua & Spiritu-ſancto renati, quia Chriſti cruce & paſſione ſignati. Dormiunt autem tamquam vere in reſurrectione ſuſcitandi. Dormiunt ergo in ſomno pacis, quia ab unitate & ſocietate Chriſti & eccleſiæ, nec per hæreſes, nec per ſchiſmata, nec per mortalia crimina ſeparati ſunt: in quibus etſi aliquando fuerunt, tamen per pœnitentiam ſanati, & per orationem eccleſiæ reconciliati, & remiſſionis myſterio ſociati, utique in pace obierunt, miſerante illo, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Neque enim piorum animæ mortuorum ſeparantur ab eccleſia, alioquin nec ad altare fieret eorum memoria in commemoratione corporis Chriſti, nec aliquid prodeſſet, ad ejus baptiſmum in periculis currere, ne ſine illo finiatur in hac vita; nec ad reconciliationem, ſi forte per pravam vel malam conſcientiam quiſque ab eodem corpore ſeparatus eſt. Cur enim iſta fiunt, niſi quia fideles etiam defuncti membra ſunt ejus? Quamvis ergo nondum cum ſuis corporibus, jam tamen animæ regnant cum Chriſto. Unde & in Apocalypſi legitur: *Beati mortui qui in Domino moriuntur, amodo jam dicit Spiritus ut requieſcant a laboribus ſuis, opera enim illorum ſequuntur illos*; & ipſe eſt verus ſabbatiſmus fidelium, id eſt requies, de qua dicit Apoſtolus: *Itaque relinquitur ſabbatiſmus populo Dei.* Qui enim ingreſſus eſt in requiem ejus, requievit ab operibus ſuis, quemadmodum & a ſuis Deus. Regnat itaque cum Chriſto nunc eccleſia in vivis & mortuis. Propterea enim, ſicut dicit Apoſtolus, *Mortuus eſt Chriſtus, ut & vivorum & mortuorum dominetur.* Unde & alibi ait: *Quoniam non poſuit nos Deus ad iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum* JESUM CHRISTUM, *qui mortuus eſt pro nobis, ut ſive vigilemus, ſive dormiamus, cum illo vivamus.* In quibus verbis vigilantes, viventes, dormientes mortuos intelligi voluit, ſicut iterum dicit: *Sive ergo vivamus, ſive moriamur, Domini ſumus.*

[1. Joh. 1. 7.] [Aug.] [Apoc. 14. 13.] [Heb. 4. 9.] [Rom. 14. 9.] [1. Theſ. 5. 9.] [Rom. 14. 8.]

69. GREGORIUS. Nam luce clarius conſtat, quia perfectorum juſtorum animæ mox ut hujus carnis clauſtra exeunt, in cæleſtibus ſedibus recipiuntur, quod & ipſa Veritas atteſtatur dicens: *Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ*, quia ubi ipſe redemtor noſter eſt corpore, illic procul dubio colligentur & animæ juſtorum. Et Paulus diſſolvi deſiderat & cum Chriſto eſſe. Qui ergo Chriſtum in cœlo eſſe non dubitat, nec Pauli animam in cœlo eſſe negat, qui etiam diſſolutione ſui corporis atque inhabitatione patriæ cœleſtis dicit: *Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo domum non manu factam æternam in cœlis.*

[Matt. 24. 28.] [2. Cor. 5. 1.]

70. VIGILIUS. Verum hoc de apoſtolis, martyribus, confeſſoribus, ceteriſque viris fieri notandum eſt. Nam ſunt quorumdam juſtorum animæ, quæ cœleſti regno, licet in beata requie, quibuſdam adhuc manſionibus differuntur, in quo dilationis damno oſtenditur, quod de perfecta juſtitia aliquid minus habuerunt. At vero nonnulli propter bona fidei opera ad electorum ſortem prærordinati, ſed propter mala aliqua quibus de corpore exierunt poſt mortem ſereno, caſtigandi recipiuntur flammis ignis purgatorii, & vel uſque ad diem judicii longa examinatione a vitiorum ſorde mundantur, vel certe prius amicorum fidelium precibus, eleemoſynis, jejuniis, fletibus, & hoſtiæ ſalutaris oblationibus, pœnis abſoluti, & ipſi ab beatorum perveniunt requiem. Illis ergo eorum ſacræ victimæ mortuis proſunt, qui hic vivendo obtinuerunt, ut eos etiam poſt mortem bona adjuvent, quæ hic pro ipſis ab aliis fiunt. Inter hæc autem penſandum eſt, quod TUTIOR VIA SIT, ut bonum quod quiſque poſt mortem ſperat agi per alios, agat dum vivit ipſe pro ſe. Beatius quippe eſt liberum exire, quam poſt vincula libertatem quærere. Propter illa ergo verba quibus dicitur, *qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis*, uſus fuit antiquorum, ſicut etiam Romana agit eccleſia, ut ſtatim recitarentur ex diptichis, id eſt tabulis nomina defunctorum, atque ita poſt lectionem nominum ſubjungerentur verba ſequentia: *Ipſis & omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii, lucis & pacis ut indulgeas deprecamur.* Ipſis videlicet quorum nomina memorantur, & ceteris omnibus in Chriſto quieſcentibus *locum refrigerii*, ubi non ſentiunt ardores pœnarum. *Et lucis*, de qua Pſalmiſta, *ut placeam coram Deo in lumine viventium. Et pacis*, de qua juſtus Simeon: *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace.* Et in qua ſanctorum martyrum animæ quieſcunt, dicente ſcriptura: *Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace.*

[Nota.] [Pſal. 55. 14.] [Luc. 2. 29.] [Sap. 3. 2.]

71. Hanc autem piam & religioſam obſervantiam, quam ex apoſtolica ſine dubio traditione ſuſceptam univerſa in mundo uniformiter & celebriter tenet eccleſia, etiam veteris teſtamenti ſcriptura & conſuetudo a patribus cuſtodita diligentiſſime commendat.

[Oratio pro mortuis ex traditione apoſtolica.]

commendat. Legimus namque in Machabæorum libris, quod vir fortissimus & pontifex Judas duodecim millia dragmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum, qui in bello ceciderant, considerans, quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam, ubi & hoc in laudibus fidei ejus adjungitur, quia & sancta & salubri cogitatione pro defunctis exorabat, ut a peccato solverentur. Sequitur in mysterio.

72. *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis*, &c. usque *Per Christum Dominum nostrum.* Commendatio pro spiritibus defunctorum per oblationem pietatis, ut in beatis electorum sedibus mereantur obtinere locum refrigerii, lucis & pacis, consequenter oratur omnipotens Deus, ut etiam ceteros fideles, qui superstites sunt & vivunt, id est sacerdotes & populum, per virtutem & gratiam ejus Deus venerabilis sacramenti auxilio ad eamdem beatitudinem perducat. Totius namque ecclesiæ vox est, id est sacerdotum & plebium cum humilitate & contritione cordis dicentium Deo: *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis*: quia licet omni tempore peccatores nos esse ex corde cognoscere debeamus, tamen maxime hoc attentius agendum & confitendum est, cum in illo sacro mysterio celebratur remissionis gratia, indulgentia peccatorum, & cum humilitate & contritione cordis dicendum Deo: *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis*, quia sicut scriptum est, etsi peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam, non de ullis nostris meritis, sed *de multitudine miserationum tuarum sperantibus*, corde in psalmo cantamus: *Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Recordanda namque sunt in hoc loco, & diligenter inculcanda verba Apostoli dicentis: *Omnis namque sacerdos ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit his qui ignorant & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate, & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro se offerre pro peccatis.* Ad quod beatus Gregorius in quodam loco exhortans dicit: Sed necesse est, ut cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus: quia qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc enim vere pro nobis Deo hostia erit, cum nos ipsos hostiam fecerit. Oratur itaque omnipotens Deus, ut non solum defunctis, quorum supra commemoratio facta est, sed etiam nobis peccatoribus de multitudine miserationum suarum sperantibus, partem aliquam & societatem donare dignetur cum suis sanctis apostolis & martyribus & omnibus sanctis pro modulo nostro, quibus nunc sociamur per communionem fidei, cum ipsis etiam societatem vitæ & beatitudinis æternæ in futuro accipiamus. Intra quorum nos consortium, ut nos Dei pietas introducat petimus, ut nobis non nostri meriti æstimator, sed veniæ sit largitor, ut quia sanctorum societati per meritum jungi non possumus, per indulgentiam conjungamur. Si enim æstimemur, & divino judicio ponderemur, nullus ad apostolorum & martyrum societatem assurget. In fine autem hujus orationis, sicut & in ceteris præcedentibus subjungitur *Per Christum Dominum nostrum*, & statim conclusio totius consecrationis sequitur dicendo:

Psal. 50. 3.

Heb. 5. 1.

73. *Per quem omnia semper bona creas*, &c. Per ipsum enim omnipotens Deus hæc bona omnia, quæ sacris altaribus consecrantur, non solum in exordio mundi creavit condendo quod non erat, per eumdem unigenitum Verbum suum dixit & factum est: *Germinet terra herbam virentem & afferentem semen, lignumque pomiferum faciens fructum.* In qua creatione utique & herba frumenti & lignum vini exortum est; sed etiam semper eadem bona creat, propagando & reparando, ut per annos singulos & novæ segetes & nova vina nascantur. De hac namque operatione regendæ, propagandæ & reparandæ creaturæ, ipse unigenitus Filius in evangelio dicit ad Judæos indignantes quod in sabbato curaret: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*, tamquam diceret: non sex tantum diebus primis, ut putatis, Pater operatus est, sed usque modo operatur, non novum creaturæ genus instituendo, sed quæ in principio creaverat, ne deficiant, propagando. *Et ego*, inquit, *operor*, subauditur usque modo, cum eo cuncta disponens, regens, accumulans. In quibus verbis æqualem se Deo Patri manifestissime prædicavit: quia quorum una eademque operatio, procul dubio æqualis est & majestas. Per ipsum enim, ut dictum est, Deus Pater hæc omnia bona semper creat, & creata ac suis conspectibus oblata sanctificat, ut quæ erant simplex creatura, fiant sacramenta; sicque sanctificando vivificet, ut sint mysteria vitæ, ut sumatur in eis vita, ut vitalem substantiam accipientibus subministrent. Sanctificando autem & vivificando ineffabiliter benedicit, quia ea omni benedictione cœlesti & gratia accumulat. Ita vero sanctificata & vivificata & benedicta præstat nobis per eumdem secum pariter sanctificantem, vivificantem & benedicentem, qui nobis de corpore & sanguine suo dedit tam salubrem refectionem. Manducent ergo qui manducant, & bibant qui bibunt, esuriant & sitiant, vitam manducent, vi-

Gen. 1. 11.

VIGIL.

AUG.

tam bibant. Illud manducare, refici est. Sed sic reficeris, ut non deficiat unde reficeris. Illud bibere quid est nisi vivere? Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam, & integra est vita. Tunc autem hoc erit, id est vita unicuique erit corpus & sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritaliter manducetur, spiritaliter bibatur.

74. Per ipsum ergo, ut dictum est, Deus Pater hæc omnia bona sanctificando & vivificando ineffabiliter benedicit, quia ea omni benedictione cœlesti & gratia accumulat & præparat nobis. *Per ipsum & cum ipso & in ipso est Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti omnis honor & gloria.* *Per ipsum* scilicet, tamquam per verum mediatorem Dei & hominum; *cum ipso*, tamquam coæquali; *in ipso*, tamquam vere consubstantiali. *Omnis vero honor & gloria* est Deo Patri per Filium, & cum Filio, & in Filio in unitate Spiritus-sancti, qui ex Patre Filioque procedens, unitatem Deitatis possidet cum Patre & Filio, atque ideo simul adoratur & conglorificatur. Insinuatur in Patre auctoritas, in Filio nativitas, in Spiritu-sancto Patris Filiique communitas, in tribus æqualitas per omnia sæcula sæculorum. Hoc est quod beatus Judas apostolus in fine epistolæ suæ velut distincte designanter exponit, dicens: *Soli Deo Salvatori nostro per Dominum nostrum* JESUM CHRISTUM *gloria, magnificentia, imperium & potestas ante omne sæculum, & nunc, & in omnia sæcula sæculorum.* (Jud. 25.) Cœpit enim sæculum, id est temporalis mutabilitas a conditione creaturæ: currunt sæcula præsentia, mutabilium rerum cursu labentia; succedent vero sæcula futura, incommutabili rerum statu æternaliter permanentia. Verum quia hæc omnia in æterna Dei sapientia, sine ullo omnino initio vel mutabilitate fixa sunt: quia, ut in evangelio legimus, *quod factum est in ipso vita erat*, (Johan. 1. 3.) bene intelliguntur ita dici sæcula sæculorum, tamquam sæcula in sapientia Dei inconcussa stabilitate manentia, istorum quæ cum tempore transeunt efficientia sæculorum. Aut certe simpliciter accipienda sunt sæcula sæculorum, vel ut consequentia præcedentium, vel continuata sibi commixtione copulentur, quæ appellantur sæcula sæculorum, donec totum potens sæculum, quod ex diversorum temporum sæculis contexerunt, perveniat ad finem, & succedat futurum sæculum, quod non habet finem, ubi Deus videbitur & laudabitur sine fine. *Amen* autem quod ab omni ecclesia respondetur, interpretatur verum, non ubicumque & quomodocumque, sed mystica religione. Hoc ergo ad tanti mysterii consecrationem, sicut & in omni legitima oratione respondent fideles, & respondendo subscribunt. Adjungit autem adhuc sacerdos & dicit Oremus. (Aug.)

75. *Præceptis salutaribus moniti*, &c. Dignum profecto fuit, ut tota hæc tam sacrosancta actio dominica oratione (*a*) concluderetur, & petitiones fidelium, quas vel propter futuram, vel propter præsentem vitam nos Dominus docuit, per eamdem passionis ejus commemorationem efficacius commendarentur. Admonetur ergo tota ecclesia, & dicitur a sacerdote *Oremus*, & orat ecclesia cum sacerdote, non voce, sed corde: labia clausa sunt, sed patet conscientia: silentium est, clamat pectus, sed auribus ille audit qui miseretur. Nam & Susanna dum damnaretur ab injustis judicibus, tacebat & orabat: os ejus non audiebatur ab hominibus, cor ejus clamabat ad Deum. Numquid quia vox ejus ore corporis non processit, propterea exaudiri non meruit? Exaudita est illa, sed quando oravit, nemo hominum scivit. Orat ergo sacerdos simul cum ecclesia, conversus ad Dominum, & dicit: *Præceptis salutaribus moniti*, &c. Hoc itaque nobis super omnia salutare est, quod nobis tantam gratiam per unigenitum suum contulit Deus Pater, ut tantam bonitatem cogitantes & amantes, sic agamus, ut non jam filii sæculi, sed Dei simus. Præceptis ergo salutaribus jussi, & divina institutione formati, non præsumtionis temeritate, sed obedientiæ pietate præsumimus dicere Deo: [*a*]

76. *Pater noster qui es in cœlis*, &c. Orationem (*b*) dicimus dominicam ad nostram proficientem salutem, qua nos unigenitus filius per lavacrum regenerationis & spiritum adoptionis, Dei filios esse dicere monuit, dicere jussit, & non humana, sed divina institutione ipse nobis orandi formam tribuit, ut Deo audeamus dicere: *Pater noster qui es in cœlis.* (Aug.) Credimus vero ubique esse Deum & divinitatis præsentiam, sed non ubique per habitationis gratiam. Propter hanc ergo inhabitationem ubi gratia ejus dilectionis agnoscitur, non dicimus Pater noster qui es ubique, cum & hoc verum sit; sed Pater noster qui es in cœlis, ut templum ejus potius in oratione commemoremus, quod & nos nosse debemus. Et in quantum sumus, in tantum ad ejus societatem & adoptionis familiam pertinemus. (Severianus.) Nec se Filius in hac oratione prætermisit, sed in Patris unitate conjunxit, qui & in Patre se orari jussit. Cum enim Patrem rogas, Filii nomen imploras. [*b*]

77. *Sanctificetur nomen tuum.* Non quod

(*a*) Sic S. Augustinus serm. 227. ad infantes: *Ecce ubi est peracta sanctificatio, dicimus Orationem Dominicam, quam accepistis & reddidistis. Post ipsam dicitur* Pax vobis, *& osculantur se Christiani in osculo sancto.*

[*b*] Quatuor S. Augustini sermones habemus ad competentes de oratione dominica scilicet 56. 57. 58. & 59. duosque inter supposititios 64. & 65. in quibus doctrina hic exposita fusius traditur.

optemus Deo ut sanctificetur orationibus A
nostris, sed quod petamus a Deo ut nomen
ejus sanctificetur in nobis. Ceterum a quo
Deus sanctificatur qui ipse sanctificat? sed
Levit. 11. 44. ipse dicit: *Sancti estote, quia ego sanctus sum.*
Hoc petimus & rogamus, ut qui in baptismo
sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus
perseveremus. Admonemur etiam
desiderare, ut nomen ejus quod semper
sanctum est; etiam apud homines sanctum
habeatur, hoc est non contemnatur, quod
non Deo sed hominibus prodest.

78. *Adveniat regnum tuum.* Hac petitione
desiderium nostrum ad futurum regnum
excitamus, ut nobis veniat, atque B
in eo regnare mereamur, id est ut veniat &
nobis, quod esse venturum non dubitamus
omnibus sanctis, id est ut regnum ejus mereamur
agnoscere.

78. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in
terra.* Non ut Deus faciat quod non vult;
sed ut facere possimus, quod Deus vult,
ut sicut angeli sancti, ita & nos faciamus
ejus voluntatem. Possumus etiam per cœlum
& terram intelligere spiritum & carnem:
quoniam spiritus e cœlo, caro e terra
esse cognoscitur. Sed spiritus cœlestia quærit, C
caro terrena concupiscit, & ideo petimus
ut voluntatem Dei his duobus concordantibus
faciamus. Potest & sic intelligi,
ut pro infidelibus, qui sunt adhuc in
terra orare intelligantur fideles, qui fidei
dono cœli nuncupantur, ut circa illos voluntas
Dei fiat, ad ipsum convertendo, ut
terra imitetur cœlum, & homo angelum,
infidelis fidelem. Ac per hoc oramus & petimus,
ut precem pro omnium salute faciamus.

80. *Panem nostrum quotidianum da nobis D
hodie.* Qua petitione nostra sufficientiam
quotidiani victus petimus, nomine panis
totum significantes, quoniam panis græce,
latine dicitur totum id sacramentum fidelium,
quod in hoc quoque tempore necessarium
est non tamen ad hujus temporis,
sed ad illam æternam felicitatem assequendam.
Nam panis vitæ Christus est, quem
dari nobis quotidie postulamus, ne qui in
Christo sumus, & eucharistiam quotidie sumimus,
intercedente aliquo graviori delicto, E
a Christi corpore separemur, ipso dicente:
Joh. 6. 51. *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi,
si quis ex hoc pane ederit, vivet in
æternum.* Sicut ergo manifestum est eos vivere,
qui corpus ejus vere & digne accipiunt;
ita contra timendum est, ne dum
qui separantur a Christo corpore perpetua
Ibid. 54. pereant morte, criminante Christo: *Nisi
comederitis carnem filii hominis, & biberitis
ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*
Et ideo panem nostrum, id est Christum
quotidie nobis dari petimus, ut qui in eo
manemus & vivimus, a sanctificatione ejus
& corpore non recedamus, sine quo vivere
in æternum non valemus.

81. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut
& nos dimittimus debitoribus nostris.* Hic admonemur
quid petamus & quid faciamus
ut accipere mereamur. Post subsidium cibi,
petitur & venia delicti, ut qui a Deo
pascitur in Deo vivat. Admonemur enim
quod peccatores sumus, quia pro peccatis
nostris rogare compellimur, ne quis sibi
quasi innocens placeat. Instituitur & docetur
peccare se quotidie, dum quotidie
pro peccatis jubetur orare. Addidit Deus
plane legem, certa nos conditione & sponsione
constringens, ut sic nobis dimitti debita
postulemus, secundum quod ipsi debitoribus
dimittimus: scientes impetrare
non posse veniam, quam pro peccatis nostris
petimus; nisi & ipsi circa debitores
nostros paria fecerimus, dicente evangelio:
In qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur Luc. 6. 38.
vobis. Et alio loco: *Cum statis ad orationem* Marc. 11. 35.
*remittite si quid habetis adversus aliquem,
ut & pater vester qui in cœlis est, remittat
vobis peccata vestra.* Excusatio denique
tibi in die judicii nulla superest, cum
secundum tuam sententiam judicaris; &
quod feceris aliis, hoc & ipse patieris. Similiter
quod fecimus ceteris, faciet nobis,
dicens in evangelio: *Si dimiseritis hominibus* Matt. 6. 14.
*peccata eorum, & pater vester cœlestis dimittet
vobis peccata vestra: si non remiseritis,
nec Deus dimittet vobis delicta vestra.*

82. *Et ne nos inducas in tentationem.* Petimus
ne deserti ejus adjutorio, alicui pravæ
tentationi vel consentiamus decepti, vel
cedamus afflicti. qua in parte ostenditur
nihil contra nos adversarium posse, nisi
Deus ante permiserit, & idcirco postulamus,
ut ejus adjutorio fulti, ita maneamus
vincti, ut ab hoste maligno non subjiciamur
tentanti.

83. *Sed libera nos a malo.* Hic admonemur
cogitare, nondum nos esse in eo bono
in quo nullum patiamur malum. quæ petitio
ita late patet, ut homo Christianus
in qualibet tentatione & tribulatione constitutus,
in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas
fundat. Et quando dicimus *libera nos a
malo*, nihil remanet quod ultra adhuc debeamus
postulare, quando semel protectionem
Dei adversus mala petimus. *Amen*
signaculum dominicæ orationis, quod interpretatur
vere, sive fideliter, attestatio
est veritatis, quod ex apostoli traditione
etiam ad ceteras orationes consuete respondet
ecclesia, sicut apostolus ad Corinthios
scribit, dicens: *Si benedixeris spiritu,* 1. Cor. 14. 16.
*qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen
super tuam benedictionem, quoniam quidem
nescit quid dicas?* Ex quo ostenditur non
posse ideo tam respondere verum esse quod
dicitur, nisi ante intellexerit. Post oratio-

nem dominicam, quam ad completionem perfecti mysterii tota ad Deum fundit ecclesia, sequitur in conclusione ejusdem orationis sacerdos & dicit.

84. *Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis*, &c. In quibus verbis mala præterita a quibus petimus liberari, peccata nostra transacta intelligenda sunt, quorum etsi actio jam cessavit in nobis, tamen reatus manet, nisi divina indulgentia deleatur. Unde admonet scriptura divina dicens.
Eccl. 20. 1. *Fili, peccasti, ne adjicias iterum; sed & de præteritis deprecare ut tibi dimittantur.* Mala vero præsentia, quia quotidie peccamus, necesse habemus dicere: *Dimitte nobis debita nostra.* Possunt & quotidiana peccata nostra in animo, & accidentes sæpe diversis languores & afflictiones in corpore exstrinsecus irruentes, innumeræ calamitates, ut fames, pestilentia, gladius, & cetera hujusmodi, quæ omnia quotiescumque patimur, ejus debemus implorare auxilium, qui solus sua pietate & animas curat & corpora. Et novit quando filiis suis, quos ad æternam hereditatem præparat, & flagellum correptionis & dulcedinem consolationis adhibeat. FUTURA enim mala quid aliud intelligenda, nisi quæcumque nobis accidere possunt saluti & paci contraria? sive per tentationes diaboli, sive per adversitates & miserias sæculi. Et maxime illa pro quibus effugiendis præcipue orare debemus, ut liberemur a ventura damnatione æterna, quæ sine dubio malis constat esse futura. Orat ergo sacerdos, immo tota ecclesia cum sacerdote, ut quod in fine orationis dominicæ dictum est, *Sed libera nos a malo*, ita nobis per Dei misericordiam præstetur, ut liberemur ab omnibus malis, id est quæ nobis vel in præterito acciderunt, vel in præsenti accidunt, vel in futuro accidere posse formidantur. Unde & Dominus sciens fragilitatem nostram in tantis periculis constitutam, misericorditer admonet dicens: *Vigilate & orate, ne intretis* (Matth. 26. 41) *in tentationem.* Et iterum: *vigilate itaque* (Luc. 21. 35.) *omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.* Sequitur sacerdos & dicit.

85. *Et intercedente pro nobis beata & gloriosa, &c.* Dominus populo Israëlitico, cum detineretur in Babilonica servitute captivus, dicens inter alia per Jeremiam prophetam: *Et orate pro pace civitatis, ad quam* (Jer. 29. 7.) *transmigrare vos feci, quia in pace ipsius erit pax vobis.* Similiter & Apostolus populum ecclesiæ exhortatur dicens: *Volo igitur primum* (1. Tim. 2. 1.) *omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & his qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate.* Juxta hanc ergo formam per prophetam & apostolum divinitus constitutam, populus fidelium in hujus sæculi peregrinatione, tamquam in Babylone captivus, & supernæ patriæ suspirans, orat etiam pro pace temporali, ne impediatur a pace spiritali & æterna, ut remotis per Dei pietatem persecutionibus, seditionibus, hostilitatibus, quietam & tranquillam vitam agat ecclesia in omni pace. Et hoc orat generali observantia sine intermissione in omni dominica oblatione, in qua juxta præceptum apostolicum obsecrationes suas, & orationes, & postulationes, & gratiarum actiones offert Deo. Hoc autem paucissimis, sed eminentissimis sanctis nominatis, a Deo exorat, videlicet ut intercedente in primis Dei genitrice, per quam humano generi salus exorta est, & batis apostolis Petro & Paulo atque Andrea, impetrare mereatur. In qua postulatione non ceterorum sanctorum intercessio prætermittitur, sed in istorum commemoratione omnium suffragia expetuntur, quia ut omnes sibi in Deo sociati & uniti existunt, ita omnes unum desiderant & rogant pro salute hominum, & ut in uno omnes pariter habeantur, & in uno omnes pariter negligantur. Non enim amant sancti suos electores, si suorum sociorum eos invenerint desertores, magisque offensurus est quisquis ita agendum putat eos ad quos se contulerit, quam eos a quibus abstulerit. Unitate enim gaudent & in Christo unum sunt.

86. Quod ergo dicit ecclesia: *Da propitius pacem in diebus nostris*, manifeste, juxta exemplum quod in Isaia legitur, hoc facit. Cum enim prædixisset idem propheta Ezechiæ regi nostro venturæ captivitatis mala, compunctus respondit: *Bonum verbum Domini quod locutus est, fiat tantum pax & veritas in diebus meis*, (Isa. 39. 8.) videlicet futura humiliter Dei judicio reservans, de præsenti vero quod ad suam & populi sui salutem pertinebat, deprecans: *Fiat*, inquit, *pax & veritas in diebus meis*: Pax, ne regni tranquillitas ab hostibus turbaretur: Veritas vero, ut in ipsa pace Dei cultus religionis veritas servaretur. Unde & Apostolus ubi hæc orari præcepit, utrumque simul posuit: *Ut quietam*, inquit, *& tranquillam* (1. Tim. 2. 2.) *vitam agamus in omni pietate.* Nam & quies & tranquillitas pertinet ad pacem, pietas ad divini cultus religionem. Ita ergo & ecclesia deprecatur pacem fieri in diebus nostris, quod & post nos alii, & post ipsos alii usque ad consummationem sæculi utique similiter orabunt.

87. Cum autem ipsam pacem postulet, subjungit, videlicet *ut ope*, id est auxilio & protectione *misericordiæ Dei adjuti*, quantum ad interiorem religionis devotionem pertinet, *simus semper à peccatis liberi*; quantum

tum vero ad interiorem pacem, simus etiam *ab omni perturbatione securi.* Nam pax in qua non divinæ religioni, sed mundanæ cupiditati servitur, non est justorum, sed iniquorum, de qualibus Psalm. ait: *Quia zelavi in peccatoribus pacem peccatorum videns.* Sequitur quod & in ista & in omnibus fere orationibus ecclesiasticis in conclusione subjungi solet:

Psal. 72. 3.

88. *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium*, &c. Quod utique certa ratione, ut sæpe dictum est, Catholica concelebrat ecclesia, propter illud utique sacramentum, quod mediator Dei & hominum factus est & homo CHRISTUS JESUS, sacercerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui per proprium sanguinem semel introivit in sancta, non utique manufacta, sed in ipsum cœlum, ubi est in dextera Dei, & interpellat pro nobis. Per ipsum ergo hostiam laudis atque orationis offerimus, qui per ejus mortem reconciliati sumus, cum inimici essemus. Christus namque in forma Dei permanens unigenitus Deus, cui cum Patre hostias offerimus, formam servi accipiens, sacerdos factus est, per quem hostiam vivam, sanctam, Deo placentem offerre possimus. Nec tamen hostia a nobis offerri potuisset, si Christus pro nobis factus hostia non fuisset. Cum vero dicimus *Filium tuum*, & adjicimus: *Qui tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus-sancti*; illam utique unitatem commemoramus, quam naturaliter habet Pater & Filius & Spiritus-sanctus. Ubi ostenditur, quod idem ipse Christus pro nobis sacerdotali est functus officio, cui naturalis est unitas cum Patre & Spiritu-sancto. Cum vero *in unitate Spiritus-sancti* dicimus, unam naturam Spiritus-sancti cum Patre Filioque monstramus. Unitas autem naturæ, quid aliud quam Trinitatem esse unum Deum, & hoc unum ostendit & regnum? Ubi autem regni naturalis est unitas, una regnandi permanet & potestas. Vivit ergo & regnat Christus Dominus noster cum Patre in unitate Spiritus-sancti per omnia sæcula sæculorum, sicut ipse in Apocalypsi loquitur, dicens: *Ego sum primus & novissimus, & vivus fui, & mortuus, & ecce sum vivens in sæcula sæculorum.* Ipsi namque dicitur in psalmo: *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi.* Et iterum: *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum.* De quo & in evangelio ad B. Mariam angelus dicit: *Et regni ejus non erit finis.*

FULG. epist. 14. ad Ferrandum n. 36. — Apoc. 1. 17. — Psal. 144. 13. — Luc. 1. 33.

89. Hac oratione expleta, commiscens sacerdos dominicam oblationem, ut calix Domini totam plenitudinem contineat sacramenti, tamquam per ejusdem mysterii copulationem imprecatur ecclesiæ pacem, dicens: *Pax Domini sit semper vobiscum*, cui tantum bonum ecclesia imprecatur respondens: *Et cum spiritu tuo.* Quid est autem pax Domini, nisi pax Christi? Pax autem Christi finem temporis non habet, & ipsa est omnis piæ actionis intentionisque perfectio. Propter hanc pacem in eum credimus & speramus, & amore ipsius, quantum donat, accendimur: propter hanc denique omnem tribulationem fortiter toleramus, ut in ea feliciter sine tribulatione regnemus. Vera enim pax unitatem facit, quoniam qui adhæret Domino unus spiritus est. Imprecata igitur pace, incipiens a sacerdote, dat sibi mutuo omnis ecclesia osculum pacis, ut omnibus vera pace unitis, fiat in eis locus Dei, sicut dicitur in psalmo: *Et factus est in pace locus ejus.* Et impleatur in ecclesia quod alibi psalmista dicens: *Deus in loco sancto suo, Deus inhabitare facit unanimes in domo.* Et hoc utique ex traditione apostolica servat ecclesia, cui frequenter ab ejusdem apostolis dicitur: *Salutate invicem in osculo sancto*, id est osculo vero, osculo pacifico, osculo columbino, non ficto & subdolo, quali usus est Joab ad occidendum Amasam, quali Judas ad tradendum Salvatorem, quali utuntur hi qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Illi ergo osculo sancto salutant invicem, qui non diligunt verbis nec lingua, sed opere & veritate.

Vid. S. Aug. Serm. 227. — Psal. 75. 13. — Psal. 67. 17. — VIGIL. — Rom. 16. 16.

90. Inter hæc omnia cantatur ab omnibus, & cantando oratur dicentibus: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, &c. Nullus enim tollit peccata, nisi ille de quo dictum est: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*; cui nullum bonum hominis impossibile, nullum malum est insanabile. Quomodo autem apostolus Petrus ostendit, qui ait: *Non corruptibilibus argento & auro redemti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni incontaminati & immaculati Christi.* Et in Apocalypsi Johannes apostolus: *Qui dilexit nos*, inquit, *& lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*, quando sanguinem suum dedit pro nobis in cruce, vel quando quisque nostrûm in mysterio sacrosanctæ passionis illius baptismi aquis ablutus est, verum etiam tollit peccata mundi, lavatque nos a peccatis nostris quotidianis in sanguine suo, cum ejusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur.

AUG. — VIGIL. — 1. Pet. 1. 18. — Apoc. 5.

91. Post hæc ergo sumta eucharistia, id est bona gratia, gratia enim Dei pro omnibus gustavit mortem, & celebrata gratiarum actione, respondetur ab omnibus *amen.* Hæc est enim clara vox sanguinis Christi, quam sanguis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redemtorum.

Augustinus serm. 272.

92. Finitis vero omnibus, adstanti & observanti populo absolutio datur, incla-

AUG. mante diacono. *Ite missa est.* Missa ergo nihil aliud intelligitur, quam dimissio, id est absolutio, quam celebratis omnibus tunc diaconus esse pronunciat, cum populus a solemni observatione dimittitur. Unde & missam catechumenorum canones dicunt, quando post evangelii lectionem incipiunt celebrari sacra mysteria, quibus nullum nisi baptismi fonte regeneratum interesse licet. Tunc enim, clamante diacono, iidem cathecumeni mittebantur, id est dimittebantur foras. Missa ergo catechumenorum fiebat ante actionem sacramentorum: missa fidelium fit post confectionem & participationem.

FLORI OPUSCULUM

ADVERSUS AMALARIUM.

Ex duobus mss. Pelteriano & Harlæano annorum 800. eruit Mabillonius.

Incipit epistola Flori totius veritatis plena, contra falsiloquas adinventiones Amalarii quondam Lugdunensis chorepiscopi, de Corpore Domini tripartito.

1 DOminis beatissimis, reverentissimis, & piissimis pastoribus gregis Christi, rectoribus ecclesiæ Dei, prædicatoribus, ac propugnatoribus catholicæ fidei, DROGONI sacri consilii magistro & pontifici clarissimo, HETI Trevirorum antistiti, ALDRICO reverentissimo Cenomannorum episcopo, RABBAN abbati venerabili, & ex provincia Lugdunensi prima ALBARICO Lingonum reverentissimis episcopis, ecclesiæ catholicæ indignus filius, & pietatis ac paternitatis vestræ exiguus servulus Florus.

Obsecro, mansuetissimi & benignissimi servi Christi, ut extremitatem meam periculis ecclesiæ Dei condolentem & compatientem, ac pro hoc necessitates ejus humiliter & fidenter ad vos referentem, in ipsius Christi, & Dei ecclesiæ piæ matris amore, pio ac benigno suscipiatis affectu. Exigua quidem & indigna est persona quæ loquitur; sed Domini est res, Domini est causa quam loquitur: digna certe, quæ a melioribus suggereretur, & idonea quæ ad vestrum jam olim judicium examinanda perferretur: sed quoniam fortius clamare solent qui atrocius vapulant, & qui maxima cogente indigentia importunius postulant, miseratione potius quam indignatione digni habentur: sit & mihi minimo sub vestra pietate tutum ac liberum inter flagella vapulantis ecclesiæ tristius vociferari, de cladibus ejus ac miseriis conqueri, & a vobis paternæ opis auxilium deprecari.

2. Idcirco enim ad vos, ô domini & patres beatissimi, qui & dignitatis culmine, & fidei sinceritate, & Dei timore, & scientiæ probitate præcellitis, & Lugdunensi ecclesiæ quidem familiarius obstricti estis, querelam hanc potissimum credidi deferendam: ut quanto plures divini muneris largitate præitis, tanto instantius & religiosius pro divinæ fidei & veritatis tuitione certetis; memores Spiritus-sancti per Salomonem talibus, quales Christi estis gratia, proclamantis: *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare necesse est.* Si dixeris, vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit, & servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera sua. Præcessit enim in præfata nuper ecclesia per prælatum ejus AMALARIUM error insanus & vanus, fidei & veritatis inimicus, religioni & saluti contrarius, quem primum quidem aggregata presbyterorum synodo, circumsedentibus omnibus, & velut præceptorem audientibus, viva voce conatus est serere, immo tota intentione & studio per totum triduum proponendo, exponendo, exigendo, omnibus inculcavit & tradidit, quasi novi testamenti minister, tabulis cordis carnalibus cuncta quæ asserebat, indelebiliter vellet imprimere. Deinde etiam magnum quemdam codicem quatuor voluminibus diffusum, a se compositum atque digestum, legendum transcribendumque tradidit, asserens eum Officialem nuncupari, tamquam de sacris officiis prudentissime & sufficientissime disputantem, qui tantis vesaniis & erroribus confertus est, ut quibuslibet etiam imperitis palam ridendus conspuendusque videatur. Protulit quoque Antiphonarium velut a se digestum atque correctum, cui talia ex suo sensu inseruit, ut pro ejus impudenti audacia frons legentis pudore ac rubore feriatur. Novissime vero novum digessit volumen, & apud Lugdunum ornate indui, ac vittis sericeis distingui fecit: quod ad palatium ferens, vel principi vel magistro consilii dicitur oblaturus. In quo vere tam inepto eloquio, tam absurdis sensibus, tam exquisitis & inauditis fantasiis involvitur, ut putes eum limphatico more bacchari. vocat hujus insulsissimæ garrulitatis librum, *Embolim opusculorum suorum*, & rectissime omnino. Est enim multiplicium errorum ejus velut cameli gibbus procrescens, ac redundans * argumentum.

Prov. 24. 11

* al. augmentum.

3. De singulis autem pauca proponere, & vestræ gravitati fastidiosum, & meæ supplicationis sermoni videtur incongruum, quem metuo rebus frivolis facere prolixiorem, ne in feriis ac necessariis onerosior videatur. Certe libri ipsi fere ubique dispersi, fere omnibus noti sunt, neque ullatenus ambigo, quin gravium ac pruden-

tium virorum judicio severius reprehendantur, quam exiguitatis meæ aut comprehendi ingenio, aut exaggerari possit eloquio. Attamen ne frustra opem sanitatis videar implorare, si dissimulo aut formido vulnus detegere, nonnulla vel breviter replicabo. Vos ut cœlestis cooperatores medici, sive antidoto fidei, sive scapello, aut cauterio sincerissimæ veritatis curate languida, resecate putrida, urite vitiosa, & saluti corporis Christi in commune prospicite. Absit, absit a vestræ gravitatis censura, ut in hujusmodi erroribus & ineptiis confutandis, aut personæ respectu, aut adulationis fuco, aut humanæ offensionis seu discriminis metu cujusquam pii & fidelis animus retardetur: cum res fidei, cum causa ecclesiæ, cum negotium Christi agitur, sola fides, sola mater ecclesia, solus amator veritatis, immo veritas Christus præ oculis habeatur.

4. Docet præceptor ipse AMALARIUS egregius, ita corpus Christi esse triforme & tripartitum, ut tria Christi corpora: primum quod ipse suscepit, secundum in nobis, qui super terram ambulamus; tertium in illis qui sepulti jacent. Asserit in mysterio sacrificii hac de causa tres debere fieri partes; unam calicis pro Christo, alteram in patena pro vivis, tertiam in altari pro mortuis. Dicit panem illum esse carnem Christi, sanguinem animam, ut sit totus Christus. Hæsitandum dicit, utrum corpus Christi de altari sumtum, in corpore nostro maneat usque in diem sepulturæ, an recipiatur invisibiliter in cœlum, an quando venam incidimus, cum sanguine profluat, an cum ceteris quæ in os intrant, in secessum labatur. Epistola ejus est in suo Officiali libro, ad juvenem nescio quem episcopum scripta, quæ hoc continet: Ubi etiam de sputis & flegmatibus spurcissime disputat, & cum sit tam sordidæ mentis putidæque doctrinæ, se spiritalem jactat, qui omnia dijudicet, & alios carnales & animales vocat. Calicem Domini vocat sepulcrum, presbyterum Joseph ab Arimathia, archidiaconum Nicodemum tamquam sepultores Christi; diaconos retro acclines apostolos, se in passione Domini velut contrahentes & occultare volentes; subdiaconos ad faciem erectos, mulieres libere astantes. Aliam partem mysticæ orationis, qua corpus Domini consecratur, Christo tribuit oranti in monte Oliveti: aliam in cruce pendenti, & post nescio quas fatuas divisiones, aliam morienti. Cum vero presbyter inclinatur, hoc esse: *Et inclinato capite tradidit spiritum.* *Joh. 19. 30.*

5. In anno legitima jejunia ad quatuor humores refert, quibus corpus vegetatur humanum, & pro his fieri asserit in eisdem jejuniis. Duas lectiones quarta feria ad missam legi, propter duo sydera ipso die condita, ut paganis ejus verbis utar, Phœbum & sororem ejus Phœbam. Nam & sanctum David semper in Domino fortem & bellicosum, more ethnico arsisse dicit in marte, quem dæmonem esse pessimum inventorem * tumultuum atque bellorum proclamat etiam poëta gentilis dicens: *Sævit toto Mars impius orbe.* In evangelio majoris Litaniæ, per panem intelligit fruges terræ: in pisce genita ex aquis: in ovo animalia quæ ex utroque sexu gignuntur in terris: talemque fantasiam sensus sui, evangelico præferens sensui, asserit pro talium rerum conservatione tunc a fidelibus celebrari letanias. Nam & messes tunc in profectum sunt, inquit, & pisces tunc veniunt & pulli campos tundunt. Addit insuper & quasdam significationes monstruosas, & instar antipodarum capite deorsum, pedibus sursum versis, ita ut in his præcedat res ipsa, & sequatur figura; cum e contrario umbræ legis, juxta Apostolum, res designent futurorum bonorum. Cum ab altari sumitur evangelium, ipsum altare significat Jerusalem, unde evangelium processit. Locus altaris, locum illum significat, ubi Jacob dormiens angelos vidit. Romanus pontifex, cum sabbato ante palmas eleemosynam dat, mulierem significat quæ Dominum unxit.

*al. incentorem.

6. Jam de sacerdotum & ministrorum sacris vestibus, de vasis divini ministerii, de cantorum tabulis, de signis æreis, de ipsis etiam indumentorum & calceamentorum fimbriis coloribus & speciebus, de officiis quoque sacris, & psalmorum distributionibus, quam inepta & fatua & omni risu digna contingit, quasi ei soli licuerit post legem & prophetas, post evangelia & apostolos, res typicas & mysticas in ecclesia statuere, ita ut mysteriorum ejus prævaricator habeatur, qui usu & consuetudine simplici aliud quid celebrare præsumserit. Dicit se in talium fantasiarum adinventionibus sancti Augustini auctoritatem sequi, eo quod obscura quæque & ambigua tamdiu ille tractari jubeat atque versari, donec ad dilectionem Dei vel proximi intelligentia perducatur: in quibus duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ. Nec considerat nimia novitatum cupiditate cæcatus, hæc illum de sacrarum scripturarum indagandis sensibus tradidisse: nempe libri in quibus hæc loquitur, de Doctrina Christiana titulantur, de sola in his scripturæ sacræ intelligentia regulæ traduntur, multa ibi de rebus, multa de signis disseruntur; & tamen de hujusmodi significationibus quas iste perquirit, nihil penitus dicitur, immo in libris ad Januarium, omnem ecclesiasticarum observationum varietatem triplici genere distinguit, univer-

sas videlicet aut ex scripturæ sacræ auctoritate, aut ex generali ecclesiæ traditione, aut ex diversorum locorum multiformi consuetudine eas asserens propagatas; & primas quidem ostendit numero esse paucissimas, sed observatione facillimas, significatione præstantissimas: secundas quoque pari religione asserit venerandas: in tertiis vero nullam omnino significationem, nullum requirens mysterium, sincerissimam atque gravissimam B. Ambrosii sententiam sequitur, ac velut cœleste oraculum sequendam proponit, quam eidem respondit de talibus consulenti: Ad quamcumque, inquiens, ecclesiam deveneris, ejus moram serva, si non vis alteri esse scandalum, nec quemquam tibi. In eisdem ad Januarium libris: Quidquid humana auctoritate statuitur, ac veluti sacramentum & mysterium tenetur, nullatenus approbandum, immo & indubie asserit resecandum.

7. Quid igitur novellus iste præceptor de mysteriis suis faciet? qua ratione tot vanitatum suarum commenta deffendet? scripturæ sanctæ auctoritas deest, ecclesiæ in talibus generalis traditio, & regula nulla est, doctrina patrum repugnat. Libellum Romani ordinis tantæ auctoritatis habet, ut eum pene ad verbum nitatur exponere; & tamen statim sibi ipse contrarius asserit hunc Romano archidiacono, cujus traditionibus gloriatur, ignotum. Quod si scripturarum sensus ad suas fabulas trahit, & commenta erroris sui ex his fulcire conatur; quis hanc nesciat hæreticorum propriam esse insaniam, ut sua semper mendacia veritatis specie pallient, vertentes juxta Isaïam argentum in scoriam, & cœlestis vigorem vini terrenæ fatuitatis aquæ miscentes? Ignoscat mihi indigno & exiguo vestra paternitas, si rem necessariam fidei & salubrem ecclesiæ devota supplicatione suggessero. Claudendus est plane juxta legis præceptum bos cornipeta, & os ejus sempiterni freno silentii constringendum, immo quia jam aut virum aut mulierem fortassis invasit, id est vel qui sibi fortis videtur, vel qui vere infirmus in fide est, scandalizavit, divinarum sententiarum capidibus* obruendus, nec carnes ejus, id est doctrina & sensus, ullatenus comedendæ. Nam quotiens de his arguitur vel monetur, nequaquam, ut piorum moris est, libenter & humiliter adquiescit, sed tunc jactantius & insolentius cornua erigens, multiplicat vesaniam, suam sic sentire clamans omnem Germaniam, sic totam Italiam, sic ipsam Romam, se fuisse Constantinopoli, se apud Histriam sive Lucaniam, & idcirco in talibus singularis auctoritatis existere. Nec ei sat est, quod ipse tantis implicatur erroribus, atque fantasiis, nisi & totum pene orbem sui complicem infamet. Persistit namque sub multorum pontificum ficta auctoritate, suum de sacrosanctæ eucharistiæ divisione ineptissimum, immo blasphemum confirmare sensum. neque enim nos cujusquam morem ecclesiæ reprehendimus, nec alteram alteri superbe præferimus, quas omnes in Christo constat vinculo pacis unitas, & Sancti-Spiritus distributione distinctas, sed sensum prophanum redarguimus, quem manifestissime, & scripturæ sanctæ, & fidei catholicæ, & unitati ecclesiæ inimicissimum constat. Vere nulli umquam licuit corpus Christi dicere triforme, vel tripartitum, quod apostolus unum semper, & unicum proclamat dicens: *Unus panis, unum corpus multi sumus*: Et iterum: *Multi unum corpus sumus in Christo.* Et alibi. *Unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.* Vere unius capitis Christi unum est omnium electorum corpus; uno spiritu vegetatum, suo capiti inseparabiliter unitum, suorum membrorum indissolubili connexione solidatum, atque compactum, sola gratiarum varietate distinctum, nec mortalitate divisum, nec ipsa morte solvendum. neque enim quia talium figmentorum doctor cum adhuc mortaliter vivit, pater autem forsan mortuus, & pulveri redditus est, idcirco vel a Christo, si ejus membra meruerunt, vel a se invicem, quantum ad gratiam unitatis corporis Christi attinet, mortalitatis aut mortis obstaculo divisi sunt, quoniam conditio mortalitatis & mortis ad pœnam pertinet prævaricationis antiquæ, non ad spiritalis innovationis ineffabilem unitatem. Unitatem istam sola caritas compaginat, sola iniquitas dissecat, testante apostolo; *qui adhæret Domino, unus spiritus est*, & Propheta e contrario inclamante, *iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum.*

1. Cor. 10. 17. Rom. 12. 5. Eph. 4. 14. 1. Cor. 6. 17. Isa. 59. 2.

* f. cuspidibus vel lapidibus.

8. Reprehendit sanctus Augustinus Tichonium, quod in libro regularum, unam de septem de corpore Domini bipartito nominaverit, mutatoque nomine inreligioso potius eam de corpore Domini vero atque simulato vel de corpore Domini permixto asserit nuncupandam, ita sanctus pater edocuit esse nunc propter unam bonorum & malorum piscium captionem in Christi corpore permixtionem.

9. Divisionem vero repudiavit, quoniam indissolubilis sacramenti unitas nullam penitus recipit sectionem. Quam misera autem anxietate ventilatur, & coartatur, cum corpus Christi humanæ corruptionis sordibus inquinari formidat, & idcirco vel in cœlum recipi invisibiliter vel in corporis nostri velut conditorio reponi mira vanitate delirat: addit quoque usque in diem sepulturæ, metuens, videlicet ne vel tunc nisi nescio quo invisibili modo, a nobis discretum

cretum fuerit corpus Christi nostri corporis conditione in pulverem dissolvatur. Quid autem honoris ei confert, si ex venæ incisione, mirum cur non & narium fluxu simul simul fluere opinatur? an non videmus quibus & quam sordidis animalibus, sive locis fusus pateat sanguis humanus? absint ab animo fideli de mysterio salutari atque cœlesti, tam ineptæ, & sordidæ cogitationes. prorsus panis ille sacrosanctæ oblationis corpus est Christi, non materie vel specie visibili, sed virtute, & potentia spirituali. Neque enim in agro nobis corpus Christi gignitur, aut in vinea sanguis ejus exoritur, vel torculari exprimitur. Simplex e frugibus panis conficitur, simplex e botris vinum liquatur, accedit ad hæc offerentis ecclesiæ fides, accedit mysticæ precis consecratio, accedit divinæ virtutis infusio; sicque miro, & ineffabili modo, quod est naturaliter ex germine terreno panis, & vinum, efficitur spiritualiter corpus Christi, id est vitæ, & salutis nostræ mysterium, in quo aliud oculis corporis, aliud fidei videmus obtentu, nec id tantum quod ore percipimus, sed quod mente credimus, libamus. Unde & fideliter petimus, ut quod ore contingimus, pura mente capiamus. Mentis ergo est cibus iste, non ventris; non corrumpitur, sed permanet in vitam æternam, quoniam pie sumentibus confert vitam æternam. pie autem sumit, qui spiritu fidei illuminatus, in illo cibo & potu visibili, virtutem intelligibilis gratiæ esurit ac sitit: & minus indulgentiæ, & salutis spiritaliter percipit... nullatenus cogitanda vel metuenda est in hoc mysterio ulla pollutio. Christus enim Dei virtus, & Dei sapientia in eo sumitur; quæ sapientia, ut scriptura testatur, candorem lucis æternæ, & emanatio quædam claritatis Dei sinceris, & ideo nihil inquinatum in illam incurrit, attingit autem ubique suam munditiam. Corpus igitur Christi, ut prædictum est, non est in specie visibili, sed in virtute spiritali, nec inquinari potest fece corporea, quod & animarum & corporum vitia mundare consuevit.

10. Obsecro, patres beatissimi, ut reminiscantur piissima corda vestra, & cum omni timore ac tremore cogitent, quanta extiterit in antiquis patribus cautela fidei, & cura veritatis, & quanto zelo perfidiæ semina & impietatis scandala exstirpaverint quatenus ecclesia Christi sponsa, Agni sponsi, ac Domini sui sanguine redemta, & ornata sine macula inveniretur, & ruga. Taceo Sabellium & Arrium, qui in summæ atque individuæ, & coæternæ Trinitatis fide peccaverunt. prætermitto Nestorium, & Euticem, quos in fide incarnationis unigeniti impia sensisse vulgatum est. nec illos contingo quilicet eamdem fidem Trinitatis tenentes, schismate obstinationis spiritu ab ecclesia recesserunt. Ad eos venio quos in cultu, & celebratione sacrorum sanctorum seu in superstitiosis quibusdam observantiis evanescentes, antiqua sinceritas foras misit. sunt Catafriges funesta, & Manichæi spurca celebrantes mysteria jure damnati; habeantur etiam Adamitæ ob impudentiam jure ab ecclesia pulsi. Nudi enim viri, & fœminæ ad imitationem Adæ mysteria exercebant, ecclesiamque suam paradisum vocabant, & tamen a superstitiosi cultus observantia quantum differt superstitio nuditatis. Artonitæ qui græco eloquio ex pane nuncupantur & caseo, merito judicentur extranei, quoniam pro pane & vino evangelico in mysteriis suis velut Caïn & Abel imitatores panem & caseum offerebant. Aquarii quoque similiter utpote aquam solam contra præceptum evangelicum offerebant, & tamen pie considerandum quod & hi, & illi ob hoc solummodo abjecti sunt, quia in mysterio sacrificii contra evangelicum & apostolicum constitutum, vel mutare quippiam, vel addere, aut subtrahere præsumserunt. Hæc igitur in sacris rite improbata jure videntur esse punita, utpote quibus tantum mysterium impie violatur. Oro, quid commeruerunt Euchitæ græco vocabulo ab orando nuncupati? quid Dactilici a digito, quid Aschitæ ab utre vocitati deliquerunt, ut ecclesiâ excluderetur? bona est oratio, & tamen primi ob nimium orationis excessum repulsi, bonum est & silentium, sed ob nimiam silendi superstitionem, ita ut digitum labiis opponerent, secundi abjecti sunt. Jam vero Askitæ quid agebant, quam leve nunc, quam non curandum, quam etiam ludicrum putaretur? utrem inflatum, & opertum ebrii circumvenientes* se utres novos evangelico vino repletos dicebant. Cavendum ergo, patres beatissimi, & paterna vigilantia providendum, ne forte & nunc hostis antiquus, qui tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, qui magnum de modico sæpe malum excitat, & de scintillis conflat incendia nova, per has novas fantasias in simplicium & ignorantium cordibus errorum semina nutriat. Curandum etiam ne per earum imperitissimum actorem divina volumina violentur: confert enim ea assidue cum hebræis; & quia nullam linguæ eorum, nullam litterarum familiaritatem habet, frequenter, ut audio, quæ sunt recta pervertit. Nam & in hac parte tantam patres adhibuere cautelam, ut evangelia quæ beatus Hieronymus ab Esitio, sive Luciano falsata esse commemorat, inter libros non recipiendos abjecerunt. Quanto etenim magis istius emendatio debet esse suspecta, qui in tantis, ut res ipsæ demonstrant, præceptum calcat

* al. circumeuntes.

Prov. 22. 28. scripturæ dicentis: *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* A

11. Hæc sunt, ô sanctissimi patres, quæ pro timore Dei, pro honore fidei, pro amore vestro, immo totius ecclesiæ, mansuetudini vestræ credidi intimanda. Nunc precor indignus, & obsecro per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, qui dilexit ecclesiam suam, & se ipsum credidit * pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, ut inflammemini veritatis zelo, & una cum sancto concilio expugnetis B errorem insulsissimum, neque de hac solum nostra, quæ prædæ, & direptioni, & conculcationi patet, sed & ex aliis Christi ecclesiis hujus superstitionis pestilentiam exterminetis. Credite enim, domini, omni mihi veneratione dignissimi, quia nihil ita hæc misera & miserabilis plangit ecclesia, sicut veritatis, quam non audit, dispendium, & multiplicium errorum, quos tolerare compellitur, incrementum. Videtis, sanctissimi, pro qua & adversus quem supplicem, pro ecclesia videlicet Christi, cui fidem & caritatem usque ad mortem debeo; C adversus fabricatorem mendacii, & cultorem perversorum dogmatum, qui temporibus prudentissimorum antistitum, temporibus religiosissimi principis, contra veritatem scripturarum, contra auctoritatem ecclesiasticorum patrum, contra omnem rationis ordinem, ecclesiæ Dei vivi, qui est columna & firmamentum veritatis, ausu temerario atque sacrilego, tanta errorum & superstitionum scandala inferre conatus est; quæ procul dubio habent initium truncum, & medium putridum, & finem ruinosum. Nam aut humiliter confitebitur errorem, ut possit dignam præbere satisfactionem; D aut si insaniarum suarum commenta pertinaciter atque impudenter asserere maluerit, quod ei non expedit, nec optamus; habet præcedentium in talibus rebus, ut supra ostendimus, exempla, quorum exitus pertimescat.

EXPLICIT.

**al. tradidit.*

IN NOMINE DOMINI JESU CHRISTI, incipit opusculum de causa fidei, apud Carisiacense episcoporum concilium nuper habita. E

1. RES nuperrime apud Carisiacum palatium, in generali & valde celebri episcoporum concilio, super quibusdam causis fidei & observationibus ecclesiasticis acta est, adeo memorabilis & salubris, ut licet in omnium fere notitiam propalata sit, dignissima tamen existat, quæ ad utilitatem & ædificationem fidelium litteris mandari, & cunctorum sensibus sollertissime debeat commendari.

2. Cum enim in sacro-sancto sacerdotali conventu, inspirante Domino, qui in nomine suo congregatis medium se affuturum promisit, clarus fidei ac veritatis fulgor aperitur, non oportet divinum munus obtegi, sed ad illuminationem ecclesiæ, & laudem nominis Dei aperta luce omnibus declarari, ipso Domino dicente: *Neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui est in cœlis.* Hac igitur intentione, ut Deus inspicit, præfatam rem laudabiliter atque utiliter gestam, tenui licet eloquio brevissime, quantum potero, ceteris * tradere, & piorum auribus, Christo Domino auxiliante, inculcare curabo. Quod præcipue nobis, id est universo clero ecclesiæ Lugdunensis necessarium duxi, ut quorum fides hactenus infausti & fantastici erroris fabulis improbe afflicta est, nunc paterno adjuta ac roborata suffragio, & evasisse se gaudeat & vicisse.

Matth. 5. 15.

**al. litteris.*

3. Auctor hujus inauditi exsecrandique erroris AMALARIUS omnibus notus est. Hic in tantum præsumtionis erupit, ut spreta scripturarum veritate, calcata sanctorum patrum auctoritate, doctrina damnabili sinceritatem fidei catholicæ violaverit, & simplicem ecclesiasticæ observationis cultum fallaciarum nebulis involvere ac decolorare ausus sit. Quam vanitatum suarum pestiferam vanitatem, non tam viva quam mortua voce, sed & librorum multiplicium monumentis longo jam tempore, ubi poterat, velut sator nocturnus tritico agri Domini zizania interserens, longe lateque disseminaverit, scripturarum testimoniis abutens ad aniles ineptias suas, & orthodoxorum patrum sententias coaptans fabulis suis.

4. Sensit, immo ingemuit hoc malum præsens ecclesia, cum in celeberrimo presbyterorum conventu, præsentibus chorepiscopis & archidiaconibus, præsentibus etiam nonnullis aliis ex clero, tam inepta & fidei contraria docere præsumsit, ut omnium horreret auditus; cum postmodum etiam detestandum opusculorum suorum codicem omni parochiæ nostræ velut legendum transcribendumque ingessit; sed & ante paucos dies cum alium librum suum huc detulit dementissimus, adinventionum suarum fantasmatibus plenum. Quæ omnia magis odio & oblivione, quam relatu digna libenter nunc silentio præterirem, nisi hæc vel tenui commemoratione præstringere, rei gestæ quam explicandam suscepi, ordo & causa deposceret. Neque enim

finis quæstionis potest rite agnosci, nisi ante initium sollicitius prænoscatur.

5. Asserit itaque doctor præfatus inter alia corpus Christi triforme, & tripartitum esse, immo tria esse Christi corpora. Corpus Christi quod in sacramento a fidelibus sumitur, vel in cœlum invisibiliter recipi, vel in corporibus sumentium manere usque in diem sepulturæ, vel ex incisione venarum cum sanguine fluere, vel in secessum labi opinatur. Diaconos altari cum assistunt inclines, asserit significare apostolos in passione Domini metuentes atque latitantes; subdiaconos, mulieres cruci intrepide assistentes; presbyterum, Joseph ab Arimathia; archidiaconum, Nichodemum; calicem sepulchrum; oblationem Dominici corporis dicit crucifixionem; lignum ipsum designare dicit doctores; lignum unde pendet, crucem; funem quo attrahitur, fidem; tintinnabulum quo resonat, linguam; manum trahentis cum levatur, vitam contemplativam; cum deponitur, activam. Exorcismos catechumenorum ad spiritalem emundationis affectum simpliciter depromendos, ad quinque sensus corporeos nimia carnalitate convertit.

6. Hisdem ipsis, sicut aures & nares, ita & oculos tangendos melius indicat. Antiphonarium Johannis Apocalypsi comparat. Atque has omnes & innumeras alias nænias per sanctum dicit Spiritum revelari, sibi usurpans testimonium Petri apostoli dicentis: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu-sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* (2. Pet. 1. 21.) Ex quo manifeste & se prophetam & doctrinam vanissimam & risu dignam, heu! miserabiliter deceptus, vult credi prophetiam. Verum ut quod cœptum est breviter explicetur; ubi doctrinæ hujusmodi contagium ad subversionem simplicium in hac ecclesia disseminari cœpit, pastor de commissi gregis salute sollicitus, cum multi mœroris amaritudine religioso principi causam innotuit, conquerens ac deplorans magnum ecclesiæ vulnus, & execrandam fidei maculam, sub istiusmodi novitatum præsumtione nutriri, nisi velocius Deo debita ejus providentia subveniret pii principis cura ardenter ac laudabiliter in Dei rebus sollicita, cum ob pleraque ecclesiæ negotia in prædictum palatii locum reverendos patres episcopos convenire jussisset, causam ad cognitionem atque examen concilii eorum proferri fecit, cumque in eorum auribus, tam inepta & profana novarum adinventionum commenta recitarentur, ipso quoque qui ea de cordis sui audacissima vanitate protulerat præsente; & res blasphemas religiosus horreret auditus, exigunt ab eo, si vere sua esset doctrina. negare non potuit, utpote quæ in libris

A quamplurimis ab ipso editis fere ubique vulgata sit. Interrogant ubi hæc legerit. Tunc ille maximo constrictus articulo, rem quæ neque de scripturis sumta est, neque de catholicorum patrum dogmatibus tracta, sed nec ab ipsis etiam hæreticis præsumta; quia aliud quod diceret penitus non habebat, in suo spiritu se legisse respondit. Sed mox tam superbam & fatuam responsionem veneranda synodus exsecrans, dixit: Vere ille fuit spiritus erroris. Meminerant enim beatum dixisse apostolum: *Novissimis temporibus discedent quidam* (1. Tim. 4. 1.) B *a fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium.* De qualibus & Ezechiel dicit: *Væ prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum* (Ezech. 13. 3.) *suum, & nihil vident.* Et iterum: *Videntes vana & divinantes mendacium, dicentes:* (Ibid. 22. 28.) *Hæc dicit Dominus, cum Dominus non sit locutus.* Unde & istiusmodi præsumtores Deus per eumdem prophetam suo deceptos esse judicio testatur dicens: *Et propheta cum erraverit a me, & locutus fuerit verbum in nomine meo quod non præcepi ei, ego* (Ezech. 14. 9.) *Dominus decepi prophetam illum.* Quos omnes Spiritu Dei vacuos, & spiritu proprio C inflatos, alienandos penitus a sanctorum cœtu terribiliter denuntians in concilio ait: *Populi mei non erunt, & in scripturas domus Israël non scribentur, nec terram Israël ingredientur*; (Ezech. 2. 10.) cumque, illo reticente ac de mendaciorum suorum deprehensis fallaciis confuso, veneranda synodus plurima loqueretur, deliberatum est doctrinam hanc esse omnino damnabilem, & ab omnibus catholicæ fidei cultoribus funditus respuendam, præcipiente nobis Apostolo ac dicente: *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* (Heb. 13. 9.) Diversam esse istam doctrinam a sinceritate veræ fidei, & omnino ab ecclesia peregrinam, D quippe quam nemo orthodoxorum patrum novit, nulla veritatis ratio fulcit, sed novitius atque adventitius error induxit; umbras & figuras in ceremoniis testamenti veteris extitisse; novum adventum Christi veritate fulgere, & fidei puritate, atque observantiæ simplicitate consistere, testante Apostolo: *Vetera transierunt,* (2. Cor. 5. 18.) *ecce facta sunt nova. Omnia autem ex Domino, qui reconciliavit nos sibi per Christum.* E Omnia igitur, id est & vetera & nova, & typum legis & evangelii veritatem unius & solius Dei non cujusquam hominis aut angeli auctoritate constare. Unde nemini deest omnino post utriusque testamenti ministros divino spiritu illustratos, divina auctoritate subnixos, in quibus & per quos ea quæ diversis temporibus ad salutem populi sui congrua judicavit, evidenter Deus & operatus est & locutus, licuisse aut licere nova figurarum genera vel mysteriorum sacramenta sancire, & ideo rationabile ob-

sequium ecclesiæ sive in ornatu vestium, A sive in multiplici vasorum ministerio, in simplicitate veritatis & fidei puritate, procul omni superstitionis phantasmate, remota omni nebulosi dogmatis vanitate, pure Deo & simpliciter exhibendum esse, in his honorem religionis, reverentiam divini cultus, lætitiam Christianæ devotionis, non figuras aliquas vel mysteria vanitatis. Jam vero illud quod corpus Christi triforme & tripartitum dicere, immo tria Christi corpora inauditæ temeritatis audacia asserere præsumsit, in tantum sacerdotes Domini exsecrati sunt, ut hoc, sicut supra ostensum est, de spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum fumtum dicere minime dubitarint, tamquam cum angelo Domini detestantes satan, qui dextris Jesu magni & veri sacerdotis adversari conatur, & exsufflantes dicerent: *Increpet Dominus in te satan, & increpet in te qui elegit Jerusalem.* Zach. 3. 2.

7. Corpus autem Domini, quod in mysterio a fidelibus sumitur, absit ut tam sordida vel superstitiosa mente quis appetat, ut aliquid horum quæ immundissime auctor doctrinæ confinxit, in suo animo & cogitationibus versari permittat. Quapropter cum omni desiderio & supplicatione pietatis divinam misericordiam implorandum, ut non solum ab auribus, verumetiam a cordibus nostris, talium fantasmatum, ac sordium labe remota... sempiternum munditiæ suæ, mentes nostras emundet, quatenus tam divinum gloriosumque mysterium puro sensu cogitantes, pura pietate sumentes, incorruptæ purificationis gratiam consequamur. Cum enim Dominus dicat: *Ego sum vitis vera, & Pater meus dat vobis panem de cœlo verum*; & *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*; & *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*; sicut nihil vitæ æternæ cibo nisi vera animæ refectio appetenda est; ita nihil penitus cogitandum, nisi quod spiritale & immortale est. Quid autem mirum si fidei gratia & virtute divina talis cibus sic sumitur, ut absorbeatur quod mortale est a vita? *Hic est*, ait Dominus, *panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit non moriatur.* Sed quid pertinet ad virtutem sacramenti, quod pertinet ad visibile sacramentum? Qui manducat intus, non foris; qui manducat in corde, non qui premit dente. Credere enim in eum, hoc est manducare panem vivum; qui credit, manducat; invisibiliter saginatur, quia & invisibiliter renascitur. Sacramenta sunt ista; ideo autem dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet spiritalem. Manet igitur in mente fidelium incorrupta venerabilis mysterii virtus, & efficacissima

Joh. 15. 1. Joh. 6. 32. Joh. 6. 55. Joh. 6. 57. Joh. 6. 50.

potentia, purgans delicta, emundans conscientias, perficiens gratiam redemtionis & salutis. Unde ait beatissimus Johannes: *Et sanguis Filii ejus* Jesu Christi *emundat nos ab omni peccato.* 1. Joh. 1. 7. Vas quoque electionis Paulus: *Quanto magis*, inquit, *sanguis Christi, qui per Spiritum-sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundavit conscientiam vestram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.* Heb. 9. 14. Sed & princeps apostolorum Petrus: *Scientes*, ait, *quod non corruptibilibus auro & argento redemti estis de vana vestra conversatione paternæ* B *traditionis, sed pretioso sanguine tamquam Agni incontaminati & inviolati Christi.* 1. Pet. 1. 18. Non ergo corruptibili redemti sumus. Hoc fidelis sumit ad vitam, indignus ad pœnam; hoc pretium redemtionis & viaticum salutis unusquisque fidelium sub hora mortis fideli pietate exposcit. Hoc se peccatorum veniam adepturum, a malignorum spirituum incursu in ipsa morte tuendum, ad paradisi amœna præsumit admittendum. Cumque pulvis revertitur in terram suam unde erat, spiritus tamen hujus muneris solatio fretus, hujus gratiæ præsidio munitus, redit ad Dominum qui dedit illum, nec in C depositione corruptibilis corporis sui amittens incorruptibilem gratiā corporis Christi. Hæc, prout Deo annuente potui, de concilio venerabilium episcoporum ad ædificationem ecclesiæ Dei, & confirmationem catholicæ fidei nuper habito, brevi paginula annotare curavi, verba eorum & sensus quibus valui verbis, & scripturarum testimoniis explicans & excogitati nuper, & execrandi erroris confutationem. In omnium qui hæc legere vel audire voluerint notitiam perferens, ut repudiata atque damnata pro- D fani dogmatis fabulosissima vanitate, & vanissima fabulositate, procul abjectis, & libris, & verbis mendacissimis vaniloqui doctoris, de purissimo scripturarum fonte, de sincerissima patrum doctrina, de venerabilis concilii auctoritate, fidei & scientiæ hauriamus fluenta, servantes sollicite semel traditum nobis fidei thesaurum, & fugientes oppositiones scientiæ falsi nominis; & profanas vocum novitates, de quibus Apostolus fideli discipulo ait: *O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum* 1. Tim. 6. 20. E *novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ quam quidam promittentes circa fidem exciderunt*, cum ergo istius modi pseudoscientia, & profana vocum novitas fidei excidium, & naufragium faciat, velut scyllam quamdam, & carybdim eam vitemus, metuamusque intima cordis formidine, ne forte jam in illo tempore esse cœperimus, de quo idem terribili denunciatione clamat Apostolus: *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus,* 2. Tim. 3. 4.

bus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur, statimque subjungit: *Tu vero vigila*, videlicet ne dormientibus patrisfamiliæ servis, inimicus homo superseminet zizania in medio tritici. Audiamus eumdem Apostolum alteri carissimo discipulo dicentem: *Stultas autem quæstiones, & genealogias & contentiones, & pugnas legis devita: sunt enim inutiles & vanæ.* Et protinus adjungit: *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita: sciens quia subversus est ejusmodi, & peccat proprio judicio condemnatus:* Sed & alio loco dicit: *Si quis autem docet & non adquiescit sanis sermonibus Domini nostri* JESU CHRISTI, *& ei quæ sec[...]um pietatem est doctrinæ, superbus est, ni[...]il sciens sed languens.* Circa quæstiones & pugnas verborum, nonne videtur Apostolus in his verbis velut digito monstrare præfatum nostri temporis vaniloquum præsumtorem, qui spernens sanos sermones Domini JESU CHRISTI, conculcans doctrinam pietatis, totus circa novas quæstiones, & inutiles adinventiones languidus & inquietus oberrat? Dominus enim noster JESUS CHRISTUS, qui est verus & veritas, verissimum corporis & sanguinis sui mysterium in evangelio exponere dignatus ait: *Amen, amen dico vobis, nisi mand[...]veritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Caro enim mea vere est cibus & sanguis meus vere est potus. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivit propter me.* Panis enim Dei est qui descendit de cœlo, & dat vitam mundo; *& panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Ecce sanos sermones domini nostri JESU CHRISTI, ecce doctrinam pietatis. Ecce verba vitæ æternæ, de quibus ipse ait; *verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Et Petrus ad illum: *Domine*, inquit, *verba vitæ æternæ habes.* Audiamus ergo verba vitæ ex ore vitæ. Carnem suam dicit a fidelibus manducari, & sanguinem suum potari. Vere illum cibum carnem suam esse, vere illum potum sanguinem suum existere confirmat. Seipsum asserit a fidelibus suis comedi, & sine hoc cibo neminem vere per hunc mundum vivere testatur. hunc esse panem de cœlo descendentem, id est carnem quam ipse tradidit pro mundi vita. hic panis cœlestis, quia cœleste, immo supercœleste verbum, nostri quidem generis, sed cœlestis originis caro factum est, & habitavit in nobis, neque carnem illam Dei genitrix ex voluntate viri, sed ex superventu Spiritus-sancti & obumbratione concepit virtus Altissimi. Ideo & de hoc pane olim fuerat prophetatum: *Panem cœli*

Tit. 3. 9.
1. Tim. 6. 3.
Joh. 6. 53.
Johan. 6. 63.
Ibid. 68.
Psal. 77. 25.

dedit eis, panem angelorum manducavit homo. Verbum enim Dei manens in cœlestibus supernis panis angelorum caro factum est, ut panem angelorum manducaret homo. quomodo igitur iste profanæ novitatis præsumtor, & quantum in se est tantæ pietatis violator, per quam in Christo fideles, & in suis fidelibus Christus manens, caput corporis ecclesiæ existit. Quomodo inquam unum cœlestem panem in tria dividit? aliud illic asserens esse Christum, aliud viventes fideles, aliud jam defunctos. Et Christum quidem calicis particula contineri, viventes in patenæ fragmentis, defunctos autem in tertia quadam altaris particula censeri. Ita errore sacrilego implicatur, ubi dominus JESUS CHRISTUS asserit semetipsum a fidelibus manducari, & vere carnem suam esse cibum, vere sanguinem suum potum, iste contendit vivos comedi, & defunctos. arguit ipso in se loquente apostolus hunc errorem: *Calix*, inquiens, *benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi? & panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* Iste autem e contrario in presbyterorum concilio docet, sanguis ille anima Christi est. Quid hac novitate profanius? Apostolus omni divisionis suspicione sublata, clamat assidue: *Multi unum corpus sumus in Christo.* Et iterum: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.* Et rursus, caput & corpus Christum & ecclesiam unum Christum esse contestans, dicit: *Sicut enim corpus unum est, & membra multa, omnia autem membra corporis cum sint multa; unum corpus sunt. Ita & Christus.* Unde & Corinthios male divisos, & texturam dominici corporis schismatibus disrumpentes objurgans clamat: *Divisus est Christus?* Hanc quoque unitatem in sacrificio sacro sancto mysterio asserens designari. *Unus panis*, inquit, *unum corpus multi sumus, omnesque de uno pane participamus.* Ita igitur omnes tam antiqui quam moderni, tam viventes quam dormientes, in Christo unus panis sumus, Christo incorporati & uniti, ut tamen omnes ad vitæ & salutis gratiam capiendam de uno participemur: illo videlicet qui descendit de cœlo, & dat vitam mundo. Sic omnes sancti sunt lapides vivi, sed per eum vivificati, de quo illis per Petrum apostolum dicitur; *ad quem accedentes lapidem vivum, & ipsi tamquam lapides vivi superædificamini.* Sic omnes efficiuntur lux, dicente Domino; *Vos estis lux mundi*, sed ex illo illuminati; de quo evangelista ait: *Ecce lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Sic ergo & unus panis existunt, sed illius participatione vitalem substantiam trahentes, qui dicit: *Ego sum panis*

1. Cor. 10. 16.
Rom. 12. 5.
Ephes. 4. 4.
1. Cor. 12. 12.
1. Cor. 1. 13.
1. Cor. 10. 17.
1. Pet. 2. 4.
Matt. 5. 14.
Joh. 1. 9.
Joh. 6. 41.

vivus qui de cœlo descendi. Participantur quidem, & communicant sibi invicem omnes fideles per societatem & communicationem spiritus, per unitatem fidei, spei & caritatis, dicente Apostolo: *Gratia domini nostri* JESU CHRISTI, *& caritas Dei, & communicatio Sancti Spiritus, sit cum omnibus vobis.* Omnis tamen hæc participatio & communicatio, quæ illis non utique de invicem, sed ad invicem existant, ad illum tendit, & ex illo solo vegetatur, qui est fons vitæ, de quo beatus Johannes dicit: *Quod vidimus, & audivimus, annuntiamus vobis, ut & vos communionem habeatis nobiscum & communio nostra sit cum Patre, & cum Filio ejus* JESU CHRISTO. Christus enim JESUS caput & vertex ecclesiæ, & idcirco ad vitæ æternæ commercium illi connectitur & cohæret, & in illum tota concurrit ecclesia, ut fonte capitis totum corpus irrigetur, & vivat dicente Apostolo: *Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in caritate.* Et iterum: *nemo vos seducat*, volens in humilitate & religione angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per connexum & conjunctionem subministratum, & constructum crescit in augmentum Dei. Hanc unitatem ineffabilem ecclesiæ, id est corporis sui, ipse dominus JESUS quem omnium caput significabat dicens: *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor.* Pro hac adunatione, & unitate corporis sui suscepit mortem, testante evangelista. Quia JESU moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente, sed ut filios qui erant dispersi congregaret in unum, pro hac Deum patrem in qua nocte tradebatur exorare dignatus est, dicens: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos.* Et post pauca: *non pro his autem rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint*, & *Ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum sicut nos unum sumus. ego in eis & tu in me, ut sint consummati in unum.* Hæc est ineffabiliter mirabilis unitas domini JESU, & corporis ejus, quam nemini licitum est violare aut dividere, præcipiente lege de agno paschali: *Os non comminuetis ex eo.* Vere enim quantum in se est, os Agni nostri comminuit qui virtutem & robur tantæ compaginis infringit. Hujus unitatis mysterium, jam olim in Adam & Æva præfiguratum, & in novissimis temporibus in Christo, & in ecclesia revelatum Adam prophetavit. Apostolus exposuit dicens; *propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Sacramentum, inquit, hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in ecclesia, quod ipse dominus JESUS in evangelio memorans adjunxit dicens: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus junxit, homo non separet.* Volumus scire quanta vigilantia cavendus sit, quantumque nefas præsumat, qui hanc unitatem violare ac dissoluere conatur? Audiamus beatum Johannem apostolum dicentem: *Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt. In hoc cognoscitur spiritus Dei. Omnis spiritus qui confitetur* JESUM CHRISTUM *in carne venisse, ex Deo est; & omnis spiritus qui solvit* JESUM, *ex Deo non est, & hic est antichristus.* Audiat ergo hoc etiam iste, qui ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ, & non spiritum Dei sequens, sed spiritum suum, JESUM, quantum in se est solvit ac dissipat, dividens eum in tres partes, in tres formas, & in tria corpora. Audiat, inquam, & æterno silentio conticescat: *Omnis spiritus, qui solvit* JESUM *ex Deo non est, & hic est antichristus.* Audiamus & apostolum Paulum, nos in semel tradita fidei veritate solidantem, atque dicentem: *Si quis vobis evangelizaverit præterquam quod accepistis, anathema sit.*

8. Ignoscat mihi indigno, ô domini venerabiles, vestra dilectio, quia hæc non superbiæ fastu, nec malitiæ alicujus instinctu, sed amore ecclesiæ hujus dominæ & nutricis meæ loquor, cui non solum, prout Deus inspirare dignatur, exhortationis verbum, sed & omne debeo caritatis & pietatis obsequium; præsertim hoc tempore, quo tam lacrymabili calamitate, peccatis nostris exigentibus, afflicta est, ut habeat episcopum sine potestate, magistrum sine veritate. Nunc ad finem sermonis commodum duxi paucas ecclesiasticorum patrum sententias ponere, quibus adversus omnia fallaciarum commenta, quæ huic ecclesiæ ineptus fabulator conatur ingerere, velut turribus & propugnaculis muniamur, fiatque in nobis, divina favente gratia, quod Apostolus optat & obsecrat, dicens: *Obsecro autem vos, fratres, ut & id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu & in eadem sententia.* Et iterum: *Sicut ergo accepistis* JESUM CHRISTUM *Dominum, in ipso ambulate radicati, & superædificati in ipso, & confirmati fide.* Itaque alio loco: *Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si quæ societas spiritus, si quæ viscera & miserationes, implete gaudium meum,*

2. Cor. 13. 13. 1. Joh. 1. 3. Eph. 4. 15. Eph. 5. 6. Joh. 10. 16. Joh. 17. 11. Joh. 19. 36. Eph. 5. 31. Matth. 19. 6. 1. Joh. 4. 1. 1. Joh. 2. 22. Gal. 1. 9. 1. Cor. 1. 10.

ut idem sapiatis; eamdem caritatem habentes, unanimes id ipsum sentientes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam. Et alibi: *Et si quid*, ait, *aliter sapitis, & hoc vobis revelavit Deus.* Verumtamen ad quod pervenimus, ut idem sapiamus, & in eadem permaneamus regula. Panem qui in mysterio sumitur, corpus & carnem Christi esse, immo ipsum esse Christum & Dominum, ex libro sancti Cypriani de Oratione Dominica, panem nostrum quotidianum, [invenimus.]

9. Panis vitæ Christus est, & panis hic omnium non est, sed Dominus noster est; & quomodo dicimus Pater noster, quia intelligentium & credentium pater est; sic & panem nostrum vocamus, quia Christus eorum, qui corpus eorum contigimus, panis est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & eucharistiam ejus quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviori delicto, dum abstenti, & non communicantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur, ipso prædicante & dicente: *Ego sum panis vitæ qui de cœlo descendi; si quis ederit de hoc pane, vivet in æternum. Panis autem quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita.* Quando ergo dicit in æternum vivere si qui ederit de ejus pane, ut manifestum sit eos vivere qui corpus ejus attingunt, ita contra timendum est & orandum, ne dum quis abstentus separatur a Christi corpore, extraneus remaneat a salute, comminante ipso & dicente: *Nisi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, & ideo panem nostrum, id est Christum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Christo manemus & vivimus, a sanctificatione ejus & corpore non recedamus.

Joh. 6. 41.

Joh. 6. 54.

Item ex tractatu Psal. 80. *S. Hieronymi.*

10. Vis accipere domini cibos? vis comedere ipsum Dominum tuum & Salvatorem? Audi quid dicat: *Dilata os tuum, & implebo illud.* Dilatate ora vestra, ipse est & Dominus & panis. Ipse hortatur nos, ut comedamus, & ipse noster cibus est, quantumcumque dilataveris, tantum accipies.

Psal. 80. 11.

Item ex homilia sancti Augustini.

11. In altaris mysterio Dominum sumi, nec aliqua posse divisione partiri, qualem vocem Domini audistis invitantis nos. Quis invitavit? quos invitavit? & quid præparavit? Invitavit Dominus servos, & præparavit eis cibum seipsum. Quis audeat manducare Dominum suum? & tamen ait: *Qui manducat me, vivit propter me.* Quando Christus manducatur, vita manducatur, nec occiditur, ut manducetur; sed mortuos vivificat quando manducatur. Reficit, sed non deficit. Non ergo timeamus, fratres, manducare panem istum, ne forte finiamus illum, & postea quem manducemus non inveniamus. Manducatur Christus, vivit manducatus, quia resurrexit occisus; nec quando manducamus, partes de illo facimus. Et quidem in sacramento sic fit, & norunt fideles quemadmodum manducent carnem Christi. Unusquisque accipit partem suam; unde & ipsa gratia partes vocantur. Per partes manducatur in sacramento, & manet integer totus in cœlo, manet integer totus in corde tuo; totus enim erat apud Patrem, quando venit in Virginem. Implevit illam, nec recessit ab illo; veniebat in carnem, ut eum homines manducarent; & manebat integer apud Patrem, ut angelos pasceret. Quod enim scitis, & qui scitis, & qui nescitis scire debetis. Quando Christus factus est homo, panem angelorum manducavit homo. Unde, quomodo, qua via, quibus meritis, qua dignitate panem angelorum manducaret homo, nisi creator angelorum fieret homo?

Joh. 6. 57.

Item sancti Gregorii de eadem re, ex homilia natalis Domini.

12. Qui ergo æternus permanens temporalis apparuit, alienum est ubi descendit; & quia per prophetam dicitur: *Omnis caro fœnum*, factus homo, fœnum nostrum vertit in frumentum, qui de seipso ait: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Unde & natus in præsepio reclinatus ponitur, ut fideles omnes, videlicet sancta animalia carnis suæ frumento reficeret, ne ab internæ intelligentiæ pabulo jejuna remanerent.

Isa. 40. 6.

Joh. 12. 24.

Item ejusdem in alia homilia de eadem re.

13. Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis. Fecit quod monuit, ostendit quod jussit, bonus pastor pro ovibus animam suam posuit, ut in sacramento nostro corpus suum & sanguinem verteret, & oves quas redemerat carnis suæ alimento satiaret.

Ejusdem de ea re ex Dialogorum libris.

14. Hæc namque singulariter victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis morte unigeniti per mysterium reparat: qui licet surgens a mortuis, jam non moritur, & mors ei ultra non dominatur: tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salute partitur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium sumitur.

Mysterium vestis Christi, id est corporis ejus, scindi non oportere, ex libro S. Cypriani de ecclesiæ unitate.

15. Dominus dicit: *Ego & Pater unum* Joh. 10. 30.

simus. Et iterum de Patre & Filio & Spiritu-
Joh. 5. 7. sancto scriptum est: *Tres unum sunt*; &
quisquis credit hanc veritatem de divina
firmitate venientem, sacramentis cœlestibus hærentem scindi in ecclesia posse hoc unitatis sacramentum, hoc vinculum concordiæ inseparabiliter cohærentis ostenditur, quando in evangelio tunica Domini nostri JESU CHRISTI non dividitur omnino, nec scinditur, sed sortientibus de veste Christi, quis Christum potius indueret, integra vestis accipitur, & incorrupta atque indivisa tunica possidetur. Loquitur
Joh. 19. 23. ac dicit scriptura: *De tunica autem, quia de superiore parte non consutilis, sed per totum textilis fuerat, dixerunt ad invicem: Non scindamus illam, sed sortiamur de ea cujus sit.* Unitatem ille portabat de superiore parte, id est de cœlo & Patre venientem, quæ ab accipiente scindi omnino non poterat, sed totam semel & solidam firmitatem inseparabiliter obtinebat. Possidere non potest indumentum Christi, qui scindit & dividit ecclesiam Christi. Contra denique, cum Salomone moriente regnum ejus & populus scinderetur, Achias propheta Jeroboam regi obvius factus in campo in duodecim scissuras vestimentum suum
3. Reg. 11. 31. discidit dicens: *Sume tibi decem scissuras, quia hæc dicit Dominus: Ecce scindo regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem sceptra, & duo sceptra erunt ei propter servum meum David, & propter Jerusalem civitatem quam elegi, ut ponam nomen meum illuc.* Cum duodecim tribus Israël scinderentur, vestimentum suum propheta Achias discidit. At vero quia Christi populus non potest scindi, tunica ejus per totum textilis & cohærens divisa a possidentibus non est, individua, copulata, contexta, ostendit populi nostri, qui Christum induimus, concordiam, cohærente sacramento vestis & signo, declaravit ecclesiæ unitatem. Quis ergo sic sceleratus & perfidus, quis sic discordiæ furore vesanus, ut aut credat scindi posse, aut audeat scindere unitatem Dei, vestem Domini, ecclesiam Christi.

16. Ille sacerdos vice Christi vere fungitur, quidquid Christus fecit imitatur, & sacrificium verum & plenum tunc offert in ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre quomodo ipsum Christum videt obtulisse. Non est ergo quod aliquis existimet sequendam esse quorumdam consuetudinem; quærendum est enim ipsi quem sint secuti: nam in sacrificio quod Christus obtulit, nonnisi Christus sequendus, utique id nos obaudire & facere oportet quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandavit,
Joh. 15. 15. quando ipse in evangelio dicat: *Si feceritis quod mando vobis, jam non dicam vos servos, sed amicos.* Et quod Christus debeat solus audiri. Pater etiam de cœlis contestatur dicens: *Hic est filius meus dilectissimus, in quo bene sensi, ipsum audite.* Matt. 17. 5.
Quare si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid alius ante nos faciendum esse putaverit, sed quod qui ante omnes est Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei virtutem. Cum per Esaiam prophetam Deus loquatur & dicat: *Sine causa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes.* Matt. 15. 9.
Et iterum Dominus in evangelio hoc idem repetit dicens: *Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis.* Marc. 7. 9.
Sed & alio loco ponit & dicit: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Matt. 5. 19.
Quod si nec minima de mandatis Dominicis licet solvere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominicæ passionis, & nostræ redemtionis sacramentum pertinentia fas non est infringere, aut in aliud quam quod divinitus institutum sit, humana traditione mutare? tota ipsa redemta civitas, hoc est congregatio societasque sanctorum, universale sacrificium offertur Deo per sacerdotem magnum: qui etiam se ipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus, secundum formam servi. Hanc enim obtulit, in hac oblatus est, quia secundum hanc mediator est. In hac sacerdos, in hac sacrificium est. Cum itaque nos hortatus esset Apostolus, *ut exhibeamus corpora nostra hostiam vivam*, intulit post aliquanta: Rom. 12.
Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eosdem actus habent; ita multi unum corpus sumus in Christo: singuli autem alter alterius membra; hoc est sacrificium Christianorum, multi unum corpus in Christo, demonstratur quod in eadem re quam offert ipsa offeratur.

Ecclesiarum diversitates fidei unitate constare, ex libris sancti Cypriani de unitate fidei.

17. Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia una est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur, quomodo solis multi radii, sed lumen unum, & rami arboris multi, sed robur unum tenaci caritate fundatum. Et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas* licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fructus germinare non potest; a fonte præcide rivum, præcisus arescit. Sic ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas

* al. universitas.

tas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius pandit, unum tamen caput est, & origo una, & una mater fœcunditatis successibus copiosa, illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur.

Non pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda, ex epistola S. Greg. ad Aug. episcopum Anglorum scripta.

18. Novit fraternitas tua Romanæ ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit nutritum. Sed mihi placet, ut sive in Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite elige, & in Anglorum ecclesia, quæ adhuc ad fidem nova est, institutione præcipua quam de multis ecclesiis colligere potuisti, infunde; non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt elige, & hæc quasi in fasciculum collecta apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.

In vestibus & cultu ecclesiastico non superstitiosum mysterium præferri, ex epistola S. Celestini papæ ad episcopos Galliarum scripta.

19. Didicimus quosdam Domini sacerdotes superstitioso potius cultui inservire, quam mentis vel fidei puritati. *Et post pauca :* Amicti pallio & lumbos præcincti credunt se sanctæ scripturæ fidem non per spiritum, sed per litteram completuros. Nam si ad hoc ista præcepta sunt, ut taliter servarentur, cur non fiunt pariter quæ sequuntur, ut lucernæ ardentes una cum baculo in manibus teneantur? Habent suum mysterium, & intelligentibus ita clara sunt, ut ea magis quam decet significatione serventur. Nam in lumborum præcinctione castitas, in baculo regimen pastorale, in lucernis ardentibus boni fulgor operis, de quo dicitur sic : *opera vestra luceant*, indicatur. Habent tamen istum forsitan cultum, morem potius quam rationem sequentes, qui remotioribus habitant locis, & procul a ceteris degunt. Unde hic habitus in ecclesiis Gallicanis, ut tot annorum tantorumque pontificum in alterum habitum consuetudo versatur. Dicernendi a plebe vel ceteris sumus doctrina, non veste; conversatione, non habitu; mentis puritate, non cultu. Nam si studere incipiamus novitati, traditum nobis a patribus ordinem calcabimus, ut locum supervacuis superstitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes ad talia non debemus inducere. Docendi enim sunt potius quam ludendi, nec imponendum est eorum oculis, sed mentibus infundenda præcepta sunt.

Item S. Hieronymi de simplici ministrorum & sacerdotum ornatu ex libris dialogorum Attici & Cristoboli.

20. Adjungis gloriam vestium, & ornamentorum Deo esse contrarium. Quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem? si episcopi, si presbyteri, si diaconi & reliquus ordo ecclesiasticus in administratione sacrificiorum candida veste processerit? Cavete clerici, cavete monachi, viduæ, & virgines, periclitamini nisi sordidas vos atque pannosas vulgus aspexerit. Taceo de hominibus sæculi, quibus aperte bellum indicitur, & inimicitiæ contra Deum, si pretiosis atque nitentibus utuntur exuviis. In sacerdotio ecclesiæ non mysticum vestium ornatum, sed splendorem quærendum animarum, ipsa consecratio monstrat pontificis, ita se habens, Deus qui Moysem famulum tuum secreti familiaris affatu, inter cætera cœlestis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestiri inter sacra jussisti, ut intelligentiæ sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deesset ætati, cum & apud veteres reverentiam ipsa significationum species obtineret; & apud nos certiora essent experimenta rerum, quam ænigmata figurarum. Illius namque sacerdotii anterioris habitus nostræ mentis ornatus est, & pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat vestium, sed splendor animarum. Quia & illa quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius quæ in ipsis erant intelligenda, poscebant. Et idcirco huic famulo tuo, quem ad summi sacerdotii ministerium elegisti, hanc quæsumus Domine gratiam largiaris, ut quicquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multimodi operis varietate signabant, hoc in ejus moribus actibusque clarescat.

Falsos codices, & a fidei sinceritate discordes, in nullo usu lectionis habendos : quin potius igni tradendos, ex epistola sancti Leonis papæ ad Turibium Asturiensem.

21. Curandum ergo est, & sacerdotali diligentiæ maxime providendum, ut falsi codices, & a sincera veritate discordes, in nullo usu lectionis habeantur. Apocriphæ autem scripturæ quæ sub nominibus apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solum interdicendæ sunt, sed etiam penitus auferendæ, atque ignibus concremandæ, quia quamvis sint in illis quædam quæ videantur speciem habere pietatis, numquam tamen vacua sunt venenis.

22. Hæc, domini venerabiles, tam de scripturis sacris, quam de scripturarum sanctarum dictis, sedula intentione collegi, ac reverentiæ vestræ audienda seu & legenda proposui, quatenus ea, & hujusmodi meditantes, contra novellæ præsumtionis auctorem, qui in similitudinem arioli & conjectoris æstimat, quæ ignorat, fidei & veritatis firmitate munita dicamus cum ec- A
Psal. 118. 85. clesia: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua Domine.* Atque intelligamus quam verum sit quod Spiritus-sanctus Salomonis ore præcecinit dicens:
Prov. 13. 23. *Multi sibi in novalibus patrum & aliis congregantur absque judicio*, neque enim sic nostra calamitate, & humilitate abuti debet, B ut imitator insolentissimæ jactantiæ Naas regis filiorum Ammon, qui interpretatur serpens, dicere nobis velut habitatoribus Jabes Galaad oppugnator veritatis iste præsumat:
1. Reg. 11. 2. *In hoc feriam vobiscum fœdus ut eruam omnium vestrum oculos dextros ponamque vos opprobrium Israël.* Vere enim dextrum oculum conatur eruere, qui lumen rectæ fidei laborat extinguere. Utilius illi a nobis optandum est, quod parabolice per Salomonem dicitur:
Prov. 30. 17. *Oculum qui subsannat patrem, & despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* C Vere etenim subsannat Patrem, qui Filii dividit unitatem, testante ipso:
Joh. 5. 23. *qui non honorificat filium, non honorificat patrem, qui misit illum*, & prorsus despicit partum matris suæ ecclesiæ, qui mysterium redemptionis, quo ex ejus utero ad vitam gignitur, puritate sincera venerari contemnit. Expedit nobis in talem oculum, qui ducatum promittit luminis; & e contrario tenebris caligat erroris, præceptum evangelicum:
Matt. 5. 29. *Si oculus tuus dexter scandalisat te, erue eum & projice abs te.* D Cupit nequam iste oculus hereditatem patrum auferre: nititur vineam ipsorum in hortum olerum commutare, id est, fortia & fructuosa ac meracissima eorum dicta vilibus & cito arescentibus, ac decidentibus fabulis enervare; sed filii martyris lapidati respondeant ei cum Nabot:
3. Reg. 21. 3. *Propitius mihi sit Dominus ne dem hereditatem patrum meorum.* Si ob hujus responsionis honestam libertatem vel infamandi falsis testibus, vel etiam lapidibus obruendi essemus, habeamus Deum clementissimum consolatorem atque ultorem E
4. Reg. 9. 26. dicentem; *si non pro sanguine Naboth & filiorum ejus quem vidi heri dicit Dominus, reddam tibi in agro isto, dicit Dominus.*

Finit.




EPISTOLA FLORI

Lugdunensis diaconi ad Theodonis-villæ concilium adversus libros Amalarii.

Sancto & venerabili concilio, apud Theodonis-villam habito. audite patres beatissimi, & reverendissimi a Deo convocati, & in Deo uniti, propter Deum auxiliante ipso laborantes & laboraturi, atque in illo & cum illo post beatum laborem requieturi, audite ita ut audiat vos Deus, ac mementote Apostoli, rectores ecclesiæ, exhortantis & dicentis: *Attendite vobis, & universo gregi in quo vos Spiritus-sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Domini quam acquisivit sanguine suo.* Act. 20. 28. Sermo de fide agitur, & catholica veritate, quam prælatus ecclesiæ Lugdunensis depravare & subvertere lingua & calamo non desistit, errorisque ac mendaciorum suorum vos ipsos venerabiles ecclesiæ Christi oculos in tantum socios, & complices esse confirmat, ut in publico ecclesiæ nostræ conventu jactare ausus sit, ad hoc vos suis persuasionibus in generali synodo fuisse perductos, ut omnes manu propria suis ineptissimis libris subscribere, & sic unanimiter sentire atque observare velletis. Cui ego per majores natu respondi, non solum me de tantis viris id credere nullatenus posse; sed etiam mihi indigno, qui sum canis mortuus, & pulex exiguus, tres prius digitos quibus scribimus radicitus amputari vellem, quam errores hujusmodi manus propriæ subscriptione firmarem. Addidi etiam quod si libri illi in bono concilio fuerint discussi & dijudicati, erunt procul dubio anathematizati: quos etiam corepiscopo ecclesiæ nostræ velut valde utiles omnibus jussit transcribere; quos cum ego ex parte aliqua relegissem, & mendaciis plenos deliramentisque vidissem, dehortatus sum, ne hoc penitus fieret, librosque suo quantocius auctori restituendos admonui, metuens, videlicet ne oves Christi, id est simplices quosque, ex eorum lectione quædam vanissima curiositatis scabies aspergeret, & ardentes papulæ diri erroris exurerent. Collegi autem ipse ac digessi in ordinem, propriisque sermonibus explicavi nonnulla, quæ in generali presbyterorum concilio proposuit, disseruit, commendavit, ex quibus ejus vanitas contemtui, immo execrationi pateat. sed ne quis me falsa putet asserere, veniat liber illius in medium & fœditatem sui publice legentibus atque audientibus denudabit, ex quo & ista, quæ sincerissimo examini vestro dijudicanda offero, verissime ab illo prolata probabitis, cum illic multa insaniora legeretis. testes sunt horum corepiscopi, testes archidiaco-

ni, testes omnes qui aderant presbyteri Lugdunenses a quibus hæc continuo irrisa ac repudiata, immo plancta & plorata cognovi, cum divinis assueti fluentis, de lacuna lutulenta bibere cogerentur, murmurantes in nequissimo pane doctrinæ, de
Eccli. 31. 29. quo Ecclesiasticus loquitur liber: *In nequissimo pane murmurabit civitas.* Et testimonium nequitiæ illius verum est, nec vero ille divina docet, sed sua concinnat, & fabricat, & juxta Salomonem, *in similitudi-*
Prov. 23. 7. *nem arioli & conjectoris æstimat quod ignorat.* Succurrite igitur, patres piissimi, succurrite animabus nostris. *Modicum enim fermen-*
1. Cor. 5. 6. *tum totam massam corrumpit*, & juxta quemdam patrem antiquum, si quid in fide falsi admittitur, intrat putredo, de veneno serpentis, nascuntur vermes corruptionis, & nihil integrum remanebit. Testis est mihi omnipotens Deus, quia hæc non impulsu

A iracundiæ tamquam læsus exaggero, quæ ab ipso statim exordio, dum adhuc se mihi utcumque blandulum exhiberet, dolere ac detestari cœpi, nec divinæ ordinationi seu imperiali piæ provisioni, quod ille forsan jactitat velut rebellis existens, cum id mea exiguitas, nec cogitare umquam poterit, sed erroris odio, & amore veritatis, ecclesiæ quoque matris meæ vulneribus condolens, cujus uberibus ab infantia alitus sum, in qua & administrationis locum, & doctrinæ ac prædicationis officium in-
B dignus exercui. Certe vivam ego egentissimus, vel etiam moriar si placet, tantum pateat vulnus putridum, pateat sanies putrida, & omnes qui hoc tabescunt contagio, vobis opitulante Christo medicantibus, gravi veterno depulso, optata gaudeant sanitate.



RABANI MAURI IN LIBRUM JOSUE LIBRI III.

Ex Ms. Cisterciensi eruit Jacobus Lannois *Cisterciensis monachus, misitque olim Acherio nostro, qui eosdem etiam libros accepit a R. P. Francisco Petro Chiffletio S. J. presbytero, cujus quoque est sequens Observatio.*

OBSERVATIO PRÆVIA.

IN Librum JESU NAVE scripsisse Rabanum libros quatuor, ait Rudolfus presbyter, ejus discipulus, in ipsius Rabani vita, cap. 9. Duos tantum Trithemius, Rabani ejusdem Vitæ libro 3. cap. 3. Tres habet vetustus ac bonæ notæ codex noster, solidum opus complexos. Hos autem libros conscripsit Rabanus adhuc abbas Fuldensis, ad FRIDERICUM, quem episcopum fuisse Trajectensem (nempe Ultrajectinum apud Frisones) testatur idem Rabanus in præfationibus ad libros Judicum & Ruth. Interim Fridericus episcopus pro Christi fide martyrium subiit, relatus postmodum in sanctorum canonem ad diem mensis Julii XVIII. *Porro eosdem libros suos in Josue, post aliquot annos a cæde Friderici obtulit Rabanus Lothario imperatori, ut hic imperator testatur in epistola ad Rabanum, hujus expositioni in Ezechielem adjuncta. Inter alia præclara, quæ plurima huic operi inspersit, disces (lector) commorationem ejus nonnullam in Orientis partibus, cujus nec Rudolfus, nec Trithemius meminere. Sic enim habet in*

illa verba capitis XI. versu 8. usque ad Sidonem magnam. Ego quidem cum in locis Sidonis aliquotiens demoratus sim, numquam comperi duas esse Sidonas; unam magnam, & aliam parvam; quantum ad terrenum pertinet locum. *Atque hæc Rabani peregrinatio referenda videtur in juveniles ejus annos, cum necdum esset Fuldæ magister, fortasse nec monachus, nedum abbas Fuldensis, aut archiepiscopus Moguntinus.*

DOmino beatissimo veræque caritatis officio plurimum venerando, Friduricho episcopo, Rabanus vilissimus servorum Dei famulus in Christo salutem.

Studium tuum ac diligentiam in sacrarum scripturarum meditatione, plures qui sanctitatem tuam noverunt, laudant; & merito, quia assiduus es in lectione & frequens in doctrina, prout ratio ordinis tui postulat; quem lucem mundi cum apostolis Salvator nuncupat, ac de vero lumine inlustratam lucernam super candelabrum posuit, ut luceas omnibus qui in domo Dei sunt. Unde plurimi fratrum venerationem tuam colunt, atque colendo diligunt: nobisque inde valde amabilis es, quod non tantum præsentes, sed etiam absentes fraterno provocas amore, ac salubri incitas exhortatione, ut legis Dei commune tecum exerceamus negotium. Nec absurdum est quod facis, licet nos ad hoc officium impares atque indigni simus, cum ibi quæris sacræ legis confirmationem, unde accepisti Christianæ religionis exordium. Sanctissimus ergo antistes & beatissimus Christi martyr BONIFACIUS gentem Fresonum, cui tua dilectio præest, non solum verbo, sed etiam sanguinis sui effusione ad fidem Christi convertit. Unde rationabiliter agis, quod ab illo ministerii tui patrocinium quæris, a quo ordinis tui ac sedis primam accepisti functionem. Ideo quoque memoratus martyr per famulum suum dignanter impendit quod ab illo quærebas solatium. Porro quia lectionis divinæ a nobis petisti solamen, direximus tibi codicem, quem ex sanctorum patrum dictis in historiam Jesu Nave sensu allegorico prolatis collegeram. In quo opere, in aliquantis locis, pro parvitate sensus nostri, ubi necesse fuit, divina concedente gratia, aliqua inserueram: petens ut fratrum qui tecum sunt utilitatibus illum accommodes, ut discant ex typo Jesu historici, mysterium veri JESU, Domini videlicet Salvatoris, qui sanguine suo nos redemit, ac de infirmitate qua peccatis nostris exigentibus gravabamur, salvavit. Ante annos ergo aliquot, tractatum in evangelio Matthæi, quem rogante bonæ memoriæ HAISTULFO archiepiscopo confeceram, tibi ad rescribendum accommodavi. Sed quia illum necdum recipere potui, remunerationis vice præsens opus transmisi, ut saltim hoc beneficio ammo-

A nitus, remittas fœnus quod acceperas. Lege diligenter Jesum Nave, qui non solum nomine, verum etiam gestis JESUM CHRISTUM typice præfiguravit. Transiit Jordanem, hostium regna subvertit, divisit terram victori populo, & per singulas urbes, viculos, montes atque confinia, ecclesiæ cœlestisque Jerusalem spiritalia regna descripsit. Sicque cognoscis ipsius libri textum evangelicæ lectioni concordare, quæ Domini Salvatoris ostendit adventum, prædicationem, passionem, triumphum atque victoriam, qua mortem vincendo, cœlestium, terrestrium atque infernorum adquisivit sibi dominationem: qui ascendens B in cœlum, sedensque ad dexteram Patris, judex est venturus vivorum atque mortuorum, & secundum Judæ apostoli adtestationem non solum homines, sed & angelos judicaturus est: qui in epistola sua ita scripsit, dicens: *Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam* JESUS *populum de terra Ægypti salvans, secundo eos qui non crediderunt perdidit: angelos vero qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium diei magni vinculis æternis sub caligine reservavit.* (Jud. 5.) De cujus diei certitudine primus apoC stolorum Petrus nos in sua epistola instruit, dicens: *Unum vero hoc non lateat vos, carissimi, quia unus dies apud Deum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus. Non tardat Dominus promissis, sed patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur. Cum hæc igitur dissolvenda sint omnia, quales oportet vos esse in sanctis conversationibus & pietatibus, exspectantes & properantes in adventum diei Domini, per quam cœli ardentes solventur, &* D *elementa ignis ardore tabescent. Novos vero cœlos, & novam terram, & promissa ipsius exspectamus, in quibus justitia habitat. Propter quod, carissimi, hæc exspectantes, satagite immaculati & inviolati ei inveniri in pace, & Domini nostri longanimitatem salutem arbitramini.* (2. Pet. 3. 8.) Hujus ergo sacratissimi adventus diem, sancte pater, ante oculos semper habe, tuosque lætum in occursum superni Judicis præpara cum lampadibus bonorum operum lucentibus: quatenus ejus gratiam inveniens, cum his qui a dextris ejus stabunt audire merearis: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis* (Matt. 25. 34.)

vobis paratum est ab origine mundi: quod nos promissum lætum audire, donumque illud simul percipere ipse concedat, qui nos a potestate tenebrarum eruere, & in regnum suum convocare dignatus est JESUS CHRISTUS Dominus noster. Bene valere te cupimus, sancte pater, nostrique memorem in sacris orationibus fieri. Divinitas Domini nostri JESU CHRISTI vitam tuam conservet in ævum.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI.

I. *Sermo Domini ad Josue de ducatus sui ministerio.*

II. *Præceptum Josue ad filios Israel de præparandis cibariis in itinere, & responsio populi ad eum.*

III. *De exploratoribus missis ex Sethim ad urbem Hiericho, & per mulierem meretricem salvatis.*

IV. *De transitu filiorum Israel per Jordanis alveum; & aquis divisis ad introitum arcæ Domini.*

V. *De filiis Ruben & Gad, & dimidia tribu Manasse; & duodecim lapidibus quos de Jordanis alveo translatos posuit Josue in Galgalis.*

VI. *De secunda circumcisione filiorum Israel, quæ fuit cultris lapideis facta in Galgalis, & quod fecerunt Phase in quarto decimo die mensis ad vesperum in campestribus Hiericho: ubi comederunt de frugibus terræ, die altera azymos panes, quia defecerat eis manna.*

VII. *Ubi princeps exercitus Domini apparuit Josue, quem ipse adoravit; & sermo Josue ad populum de expugnatione urbis Hiericho.*

VIII. *De eo quod Raab meretricem, & domum ac familiam ejus Josue fecit vivere, & habitare in medio filiorum Israël, & de maledicto prolato contra urbem Hiericho.*

IX. *De eo quod Acham filius Charmi usurpavit sibi de anathemate urbis Hiericho, & vindicta in eum prolata.*

X. *De expugnatione urbis Ahi, & interfectione regis ipsius.*

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

I. *De eo quod Josue Deuteronomium legis Moysi scripsit super lapides coram filiis Israel, & legem benedictionis atque maledictionis coram omni populo recitavit.*

II. *De gentium conventu adversum Josue, ut dimicarent contra eum, & de dolo Gabaonitarum, quo fallebant Josue & principes Israel.*

III. *De quinque regibus Amorrhæorum, qui congregati sunt ut pugnarent contra Gabaon, & de præliis Josue contra eos.*

IV. *De pugna Josue contra urbem Macedam, & contra Lemnem, & contra Asedoth, quas percussit in ore gladii.*

V. *De Jabin rege Asor, & ceteris regi-*

A *bus qui convenerunt in unum, ut pugnarent contra Israel, quos percusserat Josue in ore gladii, & subnervavit equos eorum, currusque combussit igni.*

VI. *De eo quod Josue omnes reges Chanaan & civitates eorum pugnando cepit, absque Hevæum qui habitabat in Gabaon.*

VII. *De eo quod Josue cepit omnem terram, sicut locutus est Dominus ad Moysen, & tradidit eam in possessionem filiis Israel secundum partes & tribus: quievitque terra a præliis.*

VIII. *Numerus civitatum quas expugnabat Josue, & tradidit filiis Israel in possessionem.* B

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

I. *De senectute Josue, & sermone Domini ad illum.*

II. *De divisione terræ per singulas tribus Israel, & quod tribui Levi non dedit possessionem: sed sacrificia & victimæ Domini Dei Israel, ipsa est hereditas eorum.*

III. *De eo quod novem tribus & dimidia acceperunt sortes suas per Eleazarum sacerdotem, & Josue filium Nun; duabus tribubus & dimidia partes suas accipientibus per Moysem ultra Jordanem.* C

IV. *De locutione Caleb ad Josue pro terra Ebron, quam sibi postulavit dari.*

V. *De sorte filiorum Juda: & quod Caleb delevit ex Ebron tres filios Zenach, Sesai, & Achiman, & Tholmai.*

VI. *De eo quod dixit Caleb; qui percusserit Chariathsepher & ceperit, dabo illi Axam filiam meam uxorem: & cepit eam Othoniel filius Cenez, frater Caleb junior. Et de eo quod postulavit Axa filia Caleb patrem suum, ut daret sibi terram inriguam.*

VII. *Quod Jebusæum habitatorem Jerusalem non potuerunt filii Juda delere, habitavitque cum eis: & quod non interfecerunt filii Effraim Chananæum, qui habitabat in Gazer.* D

VIII. *Sermones filiorum Joseph ad Josue, & responsio ejus ad eos.*

IX. *De eo quod Josue misit nuncios ad metiendum terram Chanaan, & describendum eam juxta numerum uniuscujusque multitudinis: quam ipse divisit in septem partes, & tradidit filiis Israël in possessionem, singulis secundum sortes suas.*

X. *De eo quod dederunt filii Israël possessionem Josue filio Nun in medio sui, juxta præceptum Domini.* E

XI. *De urbibus fugitivorum, quæ constitutæ sunt ad defensionem eorum qui percusserint animam hominis nescientes & non sponte.*

XII. *De filiis Levi, qui postulaverunt ab Eleazaro sacerdote, & de Josue filio Nun, urbes ad habitandum, & suburbana eorum ad alenda jumenta.*

XIII. *De eo quod omnis terra Chanaan data est a Domino Israël in possessionem; & posse-*

derunt illam cum pace.

XIV. *De eo quod Rubenitas & Gadditas, & dimidiam tribum Manasse dimisit Josue in possessiones suas cum pace.*

XV. *Sermones Josue ad populum, & commemoratio præceptorum Domini, & beneficiorum ejus, quæ conlata sunt eis abundantissime ab ipso.*

XVI. *De eo quod percussit Josue fœdus coram Domino in Sichem, scripsitque omnia verba fœderis in volumine legis Dei, & posuit supter lapidem grandem, & subter quercum, quæ erat in sanctuario Domini.*

XVIII. *De morte Josue, & sepultura ejus: & de morte Eleazar & sepultura ejus: necnon & de ossibus Joseph translatis de Ægypto, & sepultis in Sichem, in parte agri quem emerat Jacob a filiis Emor patris Sichem centum novellis ovibus.*

INCIPIT LIBER PRIMUS COMMENTARIORUM RABANI MAURI IN JESU NAVE.

CAP. I.

ADAM. *Et factum est post mortem Moysi servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Josue filium Nun, ministrum Moysi, & diceret;* donavit Deus nomen, quod est super omne nomen, Domino & Salvatori nostro JESU CHRISTO. Est autem nomen, quod est super omne nomen, JESUS. Et quia est istud nomen super omne nomen JESUS, idcirco *in nomine JESU omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Et quia est hoc nomen super omne nomen, idcirco in multis generationibus a nullo cognominatum est. Scripsit Moyses librum Genesis, in quo legimus Abraham, & eos qui ex eo generati sunt, in quibus sunt isti quamplurimi. Sed nullus ex ipsis JESUS meruit nominari. Neque Abel dictus est Jesus, neque ille qui cœpit invocare nomen domini Dei, neque ille qui placuit Deo & translatus est, cujus umquam non est inventa mors: neque ille qui in generatione sua solus justus inventus est apud Deum Noe. Sed nec ipse quidem qui repromissiones acceperat testamenti Abraham, nec ille qui de eo natus est Isaac: sed nec supplantator Jacob, nec quisquam ex filiis ejus. Moyses fidelis erat in omni domo sua, necdum tamen vocatus Jesus. Sed Jesum nomen primum invenio in Exodo, & volo intueri quando primum nomen JESU cognominatur. *Venit,* inquit, *Amalech, & expugnabat Israël: Et dixit Moyses ad Jesum in Raphidim*: Hæc est prima appellatio nominis JESU. *Elige,* inquit, *tibi viros potentes ex omnibus filiis Israël, & egredere, & confige cum Amalech crastino.* Moyses confitetur non posse se exercitum ducere, confitetur se non posse obtinere, quamvis eum de terra Ægypti eduxerit; & ideo, inquit, vocavit Jesum, & dixit; *Elige tibi viros fortes,* inquit, *& egredere.* Vides cui cesserit bellum agere adversus Amalech. In hoc primo nomen discimus JESU, ubi eum videmus ducem exercitus. Non cui Moyses injunxerit principatum, sed cui successerit in primatum. Non potest Moyses eligere viros potentes. *Tu,* inquit, *elige tibi viros potentes ex omnibus filiis Israël.* Hic ergo ubi primum disco nomen Jesu, ibi continuo etiam mysterii video sacramentum. ducit enim exercitum Jesus. *Et factum est cum extolleret Moyses manus suas, invalescebat Israël; cum autem dejiceret manus suas invalescebat Amalech.* Tunc ergo invalescit Jesus magis, & tunc vincit, quando Moyses erigit manus suas. Victus est autem populus ille ab Amalech, quando non erigebat manus suas Moyses, sed erant demissæ deorsum. Illi sunt enim quibus dicitur: *Si crederitis Moysi, crederitis utique & mihi, & ecce me vultis occidere, qui legem non facitis.* Hic est JESUS qui per Moysen dicitur: *Prophetam vobis suscitabit dominus Deus vester: tamquam me, ipsum audietis. Omnis anima quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe,* &c. *Et ecce me vultis occidere, qui legem non facitis.* In isto loco dimissa est lex, dimissæ sunt manus Moysi, invaluit incredulitas Judæorum, vincit Amalech, hoc est, diabolus, qui vicit Judæos, quando Christum crucifixerunt, & non crediderunt cum signa viderunt, quia dictum erat de illis in lege. *Videbitis vitam vestram pendentem in ligno, & non credetis ei.* Cessante namque apud illos lege, & operibus legis, qui dum suam justitiam quærunt statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti; demissæ sunt manus Moysi, invaluit incredulitas, vincitur populus. Sed & Nadab, & Abiud, & Eleazar & Ithamar relinquuntur in castris, ut judicent populum. Derelinquitur etiam & Jethro, ut judicet & ipse populum cum eis. Jesus vero non derelinquitur, sed sequitur Moysen in montem. Ubi adjectio est verbi mirabilis: *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Jesus secutus Moysen, cum legem adimplevit in eo quod dicitur, quia adsistebat Moysi. Quomodo adsistebat? Non ut secundus, non ut inferior, sed ut adjutor & protegens. Sed & illud quale est, quod cum primum nominatus est Jesus, non est indicatum nomen patris ejus, neque in secundo, neque in tertio, cum vero pater ejus nominatur Nave, tunc ipse non Jesus, sed Auses dictus est? Inter eos enim qui exploratores missi sunt, nomen ejus Auses scribitur. Sed fortassis mihi videtur pro exploratoris officio non Jesus sed Auses dictus est, & Nave filius nominatur. Cum vero redit opere expleto, & perterritis omnibus, solus sublevat lapsos, desperationemque populi solus erigit,

(Margin: Exod. 17. 8. — Ibid. 9. — Exod. 18. 11. — Joh. 5. 46. — Deut. 18. 15. — Deut. 28. 66. — Matth. 5. 17. — Num. 13. 9.)

tunc a Moyse Jesus nominatur, nec Nave filius dicitur, sed ille ad quem dicit Moyses; *Educ exercitum & confl ige cum Amalech.* Illud enim intuens, magnitudinem ejus pervideamus. Quod cum transfigurationem vultus Moysi, omnis filiorum Israël hebetaret aspectus, nec aliquis posset intueri faciem vultus ejus; Jesus non solum faciem contuetur, verum etiam in interioribus tabernaculi, mysteriorum conscius perseverat. Quo igitur nutu hæc cuncta perspiciunt? Nempe eo quod liber hic non tam gesta filii Nave indicet, quam domini JESU nobis sacramenta depingat. Ipse enim qui post mortem Moysis suscepit imperium, ipse est qui ducet exercitum, & confliget adversus Amalech. Et quod ibi adumbrabatur in monte manibus extensis, adfigit cruci suæ, triumphans principatus & potestates in semetipso. Defunctus est Moyses, cessavit enim lex, quoniam *lex & prophetæ usque ad Johannem.* Vis autem de scripturis proferam documenta quod lex Moyses appellatur? Audi quid dicit in evangelio: *Habent Moysen & prophetas: audiant illos.* Moysen utique legem nominans. Defunctus est ergo Moyses famulus Dei, defuncta enim est lex, & legalia præcepta jam cessant. Si ergo consideres Jerusalem subversam, altare destructum, nusquam sacrificia, nusquam nec hostias nec libamina, nusquam sacerdotes, nusquam pontifices, nusquam ministeria levitarum. Cum hæc omnia vides cessare, dicito quia Moyses famulus Dei defunctus est. Si videris neminem ter in anno venire ad conspectum Domini, nec offerre munera in templo, nec jugulare hostias, pascha nec azyma edere, nec offerre primitias, nec primogenita conservare: cum hæc omnia non vides celebrari, dicito quia Moyses famulus Domini defunctus est. Cum vero videris introire gentes ad fidem, ecclesias instrui, altaria non cruore pecudum respergi, sed pretioso sanguine Christi conservari: cum videris sacerdotes & levitas non sanguinem taurorum & hircorum, sed verbum Dei per sancti Spiritus gratiam ministrantes, tunc dicito quia JESUS post Moysen suscepit & obtinuit principatum; sed non ille Jesus filius Nave, JESUS filius Dei. Cum videris quia pascha nostrum immolatus est Christus, & azyma edimus sinceritatis & veritatis: cum videris fructus justitiæ terræ bonæ in ecclesiæ trigesimos, sexagesimos, & centesimos, justas conjuges, viduas, virgines, & martyres: cum videris multiplicari semen Israël in his qui non in sanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt: & cum videris filios Dei qui dispersi erant, congregari in unum cum sua voluntate, baptizari populum Dei, non otium gerentem a conversa-

Matt. 11.13.

Luc. 16.29.

A tione communi, sed otium gerentem ab operatione peccati: cum hæc omnia vides, dicito quia Moyses famulus Dei defunctus est, & JESUS filius Dei obtinet principatum. Sed videamus quid Dominus dixerit ad Jesum. *Moyses servus meus mortuus est. Surge, & transi Jordanem istum, tu & omnis populus tecum, in terram quam ego dabo filiis Israël. Omnem locum quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam, sicut locutus sum Moysi, a deserto & Libano usque ad flumen magnum Eufratem.* Requiris fortasse quomodo minister Moysi fuerit etiam dominus noster JESUS CHRISTUS filius Dei. Quia cum venisset *plenitudo temporum, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Per hoc quod factus est sub lege, minister Moysi factus est. Dixit autem Deus ut transeant in terram, non quam dedit Moyses, sed quam, inquit, ego do vobis. Vides ergo quia Moyse mortuo, Deus dat terram repromissionis populo Israël per Jesum. Quam terram? illam sine dubio de qua dicit Dominus. *Beati mansueti, quia ipsi hereditate possidebunt terram.* Omnem, inquit, locum quemcumque ascenderitis vestigiis pedum vestrorum, vobis dabo eum. Quæ sunt loca quæ ascendimus vestigiis pedum nostrorum, nisi legis litteram humi positam & deorsum jacentem? Nusquam ergo ascendit qui legis litteram sequitur. Si a littera vero poteris ascendere ad spiritum, & ab historia ad intellectum conscendere celsiorem, tunc vere ascendisti locum editum, & excelsum, quem a Deo in hereditate percipies. Si ergo in his quæ in scripturis typicis legis intelligas formas esse cœlestium, & mente ac sensu quæ sursum sunt quæras, ubi Christus est in dextera Dei sedens; tunc & illum locum in hereditate percipies: dicente domino Salvatore, quia *ubi ego sum, ibi erit & minister meus.* Si ergo usque ad Christum sedentem in dextera Dei perveneris, fide, puritate, vita, virtute, & illis vestigiis pedum tuorum quæ lavit JESUS, illum locum incesseris: dabit eum tibi Deus: tu non solum efficeris heres Dei, sed & coheres Christi. *Sicut fui cum Moyse, ero tecum: non dimittam, nec derelinquam te: confortare & esto robustus: tu enim sorte divides populo huic terram, pro qua juravi patribus tuis, ut traderem eam illis. Confortare igitur & esto robustus valde, ut custodias & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus. Ne declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis,* &c. Dominus dicit ad Jesum Nave. Et sicut eram cum Moyse, ita ero & tecum. Non solum autem hoc testimonio; sed etiam in Deuteronomio multis documentis probatur Moyses ita defunctus, ut Dei famulus & Deo placens. Quamvis in

B

Gal. 4. 4.

Matt. 5. 4.

C

D

Joh. 12. 26.

E

AUG.

Deut. 34. 5.

eo illa vindicta completa sit, ne terram repromissionis intraret. Ex qua datur intelligi, Dominum etiam bonis servis suis in aliquo succensentem, & temporaliter vindicare, & tamen in eorum habere numero quæ sunt in domo ejus vasa in honorem, utilia Domino, quibus daturus est promissa sanctorum.

CAP. II. *Præcepitque Josue principibus populi, dicens: Transite per medium castrorum, & imperate populo, ac dicite: Præparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, & intrabitis ad possidendam terram quam dominus Deus vester daturus est vobis.*

AUG. Quæstio est quomodo posteaquam locutus est Dominus ad Jesum Nave, exhortans & confirmans eum, seque promittens cum illo futurum; mandaverit idem Jesus populo per scribas, ut præpararent cibaria, quod post tres dies Jordanem fuerant transituri; cum inveniantur post multo plures dies transisse Jordanem. Cum enim hæc populo mandasset, misit exploratores in Jericho, quoniam Jordane trajecto, ipsa proxima civitas occurrebat. Illi autem divertebant ad Raab mulierem fornicariam, & ab illa occultati, atque a rege quæsiti, & minime inventi, eadem dimittente illos per fenestram, & monente ut triduo laterent in montanis, quatuor dies videntur esse consumti. Inde posteaquam nunciaverunt quæ circa illos gesta fuerint, promovit Jesus cum universo populo de loco ubi erat diluculo. Qui cum venisset ad Jordanem, divertit & mansit. Tunc rursus populus admonetur, ut per triduum se præpararet transire Jordanem, arca Domini præcedente. Hinc ergo intelligitur, humanam fuisse dispositionem, quam fecit populo nuntiari, ut cibaria præpararent, tamquam post tres dies memoratum fluvium transituri. Potuit enim hoc sicut homo sperare fieri posse, si exploratores celeriter revertissent: quibus tardantibus intelligitur (quamvis scriptura tacuerit) ex divina dispositione cetera impleta, ut jam inciperet apud populum glorificari Jesus, & ostendi quod cum illo Dominus esset sicut fuerat cum Moïse. Nam & hoc illi dicitur fluvium transituro, sicut scriptum est; &

Jos. 3. 7. dixit Dominus ad Jesum: *In die isto incipiam exaltare te coram omnibus filiis Israël, ut sciant quoniam sicut eram cum Moyse, ero & tecum.* Nec incredibile debet videri, etiam illos cum quibus Deus loquebatur, aliquid ex humana dispositione agere voluisse, in qua sibi Deum tamen viderent esse rectorem, eorumque ex illius a quo regebantur providentia consilia fuisse mutata. Nam & Moïses ipse, utique tamquam homo, putaverat esse faciendum, ut causas populi sic audiret, quemadmodum & sibi & illis onus intolerabile subeundo prodesse non posset, ejusque dispositio divinitus & hoc ipsum socero ejus suggerente & monente, atque hanc admonitionem Deo approbante, mutata est. *Rubenitis quoque & Gadditis, & dimidiæ tribui Manasse ait: Mementote sermonis quem præcepit vobis Moyses famulus Domini, dicens: dominus Deus vester dedit vobis requiem & omnem terram. Uxores vestræ ac filii & jumenta manebunt in terra quam tradidit vobis Moïses trans Jordanem. Vos autem transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu, & pugnate pro eis, donec det requiem Dominus fratribus vestris, sicut & vobis dedit: & possideant ipsi quoque terram quam dominus Deus vester daturus est eis: & sic revertimini in terram possessionis vestræ, & habitabitis in ea quam dedit vobis Moïses famulus Domini trans Jordanem, contra solis ortum,* & reliqua. Consideremus ergo quam formam teneant istæ duæ semis tribus, quæ per Moïsen terram hereditatis accipiunt: & quam formam teneant reliquæ novem semis tribus, quæ per Jesum repromissionem terræ sanctæ suscipiunt. Et primo omnium puto, quod impossibile fuerit fortuitu accidisse, ut hi qui per Moïsen accipiunt portionem, primogeniti essent. Ruben namque primogenitus est ex Lia: Gad primogenitus est ex Zelfa, & Manasses primogenitus est ex Ascenez filia Ægyptia Petefræ sacerdotis Heliopoleos, quam accepit Joseph. Numquam ergo mihi persuadeo, ut fortuitu acciderit, primogenitos esse omnes quibus per Moïsen discernebatur hereditas; sed magis hæc arbitror, quod jam in his tunc adumbrabatur forma populorum: unius quidem, qui primogenitus per naturæ ordinem videretur; alterius, qui per fidei gratiam benedictionem hereditatis acciperet. Nec prius illis, qui per Moïsen accipiunt hereditatem, id est, qui per legem placuerunt Deo, requies non datur, nisi adjuvent in præliis fratres suos. Mulieres tantum & infantes accipiunt quietem per Moïsen, ceteri autem non requiescunt, sed exeunt ad auxilium fratrum suorum. Vide laboranti mihi hodie in agone vitæ hujus, & habenti certamen adversus inimicos, id est, contrarias potestates, quomodo in auxilium veniunt illi, qui ante adventum JESU CHRISTI Domini mei in lege justificati sunt. Vide quomodo Esaias præstet auxilium, ac me sermonibus suæ lectionis inluminet. Vide accinctum & expeditum juvantem Jeremiam ad auxilium nostrum, & voluminis sui jaculis hostes acerrimos, id est, tenebras cordis mei effugantem. Accingitur & Daniel ad auxilium cum nos de Christi præsentia & regno, & antichristi futura fraude instruit & admonet. Adest & Ezechiel sacramenta nobis cœlestia in quadriformibus rotarum circulis

ADAM.

lis signans, & rotam in rota concludens ducit. Et Osee bis senas prophetici agminis turmas: & procedunt omnes succincti lumbos in veritate quam prædicant in auxilium fratrum suorum, ut eorum voluminibus instructi, diabolicas non ignoremus astutias. Isti ergo qui viri fortes sunt, armati & præcincti lumbos in veritate, exeunt in auxilium nostrum: numerus adimpletur, & pugnant nobiscum. Infantes autem & mulieres non exeunt ad prælium nostrum. Nec mirum; non enim dicitur vir esse qui non loquitur. Quid me ergo juvare potuit qui nihil locutus est: cujus nihil invenio quod legam, cujus me responsum non instruit?
1. Pet. 3. 7. Mulierem vero dixit Apostolus infirmum vas esse. Inde & consequenter infirmum vas ad conflictum non veniat, ne confringatur & pereat. Sic namque & de Jesu
Matt. 12. 20. Domino in evangeliis dicitur: *Quia calamum quassatum non confringet.* Quia ergo mulieres a viris suis domi doceri jubentur, & magis in discipulorum quam in docentium persona ponuntur, in auxilium meum non conveniat qui me docere non potest. Ergo quid dicunt ad Jesum isti qui veniunt ex ista terra quam distribuit Moïses? Sicut audivimus, aiunt, Moïsen, ita audiemus & te. Nihil tam verum, quam quod omnis qui audit Moïsen, audiat & Jesum Dominum nostrum; de Jesu enim ille scripsit. Unde & Dominus in evangelio arguens eos qui ex eo quod sibi non credunt, nec Moïsi
Joan. 5. 46. credant, dicit: *Si Moïsi crederetis, crederetis utique & mihi: de me enim ille scripsit.* Mihi tamen nec hoc otiosum videtur, quod non tres integræ tribus sint istæ quæ per Moïsen dispensantur, nec illæ integræ novem quæ per Jesum hereditatem potiuntur: sed duæ & semis hic, & ibi novem & semis: & ita una dividitur tribus in duas partes, per quam neque hic tertius numerus adimpletur, neque ibi decem perfectæ & integræ consummantur. In quo arbitror illud indicari, quia illis prioribus qui legem agebant contigerit quidem scientia Trinitatis; non tamen integre & perfecte, sed ex parte. Deerat enim illis in Trinitate, etiam de Unigeniti incarnatione cognoscere. Nam licet de adventu ejus non tantum crederent, sed etiam prædicarent, non tamen etiam videre & adipisci ea quæ crediderant potuerunt: sicut & Dominus dis-
Luc. 10. 24. cipulis suis dixit de his: *Quia multi justi & prophetæ cupierunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ vos auditis, & non audierunt.* Non enim erat fides eorum integra, pro eo quod nondum in Christo fuerat dispensatio carnis impleta. Et quod nunc nos jam factum credimus & impletum, illi tantummodo futurum credebant. Propterea ergo tribus illæ neque duæ sunt, neque extra fidem sunt Trini-

A tatis; neque tres integræ & perfectæ, ne beatæ Trinitatis in illis jam sacramentum videretur impletum, sed contingerent quidem tertium numerum. Et sicut dixit Dominus, cupierant videre quæ vidimus, & audire quæ audivimus; sed minime potuerunt, quia nondum Filius hominis fuerat exaltatus, nec temporum jam venerat plenitudo. Hic me etiam aliquid amplius permovet. Ego puto quod fortasse nec in adventu Jesu & incarnatione ejus, id quod perfectum est & integrum discimus. Sed nec si ad crucem ducatur, & consummetur B in omnibus, nec si a mortuis resurrexerit, cuncta nobis per semetipsum quæ perfecta sunt pandit. Aliud adhuc opus habemus, quod nobis aperiat & revelet universa.
Audi ipsum Dominum dicentem: *Multa adhuc habeo quæ vobis loquar* (dixit) *sed non potestis illa modo audire. Veniet autem Spiritus veritatis qui a Patre procedit, & de meo accipiet: & ille vobis indicabit omnia.* Joan. 16. 12. 13. Vides quia non solum apud Moïsen iste tertius numerus non demonstratur impletus, sed adhuc & Jesus dicit discipulis suis: *Nondum potestis audire, nisi ille Paracletus veniat, Spiritus veritatis;* C quia per ipsum & in ipso adimpletur perfectio Trinitatis. Nam quod novem & semis tribus sunt quæ sub Jesu duce aguntur, & non integræ decem, qui numerus in omnibus consummatus dicitur & perfectus; eadem sine dubio ratio invenitur, ut hoc quod a Domino nostro Jesu reservari dicitur, Spiritui-sancto semiplenum videatur ac medium. Quamvis enim per Dominum & Salvatorem pœnitentia prædicetur, & conversio a malis ad bona, & detur omnibus credentibus remissio peccatorum, & omnia quæ ad perfectionem de eodem videntur tendere D compleantur: tamen perfectio & summa cunctorum bonorum in hoc consistit, si post hæc omnia Sancti Spiritus quis gratiam mereatur accipere. Alioquin nihil in eo perfectum putabitur, cui Spiritus-sanctus deest, per quem mysterium beatæ Trinitatis impletur. Vis ut adhuc tibi evidentius probem, apud priorem populum illum quem Moïses in duabus & semis tribubus adumbrabat, non fuisse omnia integra & perfecta? declarat etiam illa historia, quæ in hoc ipso libro Jesu Nave scripta est. Quia altare quidem verum erat in illa terra E quam Jesus dispensabat. Isti tamen qui erant trans Jordanem, id est, Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse, fecerunt
sibi altare; sed non verum altare, sed quod Jos. 22. 10.
typum haberet & formam veri altaris, quod erat apud Jesum. Nihil ergo mireris si non integram scientiam Trinitatis acceperant illi, qui nec verum nec integrum altare construxerant. Ideo denique nec multi hostes, neque plures reges contrariarum vir-

tutum ab illis dicuntur esse dejecti. Seon, A inquit, tantummodo regem Amorrhæorum, & Og regem Basan, & Amalechitas devicerint trans Jordanem. Jesus vero ubi ducit exercitum, tunc quinque reges cadunt simul, qui confugerunt in speluncas: & non solum cadunt, sed & suspenduntur in ligno. Nunc viginti & novem pariter jugulantur, & immensæ multitudines adversi exercitus prosternuntur, & exterminantur omnes qui sanctam terram in immunditiis possident, qui terram fluentem lac & mel, in amaritudine malitiæ detinent. *Sicut obedivimus in cunctis Moïsi, ita obediemus & tibi; tantum sit dominus Deus tecum, sicut fuit cum Moyse. Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis sermonibus quos præceperis ei, moriatur*, &c. Condemnant ergo Rubenitæ, atque Gadditæ, necnon & dimidia tribus Manasse, populum Judæorum pro inobedientia dicentes: Sicut obedivimus in cunctis Moïsi, ita obediemus & tibi, cum similia legislatoris præcepto sponsione sua proferunt testimonia. Ait enim Moïses; *Prophetam vobis suscitabit Dominus de fratribus vestris. Tamquam meipsum audietis; quicumque autem non audierit prophetam illum, exterminabitur anima ejus de populis suis.* Sed veniente Domino Salvatore, atque evangelium eis prædicante, non devoti atque obedientes, sed ingrati atque contrarii semper illi existebant: maledicentes cœco nato per eum inluminato, atque dicentes: *Tu discipulus ejus sis; nos autem discipuli Moïsi sumus.* Et Pilato dicente: *Regem vestrum crucifigam?* Responderunt: *Non habemus regem nisi Cæsarem.* Et ideo eis venerunt quæ parentes sui eis imprecabantur, ut morte morerentur: cum non solum in anima æternam damnationem, sed etiam corporis sui detrimenta sentiebant, usquequaque fame necati, pestilentia percussi, gladio occisi, ac captivitate crudelissima per totum orbem dispersi.

Deut. 18. 15. — Johan. 9. 28. — Joh. 19. 15.

CAP. III. *Misit ergo Josue filius Nun de Sethim duos viros exploratores abscondite, & dixit eis: Ite & considerate terram urbemque Hiericho; & pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis nomine Raab, & quieverunt apud illam*, & reliqua. Iste Jesus mittit duos exploratores ad Hiericho urbem, qui suscipiuntur a meretrice Raab. Jesus ille dux populi, in semetipso dominum CHRISTUM & vocabulo ostendit & facto. Hiericho autem civitas, mundus est ad quem dominus JESUS CHRISTUS ad perscrutandos mores hominum, duo testamenta direxit. Nam in eo, ut credentium fidem aut rebellium pervicaciam plenius comprobaret, ante adventum judicii sui, quasi exploratores duos, legem & evangelium destinavit. Raab vero typum tenet ecclesiæ, quæ de extraneis atque alienis gentibus congregata est; quæ antea vivens in desideriis carnis, fornicabatur in idolis. De talibus ait Dominus, *quod præcedent vos in regno cœlorum.* Hæc igitur testamenta Domini sola suscipit, & ea fideliter conservat. Inimicis omnino non tradidit ipsa: potius periclitari optans, dummodo inlæsa ac salva servaretur. Hæc casurum mundum sicut illa civitatem firmiter credidit: hæc pro se ac suorum omnium salute pactum cum testamentis Domini fecit: hæc in domo sua coccum, id est, signum sanguinis posuit: extra hanc si quis fuerit inventus, B ruinam sæculi atque incendium mundi nulla ratione vitabit. Mittuntur exploratores ab Jesu in Hiericho, & suscipiuntur a meretrice Raab. Exploratores isti qui mittuntur ante faciem Jesu, possunt & angeli Dei putari, sicut scriptum est: *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparat vias tuas ante te*: quod per alios quidem invisibiliter, in Johanne vero visibiliter complebatur, de quo & hoc scriptum est: Denique de Johannis baptismo dicitur C a Domino, quia *& Scribæ & Pharisæi non crediderunt ei, meretrices autem & publicani credentes baptizati sunt.* Sic ergo etiam in hoc completur quod meretrix Jesu exploratores susceperit, per quos de interitu totius inimicæ gentis refertur erepta. Sed videamus tamdem quæ sit ista meretrix. Raab dicitur. Raab vero interpretatur latitudo. Quæ est ergo latitudo hæc, nisi ecclesia Christi, quæ ex peccatoribus velut ex meretrice collecta est. Et dicit: *Angustus mihi est locus, fac mihi locum ubi habitem. Hos autem mihi quis enutrivit?* Et iterum ad quam dicitur: *Dilata palos tuos D & extende tentoria tua.* Ista ergo est latitudo quæ suscepit exploratores Jesu. Scio me aliquando in quadam ecclesia disputantem de duabus meretricibus, de quibus scriptum est in tertio libro Regum, (quæ ad judicium venerant Salomonis: quarum una vivum habebat infantem) discussisse diligentius, & dixisse quia illa meretrix hæc esset cui Salomon (non ille, sed hic qui pacem venit facere eorum qui in cœlis sunt, & quæ in terris) reddi vivum jussit infantem. Illa vero alia quæ mortuum E habebat infantem, vel illius esset prioris populi synagogæ, vel eorum qui in hæresim declinaverunt. Et alia meretrix quam Osee propheta jubetur accipere, in figura sine dubio hujus, quæ ex gentibus consecrata est. Talis ergo & hæc mulier meretrix esse dicitur, quæ exploratores Jesu suscipit: sed hæc susceptos in superioribus conlocat, atque in editis & excelsis fidei constituit sacramentis. Nemo enim qui ab Jesu mittitur, invenitur deorsum & humi jacens, sed in superioribus permanens &

Matt. 21. 31. — ADAM. — Matt. 11. 10. — Matt. 21. 32. — Isa. 49. 20. — Isa. 54. 2. — 3. Reg. 3. 16. — Osee 1. 2.

excelsis. Sed ista meretrix quæ eos suscipit, ex meretrice efficitur jam propheta: dicit enim: *Scio quod Dominus Deus vester tradidit vobis terram hanc.* Vides quomodo illa aliquando erat meretrix, & impia & immunda: nunc Spiritu-sancto repleta est; & de præteritis quidem confitetur, de præsentibus vero credidit, prophetat autem & prænunciat de futuris. Sic ergo Raab quæ latitudo interpretatur, dilatatur & proficit, usque in omnem terram exeat sonus ejus. Sed & Japhet simili modo dilatatio interpretatur. Sed videamus quid egit cum exploratoribus ista sapiens meretrix. Consilium eis dat mysticum & cœleste, nihil habens terrenum. *Per montana*, inquit, *abite*. Nolite per valles incedere: humilia & dejecta refugite: quæ excelsa sunt & sublimia prædicate. Ipsa autem accepit signum coccineum, quod sanguinis formam gerebat. Sciebat enim quia in nullis esset salus, nisi in sanguine Christi. Datur etiam hoc mandatum huic quæ quondam fuerat meretrix: Omnes, inquiunt, qui in domo tua fuerint inventi, salvabuntur: qui autem exierit de domo tua, impunes sumus nos ab hoc juramento tuo. Si quis ergo salvari vult, veniat in hanc domum hujus, quæ quondam meretrix fuit. Etiam si de illo populo vult aliquis salvari, ad hanc veniat domum, in qua Christi sanguis in signo redemptionis est. Nam super illos qui dixerunt: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros*, Christi sanguis in condemnatione est: positus enim fuerat Jesus in ruinam & in resurrectionem multorum; & ideo contradicentibus signo ejus, efficitur sanguis ejus ad pœnam; credentibus vero ad salutem. Nemo ergo sibi persuadeat, nemo semetipsum decipiat. Extra hanc domum, id est extra ecclesiam nemo salvabitur. Si quis foras exierit, mortis suæ ipse reus fit: hoc est per sanguinis signum, quia hæc est purificatio quæ per sanguinem constat. Quod autem in fenestra dependet hoc signum, arbitror illud indicari, quia fenestra est quæ inluminat domum, & per quam inluminatur aspectus noster: sed tantum quantum oculis & usui nostro sufficiat luminis capiamus. Quia ergo incarnatio Salvatoris non nobis verum ingerit & integrum deitatis aspectum, sed tamquam per fenestram fecit nos per incarnationem suam lumen deitatis aspicere: idcirco mihi videtur signum salutis per fenestram datum, quo signo salutem consequantur omnes qui in domo ejus, quæ aliquando erat meretrix, fuerint inventi, in aqua & Spiritu-sancto, in sanguine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi.

Jos. 2. 9. — Jos. 2. 16. — Matt. 27. 25.

CAP. IV. Jos. 3. 1. *Igitur Josue de nocte consurgens movit castra: egredientesque de Sethim venerunt ad Jordanem, ipse & omnes filii Israel, & morati sunt ibi per tres dies.* Omnis ergo locus suscipit justum, & omnis creatura exhibet ei debitum famulatum. Peccatoribus quidem omnis creatura hostis est: Terra eos impugnabat, aër ipse impugnabat, cœlum eos impugnabat. Justis vero, etiam quæ inaccessibilia videntur, plana efficiuntur & proclivia. Mare rubrum justus tamquam per aridam transit, Ægyptius vero si pertransire voluerit, submergitur, nec fiet ei murus dextra lævaque. Et ne forte offendaris, quod hæc quæ in prioribus gesta sunt, in te vero qui nunc auditor horum es, nihil tale geratur: omnia complentur in te secundum mysticam rationem. Etenim tu qui nuper idololatriæ tenebris derelictis, cupis ad audientiam divinæ legis accedere, nunc primum Ægyptum derelinquis, cum catechumenorum aggregatus es numero, & præceptis ecclesiasticis parere cœpisti. Unde tibi secundum morem Israelitarum ante ingressum Jordanis, triduo morandum est, ut discas sanctæ Trinitatis fidem, qualiter in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti baptizatus, remissionem percipias omnium peccatorum: & quomodo tibi deinceps vivendum est, ut in novitate vitæ ambulans, cœlestis regni merearis introitum.

Quibus evolutis transierunt præcones per medium castrorum, & clamare cœperunt: Quando videritis arcam fœderis domini Dei vestri, & sacerdotes stirpis Leviticæ portantes eam, vos quoque consurgite, & sequimini præcedentes. Digressus mare rubrum, & in desertis stationibus positus, ad audiendam legem Dei, & intuendum Moysi vultum per gloriam Dei revelatum, quotidie vacas. Si vero etiam ad baptismi mysticum veneris fontem, & consistente sacerdotali & levitico ordine, initiatus fueris & venerandis illis magnificisque sacramentis (norunt illi quos nosse fas est) tunc cum sacerdotum ministeriis, Jordane digresso, terram repromissionis intrabis: in qua te post Moysen suscipit Jesus, & ipse tibi efficitur novi itineris dux. Sequitur. Jos. 3. 2.

Sitque inter vos & arcam spatium cubitorum duorum millium, ut procul videre possitis, & nosse per quam viam ingrediamini; quia prius non ambulastis per eam: & cavete ne adpropinquetis ad arcam, & cetera. Jos. 3. 4.

Aug. Longe jussum est arcam præcedere, ut posset a populo videri. Tam grande quippe agmen, si post eam proximum pergeret, non eam videret præire, nec nosset qua sequeretur. Ex hoc facto intelligendum est, quod columna illa nubis, quæ solebat movendis castris signum dare & iter ostendere, jam recesserat, nec apparebat eis. Hinc factum est, ut etiam triduum illud ex humana dispositione prædiceretur: Nunc ergo, duce Jesu, arcam Domini

sequuntur, nube subtracta, tamquam velamine ablato. Vide denique quid dicitur de eis: Populus, inquit, ab arca testamenti duo millia cubita, sacerdotes vero & levitæ proximi, & satis proximi; ita ut in humeris eorum arca Domini & legislatio divina portetur. Beati qui merentur proximi esse Deo. Sed memento quod scriptum est: *Qui adproximaverint mihi, adproximant igni.* Si aurum aut argentum fueris, & igni adproximaveris, multo per ignem splendidior & rutilantior refulges. Si vero super fundamentum tantæ fidei positum, conscius tibi es superædificasse te ligna, fœnum, stipulam; cum tali ædificatione si igni adproximaveris, consumeris. Beati igitur qui proximi sunt, ut ignis eos inluminet & non adurat. Salvabitur tamen & Israel, sed longe positus salvabitur; & iter agit, non sua virtute, sed adminiculis & providentia sacerdotum.

Isa. 65. 5. — 1. Cor. 3. 12.

Jos. 3. 7. *Dixitque Dominus ad Josue: Hodie incipiam te exaltare coram omni populo Israel; ut sciant, quod sicut fui cum Moyse, ita & tecum sim*, & reliqua. Quanta ante gesta sunt! Mare rubrum transitum est pedibus, manna de cœlo data est, fontes in eremo disrupti sunt, lex per Moysen data est, signa & prodigia multa in eremo gesta sunt, & nusquam dicitur exaltatus esse Jesus. Ubi vero Jordanis transitur, ibi dicitur ad Jesum: In hac die incipio te exaltare in conspectu populi. Neque enim ante mysterium baptismi exaltatur Jesus, sed exaltationis ejus in conspectu populi inde sumit exordium: Si enim omnes qui baptizantur in CHRISTO JESU, in morte ipsius baptizantur: mors autem JESU in crucis exaltatione completur, merito unicuique fidelium tunc primum JESUS exaltatur, cum ad mysterium baptismi pervenitur: quia scriptum est, *quod exaltavit illum Deus, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine* JESU *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.*

Phil. 2. 9. 10.

Jos. 3. 11. *Dixitque Josue ad filios Israel: Ecce arca fœderis Domini omnis terra, antecedet vos per Jordanem: parate duodecim viros de tribubus Israel, singulos per singulas tribus; & cum posuerint vestigia pedum suorum sacerdotes qui portant arcam Domini universæ terræ in aquis Jordanis, aquæ quæ inferiores sunt, decurrent atque deficient; quæ autem desuper veniunt, in una mole consistent.* Per sacerdotes deducitur populus, & iter agit ad terram repromissionis. Magisterio sacerdotum tantus ac talis est populus, qui in illo ordine mereatur adscribi. Si enim sit aliquis talis, ut quiescant ei fluenta Jordanis, & ipsa elementa verebuntur: pars aquarum fluminum retrorsum resiliet, & post tergum frenabitur: pars vero in mare salsum rapido lapsu deficiet. Quod tamen nec ipsum absque mysterii ratione arbitror scriptum; quod pars aquarum Jordanis demergatur in mare, atque in amaritudine profluat, pars vero in dulcedine perseveret. Si omnes qui baptizantur, acceptam cœlestis gratiæ dulcedinem custodirent, & nullus in peccatorum amaritudinem verteretur, non utique esset scriptum quia pars fluminis, salsi maris gurgitibus fuisset immersa. Et ideo illa mihi videtur in his verbis baptizatorum varietas designari, quam ipsi nos (quod cum dolore commemoro) sæpe videamus accidere, ut hi qui sanctum baptisma consequuntur, cum seipsos rursus ad negotia sæcularia & inlecebras libidinum tradunt, & cum avaritiæ salsum poculum bibunt, in ea aquarum parte formantur, quæ in mare profluit, atque in salsis fluctibus deperit: pars vero illa quæ cum stabilitate permanet, & dulcedinem suam servat, designat eos qui acceptum Dei munus indeclinabiliter tenent. Et recte una pars est eorum qui salvantur, quia & panis unus est qui de cœlo descendit, & dat huic mundo vitam: & fides una est, unum baptismum, & unus spiritus quo omnes potantur in baptismo, & unus Deus pater omnium.

Igitur egressus est populus de tabernaculis suis, ut transiret Jordanem: & sacerdotes qui portabant arcam fœderis pergebant ante eum, &c. Interea sacerdotalis ordo, & leviticus, qui iter ostendebat populo Dei qui exiit de terra Ægypti; ipsi enim sunt qui docent populum exire de Ægypto; de erroribus scilicet mundi transire per eremum vastam, id est, tentationum genera diversa transcurrere: & neque noceri a serpentibus, qui sunt morsus dæmonum, & malarum suggestionum venena vitare. quod si forte aliquis percussus fuerit in eremo a serpente, ut ostendat ei æreum serpentem in cruce suspensum, quem qui viderit, id est, qui crediderit in eum, cujus figuram ille serpens monstrabat, diabolica per hoc venena diffugiet: sacerdotalis & leviticus ordo est qui adsistit arcæ testamenti Domini, in qua lex Domini portatur, sine dubio ut ipsi inluminent populum de mandatis Dei, sicut Propheta dicit; *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen semitis meis*: Hoc lumen per sacerdotes accenditur & levitas. Quod si forte aliquis ex hoc ordine accensam lucernam posuerit sub modio, & non super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt, videat quid sibi agendum sit, cum Dominus lucis cœperit reddere rationem pro his qui nihil inluminationis a sacerdotibus capientes, in tenebris ambulant, & peccatorum obscuritate cæcantur. Jos. 3. 14. — Ps. 118. 105.

Jordanis autem ripas alvei sui tempore messis impleverat. Jordanis autem plenus erat Jos. 3. 15. AUG. per

per totam crepidinem suam, sicut in diebus messis tritici. Hoc incredibile videtur regionibus nostris: ibi autem (sicut perhibent qui noverunt) initio veris est messis tritici. Tunc autem ille fluvius repletur amplius quam per hiemem.

Jos. 4. 10. *Sacerdotes autem qui portabant arcam, stabant in Jordani medio, donec omnia complerentur, quæ Josue ut loqueretur ad populum, præceperat Dominus, & dixerat ei Moyses. Festinavitque populus & transiit. Cumque transissent omnes, transiit & arca Domini. Sacerdotes quoque pergebant ante populum.* ADAM. De his quidem qui mare rubrum transierunt & Apostolus dixit, *quia omnes in Moyse baptizati sunt, & in nube, & in mare.* (*1. Cor. 10. 2.*) De his vero qui Jordanem transierunt, possumus etiam & nos simili modo pronunciare, omnes in Jesu baptizati sunt in Jordane; ita ut ea quæ in Jordane gesta referuntur, formam teneant sacramenti, quod per baptismum celebratur. Illud vero quod scriptum est; *Et festinavit populus, & transivit Jordanem; & arca testamenti Domini*, non mihi otiose additum videtur a Spiritu-sancto quod dixit, *quia festinavit populus transire.* Unde & ego arbitror, quia nobis quoque venientibus ad baptismum salutare, & suscipientibus sacramenta verbi Dei, non otiose nec segniter res gerenda est; sed festinandum est, & perurgendum usquequo omnia transeamus. Transire enim omnia, implere est omnia quæ mandantur. Festinemus ergo transire, hoc est, adimplere primum quod scriptum est, *Beati pauperes spiritu* (*Matth. 5.*); ut deposita omni arrogantia, & Christi humilitate suscepta, pervenire ad promissam beatitudinem mereamur; sed cum hoc impleverimus, non nobis standum est, neque cessandum; sed transeunda sunt & cetera quæ sequuntur, ut esuriamus & sitiamus justitiam. Transeundum nobis est & quod sequitur, ut in hoc mundo lugeamus: cito etiam reliqua transeunda sunt, ut mansueti efficiamur, & ut pacifici maneamus, & per hoc possimus Filii Dei esse. Festinandum quoque, ut persecutionum pondus virtute patientiæ transeamus. Cumque hæc singula quæ ad virtutis gloriam spectant, non segniter, nec remisse, sed cum omni instantia, & celeritate conquirimus, hoc mihi videtur esse cum festinatione transire Jordanem. Cum vero transierimus, & obtinere potuerimus quæ obtinere debemus, rursum nobis diligentiæ & cautelæ cura succedit; ne forte negligentius incedentes, improviso aliquo lapsu effundantur gressus nostri. Sicut & Propheta dicit; *Paulo minus effusi sunt gressus mei.* (*Psal. 72. 2.*)

CAP. V. *Jos. 4. 12.* *Filii quoque Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse, armati præcedebant filios Israel, sicut eis præceperat Moyses. Et quadraginta pugnatorum millia, per turmas & cuneos incedebant per plana atque campestria urbis Jericho.* Nec remissior nobis sollicitudo in conservandis debet esse, quam in conquirendis virtutibus. Aut non hæc tibi designari videntur in eo cum dicitur; quia quadraginta millia virorum accincti & expediti transierunt ad pugnam in conspectu Domini ad expugnandam Jericho civitatem? Requiramus qui isti sunt, quos scriptura dicit accinctos vel expeditos. Ego ex memetipso præsumere aliquid & pronunciare non audeo. Apostoli magis litteris doceamur in talibus. Qui sunt isti accincti Paulo exponente discamus. Audi ipse quid dicit: *Estote ergo accincti lumbos vestros in veritate.* (*Ephes. 6. 14.*) Vides ergo quia Paulus accinctus novit eos qui præcincti sunt cingulo veritatis. Igitur etiam nostrum esse cingulum veritas debet, si tamen servaverimus militiæ hujus & cinguli sacramentum. Si enim veritas est cingulum nostrum, quo Christi militia cingimur, si quando falsum loquimur, & mendacium de ore nostro procedit, discingimur a militia Christi, & balteo caritatis exsolvimur. Simus ergo in veritate cincti, ne simus in falsitate discincti; sed nos imitemur potius istos quadragesies mille viros accinctos, præcedentes in conspectu Domini, & semper simus in veritate succincti. Vis igitur discere quæ nos pugnæ post baptismum, quæ bella suscipiant, noli a me, sed ab ipso rursus disce Apostolo. Ipse te docet, dicens: *Non enim nobis est pugna adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi hujus rectores tenebrarum harum, adversus spiritalia nequitiæ in cœlestibus.* (*Ephes. 6. 12.*) Formæ sunt & figuræ quæ scripta sunt. Ita enim dicit Apostolus; *Hæc enim omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt:* (*1. Cor. 10. 11.*) Si ergo propter nos scripta sunt, age, quid cessas? Exeamus ad bellum, ut expugnetur a nobis civitas prima hujus mundi, & malitiæ, & peccati superba mœnia destruantur. Circumspicis fortasse quo tibi itinere progrediendum sit, qui campus certaminis expetendus. novum tibi fortasse videbitur quod dicturus sum, sed tamen verum est. Præter temetipsum & extrinsecus requiras? Prælium intra te est: quod gesturus es, intrinsecus est. Mala illa ædificatio quæ subruenda est: hostis tuus de tuo corde procedit. Non mea vox ista, sed Christi est. Audivimus ipsum dicentem: *De corde enim procedunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia, avaritia, nequitia, doli:* (*Matt. 15. 19.*) Vides quantus & qualis exercitus hostium tuorum adversum te de tuo corde procedit? Isti nobis prima strage confodiendi sunt, isti prima acie prosternendi sunt. Horum si su-

bruerimus mœnia, ipsos quoque ad internecionem cædere poterimus; ita ut non relinquamus qui renunciet vel respiret. Si jam nullus ex his prorsus in nostris cogitationibus redivivus eruperit, tunc nobis per Jesum dabitur illa requies, ut unusquisque requiescat sub vite sua, & sub ficu sua, cum jam non sit qui exterreat filios Israël. Verumtamen transeunt Jordanem quadraginta millia virorum armatorum, accincti in conspectu Domini ad bellum: & tunc
Jos. 4. 14. dicit scriptura. *In die illo magnificavit Dominus Josue coram omni Israël, ut timerent eum sicut & timuerant Moysen, dum adhuc viveret*, & reliqua. Fuerat quidem ista exultatio filio Nave, ut dux populi illius apud eos quos regebat, esset magnificus. Noster vero Jesus dominus meus dux & rector populi hujus quomodo exaltatur in conspectu omnis generis filiorum Israël videamus: Ego arbitror quod ipse semper apud patrem exaltatus est & excelsus: sed hoc opus est, ut in conspectu nostro exaltet illum Deus Pater. Exaltatur autem in conspectu meo, cum mihi sublimitas & celsitudo divinitatis ejus aperitur. Quando ergo mihi excelsa ejus divinitatis revelata sunt? Tunc profecto cum Jordanem transirem, variis sacramentis futura arma tenerem ad prælia. *Et timuerunt*, inquit, *Jesum sicut timuerant Moysen.* Omnis qui sub lege est, timet Moysen: cum vero ad evangelium ex lege transierit, mutata observantia mutatur & timor, sicut Apostolus dicit; *Ego au-*
Gal. 2. 19. *tem per legem, legi mortuus sum ut Deo vivam, & cum Christo crucifixus sum cruci: vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.*

Jos. 4. 20. *Duodecim quoque lapides, quos de Jordanis alveo sumpserant, posuit Josue in Galgalis*, &c. Transeuntes itaque filii Israël Jordanem, sustulerunt de medio fluminis duodecim lapides, quos pro testimonio posuerunt in loco secundæ circumcisionis, ad significandum nobis, ut dum de lavacro consurgimus, apostolicæ vitæ exempla firmissima nobiscum gestare debeamus: quorum semper testimonium ad imitamenta virtutum contueamur.

Jos. 4. 9. *Alios quoque duodecim lapides posuit Josue in medio Jordanis alveo, ubi steterunt sacerdotes qui portabant arcam fœderis Domini: & sunt ibi usque in præsentem diem.* Isti enim duodecim lapides qui positi sunt in medio Jordanis alveo, similiter significant apostolicum ordinem, sicut & illi qui de Jordane translati sunt, & in Galgalis constituti: quia necesse est ut quisquis gratiam baptismi suscipere desideraverit, hanc secundum apostolicam traditionem percipiat, & sic exspoliatus veterem hominem, novoque indutus, per omne tempus vitæ suæ in castris ecclesiæ manens, apostolicæ doctrinæ normam fide & opere servare contendat.

A *Eodem tempore ait Dominus ad Josue, fac tibi cultros lapideos, & circumcide secundo filios Israël. Fecit quod jusserat Dominus, & circumcidit filios Israël in colle præputiorum. Hæc autem causa est secundæ circumcisionis. Omnis populus qui egressus est ex Ægypto generis masculini, universi bellatores viri, mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus, qui omnes circumcisi erant. Populus autem qui natus est in deserto per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis, incircumcisus fuit*, & reliqua. In hoc præcepto quæritur cur dixerit, *iterum*: non enim unus homo bis circumcidendus erat; sed quia populus unus CAP. VI. Jos. 5. 2.
B in quibusdam circumcisus, in quibusdam non circumcisus, ideo dictum est: *iterum*, ut circumcisus iterum circumcideretur, non homo sed populus. Nam & sequentia id etiam ostendunt. Manifestum est ergo non omnes fuisse, sed quosdam. Quidam enim de Ægypto exeuntium filii, in illo populo incircumcisi erant, quos potuit circumcidere Jesus: illorum scilicet filios, qui genuerunt in deserto, & contemserunt eos circumcidere, quod inobedientes erant legi Dei. Nulla itaque causa est, cur hi qui
C putant rebaptizandos eos qui habent christiani baptismi sacramentum, hoc testimonio legis adjuvari se putent, quia nullus bis numero unus homo est circumcisus; sed populus qui jam fuerat in quibusdam circumcisus, in quibusdam vero adhuc incircumcisus erat. Et si aliquo modo id fieri posset, ut bis circumcidi hominem Deus juberet, numquid posset dicere, ideo fuisse præceptum, quia illi ab Ægyptiis fuerant circumcisi, aut ab aliquibus hæreticis ab Israëlitarum societate segregatis? Cum ve-
D ro etiam satis appareat quare sit a Deo dictum, nullum hic possunt homines erroris sui patrocinium reperire. Percunctentur inde Judæi quomodo potest quis secundo ISID. circumcidi circumcisione carnali: semel enim circumcisus, ultra non habet quod secundo possit auferre. A nobis autem quibus lex spiritalis est, convenienter ista solvuntur. Dicimus enim circumcisionem primam fuisse per legem in Ægypto: sed si a lege transeat quis per baptisma Jordanis ad evangelium, tunc accipit secundam circum-
E cisionem spiritalem per Petram, qui est Christus: sicque tali circumcisione purgatus, caret Ægypti obprobrio, id est, inlecebra corporalium vitiorum. Nomen autem loci Galgala, quod interpretatur revelatio, ostendit dum in præputio infidelitatis ambulaverit quisque per hujus vitæ desertum, oculos ei esse cœcatos. Videamus tamen quale sit hoc ipsum quod dicit, quia hodie abstulit opprobrium a filiis Israël. Omnes homines etiamsi per legem veniant, etiamsi per Moysen eruditi sint, habent tamen oprobrium peccatorum. Quis erit similis

etiam secundum legis observantiam factorum. Audi denique ipsum dicentem: *Secundum justitiam quæ in lege est, conversatus sine querela*; ipse tamen pronunciat, & dicit: *Fuimus enim & nos aliquando insipientes, increduli, errantes, & servientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, odibiles, odientes invicem.* Non tibi videntur hæc oprobria esse Ægypti? Sed ex quo venit Christus, & dedit nobis secundam circumcisionem per baptismum regenerationis, & purgavit animas nostras, abjicimus hæc omnia, & pro his adsumimus conscientiæ bonæ adstipulationem in Deum. Tunc per secundam circumcisionem ablata a nobis sunt opprobria Ægypti, & purgata sunt vitia peccatorum. Nemo ergo, si integre conversus est, si ex corde penitus fideliter Jordanis fluenta digressus est, si secunda per evangelium circumcisione purgatus est, præteritorum metuat opprobria delictorum. Audis quia hodie abstuli a te opprobrium Ægypti. Hoc in evangeliis significat Dominus, cum dicit: *Remissa sunt tibi peccata tua, sed jam noli peccare, ne quid tibi deterius accidat.* Si enim post remissionem peccatorum ultra non peccas, vere ablatum est a te opprobrium Ægypti: si vero iterum peccaveris, iterum in te vetera revolventur: eo magis quia multo majoris criminis est, Filium Dei conculcare, & sanguinem testamenti polluere, quam legem Moysi negligere, multo enim majoris opprobrii est, qui post evangelium, quam ille qui sub lege positus fornicatur: quia iste tollens membra Christi, facit ea membra meretricis. Vides ergo quam graviora & cumulatiora in te opprobria, si neglexeris, revolventur. Denique jam te nemo reum arguet, sed sacrilego crimine condemnat. quia dicitur: *An nescitis quia corpora vestra templum Dei est? si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.*

Phil. 3. 6. — Tit. 3. 3. — Joh. 5. 14. — 1. Cor. 3. 16.

Postquam autem omnes circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco, donec sanarentur, & reliqua. Non enim sufficit nobis circumcidi, sed post circumcisionem sanari, id est, usquequo etiam cicatricem, ipsum circumcisionis vulnus obducat. Quando enim cicatrix in vulnere circumcisionis nostræ obducitur? Ego arbitror quod circumcidi per JESUM, hoc est vitiis carere, malas consuetudines & pessima instituta deponere, fœdos & inconditos mores, & quicquid ab honestatis & pietatis regula redundat, abscidere. Sed cum hoc in initiis facimus, ipsa novitatis quodammodo difficultate constringimur, & quasi cum labore quodam & dolore animi, veteres consuetudines, culpasque novella institutione mutamus. Et ideo, ut dixi, quædam difficultas est in initiis exuere quæ amputare possumus, prima & secunda suscipere. hoc ergo mihi videtur tempus esse, quod velut in dolore circumcisionis nostræ dicimur residere, usquequo obducta cicatrice sanemur. Obducimus autem cicatricem, cum jam nova instituta absque difficultate complemus, & in usum nobis vertitur, quod prius quasi insolitum difficile videbatur. Et tunc vere jam sanati inducimur, cum vitiis carentes, virtutem novo usu vertimus in naturam.

Jos. 5. 8.

Manseruntque filii Israël in Galgalis, & fecerunt phase quartadecima die mensis ad vesperum in campestribus Jericho, & comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, & polentam ejusdem anni. Defecitque manna postquam comederunt de frugibus terræ: nec usi sunt ultra illo cibo filii Israël, sed comederunt de frugibus præsentis anni terræ Chanaan. Et fecerunt filii Israël pascha decimaquarta die mensis. Non enim ante circumcisionem carnes agni comedere debent, id est, antequam sanentur; sed posteaquam sanati sunt, dicitur quia fecerunt pascha filii Israël decimaquarta die mensis. Vides ergo quia nemo immundus facit pascha, nemo incircumcisus, sed qui mundus fuerit & circumcisus, sicut Apostolus interpretatur dicens: *Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque diem festum celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Sed tunc quidem quando exiit populus de terra Ægypti, portavit consparsum: cum panes non haberent, pluit eisdem manna: cum autem venerunt ad terram sanctam, & fructus ceperunt provinciæ palmarum, defecit eis manna, & tunc edere cœperunt de frugibus terræ. Itaque tres partes ciborum generaliter describuntur. Unum quo vescimur exeuntes de terra Ægypti; sed hoc ad parvum tempus sufficit. Post hoc succedit manna. Tertio vero jam de terra sancta capimus fructus. In quibus differentiis, ut meæ parvitatis intellectus adsequitur, illud arbitror indicari, quod primus cibus est quem de Ægypto exeuntes nobiscum portavimus, id est, parva eruditio sæcularis, aut etiam si quis forte attigerit aliquid liberalium litterarum, quæ exiguum in eremo aliquid juvare nos potest. In eremo vero positi, id est in hac in qua nunc sumus vita, tum & manna vescimur, per hoc quod divinæ legis instructionibus erudimur. Qui vero meruit in terram repromissionis intrare, id est, ea quæ a Salvatore promissa sunt consequi, ille edet fructus de regione palmarum. Vere fructum palmæ inveniet, qui devicto hoste ad promissa pervenerit. Certum namque est, quod quantacumque illa sunt quæ nunc in lege Dei & divinis litteris intelligere possumus, aut sentire; multo sublimiora & excelsiora erunt illa, quæ

Jos. 5. 10. — 1. Cor. 5. 7.

cessante ænigmate, facie ad faciem sancti quique merebuntur: quia quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, hæc sunt quæ præparavit Deus his qui diligunt eum.

CAPUT VII.

Jos. 5. 13. *Cum autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, & vidit virum stantem contra se, & evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: Noster es, an adversariorum? Qui respondit: Nequaquam; sed sum princeps exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram, & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum? Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis; locus enim in quo stas sanctus est. Fecitque Josue ut sibi fuerat imperatum.* Respiciens oculis vidit principem militiæ Domini, tamquam qui prius non respexerit, sed tunc cum principem militiæ Domini visurus esset. Quem tamen Jesus cum vidisset, non eum velut communem hominem vidit, sed intellexit Virtutem esse: nondum tamen intellexit, ex divinis Virtutibus, an ex contrariis una sit quæ videtur, & ideo interrogat & perquirit, dicens: *Noster es, an adversariorum?* At ille ait: *Ego sum princeps militiæ virtutis Domini: nunc adveni.* Et cum hoc audisset Jesus, adoravit & dixit: Domine, quid præcipis servo tuo? Quid est quod per hoc nos edocet Jesus? Illud est sine dubio quod dicit
1. Joh. 4. 1. Apostolus: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint.* Cognovit ergo Jesus non solum quia ex Deo est, sed quia Deus est: non enim adorasset, nisi cognovisset Deum. Quis alius est princeps militiæ virtutis Domini, nisi Dominus noster JESUS CHRISTUS? Omnis namque cœli militia, sive angeli, sive archangeli, sive Virtutes, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia hæc quæ per ipsum facta sunt, sub ipso principe militant qui est principum princeps, qui largitur principibus principatus. Ipse est enim qui dicit in evan-
Luc. 19. 17. gelio: *Esto tu potestatem habens super decem civitates.* Hic est qui accepto regno regressus est. Sed interim videamus quæ præsens lectio ingerit. In Jericho est Jesus, adhuc hostes obtinent civitatem, & nondum ceperat eam Jesus. Jam tamen dicitur ad Jesum: *Solve calceamentum tuum de pedibus tuis; locus enim in quo stas terra sancta est.* Et quomodo Jericho terra sancta est, quæ ab hostibus retinetur? Sed ne forte hoc sit quod indicatur, quia quocumque venerit princeps militiæ virtutis Domini, illuc locus erit sanctus; ego etiam aliquid amplius audeo & dico; quia etiam & Moïses ubi stabat, per semetipsum non erat locus sanctus, sed quia Domini cum Moïse præsentia sanctificaverat locum. Et ideo dicitur ad eum: *Solve corrigiam calceamenti tui; locus enim in quo stas terra sancta est.* Unde & nos si vita & meritis accedamus ad Dominum, & digni efficiamur ut adsistat nobis Deus, dicitur etiam ad nos, ut solvamus a pedibus animæ nostræ, si quid in eis vinculi mortalis adnexum est. Isti sunt enim pedes, quos lavit JESUS, quos nisi laverit non habebimus partem cum eo. Quod si ergo ab anima nostra & sensibus omne vinculum curæ mortalis absolvamus, continuo libenter etiam nobis aderit & adsistet Deus. Quæ autem sunt in consequentibus videamus.

Jericho autem clausa erat atque munita a timore filiorum Israël, & nullus egredi audebat, aut ingredi: dixitque Dominus ad Josue: Ecce dedi in manu tua Jericho, & regem ejus, omnesque fortes viros. Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem. Sic facietis sex diebus; septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas, quarum usus est in jubilæo: & præcedant arcam fœderis Domini. Septiesque circuibitis civitatem, & sacerdotes clangent buccinis. Cumque insonuerit vox tubæ longior atque concisior, & in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent civitatis: ingredienturque singuli per locum contra quem steterint, &c. Circumdatur Jericho, expugnaturque, adversus quam gladius non conducitur, aries non dirigitur, nec tela vibrantur: tubæ solummodo sacerdotales septem diebus continuis adhibentur, sicque circumacta arca muri Jericho subruuntur. Jericho autem per interpretationem Luna dicitur; luna vero mundi hujus speciem tenet, quia sicut luna menstruis completionibus deficit, ita hic mundus ad completionem temporum currens, quotidianis defectibus cadit. In arca vero ecclesia figuratur, in tubis autem æreis prædicatores fortes accipiuntur. Hanc ergo urbem Jericho diebus septem ferentes arcam Israëlitæ æneis tubis clangentibus circumeunt, & muri ejus per arcæ præsentiam, atque ærearum tubarum sonitu cadunt; quia in hoc tempore quod septem dierum vicissitudine volvitur, dum fertur arca, id est, dum orbem terrarum circumiens movetur ecclesia. Veniens vero Dominus noster JESUS CHRISTUS, cujus ille prior filius Nave designabat adventum, mittit sacerdotes apostolos suos, portantes tubas ductiles, prædicationis magnificam cœlestemque doctrinam. Sacerdotali tuba primus in evangelio Matthæus increpuit: Marcus quoque, Lucas, & Johannes, suis singuli tubis sacerdotalibus cecinerunt: Petrus etiam duabus epistolarum suarum personat tubis: Jacobus quoque & Judas. Addidit nihilominus Johannes & tuba canere per ecclesias suas, & Lucas Apostolorum gesta describens. Novissimus autem ille veniens, qui dixit: *Puto autem nos Deus apostolos novissimos ostendit*, & in quatuordecim epistolarum 1. Cor. 4. 9.

stolarum suarum fulminans tubis, muros Jericho & omnes idololatriæ machinas & philosophorum dogmata usque ad fundamenta dejecit. Movet me sane etiam illud quod historia refert, quia non solum sacerdotes tubis cecinerunt, ut caderent muri Jericho, sed & audita voce tubæ dicitur universus populus ululasse ululatu magno, vel sicut in aliis exemplaribus habetur, jubilasse jubilo magno. Et quamvis iste sermo improprie translatus videatur; ἀλαλαγμὸς enim in græco scribitur, quod neque jubilum, neque ululatum proprie significat; sed illam magis ostendit vocem, quâ belli tempore exercitus clamorem consonum tollens, unanimiter se cohortari ad bellum solet, tamen hic sermo in scripturis jubilatio magis quam ululatio consuevit inscribi, ut ibi: *Jubilate Deo omnis terra*: Et iterum: *Beatus populus qui scit jubilationem.* Quod etiam me permovet dictum, quid istud tantum sit operis, quod beatum populum faciat. Non dixit, quia beatus populus qui scit mysteria, & qui scit cœli ac terræ & siderum rationem; sed *beatus*, inquit, *populus qui scit jubilationem.* In aliis timor Dei beatum facit; sic enim dicit: *Beatus vir qui timet Dominum.* Alibi etiam plures fiunt beati, sicut pauperes spiritu, vel mansueti, vel pacifici, vel mundi corde. Hic beatitudo profusa est, & tanta hic nescio quæ causa beatitudinis indicatur, ut universum populum faciat beatum, qui tamen scierit jubilationem. Unde mihi videtur jubilatio ista indicare quemdam concordiæ & unanimitatis affectum. Qui si incidat in duos, vel in tres Christi discipulos, omnia quæcumque petierint in nomine Salvatoris præstat eis Pater cœlestis. Si vero tanta fuerit beatitudo, ut universus populus concors & unanimus maneat, ut eadem dicant omnes, & in eodem sensu, & in eadem sententia permanentes, isto tali populo vocem unanimiter elevante, fiet illud quod scriptum est in Actibus apostolorum; quia terræ motus factus est ubi tunc unanimes orabant apostoli, cum mulieribus & MARIA matre JESU. Et terræ motu facto destruentur & cadent omnia quæ terrena sunt, & subvertetur mundus. Audi denique Dominum & Salvatorem nostrum, adhuc ipsum suos milites cohortantem, quomodo dicit: *Confidite, ego vici mundum.* Illo ergo duce jam nobis victus est mundus, & muri ejus conlapsi sunt, quibus homines sæculi nitebantur. Sed & unusquisque nostrûm debet in semetipso ista complere. Habes in te JESUM ducem per fidem, fac tibi tubas ductiles, si sacerdos es; gens enim regalis effecta es, & sacerdotium sanctum de te dictum est: fac tibi tubas ductiles ex scripturis, inde duc sensus, inde sermones: propterea enim tubæ ductiles

Psal. 88. 16. — Psal. 65. 1. — Psal. 88. 16. — Psal. 111. 1. — Matt. 5. — Act. 2. 14. — Joh. 16. 33.

A appellantur. In ipsis cane, & si in talibus cecineris tubis, id est, in psalmis, hymnis, & canticis spiritalibus, & septies arcam testamenti circumtuleris, id est, legis Mosaïcæ præcepta ab evangelicis non separaveris tubis; sed etiam jubilationis ex temetipso exigas consensum, id est, si cogitationum & sensuum tuorum populus qui intra te est, concordem semper & consonam proferat vocem, & non aliquando verum dicas, aliquando personæ potestatis adulantis mendacio maculeris: si non te aliquando blandum remissio faciat, aliquando iracundia truculentum; si non arrogans apud B modicos, & apud superbos humilis inveniris: denique si non pugna intra te geritur, dum concupiscit caro adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Si hæc intra te jam consonant & concordant, vocem jubilationis cito emittis, quoniam destructus & dejectus est mundus, qui fuit ante tibi rebellis: & ad prædicantium voces, quasi ad tubarum sonitum muri Jericho, id est, elati mundi ac superba infidelitatis obstacula corruunt: donec in fine temporum mors C novissima inimica destruatur. Et ex impiorum perditione unica domus Raab, tamquam unica ecclesia liberatur, munda a turbine fornicationis, per fenestram confessionis, in sanguine remissionis. Ista enim meretrix in Jericho tamquam in mortali hoc sæculo moratur, quæ ut salvari possit, per fenestram domus suæ, tamquam per os corporis sui, coccum mittit, quod est sanguinis Christi signum pro remissione peccatorum confiteri ad salutem. Qui inventi sunt in domo illius, salvati sunt ab interitu D urbis, & quicumque intra ecclesiam reperiuntur, ipsi tantum salvantur; extra hanc autem domum, id est extra ecclesiam nemo salvatur.

ISID.

Dixitque Josue ad omnem Israël: Vociferamini; tradet enim vobis Dominus civitatem. Sitque civitas hæc anathema, & omnia quæ in eis sunt, Domino. Sola Raab meretrix vivat cum universis qui cum ea in domo sunt; abscondit enim nuncios quos direximus. Vos autem cavete ne de his quæ præcepta sunt quidpiam contingatis, & sitis prævaricationis rei, & omnia castra Israël sub peccato sint, atque turbentur, & reliqua. Tale est quod indicatur E in his verbis: Videte ne quid in vobis sæculare habeatis, ne sæculares nequitias, ne tergiversationem de sæculo vobiscum ad ecclesiam deferatis, sed anathema vobis sit omnis conversatio sæcularis. Nolite divinis mundana miscere, nolite negotia sæcularia ecclesiæ servitiis inserere. Hoc est quod Johannes epistolæ suæ personat tuba, dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Et Paulus similiter: *Nolite*, inquit, *conformari huic sæculo*; qui enim hoc faciunt, accipiunt de anathemate. Sed &

Jos. 6. 16. — 1. Joh. 2. 15. — Rom. 12. 2.

illi qui (verbi causa) cum Christiani sint, solemnitates gentilium celebrant, anathema in ecclesiam introducunt, qui astrorum cursibus vitas hominum & gesta perquirunt, qui volatus avium, & cetera hujusmodi quæ in sæculo prius observabantur inquirunt, de Jericho anathema deferunt in ecclesiam, & polluunt castra Domini, & vinci faciunt populum Dei. Sed & multa alia peccata sunt, per quæ anathema de Jericho introducitur in ecclesiam, per quæ populus Dei vincitur, & prosternitur ab inimicis. Aut non Apostolus hæc eadem præcipit, cum dicit: *Modicum fermentum totam massam corrumpit?* (1. Cor. 5. 6.)

CAPUT VIII.

(Jos. 6. 25.) *Raab vero meretricem, & domum patris ejus, atque omnia quæ habebat, fecit Josue vivere, & habitaverunt in medio Israel usque in præsentem diem, eo quod absconderit nuncios quos miserat, ut explorarent Hiericho.* Velim requirere a Judæis, & ab his qui Christiani quidem dicuntur, sed in scripturis adhuc sensum Judaicum servant, quomodo exponant Raab meretricem adjectam esse domui Israel usque in hodiernum diem. Quomodo Raab usque in hodiernum diem adjecta esse dicitur? Hoc enim scripturæ sanctæ moris est, dicere de his quæ usque in finem vel vitæ vel sæculi permanent: Verbi causa, ut ait: *Hic pater est Moabitarum usque in hodiernum diem*, quod significat, usque in consummationem sæculi. (Gen. 19. 37.) Et iterum in evangelio dicitur, *Quia diffamatus est hic sermo apud Judæos usque in hodiernum diem*, id est, usquequo sæculum stat. (Matt. 28. 15.) Raab vero mulier quomodo adjecta esse dicitur domui Israel usque in hodiernum diem? Numquid non matri successio posteritatis adscribitur, ut videatur in sobolis reparatione servari? an magis intelligendum est, quod vere Israeli juncta est ac sociata usque in hodiernum diem? Et si vis manifestius videre quomodo Raab jungitur Israeli, intuere quomodo ramus oleastri inseritur in radicem bonæ olivæ; & intelliges quomodo hi qui inserti sunt fide, Abrahæ & Isaac & Jacob, recte adpositi dicuntur & adjecti ad Israel usque in hodiernum diem: quia in illorum radice nos rami oleastri ex Gentibus adsumti, qui aliquando meretricabamur, lignum & lapidem pro Deo colentes, adpositi sumus usque in hodiernum diem, & facti sumus per fidem Christiani.

(Jos. 6. 26.) *In tempore illo imprecatus est Josue dicens: Maledictus vir ille coram Domino, qui suscitaverit & ædificaverit civitatem Jericho. In primogenito suo fundamenta illius jaciat, & in novissimo liberorum ponat portas ejus.* Hanc imprecationem impletam esse temporibus Regum manifestum est; cum in libro primo Malachim, de temporibus regni Achab ita scriptum est: (3. Reg. 16. 34.) *In diebus ejus ædificavit Ahiel de Bethel Jericho: in Abiram primogenito suo fundavit eam, & in Segub novissimo suo posuit portas ejus.* Patet sensus, quia cum præfatæ conditor urbis, fundamenta illius ponere inciperet, primogenitus ejus, qui vocabatur Abiram, mortuus est: & cum urbe ædificata portas munire tentaret, novissimum filiorum cognomento Segub amisit: quod ita futurum Josue, cum eam destructam anathemati traderet, imprecando prædixit: *Maledictus*, inquiens, *vir coram Domino, qui suscitaverit & ædificaverit civitatem Jericho. In primogenito suo fundamenta illius jaciat, & in novissimo liberorum ponat portas ejus.* Quia vero Ahiel vivens Deo, Bethel interpretatur domus Domini, Ahiel de Bethel destructa a Josue atque anathematizata Jericho mœnia restaurat, cum quis eorum qui in ecclesia habitum religionis adsumserant, ad agenda scelera, quæ ei dominus JESUS in die baptismatis donaverat, redit: quasque ipse anathematizaverat diaboli pompas, luxuriose vivendo repetit, cum errorum dogmata, vel gentilium fabulas veritati ecclesiasticæ, qua imbutus est, quasi de Bethel egrediens, ruinas Jericho resuscitat. Meritoque talis coram Domino maledictus, & primum filiorum in fundatione nefariæ civitatis, & novissimum in portarum positione amittit; quia & fundamenta fidei a quibus bona ædificia inchoare, & claustra bonæ actionis quibus perfici debuerat, perdit.

CAP. IX.

(Jos. 7. 1.) *Fuit ergo Dominus cum Josue, & nomen ejus in omni terra vulgatum est: filii autem Israël prævaricati sunt mandatum, & usurpaverunt de anathemate. Nam Achan filius Charmi, filii Zabdi, filii Zare, de tribu Juda, tulit aliquid de anathemate. Iratusque Dominus contra filios Israël*, &c. AUG. In eo quod factum est, ut Achan de tribu Juda, furaretur de anathemate civitatis Jericho contra præceptum Domini, & propter ejus peccatum tria millia quæ missa fuerant in Hai, dederunt terga hostibus, & occisi sunt ex eis triginta sex viri; & populo graviter territo, Jesus cum senioribus se prostravit ad Dominum, eique responsum est, ideo factum esse quod peccaverat populus; minatus est etiam Deus non se cum eis futurum, nisi abstulerint anathema de seipsis; & quod ostensus est qui defecerat, nec solus occisus, sed cum omnibus suis. Quæri solet quomodo juste pro alterius peccatis in alios vindicetur; maxime quia in lege Dominus dixit, (Ezech. 18. 20.) nec patres pro filiorum, nec filios pro patrum peccatis esse puniendos. An illud judicantibus hominibus est præceptum, ne quemquam pro altero puniant; Dei autem judicia non sint ejusmodi, qui alto & invisibili consilio suo novit, quatenus extendat etiam temporalem hominum pœnam, salubremque terrorem? Non enim aliquid

dirum (quantum attinet ad universi mundi administrationem) contingit mortalibus, cum moriuntur quandoque morituri; & tamen apud eos qui talia metuunt, disciplina sancitur, ut non se solum quisque curet in populo, sed invicem sibi adhibeant diligentiam, & tamquam unius corporis & hominis unius alia pro aliis sint membra sollicita. Nec tamen credendum est etiam pœnis quæ post mortem irrogantur, alium pro alio posse damnari: sed in his tantum rebus hanc irrogari pœnam, quæ finem fuerant habituræ, etiamsi non eo modo finirentur. Simul etiam ostenditur quanta connexa sit in populo societate ipsa universitas, ut non in se ipsi singuli, sed tamquam partes in toto æstimentur. Per unius igitur peccatum, mortemque paucorum, ammonitus est populus universus, tamquam in corpore universo quærere quod commissum est. Simul etiam significatum est quantum mali fieret, si universa illa congregatio peccasset, quando nec unus quidem ita potuit judicari ut ab eo possent ceteri esse securi. At vero si Achan ab aliquo inventus atque comprehensus, & illius criminis reus ad judicium Jesu fuisset adductus, nequaquam putandum est, hominem judicem, vel pro illo & cum illo quemquam alium qui societate facti ejus minime teneretur, fuisse puniturum. Neque enim ei mandatum legis licebat excedere, quod datum est hominibus; ne judicio suo quod in hominem, homini justum sive permissum est, alterum pro alterius peccato arbitretur esse plectendum. Longe autem secretiore justitia judicat Deus, qui potens est etiam post mortem (quod homo non potest) vel liberare vel perdere. Visibiles igitur adflictiones hominum, sive mortes, quoniam his quibus ingeruntur, & obesse & prodesse possunt, novit Dominus in occulto providentiæ suæ, quemadmodum juste quibusque dispenset, etiam cum aliorum peccata in aliis videtur ulcisci. Pœnas vero invisibiles, quæ nonnisi nocent, & prodesse non possunt, ita nullus Deo judice pro alienis peccatis luit, sicut homine judice luere nullus nisi pro sua culpa istas visibiles debet. Hoc enim præcepit homini judici Deus in his quæ ad humanum judicium pertinent vindicanda, quod in suo judicio facit ipse, quò potestas non aspirat humana.

Jos. 7. 24. *Tollens itaque Josue Achan filium Zare, argentumque, & pallium, & auream regulam, filiosque ejus & filias, boves & asinos, & oves, ipsumque tabernaculum, & cunctam supellectilem, & omnis Israël cum eo, duxerunt eos ad vallem Achor, ubi dixit Iosue; quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac: lapidavitque eum omnis Israël, & cuncta quæ illius erant igne consumpta sunt. Congregaverunt quoque super eum acervum magnum lapidum qui permanet usque in præsentem diem: & aversus est furor Domini ab eis: vocatumque est nomen loci illius vallis Achor, usque hodie.* Merito quæritur, cum Dominus propter illum qui de anathemate furtum faceret, præceperit eum qui fuisset ostensus cremari, cur eum ostensum Jesus lapidari potius a populo fecerit. An ita eum mori oportuit, quemadmodum Jesus, qui propius Dominum sequebatur, verba jubentis intelligere potuit? Unde magis quærendum est cur lapidationem ignem appellaverit Dominus, quam credendum Jesum aliud fecisse quam jusserat Dominus. Nam neque ad intelligendum verba Domini quisquam potuit esse sapientior, neque ad facienda quisquam obedientior. Proinde ignis nomine pœnam potuisse significari, scriptura testis est in Deuteronomio, ubi dicitur ad filios Israël: *Et eduxi vos de fornace ferrea ex Ægypto;* ubi utique duram tribulationem intelligi voluit. duæ mihi autem causæ occurrunt (non ut ambæ sint, sed ut altera ex eis) cur non ille cum suis omnibus evidenti igne crematus sit. Si enim peccatum ejus Dominus tale esse judicavit, quod supplicio illo expiatum non puniret in æternum; propter ipsam expiationem & purgationem congruenter illa pœna, ignis nomen accepit. Neque ad hunc intellectum quisquam tendere ammonetur, si eum proprie visibilis ignis exureret, sed in eo quisque remanere quod aperte videbat impletum: nec aliquid ultra quæreret. Nunc vero cum propter Dei verba, & factum suum, quo prævaricari illa verba non possent, rectissime dicitur, etiam lapidationem ignem fuisse, eleganter agnoscere, illa pœna hominem, ne in posterum peccato illo interiret, fuisse purgatum. Quod significant etiam vasa in libro Numerorum, quæ jubentur igne purgari. Si autem tale fuit illud peccatum, propter quod eum etiam post istam vitam gehenna susciperet, ideo Jesus voluit eum lapidari, ut quod a Domino dictum est igni cremabitur: ut illud admoneret intelligi, quod Dominus faceret, non quod ab ipsis esset faciendum. Si enim dixisset Dominus; igni eum cremabitis, & omnia ejus, huic sensui locus nullus esset? Cum vero ita positum est ut magis videatur Deus quod ei futurum esset prædixisse, quam quod ei ab hominibus deberet fieri, præcepisse, melius non potuit facere Jesus qui divina verba sicut tantus propheta intellexit, qui etiam hoc ipsum prophetice fecit, quam ut illum lapidibus potius quam flammis interimeret; ne in illis ignibus verba Domini viderentur impleta, quæ ob aliud dicta volebat intelligi. nec movere debet quod non ipsum tantum, sed etiam omnia quæ sunt ejus, Deus cremanda igni prædixerit. Sic enim ait, igni cremabitur, & omnia quæcumque sunt ei:

Aug. Deut. 4. 20. Num. 31. 23.

omnia enim quæcumque sunt ei, opera ejus possunt intelligi, quæ cum illo dixit esse concremanda. nam sicut dicit apostolus de quibusdam operibus igne consumptis; *ipse autem salvus erit*. Si hujus peccatum ita intelligendum est, ut etiam æterno igne puniatur, filios ejus & filias cum peccatoribus, & omnibus quæ habebat, populus quidem cum eum puniret, simul lapidibus obruit: non tamen hoc judicio humano, sed prophetico spiritu fecit Jesus. sive ita intelligens omnia quæ sunt ei, ut nec filios censeret exceptos, lapidationis etiam pœnam pro igne ingerens; sive opera ejus quæ post mortem Deus in illo fecerat crematurus: non solum per cetera quæ illi erant, verum etiam per filios ejus significans. Nec ideo sane credendum est, eos pro peccato patris, a quo innocentes erant, etiam post mortem supplicio inferni ignis incensos. Mors quippe ista, quæ omnibus manet, quamvis de primo peccato veniat; tamen quia ita nati sumus, ut necessario moriendum sit, accelerata quibusdam est, ut illis. unde legitur de quodam: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus*. Quo ergo judicio Dei vel misericordia fuerit inrogata, sive filiis hujus, sive illis triginta sex viris, cum omnes ab ejus peccato alieni fuerint, latet apud eum apud quem non est iniquitas. Verum illud in promtu est, quod & populum terribiliter oportebat quærere quod admissum est, & tanto vehementius timuerunt ceteri factum ejus imitari, quanto magis humana exhorret infirmitas, & in tam magnum, tamque justum populi odium dari, & eis quos ad spem propagandi generis se relicturum putabat peccato suo secum consumtis suis posteris emori. Sed & illud non otiose transcurrendum est, quod uno peccante ira super omnem populum venit. Hoc quomodo accidit? quando sacerdotes qui populo præsunt, erga delinquentes benigni volunt videri, & verentes peccantium linguas, ne forte male de his loquantur, sacerdotalis severitatis immemores, nolunt quod scriptum est complere; *Peccantem coram omnibus argue, ut & ceteri metum habeant*, & iterum: *Auferte malum de vobis ipsis*: nec zelo Dei succensi imitantur Apostolum dicentem: *Tradidi hujusmodi hominem satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat*. Neque illud evangelicum implere student, ut si viderint etiam post correctionem duobus vel tribus arbitris contemnere, & si post ecclesiæ correptionem non fuerit emendatus, de ecclesia expulsum velut gentilem habeant ac publicanum: & dum parcunt uni, universæ ecclesiæ moliuntur interitum. Sed videamus ne forte interioris intelligentiæ sit, tanta & tam gravis acerbitas ista peccati. Multa est in verbis, & multa est in philosophorum & rhetorum sermonibus pulcritudo, qui omnes de civitate sunt Jericho, id est, hujus mundi homines. Jericho itaque ut dictum est, mundi gerit figuram. De anathemate ergo ejus fraudans, in tabernaculo suo abscondit, qui sæculares mores in secretis ecclesiæ inserit; qui sub cultu Dei manens, solemnitates sæculi vel spectacula diligit, qui sortilegos, aruspices, & augures inquirit; vel qui ceteros ritus persuadet, qui prius in Jericho, id est, in hoc sæculo habebantur. Iste ergo, quia post fidei indumentum, conversationis sæcularis cultum inducit, quasi pallium de anathemate tollit. Sed & ille de anathemate Jericho fraudat, qui in ecclesiam hereticorum infert dogmata, & superstitiosa sæcularium litterarum studia. Hæc enim est regula aurea, luculento sermone aptata: hanc fraudati sunt Arrius, Marcion & Basilides: furati sunt enim isti regulas aureas de Jericho, & philosophorum sectam non rectam, in ecclesiam conati sunt introducere & maculare omnem ecclesiam Domini; ita ut alii multi perderentur per eos: ideoque abjecti pro anathemate, quasi acervo lapidum, ita multitudine peccatorum suorum oppressi atque exstincti sunt: quorum auctor ac peremptor ex Ahi, hoc est, diabolus, qui per illorum impietatem fidelium quosdam evicerunt, rursus separatus evincitur, atque a populo Dei suspensus ligno, crucis virtute necatur.

(Margin: 1. Cor. 3. 12. — Cap. 4. 11. — ADAM. — 1. Tim. 5. 20. — 1. Cor. 5. 13. — 1. Cor. 5. 5. — Matt. 18. 15. — ISID. — A, B, C)

CAP. X. *Dixit autem Dominus ad Iosue, ne timeas, neque formides: tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, & consurgens ascende in oppidum Ahi. Ecce, tradidi in manu tua regem ejus, & populum, urbemque, & terram: faciesque urbi Ahi, & regi ejus, sicut fecisti Iericho & regi illius: prædam vero & omnia animantia diripietis vobis. Pone insidias urbi post eam. Surrexitque Iosue, & omnis exercitus bellatorum cum eo, ut ascenderent in Ahi, & electa triginta millia virorum fortium misit nocte, præcepitque eis dicens; ponite insidias post civitatem, nec longius recedatis, & eritis omnes parati. Ego autem & reliqua multitudo quæ mecum est, accedemus ex adverso contra urbem*, &c. Quod Deus jubet loquens ad Jesum, ut constituat sibi retrorsum insidias, id est, insidiantes bellatores ad insidiandum hostibus, hinc ammonemur, non injuste fieri ab his qui justum bellum gerunt, ut nihil homo justus præcipue cogitare debeat in his rebus, nisi ut justum bellum suscipiat, cui bellare fas est: non enim omnibus fas est. cum autem justum bellum susceperit, utrum aperta pugna, utrum insidiis vincat, nihil ad justitiam interest. Justa autem bella definiri solent, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens vel civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit quod a suis improbe factum est, vel reddere quod per injurias ablatum est. Sed etiam hoc genus belli sine dubitatione

(Margin: Jos. 8. 1. — AUG. — D, E)

tione justum est, quod Deus imperat, apud quem non est iniquitas, & novit quid cuique fieri debeat. In quo bello ductor exercitus, vel ipse populus, non tam auctor belli, quam minister judicandus est. Jesus mittens ad Ahi debellandum triginta millia bellatorum, ait illis: *Vos insidiabimini post civitatem, & non longe eritis a civitate, & eritis omnes parati: & ego, & omnis populus qui mecum est, accedemus* ad civitatem: & erit cum exierint qui commorantur in Ahi in obviam nobis, sicut & antea, fugiemus a facie illorum. Et cum exierint post nos, abducemus illos de civitate, & dicent: fugiunt isti a facie nostra sicut antea. Vos autem exsurgetis ex insidiis, & ibitis in civitatem. Secundum verbum istud facietis: ecce, præcipio vobis. Quærendum est utrum omnis voluntas fallendi, pro mendacio deputanda sit; & si ita est, utrum possit justum esse mendacium quo ille fallitur qui dignus est falli: & si nec hoc quidem mendacium justum reperitur, restat ut secundum aliquam significationem hoc quod de insidiis factum est, ad veritatem referatur. Jubetur a Deo dux populi Jesus in duas partes dividere populum, ut pars simulet fugam, pars autem subsistat in insidiis, quibus decipiatur Ahi. Quibus ita dispositis, rex Ahi videns Jesum & filios Israël eminus, concitatur adversus eos in prælium: illis vero simulantibus fugam, isti acrius insectantur, & velut spolia ducturi de hostibus, omnes simul procedunt, ita ut, ut scriptura dicit, relinquerent vacuam civitatem. Sed posteaquam in constitutum progressi sunt locum; conversus Jesus signum dedit ut exsurgerent qui in insidiis erant, & dorsa hostium cederent: & ita illi novissimi, & isti primi medios hostes conclusos interimunt universos: & hoc modo victis his qui habitabant Ahi, regem eorum suspenderunt in ligno. His auditis, verisimile est auditores dicere; quid mihi hæc? quid mihi confert si cognoscam quod devicti sunt qui habitabant Ahi? quia si non similia, aut etiam potentiora bella, vel gesta sint vel gerantur; hæc fuit cura Spiritus-sancti, ut relictis tot & tantarum nobilium excidiis urbium, prælium civitatis Ahi, inscriptum sacris voluminibus mandaretur. primo propter peccata victi sumus, & hi qui habitabant Ahi, quamplurimos ex nobis interfecerunt. Ahi interpretatur chaos, chaos autem locum vel habitaculum esse novimus contrariarum virtutum, quarum rex & principes diabolus est. Adversum hunc veniens Jesus, in duas partes dividit populum, & alios quidem in primis statuit, alios in posterioribus, qui ex insperato post tergum veniant inimicorum. Et vides num prima pars est populi illa de qua dicit: *Non veni, nisi ad oves perditas domus Israël*, & de qua dicit Apostolus; *Gratia autem & pax* — Matt. 15. 24. Rom. 2. 10.

A *omni homini operanti bonum, Judæo primum & Græco*, id est, gentili. Prior ergo iste populus qui in primis statuitur, & quasi fugiens cum Jesu: posterior vero populus, qui ex gentibus congregatur, quique ex insperato venientes, (quis enim speraret gentes salvari?) acrius post tergum adversarios cædunt. Et sit utique populus mediam turbam dæmonum sternit & vincit. Sed fortasse dicis mihi; quomodo ergo quasi fugiens ponitur populus prior, & velut consequentes fugeret? Etenim visi sunt qui sequuntur Jesum, a legalibus oneribus & B præceptis, ab observatione sabbati, a circumcisione carnis, a jugulatione hostiarum. Sed iterum non fugit, quia secutus est Jesum, perfectionem & plenitudinem legis. Post omnia autem is etiam rex Ahi in ligno gemino dicitur esse suspensus. Hoc in loco mysterium tegitur quamplurimos latens, sed orantibus nobis tentabimus hæc omnia, non nostris opinionibus, sed scripturæ divinæ testimoniis aperire. In superioribus diximus regem Ahi diabolo posse conferri, hic quomodo gemino ligno crucifixus est, operæ prætium est noscere. Crux C domini nostri JESU CHRISTI gemina fuit. Mirus tibi sermo fortasse & novus videtur. Quod dico crux gemina fuit; hoc est, gemina ratione constat & duplici; quia visibiliter quidem filius Dei in carne crucifixus est; invisibiliter vero in hac cruce diabolus cum principatibus & potestatibus adfixus est cruci. Non tibi hoc videtur verum, si tibi horum testem produxero apostolum Paulum? Audi ergo de his quid ipse pronunciat: *Et quod erat*, inquit, *contrarium nobis, tulit illum e medio, adfigens cruci suæ, exuens principatus & potestates traduxit libere*, — Col. 2. 14. D *triumphans eos in ligno crucis*. Licet & in aliis exemplaribus habeatur; *Triumphans eos in semetipso*. Sed apud Græcos habetur, in ligno. In ligno ergo duplex ratio est dominicæ crucis: una illa quam dicit apostolus Petrus, quod Christus crucifixus reliquit nobis exemplum. Et hæc secunda crux illa, trophæum de diabolo fuit, in quo crucifixus est & triumphatus. Ideo denique apostolus Paulus dicebat; *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri* JESU CHRISTI, *per quem mihi mundus crucifixus est, &* — Gal. 6. 14. E *ego mundo*. Vides quia & hic apostolus duplicem crucis prodidit rationem. Duo enim sibi contraria dicit esse crucifixa; sanctum & peccatorem, mundum & illam formam sine dubio quam superius diximus Christi & diaboli. Nos enim crucifigimur mundo tunc, cum veniens princeps mundi hujus, in nobis non invenit quicquam: & nobis crucifigitur mundus, cum peccati concupiscentiam non recipimus. Sed si quis forte est adtentior auditor, potest dicere; forma quidem rerum videtur esse conveniens,

sed adhuc illud me movet, quod diabolus A
& exercitus suus, quantum ad historiæ ostenditur
figuram, interemptus est. Et quomodo
videmus adhuc diabolum & contrarias
potestates in tantum valere adversus
servos Dei, ut etiam apostolus Petrus cum
ingenti cautela præmoneat & dicat obser-
1. Pet. 5. 8. vandum esse, *quia adversarius noster diabolus,
sicut leo rugiens, circuit quærens quem devoret.*
Videamus ergo si & hic dignum aliquid
Sancti Spiritus eloquiis possumus invenire.
adventus Christi, unus quidem in humilitate
compertus est, alius vero speratur in
gloria: & hic primus adventus in carne,
mystico quodam sermone in scripturis san- B
ctis umbra ejus appellatur, sicut & Jere-
Thren. 4. 20. mias propheta dicit; *Spiritus vultus nostri
Christus dominus, cui nos diximus; in umbra
ejus vivemus in gentibus.* Sed & Gabriel, cum
evangelizaret Mariæ de nativitate ejus, di-
Luc. 1. 35. cit; *Virtus Altissimi obumbrabit tibi;* propter
quod intelligimus primo hoc adventu ejus
adumbrari, quorum adimpletio & perfe-
ctio in secundo consummetur adventu. Un-
Eph. 2. 6. de Apostolus dicit, *quia resuscitavit nos cum
ipso, simulque sedere fecit in cœlestibus.* Et uti-
que nondum videmus credentes aut resus- C
citatos esse jam, aut in cœlestibus conside-
re. Sed umbrata sunt quidem hæc nunc
per fidem, quia mente & spe a terrenis &
mortuis operibus elevamur, & cor nostrum
erigimus ad cœlestia a terra. Implebitur ta-
men hoc in secundo adventu ejus, ut ea
quæ nunc fide & spe præsumimus, tunc
etiam rerum effectu corporaliter teneamus.
Ita ergo de diabolo intelligendum est,
quod victus est quidem & crucifixus est;
sed his qui crucifixi sunt cum Christo; om-
nibus autem credentibus, & universis po-
pulis tunc erit crucifixus. Tunc complebi-
1. Cor. 15. 22. tur illud quod dicit Apostolus; *quia sicut* D
*in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo
omnes vivificantur.* Est ergo & in hoc etiam
resurrectionis figuræ mysterium; nam &
tunc dividitur populus in duas partes: erunt
& tunc quidam primi, & alii postremi: qui
cum ad Jesum in unum conspiraverint, jam
tunc ultra omnino non erit diabolus, quia
jam non erit mors. Vis tibi etiam hæc di-
vinis testimoniis comprobemus? Audi Apo-
1. Thess. 4. 14. stolum dicentem; *Hoc enim vobis dicimus in
verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui re-
sidui sumus, in adventu Domini non præve-
niemus eos qui dormierunt: quoniam ipse Do-* E
*minus in jussu, & in voce archangeli, & in tuba
Dei descendet de cœlo: & mortui qui in Christo
sunt, resurgent primi; deinde nos qui vivimus,
qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in
nubibus in obviam Christo in aëra: & sic sem-
per cum Domino erimus.* De diabolo autem
1. Cor. 15. 26. ait; *Novissimus inimicus destruetur mors*, qui
tunc vere vincitur, cum mortale hoc ab-
sorbeatur a vita.

Igitur omnibus interfectis, qui Israëlem ad Jos. 8. 24.
*deserta tendentem fuerant persecuti, & in eo-
dem loco gladio corruentibus, reversi filii Israël
percusserunt civitatem.*, & reliqua. Quid pu-
tas esse quod Jesus fugiens designabat? Vi-
deamus ne forte sit aliquid quod fugiendo
vincamus: & est aliqua perfecta virtus in
fuga. Paulus nos apostolus docet, dicens;
Fugite fornicationem: Vides ergo quemdam 1. Cor. 6. 18.
spiritum fornicationis quem fugere debe-
mus, quicumque caste & pie in Christo &
pudice volumus permanere. Ista fuga bea-
titudinem confert. Et non solum fornica-
tionis spiritus fugiendus est, sed simili mo-
do, sicut dictum est, *fugite fornicationem*, Col. 3. 8.
audiamus quid dicit ad nos. Fugite iram, 1. Pet. 2. 1.
fugite avaritiam, fugite invidiam & livo- Eph. 5. 3.
rem, fugite detractiones & mala colloquia;
quæ tamen nescio quis evadat. Iste talis
erat exercitus Ahi, quem Jesus fugiendum
docebat milites suos: & de his fortasse man-
dat discipulis suis, dicens; *Si vos persequan-* Matt. 10. 23.
tur in una civitate, fugite in aliam. Quod si
in aliam persequuntur, fugiamus in tertiam.
Vult ergo nos fugere ab hujusmodi hosti-
bus, vult nos longe effici ab hujusmodi
malis.

Josue vero non contraxit manum, quam in Jos. 8. 26.
*sublime porrexerat, tenens clypeum, donec in-
terficerent omnes habitatores Ahi*, & cetera.
Hæc cum legunt Judæi, crudeles efficiun-
tur, & humanum sanguinem sitientes: pu-
tantes quia & sancti ita percusserunt eos
qui habitabant Ahi, ut non relinqueretur
ab eis qui salvus fieret, & neque qui fu-
geret: non intelligentes in his verbis ad-
umbrari mysteria, & hoc a nobis magis
indicari, quod ex his quorum chaos est
habitaculum, & qui regnaverunt in abysso
dæmonibus, nullum penitus relinquere de-
beamus, sed omnes interimere. Interimi-
mus autem dæmones, non ipsam eorum
substantiam perimentes: sed quia opus eo-
rum ac studium hoc est, ut peccare homi-
nes faciant; & hæc est illorum vita si nos
peccemus; sine dubio interitus eorum est,
si non peccemus. Interficiuntur ergo habi-
tatores Ahi, sancti quique perimunt, &
non dimittunt ex eis ullum: hi sine dubio,
qui cum omni diligentia servant cor suum,
ne de eo cogitationes malæ procedant. Sed
& qui observant os suum, ut omnis sermo
malus ex ore eorum non procedat. Hoc est
non ullum relinquere qui effugiat cum eis,
nec sermo effugiat malus. Agite ergo & vos:
præparemus nos ad hujusmodi prælia, per-
cutiamus Ahi in ore gladii, & exstinguamus
omnes habitatores chaos, omnes con-
trarias virtutes. Utinam & ego modo dum
loquor ad vos verbum Dei, cor pectoris
pulsare possim: quod si fecero, certum est,
quod gladio oris mei percutiam fornica-
tionem, percutiam malitiam, refrenem

furorem, & si qua alia sunt mala, in ore gladii, hoc est, oris mei sermone restinguam, & non derelinquam ex eis qui salvus fiat, neque qui effugiat. Si enim omnes hostes nostros exstinxerimus, tunc vere diem festum celebrabimus Deo, & devictis adversariis, læta sollemnitate gaudebimus. Tale aliquid mihi etiam videtur sanctus propheta in psalmis designare, ubi dicit de se, quia *in matutinis interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes qui operantur iniquitatem.* (Ps. 108. 8.) Si enim civitas Domini, ecclesia Dei viventis accipitur, ejiciunt doctores de ecclesia, & interficiunt eos qui operantur iniquitatem, contrarias dæmonum adversariasque virtutes, quæ cogunt homines ad peccatum; docendo & instituendo, & occulta in divinis litteris ex locis talibus, in qualibus nunc sumus, mysteria reserando. Sive civitatem Domini, uniuscujusque nostrûm animam intelligamus, quæ ædificatur a Domino ex lapidibus vivis, id est, ex virtutibus variis & diversis. De ipsa quoque civitate sanctus quisque & diligens ejiciet peccatores, id est cogitationes pessimas & cupiditates pravas interficiet in matutino ortus sui. Justus enim dicit: *In matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.* (Psal. 62. 7.) Quod est istud matutinum, nisi dominus noster JESUS CHRISTUS, qui est lux vera oriens in cordibus nostris, atque inluminans ignorantiæ nostræ tenebras, facit nos in lumine suo lumen videre? Si quando ergo legas in scripturis, justorum pugnas, cædes ac strages interemtorum, & quia sancti nullis penitus hostium parcunt; quin immo & si pepercerint, reputari eis in peccatum, sicut reputatum est Saüli, qui vivum servaverat Agag regem Amalech; hoc modo quo supra exposuimus, intellige bella justorum, quia hæc bella ab eis adversum peccatum geruntur. Quomodo manebunt justi, si vel parvum aliquid peccati in semetipsis servaverint? Et ideo dicitur de eis, quia non dereliquerunt nec unum qui salvus fieret & qui effugeret.

(Jos. 8. 29.) *Præcepitque Josue, & deposueruntque cadaver ejus de cruce, projeceruntque in ipso introitu civitatis, congesto super eum magno acervo lapidum, qui permanet usque in præsentem diem*, & reliqua. Quid significat quod cadaver regis Ahi, per præceptum Josue de cruce depositum, projicitur in introitu civitatis, nisi quod diabolo damnato per passionem Christi, statim ei in ingressu fidei, & baptismatis perceptione, a quibusque credentibus, secundum Salvatoris nostri mandatum, renunciatur, & ejus cultui penitus contradicitur? Congesto super eum magno acervo lapidum, hoc est, multitudine durarum sententiarum, quibus ejus perfidia seu nequitia improbatur atque damnatur? Quæ congeries permanet usque in præsentem diem, quia damnationis suæ opprobrium ipsi diabolo & angelis ejus perseverat in perpetuum: quia sicut illorum correctio numquam erit, ita damnationis pœna numquam cessabit.

Tunc ædificavit Josue altare domino Deo Israel in monte Ebal, sicut præceperat Moyses famulus Domini filiis Israel, & reliqua. (Jos. 8. 30.) Videamus quid in his omnibus indicatur, & quid præsens lectio nobis ædificationis adquirat. Omnes qui in JESUM CHRISTUM credimus, lapides vivi esse dicimur: quod scriptura prænunciat dicens: *Vos autem estis lapides vivi ædificati domus spiritalis, hostias acceptabiles offerentes Deo per* JESUM CHRISTUM. (1. Pet. 2. 5.) Sicut autem in istis terrenis lapidibus observari novimus, & hi quidem lapides qui validiores sint & potentiores, primi in fundamenta ejiciantur, ut ipsis credi & superponi possit totius ædificii domus; alii vero qui sequentes sunt, id est paulo illis inferiores, proximi illis qui in fundamento sunt, ordinantur. Qui vero plus inferiores sunt, paulo superius a fundamento. Tum deinde in corpore lapidum, qui infirmiores sunt, in superioribus & prope ipsa jam tecti fastigia conlocantur. Ita nunc etiam intellige, de lapidibus vivis aliquos esse in fundamentis hujus spiritalis ædificii. Qui autem sunt isti qui in fundamentis conlocantur? Apostoli & prophetæ. Sic enim dicit Paulus hæc ipse docens: *Ædificati*, inquit, *super fundamentum apostolorum & prophetarum, in ipso angulari lapide* JESU CHRISTO *Domino nostro.* (Eph. 2. 20.) Ut autem te promtiorem, ô auditor horum, præparares ad hujus ædificii constructionem, ut lapis aliquis inveniaris vicinior fundamento, disce quia & ipse Christus hujus quod nunc descripsimus ædificii fundamentum est. Sic enim dicit Apostolus: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est* CHRISTUS JESUS. (1. Cor. 3. 11.) Beati ergo qui super istud nobile fundamentum ædificantes, religiosa & sancta construxerint opera. Sed in hoc ædificio ecclesiæ esse oportet altare; unde ego arbitror, quod quicumque ex vobis lapidibus vivis apti sunt, in hoc & promti, ut orationibus vacent, ut diu noctuque obsecrationes offerant Deo, & supplicationum victimas immolent, ipsi sunt ex quibus ædificat JESUS altare. Sed intuere quid laudis ipsis lapidibus altaris adscribitur? Sicut dixit, inquit, legislator Moyses: Ædificate altare ex lapidibus integris, quibus ferrum non [illegible]t injectum. Quid putas sunt isti integri lapides? Novit uniuscujusque conscientia quis sit integer; & quis sit incorruptus, immaculatus in carne & spiritu. Jacula maligni ignita concu-

piscentiæ non recipit, sed scuto ea fidei restrinxit & repulit. Vel quis est ille qui ferrum pugnæ, ferrum belli, ferrum litium numquam recepit; sed semper pacificus fuit, semper quietus & mitis, & Christi humilitate fundatus? Isti ergo sunt lapides vivi, ex quibus Dominus noster altare construxit lapidibus integris, quibus ferrum non est injectum, ut offerat super eos holocausta & sacrificium salutis. Ego puto, quod isti tales lapides integri & incontaminati, sancti apostoli esse possint: omnes simul unum altare facientes propter unanimitatem atque concordiam. Sic enim referuntur omnes simul unanimiter orantes & aperientes os suum, dixisse: *Tu Domine qui corda omnium nosti.* (Act. 1. 24.) Isti ergo qui poterunt unanimes una voce atque spiritu orare, ipsi fortasse digni sunt, qui debeant simul omnes unum altare construere, super quod JESUS sacrificium offerat Patri. Tamen & nos tentemus dare operam, ut eadem dicamus omnes, unanimes, unum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam gerentes; sed in uno sensu atque in eadem sententia permanentes; si forte possimus etiam nos apti effici lapides ad altare: non enim deserit nos dominus Deus noster.

Explicit liber primus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAP. I. (Jos. 8. 32.)

ADAM.

ET scripsit Josue super lapides Deuteronomium legis Moysi, quod ille digesserat coram filiis Israel. Scripsit, inquit, Jesus super lapides altaris Deuteronomium legis Moysi, & scripsit in conspectu filiorum Israel. Quomodo scripsit & quomodo potuit tunc filius Nave super lapides altaris legem totam describere? Ergo prout voluit typum adumbravit. Nos interim videamus quomodo noster JESUS in lapidibus vivis & integris scripserit Deuteronomium, quod secundæ legis latio dicitur. Si ergo vis videre quomodo, prima lege infirmata, secundam legem scribat JESUS, audi eum in ecclesiis dicentem: (Matt. 5. 21.) *Dictum est antiquis, non occides: ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, homicida est.* Et iterum: (Ibid. 27.) *Dictum est antiquis, non mœchaberis: ego autem dico vobis, quia qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Dictum est antiquis, non perjurabis: ego autem dico vobis, Nolite jurare omnino.* (Ibid. 33.) Vides Deuteronomium quod scripsit JESUS in lapidibus vivis & integris, in tabulis cordis carnalibus, non atramento, sed spiritu Dei vivi. Si autem vis evidentius noscere in quibus cordibus JESUS scripserit legem, & in quibus non scripserit; etiam hoc tibi ex scripturarum auctoritate patefaciam, ut consolationem capias tu qui ex gentibus vocatus es, nec verearis eorum jactantiam, qui legem Moysi & tabulis & chartulis inscriptam se accepisse gloriantur. In quorum cordibus Dominus JESUS inscripserit legem, Paulus dicit: *Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt, hujusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente eis conscientia.* (Rom. 2. 14. 15.) Si ergo videas gentes ad JESUM venire, & credere ei, & opus legis implere, quod illi qui legem acceperant implere non possunt, non dubites de eis dicere, quia JESUS in istis lapidibus integris Deuteronomium scripsit. Movet me sane quod addidit in consequentibus scriptura: *Et scripsit*, inquit, *Jesus super lapides Deuteronomium coram filiis Israel.* Quomodo potuerit tam magnum librum, vel adsistentibus & permanentibus filiis Israel, describere, ita ut non discederent usquequo scriptura tot versuum finiretur? Vel etiam, quomodo potuerunt lapides altaris ferre tam magni libri continentiam? Dicant mihi adsertores litteræ Judæi, qui spiritum legis ignorant, quomodo hoc in scriptura historiæ veteris demonstratur: sed apud illos usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum: nobis vero conversis ad Dominum JESUM, auferetur velamen, quia *ubi Spiritus Domini, ibi libertas* intelligentiæ nostræ. Ergo Dominus JESUS non indiget multo tempore, ut Deuteronomium scribat, ut secundo legem in cordibus credentium figat, atque in eorum mentibus, qui ad altaris constructionem digni sunt, intelligentiæ spiritu signet. Statim namque ut quis crediderit JESU CHRISTO, lex evangelii in ejus corde scripta est, & in conspectu filiorum Israel descripta. aderant enim tunc, cum tibi fidei sacramentum tradebatur, cœlestes virtutes, ministeria angelorum, ecclesia primitivorum. Si enim recte intelligamus, Israelem dici mentem Deum videntem, rectissime hoc de ministris angelis dicitur, secundum Domini sententiam, dicentis de infantibus: (quod & tu fuisti infans in baptismo) *Quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.* (Matt. 18. 10.) Coram istis igitur filiis Israel qui aderant in illo tempore, cum tibi fidei sacramenta tradebantur, videntibus faciem Dei, JESUS in corde tuo Deuteronomium scripsit.

Omnis autem populus, & majores natu, duces ac judices stabant ex utraque parte in conspectu sacerdotum qui portabant arcam fœderis Domini: ut advena, ita & indigena. Media eorum pars juxta montem Garizim, & media juxta montem Ebal, sicut præceperat Moises famulus Domini. Et primum quidem benedixit populo Israël, &c. (Jos. 8. 33.) Circa hanc arcam

cam teſtamenti, omnis qui vere Iſraël eſt incedit, non enim longe ab ea. Levitæ vero & ſacerdotes etiam in humeris ſuis eam portant. Etenim quicumque ſacerdotali religione & ſanctitate vivunt, non ſolum hi qui ſedere videntur in conſeſſu ſacerdotali, ſed hi magis qui ſacerdotaliter agunt, quorum pars eſt Dominus, nec ulla eis portio habetur in terris; ipſi ſunt vere ſacerdotes & levitæ Domini, qui in humeris ſuis legem Dei portant: agendo videlicet & implendo opera ea quæ ſcribuntur in lege. Et proſelitus, inquit, & indigena ſimul aderant, dimidii juxta montem Garizim, & dimidii juxta montem Ebal. Quomodo etiam iſta explicabimus? Et adjutorio Dei opus eſt, ut poſſimus verbis noſtris verba divina diſſerere & explanare. Qui ſunt dimidii qui incedebant juxta montem Garizim, & qui ſunt dimidii qui & ipſi, licet ſalventur, tamen non potuerunt juxta montem Garizim incedere, ſed incedunt juxta montem Gebal? Mons Garizim benedictiones habet, mons autem Gebal maledictiones quæ peccatoribus imminent. Statuerunt enim, ſicut ſcriptum eſt in Deuteronomio, ſex tribus ad benedicendum in monte Garizim: & ipſæ ſex tribus quæ nobiliores ſunt & eximiæ, id eſt, Simeon, Levi, Judas, Iſachar, Joſeph, Benjamin. Alias vero ſex ignobiliores, ad maledicendum; in quibus & Ruben qui aſcendit ſuper cubile patris ſui, & torum maculavit paternum, & Zabulon qui eſt ultimus filius Liæ. Hæc quidem veterum hiſtoriæ referunt geſta. Sed quomodo nos hanc hiſtoriæ narrationem ad myſticam intelligentiam referamus, ut oſtendamus qui ſunt iſti qui incedunt juxta montem Garizim, & qui ſunt qui incedunt juxta montem Gebal? Ego video duas eſſe ſpecies eorum qui promiſſionum cœleſtium cupiditate ſuccenſi, ſummo ſtudio diligentiaque nituntur, ne ſaltem minima eos beatitudo prætereat: habentes deſiderium, non ſolum benedictionis capiendæ, & effici in parte ſortis ſanctorum, ſed etiam adſiſtere in conſpectu Dei, & ſemper eſſe cum Domino. Alii vero ſunt, qui & ipſi tendunt ad ſalutem, & non tam amore benedictionum & promiſſionum deſideriis inflammantur, quam hoc magis habentes in proſpectu & dicentes: Sufficit mihi non ire in ignem æternum: ſufficit mihi non expelli in tenebras exteriores. Cum ergo in ſingulis quibuſque fidelium talis ſit propoſiti varietas, hoc mihi deſignari videtur in hoc loco, quod dimidii illi qui juxta montem Garizim incedunt, illum qui ad benedictiones electus eſt, iſtos figuraliter indicare, qui non metu pœnæ, ſed benedictionum & promiſſionum deſiderio veniunt ad ſalutem. Illi vero dimidii qui juxta montem Gebal incedunt; in quo maledictiones pro-

Deut. 27. 12. 13.

A latæ ſunt, iſtos alios indicant, qui malorum metu & ſuppliciorum timore complentes quæ in lege ſunt ſcripta, perveniunt ad ſalutem. Hic etiam Dei ſolius eſt noſſe, ex omnibus filiis Iſraël quis eſt, qui boni ipſius deſiderio ſuccenſus facit quod bonum eſt: qui vero metu gehennæ, & æterni ignis terrore tendit ad bonum, & ſtudet ac feſtinat implere quæ ſcripta ſunt: certum eſt enim nobiliores eſſe illos, qui boni ipſius deſiderio & benedictionum amore quod bonum eſt agunt, quam illos qui pro mali metu bonum ſectantur. Solus ergo JESUS qui poteſt ex omni populo hu-
B juſmodi mentes animoſque diſcernere: hos in monte Garizim ad benedictiones, alios vero ſtatuere in montem Gebal, non ut maledictiones accipiant, ſed ut intuentes præſcriptas maledictiones, & pœnas peccatorum conſtitutas, incurrere caveant eas.

Poſt hæc legit omnia verba benedictionis & maledictionis, & cuncta quæ ſcripta erant in legis volumine. Nihil ex his quæ Moyſes juſſerat reliquit intactum, ſed univerſa replicavit coram omni multitudine Iſraël, mulieribus &
C *parvulis, ac advenis qui inter eos morabantur.* Facilis quidem eſt hiſtoriæ explanatio, quomodo filius Nave legerit omnia verba legis quæ ſcripſit Moïſes coram omni eccleſia filiorum Iſraël: noſter vero Dominus JESUS quomodo hoc populo ſuo faciat, oſtendere non mihi videtur otioſum. Ego quidem arbitror, quod ſi quando legitur nobis Moïſes, & per gratiam Domini velamen litteræ removetur, & incipimus intelligere quia lex ſpiritalis eſt, & quia (verbi cauſâ) lex dicit: *Non infrenabis os*
D *bovi trituranti*, non de bobus hæc, ſed de Apoſtolis dixerit. Et rurſum cum in lege dicitur, *quia Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera*, ego in his intelligo duo eſſe teſtamenta & duos populos. Iſtam nobis legem quæ ſic intelligitur, quam ſpiritalem nominat Paulus, JESUS Dominus legit, & ipſe eſt qui hæc in auribus totius populi recitat, præcipiens nobis ne ſequamur occidentem litteram, ſed teneamus ſpiritum vivificantem. Legit ergo nobis JESUS legem, cum nobis legis revelat ar-
E cana. Non enim nos qui de eccleſia ſumus catholica, ſpernimus legem Moïſi, ſed ſuſcipimus eam, ſi tamen eam nobis JESUS legerit: ſic enim recte poterimus intelligere legem, ſi eam nobis JESUS legat, ut ipſo legente nos ſenſum ejus intelligentia capiamus. Sed tamen dicendum eſt, quod ſcriptum docemur, quia ſermo hic arguit nos, quod non omnes qui audimus legem, eccleſia ſumus filiorum Iſraël, ſi non continuo: ſi eſt aliqua differentia inter auditores legis & eccleſiam filiorum Iſraël, auditor excluditur a ſalute. Attendite ergo di-

Jos. 8. 34.

Deut. 25. 4. 1. Cor. 9. 9.

Gal. 4. 22.

ligentius verbis scripturæ dicentis: *Non erat ullum verbum ex omnibus quæ mandavit Moïses, quod non legerit Jesus in auribus totius ecclesiæ filiarum Israël;* & intendite mulieribus & infantibus & proselitis. Novit Dominus JESUS esse alias aures præter istas carnales, quas ad audientiam legis requirit; unde & in evangelio posteaquam de singulis quæ oportebat edocuit, addit &
Matt. 11.15. dicit: *Qui habet aures audiendi audiat;* quod utique si de auribus dixisset carnalibus, superfluum videretur. Nemo enim non habens aures ad verba ejus audienda convenerat. Sed quoniam sciebat, in auribus B interioris hominis, id est, intellectu cordis recipi debere quæ dicta sunt (quia nihil prodest audire sermonem, si non retineatur & servetur in corde,) idcirco aures ab auditoribus exposcebat. Dicimus quidem viris fortibus fortem tradere cibum, illis
Heb. 5.14. videlicet de quibus Apostolus dicit: *Perfectorum autem est cibus solidus, ex quibus ipse sibi præparat ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid horum.* Eos vero quos in mulierum, vel infantium, vel proselitorum appellatione secernit, intelligamus hos esse aliquos, qui adhuc lacte indigent, aut C etiam velut infirmi, ut sunt mulieres, oleribus vescuntur. Si vero simul omnis accipiatur ecclesia, viri quidem intelliguntur esse illi, qui in omnibus perfectionem norunt, & armati incedere adversum astutias diaboli: mulieres vero illi qui nondum ex semetipsis ea quæ utilia sunt gerunt, sed imitando meliores, & eorum exempla sectando, ex quibus & caput habere dicuntur. Infantes vero erunt qui nuper fide suscepta, lacte evangelii nutriuntur: proseliti autem catechumeni videbuntur, & hi qui jam sociari se fidelibus student. De quibus
1. Joh. 2. D singulis similia etiam Johannes sentiens, in epistola sua scripsit, & singulis quibusque ætatibus propria quæque gesta discernit. Verumtamen Jesum vobis recitantem legem, & revelantem cordibus vestris intelligentiam spiritalem audite, neque proseliti, id est catechumeni, diutius maneatis; sed festinate ad percipiendam gratiam Dei, ut & vos in ecclesia filiorum Israël adnumeremini. Et vos infantes *nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli* estote. Sensibus quoque, ait, estote perfecti. Sed videamus quid post hæc scriptum est. E

CAP. II.
Jos. 9. 1. *Quibus auditis, cuncti reges trans Jordanem, qui versabantur in montanis & in campestribus, in maritimis ac littore maris magni: hi quoque qui habitabant juxta Libanum, Hethæus & Amorrhæus, & Chananæus, Pherezæus, & Jebusæus, congregati sunt pariter, ut pugnarent contra Josue & Israël uno animo eademque sententia.* Simul historia rerum gestarum manifesta explanatione non indiget, quod evidenter expletum est; & ex his

tamen quæ gesta sunt visibilibus, nostri Domini JESU salvatoris bella ac triumphos quos gerit contemplemur; quamvis etiam in ipso hæc visibiliter cernamus expleta. Convenerunt enim reges terræ, senatus, populusque & principes Romani, ut expugnarent nomen JESU & Israël simul. Decreverunt enim legibus suis ut non sint Christiani. Omnis civitas, omnis ordo Christianorum nomen impugnat. Sed sicut tunc omnes illi reges convenientes contra Jesum, nihil facere potuerunt, ita nunc reges vel principes, vel potestates istæ contrariæ, ut non Christianorum genus latius ac profusius propagetur. Scriptum namque est, quia *quanto magis eos humiliabant, tanto plures fiebant, & invalescebant valde.* Confidimus autem, quia non solum non nos poterunt obtinere invisibiles inimici nostri, verumetiam velociter, JESU CHRISTO Domino nostro vincente, conteretur sathanas sub pedibus servorum ejus; illo etenim duce, nos vincimus milites sui, ita ut nos dicamus (sicut in Esdra scriptum est) *Quia a te Domine, est victoria, & ego tuus: Benedictus es Deus veritatis.* Exod. 1.12. 3. Esdra 4.

At hi qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quæ fecerat Josue Jericho & Ahi, & callide cogitantes, tulerunt sibi cibaria, saccos veteres asinis impositos, & utres vinarios scissos atque consutos, calceamentaque perantiqua, quæ ad indicium vetustatis pictaciis consuta erant, induti veteribus vestimentis. Panes quoque quos portabant ob viaticum, duri erant & in frusta comminuti: perrexeruntque ad Josue, qui tunc morabatur in castris Galgala, & dixerunt ei, atque omni simul Israëli: De terra longinqua venimus, pacem vobiscum facere cupientes, &c. Quod Gabaonitæ venerunt ad Jesum cum vetustis panibus & saccis, ut putaretur (sicut finxerant) de terra venisse longinqua, quo eis parceretur. Constitutum enim erat a Domino, ne alicui terras illas inhabitanti parcerent, quo ingrediebantur. Nonnulli codices & græci & latini habent: *Et accipientes saccos veteres super humeros suos.* Alii vero qui veraciores videntur, non habent *super humeros*, sed *super asinos suos.* Similitudo enim verbi in græca lingua mendositatem facilem fecit, & ideo latina quoque exemplaria variata sunt: ὤμων quippe & ὄνων non multum ab invicem dissonant, quorum prius humerorum nomen est, posterius asinorum. Ideo est autem de asinis credibilius, quoniam se a sua gente longinqua missos esse dixerunt: unde apparet eos fuisse legatos, & inde magis in asinis quam in humeris necessaria portare potuisse, quia nec multi esse poterant: & non solum saccos, sed etiam utres portasse scriptura commemorat. Multæ ergo eorum qui ad salutem veniunt differentiæ designantur; unde & nunc Gabao- Jos. 9. 3-19. AUG. ADAM.

nitas hos, quorum historia recitata est, arbitror portiunculam quamdam esse eorum qui salvandi sunt; ita tamen ut non absque alicujus notæ inustione salventur. Vides namque quomodo ligni cæsores, vel aquæ gestatores fieri condemnantur, ad obsequium populi, & altaris Dei ministerium, quoniam quidem cum dolo & calliditate accesserunt ad filios Israël, pannis & calceamentis veteribus induti, & cibum vetusti panis ferentes. Isti ergo veniunt ad Jesum cum omnibus vetustatibus suis, & orant ab eo hoc tantum ut salventur. In quorum figura tale mihi videtur aliquid ostendi. Sunt quidam in ecclesia, credentes quidem & habentes fidem in Deum, & adquiescentes omnibus divinis præceptis, quique etiam erga servos Dei religiosi sunt, & servire eis cupiunt, sed ad ornatum ecclesiæ vel ministerium satis promti & apti non sunt, in actibus suis & conversatione propria obscœni satis & intus involuti, nec omnino deponentes veterem hominem cum actibus suis: & sicut isti pannis & calceamentis veteribus obtecti, præter hoc quod in Deum credunt, & erga servos Dei vel ecclesiæ cultum videntur esse devoti, nihil adhibentes emendationis vel innovationis in moribus. Istis ergo JESUS Dominus noster salutem concedit quidem; sed quodammodo salus ipsa eorum notam non evadit infamiæ. Similis quoque etiam in libello qui appellatur Pastoris, de his figura describitur, ait enim: *Quæ est arbor quæ ulmus appellatur, quæ fructum non affert; portat tamen vitem quæ affert plurimum fructum, ex eo quod adminiculo est viti, quæ ejus viribus nitens, vel ferre vel servare plurimum fructum*; etiam ulmus quæ infructuosa est, necessaria videtur & utilis ex hoc ipso quod fructuosæ deserviat viti. Tale aliquid etiam intellige in Gabaonitis, qui non deposuerunt quidem veterem hominem cum actibus suis, ministrant tamen sanctis, & serviunt, & aliquid utilitatis impendunt: & tali quodam ordine ab Jesu salutem cum juramenti interpositione suscipiunt. Ego nolebam in Gabaonitarum ordine salutem consequi, nec in ligni cæsoribus vel aquæ gestatoribus numerari, sed intra Israëlitas cuperem hereditatem terræ repromissionis accipere. Observandum sane est quod solent hæretici legentes hunc locum calumniam facere, hi qui vetus testamentum non recipiunt, & dicunt: Vide quomodo nihil humilitatis habuit Jesus filius Nave, ut hominibus qui ad se supplices venerant salutem concedens, notam eis infamiæ & jugum servitutis infligeret. Hæc si audit anima minus instructa in scripturis divinis, infirmari continuo & periclitari potest, ut refugiat catholicam fidem. Non enim intelligunt eorum subreptiones. Jesus enim

A secundum mensuram fidei ipsorum, competens erga eos judicium tenuit. Porro autem Raab meretrix quæ fide integra cum omni domo sua exploratores Israëliticos plenissima devotione suscepit, & ex integro in consortium populi societatemque suscepta est: & scriptum est de ea quia *adposita est ad filios Israël usque in hodiernum diem.* Isti vero quia non tam Israëliticæ gentis consortia dilexerunt, quam suæ perditionis metu perterriti, cum calliditate & fraude accesserunt ad Jesum, quomodo potuerunt libertatem vitæ & regni consortium dolis servilibus

B promereri? Denique vis nosse quam digna erga eos ad Jesu propter ignobilitatem mentis eorum conditio dispensata est; ipsi dicunt in sequentibus: *Quia audivimus quanta fecit Dominus vobis per mare rubrum, & in deserto.* Et cum dicerent, & scire & audisse se de divinis mirabilibus faterentur, nihil tamen fide digne, nihil tantarum virtutum admiratione gesserunt; & ideo videns angustum eorum exiguumque propositum in fide, moderationem erga eos justissimam servat, ut salutem mererentur, qui parvum licet fidei detulerunt, nec tamen summam regni vel libertatis acciperent, pro eo quod

Jos. 9. 9.

C fides eorum nullo operum nobilitaretur accessu. Quoniam fidem sine operibus mortuam haberi pronuntiat Jacobus. Verumtamen sciendum est quantum figurarum ex hujusmodi adumbrationibus edocemur, quod si qui tales sunt in nobis, quorum fides hoc tantummodo habet, ut ad ecclesiam veniat, seque inclinent, officia exhibeant, servos Dei honorent, ad ornatum quoque altaris vel ecclesiæ aliquid conferant; non tamen habent studium ut etiam mores suos excolant, actus emendent, vitia deponant, castitatem colant, iracundiam mitigent, avaritiam reprimant, rapacitatem refre-

Jac. 2. 20.

D nent, maliloquia & stultiloquia vel scurrilitates, & obtrectationum venena ex ore suo amittant; sciant sibi, quia tales sunt qui emendare se nolunt, si in his usque ad senectutem ultimam pervenerint, partem sortemque ab JESU Domino cum Gabaonitis esse tribuendam. Tales igitur tantummodo quasi quoddam salutis signum intra ecclesiam temporaliter perferunt; inter Israëlitas autem, id est, inter sanctos Dei,

ISID.

E regnum æternum & libertatem minime consequuntur.

Et non percusserunt eos, eo quod jurasent eis principes multitudinis in nomine domini Dei Israël. Murmuravit itaque omne vulgus contra principes: qui responderunt eis; juravimus illis in nomine domini Dei Israël, & idcirco non possumus eos contingere, &c. Quæri potest quomodo jurationem servandam esse crediderunt Hebræi Gabaonitis, quibus ita juraverant tamquam de longinqua terra venientibus, sicut illi mentiti fuerant: Sciebant

Jos. 9. 18.

AUG.

enim se debellandos si cognitum esset Hebræis, in ea terra eos habitare, quam promissam fuerant retenturi. Mentientibus ergo quod de longinqua terra ad eos venissent, juraverunt eis Israëlitæ. Postquam vero cognoverunt ibi eos habitare, ubi omnes quos invenerant secundum Dei præceptum debellare oportebat, noluerunt tamen frangere jurationem: & licet eos mentitos esse didicissent, parcere maluerunt causa jurationis, cum possent utique dicere se tamquam illis jurasse quos eos esse crediderant, id est, de longinquo venientes. cum vero aliud cognoverunt, præceptum circa eos Domini implendum erat, ut sicuti ceteri, expugnarentur. Deus autem hoc adprobavit, nec parcentibus succensuit, quamvis eum non interrogassent quinam illi essent, & ideo eos illi fallere valuissent Unde non importune utique credendi sunt, & si fallere homines pro sua salute voluerunt, non tamen fallaciter Deum timuisse in populo ejus, propterea nec succensuit Dominus jurantibus aut parcentibus, ut postea Gabaonitas ipsos, tamquam populi sui homines, de domo Saul vindicavit, sicut regnorum ostendit historia. Et quoniam juratio sic servata est, quamvis in omnibus qui mentiti sunt, ut ad clementiam sententia flecteretur, non displicuit Deo. Nam si è contrario jurassent, aliquos se interfecturos, quos Gabaonitas in terra promissionis esse putavissent, & postea didicissent eos esse ab illa terra extraneos, & de longinquo ad se venisse; nullomodo arbitrandum est, quod eos essent debellaturi causa jurationis implendæ; cum propter ipsam parcendi clementiam sanctus David etiam post verba quibus se Nabal interfecturum esse juraverat, utique sciens quem fuerat interfecturus parcere maluit, nec in re duriore implere juramentum: magis Deo placere existimans, si quod ira perturbatus ad nocendum juraverat non fecisset, quam si perfecisset.

CAP. III. Jos. 10. 3. *Misit ergo Adonisedech rex Jerusalem ad Otham regem Hebron, & ad Phiram regem Hierimuth, ad Japhia quoque regem Lachis, & ad Daber regem Eglon, dicens; ascendite ad me, & ferte præsidium, ut expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Josue, & ad filios Israël. Congregati igitur ascenderunt quinque reges Amorrhæorum, rex Jerusalem, rex Hebron, rex Hierimuth, rex Lachis, rex Eglon simul cum exercitibus suis, & castrametati sunt circa Gabaon oppugnantes eam;* &c. Omnes illi qui prius amici erant, post amicitias & familiaritatem filiorum Israël, inimici fiunt Gabaonitis, qui a filiis Israël fœdus pacis acceperant. Jebusæus rex Jerusalem, invitatis secum quatuor aliis regibus Gabaonitas adgreditur expugnare. Sed Gabaonitæ videntes quinque reges adversum se in prælium conspirasse, nequaquam propriis viribus copiisque confidunt, sed mittunt ad Jesum auxilia postulantes. At ille divino permissu adest Gabaonitis laturus auxilium. Ita vero jam mirabilia cœlitus ostenduntur. Dominus desuper saxa grandinis pluit, & quinque qui adversus Jesum pugnant exercitum vastat. Tunc videns Jesus divinam secum dexteram præliantem, & prosperis successibus cuncta procedere, novam quamdam & miram orationem extollit ad cœlum, dicens; stet sol super Gabaon, & luna super vallem Elon, donec expugnem populum istum. Et stetit sol & luna in loco suo, donec pervinceret Dominus inimicos eorum. Et stetit sol in medio, & non est progressus ad occasum in fine unius diei. Non fuit dies talis ante hoc, nec ita exaudivit Deus hominem, quia Dominus pugnavit pro Israël. Et fugerunt illi quinque reges, absconderuntque se in spelunca Mageddam. Hæc secundum historiam quidem gesta, miracula divinæ virtutis universis sæculis prædicant, nec interpretatione exstrinsecus indigent, in quibus gestorum lumen coruscat. Quid tamen in his spiritalis intellectus contineatur requiramus. Cum se anima humana Verbo Dei sociaverit, non debet dubitare statim se inimicos habituram, & eos quos ante habuerat amicos, in adversarios esse vertendos: idque non solum pati se ab hominibus speret, verum etiam de contrariis virtutibus & spiritalibus nequitiis id sibi imminere pro certo sciat. Et ita fit ut qui amicitias expetit Jesu, multorum sibi sciat inimicitias tolerandas. Audiat apostolum Paulum hæc eadem confirmantem, cum dicit; *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur.* 2. Tim. 3. 12. Sed & Salomon similia dicit; *Fili*, inquit, *accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.* Eccli. 2. 1. Oppugnantur ergo etiam nunc Gabaonitæ cujuscumque modi sunt, propter amicitias Jesu: & licet sint ligni cæsores, & aquæ gestatores, id est, licet sint ultimi meriti in ecclesia; tamen in hoc ipso quia ad Jesum pertinent, impugnari a quinque regibus dicuntur. Sed tamen Gabaonitæ non derelinquuntur & spernuntur ab Jesu, & a ducibus, & a præsulibus Israëlitarum, sed infirmitati eorum auxilium ferunt. An non tibi videtur hoc agere in nobis, & hoc præcipere illud Apostoli mandatum; *Consolamini pusillanimes, sustinete infirmos, patientes estote ad omnes.* 1. Thess. 5. 14. Et iterum; *vos potentiores, imbecillitates infirmorum sustinete.*

Ascenditque Iosue de Galgalis, & omnis exercitus bellatorum cum eo, viri fortissimi. Dixitque Dominus ad Iosue; ne timeas eos, in manus enim tuas tradidi illos: nullus tibi ex eis resistere poterit, &c. Jos. 10. 7. Cum obsessi Gabaonitæ a regibus Amorrhæorum, misissent ad Jesum, ut sibi superveniretur, ista scriptura sequitur, & dicit; ascendit Jesus a Galgalis AUG.

lis ipse, & omnis populus bellatorum cum illo, omnis potens in fortitudine: & dixit Dominus ad Jesum: Noli timere illos, in manus enim tuas tradidi eos: non subsistet ex illis quisquam coram vobis. Ubi neque consultus est Dominus utrum eumdum ad eos esset, sed ultro suis recte subvenire volentibus futuram victoriam prænunciavit. Si ergo posset quamvis non consultus, de ipsis Gabaonitis admonere qui essent, cum se longinquos esse mentirentur, nisi ei placuisset illa juratio quæ subjectis parcere cogeret. Crediderant enim Deo, quem audierant suo populo promisisse quod illas gentes subverteret, eorumque terram obtineret, & hanc eorum fidem non eos prodendo remuneravit quodammodo.

Jos. 10. 11. *Cumque fugerent filios Israël, & essent in descensu Bethoron, Dominus misit super eos lapides magnos de cælo usque Azecha; & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israël.* Lapides sunt grandinis duræ vindictæ, quæ cœlitus mittuntur super hostes populi Dei: vel divinæ comminationes, quæ in scripturis sacris contra improbos leguntur prolatæ; ubi gehenna ignis; & pœna eis prædicitur perpetua. ADAM. Hoc ergo modo Jesus cum ducibus & virtutibus suis adest his qui pro nomine suo contrariis virtutibus oppugnantur: & non solum auxilium præstat in bello, verum & produxit tempus diei, & spatia lucis protelans, adventum discutit noctis: unde sequitur.

Jos. 10. 12. *Tunc locutus est Iosue Domino in die qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israël, dixitque coram eis; sol contra Gabaon ne movearis, & luna contra vallem Ahialon. Steteruntque sol & luna. Nonne scriptum est hoc in libro justorum? Stetit itaque sol in medio cœli, & non festinavit occumbere spatio unius diei. Non fuit ante & postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israël. Reversusque est Josue cum omni Israël in castra Galgala.* ADAM. Volumus ergo, si possumus, ostendere quomodo dominus noster JESUS protelaverit lucem, & majorem fecerit diem, vel pro salute hominum, vel pro interitu contrariarum virtutum. Ex quo advenit Salvator, finis erat mundi: jam denique ipse dicebat; *Pœnitentiam agite, appropinquavit regnum cœlum*: (Matt. 3. 2.) & tenuit & repressit diem consummationis, & adesse prohibuit. Videns enim Deus pater, salutem gentium per ipsum solum posse constare, dicit ad eum; *Pete a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* (Psal. 2. 8.) Donec ergo paterna pollicitatio compleatur ecclesiæ, & diversis nationibus crescat, atque introeat tota gentium multitudo, tunc demum omnis Israël salvetur: dies producitur, & differtur occasus: nec umquam sol occubuit, sed semper oritur, dum credentium cordibus sol justitiæ lumen veritatis infundit. Cum vero repleta fuerit mensura credentium, & deterior jam ac decolor ætas ultimæ generationis advenerit; cum increscente iniquitate refrigescet caritas multorum, & perpauci remanserint in quibus fides inveniatur; tunc jam breviabuntur dies. Idem igitur atque ipse Dominus novit & extendere diem cum salutis est tempus, & breviare diem, & producitur nobis spatium lucis, sicut in die honeste ambulemus; & opera lucis operemur. Sed & illud videamus quid sit quinque reges fugisse, & hos in speluncam confugisse. Sæpe diximus duplicem esse Christianorum pugnam: perfectis quidem & talibus qualis erat Paulus apostolus qui dicit; *Non erat eis pugna adversus carnem & sanguinem, sed adversus principatus & potestates, adversus mundi hujus rectores tenebrarum, & spiritalia nequitiæ in cælestibus.* Eph. 6. 12. Inferioribus vero & nondum perfectis, pugna adhuc adversus carnem & sanguinem geritur; his qui adhuc carnalibus vitiis & fragilitatibus impugnantur, quod etiam in hoc loco indicari puto. Etenim Gabaonitis indictum esse a quinque regibus diximus bellum, quorum figuram dixi esse in his qui imperfecti sunt. Isti ergo a quinque regibus impugnantur. Quinque autem reges, quinque sensus corporeos indicant; visum, auditum, gustum, tactum, odoratum: per aliquem etenim horum, unumquemque necesse est decidere in peccatum. Quinque sensus quinque illis regibus comparantur, qui Gabaonitas, id est, qui carnales homines impugnant.

Fugerunt enim quinque reges, & se absconderunt in spelunca urbis Maceda. Nuntiatumque est Josue, quod inventi essent quinque reges latentes in spelunca Maceda. Qui præcepit sociis, & ait: Volvite saxa ingentia ad os speluncæ, & ponite viros industrios, qui clausos custodiant, & cetera. Jos. 10. 16. Quod autem dicuntur in speluncæ loco confugisse, potest hoc fortasse indicari, quia spelunca locus est in profundum terræ defossus. Igitur etiam isti quos supra exposuimus sensus, cum se terrenis actibus in corpore positi demerserint, & nihil ad opus Dei, sed totum ad ministerium corporis egerint, in speluncas confugisse dicuntur. Sciendum tamen est, quod ista ipsa regna, quorum nunc reges vincuntur ab Jesu, & confugiunt ad speluncas, postmodum in sortem veniunt sanctorum, & pars Domini appellantur, sicut regnum Jerusalem vel Achis vel Ebron. In quo hoc arbitror indicari, quod etiam isti quinque sensus quos supra exposuimus, in corpore positi, cum per JESUM fuerint devicti, ita ut infidelitas ab eis & incredulitas depellatur, & commoriantur peccato, in eo quod desinunt a ministerio, peccatis ipsis postmodum ministris utitur anima ad

operandam justitiam Dei. Ita fit ut Jerusalem, in qua prius rex nequam regnabat & pessimus, postmodum in ea regnet David potens manu, & pacificus Salomon. Adsident etenim ipsis etiam quos supra diximus, corporalibus sensibus, hominum malignæ virtutes, quæ eos ad malas concupiscentias & fœda ministeria animæ præbendo sollicitent: quas malignas virtutes si fides Christi superaverit, & in ligno crucis ejus fuerint suspensi, ut de ipsis triumphet in ligno; & in ligno crucis suæ interemtis his, regnoque depulsis, tunc efficitur anima in parte Dei, tunc Jerusalem regnum Dei efficitur, & templum in ea Domino construitur. An non hoc de semetipso sentiebat ille qui dicebat, *quia eramus & nos aliquando insensati, increduli, errantes, & servientes desideriis & voluptatibus variis?* Non enim aliud est hoc, quod Jerusalem aliquando sub rege fuisse Adonibezeth scribitur, vel aliæ civitates sub aliis; sed interim JESUS interficit inimicos, non crudelitatem docens per hoc, sicut hæretici putant, sed futura in his quæ gerunt sacramenta designans: ut cum interimeret JESUS eos reges qui regnum peccati tenent in nobis, possimus illud implere quod dixit Apostolus: *Sicut exhibuimus membra nostra servire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibeamus membra nostra servire justitiæ ad justificationem.* Quid ergo est quod ab eis hoc loco velut crudele culpatur? Hoc, inquit, scriptum est: Ponite pedes vestros super collum eorum, & interficite eos. namque hoc non crudelitas, sed humanitas & benignitas invenitur. Utinam enim tu talis esses, qui poneres pedes tuos super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & conculcares leonem & draconem, & basiliscum regulum qui aliquando regnavit in te, & nutrivit in te regnum peccati: ut illis omnibus interemtis qui in te regnabant opere peccati, solus in te regnet JESUS Dominus noster.

Tit. 3. 3.

Rom. 6. 19.

CAP. IV. *Eodem die Macedan quoque cepit Josue, & percussit in ore gladii, regemque illius interfecit, & omnes habitatores ejus. Non dimisit in ea saltem parvas reliquias*, &c. Bella quæ per Jesum geruntur, & regum atque hostium strages, cœlestium rerum umbræ, typusque esse dicenda sunt eorum dumtaxat bellorum, quando noster dominus JESUS cum suo exercitu & magistratibus, id est, credentium populis, atque eorum ducibus, contra diabolum & ejus angelos præliatur. Ipse enim est qui in Paulo & in Ephesiis pugnabat adversus principatus & potestates, & rectores tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Et vide, ingrate hæretice, quomodo ex integro veteribus nova concordant. Promissum est veteribus regnum terræ sanctæ, terræ fluentis lac & mel, quæ terra tunc a peccatoribus & pessimis incolis ac regibus tenebatur. Venit in istam terram Jesus cum exercitu Domini, & Israëliticis ducibus, expugnat omnes, interimit, & obtinet, & ob victoriæ meritum accipit eorum regna quos vicit. Tibi per evangelia non promittuntur regna terræ, sed promittuntur regna cœlorum. Sed hæc regna non sunt vacua & inania: habent habitatores suos peccatores & nequam spiritus, refugas angelos: ibi habitant illi, adversus quos te apostolica tuba personans Paulus cohortatur ad prælium: & sicut ibi dicebat Jesus, quia bellum vobis erit adversus Amorrhæos & Pherezæos, & Hevæos, & Jebusæos; similiter hoc etiam tibi Paulus denunciat, dicens; non erit vobis pugna adversus carnem & sanguinem, id est; non sic pugnabimus sicut pugnaverunt antiqui, nec in terris nobis adversus homines habenda sunt prælia; sed adversus principatus, adversus potestates, adversus hujus mundi rectores tenebrarum harum. Jam utique intelligis in quibus locis hujuscemodi sunt tibi movenda certamina: aut si non tibi sufficit intellectus, nisi etiam loca ipsa manifesta tibi voce signentur, audi in consequentibus; adversus spiritalia nequitiæ, inquit, in cœlestibus. Audisti qui sint qui tibi bello de cœlestibus expellendi sunt, ut tu possis loca illa & regna cœlorum, hereditatis sorte suscipere. Sed & Dominus in evangelio nonne evidenter hoc designat, cum dicit; a diebus Johannis regnum cœlorum vim patitur, & vim facientes diripiunt illud. *Transivit cum omni Israël de Maceda in Lebna, & pugnabat contra eam, quam tradidit Dominus cum rege suo in manu Israël: percusseruntque urbem in ore gladii, & omnes habitatores ejus, & non dimiserunt in ea ullas reliquias: feceruntque regi Lebna sicut fecerant regi Jericho. De Lebna transivit cum omni Israël in Lachis, & exercitu per gyrum disposito oppugnabat eam*, &c. Utinam digni essemus quibus Dominus Jesus sapientia sua aulam panderet, & introduceret nos intra thesauros sapientiæ & scientiæ suæ, & eas de quibus nunc pedetentim conamur, tamquam per speculum & in ænigmate, aliqua ex parte contueri & inspicere figuras, plenius nobis reserare, & perfectius dignaretur aperire. Videres quomodo nobis clarescceret, cujus potissimum ex spiritalibus hostibus his qui nunc impugnant Israël, spiritalem figuram tenuit ipse princeps de Maceda, & ille de Lachis, & ille de Lebna, aut cujus intra memetipsum vitii vel erroris quibus anima implicatur, formam tenent singuli quique horum, quos Jesu duce interficit populus Dei: Hi videlicet qui audiunt mandata ejus, & præceptum custodiunt, quibus ipse tribuit facultatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem po-

Jos. 10. 28.

Eph. 6. 12.

Eph. 6. 12.

Matt. 11. 12.

Jos. 10. 29.

testatem inimici. Oremus ergo ut & nostri pedes tales sint, tam speciosi, tam validi, qui possint calcare cervices inimicorum, qui possint ita calcare caput serpentis; ut calcaneum nostrum mordere non possit. Qui enim pugnat sub Jesu duce adversus contrarias potestates, debet etiam illud promereri quod de prioribus bellatoribus scribitur. *Et reversus est*, inquit, *universus populus ad Jesum incolumis, & non mutivit quisque de filiis Israël in lingua sua.* Vides ergo quia qui sub Jesu militant, incolumes debent redire de prælio, nec umquam debent ex jaculis maligni ignitis vulnus accipere, non in corde pollui, non in cogitatione maculari, non per iram, non per cupiditatem, non per aliam quamlibet occasionem locum dæmonicis vulneribus dare. Quod autem addidit, quia nullus mutivit in lingua sua, hoc mihi videtur ostendi; quia de victoria se nemo jactavit, nemo virtuti suæ quia superavit, adscribit: sed scientes quia Jesus est qui victoriam tribuit, ipsi in lingua non mutiunt. Quod bene intelli-
1.Cor.15.10. gens apostolus Paulus dicebat; non ego autem, sed gratia Dei quæ in me est. Puta autem quia ad hoc respiciat illud Domini
Luc. 17.10. mandatum, quo ait; cum autem feceritis hæc omnia, dicite quia servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus; & in hoc enim simili modo rerum prospere gestarum prohibere videtur jactantiam. sed Marcion, ac Valentinus & Basilides cæterique cum ipsis, dum hæc nolunt, sicut sancto Spiritu dignum est, intelligere, declinaverunt a fide, & inseruerunt se impietatibus multis, alium Dominum legis, & alium mundi creatorem ac judicem proferentes: velut per hæc quæ scripta sunt crudelem, quod calcare hostium cervices jubentur, atque in ligno suspendere reges terræ illius quam violenter invadunt. Atque utinam Dominus meus Jesus filius Dei istud concedat, & jubeat, pedibus meis conculcare spiritum fornicationis, & calcare super cervices spiritus iracundiæ & furoris, calcare avaritiæ dæmonium, calcare jactantiam, conterere pedibus superbiæ spiritum: & cum hæc fecero, operis gesti summam non mihi sed cruci ejus appendere: sequens Paulum dicen-
Gal.6.14. tem, quia per ipsum mihi mundus crucifixus est; & ea quæ superius memoravi-
1.Cor.15.10. mus, quod ait, non ego autem, sed gratia Dei quæ in me est: quod si ita facere meruero, beatus ero. Et dicitur etiam mihi
Deut. 31.6. quod dicebat antiquis Jesus; viriliter agite, & confortamini a facie eorum, quia domi-
Jos. 10.40. nus Deus tradidit vobis omnes inimicos vestros in manus. *Percussit itaque Josue omnem terram montanam, & meredianam, atque campestrem, & Asedoth cum regibus suis. Non dimisit in eis ullas reliquias, sed omne quod spirare poterat interfecit, sicut præceperat ei do-*

A *minus Deus Israël.* Et reliqua. Dominus meus JESUS CHRISTUS, bellator adversus virtutes contrarias; & ejecit eas de civitatibus quas possidebant, id est; de animabus nostris; & interfecit reges qui regnabant in animabus nostris, ne ultra regnet in nobis peccatum: ut posteaquam interemerit regem peccati de civitate animæ nostræ, fiat anima nostra civitas Dei, & regnet in ea Deus, & dicatur ad nos; quia regnum Dei intra vos est. Est ergo opus summæ misericordiæ, hoc quod hæretici crudelitatis accusant, quod dominus JESUS adumbratum Luc. 17.21.
B prius a filio Nave per singulas quasque civitates, nunc in veritate per singulas quasque animas credentium complet: ut quæ possidebantur a malis & pessimis regibus, secundum principem aëris mundi hujus spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ, expulsis his & peremptis, facere eas dignetur habitaculum Dei, & Spiritus-sancti templum, ut membra quæ servierant sub rege iniquo, iniquitati ad immunditiam; nunc serviant justitiæ ad sanctificationem. Sic ergo intellige quod interfecit regem Jericho, & regem Ahi, & regem Lebna, & regem Lachis, & regem Hebron; ut isti
C omnes qui ante sub regibus pessimis peccati legem colebant, nunc sub Dei legibus agant. Sed & de ipsis interpretationibus nominum si curiosius ac diligentius perscrutemur, invenietur significantia nominum nunc ad mali regni, nunc etiam ad boni intelligentiam posse conferri. Utputa Lebna candor interpretatur: candor autem diverse intelligitur: est enim candor lepræ, & est candor lucis. Possibile ergo est etiam nominis hujus interpretationem, utriusque status differentias indicare, ut candorem quidem lepræ habuerit Lebna sub regibus malis; quo destructo atque subverso,
D ad Israëliticum regnum pervenit Lebna, & candorem lucis accipit, qui candor in scripturis & laudabilis & culpabilis ponitur. Et iterum Lachis interpretatur iter. Iter autem & laudabile & culpabile in scripturis habetur; quod difficile non est probare; sicut dixit in psalmo: *Et iter impiorum peribit.* Psal.1.6.
Et alibi e contrario: *Iter rectum facite pedibus vestris.* Potest ergo intelligi etiam quod Isa. 57.14.
hic iter impiorum fuerit primo civitas Lachis: quo destructo atque subverso, postmodum Israelitis regnantibus ad iter per-
E ducta sit rectum. Similiter autem & Hebron, quam interpretari dicitur conjunctionem vel conjugium. Conjunctio vero animæ nostræ fuit primo cum malo viro, & marito pessimo diabolo: quo destructo & exstincto, liberata est anima a lege prioris & pessimi viri, & conjuncta est viro bono & legitimo, illi de quo dicit apostolus Paulus: *Statui autem vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Sic etiam nominum 2.Cor. 11.2.

ipsorum intelligentia ad genuinum hunc uniuscujusque civitatis consonat statum. Ego puto quod sic melius est intelligi bella Israëlitica, & quod sic præliari Jesus putetur, & destruere urbes ac regna subvertere. Sic enim & illud dictum religiosius & clementius apparebit, quod dicitur ita subvertisse & vastasse singulas quasque urbes, ut nihil in eis relinqueretur quod spiraret, neque qui salvus fieret, neque qui effugeret. Utinam enim Dominus de animabus credentibus sibi, & quas suo vindicat regno, & de mea ipsius anima ita ejiciat & exstinguat omnia priora mala, ut nullus in me malitiæ sensus ultra respiret, nullus concupiscentiæ alicujus malæ in me salvetur affectus, nullus supersit qui effugiat sermo malus de ore meo. Sic enim potero, JESU duce, purgatus ab omnibus prioribus malis effici in civitatibus filiorum Israël: de quibus scriptum est: *Ædificabuntur civitates Judæ, & habitabunt in eis.* Etenim nunc uniuscujusque nostrum animam JESUS destruit & ædificat. Et sicut dicebamus tunc cum super Jeremiam dissereremus, qui acceperat verba in os suum, quibus subverteret, ædificaret, evelleret, & plantaret: ita etiam nunc in his quæ habemus in manibus intelligendum puto, non secundum hæreticos vel secundum Judæos, sed sicut ibi ad Jeremiam dictum est: *Ecce constitui te hodie super gentes & regna, eradicare, & subvertere, & perditum dare, & post hæc ædificare, & plantare*: ita & de his quæ per Jesum scribuntur gesta credendum est, immò potius de his quæ per nostrum dominum JESUM, etiam nunc geruntur in nobis. Primum namque opus verbi Dei est, eradicare præcedentia mala, spinas, ac tribulos vitiorum. Dum enim istæ malæ radices occupatam detinent terram, non potest semina bona & sancta suscipere. Necessarium ergo & primum hoc opus verbi Dei est plantas eradicare peccati, & omnem plantam quam non plantavit pater cœlestis, evellere igníque consumere. Secundi jam operis est plantare. Quid est quod plantat Deus? Moyses dicit, quia *plantavit Deus paradisum.* Sed & nunc plantat Deus & quotidie plantat in animabus credentium. In anima enim de qua excidit iram, mansuetudinem plantat; & de qua excidit superbiam, plantat humilitatem; de qua eradicat lasciviam, pudicitiam plantat; de qua exstirpat ignorantiam, inserit scientiam. Non tibi videtur talis debere esse plantatio quam plantat Deus, magis quam insensibilium terrenorumque lignorum? Est item in primis opus Verbi Dei, destruere ædificia diaboli, quæ in anima construxit humana. Ille etenim turres superbiæ in unoquoque nostrum, & muros elationis exstruxit; hæc sermo Dei subvertit, & subruit: ut merito secundum apo-

Ps. 68. 36.

Jerem. 1. 10.

Gen. 2. 8.

A stolum effici mereamur Dei cultura, Dei ædificatio super fundamentum apostolorum & prophetarum positi, ipso summo angulari lapide JESU CHRISTO, ex quo junctura ædificii crescat in templum Dei in Spiritu-sancto, & ita demum effici mereamur in hereditate terræ sanctæ in parte Israëlitica, extinctis omnibus & peremptis hostibus nostris; ita ut non relinquantur ex eis qui respiret in nobis; sed solus respiret in nobis spiritus Christi per opera & sermones, & scientiam spiritalem, secundum doctrinam JESU CHRISTI domini nostri.

B *Quæ cum audisset Jabin rex Ason, misit ad Jobad regem Madon, & ad regem Simeron, atque ad regem Asaph, ad reges quoque aquilonis qui habitabant in montanis, & in planicie contra meridiem Cineroth. In campestribus quoque, & in regionibus Dor juxta mare: Chananæumque ab oriente & ocidente, & Amorrhæum, atque Hethæum, ac Pherezeum, & Jebuzæum in montanis: Hevæum quoque qui habitabant ad radices Hermon in terra Hispha. Egressique omnes cum turmis suis, populus multus nimis, sicut arena quæ est in littore maris: equi quoque & currus immensæ multitudinis. Conveneruntque omnes reges isti in unum ad aquas Merom, C ut pugnarent contra Israël. Dixitque Dominus ad Josue, ne timeas eos: cras enim hac eadem hora ego tradam istos omnes vulnerandos in conspectu Israel. Equos eorum subnervabis, & currus igne combures*, &c. Alia autem editio hunc locum ita habet. *Ut autem audivit*, inquit, *Jabin rex Asur misit ad Jobab regem Amorrhæorum, & ad regem Simeron & ad regem Baza, & ad reges qui erant circa Sidonem magnam, & per montana: & in Arabia quæ est contra Cenereth, & ad campos, & in Fanendor, & ad Chananæos qui erant in maritimis ab oriente, D & ad Amorrhæos qui erant in maritimis, & ad Cethæos, & Pheresæos, & ad Iebusæos qui erant in maritimis, in montanis, & ad Hevæos qui erant sub deserto Mosoma. Et exierunt ipsi & reges eorum cum ipsis, sicut est arena maris in multitudine, & equi & quadriga multa nimis. Et convenerunt omnes reges isti, & coïerunt in unum ad aquam maram pugnare contra Israel. Dixit autem Dominus ad Iesum; non verearis faciem illorum, quia crastina die ad hanc horam ego tradam eos sauciatos ante faciem Israel. Equos eorum subnervabis, & currus eorum igni exures. Et venit Iesus & omnis populus bellatorum* E *cum eo super ipsos ad aquam maram, & subito inruit super eos in monte: & tradidit eos Dominus in manus Israël, & cadentes eos persecuti sunt usque ad Sidonem magnam, & usque in Massesoth ad aquam maram, & usque ad campos Masse contra orientem: & trucidaverunt eos, usquequo non superesset ex eis qui evaderet. Et fecit eis Iesus sicut præceperat ei Dominus. Equos eorum subnervavit, & currus eorum exussit igni. Et conversus est Jesus in ipso tempore, & occupavit Assur, & regem ejus interfecit*

CAP. V.
Jos. 11. 1.

fecit gladio. Vides quanta adversus Jesum & Israeliticum populum, contrariarum virtutum & pessimorum dæmonum concitentur bella. Isti omnes dæmones ante adventum Domini & Salvatoris nostri, quieti & securi, humanas animas possidentes, in earum membris mentibusque regnabant. Sed ubi in terris apparuit gratia & misericordia Salvatoris nostri Dei, docens nos ut pie & sancte in hoc mundo, & segregati ab omni peccati contagione vivamus: & libertatem suam atque imaginem Dei, in qua ex initio creata est, anima unaquæque recipiat. Ista de causa ab illis iniquis veteribus possessoribus earum, pugnæ exoriuntur & prælia. Et si opprimantur primi, multo plures exsurgunt postmodum, atque in unum coëunt & conspirant in malum, qui semper diffident a bono. Et si secundo victi fuerint, iterum tertio aliæ virtutes nequiores exsurgent: & si fortassis quanto magis augetur populus Dei, & multo plus crescit & multiplicatur, tanto illi plures ad oppugnandum conspirant. Sed tentemus, prout Deus dederit, discutere singulos quosque adversi exercitus reges, & pro significantiis nominum uniuscujusque, etiam opus quod gerit malitia contemplari. Primus omnium, qui & auctor belli hujus nominatus est, congregans ceteros, & ad conjurationem sceleris invitans, Jabin nominatur, qui erat rex Assur: ipse est enim qui etiam dicitur ceteros convocasse. Jabin autem interpretatur sensus sive prudentia. Quis est autem iste sensus sive prudentia, nisi ille quem dixit Isaias propheta sensum magnum? ait enim: *Et inducam super te sensum magnum principem Assyriorum, qui dixit: Mea virtute faciam, & sapientia sensus mei auferam fines gentium, & virtutem eorum deprædabor.* Iste ergo est qui ibi quidem dicitur sensus magnus, rex Assyriorum. Hic autem Jabin sensus & prudentia. Etenim serpens fuisse in paradiso scribitur prudentior omnium bestiarum quæ erant super terram. Sed & villicus iniquitatis prudenter fecisse dicitur illa quæ fecit. Hic igitur Jabin rex est Assur. Interpretatur Assur aula: est ergo omnis terra aula hujus regis, qui totius terræ velut aulæ unius obtinet principatum, qui est diabolus. Vis autem videre quoniam aula ipsius est terra? In evangeliis scriptum est, quia fortis in aula sua securus dormit, usquequo veniat fortior, qui & ipsum alliget, & quæ possedit auferat. Est ergo rex aulæ princeps hujus mundi. Iste mittit ad Jobac; ipse est enim qui mittit ad omnes gentes & invitat ad prælium, mittit ad regem Marom. Jobac autem interpretatur inimicitiæ, Marom autem amaritudines. Mittit ergo diabolus ad aliam virtutem inimicam, ex angelis sine dubio refugis, quæ virtus amaritudinum rex est: quo auctore scilicet & operam dante, omnes in hoc mundo amaritudines & asperitates quæ miseris mortalibus infliguntur eveniunt. Sunt enim diversa genera peccati: neque enim amarius aliquid potest esse peccato, etiamsi quædam dulcia videantur in primis, sicut Salomon scribit; sed *in novissimis*, inquit, *amarius felle quod dulce in initiis videbatur, & acutius acie gladii.* Justitiæ vero natura contraria est. In initiis videtur felle amarior, in novissimis vero melle dulcior invenitur, cum virtutis fructus attulerit. Misit ergo diabolus ad Jobac inimicum amaritudinis regem. Mittit etiam ad regem Simeron, qui interpretatur exauditio: sed duplex videtur esse exauditio; aliquando quidem in bonam partem, cum exaudit hominem Deus, secundum quod & Simeon unus ex patriarchis nomen accepit, quandoquidem exaudierat Deus precem matris ejus. Dicitur autem e contrario exauditio, quando quis exaudit præceptum diaboli. Solet enim dicere diabolus: *Si procidens adoraveris me, tibi dabo hæc omnia.* Sed tu si JESUM sequeris, dicis ei: Dominum Deum meum adorabo, & illi soli serviam. Audiunt autem illum qui sunt ex parte ipsius, sicut & nunc fecit iste Simeron, illum audiens venit ad pugnam contra Jesum. Mittit autem ad regem Zife. Zife autem interpretatur Quomodo fluit! velut admirantis sermone, quia eo revera mirandum est quomodo fluunt omnia quæ sunt hujus mundi carnalia, & quomodo fluxa sunt & caduca quæ apud infideles homines permanentia deputantur & perpetua. Qui autem rerum considerat rationem, & vitæ hujus quæ putantur bona contuetur quomodo semper mutentur & transeant, iste dicit, Quomodo fluit! Vocat autem contra filios Israël diabolus, etiam eos qui circa Sidonem magnam sunt. Ego quidem cum in locis Sidonis aliquotiens demoratus sim, numquam comperi duas esse Sidonas, unam magnam, & aliam parvam, quantum ad terrenum pertinet locum. Sed si ad interpretationem nominis redeant, quod significat venatricem vel venatores; video quod adversariarum virtutum, in quibus multæ sunt differentiæ, quidam sint venatores in parvis, & quidam venatores in magnis: id est, quod alii per parva peccata animas, alii per magna decipiunt, verbi gratia, cum in voluptatibus sæculi & carnis deliciis anima decipitur, in parvo capta dicenda est: cum vero providentiam negat, aut dæmones quasi Dominum colit, hæc in magno putanda est esse decepta. Et ideo nunc mittit ad Sidonem magnam, qui quasi ad venationem conveniant contra filios Israël. Mittit & ad montana. Montana intelligenda sunt omnis sensus qui extollit se, & erigit adver-

Marginalia: Isa. 10. 12. 13. — Luc. 16. 8. — Luc. 11. 21. 22. — Prov. 5. 3. 4. — Matt. 4. 9. — Ibid. 10. — NOTA.

sus scientiam Dei. Mittit & in Arabiam. Interpretatur autem Arabia insidiæ. Invitat ergo virtutes insidiatrices, quæ humanas animas non vi, & ex apertis impugnationibus, sed improvisis insidiis callidisque decipiant: forte quales sunt & illi de quibus propheta dicit: *Insidiatur in occulto sicut leo in cubili suo; insidiatur ut rapiat pauperem.* Sed si quis talis est qualis Paulus, confidenter dicit: *Non enim ignoramus astutias ejus.* Mittit & in Cenereth. Cenereth autem quasi lucernæ dicuntur: non lucernæ, sed quasi lucernæ. Aliud est lucerna, aliud quasi lucerna. Johannes lucerna erat ardens, quia erat angelus lucis. Quasi lucerna autem est ille qui transfigurat se in angelum lucis. Et si vis adhuc evidentius noscere differentias lucernarum, & quasi lucernarum quæ in Cenereth sunt, audi Salvatorem dicentem ad discipulos suos: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ vestræ ardentes.* Sunt ergo eorum qui in ecclesia fidem catholicam docent, & plebem Dei verbo veritatis inluminant, lucernæ ardentes: hi vero qui hæretica dogmata ex scripturæ sanctæ testimoniis falsis adsertionibus docent, pro eo quod scripturas legunt, videntur accendere lucernas; sed quia falsis adsertionibus utuntur, non sunt lucernæ, sed quasi lucernæ. Misit etiam ad campos: necesse enim erat ut in societatem suam vocaret etiam eos qui in campis sunt, & humilia sapiunt ac terrena. Misit & in Fenendor, qui interpretatur conversio: & conversio duplex intelligitur. Est enim conversio qua quis ad Dominum convertitur, vel a Deo est conversus ad bona: est autem & alia conversio, qua rex Jabin, id est diabolus ad se animas convertit, sicut & de Simeron supra exposuimus: qualis putanda est & illa conversio quæ Galatis acciderat, de qua dicebat Apostolus: *Currebatis bene, quis vos impedivit*, hoc est, convertit a cursu bono & itinere recto? Mittit & ad eos qui erant in maritimis locis, ad vicinos fluctuum Chananæos, qui interpretantur velut commoti, id est, qui semper in motibus & fluctibus permoverent cuncta; & ad maritimos Amorrhæos. Amorrhæi interpretantur amarescentes, qui sunt similes illis de quibus superius disseruimus. Talis igitur est catalogus totius militiæ invisibilium hostium, qui congregantur per regem Jabin, ut expugnent nos qui sequimur JESUM ducem & salvatorem nostrum. Sed quid dicit Dominus? *Ne verearis*, inquit, *a facie eorum, quia crastino in hac hora tradam eos in manus tuas.* Video quod hodie non possumus omnes illos opprimere, nec cunctos interficere; sed crastino perimentur, id est, post consummationem hujus sæculi. Tunc etenim omnis virtus contraria destruetur, & tunc penitus vincetur, cum videris his qui a sinistris sunt dici: *Ite in ignem æternum, quem præparavit Deus diabolo & angelis ejus.* Tunc enim & nos, si vicerimus, & obtinere poterimus sequentes JESUM ducem, percipiemus regnum quod præparavit Pater sanctis suis, & his qui mandata ejus & justitias impleverint.

Itaque percussit eos omnes Josue, ita ut nullas ex eis dimitteret reliquias. Fecit sicut præceperat ei Dominus: equos eorum subnervavit, currusque combussit igni: reversusque statim cepit Asor, & regem ejus percussit gladio. Mandatum dicitur a Deo datum ad Jesum, ut posteaquam expugnasset omnes hostes superius memoratos, nulli parceret, sed equos eorum subnervaret. Unde velut mandatum Domini implens Jesus, fecit sicut præcepit ei Dominus. In quo primo omnium dicimus ad eos qui volunt secundum litteram tantum hæc intelligi, quia si quidem superfuisset aliquis ex hostibus, consequens videbatur equos subnervari, ne uteretur eis qui se convertit ad fugam. Nunc vero cum dicatur nullus relictus esse qui spiraret in hostibus, cur etiam equi subnervari jubentur, qui utique usui & ministerio poterant esse victoribus? Vis autem scire quia solent Israelitæ hujus rei & utilitatis habere curam, & devictis hostibus, ad suos usus reservare jumenta; in Numeris legimus scriptum: *Qui cum ex præcepto Dei processissent pugnare adversus Madianitas, devictis hostibus, aliquot millia asinorum de præda hostium reservarunt, suis usibus profuturos:* nec omnino refertur ibi quia interfecerint asinos, hostibus superatis. Nos ergo scripturam sanctam sibimetipsi conferentes, & spiritalibus spiritalia comparantes, requiramus quid sit quod de asinis quidem non est scriptum, quia subnervati sunt, nec Madianitarum spolia & animalia interemta dicuntur, sed profuisse Israeliticis usibus. de istis autem qui non habebant asinos, sed equos, præcipit ipse Dominus & dicit: Equos eorum subnervabitis, quod & Jesus, sicut a Domino mandabatur, explevit. Putamus hæc accidisse fortuitu, ut equi hostiles interimerentur, & asini servarentur? & in præceptis Dei fortuita aliqua arbitramur incidere? An dignius videtur ut putemus magis in his scripturam mysticum aliquid indicare? Denique & filii Israel numquam equis usi fuisse referuntur; & lex nihil de equis, sed de asinis mandat, utpote animalibus quæ ad humanos labores juvandos & onera eorum portanda videntur existere: equi vero magis ad hominum perditionem: hoc enim est quod per eos in præliis geritur, lascivi motus animal & superbæ cervicis accipitur. Sunt ergo asini frequenter in scriptura & in typo gentium positi, sicut & Sal-

vator ostendit super asinum sedens, numquam autem equo sedens refertur. Sed & cum discipulos mittit ad solvendam asinam & pullum asinæ, dicens eis: *Si quis vos interrogaverit, dicite quia dominus opus ea habet*; & sedens super eam ingreditur Jerusalem, & numquam equum sedens ingressus esse dicitur. Sed & propheta de ipso ita pronunciaverat, quod sedens asino veniret ad Jerusalem, dicens: *Ecce rex tuus mansuetus, sedens super subjugale*, & pullum asinæ novellum, & exterminabit currus Effrem, & equum ex Jerusalem. Vides ergo quia secundum prophetæ sententiam, qui super asinum sedet, exterminavit currus Effrem & equum ex Jerusalem: & ideo videntur mihi asini quidem (ut diximus) figuram servare eorum, qui ex gentibus credunt, super quos sedisse scribitur Dominus. Equi vero qui exterminantur, & currus, figuram tenere horum, qui in cœlestibus positi, per lasciviam & superbiam deciderunt, quando vel ad filias hominum concupiscendas semetipsos incentores præbuerunt, & secuti sunt illum qui dixit: *Ponam super nubem sedem meam, & ero similis Altissimo*. Inde fortassis est quod & propheta dicit: *Falsus est equus ad salutem*. Et iterum dicit de his qui in dæmonibus confidebant: *Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus*. Neque enim currus & equus Deo contulisset quantum ad invocandum exspectat; sed utique hoc ostendit, quia sicut nos invocamus Deum verum, ita & illi invocant currus & equos, id est, dæmones, quos invocabant gentes illæ quæ adversum Israel bellum gerebant.

Matt. 21. 3.
Zach. 9. 9. 10.
Isa. 14. 14.
Psal. 32. 17.
Psal. 19. 8.

Jos. 11. 10. *Asor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat. Percussitque omnes animas quæ ibi morabantur. Non dimisit in eis ullas reliquias, sed usque ad internecionem universa vastavit, ipsamque urbem combussit incendio, & omnes per circuitum civitates, regesque earum cepit*, & cetera. Jabin vero rex fuit Assur, Assur autem aula interpretatur, sicut supra jam ostensum est. Hæc est autem Assur, quæ omnium horum regnorum obtinere dicitur principatum: qui intelligitur princeps hujus mundi, regnans in aula, id est super terram, vel quod magis est, in vitiis carnis. Sed & omnium illorum regum, quorum vim secundum nominum suorum interpretationem jam ante exposuimus, & qui ab Jesu dicuntur interfecti. Quorum nos (si recte sub Jesu duce militamus) debemus in nobismetipsis abscidere vitia, & accepto spiritali gladio, subnervare omnem equitatum istum pessimorum vitiorum: sed & currus debemus incendere, id est, omnem a nobis arrogantiæ & elationis spiritum resecare, & ultra non in equis, neque in armis, sed in no- A mine Domini nostri Dei invocemus. Quomodo autem in nobismetipsis complebitur & hoc quod dicitur: *Non dimittatur ullus qui respiret?* videndum est qui sit, qui ne respirare quidem per præceptum Domini jubetur. Verbi causa, si ira ascenderit in cor meum, potest fieri, ut opera quidem iracundiæ non impleam, vel metu deterritus, vel etiam futuri judicii timore cohibitus; sed non, inquit, hoc sufficit: agendum tibi potius est, quatenus ne ipsa quidem commotio iracundiæ locum habeat intra te: si enim effervescit animus & conturbatur, etiamsi non compleverit opus, B ipsa tamen perturbatio indecens est ei qui sub Jesu militat duce. Similiter & de concupiscentiæ vitio, & de tristitiæ ceterisque omnium sentiendum est: de quibus cunctis ita agendum est discipulo Jesu, ut nihil horum omnino in ejus corde respiret; ne forte si parvi cujuslibet vitii aut consuetudo aut cogitatio relinquatur in corde, processu temporis convalescat, & paulatim vires latitando conquirat, atque ad ultimum revocet nos ad vomitum nostrum, & fiant hominis illius, cui hoc acciderit, novissima pejora prioribus.

C *Omnemque prædam istarum urbium ac jumenta diviserunt sibi filii Israel, cunctis hominibus interfectis*. Propter hoc nullo modo putanda est ista crudelitas, quo nullum vivum in civitatibus sibi traditis dimittebat Jesus, quia Dominus hoc jusserat. Qui autem existimabant hic Deum ipsum fuisse crudelem, & propter hoc veteris testamenti verum Deum fuisse auctorem nolunt credere; tam perversa de operibus Dei, quam de peccatis hominum judicant, nescientes quid quisque dignus sit, & magnum putantes malum cum casura dejiciuntur, mor- D talesque moriuntur. *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos suos ad petram*; Babylonis scilicet parvulos, qui nulli alii intelliguntur nisi cogitationes malæ, quæ cor nostrum confundunt & conturbant: hoc enim interpretatur Babylon. Quæ cogitationes cum parvulæ sunt, & initia habent, tenendæ sunt & allidendæ ad petram, quæ est Christus, & ipso jubente jugulandæ, ut nihil in nobis resideat quod respiret.

Jos. 11. 14.
Aug.
Adam.
Psal. 136. 9.

E *Sicut præceperat Dominus Moysi servo suo, ita præcepit Moyses Josue, & ille universa complevit: non præteriit de universis mandatis, ne unum quidem verbum, quod jusserat Dominus Moysi*, & cetera. Hic Moyses sermo ipse legis appellatur, sicut & in evangelio dicit: *Habent Moysen & prophetas, audiant illos*. Lex ergo præcepit nobis interficere omnes reges peccati, qui nos provocant ad peccatum: sicut fecit Jesus, & non est transgressus quicquam ex omnibus quæ constituit ei Moyses. Diximus quidem secundum priorem expositionis ordinem,

Jos. 11. 15.
Luc. 16. 29.

quia quæcumque lex Dei, quæ nunc Moyses appellatur, constituit, implet Jesus in nobis; & ipse est qui interimit in nobis vitia, & nequissima peccati regna subvertit. Potest tamen etiam de ipso Domino & Salvatore nostro dici, quia omnia quæ præcepit Moyses in lege, fecit Jesus, & non est transgressus quicquam. Quoniam quidem dicit Apostolus, *quia cum venisset plenitudo temporum, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Si ergo factus est sub lege, cum lege etiam omnia quæ lex mandabat, implevit, ut nos redimeret a maledicto legis. Sed & ipse de se dicit: *Non veni solvere legem, sed adimplere.*

Gal. 4. 4.

Matt. 5. 17.

CAPUT VI.

Jos. 11. 18.

Multo tempore pugnavit Josue contra reges istos. Non fuit civitas quæ se traderet filiis Israël, præter Hevæum qui habitabat in Gabaon; omnes bellando cepit. Septuaginta: *Et non erat civitas quæ non erat tradita filiis Israël.* Quæritur quomodo hoc verum sit, cum nec temporibus postea Judicum, nec temporibus Regum, omnes omnino illarum septem gentium civitates capere potuerint Hebræi. Sed aut sic intelligendum est, quod ad nullam civitatem bellando accessit Jesus quam non ceperit; aut certe nulla non capta est: sed earum, quæ in regionibus supra commemoratis fuerunt enumeratæ; sunt enim omnes regiones in quibus fuerunt civitates, de quibus facta est ista conclusio: *Et omnes cepit in bello.* Non dixit, quia accepit Jesus aliquos in bello, & aliquos non accepit; sed omnes accepit, id est omnes cepit, & omnes peremit. Omnes etenim species peccati expurgavit Dominus Jesus, omnesque destruxit. Cuncti namque eramus insensati, increduli, errantes, servientes desideriis variis, in malitia & invidia agentes, odibiles & odientes invicem, & omne illud quodcumque est peccati genus, quod invenitur in hominibus antequam credant. Bene ergo dicit quia omnes occidit Jesus qui exierunt ad bellum: nulla enim species peccati tanta est, quâ non sit superior Jesus qui est Verbum & sapientia Dei. Omnia enim superat & vincit. An non ita credimus, quia omne genus peccati cum ad salutare lavacrum venimus aufertur? Hoc enim & Apostolus designat, qui cum universa peccatorum genera dinumerasset, addit post omnia, & dicit: *Et hæc quidem aliquando fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini nostri* Jesu Christi. Hoc ergo modo omnes cepisse in prælio dicitur, & omnes peremisse.

AUG.

ADAM.

1. Cor. 6. 11.

Jos. 11. 20.

Domini enim sententia fuerat ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israël, & caderent, & non mererentur ullam clementiam, ac perirent; sicut præceperat Dominus Moïsi. Secundum Septuaginta vero ita legitur: *Quia per Dominum factum est, confortari cor eorum, ut obviam irent ad bellum ad Israël, & exterminarentur;* ita ut non dominaretur eis misericordia, sed ut exterminarentur. Sicut dixit Dominus ad Moïsen, ita dictum est hoc per Dominum factum; confortari cor, hoc est, obdurari cor eorum sicut de Pharaone: quod divino altoque judicio juste fieri minime dubitandum est, cum deserit Deus & possidet inimicus. Quod hic accipiendum est quemadmodum & ibi. Sed hic aliud movet, quomodo dictum sit, ad hoc eis confortatum esse cor, ut exsurgerent in bellum adversus Israël, & ob hoc eis non præberent misericordiam, quasi præbenda esset si non bellarent, cum Deus præceperit nulli eorum esse parcendum: & ob hoc Gabaonitis pepercerint, quia se de longinqua terra venisse fingentes, eorum jurationem tenuerant. Sed quoniam quibusdam ultro præbuerunt Israelitæ misericordiam, quamvis contra Dei mandatum; ad hoc dictum esse intelligendum est, istos ita bellasse ut non eis parceretur, nec ab eis ipsis Israelitæ neglecto Dei mandato ad misericordiam flecterentur; quod quidem duce Jesu, quia omnia diligenter divina præcepta servabat, non est credendum fieri potuisse. Verumtamen nec ipse istos tam cito delevisset, nisi conspiratissime contrairent, atque ita fieri posset, ut eis ab illo minime debellatis, qui Dei præcepta implere curabat, remansissent ad illud tempus quando eis possent parcere post mortem Jesu, qui non tanta cura Dei mandata faciebant. Nam & adhuc eodem vivente, quibusdam illi pepercerunt, tantummodo eos ditioni suæ subjungentes, quosdam vero nec vincere potuerunt. Verum hæc non illo duce facta sunt, sed cum jam senex vacaret a bello, tantummodo eis terras dividens, ut ipsi jam illo non bellante, divisas sibi terras partim jam hoste vacuas tenerent, partim pugnando caperent. Et quod vincere aliquos minime potuerunt, providentiæ divinæ fuisse opportunò scripturarum certis apparebit locis. Mystice autem per Dominum factum est, ut invalesceret cor eorum, & occurrerent in prælium contra Israël, ut exterminarentur. Dum enim non veniunt inimicæ virtutes quæ peccata operantur in nobis, nec provocant nos ad peccandum, nec lacessunt ad dimicandum, interfici non possunt, nec exterminari. Ideo ergo dicitur Deus permittere, immo & incitare propemodum adversarias virtutes, exire adversus nos in prælium, ut & nos victoriam capiamus, & illi interitum consequantur. Unde mihi videtur esse infinitus quidam numerus contrariarum virtutum, pro eo quod per singulos pene homines sunt spiritus aliqui, diversa in his peccatorum

AUG.

ADAM.

torum genera molientes; verbi causa, est aliquis fornicationis spiritus, est & iræ spiritus, alius est avaritiæ, alius vero superbiæ: & si evenerit esse aliquem hominem qui his omnibus malis agitetur, aut omnes hos spiritus, vel etiam plures in se habere inimicos putandus est: unde & per singulos plures esse credendi sunt spiritus, quia non singula singuli habent homines vitia, vel peccata committunt, sed plura ab unoquoque videntur admitti. Et iterum non est putandum quod unus fornicationis spiritus seducat eum qui (verbi causa) in Britanniis fornicatur, & illum qui in India, vel in aliis locis; neque unum esse iræ spiritum qui diversis in locis diversos homines agitet: sed puto magis principem quidem fornicationis unum esse, innumeros vero esse qui in hoc ei officio pareant, & per singulos quosque homines diversi spiritus sub eo principe militantes, ad hujuscemodi eos peccata sollicitent. Similiter & iracundiæ spiritum principem esse unum arbitror, innumeros vero esse sub ipso agentes, qui per singulos quosque homines hujuscemodi vitii peccata succendant. Similiter & avaritiæ unum esse principem, sicut & superbiæ, & ceterorum malorum. Et ideo non unus principatus esse dicitur in contrariis virtutibus ab
Eph. 6. 12. Apostolo, sed plures, adversum quos sibi pugnam esse & nobis omnibus scribit: & esse tamen omnium horum principem velut eminentiorem quemdam in nequitia, & in scelere celsiorem, qui totum mundum quem isti ad peccata singuli quique per peccatorum species pro parte sollicitent. Solus velut omnium principum dux, & totius nefandæ militiæ magister exagitet. Cujus figuram cum de Jabin discuteremus, pro parvo intelligentiæ nostræ captu, in superioribus patefecimus. Beatus ergo est qui indesinenter spiritalem machæram tenens, non aufert eam a cervicibus horum hostium de quibus superius memoravimus. Sicut
Jer. 48. 10. & Jeremias propheta dicit: *Maledictus homo qui facit opera Dei negligenter*, & aufert machæram suam a sanguine inimicorum. Hoc si secundum litteram intelligamus, necesse erit nos indesinenter sanguinem fundere: quod Judæi putantes, qui ex integro caro sunt & sanguis, crudeles & implacabiles fiunt, dicentes maledictionem impositam esse his qui a sanguine effundendo cessaverint: & ideo pedes eorum veloces sunt ad effundendum sanguinem. Sed illis hujuscemodi intelligentia, quia caro & sanguis sunt, videatur: mihi autem præstet Deus numquam negligenter opera Domini agere, nec auferre spiritalem gladium verbi Dei a sanguine contrariarum virtutum, & mortificare eas in unoquoque auditorum. Interficiuntur autem in nobis & ipsa dæmonum genera, si his auditis eorum

A opera non agamus. Dicitur autem in sequentibus, quia accepit Jesus omnem terram, sicut mandavit Dominus Moïsi.

CAPUT VII. Jos. 11. 23.

Cepit ergo Josue omnem terram sicut locutus est Dominus ad Moysen, & tradidit eam in possessionem filiis Israël secundum partes & tribus suas, quievitque terra a præliis suis: Ille Jesus filius Nave non video quod ceperit terram. Quantum enim terræ cepit qui Judæam tenuit solam? noster autem dominus JESUS, ipse cepit vere omnem terram in eo quod ex omni terra atque ex omnibus nationibus ad eum concurrit credentium multitudo. Additur etiam post hæc; postea quam omnem terram cepit Jesus, & *requievit*, inquit,
B *terra a præliis*. Hoc quomodo vere videbitur dici de filio Nave, quia cessavit terra a bellis, quæ numquam vere temporibus ejus cessavit a bellis? Sed hoc completur in solo Domino meo. Si enim consideres te, qui venisti ad JESUM, & per gratiam baptismi remissionem consecutus es peccatorum, etiam in te non pugnat caro adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, cessavit terra tua a bellis. Si CHRISTUM JESUM in corpore tuo circumferas, ita & cessantibus in te omni-
C bus præliis efficieris pacificus, & filius Dei vocaberis. Sed hoc fiet posteaquam bella transieris, & adversarios viceris, tunc tibi dabitur requies, ut requiescas sub vite tua, qui est Christus, & Spiritus-sanctus, ut ita gratias referas domino Patri omnipotenti in ipso Christo JESU domino nostro.

CAPUT VIII. Jos. 12. 7.

Hi sunt reges terræ quos percussit Josue, & filii Israël trans Jordanem ad occidentalem plagam, a Balgaath in campo Libani, usque ad montem, cujus pars ascendit in Seir: tradiditque eam Josue in possessionem tribubus Israël: singulis partes suas, tam in montanis, quam in planis atque campestribus. In Asedoth, & solitudine, & meridie, Hethæus fuit, & Amorrhæus,
D *Chananæus, & Pherezæus, Hevæus & Jebusæus*, & reliqua. Pugna Josue atque victoria ejus in alienigenis, significat pugnam ac victoriam domini nostri JESU CHRISTI, quam per sua membra, ipse caput ecclesiæ, quotidie facit ac perficit. Septem ergo gentes quas filii Israël pugnando vicerant, significant spiritales nequitias, contra quos populus Dei incessanter confligit; sicut earum nominibus bene expressum intelligi potest, interpretatur enim Hethæus formidans, sive stupens, Gergesæus colonum ejiciens,
E Amorrhæus amarus, Chananæus negotiator aut quasi movens vel erubescens, Pherezæus separans sive disseminans, Hevæus ferus sive pessimus vel lapides colligens, Jebusæus calcatus. Et quid in Hethæo nisi metus & stupor diaboli, qui terrere semper studens servos Christi exprimitur? Agit enim malignus ut præsentium rerum damna & persecutionum molestiæ militibus Christi terrori fiant; quatenus ad luxus

mundi & cupiditatem rerum præsentium facilius eos provocet atque seducat: Et quis in Gergesæo, nisi ille qui colonum paradisi per fraudem ejecit ostenditur? Quis vero in Amorrhæo, nisi ille qui totus amarus est & indignatione plenissimus designatur? Quid autem in Chananæo, nisi negociator iniquissimus, qui per avaritiam lites & jurgia movet, innuitur? Et quis per Pherezæum, nisi ille qui per zelum malum separat a Deo, & ducit ad infernum, atque inter unanimos disseminat discordiam, insinuatur? In Hevæo quoque nullus melius quam ille qui ferus, durus & pessimus ubique est, figuratur. Jebusæus quoque nomine suo proterviam diaboli significat, qui per superbiam propriam se exaltat, sed per humilitatem servorum Christi contemnitur, calcatur, atque opprimitur. Hujuscemodi ergo nequitias quamdiu in hoc mundo peregrinatur sancta ecclesia, semper contrarias habet, sed spe victoriæ contra eas pugnare numquam cessat. Unde Israël sub Josue trans Jordanem dimicans ad occidentalem plagam, a Baalgath in campo Libani usque ad montem, cujus pars ascendit in Seir, eos percutere describitur: quia plebs fidelium ubi congregatas contra se hostium turmas agnoverit, in planis & arduis, in prosperis & in adversis, ad victoriæ palmam venire semper satagit; Baalgath enim congregatio eorum intepretatur. Possidentque tribus Israël singulæ partes suas, tam in montanis, quam in planis atque campestribus, & Aseroth, & solitudine, cum sancti viri animas suas possidere per patientiam student, atque per arma justitiæ a dextris & sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, in eodem æquitatis statu permanere gaudent. Sed his breviter attactis, quid numerus civitatum quas filii Israël sub Josue præliando ceperint, typice designet, videamus. Triginta etenim ac duarum civitatum reges simul cum eo pugnando ceciderunt. Et quid per tricenarium numerum nisi sanctæ Trinitatis fides, cum observantia decalogi mandatorum designat? Et quid per binarium, nisi duo testamenta, & duo præcepta caritatis, in quibus tota lex pendet & prophetæ, demonstrantur? Belligerare ergo milites Christi sub ipso vero rege aliter non norunt, nisi per fidei virtutem, & observantiam mandatorum Dei, sicque laboris sui præmium percipere fideliter appetunt: quod in eodem numero adhuc designatum accipi potest: nam tricenarius & binarius numerus quater octonarium tenet: & possessio autem vera nonnisi octo beatitudinibus constat, quia adipiscitur ibi regnum cœlorum. Sed ad hoc nemo perveniet, nisi secundum magisterium quatuor evangeliorum, per quadrigam virtutum illuc ascen-

A dere festinet. Civitates ergo quarum reges ibi superati esse leguntur, triginta duæ fuerunt, Jericho quæ interpretatur luna, Ahi oculus vel fons, Jerusalem visio pacis, Ebron participatio tristitiæ sive fortitudinis, Jerimoth timens mortem, vel altitudinem mortis, Lachis iter, vel sibimet vir, Eglon vitulus mœroris vel festivitatis eorum, Gazer præcisio vel divisio, Dabir loquens aut rursum timens, Gader maceria & sepes, Erma anathema ejus, Areth consurrectio descensionis, Lempna candor sive lateres, Odollam testimonium eorum, Maceda exustio sive orientalis, Bethel domus Dei, Dafua malum ab arbore non a malitia, Afer
B fodit sive humus, Afecth continuit vel continentia, Saron princeps tristitiæ, Madon contradictio sive habitatio, Asor sagitta luminis, Semeron custos ejus vel nomen vidit, Achsaf medicamentum, Thanah respondens sive humilitas, Mageddo pomorum ejus sive cœnaculum ejus, Ledes sanctitudo, Jachaneæ possedit populum, Ermeli damnatio vel contendens, Dor generatio, Galgal vota vel revelatio, Thersa complacitio. Sed si ista nomina secundum suam interpretationem ad spiritalem intel-
C lectum vertimus, vitiorum ibi sine dubio destructionem, & virtutum provectum inveniemus. Oportet ergo militem Christi primum cognoscere fragilitatem & mutabilitatem suam, quod significat Jericho, quæ interpretatur luna: deinde oculos mentis extollere ut contempletur cœlestia, atque futura attendens, ad fontem, vitæ æternæ quem qui biberit non sitiet in æternum, quatenus pertingat ad visionem pacis, quod significat Jerusalem. Deinde considerare eum oportet mala quæ gessit, & habere in-
D de tristitiam salutarem, exercereque opera virtutum: sicut in Ebron nomine expressum est. Hincque timens mortem futuram, atque altitudinem mortis perpetuæ; quod Hierimuth sonat: per Lachis intellectu assumat virtutem, & pergat iter justitiæ, quod ducit ad vitam æternam. Inter hæc quoque compunctioni cordis operam det, dum cognoscit se in peregrinatione istius vitæ constitutum & ad festivitatem futuræ patriæ per Dei gratiam percipiendam toto nisu anhelet, quæ in Eglon vocabulo designata est. Per Gazer ergo significationem, præ-
E cidat carnis dilectationem, ac dissipet hostium malignam suggestionem. Loquatur recta, quod Abir suo vocabulo notat, timeatque futuram discussionem superni judicis, quia omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines super terram, reddent rationem de eo in die judicii; muniatque se fidei muro, sicut Gazer docet; & abdicet diabolo atque operibus ejus anathemate perpetuo, quod Erma ammonet. Sicque post descensum vitiorum, consurgat

in arcem virtutum, hoc enim Areth sua nuncupatione hortatur: & per Lemnæ & Odollæ nomina, testimoniis scripturarum institutus, candorem lucis intendat æternæ. Per Maceda quoque ortum lucis veræ induatur, & exurat hostium machinamenta atque consilia, ut in Bethel nostra, quod est sancta Dei ecclesia, perpetuo manere possit; ibique secundum Afer interpretationem, in carne sua laboret, ut secundum Dafuæ intellectum fructus percipiat vitæ sempiternæ. Habeat continentiam, confundat principem tristitiæ, hoc est, diabolum: contradicat ejus suasionibus, divino inlustratus lumine. Hæc quoque quatuor nomina civitatum, hoc est, Afech, Saron, Madon, & Asor, suis interpretationibus omnia ita docent. Omni diligentia custodiat cor suum, quod Semeron innuit: & in Achsaph nomine discat quærere medicamentum sacrarum scripturarum: atque per Thanah ammonitus, ubique servet humilitatem: agnoscatque nomine Mageddo fructum virtutum: & norit contemplationis appetere sublimitatem: sicque ad sanctitatem veraciter perveniet, quod designat Tedes, & plurimus adesse & prodesse poterit, ut Lakanæ sua appellatione demonstrat. Contemnit mortem quia damnavit vitia, sicut Ermeli figuraliter ostendit: & in Dor nuncupatione, generationis divinæ particeps existens quia pacifici filii Dei vocabuntur. Per Galgal rotam præsentis vitæ superna revelatione transcurrens, in Thersa nomine in fine jam cognoscit se complacere Altissimo, cum transfertur de incolatu istius mundi ad regnum cœleste, & ad visionem Dei perpetuam, juxta illud psalmistæ quod ait: *Placebo coram Domino in lumine viventium.* Et iterum. *Placebo Domino in regione vivorum.* Hæc ergo breviter adnotavi, non exposui; ut sciat lector quæ sublimitas est sapientiæ divinæ in scripturis sacris, & quod omnia quæ ibi reperiuntur ad ædificationem suam rite transferre potest, qui sanæ fidei oculo eam inspicere, diligenter meditari non neglexerit.

Psal. 55. 13. Psal. 114. 9.

Explicit liber secundus.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

CAP. I. Jos. 13. 1. ADAM.

Josue vero senex provectæque ætatis erat. Presbyteri vel seniores non eo appellantur, quod longævam duxerint vitam; sed pro maturitate sensus, & gravitate venerandæ vitæ hac appellatione decorantur; maxime cum additur ad presbyterum sermo iste qui sequitur: Plenus dierum. Si enim ævi prolixitate appellandus qui presbyter vel senior videtur, quem magis alium oportebat hoc nomine censeri, quam primum Adam, vel certe Mathusalam, aut Noe, qui utique pluribus quam ceteri annis in hoc mundo vixisse declarantur. Sed nunc videmus, quod quidem ex illis nullus refertur a scriptura presbyter vel senior appellari; sed is qui longe brevioris temporis vitam duxit, primus in scripturis sanctis Abraham presbyter vel senior appellatur. Dictum est etiam ad Moysen a Domino: Elige tibi ab omni populo presbyteros, quos tu ipse nosti, qui probi sunt. Sed observa etiam tu, ô auditor, in omni scriptura, sicubi invenire potes appellationem hanc, senior & plenus dierum, positam super aliquem peccatorem. Nunc ergo Sancti Spiritus vox est, pronunciantis Jesum presbyterum vel seniorem provectum in diebus: ita enim dixerat, inquit, Jesus presbyter vel senior, provectus dierum: quod utique de peccatore dici non poterat, quia peccator non est provectus dierum. Non enim se extendit in ea quæ inante sunt, oblivíscens ea quæ retro sunt; sed semper retro convertitur, & ad vomitum suum redit, & ideo non est aptus regno cœlorum. Qui autem semper ad priora extenditur, iste provectus est in diebus suis.

Gen. 24. 1. Exod. 3. 16.

Et dixit Dominus ad eum: Senuisti & longævus es, & terra latissima derelicta est, quæ necdum est sorte divisa, & cetera. Nescio ergo si in hoc loco illud potest videri; quia hoc dicebat Dominus ad Jesum pro ætate ejus senili, omnes videbant, omnes noverant. Et quæ sunt tam magna ista divina responsa, quæ homines differunt, ut dicant homini seni, quia senex es; quod omnes videbant, & omnes noverant. Sed mihi videtur magnum aliquod testimonium a Domino per hoc dari Nave filio, cum ei dicitur: *Quia provectus dierum es.* Et quantum quidem proloqui nobis, vel aperire divinis mysteriis fas est, ego arbitror, quod sicut sol iste diem facit mundo huic, ita & Sol justitiæ facit aliquos dies spiritales, qui fulgore veritatis & lampade sapientiæ inlustrentur. Si quis ergo in præceptis Dei vitam hanc præsentem, quæ sicut Jacob dicebat, *paucorum & malorum dierum est*, transegerit, & immaculatum se ab hoc mundo custodierit, atque omnes adversarios & hostes suos subegerit, spiritalis ab istis paucis & malis diebus provehitur, & promovetur ad illos dies æternos & bonos, æterni solis luce signatos. Talis ergo quodam ordine intelligendus est & Jesus, ex divinis responsis provectus dierum pronunciari. Verum quoniam instituimus quæ de Jesu dicuntur, etiam ad Dominum Salvatorem nostrum referri, quis ita presbyter & senior, provectus dierum intelligitur, sicut ipse qui est principium, primogenitus omnis creaturæ? Et ideo for-

Gen. 47. 9.

tasse ipse solus vere & integer presbyter dicitur, ante quem nemo est. Igitur etsi sunt qui dicuntur in scripturis presbyteri, vel seniores, vel pontifices; tamen Dominus Jesus in pontificibus pontificum princeps: & sicut in pastoribus princeps pastorum est, ita & in presbyteris vel senioribus princeps presbyterorum putandus est, & in episcopis princeps episcoporum. Et omne quodcumque honorabile nomen est, primũ in hoc & principem esse credentium & Salvatorem, quia ipse est omnium caput. Audi autem ad hæc responsum divinum quod dicit: *Tu provectus es in diebus, & terra relicta est multa valde.* In superioribus dicebantur, sicut observavimus, quia cessavit terra ab illis, & quia omnem terram Jesus cepit: & hic modo scriptum est, quia terra relicta est multa valde? Putasne contraria sibi contineant? hocne leviter suspicandum est? Sed redeamus ad intelligentiam spiritalem, & in ea nihil invenis esse contrarium. Intuere Domini & salvatoris nostri primum quidem adventum, cum venit seminare semen suum in orbem terræ, quomodo cepit omnem terram solo seminis jactu, & quomodo adversarias potestates ex ea, & angelos refugas qui gentilium mentes obsederant, effugavit: & interim seminavit verbum atque ecclesias propagavit. Hæc est prima ejus totius terræ possessio. Sequere autem (o auditor) per subtiles lineas verbi, & ostendam tibi quomodo etiam secundo cepit terram hanc, quæ nunc dicitur ab Jesu multa esse derelicta terra. Audi de ea dicentem Paulum: *Oportet eum regnare donec ponat omnes inimicos suos scabellum pedum suorum.* (Heb. 10. 13.) Hæc ergo est terra quæ nunc multa dicitur esse derelicta, donec omnes subdantur pedibus ejus, & per hæc in hereditate capiat universos. Et hæc est, inquit, terra quæ derelicta est; *Omnes fines Philistiim*, & alia quamplurima quæ sequuntur. Multa adhuc supersunt quantum ad nostra tempora spectat, quæ videmus nondum pedibus Jesu subjecta esse, quæ necesse est utique omnia obtinere. Neque enim finis esse poterit rerum, nisi prius fuerint cuncta subjecta. (Zach. 9. 10.) Sic enim & propheta dicit, quia omnes gentes servientes a finibus fluminum usque ad fines orbis terræ in conspectu ejus. Procedunt Æthiopes de trans ripas fluminum; Æthiopes offerent sacrificia; unde constat quod in secundo adventu hanc terram multam, quæ superest, obtinebit Jesus. Sed beati sunt illi qui primo ejus adventu obtenti sunt: ipsi enim vere in gratia erunt, qui multis adversariis resistentibus, & multis hostibus impugnantibus, bello & armis hereditatem terræ repromissionis accipiunt. Cum vero ex necessitate quis fuerit subjectus, tunc quando etiam novissimum inimicum destrui necesse est mortem, non erit jam in gratia his qui subjiciuntur.

Ad meridiem vero sunt Hevai, omnis terra Chanaan, & Maara Sidoniorum, usque Afeca & terminos Amorrhai, ejusque confinia. (Jos. 13. 4.) *Libani quoque regio contra Orientem a Baalgath sub monte Hermon, donec ingrediaris Emath. Omnium qui habitant in monte, a Libano usque ad aquas Miserephod, universique Sidonii. Ego sum qui delebo eos a facie filiorum Israël. Veniat ergo in partem hereditatis Israël, sicut præcepi tibi.* Cum enumeraverit plurimas gentes, de Sidoniis solis dixit: *Et omnes Sidonios ego exterminabo a facie filiorum Israël.* Nominati sunt & Chananæi, nominati sunt & hi qui sunt ex finibus Accaron & a sinistris partibus fluminum, & aliæ quamplurimæ gentes; & de solis Sidoniis dixit Dominus quod eos eversurus sit. Sidonii autem dicuntur (sicut jam diximus) venatores. Qui intelliguntur isti mali venatores quos Dominus exterminat, nisi illæ virtutes contrariæ, de quibus dicit propheta, quia *paraverunt laqueos sub pedibus meis:* (Psal. 56. 7.) quibus scilicet venentur & decipiant animas peccantium? Istos ergo exterminat Dominus. Cum isti tales interierint venatores, cum jam nemo fuerit qui laqueos tendat & retia, ut decipiat animas in peccato; tunc requiescet unusquisque sub vite sua & sub ficu sua.

CAP. II.

Et nunc divide terram in possessionem novem tribubus, & dimidiæ tribui Manasse; quia Ruben & Gad possederunt terram quam tradidit eis Moyses famulus Domini, trans Jordanem ad orientalem plagam, & cetera. (Jos. 13. 7.) Lectum est quia Moyses dederit hereditatem quibusdam: post hæc vero legitur, quia & Jesus secundum præceptum Domini distribuit hereditatem. Primus ergo Moyses distribuit hereditatem, secundus autem Jesus. Nunc Moysen legem intellige. Hi ergo qui secundum legem vixerunt, primi acceperunt hereditatem, sed ex terra repromissionis. Tunc deinde cum accepissent terram hereditatis: non enim possident, neque dividunt, sed exspectant, usquequo eis per Jesum distribuatur in sortem. Nonne hoc evidenter est quod Apostolus dicit, ad Hebræos scribens de prioribus patribus, quos dicit fide placuisse Deo? & addidit dicens: *Hi autem omnes testimonium habentes per fidem, nondum consecuti sunt repromissiones, Deo pro nobis aliquid melius providente, ut in ea sine nobis perfecti efficerentur.* (Heb. 11. 39.) Habent igitur repromissionem suam, & requieverunt, & digni judicati sunt per Moysen capere hereditatem: verumtamen adhuc & ipsi pugnant, in certamine sunt pro his qui sub Jesu militant. Sed & requiris qui sunt qui pugnent, & quæ est pugna ista quam illi gerunt? Ego sic arbitror, quod omnes illi qui dormierunt ante nos patres,

patres, pugnent nobiscum, & adjuvent nos orationibus suis. Ista namque etiam quemdam de senioribus magistris audivi dicentem in eo loco, in quo scriptum est in Numeris, quia ablinget synagoga illa hanc synagogam, sicut ablingit vitulus herbam viridem de campo: dicebat enim: Quare hujusmodi similitudo sumta est, nisi quia hoc intelligendum est in loco, quod synagoga Domini quæ nos præcessit, in sanctis oret, & in lingua consumet adversarias synagogas, id est, orationibus & precibus adversarios nostros absumet? Non ergo in armis pugnandum est nobis adversus hostes nostros invisibiles, sed orationibus & verbis Domini, meditationibus, & operibus ac sensibus rectis: sic enim armabantur & patres, fide & operibus vincentes: sic umbræ & exemplaria deserviunt cœlestium hi qui legem suscipiunt, quæ est illius veræ legis umbra; ita & exemplar & umbra consequenter sunt divisionis cœlestis hi qui in Judæa hereditatem dividunt terræ. Erat ergo in cœlis veritas, umbra vero & exemplar veritatis in terris: & donec umbra hæc constabat in terris, erat Jerusalem terrestris, erat templum, erat altare, & erat visibilis cultus, erant pontifices & sacerdotes, constabant etiam civitates & vici Judæ, & omnia hæc quæ nunc in libro hoc descripta esse recitantur. Cum vero in adventu Salvatoris Dei nostri de cœlis descendentis, veritas de terra orta est, & justitia de cœlo prospexit, umbræ & exemplaria ceciderunt; cecidit enim Jerusalem, cecidit templum, altare sublatum est, ut neque in monte Garizim, neque in Jerusalem sit locus ubi oportet adorare; sed veri adoratores qui adorant Patrem, in spiritu & veritate adorent. Sic ergo præsente veritate typus & umbra cessavit; & cum adesset templum illud, quod per spiritum Dei & virtutem Altissimi in utero Virginis fabricatum est, dirutum est templum ex lapidibus fabricatum: aderat pontifex futurorum bonorum, cessaverunt pontifices taurorum & hircorum: venit Agnus Dei qui tollit peccata mundi, destitit agnus ex pecudibus adsumtus, & nequicquam atque inaniter tot sæculis jugulatus. Refertur autem prima & secunda hereditatis facta divisio: prima quidem per Moysen; secunda vero, quæ & potentior est, per Jesum facta describitur: & Moyses trans Jordanem tribui Ruben, & tribui Gad, & dimidiæ tribui Manasse possessionem decernit; ceteri vero omnes per Jesum suscipiunt hereditatem. Diximus jam prius quomodo per legem placuerunt Deo, præcedentes tempore eos, qui per fidem Jesu ad promissa perveniunt, nondum ea quæ perfecta sunt consequuntur: exspectantes eos qui posteriores, diverso quidem

A tempore, sed una fide placebunt, sicut Apostolus dixit; utinam sine nobis perfectionem consequerentur. *1. Cor. 4. 8.*

Tribui autem Levi non dedit possessionem; sed sacrificia & victima Domini Dei Israël, ipsa est ejus hereditas, sicut locutus est illi, &c. *Jos. 13. 33.* Levitis neque Moïses dedit hereditatem, neque Jesus. Quare quid aliud sentiendum est, nisi quod sunt in ecclesia Domini quidam, qui virtute animi & meritorum gratia ceteros homines præcedunt, quibus ipse Dominus esse hereditas dicitur. Et si fas est audire in talibus, & arcani reconditi aliquid

B aperire, videamus ne forte illud sit quod sacerdotum & levitarum figuram latenter ostendit, quia in omni populo, eorum dico qui salvantur, major sine dubio pars est & longe numerosior eorum, qui simpliciter credentes, in timore Dei per opera bona, per honestos mores, & actus probabiles Domino placent; pauci vero sunt & valde rari, qui sapientiæ operam dantes, & mentem suam puram mundamque servantes, atque in omnibus præclaris virtutibus suas animas excolentes, ceteris simplicioribus

C per doctrinæ gratiam inluminant iter quo gradiuntur, & veniunt ad salutem. Hi fortassis sub levitarum & sacerdotum nomine designantur, quorum hereditas ipse Dominus est, qui est sapientia, quam præ ceteris omnibus dilexisse perhibentur. Invenio tamen aliquam differenriam in his quæ Moïses distribuit, & in his quæ Jesus. Moïses namque duabus & semis tribubus terram distribuens ultra Jordanem, non dedit levitis habitaculi portionem quæ eos contingebat. Jesus autem dedit non solum his tribubus quas ipse dispensat, verum etiam

D illis quæ a Moïse trans Jordanem fuerant conlocatæ. Habitacula etenim levitis in singulis tribubus decernuntur, ut & permulto magnificentius mysterium nosceremus. Iste enim ordo leviticus & sacerdotalis, qui Dei sapientiæ & scientiæ operam impendit, non potuit a Moïse sortem habitationis accipere, quia non erat Moïses veritatis, sed umbræ exemplaris minister. Jesus vero Dominus noster, qui erat sapientia Dei, ipse habitacula sapientibus præbet. Non enim potuit dicere Moïses,

E *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis: & Veni, sequere me.* *Matt. 19. 21.* Hoc est enim partem dare levitis. Nec potuit dicere Moïses, quia *qui non renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* *Luc. 14. 33.* Non enim potuit dicere Moyses: *Omnis enim qui non oderit patrem vel matrem, & fratres & sorores & filios, & insuper etiam animam suam, non potest esse meus discipulus.* *Ibid. 26.* Hoc Moïses facere non potuit: idcirco habitacula sacerdotum vel levitarum dispensare non potuit. Beatus ergo est qui se exhibet talem, & in istis omni-

bus quæ præcipit JESUS, invenitur esse perfectus, ut ab JESU sortem cœlestis mansionis accipiat in futuro: de quo ipse Dominus ait: *Pater, volo ut ubi ego sum, & isti sint mecum.* Et *Sicut ego in te, & tu in me unum sumus, & isti in nobis unum sint.* Quod si audiens perfectorum & eminentiorum hereditatem Dominum dici, ignoras & ambigis quid illud sit, quod sub hoc nomine designatur, audi quia Dominus sapientia est. Cui ergo dicitur hereditas esse Dominus, iste hereditatem sapientiæ capit. Dominus justitia dicitur. Cui ergo Dominus hereditas est, iste hereditatem justitiæ consequitur. Dominus pax est, Dominus redemtio est, Dominus salus est, & in Domino sunt thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: hæc omnia in hereditatem percipiet cujus hereditas Dominus fuerit. Verumtamen & isti quibus sapientia Dei, & Verbum Dei, & veritas & justitia esse hereditas dicitur, habitationem interim cum illis accipiunt, quorum hereditas habetur in terris, ut ex ipsorum consortio hi qui per semetipsos nondum valent, participes efficiantur sapientiæ & scientiæ Dei, & veritas ejus ac verbi, & ita etiam ad minimos quosque dispensatio divina pertendit, ut qui principaliter non possunt divinæ gratiæ capaces existere, inluminari ex sanctorum consortio mereantur, & compleatur illud quod Apostolus dicit ad Corinthios de sanctis Jerosolymitis, *ut nostra quidem abundantia fiat ad illorum inopiam*, ut & illorum abundantia fiat ad vestram inopiam. Ita ergo & nunc cohabitare jubentur levitæ & sacerdotes, qui non habent terram, ut percipiat ab Israëlita sacerdos & levita terrena quæ non habent, & rursum Israëlita percipiat a sacerdote & levita cœlestia & divina quæ non habet. Lex enim Dei sacerdotibus commissa est & levitis, ut huic soli operam tribuant, & verbo Dei absque ulla sollicitudine vacent. Sed iterum ut vacare possint, laïcorum uti ministeriis debent: si enim laïcus ea quæ necessaria sunt non præbuerit sacerdotibus & levitis, occupati illi in talibus, id est, in corporalibus curis, minus legi Dei vacabunt. Illis autem non vacantibus, neque operam dantibus legi Dei, tu periclitabis: obscurabitur enim lux scientiæ quæ in illis est, te non ministrante oleum lucernæ: & culpa tua illud eveniet, quod dixit Dominus, quia *cæcus cæco ducatum præbens, ambo in foveam cadent.* Sed & illud complebitur quod Dominus dixit: *Si enim lux quæ est in te, tenebræ sunt, tenebræ ipsæ quanta sunt?* Ut ergo lux scientiæ in sacerdotibus fulgeat, lucerna eorum sit semper accensa: tu imple officium, tu comple mandatum Dei erga obsequia sacerdotum. Quod si forte susceptis a te quæ necessaria sunt, & sic non quasi

Joh. 17. 24. Ibid. 21. 2. Cor. 8. 14. Matt. 15. 14. Matt. 6. 23.

A avaritiam, sed quasi benedictionem, illi neglexerint eruditioni operam dare, & verbo Dei vacare, & in lege Dei meditari die ac nocte, ipsi videbunt quomodo pro animabus vestris reddant Domino rationem.

CAP. III. Jos. 14. 1.

Hoc est quod possederunt filii Israël in terra Chanaan, quam dederunt eis Eleazar sacerdos, & Josue filius Nun, & principes familiarum, per tribus Israël sorte omnia dividentes, sicut præceperat Dominus in manu Moysi novem tribubus, & dimidiæ tribui. Duabus enim tribubus & dimidiæ dederat Moyses trans Jordanem possessionem: absque levitis, qui nihil acceperunt inter fratres suos, sed in eorum successerant locum, &c. B Discamus ex lege quam necessarie scripta sit terræ divisio, quæ primo tempore per Moysen, secundo per Jesum facta est: non ut utraque servemus, sed ut rationem utriusque dicentes, illam solam teneamus, quæ ab Jesu nobis Domino nostro traditur. Igitur illam terram quæ trans Jordanem Moyses distribuit; hanc his quæ est in terra sancta, & terra bona distribuit Jesus princeps tribuum Israël. Vides ergo quia cum ab eo ceperit vera illa hereditas terræ sanctæ, id est, a Salvatore distribui, adsumentur etiam principes veri & C spiritales Israël. Quos autem putamus esse principes tribuum nostrarum, vel ecclesiæ principes, nisi sanctos apostolos, ad quos dicit Salvator, *quia sedebitis & vos super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israël.* Adsumitur tamen ad divisionem etiam sacerdos, qui est arcanus & mysticus sermo Dei: sic enim dicit, quia *cum venerit Jesus, & Eleazar simul ad dividendam terram.* Et videamus quis est qui primus accepit hereditatem ab Jesu. *Caleb*, inquit, *filius Jeffone.* Hic enim petiit, & accepit primus ceteris, quibusdam rationibus & verbis quæ descripta sunt: quæ verba etiam nos D possunt instruere ad salutem. Et primus omnium Caleb interpretari dicitur, quasi cor. Quis ergo quasi cor, nisi is qui in omnibus intellectui operam tribuit? Quia non aliud aliquod membrum corporis ecclesiæ esse dicitur, nisi illud quod est nobis præclarius cor, id est, qui omnia cum ratione & providentia gerit, & ita cuncta dispensat, quasi non sit aliud nisi cor. Interpretatur autem & Jeffone pater ejus, conversio. Hic ergo Caleb filius est conversionis. Qui nisi is qui ad Dominum conversus talem ex se E fructum proferet, & cor filium generarit. Est ergo omnis qui divinis sensibus vacat, & prudenter cuncta ac rationabiliter agit, Caleb. Hic primo quidem eruditus a Moyse, secundo vero a Jesu cui adsistebat, dicens; *Tu nosti verbum quod locutus est Dominus ad Moysen hominem Dei*: Tu scis verbum quod locutus est. Quis enim alius potest nosse verbum quod locutus est Dominus ad Moysen, nisi solus Jesus? Nemo sic in-

Matt. 19. 28.

tellexit legem sicut docuit Jesus: ipse enim omnia docuit & aperuit, ipse revelavit Paulo, *quia lex spiritalis est*. Rom. 7. 14.

CAP. IV. Jos. 14. 6. *Locutusque est ad eum Caleb filius Jeffone, Cenezæus; nosti quod locutus sit Dominus ad Moysen hominem Dei, de me & te in Cadesbarne. Quadraginta annorum eram quando me misit Moyses famulus domini de Cadesbarne, ut considerarem terram: nunciavique ei quod verum videbatur mihi. Fratres autem mei qui ascenderant mecum, dissolverunt cor populi: & nihilominus ego secutus sum dominum Deum meum. Juravitque Moyses in die illo, dicens: terram quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in perpetuum*, & reliqua. De me, inquit, & de te locutus est Moyses: de te quidem, hoc est quod dixit Dominus quia *si crederetis Moysi, crederetis utique & mihi, de me enim ille scripsit*: de me vero quid dixit, hoc est de Caleb, qui cor est? Certum est quia de corde scripsit Moyses, qui omnia prudenter sapienterque conscripsit. Ait ergo; hodie valeo sicut valebam. Tunc sanctus quippe similiter valet in præsentibus, & in præteritis, & in novissimis, & in veteribus, & in evangeliis, & in lege. Hoc est ergo quod dicit valere se hodie sub Jesu, sicut tunc sub Moyse; quia in utriusque testamenti mysteriis cor vigilans valet. Sed videamus etiam petitionem ejus quam poscit ab Jesu Caleb filius Jeffone. *Peto te*, inquit, *montem hunc*: sicut dicit Dominus, In die illa. Nihil humile vel dejectum sanctus requirit, nihil quod in demersis convallibus jacet, sed montem quærit excelsum, & montem in quo civitates magnæ & munitæ. Et ex hoc hæc poscebat, quia noverat belligerare, sicut scriptum est; *Civitates munitas occupabit sapiens, & destruet munitionem in qua confidebant impii*. Putas cum hæc diceret Salomon hoc nos volebat docere, quia sapiens caperet civitates, & munitiones destrueret ex lapidibus constructis? An illud potius indicat quod civitates & muri sunt impiorum dogmata, & syllogismi philosophorum, quibus adstruunt impia quæque & divinæ legis contraria, quæ apud paganos vel barbaros observantur? Sed illa his deputanda sunt, & civitates munitas esse atque in montibus conlocatas, quæ hæretici assertionibus velut in altis montibus conlocant. Istas ergo civitates sapiens quisque verbum veritatis prædicans destruit, & urbes mendaces veritatis ariete subvertit: Sicut & Paulus dicebat, *cogitationes destruentes, & omnem altitudinem qua extollit se adversum scientiam Dei*, ita etiam nunc sapientissimus hic Caleb adsistit ante Jesum, & promittit se valere ad bellum, & promtum esse ad prælium. Et ideo deposcit permitti sibi vel dispensari facultatem, ut congrediatur cum dialecticis sæculi, cum his qui pro veris

Joh. 5. 46. — Jos. 14. 12. — Prov. 21. 22. — 2. Cor. 10. 5.

A falsa confirmant; ut eos confutet, & superet, & subvertat omnia quæ illi falsis assertionibus construxerunt. Ideo denique videns alacritatem ejus Jesus, benedixit, inquit, eum: scilicet quod talia deposcat & audiat. Sed & tu si vis dare operam studiis, & legem prudenter meditari, & effici cor in lege Dei, potes istas magnificas & munitas urbes, id est, assertiones subvertere falsitatis, ut & tu, merearis benedici ab Jesu, & accipere Hebron. Interpretatur autem Hebron, conjunctio vel conjugium: per quod potest fortasse illud ostendi, quod B spelunca duplex comparata ab Abraham patriarcha, in ea est in qua conjugia patrum & reliquiæ eorum jacent; id est, Abraham cum Sara, Isaac cum Rebecca, Jacob cum Lia. Meruit ergo Caleb patrum reliquias in hereditatem suscipere, sine dubio quia per sapientiam quæ in eo erat qui vigebat, & sub Moyse & sub Jesu intellexerat conjunctionis ipsius rationem: & prospexerat quid esset causæ, quod cum Abraham sola Sara jaceret, ubi neque Agar, neque Cethura ei meruisset adjungi: vel quid esset causæ quod cum Jacob sola Lia jacere videretur, & neque Rachel quæ amplius fuerat C dilecta, neque aliqua ex concubinis, in sepulcro ei fuerat copulata. Ipse ergo in memoriis patrum hereditatem capit, prudens & sapiens Caleb, ipsi Jesus Enachitarum gentium metropolim tribuit Hebron, & efficitur ei sors usque in hodiernum diem. Nomen Hebron antea vocabatur Cariatharbe: Adam maximus ibi in terra Enachim situs est: & terra cessavit a præliis. Cariatharbe ergo civitas, quatuor interpretatur: & licet corrupte in Græcis codicibus Arboe scribatur, tamen in Hebræis legitur Arbe, id est, quatuor: ex eo quod Jos. 14. 15.
D ibi tres patriarchæ, Abraham, Isaac, & Jacob sepulti sunt, & Adam magnus, sicut in hoc libro, hoc est, in Jesu Nave scriptum est; licet eum quidam conditum in loco Calvariæ suspicentur. Hæc autem eadem Chebron olim metropolis Philistinorum, & habitaculum gigantum, regnumque postea David in tribu Juda civitas sacerdotalis, & fugitivorum, distat ad meridianam plagam ab Elia milliaribus circiter viginti duobus: & quercus Abraham quæ & Mambre, usque ad Constantii regis imperium E monstrabatur, & mausoleum ejus in præsentiarum cernitur. Cumque a nostris ibidem ecclesia jam exstructa sit in circuitu, a cunctis gentibus, Terebinthi locus superstitiose colitur, eo quod sub ea Abraham angelos quondam hospitio susceperit. Hæc ergo primum Arbe, postea a Chebron, uno filiorum Caleb, sortita vocabulum est. Lege Verba dierum.

CAP. V. Jos. 15. 1. *Igitur sors filiorum Juda per cognationes suas ista fuit. A termino Edom desertum Sin con-*

tra meridiem, & usque ad extremam partem australis plagæ, &c. Consuetudo est scripturæ, quatuor adeo partes orbis terræ, quas agrum & plagas nominant, appellare: & in distributione finium tribus Judæ, duæ tantummodo nominantur, & duæ reticentur. Hinc enim scriptum est; & facti sunt fines tribus filiorum Juda secundum plebes eorum, a finibus Idumææ, a deserto Sina ad occidentem: & cum descripti essent fines ad occidentem, tum deinde & ab oriente; omne, inquit, mare salsum. Et alias duas partes reticuit, id est, septentrionis vel meridiani. Vide ergo, si non repleta sunt mysteriis, licet singula vel sentire vel explicare nequeamus. Tamen prout Dominus præbere dignatur, & nos capere valemus, discutere singula quæque tentabimus. Facti sunt, inquit, fines Juda secundum plebes eorum, a finibus Idumææ, a deserto Sina, ad occidentem. Igitur fines Judæ proximi sunt finibus Idumææ. Idumæa vero (sicut jam diximus sepe) interpretatur, terrena. Post terrena ergo statim consequuntur fines Judæ, sed a deserto, inquit, Sina: interpretatur autem Sina, tentationes. Post tentationes ergo consequuntur fines hereditatis Judæ. Occidens & oriens nominantur, & vicina loca ea qua supra diximus immo confinia; sed & vallis Ægypti vicina occidentalibus partibus designatur, quæ est a deserto ad occidentem: ab oriente vero cinguntur fines mari salso. Post hoc a collibus, inquit, quæ tenduntur ad occidentem: & inde ascenditur ab occidente usque Barne: & sic pertenditur ad occidentem Cades. Et hi sunt fines eorum ab Africo: & inde perrexit usque ad vallem Ægypti. Vides quomodo in occidentis partibus, & Affricum, & Ægyptum nominat, & occasum? sine dubio, ut hæc omnia sciat unusquisque evadenda esse & transeunda, ut ita demum possit ad tribum regiam pervenire, de qua dicit Apostolus; certum est quod de Juda ortus est dominus noster JESUS CHRISTUS. A finibus est Idumææ desertum Sina. Paulo ante diximus de deserto Sina, quod tentationes significat; & ideo necesse est nos transire eremum tentationum, ut sic possimus pervenire in hereditatem filiorum Juda; sed ascendere nos oportet ad ascensum collium Acrabin, quod interpretatur, scorpionis. Transeundi nobis sunt & calcandi scorpiones illi sine dubio, de quibus Salvator dicit: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones*. Qui ergo vult & desiderat ingredi hereditatem tribus Juda, oportet eum ascendere in ascensiones istas, & calcare atque evadere scorpiones qui obsistunt: unde arbitror quod istud iter agendi sunt, quia Ezechieli prophetæ dicebat Dominus: *Fili hominis, in medio scorpionum tu ambulas*. Et sunt, inquit, fines usque ad Cades. Cades interpretatur, sanctum, vel sanctificatio. Fines ergo Judæ usque ad sanctificationem perveniunt. Sed videamus etiam quæ sunt fines ex partibus orientis, non quod nunc locorum catalogum facere velimus, sed ut mysteriorum quæ per hæc significantur, contueamur imagines. Dicitur ergo, ab oriente fines Judæ esse mare salsum; & post hoc in parte ejus nominatur fons solis, & civitas, & in hac eadem tribu esse etiam civitas litterarum. Oportet igitur omnem qui vult introire in partem filiorum Juda, transire prius mare salsum, & vitæ scilicet & mundi hujus turbines superare, & evadere omnia, quæ in hoc mundo pro incerto usu & lubrico, marinis fluctibus comparantur, ut possit ad Judæ terram pervenire, & fontem solis accedere. Quis est autem fons solis, vel civitas solis? Illius sine dubio, de quo scriptum est; *Vobis autem timentibus nomen meum, orietur sol justitiæ*. Hujus ergo solis, si prius evaseris mare salum, fontem invenies in terra Judæ. Quem fontem? Illum profecto de quo dicebat Jesus; *Qui biberit de aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Hujus igitur solis cum talem qualem diximus inveneris fontem, invenies etiam civitatem ejus. Est enim, inquit, ibi & civitas solis. dicitur esse in Ægypto civitas solis; sed ista civitas solis quæ in Ægypto est, hujus solis nomen accepit, quem pater cœlestis oriri jubet super bonos & malos: illa vero civitas quæ in Judæa est, sanctorum tantummodo efficitur, quia civitas Dei est: & fons ille, de quo superius diximus, fluvius effectus lætificat civitatem Dei. Sed & tu si ex omni parte munitus sis, & continentiæ muro circumdatus, si patientiæ & magnanimitatis turribus circumdatus es, etiam tu efficeris civitas Dei: si vero ad hæc omnia adjiceris tibi lumen scientiæ, sicut Isaïas (*inluminate vobis lumen scientiæ*); & sol in te justitiæ radiaverit, efficeris etiam & tu civitas solis, vel civitatem, solis forte hereditatis accipies: sed & si te tradideris legi Dei, ut in ipsa mediteris die ac nocte, & non recedat liber legis de manu tua, sicut dicitur ad Jesum: & si memor sis præcepti Salvatoris, in quo dicit; *sicut animi scripturas*: si ergo talibus studiis te mancipaveris, & eruditionem divinæ legis vel legendo vel audiendo obtinueris, tuæ portionis efficitur civitas litterarum. Et hæc quidem nos pro possibilitate sensus nostri, vel etiam pro auditus vestri capacitate discussimus: summa vera scientia, & profundior horum intelligentia apud illos erit, qui veram hereditatem veri & unigeniti filii Dei, quæ repromissa est his qui eum perfecte dilexerint, consequi merebuntur.

Caleb vero filio Jeffone dedit partem in medio

AUG. — Heb. 7. 14. — Luc. 10. 19. — Ezech. 2. 6. — Malac. 4. 2. — Johan. 4. 14. — Isa. 50. 11. — Joan. 5. 39. — Jos. 15. 13.

dio filiorum Juda, sicut præceperat ei Dominus, Chariath Arbe, patris Enach: ipsa est Ebron: delevitque ex ea Caleb tres filios Enach, Sesai & Eman, & Tholmai de stirpe Enach: atque inde conscendens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Chariath Sepher, id est civitas litterarum. Primo ergo discutiamus quare metropolim accepit Caleb, & illam quæ prima inter ceteras omnes in terra repromissionis metropolis nominatur. Et metropolis Enach interpretatur, humilitas inanis, vel responsio inanis. Accepit ergo Caleb metropolim humilitatis inanis: duas esse humilitates certum est; unam laudabilem, de qua dicit Salvator: *Discite a me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris*: & de hac humilitate dictum est: *quia omnis qui se humiliaverit, exaltabitur.* Et iterum: *Humiliamini sub potentissima manu Domini.* Est enim & alia humilitas culpabilis peccatorum, sicut illa quam de inlicito concubitu dicit scriptura, quod de Amon scriptum est, quia humiliavit Thamar sororem suam. Est ergo humilitas inanis. Cepit metropolim, vel excidit Caleb, & interemit tres filios Enach, qui erant filii inanis humilitatis. Illis interfectis ipse habuit civitatem, & fecit quæ in consequentibus scripta sunt. Qui autem sunt filii inanis humilitatis, quos exterminavit Caleb? Primus Susi, qui interpretatur extra me, hoc est, extra sanctum, filius inanis humilitatis quem exterminavit Caleb, immo extra Dominum est. Et alius Ahiman, qui interpretatur, frater meus extra consilium, & frater sine consilio: omnes enim fratres qui de humilitate inani nascuntur, certum est quia extra consilium sunt. Tertius Tholmai, quod interpretatur, præcipitium vel suspensio: quod designat, nihil in eo stabilitatis, sed vaga omnia & in præceps ruentia. Istos ergo tres filios Enach exterminavit & interfecit Caleb, & post istos ascendit etiam in Dabir. Nomen erat Dabir prius civitas litterarum. Dabir interpretatur loquela: sed nomen Dabir erat prius civitas litterarum. Ita civitatem litterarum intelligo omne veteris instrumenti testamentum, & hanc ipsam quam nunc differere conamur scripturam intelligamus esse civitatem litterarum: quæ postmodum efficitur Dabir, quod est loquela: hæc est enim quæ prius in litteris erat, & secundum litteram intelligebatur. Modo in ecclesiis, revelante Domino, loquela effecta est, loquentibus de ea & disserentibus primo apostolis, & removentibus de ea spiritalem loquelam. Sed & singuli quoque doctores ecclesiarum litteram legis, loquelam & disputationem suam illam evangelicam fecerunt. Qui sunt autem tres filii Enach, quos Caleb, in cujus persona virtutem legis descri-

Matt. 11. 29. Luc. 14. 11. 1. Pet. 5. 6. 2. Reg. 13. 14.

psimus, interimit? Inanis humilitas accipienda est illa, quam omnes sæculi poëtæ vel philosophi divinitatem senserunt, quia & humilia & Deo indigna sunt quæ senserunt. Quid est tam humile inaniter, quam ligna & lapides deos vel astruere vel putare. Hujus ergo inanis humilitatis primus filius est qui dicitur, extra me, hoc est, primus sensus eorum & extra veritatem, & extra Dominum est. Secundus vero Ahiman, id est, frater sine consilio, certum est quia & iste frater fit illius erroris qui sine consilio agitur. Quid enim tam sine consilio, quam relinquere Dominum, qui nos fecit esse, & sequi deos quos fecimus? Tertius erroris sensus est Tholmai, quod est præcipitium vel suspensio: novissima namque hujus erroris ostenduntur in præcipitium & profundum inferni. Hos ergo gentilitatis sensus tamquam filios Enach vetusti erroris abscidit lex, quæ etiam secundum litteram Dominum verum & creatorem omnium prædicat.

CAP. VI. Jos. 15. 16.

Dixitque Caleb: Qui percusserit Cariath Sepher & ceperit eam, dabo illi Axam filiam meam uxorem. Cepitque eam Othoniel filius Cenez, frater Caleb junior: deditque ei Axam filiam suam uxorem. Qui cum pergerent simul, suasit vir ejus ut peteret a patre suo agrum. Suspiravitque ut sedebat in asino. Cui Caleb, quid habes, inquit? At illa respondit: Da mihi benedictionem: terram australem & arentem dedisti mihi, junge & inriguam. Dedit itaque ei Caleb inriguam superius & inferius, &c. Othoniel autem interpretatur, responsio Dei. Responsio Dei dici potest is cui respondet Dominus, hoc est, cui revelat secreta, & pandit arcana. Iste ergo est qui potest accipere civitatem litterarum veteris instrumenti, & excidere litteram occidentem, frater Caleb junior. Ego autem sum frater Caleb de ecclesia junior, qui excisa ac diruta legis littera, sensum in ea spiritalem requiro. Excido autem litteram, cum jam non secundum litteram azyma manduco, neque pascha cum Judæis observo, neque sabbatum secundum litteram curo. Promissum namque est mihi, quia si excidero civitatem litterarum, accepturus sim filiam fratris mei majoris. Eram namque prius filius Cenez, qui interpretatur spretio. Quis enim erat ita spretus, sicut nos gentes, alienati a conversatione Israël, spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo eramus? Nam prior ille frater meus, cujus nunc filiam accipio, pro eo quod excidi civitatem litterarum, ille filius Jeffone fuit, qui interpretatur conversio. Dat mihi ergo filiam suam, scientiam sive intelligentiam mihi juniori fratri dat lex, secundum quod scriptum est: *Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus.* Sciendum tamen est aliud esse legem,

Matt. 21. 43

cui nunc personam dedimus Caleb, aliud literam veteris testamenti, quam civitatem figuraliter diximus litterarum. Accepta ergo littera filia ejus, ego frater ejus junior abduco eam de domo patris sui: quæ cum veniret mecum sedens super asinum, illum sine dubio quem solverant discipuli Salvatoris, dicit ad patrem suum: Da mihi benedictionem pater; & accepit Gonethlam inferiorem, & Gonethlam superiorem: quod evidentius jam Apostolus dicit: *Pollicitationem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* (1. Tim. 4. 8.) Et Salvator promittit, ut hi qui verbi sui perfectionem sequuntur, accipiant centuplum in hoc sæculo, & vitam æternam in futuro. Hoc est ergo accepisse in benedictione Gonethlam inferiorem, & Gonethlam superiorem; quam benedictionem oremus ut & nos consequi mereamur. Juxta tropologiam vero, Axa super asinum sedet, (GREG.) cum inrationabilibus carnis suæ motibus anima præsidet, quæ suspirans a patre terram inriguam petit, quia a creatore nostro cum magno gemitu quærenda est lacrymarum gratia. Sunt namque nonnulli qui jam in dono perceperunt libere pro justitia loqui, oppressos tueri, indigentibus possessa tribuere, ardorem fidei habere: sed adhuc gratiam lacrymarum non habent. Hi nimirum terram australem & arentem habent; sed & adhuc inrigua indigent: quia in bonis operibus positi quibus magni atque ferventes sunt, oportet nimirum ut aut timore supplicii, aut amore regni cœlestis, mala etiam quæ ante perpetraverunt deplorent. Et licet in multis speciebus compunctio dividatur, quando singulæ quæque a pœnitentibus culpæ planguntur; unde ex voce quoque pœnitentium Jeremias ait: *Divisiones aquarum deduxit oculus meus*; (Thren. 3. 48.) principaliter tamen compunctionum genera duo sunt: quia Deum sitiens anima, prius timore compungitur, post amore. Prius enim sese in lacrymis afficit, quia dum malorum suorum recolit, pro his perpeti supplicia æterna pertimescit. At vero cum longa mœroris anxietudine fuerit formido consumta, quædam jam de præsumtione veniæ securitas nascitur, & in amore cœlestium gaudiorum animus inflammatur: & qui prius flebat ne duceretur ad supplicium, postmodum flere amarissime incipit quia differtur a regno. Contemplatur etenim mens qui sunt illi chori angelorum, quæ societas sanctorum, spirituumque majestas internæ visionis Dei: & amplius plangit quia bonis perennibus deest, quam prius cum mala æterna metuebat: sicque fit, ut perfecta compunctio formidinis, tradat animo compunctionem dilectionis: quod bene in hac sacra veracique historia, figurata narratione describitur. Quia ergo, ut dixi, duo sunt compunctionis genera, dedit ei pater suus inriguum superius, & inriguum inferius. Inriguum quippe superius accipit anima cum sese in lacrymis cœlestis regni desiderio affligit: inriguum vero inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. Et quidem prius inferius, ac post inriguum superius datur: sed quia compunctio amoris dignitate præminet, necesse fuit ut prius inriguum superius, & post inriguum inferius commemorare debuisset.

CAP. VII. (Jos. 15. 63.)

Jebusæum autem habitatorem Jerusalem non potuerunt filii Juda debellare. Habitavitque Jebusæus cum filiis Juda in Jerusalem usque in præsentem diem, & cetera. Filii Juda volebant disperdere vel interimere Jebusæos (ADAM.) de Jerusalem, & non potuerunt, propter quod habitaverunt Jebusæi cum filiis Juda in Jerusalem usque in hodiernum diem. Volumus, a littera incipientes, requirere ab his qui putant hæc secundum litteram stare posse, quid est hoc quod dicit, usque in hodiernum diem? Quod verbum scriptura pro eo ponit, ut æternitatem sæculi per hoc significet; sicut dicit: *Nolite recedere a Domino in hodiernum diem*: (Jos. 22. 29.) hoc est, donec sæculum stat. Ostendant ergo mihi quomodo Jebusæi, donec sæculum stat, habitent cum filiis Juda in Jerusalem, quippe cum ne ipsi quidem filii Juda habitent Jerusalem. Ideo ergo nec istud verum esse poterit, quod Jebusæi cum Judæis habitent in ea. Sed nos intelligamus hæc spiritaliter, adsumentes evangelii parabolam, quæ dicit de zizaniis: *Sinite utraque crescere; ne forte volentes eradicare zizania, eradicetis simul cum ipsis & triticum.* (Matt. 13. 30.) Sicut ergo in evangelio permittuntur zizania simul cum tritico coalescere, eodem modo etiam qui hic in Jerusalem, id est, in ecclesia sunt Jebusæi, isti qui ignobilem & degenerem vitam ducunt, qui fide & actibus & omni conversatione perversi sunt. Neque possibile est, ita ut neque impius in ea, nec quisquam peccator residere videatur; sed sint in ea omnes sancti & beati, & in quibus nulla prorsus peccati macula deprehenditur. Sed sicut dicitur de zizaniis: *Ne forte eradicantes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum*; ita etiam super his dici potest, in quibus vel dubia vel occulta peccata sunt. Neque enim dicimus de his qui manifeste & evidenter criminosi sunt, & non de ecclesia expelluntur. Audi ergo scripturam dicentem, quia non potuerunt filii Juda disperdere Jebusæos, sed habitaverunt cum ipsis usque in hodiernum diem. Unde precor vos qui fideles estis, ut ita vitam vestram & conversationem servetis, ne in aliquo vel ipsi scandalum patiamini, vel aliis scandalum faciatis; sed sit vobis summi studii summaque cautela, ut ne quis in hanc sanctam conversationem vestram pollutus introeat, ne quis Jebusæus inha-

bitet vobiscum. Vides enim quia dicit scriptura, quod non potuerunt filii Juda ejicere Jebusæos de Jerusalem. Jebusæi interpretantur, conculcatio. Ergo quia non possumus ejicere omnes istos qui nos conculcant, eos statim quos possumus, quorum peccata manifesta sunt (ubi enim peccatum evidens non est,)ejicere de ecclesia neminem possumus: *ne forte eradicantes zizania, eradicemus simul etiam cum illis triticum.* Movet me tamen quod dixit, quia non potuerunt ejicere Jebusæos, id est eos qui interpretantur, conculcatio: & ideo videamus qui sunt in ecclesia conculcantes. Illi sine dubio, de quibus Dominus dicebat in evangelio: *Nolite mittere sanctum canibus; neque margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi disrumpant vos.* Isti sunt ergo Jebusæi, qui indigne audiunt verbum Dei; & cum audierint, neque ut infideles discedunt, neque permanent fideles; sed percepta mysteriorum notitia, & fidei nostræ secretioribus perscrutatis, conversi disrumpunt nos, & contradictionibus suis corda nostra disrumpunt, conculcantes verbi Domini margaritas, & ornamenta fidei maculantes. De istis ergo dicitur, quia non potuerunt filii Juda ejicere Jebusæum de Jerusalem usque in hodiernum diem.

Matt. 7. 6.

Jos. 16. 10. *Et non interfecerunt filii Effraim Chananæum qui habitabat in Gazer: & habitavit Chananæus in Effrem usque in hodiernum diem.* Effrem interpretatur fructificatio. Qui ergo fructificat & crescit in fide, non potest exterminare Chananæum semen pessimum, semen maledictum, semen semper mobile, semper incertum: hoc enim interpretatur Chananæus. Et certum est quia cum eo qui fructificat & crescit, semper habitat Chananæus: numquam enim tentatio, numquam motus cessant ab eo. Sed tu si vere fructificas in Deo, & vides talem aliquem inquietum, turbidum, mobilem; scito quia Chananæus est; & non potes ejicere eum de ecclesia, quia non potuerunt filii Effrem disperdere Chananæum. Illud observa quod

2. Thess. 3. 11. Apostolus monet dicens: *Subtrahite vos ab omni fratre inquiete ambulante.* Sed quoniam Salomon suadet hæc quæ legimus, descri-

Prov. 22. 20. bi in corde tripliciter, etiam aliud, præter illa quæ diximus, quod cordi meo occurrerit, ad aures vestras proferam: Et vos fa-

1. Cor. 14. 29. cite quod scriptum est, ut uno dicente, ceteri examinent. Me ergo dicente quod sentio, vos discernite & examinate si rectum est, aut minus rectum. De Jerusalem frequenter diximus, quia visio pacis interpretatur. Si ergo in corde nostro Jerusalem ædificata est, hoc est, visio pacis in corde nostro fundata est, & spiritum, qui est pax nostra, semper intueamur & servemus in corde; si quidem ita fixi & stabiles sumus in hac visione pacis, ut numquam prorsus ulla cogitatio mala & alicujus peccati consilium ascendat in corde nostro. Si hoc ita fieri posset, poteramus dicere, quia in Jerusalem sumus, & nullus alius habitat nobiscum, nisi illi qui sancti sunt. Nunc vero si ad grandem provectum veniamus, & summis nosmetipsos studiis excolamus; tamen non puto cuiquam tantum in corde puritatis evenire, ut numquam adversæ cogitationis contagione maculetur. Certum est habitare Jebusæos cum filiis Juda in Jerusalem: non tamen diximus hæc, ut negligamus, quantum fieri potest, ejicere eos; sed satis agendum nobis & tentandum quotidie ejicere eos de Jerusalem. Sed, sicut scriptum est, non possumus simul omnes ejicere. Hoc idem autem in his qui fructificant sentiendum est, quia Effrem filii nominati sunt, qui & ipsi Chananæos, vagas & lubricas cogitationes, semper debent ejicere de animabus suis. Potest autem Deus Jebusæos & Chananæos a filiis Effrem projicere. Ipsum ergo Dominum deprecemur, ut ejiciens a nobis malas cogitationes, bonas inserat & dignas in Jerusalem civitate cœlesti: in quibus nihil pollutum invenitur aut sordidum: quod nos in die judicii ex conscientiæ cogitationibus arguat, sed inveniatur in nobis puritas cordis.

Habitavitque Chananæus in medio Effraim usque in diem hanc tributarius, & cetera. Secundum aliam autem editionem ita legitur: *Et non perdidit Effrem Chananæum qui habitabat in Gazer: & habitabat Chananæus in Effrem usque in diem istum: donec ascendit Pharao rex Ægypti, & cepit civitatem, & incendit eam in igne: & Chananæos, & Pherezæos, & qui habitabant in Gazer, transpunxit; & dedit eam Pharao in dotem filiæ suæ.* Quod de Pharaone dictum est, miror si prophetice dictum intelligere debeamus, cum hæc historia illis temporibus conscripta credatur, quibus erant gesta illa recentia. Quid autem magnum eligi potuit quod prophetice diceretur, cum præterita narrantur, taceanturque futura majora & maxime necessaria? Proinde potius existimandum est Septuaginta interpretes, qui auctoritate prophetica ex ipsa mirabili consensione interpretati esse perhibentur, hæc addidisse; non tamquam futura pronunciantes, sed quia tempore illo ipsi erant, quo facta esse meminerant: & in libro Regnorum legerant, regum temporibus hoc factum esse. Quod ideo credibilius nobis visum est, quoniam inspeximus interpretationem quæ est ex Hebræo, & hoc ibi non invenimus: sicut nec illud quod dictum est de Jericho; qui eam reparasset, incurreret maledictum quod dixerat Jesus: sic enim scriptum est; *Et adjuravit Jesus in die illa: Maledictus homo qui resuscitabit, & ædificabit civitatem*

Jos. 16. 10. AUG.

3. Reg. 9. 16.

illam. In primogenito suo fundabit eam, & in novissimo suo imponet portas ejus. Hucusque invenitur in interpretatione ex Hebræo: illud autem quod sequitur: *Et ita fecit Oza, qui ex Bethel in Abiron primogenito suo fundavit eam, & in Segub novissimo imposuit portas ejus*; hoc illic non legitur; unde apparet a Septuaginta interpositum, qui factum esse noverant. Chananæi tertio dicti sunt esse in filiis Effrem. Si enim diligentius observemus quomodo tertio dicantur esse Chananæi cum filiis Effrem, & Domino præstante poterimus investigare ordinem dictionum, quid ex hoc in primo, quid in secundo, quid in tertio factum refertur: puto quod non erimus increduli, quia vere hæc, non ut sola nobis rerum gestarum narratio traderetur, scripta sunt, sed sacramentis divinis Deoque dignis repleta. Primo ergo dictum est, quia non perdidit Effrem Chananæum qui habitabat in Gazer, sed habitabat Chananæus in Effrem usque in hodiernum diem, & factus erat sub tributo servus. Ascendit quoque rex Ægypti Pharao, & accepit civitatem, & incendit eam igni, & Pherezæos qui habitabant in Gazer trucidavit, & dedit eam in dotem filiæ suæ. Secundo: Et factum est, inquit, quoniam invaluerunt filii Israël, & fecerunt Chananæos subjectos: exterminatione autem non exterminaverunt eos. Tertio, quando contradixerunt viri de tribu Effrem Jesu, volentes secundum numerositatem suam, quia plures erant, & validiorem etiam accipere sortem: & jubentur ascendere in saltum, & sibi ipsis ampliorem locum facere. Ut possint latiora spatia occupare, jubentur exterminare Chananæum. Videamus ergo quid sibi videatur de Chananæis tripartita narratio. Primo Chananæus nobiscum quidem est, & sub tributo est; non est tamen obediens nobis, neque servus. Secundo etiam servus efficitur, & obediens. Chananæum hic carnem nostram accipiamus, vel ea quæ carnis sunt: hæc primo nobiscum est, hoc est, animæ adjuncta, sed non est ei obediens, nisi tantum quod tributa dispendit; & ministerium quidem exhibet agendi aliquid vel movendi; concupiscit tamen adversus spiritum, & non est obediens animæ, sed suis desideriis cedit. Si vero jam aliquantum profecerimus, efficitur nobis caro servus, & obediens ac parens animæ nostræ profectus, cum sibi carnem & obedire & servire fecerit. Tertius vero est quod perfectum est; si enim jam veniamus ad perfectum, etiam exterminandus a nobis dicitur Chananæus, & morti tradendus. Quomodo autem in nostra carne completur, audi Apostolum dicentem: *Mortificate autem membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem & immunditiam*, & cetera quæ sequuntur. Et iterum dicit: *Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Sic ergo tertio, hoc est, cum ad perfectionem venimus, & membra nostra mortificamus ac mortem Christi in corpore nostro circumferimus, exterminamus a nobis Chananæos. Sed & illud non otiose prætereundum est, quod dicitur Pharao misisse, & accepisse Gazer civitatem, in qua Chananæus habitat cum Effrem, & dedisse eam in dotem filiæ suæ. Gazer autem interpretatur, constructio. Si ergo corpus & anima una atque eadem constructione habitent, id est, conjunctæ sibi invicem & sociæ, ita ut & anima carnaliter vivat, & non festinet anima velocius sibi obedientem & subditam facere carnem, verendum est ne forte veniat Pharao ex Ægypto, & captivam ducat infelicem animam, ita ut eam tradat filiæ suæ in dotem. Si enim consideres illud quod dixit apostolus Paulus, exsurgere aliam legem in membris nostris, & captivos ducere nos in legem peccati, invenies quomodo ille Pharao qui est auctor & rex peccati, animam quæ carnaliter vivit, in dotem conscripsit.

(Marginal notes: 3 Reg. 16. 34. — Adam. — Col. 3. 5. — Gal. 5. 24. — Rom. 7. 23.)

CAPUT VIII.

Locutique sunt filii Joseph ad Josue, atque dixerunt: Quare dedisti mihi possessionem sortis & funiculi unius, cum sim tanta multitudinis, & benedixerit mihi Dominus. Ad quos Josue ait: Si populus multus es, ascende in silvam, & succide tibi spatia in terra Pherezai & Raphaim, quia angusta est tibi possessio montis Effraim, & reliqua. Filii vero Joseph quæstionem movent de hereditate majore: sortem requirunt, dicentes ad Jesum: Quare nobis dedisti in hereditate sortem & pedaturam unam? Ego autem populus multus, & Dominus me benedixit. Si ergo & nos populus multus sumus, & benedixit nos Dominus, audiamus ab Jesu: Populus multus ascende in saltum, & munda tibi ipsi, & para tibi locum in terra, & purga Pherezæos & Raphaim. Necesse est nos ejicere Pherezæos. Invenimus autem Pherezæos interpretari fructificationem. Sed sicut sæpe jam diximus de aliis omnibus, & in hoc duplex est interpretatio. Est enim fructificatio bona, & fructificatio mala, sicut in evangeliis designatur, *quia arbor bona bonos fructus facit.* Oportet ergo nos expellere quicquid non bene fructificat, & abscidere fructus peccati, & purgare fructus justitiæ. Sed & Raphaim, inquit, expelle, vel potius expugna de te. Raphaim invenimus interpretatum, resolutæ matres. Est & in anima nostra virtus quædam quæ parit sensum, & velut mater est eorum sensuum vel intellectuum qui procedunt ex nobis: secundum quod dicitur in sacramento, de anima quasi de muliere; salva erit autem per filiorum generationem, si permanserit in fide & veritate. Ista ergo mater, hoc est, ista virtus

(Marginal notes: Jos. 17. 14. — Matt. 7. 17. — 1. Tim. 2. 15.)

virtus animæ illi in qua fortis & valida ac robusta generatio generat sensus validos & potentes, & qui superari a contradicente in te non possunt. In aliis autem virtus ista resoluta est & remissa., quæ indicatur ex sensibus, cum languidi quidam referuntur & inepti, & nihil in se fortitudinis continentes. Hoc ergo significatur sub nomine Raphaïm: & hujuscemodi de nobis matres remissas esse, quæ sensus ineruditos & inutiles pariunt. Et bene servavit spiritalis intelligentiæ proprietatem, nec est (dixit) exterminandum bellicum Chananæum. Sed quid respondit illi Jesus? Si populus multus es, & virtutem habes, non erit tibi sors una, quia saltus est tibi, & mundabis eum. Vides quia ad nostram spiritalem intelligentiam dicitur, ut & mundemus silvam quæ inutilis est, & excidentes inutiles atque infructuosas ex nobis arbores, faciamus ibi novalia, quæ semper innovemus, & ex quibus fructum capiamus tricesimum, & sexagesimum, & centesimum. An non eadem nobis
Matt. 3. 10. & evangelii sermo denuntiat dicens: *Ecce securis ad radices arborum adposita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur?* Hæc prioribus nostris Nave filius præcepit Jesus de infructuosis arboribus excidendis: hæc nobis Dominus JESUS in evangeliis mandata describit. Et quomodo non verum est quod umbra præcessit, & veritas subjecta est? Hoc autem quod addidit dicens: *His si emundaveris*, inquit, *silvam, & erit tibi cum exterminaveris Chananæos.* Diximus jam superius quomodo nobiscum positus Chananæus primo tributa dependit, secundo obediens efficitur ac subjectus, tertio vero in membrorum nostrorum mortificatione etiam exterminari dicitur. Quæ si recte intelligimus, & donaverit nobis Dominus per gratiam suam hæc ita intelligere, sit aliquid operæ pretii, hæc de secretis & absconditis in publicum produxisse, & venisse ad agnitionem nostram quæ servabatur obtecta, & conemur secundum hæc quæ diximus, Chananæum qui nobiscum est, citius subjicere nobis, & obedientem facere: quia si dimittimus eum & negligimus, veniet Pharao rex Ægypti, & incipiet locum nostrum in dotem filiæ suæ dare, & captivos nos tradere legi peccati. Sed absit hoc ab Israëlitica nobilitate, ut serviat filiæ Pharaonis Israëlita, quem jam Deus eduxit de terra Ægypti, iterum serviat illi qui in mari rubro submersus est Pharaoni. Observemus ergo, sicut & hic dicit Jesus, ut prævaleamus nos contra Chananæos; ne si forte super nos illi invaluerint, & obtinuerint nos, de Israëlitis Chananæos faciant nos, sicut & ille effectus est quem superaverat carnis inlecebra, cui dicitur a propheta Daniel:
Dan. 13. 56. *Semen Chanaan & non Juda, species seduxit te.* Non ergo eveniat nobis audire, semen Chanaan, quia maledictus Chanaan puer, servus est fratribus suis.

CAPUT IX.

Jos. 18. 1. *Congregatique sunt omnes filii Israël in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonii, & fuit eis terra subjecta. Remanserunt autem filiorum Israël septem tribus, quæ necdum acceperant possessiones suas: ad quos Josue ait; usquequo marcetis in ignavia, & non intratis ad possidendam terram, quam dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis? Eligite de singulis tribubus ternos viros, ut mittam eos, & pergant, atque circumeant terram, & describam eam juxta numerum uniuscujusque multitudinis, referantque ad me quod descripserint. Dividite vobis terram in septem partes. Juda sit in terminis suis ab australi plaga, & domus Joseph ab Aquilone: mediam inter eos terram in septem partes describite. Huc venietis ad me, ut coram domino Deo vestro mittam vobis hic sortem, quia non est inter vos pars levitarum: sed sacerdotium Domini est eorum hereditas. Gad autem, & Ruben, & dimidia tribus Manasse jam acceperunt possessiones suas trans Jordanem ad orientalem plagam, quas dedit eis Moyses famulus Domini*, & reliqua. In consuetudine quidem hominum cum aliquid sorte dividitur, fortuitu videtur sors illa ad illum vel alia ad alium cedere. In scriptura autem sacra non ita est: Et aliquotiens quærebam apud memetipsum, si de re tanta ac tali patres sancti sortibus judicium commisissent. Quod si esset apud sanctos ita gestum, jam de aliis hominibus vel gentibus nihil mirum videres, si nihil haberetur eximium in his quæ a sanctis dicuntur sorte divisa. Sed videamus si forte in scripturis aliquid inveniamus esse positum, quod nobis quid virtutis contineatur in sortibus, manifestet. Incipiamus ergo a Levitico, ubi scriptum est; *Et* Levit. 16. 8.
accipient, inquit, *duas sortes, sors una Domino, & sors una Apopompæo*, hoc est, transmissori: *& super quemcumque venerit sors Apopompæi, accipient hircum illum, abducent in locum eremi vivum, & dimittent illum in dimissionem suam: alium vero hircum immolabunt Domino*, & reliqua quæ ibi sunt, quæ utique sciunt qui legunt. Et iterum ibi Moyses divisit sorte tribui Ruben, & tribui Gad, & dimidiæ tribui Menasse quæ poposcerant trans Jordanem, accipere terram illam quam poposcerant filii Israël. Dedit autem ipse Jesus secundum præceptum Domini, Caleb filio Jeffone, & tribui Juda sortem. Dedit autem Effrem, & illi quæ supererat tribui Manasse: & post hæc congregavit in ecclesia filios Israël & dixit; mittam sortem; & proferam in conspectu Domini, si prius describentes terram, & tuleritis mihi descriptionem ejus. Et ita post hæc sortibus missis hereditas populo Dei distribuitur: & agitatur sors ista, non fortuitu, sed secundum hoc quod prædestinatum est a Deo. Deni-

que tribus Benjamin primam ibi accepit sortem ubi erat Jerusalem, post hæc tribus Simeon secunda: post hæc Isachar, deinde Zabulon, deinde Aser, post hæc etiam Neptalim, deinde Dan; in quibus novissime veniunt tres illæ tribus quæ ex concubinis descenderant Jacob. Quæ ergo ratio sortium apud memetipsum requirebam, ut ex multis testimoniis scripturarum quod latebat agnoscerem. Inveniebam sane in scripturis etiam gentiles homines usos esse sortibus. Hinc cum navigaret Jonas, & tempestas urgeret; aiunt namque illi qui navigabant; *Mittamus sortem, & sciamus cujus causa hæc tanta malitia*: quasi sors tantum valeret, ut prodere posset cujus causa periculum navigantibus immineret. Quamvis gentiles essent & alieni a cognitione Dei, non tamen hac opinione falluntur, sed quod verum erat, prodidit eis sors super Jonam. Quærens ergo de his invenio & Salomonem in proverbiis dicentem; *Contradictiones cohibet sors, & inter potentes definit*: veluti cessare ostendens contradictiones ubi mittitur sors. Sed cum hæc in veteri testamento non pauca referri de sortibus invenirem, converti me etiam ad novum testamentum, ut viderem si forte vel ibi contemnuntur sortes, aut num ibi quidem earum usus alibi dicitur; & invenio quod aliquando cum deesset numero apostolorum unus, & esset necessarium in locum Judæ alium subrogari, convenientes apostolos (qui utique multo sapientiores erant quam hi qui nunc episcopos, vel presbyteros, vel diaconos ordinant) & elegerunt duos, & statuerunt in medio, nec tamen de his sibimetipsis judicium permiserunt, ut illum facerent quem ipsi voluissent; *Sed orantes*, inquit, *miserunt sortem*, ut ex illis duobus quos statuerant in conspectu Dei, id est, Joseph qui vocabatur Barnabas, qui cognominatus est Justus, & Mathiam. *Cecidit*, inquit, *sors super Mathiam, & annumeratus est cum Christi apostolis*. Præcedente namque ratione non jam casu sed prudentia, sors divinum judicium deferebat. Sed adhuc quærebam in novo testamento, si sors in Christo vel in ecclesia nominatur, vel in rebus mysticis quæ ad animam pertinere videantur. Invenio Paulum ad Ephesios scribentem, dicere de Christo; *In qua*, inquit, *sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui omnia operatur secundum consilium voluntatis ejus, ut simus in laudem gloriæ ejus qui ante speravimus in Christo*. Sed ad Colossenses hæc scribentem; *Gratias agentes Deo Patri, qui idoneos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine*. Tam multis ex scripturis sanctis de commemoratione sortium testimoniis congregatis, quo ex multorum locorum consideratione virtutem rei possimus diligentius adprehendere, mihi quidem ex his omnibus vel evidens adhuc sensus ad liquidum patere non potuit, vel etiam de re tanta enunciandi & proferendi animi metus insedit. Illud autem in quantum res patitur contigisse sufficiet, quod nobis ab apostolis sors ducta designat: quia ubi fide integra ac oratione præmissa sors dicitur, ea quæ Dei voluntas continet in occulto, sors hominibus declarat in manifesto. Secundum interiorem vero intellectum, sicut Paulus videtur indicare cum dicit; *In parte sortis sanctorum in lumine*, & *sorte vocatis in Christo*, videndum est ne forte non solum hominibus sed & in supernis virtutibus sors agitur; & præsideat aliqua virtus huic officio, quæ verbi causa Jesu filio Nave nunc sorte hereditatem distribuendi, non aliquam gratiam, sed secundum hoc quod scit placere Deo, ducatum præbeat sortis; & illi quidem faciat evenire quæ prima sunt, quem scit apud Dominum primum locum tenere, ut hoc quod in occultis apud Deum habetur, sortis gubernatione etiam hominibus demonstretur: alium vero facere secundi loci, & alium tertii. Quod non solum in terris arbitror, verum etiam in cœlestibus: & hujusmodi sorte quæ apud Dominum meritorum contemplatione distinguitur, etiam illo tempore habeatur; cum viderit Excelsus gentes, & disseminaverit filios Adam, & constituerit filios gentium secundum numerum angelorum Dei; & facta est portio domini Jacob, funiculus hereditatis ejus Israël. Vides ergo & hic partem & funiculum domini Israël dicit esse sortem. Nunc ergo fortuito arbitrandum venisse sortem illi quidem angelo gentem illam suscipere, verbi gratia Ægyptiorum; alii autem angelo, Idumæorum, Moabitarum, & alii Indiam vel unamquamque nationem earum quæ sunt super terram. Sed & ibi etiam si secundum numerum angelorum Dei dicantur sorte gentes istæ divisæ, tamen illa sors, sicut in hominibus diximus, quia Dei judicium quod in occulto est, sors pandit in publico, ita etiam ibi fuisse credendum est, ut pro merito & virtute unusquisque angelus etiam & illam gentem in divisionem susciperet. Et quid dico de magnis, & de generalibus rebus, cum ne per singulos quidem nostrum, absque hujusmodi sorte quæ Dei judicio dispensatur, evenire dicendum est? Verbi causa, ut alius quidem nostrum talem vel talem vitam novitate sortitur; vel certo illud quod erga homines geri ex scripturis sanctis sæpe documus, quod & boni angeli adsint hominibus, & contrarii: quod utique fortuito & absque judicio fit ille angelus illius animæ, verbi causa, & Petri custos fortuitu fit, & alius Pauli, vel alius unius infantis de ecclesia, de quorum angelis dicit Dominus *quia semper vident faciem Patris qui in*

Jona. 1. 7. — Prov. 18. 18. — Act. 1. 26. — Eph. 1. 11. — Col. 1. 12. — Deut. 32. 8. — Act. 12. 15.

cœlis est: de quibus utique dubitandum non est, quod judicio Dei, qui vel illorum dignitate vel nostræ animæ aliquid perspicit, & qualitatem uniuscujusque nostrum & custodiam sortitur, sorte quadam mystica Christi dispensatione directa. Ego autem in quantum ad opinionem meam spectat, puto audenter dicendum etiam de his virtutibus quæ mundi hujus ministeria susceperunt, quod non fortuitu vel casu illa virtus, vel illa terræ laboribus & germinationibus prosit, illa fortius fluminum fluenta sufficienter exhibeat, alia imbrium, alia ventorum, alia marinis, alia autem terrestribus animalibus singulis quibusque a terra gignentibus præsit: & esse in his singulis sacramenta ineffabilia divinæ dispensationis, ut ordini suo cuncta & competenti per unamquamquam virtutem dirimantur officio. Sic enim & Apostolus dicit; *Nonne omnes ministratorii sunt spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis?* Ad horum igitur imitationem credendum est etiam his scripturarum auctoritate referre sortes, & duci per Jesum hereditatem, & per unamquamque tribum divina dispensatione decerni; & per ineffabilem providentiam Dei a præsentibus in his sortibus adumbrari, futuræ hereditatis portio expleatur. Quoniam quidem lex umbram dicitur habere futurorum bonorum: & sicut dicit Apostolus de his qui ad Dominum JESUM CHRISTUM venerunt, quia *accessistis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem.* Est aliqua in cœlis civitas quæ dicitur Jerusalem & mons Sion. Non est utique hoc sine causa quod Benjamin in sorte sua accepit Jerusalem & montem Sion. Quia cœlestis illius Jerusalem ratio sine dubio hoc exigebat, ut jam aliqua Benjamin dari deberet Jerusalem terrestris, quæ illius cœlestis figuram servat ac formam. Similiter autem de Benjamin dicendum est, quod certa aliqua ratione in Judæ sortem decernitur, vel Ebron, vel aliæ singulæ civitates singulis quibusque tribubus conscribuntur, nisi quia illa cœlestia loca in quibus Jerusalem & Sion memoratur esse, sine dubio & cetera quæ his, vel vicina vel conjuncta sunt loca, hoc in se causa & ratione continebant in cœlis quod sorte distribuendo figurabatur in terris. Hinc ergo est quod dispensavit divina sapientia, nomina quædam locorum scribi in scripturis, quæ mysticam quamdam interpretationem contineant, per quæ indicatur vobis qui hæc cernitis, quibusque rationibus, & non casu vel fortuitu fieri dispensentur. Si enim est putandum quod fortuitu acciderit, verbi causa, ut ille angelus Michael vocaretur, alius vero Raphaël; & (ut ad humana descendam) sicut non fortuitu, ut ille patriarcha Abraham vocaretur, & ille Isaac, & alius Israël; sed ne in feminis quidem casu accidit, sed certe divina ratione, ut illa Sara vocaretur ex Sarai, & ille Israël ex Jacob vel certe Abraham. Et ut certum est quod unusquisque angelorum vel hominum ex his quæ sibi injunguntur officiis & actibus, etiam nomina sortiuntur, ita consequens est etiam loca quædam esse cœlestia & civitates, sicut cœlestis dicitur Jerusalem & Sion: esse etiam alias quarum typum & imaginem istæ quæ in terris sunt continent, quæ nunc in hac scriptura mystice nobis per Jesum Nave filium designantur. De ipsis puto civitatibus dictum: *Ædificabuntur civitates Judæ, & habitabunt ibi, & hereditabunt eam.* De ipsis etiam Dominus & Salvator dicit, *quia multæ mansiones sunt apud Patrem meum*; & de ipsis credendum est civitatibus, servo illi qui bene negociatus fuerit Dominum dicere; *Habe potestatem supra decem civitates*, & alii supra quinque. Hæc de divisione sortium terræ Judæ proferre ad vos in quantum fas fuit ausi sumus scriptura provocante, quæ Jerusalem dicit cœlestem, & montem Sion, & similiter cetera quæ scripta sunt esse in cœlis, quæ nobis occasionem dederunt sentire de his omnibus quæ mysteria in his cœlestia describuntur.

Heb. 1. 14. — Heb. 12. 22. — Psal. 68. 36. — Joh. 14. 2. — Luc. 19. 17.

AUG. *Et Amorrhæus permansit ut habitaret in Elon, & in Salamin: & gravata est manus Effrem super eos: & facti sunt illis tributarii.* Hoc jam contra Domini præceptum fiebat, & adhuc vivebat Jesus, sed dux eorum in illis præliis jam pro senectute non erat. Propter hoc dictum est a Domino; factum est ut confortaretur cor illorum qui simul conspiraverunt ire in bellum contra Jesum, ne ista illis misericordia præberetur, etiam contra Dei præceptum, si remansissent non expugnati, & senescente Jesu, sive defuncto relinquerentur expugnandi filii Israël qui eis contradicerent præceptum Domini, possent parcere quod ille non faceret. (Jos. 11. 20.)

ADAM. Amorrhæus interpretatur amarus vel amaritudo. Habitantes ergo in Elon quæ interpretatur pax, pacifici permanent, & habitant amaritudines in arietantibus & pacificis. Arietantes sunt hi qui in agone positi expugnare diabolicas ædes & destruere conantur: pacifici vero, qui in carnalibus concupiscentiis superati pacem animæ egerint: in utrisque tamen perseverare contendit contraria virtus amaritudinis & persistere: in quo tale aliquo intelligere possimus, quia dicit, permansit Amorrhæus in ipsis. Verbi gratia, si inimica virtutis dæmonis ex amaritudine turma veniens obsideat alicujus corpus, perturbat & hebetat ruentes, adhibeantur autem multæ orationes aut multa jejunia, multæ exorcistarum bonæ manus impositiones. Sed adhibita sibi ex Dei nominis invocatione tormenta

mavult pati, quam discedere ab homine A quem impudenter obsidet & nequiter: ita etiam hic intelligendum est in istis qui dicuntur Amorrhæi, qui permanent & persistunt habitare in Elon & in Salamin. Et ut vere ostenderet scriptura quia perferentes pœnas & flagella persistunt, dicit; Et gravis facta est manus Effrem super Amorrhæos. Quibus autem gravis efficitur manus Effrem super Amorrhæos, vel exorcistarum (ut diximus) manus impositione imposita, B gravari dicitur super immundos spiritus manus Effrem vel boni actus, vel bona opera gravantia affligunt dæmonum genus, contrariasque virtutes. Quanto enim nos meliora gerimus, & quantum in optimis conversamur, tanto illis hæc molesta efficiuntur & gravia. Gratum vero illis est & acceptum, & voluntatem eorum quodammodo exhibet qui intra hebetudinem & flagitiis vivit. Qui vero in bonis actibus manuum suarum gravaverit super eos, etiamsi penitus eos expellere non potuerit, certe C tributarios eos facit & subjectos.

CAP. X. *Dederunt filii Israel possessionem Josue filio* Jos. 19. 49. *Nun in medio sui, juxta præceptum Domini, urbem quam postulavit Thamnathsera in monte Effraim, & ædificavit civitatem, habitavitque in ea*, & reliqua.

ADAM. Quantam mansuetudinem & humilitatem beati Jesu, qui dignus erat ferre nomen JESU Domini & Salvatoris nostri, declarat: ait enim; Dederunt enim, inquit, filii Israel sortem Jesu filio Nave in semetipsis præcepto Domini: dederunt civitatem quam petivit Thamnathsera, quæ est in monte Effrem; & ædificavit civitatem, & habitavit in ea. Ipse D est qui dedit hereditatem omnibus filiis Juda, qui dedit Effrem & dimidiæ tribui Manasse; ipse dedit magnifico illi Caleph filio Jephone hereditatem; ipse misit ternos per singulas tribus, qui universam terram peragrarent atque describerent, & ostenderent sibi: ipse misit omnibus sortes, & se in novissimis reservavit. Quare putas voluit omnium esse novissimus? Sine dubio ut esset omnium primus. Et nec ipse sibi hereditatis sortem præsumsit, sed a populo accepit; & illi dat populus hereditatem, a quo ipse acceperat: sic enim scriptum est: Et dederunt filii Israel sortem E Jesu filio Nave. Sed figuraliter contingebant illis quæ nobis proponuntur ad formam, ut & nos servemus præceptum illud quod

Eccli. 3. 20. & iste opere implevit, quod dicitur: *Quanto magnus es, tanto humilia te magis apud Dominum, & invenies gratiam.* Et iterum scriptum

Eccli. 32. 1. est: *Si te ducem ordinaverint, ne extollaris, sed esto inter eos quasi unus ex ipsis.* Vide ergo quomodo duxerat populum, ipse qui eos introduxerat in terram sanctam, in terram repromissionis: ipse erat successor Moysi, & non ipse sumere permisit sortem terræ, sed exspectat ut accipiat portiunculam. Dignus Jesus hoc nomine ædificat locum ipsum quem accepit, & construit eum, ut vere dignum faciat munere Dei & hereditate divina. Sed quoniam ad Dominum & Salvatorem nostrum ea quæ de Jesu scribuntur, referre consuevimus, fortassis etiam noster omnis hic populus dat aliquam portionem meo domino Jesu, & velut locum quemdam habitationi ejus tribuit. Sed ne injuriosum videatur esse quod dicitur, requiramus quomodo ei damus nos servi habitationis locum. Ego si possum bonus fieri, dabo locum Filio Dei in me; & acceptum a me locum in anima mea Dominus JESUS ædificat, & facit in eo muros inexpugnabiles & turres excelsas, ut ædificet in me mansionem, si mererer, dignam se & Patri: & ita adornet animam meam, ut capacem eam suæ sapientiæ & totius sanctitatis efficiat: in tantum ut etiam faciat secum intrare, & in ea facere mansionem, & cœnare etiam apud talem animam cibos quos iste donaverit. Videamus ergo quis est iste locus in quo cupit habitare Jesus: In monte, inquit, Effrem, hoc est, in monte fructifero. Qui putas sunt in nobis montes fructiferi in quibus habitet JESUS? In illis profecto, in quibus sunt fructus Spiritus-sancti, *gaudium, pax, patientia, caritas, & ceteri*, in quibus sunt montes fructiferi qui fructus Spiritus adferunt, Gal. 5. 22. & mente ac spe excelsi sunt. Et licet pauci esse tales possint, tamen si vel pauci fuerint, in ipsis habitans Dominus JESUS, qui est lux vera omnium, emittet radios suos lucis suæ, etiam super reliquos omnes, quos nondum sub habitaculo principaliter induxit. Nunc ergo videamus quæ sunt macheræ petrinæ, quibus circumcidit Jesus filios Israel. Sed oretis pro nobis, ut sermo noster vivens sit & efficax, & acutior super omnem macheram, præstabit & nobis JESUS Dominus, ut verbum Dei quod loquimur ad vos, circumcidat omnem immunditiam, resecet impuritatem, excidat vitia de actoribus, & amputet omne quo vis mentis & efficacia naturalis obtegitur; & sic per verbum Dei, quod nunc machæra petrina dicitur, circumcidemini ab Jesu: & audietis quia hodie abstuli opprobrium Ægypti a vobis. Quid prodest exisse de Ægypto, & nobiscum opprobria Ægypti circumferre? Quid enim prodest ambulare per eremum? hoc est, quid nos adjuvat in baptismo sæculo renunciasse, & morum nostrorum pristinas sordes, ac vitiorum carnalium immunditias obtinere? Oportet ergo post egressionem rubri maris, id est, post gratiam baptismi, auferri etiam a nobis carnalia veteris consuetudinis vitia per JESUM CHRISTUM Dominum nostrum, ut ita demum Ægyptiacis carere possimus

possimus opprobriis. Ponuntur ergo illæ ipsæ machæræ & cultri lapidei, quibus secundo circumcidimur ab Jesu in eodem loco quem petit Jesus & accipit: in loco quem possidet in anima justi, in ipso recondit & machæras. Sæpe ostendimus machæram verbi Dei dictum, quo verbo abscidantur & expurgentur peccata de anima audientium. Hæc ergo virtus verbi divini reconditur in eo loco, cui datur sermo scientiæ & sermo sapientiæ, ut opportuno tempore anima illa, quæ per donum Spiritus-sancti repleta est verbo sapientiæ & verbo scientiæ, proferat machæras in ecclesia, & circumcidat secundo eos, qui secunda indigent circumcisione. Quod autem dicit petrinas machæras, hoc est, de saxo cultros, & non ferro artificis opere fabricatos, illico ostendit quod sermo Dei, qui circumcidere auditorum cordibus immunditias potest, non est ex arte grammatica vel rhetorica veniens, neque doctorum malleis edomitus, aut studiorum cultibus elimatus; sed ex illa petra descendens, quæ de monte sine manibus abscisa est, & orbem terræ complevit, & dona spiritalia credentibus tribuit.

CAPUT XI.

Jos. 20. 1. *Et locutus est Dominus ad Josue, dicens: Loquere filiis Israel, & dices; Separate urbes fugitivorum, de quibus locutus sum ad vos per manum Moysi, ut confugiat ad eas quicumque animam percusserit nescius: ut possit evadere iram proximi qui ultor est sanguinis, cum ad unam harum confugerit civitatem. Stabitque ante portam civitatis, & loquetur senioribus urbis illius ea quæ se comprobent innocentem; sicque suscipient eum, & dabunt ei locum ad habitandum*, & reliqua. Urbes refugii nullam melius quam sanctam ecclesiam designare possum, ubi peccator per pœnitentiam spem veniæ percipit, & ubi innocens salutis suæ firmam custodiam invenit. Sed quia lex distantiam facit inter eum qui voluntarie hominem interfecit, & eum qui non sponte homicidium commisit, mystice demonstrat, quia si quis per invidiam aut odium mucrone malitiæ aliquem percusserit, & in mortem animæ seduxerit, æternæ morti ipse obnoxius erit: unde ipsa Veritas ait: *Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut mola asinaria addatur collo ejus, & demergatur in profundum.* (Matth. 18. 6.) Et Johannes ait: *Qui odit fratrem suum, homicida est; & scitis quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.* (1. Joh. 3. 8.) Hic talis ab altare Domini evelli jubetur, quia indignus sacramentis dominicis, a participatione sacri altaris merito removetur, nec revocari ad veniam, nisi per condignam pœnitentiam ullo modo meretur. Qui autem non voto malitiæ, sed per incuriam aut ignorantiam aliquem læserit, habet refugii ecclesiam, videlicet Catholicam, ubi se angustia pœnitentiæ coarctans, per omne tempus præsentis vitæ bonis operibus studium impendens maneat. Et si spem suam in morte Pontificis summi, redemtoris videlicet sui posuerit, hac sine dubio in æternum salvabitur.

Decreveruntque Cades in Galilæa, montis Nephtalim, & Sichem in monte Effraim, & Chariatharbe, ipsa est Ebron, in monte Juda; & trans Jordanem contra orientalem plagam Jericho, statuerunt Bosor, quæ sita est in campestri solitudine de tribu Ruben; & Ramoth in Galaath de tribu Gad, & Gaulon in Basan de tribu Manasse. Hæ civitates constitutæ sunt cunctis filiis Israel, & advenis qui habitabant inter eos, ut fugeret ad eas qui animam nescius percussisset, & non moreretur in manu proximi, effusum sanguinem vindicare cupientis, donec staret ante populum expositurus causam suam. (Jos. 20. 7.) Ecce habes sex refugii civitates, quas, si placet, ingredere: ac si forte pro scientia peccatorum, illas quæ sunt in terra repromissionis, hoc est, in ecclesia intrare non audeas; est Bosor circa Jordanem in solitudine, quæ interpretatur, angustia, id est, cellula monasterii parva vel modica: & optime tibi conveniet, quod de sorte Ruben est, & ipse qui thorum patris sui maculavit inlicite. (Bac.) Est & Ramoth de sorte Gad, quæ interpretatur excelsa mors, vel visio mortis. Vere enim excelsa mors pœnitentia esse dicenda est, cum mortificatis membris deducatur homo ad excelsa cœlorum, unde fuerat ante delapsus. Sive juxta istam humilem mortem, quæ generaliter omni carni imminet, illa ad comparationem ejus rationabiliter excelsa nominatur: quia multo nobilius est per pœnitentiam mori, quam communi hac morte dissolvi. Si autem visionem mortis sentire velimus, ita potest intelligi; quia cum sumus in pœnitentia constituti, & ante oculos nobis ponimus inferni tormenta, videmus ipsam speciem mortis, de qua pœnitentiæ beneficio liberemur. Donec memineris te in ancillæ filii civitate agere pœnitentiam; quia omnis qui peccat, servus est peccati; (Joh. 8. 34.) & formam servi accipiens, humilies teipsum usque ad mortem. Est Gaulon in finibus Manasse, quæ interpretatur volutatio; ut tu memineris tibi in cilicio & cinere esse volutandum; & hoc in finibus Manasse, qui interpretatur oblivio, ut obliviscaris ea quæ ante gessisti, & in priora te extendas. Hic ergo inhabita, ut per angustias mortis & volutationis, iram persecutoris evadas, & spem salutis invenias. Tum deinde in his si aliquid utiliter egeris, etiam ad Cades in terra repromissionis quæ est in Galilæa, poteris pervenire: quæ interpretatur sancta; ut tu cum in tribulatione opus corruptionis abjeceris, etiam ad sanctam tibi ecclesiam tribuatur

accessus: ut in Nephtalim sorte, qui dicitur vitis remissa, de sacramento dominici sanguinis participare merearis. Sed nec Ebron tibi aditus clauditur, quæ interpretatur conjunctio, sive conjugium. Revertetur enim anima tua ad virum suum, id est ad spiritum Dei, a quo pro tempore peccatorum fuerat viduata. Sicque etiam sextam civitatem Sichem, quam Joseph noster in hereditatem consequitur (propter quod ibi sepultus est) valebis intrare: quæ interpretatur humerus, sive labor; ut ostendas te per laborem pœnitentiæ ab errore tuo Christi humeris reportatum, & adjunctum nonaginta novem ovibus effectum centesimum: quia ipsa Sichem ab alienigenis, centum agnis scribitur comparata. Hæ ergo civitates levitis datæ sunt, quia doctoribus sanctis commendata est ecclesia. Et ideo senario numero comprehensæ, quia doctrinæ & morum perfectio bene convenit his qui magisterii locum tenent, ut habeant semper subjecti in præpositorum suorum conversatione atque doctrina, unde proficere possint. Hinc ipse
Matt. 5. 14. Dominus in evangelio apostolis ait: *Vos*
Ibid. 13. *estis lux mundi*, &, *vos estis sal terræ. Estote perfecti sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.*
ISID. Quod vero levitæ non acceperunt hereditatem terræ, utique quia JESUS Dominus noster ipse est
Num. 18. 20. hereditas eorum, sicut scriptum est: *Ego hereditas eorum, & possessio eis non dabitur in Israel.* Ego enim sum possessio eorum. Clericorum enim hereditas & possessio ob hoc se dici voluit Deus, quia ministri altaris ipsius effecti sunt & sors: propter quod & clerus, sors interpretatur. Ergo Deum hereditate merito possidet, qui ut absque ullo impedimento deservire Deo valeat, pauper esse spiritu contendit; ut congrue illud psal-
Psal. 15. 5. mistæ dicere possit: *Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei.* Quod vero habitacula levitis ab Jesu per omnes tribus decernuntur, significatur ut hi qui in ecclesia Dei, scientiæ operam dantes, doctrinæ gratiam administrant, rursus ab omnibus quibus dispensant divina, terrena subsidia quæ non habent, recipiunt: ut impleatur illud quod Apostolus præcepit, dicens: *Si nos*
1. Cor. 9. 11. *vobis spiritalia seminamus, magnum est ut carnalia vestra metamus?* Et merito isti in cunctis tribubus divisi dicuntur, quia dispensatione cunctorum vivunt.

CAP. XII.
Jos. 21. 1. *Accesseruntque principes familiarum Levi ad Eleazar sacerdotem, & Josue filium Nun & duces cognationum per singulas tribus filiorum Israël: locutique sunt ad eos in Silo, terra Chanaan, atque dixerunt; Dominus præcepit per manum Moysi, ut darentur nobis urbes ad habitandum, & suburbana earum ad alenda jumenta. Dederuntque filii Israël de possessionibus suis, juxta imperium Domini, civitates & suburbana earum*, & reliqua. Omnes filii Israël acce- AUG.
perunt sortes suas in terra: levitis autem hereditas solus sufficit Deus. Verum quoniam accipiunt levitæ primitias & decimas de fructibus a filiis Israël per præceptum Dei, oportebat eos etiam de terra, ut ita dicam, & de habitaculis (hoc est enim ab omnibus) decimas accepisse. Et ideo accedentes primarii viri qui erant de filiis Levi, ad Eleazar sacerdotem, & ad Jesum filium Nave, & ad principes tribuum filiorum Israël, in Selon, in terra Chanaan dixerunt; *Dominus præcepit in manu Moysi, dari nobis civitates ad habitandum, & suburbana earum animalibus nostris.* Oportebat ergo etiam de suburbanis & de civitatibus sortem fieri, ne forte indiscrete, & fortuito inter levitas celebrata divisio videretur. Sicut ergo distributio sortis quæ facta est in filiis Israël, habuit rationem, qua quis prima sorte dignus haberetur, qua & alius secunda; de qua ut potuimus jam ante tractavimus, sed & hi qui per Moysen ultra Jordanem, & ab Jesu in terra repromissionis accipiunt, ubi prima sors cecidit in Benjamin, & postmodum inter ceteros, in quibus fuit ultimus Dan; ita necesse est esse aliquam rationem etiam in ordine sacerdotalis & leviticæ sortis, ut alii prima, alii secunda, alii vero tertia sors ducatur, per quas illa vel illa loca unicuique decernuntur. Dicuntur autem filii esse Levi, Gerson, & Caath, & Merari, & ostenditur primatum tenuisse in honore Caath, hoc est, qui filii Caath fuerunt ex Amram. Nam de eo Moyses, & Aaron, & Maria. Igitur de Caath pars quidem plebs, effecta est sacerdotalis quæ est Aaron & filii ejus. Moyses autem aut in sacerdotali ordine, aut si quid etiam amplius a sacerdotali esse potest, habendus est. Alia vero est ratio de filiis ejus. Ceterum autem ex filiis Caath secundum tenuerunt in tribu Levi, si qui sunt ex Isachar, & Hebron, & Odiel. Tum deinde post hoc accipiunt partem propter Caath, e filiis Gerson tertio loco, novissimus vero omnium Merari. Hæc est autem differentia primi ordinis, secundi, & tertii, vel quarti, quam primo omnium observavimus in numeris: postea enim quam ordinatæ fuerant duodecim tribus per quatuor orbis terræ partes circa arcam testamenti Domini excubias agere: & statutæ sunt tres quidem tribus ab oriente, & tres quidem ab Africo, & merediano, tres autem ad mare quod est ad occidentem, tres vero ad aquilonem, qui est septemtrio: ubi etiam isti per quatuor orbis terræ partes eodem ordine deputantur, & ab oriente quidem, ubi erat tribus Juda, quæ erat inter ceteros prima, Aaron atque filii ejus collocantur: Caath

vero & reliqui qui erant filii, arcam testamenti Domini levare in humeros, & tubis canere statuuntur; ita ut cum prima tuba cecinisset, moverent castra hi qui erant ab oriente: cum vero secunda cecinisset, hi qui erant a meridiano consurgerent: tertia ab occidente, quarta ab aquilone. Vides quantus ordo, & quanta differentia in scripturis & rerum consequentia describitur: quomodo nihil nisi cum moderatione & ordine geritur. Intuere diligentius, & in omni scriptura hæc ita invenies ordinata. Sed si tibi difficile est per omnes libros vigilantem cordis oculum ducere, in hoc saltim loco diligentius quæ referuntur adverte. Prima, inquit, exit sors Caath, & facta est filiis Aaron sacerdotibus qui erant in Levitis. Cui prima sors debuit exire, cui oportebat primatum dari nisi Aaron primo pontifici, primo in vitæ meritis, primo in honoribus & virtute? Certum est apud nos nunc saltim quod non sit sors ita fortuita, sed adsit virtus superna, gubernans eam secundum divinæ providentiæ judicium. Ubi ergo filiis Aaron prima habitacula sors hæc justa decernit? In tribu, inquit, Juda, & tribu Simeon, & in tribu Benjamin, per sortem civitates duodecim. Vides quomodo in electis viris, & in electis tribubus habitacula dispensantur. Quos autem oportuit secundam sortem suscipere? Filios, inquit, Caath qui reliqui erant post filios Aaron. Et quas tribus ipsi accipiunt? In tribu, inquit, Effrem, & in tribu Dan, & in dimidia tribu Manasse, civitates decem per sortem. Qui sunt autem tertii filii Gerson, & in quibus tribus sortiuntur? In Isachar, & Aser, & Neptalim, & in dimidia tribu Manasse, quæ est in Paranitide civitates duodecim. Qui sunt ultimi in levitis? Filii, inquit, Merari isti novissimi, & in quibus accipiunt tribus videamus. Ex tribu, inquit, Ruben trans Jordanem; & de tribu Zabulon, qui & ipse ultimus est inter filios Liæ, accipiunt sortem civitates duodecim. Sed dum ea quæ magis observanda sunt, in locis contigimus de quibus etiamsi pandere profundiora non possumus, saltim summa quæque perstringere non pigebit, ut ex his unusquisque auditor occasionem capiat intelligentiæ altioris & mysticæ perquirendæ. Cum quatuor partes sint orbis terræ, Caath accipit sortem primus inter filios Levi a parte orientalis, cum illis tribubus quæ & ipsæ primatum omnium tenent. Vide ergo quomodo universa conveniunt. In quatuor orbis partibus certum est orientalem plagam nobiliorem videri. Et quæ nobilior omnium reliquarum Judæ tribus habeatur, & filii Aaron sacerdotes primam dicunt in primis è tribus orbis partibus sortem cum Gerson & Merari, qui erant primi inter filios Levi. Si ergo tres filii Levi accipiunt

A orientem; occidentem vero ubi erat Ruben & Simeon, & Gad, sortitur secunda sorte Gad, & tribus Simeonis. Meraris vero primum sortitur Ruben, & iterum Merari tertium in numeris ab oriente accepit Zabulon, ut justitia servetur in sorte quæ secundum Deum ducitur, & credentium mentes ad mysterium futuri sæculi dirigat contuenda. Post hæc eorum qui ad mare erant, id est Effrem, & Benjamin, Manasse. Gad cum suscepisset secunda sorte tribum Benjamin, ceteri ex familia ejus sortiti sunt

B Effrem. Post hæc eos qui erant ex dimidia tribu Manasse, qui fuit in terra Gerson: & iterum ipse Gerson sortitur aliam dimidiam tribum Manasse. Sed quia oportebat eos qui erant ab Aquilone, aliquid sacerdotalis gratiæ consequi, ne penitus nudati donis cœlestibus videantur, in his ergo quorum novissimus ordo erat in aquilone, id est, in Dan, Neptalim, Aser, rursum Gad non quidem inter sacerdotes, sed inter ceteros primam accipit sortem in Dan; secundam vero Gerson in Aser, & tertii, id est Gerson, in Neptalim. Quis potest

C ascendere hæc omnia, & comprehendere? quis meminisse saltim, & observare ordinem mysteriorum valet? quod secundum litteram solam difficile textus narrationis explicari potest: & permixtio vel locorum vel personarum quæ in historia continetur, evolvi. Quid dicimus de his sacramentis quæ per hoc describuntur, & in quibus distributiones futuræ hereditatis adumbrantur, & per quæ sanctæ terræ quam mansueti hereditate suscipient, divisio celebrabitur? Quis castrorum sedes diversas explicet? quomodo hæc in resurrectione per singulos

D quosque sanctorum sacerdotali vel levitico ordine habenda sit distributio? ut quemadmodum dicit Apostolus, in resurrectione non confuse agantur omnia, sed veniat unusquisque in suo ordine. Initium Christus, deinde hi qui sunt Christi, qui in adventu ejus speraverunt, cum tradiderit regnum Deo & Patri, & cum subjecerit ei omnem principatum & potestatem: ubi sine dubio tales distributiones & ordines ac tubarum significationes erunt. Quod autem exceptis sex urbibus fugitivorum, alias qua- 1. Cor. 15. 23

E draginta duas urbes levitæ accipiunt, indubitanter ipsa prædicatio sanctorum signatur. Ipsi enim possident doctrinam quæ constat legis decalogo, & quadrifido evangelii numero, quasi decies quaternas urbes habentes. Quibus etiam duæ adjiciuntur, quia nimirum cuncta quæ prædicant morali ac mystico sensu adnunciant.

CAPUT XIII.

Deditque Dominus Israëli omnem terram quam traditurum se patribus eorum juraverat: & possederunt illam, atque habitaverunt in ea. Dataque est ab eo pax in omnes per circuitum nationes: nullusque eis hostium resistere Jos. 21. 41.

ausus est, sed cuncti in eorum ditionem redacti sunt. Ne unum quidem verbum quod illis se præstaturum esse promiserat, irritum fuit; sed rebus expleta sunt omnia. Merito quæritur, cum Israël non solum usque ad diem mortis Jesu, verumetiam postea non eradicaverit gentes, quæ terram repromissionis tenebant, quamvis ex parte illis debellatis in eadem promissa hereditate consisterent; quomodo intelligendum sit quod dictum est: Et dedit Dominus Israël omnem terram quam juraverat dare patribus eorum, & hereditaverunt eam, & habitaverunt in ea: & requiem dedit illis Dominus in circuitu, sicut juraverat patribus eorum: non restitit quisquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum: omnes inimicos eorum tradidit Dominus in manus eorum: non decidit ex omnibus verbis bonis quæ locutus est Dominus filiis Israël, omnia advenerunt. Diligenter ergo universa consideranda sunt, & primum videndum quod gentium terra promissa sit Israëlitis. Septem quidem gentes assidue videntur commemorari, sicut in Exodo legitur: *Et dixit Dominus ad Moïsen: Vade, ascende hinc tu & populus tuus, quos eduxisti de terra Ægypti, in terram quam juravi Abraham, & Isaac, & Jacob, dicens: Semini vestro dabo eam, & simul mittam ante faciem tuam angelum meum: & ejiciet Amorrhæum, & Cethæum, & Pherezæum, & Gergezæum, & Hevæum, & Jebusæum, & Chananæum.* Harum ergo septem gentium terram videtur Deus patribus promisisse. Scriptum est etiam in Deuteronomio multo expressius: *Si autem accesseris ad civitatem expugnare eam, & evocaveris eam cum pace, siquidem pacifica responderint tibi, & aperuerint tibi, omnis populus qui inventi fuerint in civitate, erunt tibi tributarii & obedientes. Si autem non obedierint tibi, & fecerint ad te bellum, circumsedebis eam, & tradet eam Dominus in manus tuas: & interficies omne masculinum ejus in nece gladii, præter mulieres. Et supellectilem, & omnia pecora, & omnia quæ fuerint in civitate, & omnia utensilia prædaberis tibi: & edes omnem prædationem inimicorum tuorum, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Sic facies omnibus civitatibus quæ longe sunt a te valde, quæ non sunt a civitatibus gentium istarum. Ecce autem ex civitatibus istis, quas Dominus Deus tuus dat tibi hereditare terram eorum, non vivificabis omnem vivum, sed anathematizabis eos, Cethæum, Amorrhæum, & Chananæum, & Pherezæum, & Jebusæum, & Hevæum, & Gergesæum, quemadmodum mandavit tibi Dominus Deus tuus.* Et hic istarum septem gentium terram promissam in hereditate, quam debellatis usque internecionem eisdem gentibus Israëlitæ possiderent, manifestum est. Ceteras vero quæ longinquius extra istas gentes invenirentur, voluit fieri tributarias eorum, si non resisterent; si autem resisterent, etiam ipsas interfici & in perditionem dari, exceptis pecoribus & quæ in prædam possent venire. Item alio loco in Deuteronomio ita legitur. *Et erit cum induxerit te Dominus Deus tuus in terram, in quam transibitis hereditare eam, & abstulerit gentes magnas & multas a conspectu tuo; Cethæum & Gergezæum, & Amorrhæum, & Pherezæum, & Chananæum, & Hevæum, & Jebusæum, septem gentes magnas & multas, & fortiores vobis: & tradet eas Dominus Deus tuus in manus tuas: & percuties eos, & exterminio exterminabis eos. Non dispones ad eos testamentum, neque misereberis eorum, neque matrimonio jungamini cum eis. Filiam tuam non dabis filio ejus, & filiam ejus non sumes filio tuo,* &c. Pro his inde atque aliis scripturarum locis sæpe ostenditur, harum septem gentium terras ita accepisse in hereditatem filiorum Israël, ut non cum eis qui easdem terras tenebant, sed pro eis illic habitarent. Verumtamen in Genesi non istæ tantum septem gentes, sed undecim promittuntur semini Abrahæ. Sic enim legitur: *In die illa disposuit Dominus Deus testamentum ad Abraham, dicens: Semini tuo dabo terram hanc, a flumine Ægypti usque ad fluvium magnum Eufraten; Cenæos & Cenezæos, & Chelmonæos, & Cethæos, & Pherezæos, & Rafam, & Amorrhæos, & Chananæos, & Hevæos, & Gergezæos, & Jebusæos.* Quæ ita solvitur quæstio, ut intelligamus hanc præcessisse prophetiam, quod in eo fines regum fuerat porrecturus & dilataturus Salomon, de quo ita scriptum est: *Et omne propositum Salomonis quod destinaverat ædificare in Jerusalem, & Libano, & in omni terra possessionis suæ; omnis populus qui derelictus est a Cethæo & Amorrhæo, & Pherezæo, & Hevæo, & Jebusæo, qui non erant ex Israël, id est, ex filiis eorum qui residui erant cum eis in terra, quos non consummaverant filii Israël. Et subjugavit eos Salomon in tributum usque in diem hanc.* Ecce residua populorum debellandorum, atque omnino ex Dei præcepto perdendorum, subjugavit Salomon in tributum: quos utique secundum præceptum Dei perdere debuit; sed tamen subjugati, tamquam tributarii possessi sunt. Paulo post autem ita legitur: *Et erat Dominus in omnibus regionibus, a flumine usque ad terram Philistiim, & usque ad fines Ægypti.* Ecce ubi impletum est, quod in Genesi Deus ad Abraham loquens, promittensque prædixerat: a flumine quippe hic intelligitur, ab Eufrate: magnum enim flumen in illis locis, etiam proprio nomine non addito, potest intelligi. Neque enim de Jordane hoc accipi potest, cum & citra Jordanem, & ultra Jordanem jam terras Israëlitæ obtinuerant, & ante regnum Salomonis. Ergo a flumine Eufrate, ex partibus Orientis, usque

Marginalia: Aug. — Exod. 33. 1. 2. — Deut. 20. 10. — Deut. 7. 1. — Gen. 15. 18. — 3. Reg. 9. 19. — 3. Reg. 4. 21. — Gen. 15. 18.

que ad fines Ægypti, quæ pars illis erat ab Occidente, regnum Salomonis ſcriptura Regnorum dixit fuiſſe porrectum. Tunc ergo amplius ſubjugatum eſt, quam ſeptem illæ gentes tenebant, ac per hoc tunc in ſervitutem redactæ ſunt, non ſeptem, ſed undecim gentes. Quod enim in Regnorum libris ſcriptum eſt, *uſque ad fines Ægypti*, a flumine; cum ſcriptura ab Oriente uſque ad Occidentem quantum porrectum eſſet regnum vellet oſtendere; hoc idem in Geneſi cum ab Occidente uſque ad Orientem præfiniretur, dictum eſt: *A flumine Ægypti uſque ad fluvium magnum Eufraten.* (Gen. 15. 18.) Flumen quippe Ægypti, qui finis eſt diſterminans regnum Iſraël ab Ægypto, non eſt Nilus, ſed alius eſt, non magnus fluvius, qui fluit per Rinocoruram civitatem, unde jam ad Orientem verſus incipit terra promiſſionis. Sic ergo fuerat conſtitutum filiis Iſraël, ut ſeptem gentium terras, exterminatis & perditis illis gentibus, ipſi inhabitarent: aliis autem regnarent ſubditis atque tributariis, uſque ad flumen Eufratem. Et quamvis in hoc Deo non obtemperaſſent, quia & ex illis quas exterminare deberent, obedientes aliquos fecerant; Deus tamen temporibus Salomonis fidem ſuæ promiſſionis implevit. Nunc itaque in libro Jeſu Nave quod conſiderare ſuſcepimus, quomodo erit verum? *Et dedit Deus Iſraël omnem terram quam juraverat dare patribus eorum, & hereditaverunt eam?* (Jos. 21. 41.) Quomodo adhuc vivente Jeſu omnem terram dedit, cum etiam reliquias illarum ſeptem gentium nondum ſuperaviſſent? nam quod ſequitur: *Et hereditaverunt eam*, verum eſt quia adierunt, ibique conſederunt. Deinde quod adjungit: *Et requiem dedit Dominus illis in circuitu, ſicut juraverat Dominus patribus eorum*, verum eſt, quia vivo adhuc Jeſu, non eis quidem cedebant reliquiæ illarum gentium: ſed nulla earum eos in terris ubi conſederant, bello laceſcere audebat. Ideo dictum eſt & quod deinde adjungitur: Non reſtitit quiſquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum. Quod vero ſequitur: *Sed omnes inimicos eorum tradidit Dominus illis in manus eorum*, hos intelligi voluit inimicos, qui obviam ire in bellum auſi ſunt. Deinde quod dicit: *Non decidit ex omnibus verbis bonis quæ locutus eſt Dominus filiis Iſraël, omnia advenerunt;* ita vult intelligi; quia cum jam illi contra præceptum Domini feciſſent, quibuſdam parcendo ex illis ſeptem gentibus, & eos obedientes faciendo; adhuc tamen inter eos ſalvi erant. Ideo cum dixiſſet: *Ex omnibus verbis*, addit *bonis*, quia nondum advenerant maledicta contemtoribus & tranſgreſſoribus conſtituta. Reſtat ergo hoc quod ait: *Dedit Dominus Iſraël omnem terram quam juraverat dare patribus eorum*, ſecundum hoc intelligatur, quia etſi adhuc erant ex illis gentibus reliquiæ conterendæ & exterminandæ, vel aliis uſque ad flumen Eufratem, aut ſubjugandæ ſi non reſiſterent, aut perdendæ; tamen in uſum eorum relictæ ſunt in quibus exercerentur; ne carnalibus affectibus & cupiditatibus infirmi, repentinam tamquam rerum temporalium proſperitatem modeſte ac ſalubriter ſuſtinere non poſſent, ſed elati citius interirent: quod opportune alio loco demonſtrabitur. Omnis ergo illis terra data eſt, quia & illa pars quæ nondum data fuerat in poſſeſſionem, jam data fuerat in quamdam exercitationis utilitatem. Quod ait: Non reſiſtat quiſquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum, quæri poteſt quomodo verum ſit, cum de tribu Dan ſuperius ſcriptum ſit, quod eos hoſtes eorum non permiſerint deſcendere in vallem, & prævaluerint eis in montibus. Sed quod diximus cum duodecim filios Jacob ſcriptura [illegible] Meſopotamia natos commemoraſſet, ubi non fuerat natus Benjamin; hoc etiam hic intelligendum eſt; quia pro univerſo populo undecim tribus deputatæ ſunt, ea regula quæ aliis ſcripturarum locis nobis ſatis innotuit. Cauſa autem ſi quæritur, cur hæc tribus in ea ſorte quæ illi obvenit, non obtinuerit ſufficientes terras, & ab eis a quibus tenebantur afflicta ſit, in Dei quidem ſecreto conſilio eſſe credendum eſt. Verumtamen cum Jacob filios ſuos benediceret, talia dixit de iſto Dan, ut de ipſa tribu exiſtimetur exſurrecturus antichriſtus: unde nunc plura dicere non ſuſcipimus, cum etiam ſic ſolvi poſſit hæc quæſtio, quia non reſtitit quiſquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum, cum ſimul ſub unius ducis imperio bellum gererent, antequam ſingulis tribubus ſua defendenda dividerentur loca.

CAPUT XIV.

Eodem tempore vocavit Joſue Rubenitas, & Gadditas, & dimidiam tribum Manaſſe, dixitque ad eos: Feciſtis omnia quæ vobis præcepit Moïſes famulus Domini: mihi quoque in omnibus obediſtis, nec reliquiſtis fratres veſtros longo tempore uſque in præſentem diem, cuſtodientes imperium domini Dei veſtri. Quia igitur dedit dominus Deus veſter fratribus veſtris quietem & pacem ſicut pollicitus eſt, revertimini, & ite in tabernacula veſtra, & in terram poſſeſſionis quam tradidit vobis Moïſes famulus Domini, trans Jordanem, &c. (Jos. 22. 1.) Poſt hæc Jeſus convocat filios Ruben, & filios Gad, & dimidiam tribum Manaſſe, qui ſecum militaverant ad hoſtes Iſraëliticos ſuperandos, & dimittit eos ire in hereditatem ſuam, datis his etiam quibuſdam muneribus, ſicut ſcriptum eſt. In quo videtur illud indicare myſterium, quod cum plenitudo gentium introiret, & quæ repromiſſa ſunt eis a Domino JESU reciperent illi qui per Moïſen eruditi & inſtructi fuerant, & (ADAM.)

qui nobis in certamine positis auxilia orationibus & precibus detulerant: & quia nondum repromissiones consecuti sunt, exspectantes ut etiam nostra vocatio compleatur, sicut dicit Apostolus; nunc demum perfectionem quæ eis dilata fuerat consequantur, cum muneribus quæ accipiunt ab Jesu, ut unusquisque habita in pace, omni bello atque omni impugnatione cessante. Post hæc lectum nobis est, quia filii Ruben, & filii Gad, & dimidia tribus Manasse, qui erant trans Jordanem, ædificarent aram ingentem: filii vero Israël reliqui, ignorantes quare hæc ara fuisset constructa, mittunt Phinees filium Eleazar, filii Aaron sacerdotis, cum decem viris de singulis tribubus electis, ut si forte tamquam discedentes a Deo hoc fecissent, velut apostatæ effecti, & contra mandatum Dei gerentes, expugnarentur a reliquis filiis Israël: sin aliter, ut noscerent causam. Illi vero satisfaciunt de ara & dicunt: Scimus quia altare verum est, Jesus apud vos habitat; nos autem fecimus altare hoc ad similitudinem illius altaris quod apud vos constructum est, ut apud nos figura & imago veri altaris habeatur, ne forte crastino, inquit, placeat vobis dicere, quia Jordanis finitimus est inter nos & vos & ipse decernit: & ideo non habetis portionem in altari nostro. Hæc illis responsa miserunt. Sed videamus quid facti hujus continet sacramentum. Prior populus circumcisionis in Ruben qui fuerat primogenitus designatur; sed & in Gad, qui & ipse primogenitus est ex Zelfa: & Manasse nihilominus primogenitus. Quod autem dico primogenitus, secundum tempus loquor. Hæc ergo dicuntur, ne inter nos & illos, qui ante adventum Christi fuerant justi, divisio aliqua ac separatio videretur; sed ut ostenderetur, etiamsi ante adventum Christi fuerant, fratres tamen nostros esse. Licet enim habuerint altare tunc ante adventum Salvatoris, sciebant tamen & sentiebant quia non esset illud altare verum, sed quia forma & figura futuri veri illius. Noverant hæc, quia veræ hostiæ & quæ possent auferre peccata, non illi altari offerebantur quod habebat primogenitus populus; sed in isto ubi Jesus erat. Hic cœlestes hostiæ, hic vera sacrificia consummantur. Fit ergo unus grex, & unus pastor, illi priores justi, & qui nunc sunt Christiani. Volo autem ad horum probationem memoriam facere etiam historiæ cujusdam; si tamen Dominus donare dignetur ut explanationem ipsius spiritalem invenire possimus. Cadebat aliquando populus in deserto, & moriebatur. Venit (Num. 16. 48.) Aaron pontifex, & stetit in medio eorum qui moriebantur, & eorum qui vivebant, ne ultra vastatio mortis proficeret etiam inter ceteros. Venit verus pontifex meus & Dominus, & intercessit medius inter morientes & vivos; id est, inter eos qui ex Judæis suam præsentiam susceperunt, & inter eos qui non solum non susceperunt; sed semetipsos magis quam illum occiderunt, dicentes: *Sanguis illius super nos, & super filios nostros*; (Matt. 27. 25.) unde & *omnis sanguis justus qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, quem interfecerunt inter templum & altare*, (Matt. 23. 35.) requireretur a generatione illa quæ dixit: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros.* Sunt ergo isti pars populi, qui neque azyma, neque dies festos competenter agunt: sed conversi sunt dies festi eorum in luctum, & cantica eorum in lamentationem. Non potuerunt diem festum celebrare in loco quem elegit dominus Deus Et nos quidem non diximus ad illos, quia non erit vobis pars in hoc altari, vel in hereditate Domini, sed ipsi sponte sua altare verum, & cœlestem pontificem refutarunt: & eo usque infelicitates eis sunt, ut & imaginem perderent, & non susciperent veritatem. Et ideo dicitur ad eos: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* (Matt. 23. 38.) Translata est enim ad gentes gratia Spiritus-sancti, translatæ sunt ad gentes solemnitates, & pontifex, non imaginarius, sed verus, secundum ordinem Melchisedech electus, & necesse est eum veras hostias, id est, & spiritales offerre apud nos ubi ædificatur ecclesia & templum Dei, a lapidibus vivis, quæ est ecclesia Dei viventis, & ubi est verus Israël.

CAPUT XV.

En ego hodie ingrediar viam universæ terræ, & toto corde & toto animo cognoscetis, quod de omnibus verbis quæ Dominus præstaturum se nobis esse pollicitus est, unum non præterierit incassum, (Jos. 23. 14.) & reliqua. (AUG.) Quod dicit Jesus de sua propinquante morte; ego autem recurro viam, sicut & omnes qui sunt super terram, in ea interpretatione quæ est ex Hebræo, invenimus, *ingredior viam.* Ita ergo accipiendum est quod septuaginta dixerunt, *recurro*, sicut dictum est homini, *donec revertaris in terram unde sumptus es*; ut secundum corpus dictum intelligatur. Secundũ animam vero si voluerimus ita accipere, quemadmodum in Ecclesiaste positum est; *Et spiritus revertetur ad Deum qui dedit eum*; (Eccle. 12. 7.) non arbitror de omnibus posse dici, sed de his qui sic vixerint ut ad Dominum redire mereantur, tamquam ad auctorem a quo creati sunt. Neque enim hoc & de illis recte intelligi potest, de quibus dicitur; *Spiritus ambulans, & non revertens.* (Psal. 77. 39.) Iste autem vir sanctus Jesus Nave, si non addidissem, sicut & omnes qui sunt super terram, nulla esset quæstio: neque enim aliud de illo crederemus quam quod eum dignum esse legimus. Cum vero additum est; sicut & omnes qui sunt super terram, mirum si hoc quod Latinus interpres, *recurro*, posuit non

magis *percurro*, vel *excurro* dicendum est, si hoc potest dici quod Græcus habet ἀποτρέχω omnes enim percurrunt, vel excurrunt hujus vitæ viam, cum ad ejus finem pervenerint. Sed quia hoc verbum positum est ubi parentes Rebeccæ dicunt ad servum Abrahæ; *Ecce Rebeccam accipiens, recurre: & sit uxor Domini tui:* ideo & hic ita hoc verbum interpretatum est.

Jos. 24. 2. *Hæc dicit dominus Deus Israel, trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio. Thare pater Abraham, & Nachor servierunt diis alienis. Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ finibus, & adduxi eum in terram Chanaan*, &c. Quod Septuaginta interpretes habent; *Et assumpsi patrem vestrum Abraham de transflumine, & deduxi eum in omnem terram.* Interpretatio quæ est in Hebræo, habet; *Et induxi eum in terram Chanaan.* Mirum ergo si Septuaginta pro *terra Chanaan*, omnem terram ponere voluerunt; nisi intuentes prophetiam, ut magis ex promissione Dei tamquam factum accipiatur, quod certissime futurum in Christo & in ecclesia prænunciabatur: quod est verum semen Abrahæ, non in filiis carnis, sed in filiis promissionis.

Jos. 24. 11. *Transistisque Jordanem, & venistis ad Jericho, pugnaveruntque contra vos viri civitatis ejus*, & reliqua. Et bellaverunt adversus vos qui habitabant Jericho: quæri potest quomodo id verum sit, cum clausis portis se murorum ambitu tantummodo tuerentur, sed recte dictum est, quia & claudere adversum hostem portas, ad bellum pertinet: non enim miserunt legatos qui poscerent pacem. Unde si dictum esset, pugnaverunt adversum vos, falsum esset, neque enim bellum continuas pugnas habet, sed aliquando crebras, aliquando raras, aliquando nullas. Bellum est tamen quando est quodammodo armata dissensio.

Jos. 24. 12. *Misique ante vos crabrones, & ejeci eos de locis suis, duosque reges Amorrhæorum, non in gladio & arcu tuo: dedique vobis terram in qua non laborastis, & urbes quas non ædificastis, ut habitaretis in eis, vineas & oliveta quæ non plantastis*, & reliqua. Quid est quod inter cetera quæ Jesus Nave erga Israëlitas fuisse commemorat dicit; misi ante vos vespas & ejeci eas a facie vestra; quod etiam

Sap. 12. 8. in libro Sapientiæ legitur, nec tamen uspiam factum esse in his quæ gesta sunt invenitur? An forte translato verbo vespas intelligi voluit acerrimos timoris aculeos, quodammodo volantibus rumoribus pungebantur, ut fugerent: aut aëreos spiritus occultos, quod in psalmo dicit, per ange-

Psal. 77. 49. los malignos. Nisi forte quis dicat, non omnia quæ facta sunt esse conscripta, & hoc quoque visibiliter factum, ut veras vespas velit intelligi.

Jos. 24. 15. *Eligite hodie quod placet cui servire potissimum debeatis; utrum diis quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Ego autem & domus mea serviemus Domino. Responditque populus, & ait ad Josue: absit a nobis ut relinquamus Dominum, & serviamus diis alienis. Dominus Deus noster ipse eduxit nos, & patres nostros de terra Ægypti, de domo servitutis, fecitque videntibus nobis signa ingentia, & custodivit nos in omni via per quam ambulavimus, & in cunctis populis per quos transivimus: & ejecit universas gentes, Amorrhæum habitatorem terræ quam nos intravimus. Serviemus igitur Domino, quia ipse est Deus noster. Dixitque Josue ad populum; non poteritis servire Domino: Deus enim sanctus & fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis, si dimiseritis Dominum & servieritis diis alienis, convertet se, & adfliget vos atque subvertet*, &c. Quid est quod dixit Jesus ad populum; non poteritis servire Domino, quia Deus sanctus est? An quia illius sanctitati perfecta servitute quodammodo contemperari humanæ fragilitati impossibile est? quo audito isti non solum ejus eligere servitutem, sed etiam de adjutorio ejus & misericordia præsumere debuerunt; quam ille intellixit qui dixit in psalmo; *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Psal. 142. 2. Justi autem de se potius præsumere delegerunt, quod Deo possent sine ulla offensione servire: ut jam tunc inciperent quod de illis expressit Apostolus; *Ignorantes enim Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti.* Rom. 10. 3. Ita eis jam lex subintrabat, ut abundaret delictum, & postea superabundaret gratia per dominum Christum, qui finis est legis ad justitiam omni credenti. *Testes*, inquit, *vos estis, quia ipsi vobis elegeritis Dominum ut serviatis ei.* Jos. 24. 22. *Responderuntque, Testes. Nunc ergo ait, auferte Deos alienos de medio vestri, & inclinate corda vestra ad dominum Deum Israël*, & reliqua. Quid est quod ait idem Jesus loquens ad populum, & nunc circum auferte Deos alienos qui sunt in vobis, & dirigite corda vestra ad dominum Deum Israël? non enim credendi sunt adhuc habuisse apud se aliqua gentium simulacra, cum superius eorum obedientiam prædicaverit: haud vero, si haberent post tantas legis comminationes, illa eos prospera sequerentur, cum sic in eos vindicatum sic, quod unus eorum de anathemate furtum fecerat. Denique Jacob Gen. 31. 19. dixit hoc eis qui cum illo exierant de Mesopotamia, ubi sic idola colebantur, ut & Rachel paterna furaretur. Sed post illam ammonitionem Jacob, dederunt quæ habebant: unde apparuit hoc eis ita dictum esse, quia sciebat eos habere ille qui dixerat. Nunc vero post hanc ammonitionem Jesu Nave nullus tale aliquid protulit. Nec ta-

men putandum est hoc illum inaniter præcepisse. non enim ait; & nunc auferte deos alienos si qui sunt in vobis; sed omnino tamquam sciens esse; qui sunt, inquit, in vobis. Proinde propheta sanctus in cordibus eorum esse cernebat cogitationes de Deo, alienas a Deo, & ipsas ammonebat auferri. Quisquis enim talem cogitat Deum qualis non est Deus, alienum Deum utique & falsum in cogitatione portat. Quis est autem qui sic cogitet Deum quemadmodum ille est? Ac per hoc relinquetur fidelibus quamdiu peregrinantur a Domino, auferre a corde suo inruentia vana phantasmata, quæ se cogitantibus ingerunt, velut talis aut talis sit Deus, qualis utique non est, & dirigere cor ad illum fideliter; ut quemadmodum & quantum nobis expedire novit, ipse se insinuet per Spiritum suum, donec absumatur omne mendacium: unde dictum est; *Omnis homo mendax.* (Psal. 115. 11.) Et transacta non solum impia falsitate, verum etiam ipso speculo & ænigmate, facie ad faciem cognoscamus, sicut & cogniti sumus: quemadmodum Apostolus dicit: (1. Cor. 13. 12.) *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem; nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.*

CAPUT XVI.

Percussit igitur Josue in die illo fœdus; proposuit populo præcepta atque judicia in Sichem: scripsitque omnia verba hæc in volumine legis Dei: & tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter quercum quæ erat in sanctuario Dei, & dixit ad omnem populum; En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audieritis omnia verba Domini quæ locutus est vobis: ne forte postea negare velitis, & mentiri domino Deo vestro. (Jos. 24. 25.) Et disposuit Jesus testamentum ad populum in illo die, & dedit illi legem & judicium in Silo coram tabernaculo Domini Dei Israël; & scripsit verba hæc in libro legis Dei: & accepit lapidem magnum, & statuit illum Jesus sub terebintho ante Dominum. Et dixit Jesus ad populum: ecce lapis iste erit vobis in testimonium, quia hic audivit omnia quæ dicta sunt a Domino, quæcumque locutus est ad vos hodie: & hic erit vobis in testimonium in novissimis diebus, cum mentiti fueritis domino Deo vestro. Hæc verba qui non in superficie tantum audiunt, sed aliquanto altius perscrutantur, nequaquam tantum virum tam insipientem putare debent, ut verba Dei quæ locutus est populo, inanimem lapidem audisse crediderit: qui etiamsi ab artifice in hominis similitudinem effigiatus esset, inter illos utique deputaretur, de quibus in psalmo canitur; (Psal. 113. 6.) *Aures habent, & non audient:* neque enim idola gentium aurum & argentum sola non audiunt: etsi lapidea sint, audiunt. Sed per hunc lapidem profecto illum significavit, qui fuit lapis offensionis non credentibus Judæis, & petra scandali, qui cum reprobaretur ab ædificantibus, factus est in caput anguli: quem præfiguravit & illa petra, quæ potum sitienti populo ligno percussa profudit; de qua dicit Apostolus; *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus.* (1. Cor. 10. 4.) Unde & cultellis petrinis populum circumcidit iste ductor egregius: qui cultri petrini cum illo etiam sepulti sunt, ut profundum mysterium demonstrarent, posteris profuturum. Sic ergo & istum lapidem, quamquam visibiliter statutum, spiritaliter debemus accipere in testimonium futurum Judæis infidelibus, hoc est, mentientibus, de quibus dicit psalmus; *Inimici Domini mentiti sunt ei.* (Ps. 80. 16.) Neque enim frustra cum jam Dei famulus Moyses, vel potius per eum Deus disposuisset ad populum testamentum quod in arca erat, quæ dicta est arca testamenti: & in libris legis tanta sacramentorum & præceptorum multiplicitate conscriptis, tamen etiam hic dictum est, *Disposuit Jesus ad populum testamentum in die illa.* Repetitio quippe testamenti, novum testamentum significat: quod significat & Deuteronomium, quod interpretatur secunda lex: quod significant & prioribus confractis tabulæ renovatæ. Multis enim modis significandum quod uno modo implendum fuit. Jam vero quod sub terebintho statutus est lapis, hoc significat quod virga ad petram ut aqua profueret, quia neque hic sine ligno statutus est lapis. Ideo autem subter, quia non fuisset in cruce exaltatus, nisi humilitate subjectus: vel quod illo tempore quo id faciebat Jesus Nave, adhuc obumbrandum mysterium fuit. Terebinthi lignum medicinalem lacrymam exudat, quæ arbor a Septuaginta interpretibus hoc loco posita est, quamvis secundum alios interpretes quercus legatur.

Dimisitque populum singulos in possessionem suam. (Jos. 24. 28.) Mirum est sane, quod saltim in novissimis suis verbis, quibus populum allocutus est Josue homo Dei, nihil eos objurgavit, ex eo quod his gentibus pepercerunt, quas Dominus usque ad internecionem cum anathemate perdendas esse præcepit: sic enim est scriptum; *Et factum est, postquam invaluerunt filii Israel, & fecerunt Chananæos obedientes, exterminio autem eos non exterminaverunt.* (Jos. 17. 13.) Nam primo eos id non potuisse scriptura testata est: sed nunc posteaquam prævaluerunt, ita ut facerent obaudientes, quod non etiam exterminaverunt, utique contra præceptum Domini factum est, quod non est cuiquam factum cum Jesus exercitum duceret; Cur ergo non eos objurgavit allocutione novissima, quod in hoc Domini præcepta neglexerint? An forte quod prius dixit eos scriptura non potuisse utique antequam prævalerent, etiam cum prævaluissent timuisse credendi sunt,

sunt, ne forte paratis obedire si parcere noluissent, acrius eos adversum se ex ipsa desperatione pugnare compellerent, & eos superare non possent. Hunc ergo eis humanum timorem Dominus noluit imputare, etsi apparet in eo quædam subdefectio fidei; quæ si fortis in eis esset, ea sequerentur quæ ipsum Jesum bellantem secuta sunt. Quia vero non in eis tanta fides fuit, etiam cum adversariis suis prævaluissent, pugnare cum eis usque ad internecionem eorum timore non ausi sunt. Quem timorem, ut dixi, non de malitia, neque de superbia, vel contemtu præcepti dominici, sed de animi infirmitate venientem, noluit eis Dominus imputare, cum eis per Jesum novissima loqueretur. Unde & Apostolus: *Alexander*, inquit, *ærarius multa mala mihi ostendit; reddet illi Dominus secundum opera ipsius.* De illis autem qui eum periclitantem, non malitia, sed timore deseruerant, ita locutus est: *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt. Non illis imputetur.*

2. Tim. 4. 14.

Ibid. 16.

CAPUT XVII.

Jos. 24. 29.

Et post hæc mortuus est Josue filius Nun, servus Domini, centum & decem annorum: sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ, in Thannathsare, quæ sita est in monte Effraim, a septemtrionali parte montis Gaas. In quibusdam vivit Jesus, in quibusdam vero defunctus est. In Paulo vivit JESUS, & in Petro & in illis omnibus qui merito possunt dicere: *Vivo autem, jam non ego, vivit vero Christus in me. Mihi autem vivere Christus est, & mori lucrum.* In istis ergo talibus JESUS merito vivere dicitur. In quibus autem defunctus est JESUS? In illis sine dubio, qui sæpe pœnitendo, & iterum delinquendo, velut insultare morti JESU dicuntur: de quibus scribens ad Hebræos dicit Apostolus: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Sed & ipse Dominus in evangeliis de hoc distinctionem pulcherrimam dedit, cum dicit: *Quicumque confessus me fuerit coram hominibus, & ego confitebor eum coram Patre meo qui in cœlis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, & ego negabo eum coram Patre meo.* Vidistis quia confitentes, in semetipso dixit confiteri: quasi ipse in eis vivat, & operetur opera vitæ. In his autem qui negant, non tenuit eamdem verbi similitudinem, ut diceret, quia qui negaverit in me, & ego negabo in eum; sed qui negaverit me coram hominibus, & ego negabo eum coram Patre meo: ut ostenderet, quia qui negat quidem se, extra ipsum est; qui autem confitetur, in ipso est. Quod autem mors Jesu post centum & decem annos esse commemoratur, ostendit quia per mortem Christi, omnes qui mandata legis rite servant, ad beatitudinem post finem vitæ præsentis venturi sunt perpetuam. Quod

Gal. 2. 20.
Phil. 1. 21.
Heb. 6. 6.
Matt. 10. 32.

enim sepultura ejus in finibus possessionis suæ, in Thannathsare, in monte Effraim, & in parte montis Gaas esse describitur, significat quod in ecclesia Catholica, quæ possessio Christi est, & ubi fructus virtutum gignitur, quotidie passionis Christi mentio numerose atque nobiliter celebratur. Thannath vero civitas Jesu in tribu Effraim & in Gaas monte sita est, in cujus septemtrionali plaga sepultus est Jesus filius Nave: & usque hodie juxta vicum Thannan sepulcrum ejus insigne monstratur. Interpretatur autem Thannathsare, Numerus operimenti novi. Et quotidie in ecclesia inter cetera divina sanctionis verba, a multitudine filiorum ministrorum Christi in sacramento missæ: Hic est calix novi testamenti in meo sanguine, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

Servivitque Israel Domino cunctis diebus Josue, & seniorum qui longo vixerunt tempore post Josue, & qui noverant omnia opera Domini, quæ fecerat in Israel. Beatus is qui in diebus Jesu servit Domino, qui verbo & sapientia ejus inluminatur, qui præceptis ejus inlustratur, qui ex doctrina ejus accipit lumen scientiæ. Secundo tamen loco & ille post hunc est beatus, qui in diebus seniorum, qui fuerunt post Jesum, servit Domino. Seniores qui vel cum Jesu vel post Jesum fuerunt, qui sunt alii nisi apostoli, qui & ipsi scriptis & præceptis suis inluminant corda nostra, & faciunt etiam ipsi dies quosdam in nobis ex illa luce, quam ipsi ex vera luce participati sunt, venientes? Qui ergo inluminatur & instruitur ex apostolorum præceptis, & ad servitium Domini apostolicis regulis instruitur, iste est qui servire dicitur Domino in diebus seniorum qui fuerunt post Jesum.

Joh. 24. 31.


ADAM.

Ossa quoque Joseph, quæ tulerant filii Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri quem emerat Jacob a filiis Emmor patris Sichem centum novellis ovibus; & fuit in possessionem filiorum Joseph. Notandum autem quod Josephus historiographus Judæorum, de Joseph & fratribus ejus in Antiquitatum libro secundo ita meminit, dicens: Mortuus est autem & ipse, cum vixisset annos centum & decem, virtute mirabilis, & omnia ratione disponens, potestatemque suam humiliter agens. Quod utique hujusmodi felicitatis ei causa fuit apud Ægyptios, & aliunde scilicet venientes, & talem qualem dudum diximus, passo calumniam. Mortui sunt etiam ejus fratres feliciter in Ægypto convenientes: quorum corpora post vitam illorum reportantes eorum posteri, in Ebron sepelierunt. Ossa vero Joseph novissime, quando Hebræi egressi sunt ex Ægypto, in Chananæam reportaverunt.

Sic enim eos conjuraverat Joseph. Mystice autem ossa Joseph significant mortem Redemtoris nostri, quem veri Israelitæ de Ægypto istius mundi, ubi crucifixus est secundum carnem, tollentes transferunt in Sichem, in partem agri quem emerat Jacob centum novellis ovibus; cum passionis ejus memoriam condunt in agro cordis sui; quatenus ad ejus exemplum discant ferre labores, & habere patientiam, operibusque bonis insistere; quod significat Sichem, qui interpretatur humerus. Hunc ergo agrum Jacob noster centum novellis ovibus in possessionem emit, quia pretio sanguinis sui possedit ecclesiam, ubi novellas oves quæ ascenderunt de lavacro, habet; ut fiat centum ovium pastor, cum angelicas atque humanas in sua potestate retinet caulas.

Eleazar quoque filius Aaron mortuus est, & sepelierunt eum in Gabaath Finees filii ejus, qua data est ei in monte Effraim. Jos. 24. 33. Quod autem Josue mortuo Eleazari consequenter mors memoratur, significat quod post passionem Redemtoris nostri, ac resurrectionem, finem accepit vetus sacerdotium, & victimæ legales consummatæ sunt, cum necessario subsequebatur novi testamenti sacerdotium, ubi Agni immaculati caro & sanguis in sacris altaribus quotidie offertur, & fidelium ore in pastum animarum suarum salubriter percipitur; ut umbra legis recedente, veritas pateat evangelii, per ipsum Dominum nostrum JESUM CHRISTUM.

Explicit liber tertius.



RATHERII VERONENSIS EPISCOPI PRÆLOQUIORUM LIBRI VI.

Ex manuscripto Laubiensi.

OBSERVATIO PRÆVIA.

RATHERIUS Brunonis fratris Ottonis I. imperatoris & archiepiscopi Coloniensis præceptor, cujus hic Præloquiorum sex libros exhibemus, vir fuit in divinis scripturis eruditus, & in artibus humanis quas liberales vocant peritissimus, animo simplex, ingenio placidus, & eloquio scholasticus, *ut scribit Trithemius. Ex monacho Laubiensi* ob religionem & septem liberalium artium peritiam Veronæ episcopus *creatus dicitur apud Luitprandum: qua ex sede ter ejectus & in ea restitutus, bis etiam Leodiensi ecclesiæ prælatus, bisque expulsus traditur: de cujus vita, moribus variaque fortuna fuse atque erudite suo more scripsit Mabillonius, cum in tom. 5. Actorum SS. Ordinis S. Benedicti pag. 478. tum in tom. 3. Annalium Benedictinorum. Laudatur etiam a Luitprando Ticinensis ecclesiæ diacono in lib. 3. Historiarum sui temporis cap. 11. & 14. Sigeberto in Chronico & in lib. de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 127. Rogerio monacho Benedictino in vita Brun. archiep. Coloniensis cap. 37. & 38. Ægidio Aureæ-vallis monacho & Alexandro canonico Leodiensi S. Lamberti, qui de episcopis Leodiensibus tractans, de Ratherio hæc commemorat: Post Farabertum* Ratherius genere nostras, a Veronensi episcopatu primum dejectus, in sedem Leodiensis adsciscitur episcopii quadragesimus tertius. Nec ta-

men usque in finem vitæ suæ ejus honoris est potitus: nam dum in mores hominum tam scriptis quam dictis inveheretur, æquo mordacius, hoc non ferente potentum insolentia, a nostra sede nihilominus dejicitur, indultisque sibi aliquantis episcopii ad usum vitæ agellis, quadragesimo quarto locum dedit Balderico: cujus Ratherii nonnulla apud nos multo sale condita habentur opuscula, quo hodieque auditorum conscientias acerbe solet confricare.

Opusculorum Ratherii maximam partem edidit noster Acherius Spicilegii tom. 2. acceptam a clarissimo viro Carolo Bohesman *Leodiensi V. J. doctore, qui propriis expensis ex ms. Laubiensi ea describere curaverat. Ei etiam Præloquiorum sex libros debemus, quos cum tardius accepisset Acherius, ut eis locum cum aliis Ratherii opusculis tradere posset, aliud in tempus edendos reservaverat. De his ita scribit Folcuinus abbas Laubiensis, de gestis abbatum Laubiensium cap.* 20. In illo sane quo se Ratherius positum dixit exilio, vacans episcopio, edidit librum quem appellavit Agonisticon, cui & talem præposuit titulum: MEDITATONES CORDIS CUJUSDAM RATHERII VERONENSIS QUIDEM EPISCOPI, SED LAUBIENSIS MONACHI, *quamvis ex digestis schedulis volumen censuit appellari Præloquiorum, quod vocatur Agonisticon,* quem librum ad relegendum sive ad probandum eruditissimis quos noverat misit, Soboni videlicet & Widoni archiepiscopis, Godescalco & Aurelio præsulibus, necnon & Brunoni & Rotberto Galliarum archiepiscopis, nobilissimis & in philosophicis studiis eruditissimis, ad extremum Frodoardo Remensi, missis unicuique epistolis, quæ continentur in ecclesiæ nostræ scriniis. *Horum meminere Sigebertus & Johannes Trithemius in libris suis de Scriptoribus ecclesiasticis.*

MEDITATIONES CORDIS in exsilio cujusdam Ratherii Veronensis quidem ecclesiæ episcopi; sed Lobiensis monachi: quas in sex digestas libellis, volumen censuit appellari Præloquiorum, eo quod ejusdem quoddam præloquantur opusculum, quod vocatur Agonisticum.

INCIPIT PRÆFATIO.

VAcanti mihi, & congruentia temporis, situs & causa pariter arridente, visum est pauca in nomine Domini, ex innumerabilibus divinæ auctoritatis medicaminibus, in isto libello congerere, quibus athleta Dei in hoc sæculi schemate cum adversario luctaturus, viribus jam exertis, lacertis excussis, quotidie perungatur, quo certans legitime, coronam mereatur victoriæ. Quod ut perspicacius cuilibet forsitan minus libenter hæc ita cupienti exproprien, conabor, inquam, quantum Deus dederit, piæ verba supplicationis unde unde colligere, quibus agonitheta noster, imperatorem palæstritam, editiores spectatores, suæque partis fautores alloquens, sibi ut faueant, inimicum ut formidine, ictibus, pariterque clamore perterrefaciant, exoret. Noverit autem lector, sive quilibet decursor ejus, illi potissimum eumdem congruere, qui omnibus sollicitudinibus sæculi præsentis exutus, cunctisque rerum A transeuntium, quæ speculam mentis obtenebrant, curis penitus exoccupatus, sive ob veram philosophiam sectandam, seu pro justitiæ veritatisque defensione, quod proprie beatorum est, ipso Domino teste, vel, ut sæpe assolet, pro suæ alicujus culpæ emendatione, aliquo recluditur sua sponte, aut alterius jussione, quem mei quidem causa descriptum, plurimis vero si dignentur necessarium, si quis in aliquo sibi expertus fuerit utilem, mecum, precor ut vocitet Agonisticum sive Medicinalem. Nempe & ad pugnam suasorium, & ad medicinam utillimum invenire poterit, si ea quæ continet, ut sunt judicare velit. Nam ex uno latere te ad pugnam provocat; ex altero inflictas ab adversario plagas, fotu mirificæ artis medetur & curat: hinc fortem B & robustum incitat ad prælium, illinc fractum & enervem reformat, & reparat elisum; nunc humilem & timidum ut audeat erigit, nunc elatum & de suis viribus præsumentem arguendo humiliat, & de cujus viribus debeat præsumere monstrat. Modo tollit securitatem segniter vacantium, modo pandit remunerationem fortiter dimicantium; nunc prædicit tentationum pugnam, nunc promittit victoriæ palmam. Age itaque nunc, aggredere cursum regendo, & cuncta hæc an ita se habeant per temetipsum explorato, nil pene meum quod fastidium gignere debeat invenies, cuncta

ex sanctorum patrum dictis deflorata reperies. Primitus istam, si libet, admonitionem præfationis, senis distinctam præloquiorum libellis, brevem satis quidem, quantum ad rem, æstimatione vero paulo verbosiorem relegens. Forsitan enim istic aliquod capies emolumentum, quod tuum ad sequentia accendat desiderium, immo demonstret ad liquidum, cujus rei gratia nobis edere libuerit istum. Obsecro præterea, & obtestor te, lector sive transcriptor operis istius, per viventem in sæcula, & ejus tremendum examen, perque illam caritatem qua Deus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Domino in odorem suavitatis, ut hoc quod hic cautelæ gratia præmitto, nequaquam omiseris, si quando aut ad legendum aut ad describendum idem operam dederis, quædam in istis opusculis inveniuntur, quæ nec auctor ipse penitus approbat, ut sunt (verbi gratia) ea quæ de cujusdam Origenis gestis, vel passionibus, in libris tertio & quarto commemorat; sed quia occasione horum, magnis divinæ auctoritatis testimoniis idem est opus suffultum, da quæso veniam lector, partim visa, partim audita, partim ambigua, partim comperta narranti, non curans de gestorum continentia, vera, falsa sit, aut dubia, dummodo veritatem, sanamque doctrinam sermonum tanto libentius percipias, quanto minus a tramite rectitudinis deviare consideras. Continet istud vero Præloquium I. privatum quemlibet, II. Militem, III. Artificem, IV. Medicum, V. Negotiatorem, VI. Causidicum, VII. Judicem, VIII. Testem, IX. Procuratorem, X. Patronum, XI. Mercenarium, XII. Consiliarium, XIII. Dominum, XIV. Servum, XV. Magistrum, XVI. Discipulum, XVII. Divitem, XVIII. Mediocrem, XVIIII. Mendicum.

Explicit præfatio.

INCIPIT LIBER PRIMUS RATHERII EPISCOPI AGONISTICUS.

Dominica præcepta, cum omni generaliter ecclesiæ congruant omnia, quædam tamen specialiter singulis, pro temporum, ordinum, conditionum, ætatum, morum, affectuum, sexuum, sive causarum diversitate conveniunt singula. In pace etenim dari præcipitur tunica, cum in persecutione poni jubeatur ipsa etiam pro fratre anima, dicente autem Domino,
Matt. 19. 21. *Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me.* Si omnes illud statim implerent, quis terram excoleret? Rursum si omnes uxores relinquerent, unde propago subsisteret? Dicente autem: *Date elemosynam,*
Luc. 12. 33. quid dabit, qui nihil sibi retinuit? Dicens vero omni petenti te tribue, ut Mathæo videtur omnibus convenit, cunctis suasit, nullum dimisit. si enim habes, quod des, da, ne moreris; si non habes, da teipsum, præbe benignum munificæ mentis affectum. *Gloria enim in excelsis Deo, & in terra pax* Luc. 2. 14.
hominibus bonæ voluntatis, & Psalmista *In* Ps. 55. 12.
me sunt, inquit, *Deus, vota tua.* Rursus dicendo: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto* Luc. 10. 27.
corde tuo, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis, & proximum tuum sicut teipsum, & non furaberis, non occides, non mœchaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces rem aut uxorem proximi tui; omnes alloquitur, juvenes & senes, mares & feminas, servos & liberos, divites & pauperes, clericos & laïcos, nulli parcit, neminem excludit, omnes comprehendit. Nullus his prævaricatis innocens, nemo ista committere valet sine crimine. Videtur itaque hujusmodi esse distantia.

TIT. I. Vis esse Christianus? Bonus Christianus de multis Christianis, de populo, de cœtu, de concione, de plebe, de circumforaneis, de agrestibus? Esto laborator, non solum justus, sed & assiduus, tuis contentus, nullum fraudans, neminem lædens, neminem vituperans, non aliquem calumnians. Time Deum, sanctos precare, ecclesiam frequenta, sacerdotes honora, decimas & primitias laborum tuorum Deo offer, elemosynas pro viribus facito, uxorem dilige, præter ipsam nullam cognosce, ab ipsa etiam certis, id est festis & jejuniorum diebus, cum ipsius consensu pro Dei timore te contine, filios in Dei timore educa, infirmos visita, mortuos sepeli, quod tibi vis, alii impende; quod vero tibi fieri non vis, ne alieni feceris.

TIT. II. Miles es? præter ista, audi quid dicit Johannes Baptista: *Neminem*, inquiens, *con-* Luc. 3. 14.
cutiatis, neque calumniam faciatis alicui, & contenti estote stipendiis vestris. Quod si non vales militando adquirere stipendium, laborando manibus sectare victum, & fuge prædam, cave homicidium, devita sacrilegium. Quod, inquis, sacrilegium? illud nimirum, illud quod quam terribiliter psalmista commemorat, audi, *qui dixerunt he-* Psal. 82. 13.
reditate possideamus sanctuarium Dei, Deus meus pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti, sicut ignis qui comburit silvam, & sicut flamma comburens montes, ita prosequeris illos in virtute tua, & in ira tua turbabis eos, & reliqua. Sanctuarium autem Domini est, quicquid Domino oblatum, ad ejus pertinet domum. Sic enim habes, Moyse dicente, *Omne quod offertur Domino sanctum* Lev. 18. 23.
sanctorum est Domini, & ad jus pertinet sacerdotum. Præda vero quantum Deo displiceat audi: *Propter miseriam inopum & gemi-* Ps. 11. 6.
tum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus: Exurgens vero, id est ad vindictam se præparans

parans, quid ipse agat, manifestat dicens: A
Luc. 18. 8. *Dominus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se, & patientiam habebit in illis: amen dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum.* Vindicta autem hujusmodi
Eccli. 7. 19. quæ sit, audi; *Vindicta*, inquit, *carnis impii ignis & vermes*, at tunc erit, inquis, ignis, sed extinguibilis; vermes, sed mortales. pro-
Marc. 9. 44. pheta e contra; *Vermes*, ait, *eorum non morietur, & ignis non extinguetur*, carne autem totum hominem expressum accipe, a parte minori, sicut sæpe in scripturis per animam solam, intelligitur a parte majori; itemque, non accipiet Dominus personam in paupere, & deprecationem læsi exaudiet, B non despiciet preces pupilli, nec viduam, si effundat loquelam gemitus; nonne lachrymæ viduæ ad maxillam ejus ascendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas? A maxilla enim, ascendunt usque ad cœlum, & Dominus exauditor * delectabitur in illis, denique panis egentium vita pauperis est; qui defraudat illum, homo sanguinis est; qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Sanctus au-

* Erat in mss. ante verbum *delectabitur*, non, sed supra, alia manu adjectum.

1. Joh. 3. 15. tem ait apostolus Johannes: *Quia omnis homicida non habet hereditatem in regno Christi & Dei.* Sed forte Domino dicente: *Facite* C
Luc. 16. 9. *vobis amicos de mammona iniquitatis*, putas te ex eadem rapina redimi posse, audi eum-
Eccli. 34. 21. dem qui supra, *Immolans*, inquit, *ex iniquo, oblatio est maculata, & non sunt beneplacitæ*
Ibid. 23. *subsannationes injustorum*, itemque: *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationibus iniquorum*, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis,
Eccli. 34. 24. *Qui enim offert sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui*, unde & Maximus de jejunio agens, quid prodest, inquit, proprium non edere panem, & victum diripere miserorum? itemque, Recte, inquit, denarium D dabis pauperi, si illum alteri non abstulisti. Rursus vero qui supra: Noli offerre munera prava: non enim suscipiet illa Deus, quoniam Dominus judex est, & non est apud illum gloriatio personæ. Propheta
Isai. 33. 1. quoque: *Væ*, inquit, *qui prædaris, nonne &*
Job. 24. 12. *ipse prædaberis*: Job etiam, *anima*, ait *vulneratorum clamabit, & Dominus inultum abire non patitur.* Et vere: *Tibi* enim, dicit psalmi-
Psal. 9. 34. sta, *derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor*; hæc pauca itaque cum infinitis divinæ E legis testimoniis conferens, sic exerce temporaliter militiam, ut æternaliter viventem nequaquam perdas animam.

TIT III. Artifex es? audi, deprecatio artificum in operatione artis, accommodantes animam, & conquirentes in lege Altissimi, ut intelligas ipsis tuis operibus, te posse Deo offerre acceptabilem laudem, orationum videlicet, si Deo accommodare animam, legem requirere studeas Altissimi, in custodiendo sermones ejus præcepti, quod fit, si ipsum artificium dum adest tibi ad corporis subsidium, satagas ut sit aliquod & animæ suffragium. ex ipso denique fac elemosynas, da Domino decimas, memento quia ex omnibus quæ contulit, semper quod suum est exigit, time ne si illi tuleris partem suam, tibi potius adimas tuam, præsentem scilicet, & futuram.

TIT. IV. Et ut a genere, aliquem artificum commonendo, transeamus ad speciem, medicus es? audi etiam juxta litteram tibi præcipientem Dominum, *Medice cura teipsum*, Luc. 4. 23. id est dum in aliis curas ægritudinem corporum, satage in te valitudinem mederi morum. Quod fit, si ipso medendi ingenio, servire studeas creatori tuo, erga pauperes eo utens præcepto, quod Dominus dicit in evangelio, *Gratis accepistis, gratis date*, Matth. 10. 8. erga divites, illius, Apostoli, *Nemo circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de omnibus*, & reliqua. 1. Thess. 4. 6. Ut videlicet pauperibus gratis pro Dei amore misericorditer subvenias, divitibus vero pro mercede accepta, medelam fideliter impendas, ne Deum vindicem eos circumveniens sentias, at tu, non gratis, inquis, accepi, ut dicis, quia & magistros mercede, & species medicaminum pretio emi, vigiliis quoque multisque laboribus, medicinæ infirmorumque causa sæpissime afficior. Dominus contra: *Sine me*, inquit, Joh. 15. 4. *nihil potestis facere*, apostolus quoque: *Quid* 1. Cor. 4. 7. *habes quod non accepisti?* iterumque, *Quis* Rom. 11. 35. *prior dedit ei, & retribuetur ei?* Jacobus etiam? *Omne*, ait, *datum optimum, & omne* Jac. 1. 17. *donum perfectum desursum est.* Nam quasi te modo Deus conveniat, quis tibi, inquiens, dedit quam largitus es mercedem, nonne ego? Magistro tuo scientiam instruendi, tibi intellectum capiendi, nonne ego? an mente excedit: *Omnis sapientia a domino Deo* Eccli. 1. 1. *est*? voluntatem quoque, qua te saltem pro mercede doceret, si ego penitus avertissem, quis dare poterat? pretium pro medicaminibus collatum quis tibi ut dares concessit? facultate, affectu atque solamine in laboribus cujus ope frueris? Ad postremum te operante quis effectum tribuit operi? Nonne in multis expertus es tuum laborem nil valere, nisi ego salutem decreverim præstare? cum e duobus alterum, id est in morbo consimili medicamen recuperavit ad vitam, alterum destinavit ad sepulturam, omnia vero hæc tibi unde? quibus tuis meritis? qua prærogativa? quo præmio? quibus obsequiis? me ergo, me munerum largitorem, me operum intelligens dispunctorem, ita hanc humiliter, caritative, prudenter atque cautissime exequere artem, ut me utrique cogites præsentem, quatinus & hic effectu potiri operis proficuo, & illic remunerari pro labore merearis proprio

discretionem quoque inter lucem & tenebras, inter veritatem & falsitatem, inter opera diaboli & benignitatem Dei non modicam esse sentiens, quid ad medicinam, quid pertineat, cogita, ad maleficorum fallaciam. Pigmentis enim, herbis, diversisque creaturæ speciebus ea in nomine ejus exequi quæ peritissimorum ab eo inspirata invenit solertia ad medicos, auguriis, præcantationibus, vel aliis sacrilegarum observationum superstitionibus, ut pertinet ad mathematicos, vel marsos. Marsorum genus est in Africa, cui non nocent serpentes, & quando volunt filios suos probare, utrum sui sint, an non, mittunt illos inter serpentes, & si sunt extranei generis, illos devorant serpentes. Aliter Psilli in Africa, Marsi fuerunt in Italia incantatores serpentium, qui eos aut interficiebant, aut nocere non sinebant. Carbunculi enim vel malæ pustulæ, quem malum vulgo dicunt malampnum, remedium est, ut dicunt, si herba, quæ specialiter franciloquio dicitur radix sermone, optime trita, atque extorta, eidem superponatur, usque ad eamdem, qua posita fuerit horam super vulnus mansura, observato scilicet ut simul succus radicis, eidem in haustum ægro tribuatur, ne scilicet virus ad cor redeat introrsus, incessanterque usque ad horam qua positum est, paulatim, ne forsitan fastidium generet, in esum quantum potest, sumatur. Quiddam vero infandum, hic nec commemorandum, in scedula instar coronæ conscriptum, & vulneri superpositum, licet idem videatur præstare, nullum confert remedium, quia est maleficium, sed animæ lethale nimium affert periculum. Sed quid, quod talia veram persæpe videntur corporis sanitatem afferre? Ego, immo ipsa ratio e contra. quid quod diabolus, cum numquam in veritate Domino steterit teste, sæpe videtur vera dicere? Numquidnam ob hoc verbum cessabitur* Veritatis dicentis: *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit umquam, quia non est veritas in eo?* Verum ne ex hoc te penitus ignarum errori relinquam, & aut mentiaris exsecranda ea cuilibet Christiano, ut decipias, aut opineris ut decipiaris, profero non ex meis, sed ex illorum verbis, unde non possis omnino dubitare, quædam, quibus ex hoc satisfactionem capere possis omnimodam. dicit enim augustæ recordationis Aurelius Augustinus in libro de Trinitate quarto, Potestates aëriæ, superbæ atque fallaces, etiamsi quædam de societate & civitate sanctorum, & de vero Mediatore, a sanctis prophetis vel angelis audita, per suos vates dixisse reperiuntur, id egerunt, ut per hæc aliena vera, fideles etiam Dei ad sua traducerent falsa: Deus autem id egit per nescientes, ut veritas undique personaret

*J. cessabit. Johan. 8. 44. Aug.

A fidelibus in adjutorium, impiis in testimonium; & istud quidem ad illud edocendum, cur plerumque videatur vera dicere, cur autem salutem corporis videatur diabolus aliquando præstare, audi ex verbis Marci martyris, ut in passione sancti legitur Sebastiani: Hæc, inquit, tota belli calliditas, hoc fraudis consilium diabolicæ, a suppliciis corpus eripere, & vitiis animam subjugare. Nos e contra contendamus hosti non cedere, corpus contemnere, animæ subvenire. Quod ita esse etiam ex ipsius mendacissimi, per Bartholomeum apostolum vi divina torti, patet confessione, sicut B in ejusdem sancti legitur passione; & hæc quidem de voluntate fallendi verbis, & decipiendi commodis diaboli semper iniqua, qua sæpe per falsa bona ad vera, Deo juste permittente, pertrahit mala. Nunc de potestate justa, qua sæpe, Deo miserante, nolens licet, fideles erudit ad bona, impios perducit ad debita: istos dum per hanc flagellati corriguntur, illos dum huic subacti puniuntur, cum scilicet & per hanc decepti, ipsi eam ascribunt deceptori, aliqua, ut in supradicto ejusdem operis libro C tertio ab eodem sunt posita Augustino, dicenda; quibus suadibilius aliquid si requiris, hominem excedere cupis, cum scriptum noveris, *Altiora te ne quæsieris.* Video, inquit, quibusdam ex hac re antepositis, quid infirmæ cogitationi possit occurrere, cur scilicet ista miracula etiam magicis artibus fiant, nam & magi Pharaonis similiter serpentes fecerunt, & alia similia. Sed illud est amplius admirandum, quomodo magorum illa potentia, quæ serpentes facere potuit, ubi ad muscas minutissimas ventum est, omnino defecit; D cinifes enim musculæ sunt brevissimæ, qua tertia plaga superbus Ægyptiorum populus cædebatur, ibi certe deficientes magi dixerunt, *digitus Dei est hic.* Unde intelligi datur, ne ipsos quidem transgressores angelos & aërias potestates, in imam istam caliginem, tamquam in sui generis carcerem, ab illius sublimis ætheræ puritatis habitatione detrusas, per quas magicæ artes possunt, quidquid possunt, valere aliquid, nisi data desuper potestate. Datur autem vel ad fallendos fallaces, sicut in Ægyptios & in ipsos etiam magos data est, ut in E eorum spirituum seductionem viderentur admirandi, a quibus fiebant Dei veritate damnandi; vel ad admonendos fideles, ne tale aliquid facere pro magno desiderent, propter quod etiam nobis scripturæ auctoritate sunt prodita; vel ad edocendam, probandam, manifestandamque justorum patientiam. Neque enim parva visibilium miraculorum potentia, Job cuncta quæ habebat amisit, & filios & ipsam corporis sanitatem; nec ideo putandum est istis

Aug. Eccli. 3. 22. Exod. 8. 19.

transgressoribus angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam, sed Deo potius, a quo hæc potestas datur, quantum in sublimi & spirituali sede incommutabilis judicat: nam & damnatis iniquis etiam in metallo servit aqua & ignis & terra, ut faciant inde quod volunt, sed quantum sinitur: nec sane creatores illi mali angeli dicendi sunt, quia per illos magi resistentes famulo Dei, ranas & serpentes fecerunt. Non enim eas ipsi creaverunt, omnium quippe rerum quæ corporaliter visibiliterque nascuntur, occulta quædam semina in istis corporeis mundi hujus elementis latent. Alia sunt enim hæc jam conspicua oculis nostris ex fructibus & animantibus; alia vero illa occulta istorum seminum semina, unde jubente Creatore produxit aqua prima natatilia & volatilia, terra autem prima germina, & prima sui generis animalia. Neque enim tunc in hujuscemodi fœtus ita producta sunt, ut in eis quæ producta sunt vis illa consummata sit: sed plerumque desunt congruæ temperamentorum occasiones, quibus erumpant, & species suas peragant. Ecce enim brevissimus surculus semen est: nam convenienter mandatus terræ, arborem facit, hujus autem surculi subtilius semen, aliquod ejusdem generis granum est, & hoc hujusque nobis visibile. jam vero hujus etiam grani semen, quamvis oculis videre nequeamus, ratione tamen conjicere possumus; quia nisi talis aliqua vis esset in istis elementis, non plerumque nascerentur ex terra, quæ ibi seminata non essent, nec animalia tam multa, nulla marium feminarumque commixtione præcedente, sive in terra, sive in aqua, quæ tamen crescunt, & coeundo alia pariunt, cum illa nullis coeuntibus parentibus orta sint: & certe apes, semina filiorum non coeundo concipiunt, sed tamquam sparsa per terras, ore colligunt. Invisibilium enim seminum creator, ipse creator est omnium rerum, quoniam quæcumque nascendo ad oculos nostros exeunt, ex occultis seminibus accipiunt progrediendi primordia, & incrementa debitæ magnitudinis, distinctionisque formarum ab originalibus, tamquam regulis sumunt. Sicut ergo nec parentes dicimus creatores hominum, nec agricolas creatores frugum, quamvis illorum extrinsecus adhibitis motibus, ista creanda Dei virtus interius operetur: ita non solum malos, sed nec bonos angelos fas est putari creatores, sed pro subtilitate sui sensus & corporis, semina nobis istarum rerum occultiora noverunt, & ea per congruas temperationes elementorum latenter spargunt, atque ita gignendarum rerum, & accelerandorum incrementorum præbent occasiones. sed nec boni hæc, nisi quantum Deus jubet, nec mali hæc injuste faciunt, nisi quantum juste ipse permittit: nam iniqui malitia voluntatem habet injustam suam: potestatem autem nonnisi juste accipit, sive ad suam pœnam, sive ad aliorum, vel pœnam malorum, vel laudem bonorum. Itemque post pauca: Aliud est, inquit, ex intimo ac summo causarum cardine condere atque administrare creaturam: quod qui facit, solus creator est Deus; aliud autem pro distributis ab illo viribus & facultatibus aliquam operationem forinsecus admovere, ut tunc vel tunc, sic vel sic exeat quod creatur: ista quippe originaliter ac primordialiter in quadam textura elementorum cuncta jam creata sunt, sed acceptis opportunitatibus prodeunt. nam sicut matres gravidæ sunt fœtibus, sic ipse mundus gravidus est causis nascentium, quæ in illo non creantur, nisi ab illa summa essentia, ubi nec moritur, nec oritur aliquid, nec incipit esse, nec desinit. adhibere autem forinsecus accidentes causas, quæ tametsi non sunt naturales, tamen secundum naturam adhibentur, ut ea quæ secreto naturæ sinu abdita continentur, erumpant quodammodo, & foris creentur, explicando mensuram, & numeros, & pondera sua, quæ in occulto acceperunt ab illo qui omnia in mensura & numero & pondere disposuit, non solum mali angeli, sed etiam mali homines possunt, sicut exemplo agriculturæ supra docui. Sed nec de animalibus quasi diversa ratio moveat, quod habent spiritum vitæ, cum sensu appetendi, quæ secundum naturam sunt, vitandique contraria, etiam hoc est videre quam multi homines noverint, ex quibus herbis, aut carnibus, aut quarumque rerum quibuslibet succis & humoribus, vel ita positis, vel ita obrutis, vel ita contritis, vel ita commixtis, quod animalia nasci soleant, quorum se quis tam demens audeat dicere creatorem? Quid ergo mirum, si quemadmodum potest nosse quilibet nequissimus homo, unde illi vel illi vermes muscæque nascantur, ita mali angeli pro subtilitate sui sensus, in occultioribus elementorum seminibus norint, unde ranæ serpentesque nascantur, & hæc per certas & notas temperationum opportunitates occultis motibus adhibendo faciunt creari, non creant, sed illa homines quæ solent ab hominibus fieri non mirantur. Quod si quisquam celeritates elementorum forte miratur, quod illa animantia tam cito facta sunt, attendat, quemadmodum & ista, pro modulo facultatis humanæ, ab hominibus procurentur. Unde enim fit ut eadem corpora citius vermescant æstate, quam hyeme, citius in calidioribus quam in frigidioribus locis; sed hæc ab hominibus tanto difficilius adhi-

bentur, quanto desunt sensuum subtilitates, & corporum mobilitates in membris terrenis & pigris. Unde qualibuscumque angelis vicinas causas ab elementis contrahere quanto facilius est, tanto mirabiliores in hujusmodi operibus eorum existunt celeritates: sed non est creator, nisi qui principaliter ista format, nec quisquam hoc potest, nisi ille penes quem primitus sunt, omnium quæ sunt, mensuræ, numeri, & pondera; & ipse est unus creator Deus, ex cujus ineffabili potentatu fiet etiam, ut quod possent hi angeli, si permitterentur, ideo non possint, quia non permittuntur. Neque enim occurrit alia ratio, cur non potuerint facere minutissimas muscas, qui ranas serpentesque fecerunt, nisi quia major aderat dominatio prohibentis Dei, per spiritum suum: quod etiam ipsi magi confessi sunt, dicentes: *Digitus Dei est hic.* Quod autem possint per naturam, nec possint per prohibitionem, & quod per ipsius naturæ suæ conditionem facere non sinantur, homini explorare difficile est, immo vero impossibile, nisi per illud donum Dei quod apostolus commemorat, dicens: *Alii dijudicatio spirituum.* Novimus enim hominem posse ambulare, & neque hoc posse nisi permittatur; volare autem non posse etiamsi permittatur; sic & illi angeli quædam possunt facere si permittantur ab angelis potentioribus ex imperio Dei; quædam vero non possunt, nec si ab eis permittantur, quia ille non permittit, a quo illis est talis naturæ modus, qui etiam per angelos suos & illa plerumque non permittit quæ concessit ut possint. Exceptis igitur illis, quæ usitatissimo transcursu temporum in rerum natura ordine corporaliter fiunt, sicuti sunt ortus occasusque siderum, generationes & mortes animalium, seminum & germinum innumerabiles diversitates, nebulæ & nubes, nives & pluvia, fulgura & tonitrua, fulmina & grandines, venti & ignis, frigus & æstus, & omnia talia; exceptis etiam illis quæ in eodem ordine rara sunt, sicut defectus luminum & species inusitatæ siderum, & monstra, & terræ motus & similia. Exceptis ergo istis omnibus, quorum quidem prima & summa causa non est nisi voluntas Dei: unde & in psalmo, cum quædam hujus generis commemorata essent, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis*, ne quis ea vel fortuitu, vel causis tantummodo corporalibus, vel etiam spiritualibus, tamen præter voluntatem Dei existentibus agi crederet, continuo subjecit, *Quæ faciunt verbum ejus*, sed his, ut dicere cœperam, exceptis, alia sunt illa, quæ quamvis ex eadem materie corporali, ad aliquid tamen divinitus adnuntiandum nostris sensibus admoventur, quæ proprie miracula & signa dicuntur. Habes hic tanti

Exod. 8. 19.
1. Cor. 10. 10.
Ps. 148. 8.

A auctoritate doctoris, & multa posse dæmones per angelicam illam suam naturam, quæ etiam non possunt per prohibitionem divinam; nil vero posse, nisi data desuper potestate, vel ad fallendos fallaces, sicut Ægyptios, quorum similes sunt, qui fallacias diaboli aut venerantur tamquam divinas, aut desiderant tamquam proficuas, cum multum etiam illis sunt detestabiliores, qui eas exercent, immo per quos exercentur, tamquam virtutes, vel ad admonendos, vel ad probandos fideles; admonendos, ne similia facere cupientes, eorum efficiantur similes; probandos vero, ut his B eruditi, exercitati atque manifestati monstrent quantum diabolo erecti, Deo vero sint subjecti. Quis enim eorum, qui hodie in talibus usque ad perditionem animæ in tantum decipiuntur, ut etiam eis quas ait Gen. Herodian illam Baptistæ Christi interfectricem, quasi reginam, immo deam proponant, asserentes tertiam totius mundi partem illi traditam, quasi hæc merces fuerit prophetæ occisi, cum potius sint dæmones, talibus præstigiis infelices mulierculas, hisque multum vituperabiliores viros, quia perditissimos decipientes? Quis, C inquam, talium videns tanta miraculorum potentia, & hoc per dæmones flagellari aliquem, sicut Job illum admirabilem, hortaretur dicere, immo crederet juste dici: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est*; quin potius non solum malignis angelis, sed etiam quibusdam miserrimis hominibus illud ascribens, quemlibet immissorem aut propulsorem, ut dicitur, tempestatum evocari, donisque, ut hoc mederi dignaretur, placari; uti videlicet Mercurius socios Ulyssis tactu quondam caducei: ne dicam enim de tanto tantæ gloriæ, ut beati Job fuit, damno, hoc D non facerent de vilissima recula, hoc est vel cultello, vel corrigia, id sæpe vidimus fieri ab his quibus in corde illud nostri istius jam sæpefati non sonuit Augustini: Gaudes quia res tuas invenisti, non es tristis quia tu peristi, multo magis periret tunica tua, quam anima tua. Et illud Psalmistæ: *Confundantur omnes facientes vana.* Apostoli etiam de culpa scilicet valde minori: *Dies*, inquit, *observatis & menses & annos, timeo ne sine causa laboraverim in vobis.* Et illud de E Regum libro quarto: *Numquid non est Deus in Israël, ut eatis ad consulendum Belsebuth Deum Acharon? Quamobrem hæc dicit Dominus Ochoziæ regi, de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris.* Et ecce hoc exemplo cum per talia sanari plerumque quidam videantur, Dei scilicet aut misericordia ad pœnitentiam exspectati, aut justitia sibi ipsis derelicti, quid mereantur Dei judicio comprehensi. Si enim justus judex cuncta in hoc sæculo vindicaret, illo

ultimo

Job. 1. 21.
Aug.
Psal. 24. 3.
Gal. 4. 10.
4. Reg. 1. 16.

A ultimo judicio opus non esset; si autem nullas res humanas eum curare, nullus pene crederet. Non convenire igitur scias juxta cujusdam sapientissimi sententiam, vilissimorum spirituum te præsidia captare, quem sapientia in hanc vult excellentiam componere, ut Deo similem, quantum scilicet ad ejus spectat concessionem, possit efficere; eamque mentium naturam esse, eodem ipso docente, perpende, ut quoties abjecerint veras, falsis opinionibus induantur; & illud magis exerce, quod ut in primordio locutionis suggessi, a Deo inspiratorum medicorum vera, quia probata invenit sollertia, quam quod infelicium meretricularum diabolo acta conjectavit dementia; ita fit ut nulla infidelitatis caligo verum illum, quo videri quidpiam solet agendum, confundat intuitum, & propter sapientiæ bonum, & medelæ a Deo concessæ subsidium, a regibus, immo ut legitur, a Rege utique regum omnium, tam temporale quam æternum accipies donum; disciplina quoque exaltabit caput tuum, & collaudaberis in conspectu magnatorum, ad agnitionem hominum virtus tua erit, scientiam quoque tibi Altissimus honorare in mirabilibus suis dabit, in his curans mitigabis dolores, & facies pigmenta suavitatis, & unctiones conficies sanitatis, & non consumentur opera tua, sed pax Dei semper erit super faciem terræ tuæ.

TIT. V. Negotiator es? audi, *Propter inopiam multi deliquerunt, & qui quærit locupletari, avertet oculum suum, si in medio compaginis lapidum palus figatur, sic & inter medium venditionis & emtionis angustiabitur peccatum conteretur cum delinquente delictum, si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.* Itemque *Avaro nihil est scelestius, nil iniquius, quam amare pecuniam; hic enim animam suam venalem habet.* Dominus autem in evangelio: *Intuemini*, ait, *& cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita hominis est super terram, ex his quæ possidet.* Itemque qui supra: *Multos*, inquit, *perdidit aurum atque argentum.* Et *Viro cupido & tenaci sine ratione est substantia, & qui acervat injuste, aliis congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur.* Rursumque: *Difficile*, ait, *exuitur negotiator a negligentia, & non justificabitur caupo a peccatis labiorum.* His itaque sic se habentibus, perpende, quæso, quam periculosum animæ tuæ sortitus sis officium, & scito te, paulo licet excusabilius, cum prædonibus appellari publicanum. Vitio enim te deservire, nec modico, id monstrat vocabulum, quo te a multis vocari audis cupedinarium. *Radix* enim *omnium malorum*, Apostolo teste, *cupiditas*; attamen ne desperes, quia scriptum est: *Benedictio Domini supra caput vendentium*; sed considera quorum. Fac ita-

Eccli. 27. 1.
Eccli. 10. 9.
Luc. 12. 15.
Eccli. 8. 3.
Eccli. 14. 3.
Eccli. 26. 28.
1. Tim. 6. 10.
Prov. 11. 26.

que, dum adhuc dies est, quod tibi suggero: *Fœnerare proximo in tempore necessitatis illius*, quia *facit misericordiam qui fœneratur proximo, & qui prævalet manu, mandata servat.* Voca igitur Christum ad domum tuam, præpara ei convivium & cœnam, pedes lava, lacrymis riga, capillis terge, pasce eum, vesti, calefac, pota, hospitio suscipe; non dedignabitur ad domum tuam divertere; immo frontuose ingerit se; ipse quotidie ut suscipiatur rogat, cum tu deberes cogere, consulit non suæ indigentiæ, sed tuæ avaritiæ, tum demum ad domum ejus propera, discipulos ejus alloquere; munera B deprecare, ut tibi veniam, tibi consilium, tibi indulgentiam & ipsi præbeant, & a Deo exposcant; perpende dum domi congeris lucrum, quantum animæ comparas detrimentum: *Quid* enim, ait Dominus, *prodest homini, si universum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur?* Et apostolus: *Mundus*, inquit, *transit, & concupiscentia ejus.* Verere ergo ne dum insatiabiliter inhias transitoriis, priveris mansuris; esto potius tibi bonus medicus, de instrumento avaritiæ subsidium confer animæ; C *Facite*, inquit Dominus, *amicos vobis de mammona iniquitatis*; nec hoc dicens hortatur ad fraudem, sed postquam fraudem fecisti, invitat ad emendationem. verbi gratia, debuisti quidem nil rapere, nil malo ingenio congregare, neminem in aliquo negotio circumvenire, certus, prædicente & testificante apostolo, vindicem super hoc omnipotentem Dominum esse, diei victu contentus manere, a Deo omnia sperare, qui ipsa quoque volatilia pascit quotidie, quod ipse dedisset cum gratiarum D actione & ipse sumere, & aliis participare; quod dare noluisset nec cupere, sed ipsius justitiam glorificare. Sed quare hæc transgressus rapuisti violenter, congregasti fraudulenter, usuram & superabundantiam amasti, ingenio tuo te concessisti, Deo cuncta licet indigno danti ingratus extitisti, aliis secundum Domini præceptum non communicasti, quod dare illi non placuit sæpe quæsisti, nec adeptus multoties murmurasti. post hæc omnia quæ minime debuerant contingere, non adhuc te vult perdere, monstrat tibi divitias bonitatis E suæ, & de ipso veneno avaritiæ antidotum tibi conficit indulgentiæ, *ut dum defeceritis*, inquiens, *recipiant vos in æterna tabernacula.* Illis ergo male quæsitum, pejus inventum, pessime congregatum eroga, qui cum defecerit vita, tibi in cœlis reddere tributa, compensare collata, coadunare, immo centuplicare valeat dispersa. observa tamen, ut si fieri potest, id est si præsentes sunt quibus aliquid tulisti, & copia favet, primitus secundum Zachæum, & si non vales aut voles quadruplum, saltem restituas simplum.

Eccli. 29. 2.
Ibid. 1.
Matt. 16. 26.
1. Joh. 2. 17.
Luc. 16. 9.
Luc. 16. 9.

Memento etiam quot perjuria in ipsa taxa-
tione, quot mendacia in ipsa protuleris
auctione, & tibi super his consule, sciens
veracissime patrem mendacii diabolum
esse, ipso Domino testante, qui & per le-
Levit.19.12. gem cognoscitur clamasse: *Non perjurabis*
in nomine domini Dei tui; & per semetipsum:
Matt. 5.34. *Ego autem dico vobis non jurare omnino.* Unde
& idem sapiens qui supra: *Potius*, inquit,
Eccli. 20.27. *fur, quam assiduitas viri mendacis, perdi-*
tionem tamen utrique hereditabunt. Itemque
Ibid. 23.9. *Jurationi non assuescas os tuum; multus est*
enim casus in illa. Nominatio vero Dei non sit
assidua in ore tuo, & nominibus sanctorum non
commiscearis, quoniam non eris immunis ab eis.
Eccli.27.15. A ibi quoque: *Loquela*, ait, *multum jurans*
horripilationem capiti statuet; horripilatio
vero, id est horror pilorum, qui ex subito
pavore, vel nimio rubore solet contingere:
si vis nosce ubi contingat, maxime audi
Heb. 10. 31. Apostolum: *Horrendum est*, inquit, *incidere*
in manus Dei viventis; & Job de locis poe-
Job. 10. 22. nalibus, *Ubi nullus*, ait, *ordo sed sempiternus*
horror inhabitans. Sed ne forsitan minus no-
stra auctoritate, quae nulla est, ductus, con-
silium a nobis capere nolis, audi quaedam
verbis ipsius Spiritus-sancti, uti & habentur
Eccli. 7. 31. in agiographa, tuae saluti congruentia: *In*
tota, inquit, *anima tua time Deum, & sacer-*
dotes illius sanctifica. In omni virtute tua di-
lige eum qui te fecit, & ministros illius non
derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua,
& honorifica sacerdotes, & perpurga te cum
brachiis: da illi partes primitiarum, sicut man-
datum est tibi, & de negligentia purga te cum
paucis; porrige pauperi manum tuam, ut per-
Eccli. 8. 1. *ficiatur propitiatio & benedictio tua. Non liti-*
ges cum homine potente, ne forte incidas in
manus ejus, non contendas cum viro locuplete,
Eccli. 7. 37. *ne forte econtra constituat litem tibi. Mortuo*
non prohibeas gratiam, nec desis plorantibus
in consolatione, & cum lugentibus ambula, non
te pigeat visitare infirmum, ex his enim in di-
Ibid. 4. *lectione firmaberis.* Quid magis? *In omnibus*
operibus tuis memorare novissima tua, & in
aeternum non peccabis.

TIT. VI. Causidicus vel advocatus es, cogita cu-
jus sortitus sis agnomen, & tam bonae rei
1. Joh. 2. 1. ministrum te exhibe fidelem. de Domi-
no enim dictum est, quia advocatum eum
habemus apud Patrem, dissimula quoque
aliquando causationem ob conservandam
dilectionem.

TIT. VII. Locotheta, quem nos comitem dicimus
palatii, praefectus aut judex es? Considera
quem & tu habiturus sis dispunctorem,
vel judicem, perpende quam grave tuleris
jugum, & puta quod non sit gravius ullum.
illius enim solius est, libere de alterius ju-
dicare peccato, qui non habet unde judi-
cetur ex suo. audi denique ipsum: *Nolite,*
Matth. 7. 1. inquit, *judicare & non judicabimini, nolite*
condemnare & non condemnabimini. Audi &

A alium, sed tamen ab ipsius spiritu doctum;
Noli, ait, *quaerere fieri judex, nisi forte valeas* *Eccli. 7. 6.*
virtutem irrumpere iniquitatis, ne forte exti-
mescas faciem potentis, & ponas scandalum in
aequitate tua. At tu, ita, inquis, haec tua
videntur verba sonare, quasi Deus judices
omnino nolit esse. Ubi ergo lex? Ubi fas?
Ubi ipsa inter bonum malumque discretio?
omnibus licebit quaelibet impune agere:
furtum aeque laudabitur ut datum: vitia
cum virtutibus pari corona gaudebunt?
quis inter fratres hereditatem dividet? quis
viduam a calumniatore, virginem a raptore
defendet? quis inopem tuebitur? non, in-
B quit Deus, prohibeo in praesenti saeculo
aliquod inter homines esse judicium, sed
praedico periculum, ut caveas peccatum.
quod enim periculosum est uni, non debet
passim a multis ambiri. denique conside-
rans, vix umquam potui judicem cernere
sine cupiditia. Et certe ipsa non discernit
justa, immo obcaecat judicum corda, volo
ergo esse judices, non praedones; volo ju-
dices, non raptores; volo judices, non ca-
lumniatores; volo judices, sed veraces;
volo judices, sed non divitiis inhiantes. ete-
nim quidam amicum suum de partiendo
C onere potestatis consiliaturus, constitue,
ait, judices, qui oderint avaritiam. Sapien-
tiae quoque liber ita incipit: *Diligite justi-* *Sap. 1. 1.*
tiam qui judicatis terram; Jesus quoque filius
Sirach ait, *In judicando esto pupillis misericors,* *Eccli. 4. 10.*
ut pater, & pro viro matri eorum, & eris tu
velut filius Altissimi obediens, & miserebitur
tui magis quam mater. Dominus quoque in
Deuteronomio. *Maledictus qui pervertit ju-* *Deut. 27. 19.*
dicium advenae, pupilli, & viduae. Itemque qui
supra: *Ne relinquas retro tibi maledicere: ma-* *Eccli. 4. 5.*
ledicentis enim tibi in amaritudine animae,
exaudietur precatio illius, exaudiet autem illum
Deus qui fecit illum. Et rursus: *Noli amare* *Ibid. 7. 13.*
D *mendacium adversus fratrem tuum, neque alli-* *Ibid. 8.*
ges tibi duplicia peccata, neque enim in uno eris
immunis. Psalmista quoque: *Usquequo*, in-
quit, *judicatis iniquitatem, & facies peccato-* *Ps. 81. 2.*
rum sumitis? judicate egeno & pupillo, humi-
lem & pauperem justificate eripite pauperem, &
egenum de manu peccatoris liberate. Alius vero:
Non assumas, inquit, *personam pauperis in ju-* *Eccli. 35. 16.*
dicio; quod tunc observandum scias quan-
do dives justam, pauper injustam ut asso-
let, habet causam. Item, idemque, *Audite* *Deut. 1. 16.*
& quod justum est judicate, sive civis sit ille,
E *sive peregrinus, nulla distantia sit personarum,*
ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis
cujusquam personam in judicio, quia Dei est ju-
dicium. Judex vero dicitur quasi jus dicens, AUG.
jus vero dicere, juste est judicare. Denique
audi quemdam de cujus auctoritate non
dubites. Bonus, inquit, judex nil debet ar-
bitrio suo decernere, nec domesticae vo-
luntatis proposito aliquid judicare, nil pa-
ratum & meditatum dona proferre, sed

juxta leges & jura, cuncta pronuntiare, decretis obedire, nil propriæ voluntati indulgere, & ô quam bene ipsi hæc dicens, voci concordat, summi & solius sine mendacio judicis ita dicentis: sicut audio, judico; & tu itaque, sicut audis, judica, & sicut sese habet rerum natura decerne; cave tamen ne aliquem capias in verbo, Pharisæorum exemplum aspernare, qui insidiantes observabant, quomodo Dominum caperent in sermone. Memento te non solum in sermone, sed etiam in multis offendere quotidie, ipso omnium justissimo judice spectante. Juste etiam cum judicas, cave præmium ne exigas, aut aliquod servitium, ne de
Isa. 3. 12. te conqueri Dominus videatur dicens: *Populum meum exactores sui spoliaverunt.* audi potius præcipientem ipsum; *Juste*, ait, *quod justum est exequeris*; injuste enim quod justum est exequitur, qui præmium pro justo opere expetens, ipsam justitiam vendere non veretur. Sed sufficiat istud modicum, nam si plenius vis instrui, lege libellum tibi congruentem Isidori.

ISID. TIT. VIII.

Testis es? cave illud dicentis: *Testis fal-*
Prov. 19. 5. *sus non erit impunitus.* Nam cum juxta cujusdam carmen, vera tacens, & falsa loquens, utrique nequiter errent; hic, quia non prodest, hic quod obesse cupit. flagitium majus æstimo nullum, quam falsum testimonium, quia & Domino in quem perjurat, & judici, quem fallit, & omnem ejus culpam sibi congerit, & proximo quem lædit, & omnem ejus calamitatem animæ suæ infligit, reus tenetur. *Facilius est quoque*, ut quidam ait, *vitare discordem, quam declinare fallacem.*

TIT. IX.

Procurator, exactor, quod gestaldus, usitato multis, franciloquo vero, major dicitur eloquio, sive thelonearius, vel cujuslibet alterius publicæ functionis minister es? Considera cujus rei ministerio fungeris, sciens veracissime dictum, *quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur*, etiam cum usura pœnarum; ideo autem in principio monui considerari ministerium, quia diversa novi genera ministeriorum, & leviora quidem alia, alia vero graviora, inter quæ nullum scio, ipso, quod curaturam Italici dicunt, gravius. ipsum enim, dum juxta suimet vocabulum incessanter rem urget curari terrenam, miseram miserrime negligi cogit animam. ad illud enim, veluti ad quoddam azylum, omnia confluunt genera vitiorum, & dum illius officii sit, omnia vitia ulcisci, nullum invenitur, quo non constet reum illum teneri. nam fures procuratoris est tradere carceri, cum pene nil aliud videatur ipse quotidie, nisi rapinam & fraudem sectari, & in comparatione mali, levius est, ut autumo, absque violentia quælibet furari, quam cum tormentis ab aliquo quod detur exigi, levius penuriæ

A necessitate quævis latrocinia exercere, quam cupiditatis ardore, fraudem aut seniori, aut alicui alteri, aut certe sibi ipsi, inferre. in quo & perjurium incurrere, nec furtum videatur cavere, quod approbat Sapiens, qui dicit, *potius furem quam assiduitas viri mendacis, perditionem tamen utrique hereditabunt.* Itemque de malo perjurii, *vir*, ait, *multum jurans replebitur iniquitate & non discedet a domo illius plaga, & si frustraverit, delictum ejus super eum erit; & si in vacuum juraverit, non justificabitur: replebitur enim tribulatione domus ejus; & si dissimulaverit, delinquet dupliciter*, dissimulare vero perjurium est arte jurare, dupliciter vero delinquit, qui hoc agit, quia & Deo, cujus conspectum non abhorret; & proximo, quem fallere non timet, reus tenetur: dupliciter delinquit, quia & fallaciæ, & perjurii notam incurrit. Procurator adulteros & meretrices pænis deputat, cum tota ejus vita ebrietati ceterisque luxibus, quæ adulterii & fornicationum solent esse fomenta, spurcissime deserviens, eadem illum agere, quæ in aliis damnat perspicacissime demonstret. Ad cumulum vero perditionis, si forte aliquis talium quod offerat invenit, statim & ipsum criminis ultorem adquirit tutorem: sicque in illo completur, quod in psalmo legitur ita, *Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas*, quid magis? breviter perstringentes, dicamus tale esse hujusmodi negotium, ut quasi è multis millibus hominum, unus videatur assumi, qui ob aliorum emendationem vel commodum æternæ tradi debeat perditioni. sed quid facio qui id ipsum genus officii video a quibusdam pretio captari? quid, inquam, inde? numquamne vidisti ab aliquo resticulos erui, quibus funis quo appenderetur deberet fieri. Hujusmodi ergo vecordiæ technam, & istius miserrimi ascribe. sed ne more Pharisaico, dum vehementer carpimus facinus, desperationem emendationis incutere videamur, divitias bonitatis Dei monstrantes, etiam tu quomodo salvari possis, pandemus. Ante omnia hoc tibi damus consilium, ut si aliquo modo vales ab isto te mortifero excutias laqueo, & sic demum ad pœnitentiæ medicamina confugiens, pro modo criminis, medelam quæras satisfactionis. quod si non vales omnino, cum magno tremore, quod præceptum est exequens, cave ante omnia crudelitatem, inde fraudem, hinc cupiditatem & rapacitatem, non minusque ebrietatem, postremo illum psalmi versiculum quem protulimus, videlicet, ne aliquo precio illectus, aut veluti quadam misericordia deceptus, furtum aliquod tegas, aut quodlibet quod insequi debeat crimen defendas: ulciscendis vero criminibus

Eccli. 20. 27.
Eccli. 23. 12.

ita quod ministerio congruit exequere, ut A numquam excidat memoriæ, quod Dominus in parabola omnibus protulit, tibi maxime, cujus finis est iste, *serve nequam nonne oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum? tunc iratus tradidit eum tortoribus.* sed & illuc quæso memineris sæpe, *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat*, & inter agendum, suffragium tibi semper adhibere ne cesses eleemosynarum. His forsitan cum humilitate cordis pias omnipotentis aures pulsantibus, mereberis aliquando, ut ad te ipse venire, & per se sicut Zachæum, & Matthæum, B visitare te, atque curare, & his qui te olim salvum posse fieri desperaverant, dignetur respondere, *Quia non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam.*

Matt. 18. 32.
Joh. 8. 7.
Matth. 9. 13.

TIT. X. Patronus, sive ut usitatius a multis dici ambitur, senior es? audi, *Quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Similiter, & Moyses, *Non morabitur opus merenarii tui apud te usque mane.* opus vero, pro mercede operis positum, intellige, uti per efficientem id quod efficitur, & per continentem id quod continetur, quidlibet significari legis sæpissime. alius vero, *Qui effundit*, inquit, *sanguinem innocentem, & qui* C *fraudem facit mercenario, fratres sunt, unus destruens, & alter ædificans. quid prodest illis nisi labor? unus orans, & unus maledicens, cujus vocem exaudiet Deus?* Et per Malachiam: *Ero*, ait Dominus, *testis velox maleficis, & adulteris & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenarii.* Quem locum Hieronymus exponens, adverte quid dixerit, nequaquam ait levia putemus esse peccata, perjurium & mercedem non reddere laboranti, & cetera his subnexa, quæ maleficio, veneficiis, atque adulterio comparantur. D Apostolus quoque: *Qui suorum*, inquit, *& maxime domesticorum, curam non gerit, fidem negavit, & est infideli deterior.* Attende Deum in principio creationis humanæ dixisse: *Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis terræ.* Ut intelligas homines non hominibus, sed volatilibus, bestiis, & piscibus, esse prælatos, omnesque a Deo natura æquales conditos, sed inæqualitate morum faciente, aliis alios in tantum suppositos, ut plerumque aliqui E dominentur etiam melioribus. Unde & majores eos qui ceteris principabantur, patres patriæ, dictatores, & consules, quam reges appellare maluerunt, invidiosum fore censentes, si dicerentur homines, veluti pecora a quolibet regi. meminisse autem, ut & Gregorius dicit tibi, oportet, sanctos patres nostros, non reges hominum, sed pastores fuisse pecorum. Augustinus quoque de æqualitate naturæ & sociali vinculo amicitiæ, quoniam, inquit, unusquisque homo humani generis pars est, & sociale quiddam est humana natura, magnumque habet & naturale bonum, vim quoque amicitiæ, ob hoc ex uno Deus voluit omnes homines condere, ut in sua societate, non sola similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo tenerentur. Beatus quoque Leo papa, id ipsum luculentissime exequens, simul, inquit, cum servis habemus, quod ad imaginem Dei conditi sumus, nec carnali a nobis, nec spirituali nativitate divisi sunt. Eodem spiritu sanctificamur, eadem fide vivimus, ad eadem sacramenta concurrimus. Severinus quoque Boetius disserens de eodem negotio, plurima quæ cœcis etiam valeant esse perspicua concludit ita: Si primordia vestra, inquiens, auctoremque Deum spectes, nullus degener extat, invitus pejora fovens proprium ne deserat ortum. Cui sententiæ concinit, & alterius cujusdam, sermone actu & nomine Benedicti, quodam loco dicentis: Sive servus, sive liber, omnes in Christo unum sumus, & sub uno Domino æqualem servitutis militiam bajulamus, quia non est personarum apud Deum acceptio, solummodo in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores aliis operibus bonis & humiles inveniamur. Nota vero tu quisquis es, qui de fastu alti gloriaris abusive sanguinis, cum omne hominum genus in terris simili surgat ab ortu, & non ex alia, sed ex eadem massa compositus, ex uno patre, ex eademque qua servorum quilibet sis matre creatus, quia si omnes in Christo quoque unum sumus, uno scilicet pretio redempti, eodemque baptismo renati, quisquis eamdem fraternitatis unitatem, ceteris se proponendo scindere nititur, paternitatem sine dubio, illius redemptionem & regenerationem quoque, qua ejus filii efficiuntur, quantum in se est, annullare, &, ut ita dicam, abnegare probatur. Verum si solummodo in hac a Deo parte discernimur, si meliores aliis in operibus bonis & humiles inveniamur, convincitur melior esse qui tibi servit humiliter, quam tu qui eum despicis arroganter; nobilior qui tibi quod promisit exhibet fideliter, quam tu, qui eum decipis mendaciter; generosior qui jura naturæ custodiens, proprium non deserit ortum, quam tu qui vitiis vitia nutriens, vim amicitiæ magnumque & naturale violas bonum. His igitur, utpote verissima veracissimorum auctoritate suffultis, & nulla sui contrarietate nutantibus, rectissime concessis, firmissima colligitur diffinitione, non natura sed voluntate, homines a se invicem distare, ad erudiendam vero stultorum inscitiam, ad confutandam arrogantium proterviam, ille qui in evangelio dicit: *Pater meus usque modo operatur, & ego cooperor*, quotidie nobis cernentibus hunc humiliat, & hunc

Lev. 19. 13.
Eccli. 34. 27.
Malach. 3. 5.
HIER.
Gal. 6. 10.
Gen. 1. 28.
GREG.
AUG.
LEO.
BOETIUS
BENED.
Reg. c. 2.
Joh. 5. 17.

Psal. 112. 6. hunc exultat, *quia suscitat de pulvere egenum, & de stercore erigit pauperem, ut collocet eum cum principibus.* Videlicet ut cum quilibet de nobilitate gloriatur generis, perpendens quoscumque ex paupere & infimo genere, ad summos honores conscendere, advertat antecessoribus suis, & id contingere potuisse, & studeat elationem reprimere, Jac. 1. 17. *Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est.* Et Rom. 13. 1. *non est potestas nisi a Deo*, quod perspicacissime monstrant nobilium filii, ad penuriæ infamiam deducti, & servorum soboles summatum obtinentes hereditates, quovis ordine easdem indeptæ insignes. Ponamus namque ante oculos quemlibet præfecti filium, cujus avus judex, abavus tribunus vel scoldascio, atavus cognoscatur miles fuisse: quis illius militis pater ariolator an pictor aliptes an auceps, cetarius an figulus, sartor an fartor, mulio an sagnio fuerit; postremo eques an agricola, servus an liber, quis recordatur post omnia? Servis enim regna dabunt captivis fata triumphum, ut quondam per ARATOR quemdam cantatum est satyrographum; quod tamen non fatis, sed disposito jure ascribitur cunctipotentis quid vero si cui illorum contigerit, quod cuidam tibicini contigisse Varro testis est, quod videlicet, VARRO. aliquando etiam ignobili ministerio ad summum aliquem honorem provectus fuerit, sic ut ille eadem arte tantum populum delectavit, ut rex fieri meruerit. numquid enim tibicinem illum nobilitare potuit, dum extulit tibia, quod non valuit, dum protulit natura? Sed relinquamus istud ambiguum & forte nec credendum ducamus ad medium, quid quod non vafris gentilium, sed certis sacrarum scripturarum assertionibus, monstrare quimus ad liquidum? David, fratribus reprobatis, in regem a Deo electus, quia Dei munere eosdem regno præcessit, numquidnam & genere superavit, aut illius progenies propter regnatum alia, quam eadem quam sine regnatu protulit natura? nobilis ille, quia rex; ignobiles fratres ejus quia milites. an, quod verum est, hanc sibi virtute nobilitatem cum Dei gratia paravit, ut qui familia erat ignotus, clarescceret moribus. unde Cicero pulcherrime CICERO adversus Salustium agens, velim, inquit, mihi respondeat, numquid hi quos protulit Scipiones, & Metellos, ante fuerint opinioni & gloriæ, quam eos res suæ gestæ, & vita innocentissime acta commendavit? quod si hoc fuit illis initium nominis & dignitatis, cur non æque nobis æstimabitur? Itemque, Quare noli mihi antiquos viros objectare, satius est enim me meis rebus gestis florere, quam majorum meorum opinione niti, & ita vivere ut ego sim posteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum. His contra hodie agitur.

A mavult enim quis avum laudari, quam sesplendidum te; ait Boetius, si tuam non BOETIUS habes, aliena claritudo non efficit. ceterum ut ad id, quod usualiter quotidie cernimus contingere, redeam; nonne vides multos hodie, obsequio, aut quolibet ingenio, non modo mereri libertatem, verum & ipsam dominorum nancisci hereditatem, nobilique quamquam impari interveniente connubio, servorum dominicæ persæpe etiam præferri propaginem? factum sit, infectum sit, narratum est quod refero: cujusdam divitis filius: gutta B quam (a) cadivam dicunt, laborabat: [a] medicorum omne probatissimorum erga eum inefficax ingenium, ad desperationem salutis, paternum atque maternum deduxerat animum, cum ecce unus servorum suggerit, ut flores arboris persici optime mundatos, primo lunis die Aprilis mensis in vase vitreo colligerent, quod sub radice ejusdem arboris, insciis omnibus, ab uno quo vellent suffoderetur, eodem die reversuro ipso, a quo positum est anno vergente, si fieri posset, hora quoque eadem, & ef- C fosso vase, flores in oleum conversos, arborem siccatam inventuro; quod sub altare posito, presbytero quoque ignorante, novem missis super eo celebratis sanctificaretur, & statim post accessum ejusdem morbi novem vicibus in haustum diatim scilicet ægro daretur, cum oratione dominica, ita dumtaxat, ut post *sed libera nos a malo*, a dante diceretur, libera Deus istum hominem, nomine ill. a gutta cadiva, & quibus novem diebus missam quotidie audire, azymum panem cibumque quadragesimalem, post jejunium caperet; atque ita D Deo miserante convalesceret: factum est, si tamen factum est, ille convaluit, servus emancipatus est, etiam heres ascriptus, medicina ab innumeris adprobata, multis quoque salutis contulit remedia. hoc ideo libuit referre, ut & legentes eamdem experirentur, quo mea opera etiam in hoc aliquibus suffragium, contra hujusmodi incommodum pararetur, & te cum quo mihi sermo est, hujusmodi exemplis com- PERSIUS monefaciam, ne te quæsiveris extra, neve stulte alicui tibi maxime commendato, veluti nobiliorem te velis præferre, certus E te ejusdem conditionis, ejusdem mortalitatis, ejusdem pulveris esse, dignitatemque sæculi, si enucleatim discutiatur, non in genere, sed in ipsa consistere possessione, in quantum videlicet non ipsos homines, sed ea quæ circumstant hominibus videmur pensare, gloriosioremque futuram ejus sobolem, si fortuna a te, ut ita dicam, ad illum transiens, eam divitem, tuam reddi-

(a) Gutta cadiva est epilepsis, ad quod probandum glossas biblicas adducit Cangius in quibus legitur: *Epileptici dicuntur, qui guttam habent cadivam.*

derit pauperem, immo ut absque ulla cunctatione, quod verum est proferam, omnipotentis dispositum illam sublimare, tuam voluerit humiliare, quæ omnia si ipse tibi non suadet, visus suadeat, vel sapiens ille, dicens de talibus: *Vidi servum sedentem in loco dominorum*, longeque licet impar alius, divitis, inquiens, servi claudit latus ingenuorum filius, vidi autem quibusdam pessimum quoddam inesse vitium, quod tanto minus valeo intactum relinquere, quanto magis illud in memetipso expertus, velut in quodam possum libro relegere. Invenies enim quemlibet nobilium omnibus pene rebus destitutum, potentia & dignitate, si quam forte adeptus est, viduatum, penitusque quantum ad id quod & cupiditia dictat, & nobilitas expostulat dejectum, qui contra tam duram infortunii calamitatem, brachium erigere nitens, nec per se, quia ita sese natura hujusmodi conatuum habet, aliquid valens, quempiam qui quietus, copia arridente, aut in se subsistere, ut cum grandi quæstus emolumento alteri valeret servire, dulcisonis blandiloquiorum illecebris ad se sequendum non dubitet irretire, & a magno profectu ad immanem defectum deducere, sed dum istius pæna, illius resurrexerit gloria; istius detrimentis illius creverint commoda, aut penitus nullam videtis referre condignæ retributionis gratiam, aut si qua fuerit compensatio attributa, parva sit aut magna, & aliqua discordiæ saltem vel levissima subrepserint divortia, oblitum amicitiæ præteritæ, oblitum tam bonæ voluntatis, ut nullo munere quod solet oculos decipiendi allicere, sed sola ea quæ fortis est ut mors dilectione suadente, se penitus neglecto, illi maluerit etiam cum vitæ innumeris periculis succurrere, ut gloriam aut amissam aut potiorem valeret recuperare, quam suimet curam gerere, & sibi necessaria, cum adesse potuissent, ad vota captare, oblitum eorum qui tunc utrisque inerant, & crescendo de die in diem adesse poterant, quibusque quando deceptus est pollebat, illa improperare ad quæ jam deceptus sui causa decidit, qui commemorat, oblitum eorum quæ illum vidit habuisse, illa commemorare quæ per se contigit non habere. Reminiscens namque quod contulit, obliviscitur quæ abstulit; recitans ad quæ illum extulit, tacet a quibus dejecit; tacens decus ipsius nobilitatis, notam quam ipse intulit refert paupertatis. hoc tantum nefas, cum ad describendum ut est locum alium, propriumque flagitet tomum. sufficiat hic vel ex aliquantulo commemoratum, ut exigas animum ad cavendum, si Dominum vis habere propitium.

Tit. XI. Mercenarius, cliens, sive commendatus cuilibet es? audi præcipientem Dominum, *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris*; quod ut quomodo ad te pertineat demonstrem, hortor ut sicuti a patrono non vis debito servitii fraudari donativo, ita caveas, ne quando ille a te debito fraudetur obsequio, ne de te conqueri videatur Sapiens, qui dicit: *Multi quasi inventionem æstimaverunt fœnus, & præstiterunt molestiam his qui se adjuverant; donec accipiant, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam, & in tempore redditionis postulabit tempus, & loquetur verba tædii & murmurationum, & tempus causabitur.* (Eccli. 29. 4.) Tempus autem redditionis quam promisisti, tempus intellige servitutis, quando manus manibus junxisti senioris. Cave ergo ne segniter, superbe, aut infideliter quod pollicitus es exequens, illud beati Job tibi videaris applicare: *Vir*, inquit, *vanus in superbiam erigitur, & quasi pullum onagri se liberum natum esse putat.* (Job. 11. 12.) liberum enim te nequaquam natum esse, sententia ejusdem vales advertere, cum hominem ad laborem ille nasci dicat apertissime; labor vero magis servituti quam libertati videtur congruere: unde & quidam sapiens: *Cibaria*, inquit, *& onus asino, & panis & disciplina atque opus servo.* (Eccli. 33. 25.) Hinc itaque Seneca, beneficium, ait, accipere, libertatem est vendere. (Seneca.) Ne ergo hanc tibi arroges, quam lucri causa vendidisti libertatem; fac potius quod Salomon hortatur, nullum scilicet tibi te esse debere perpendens amiciorem: *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti ad extraneum manum tuam. Fac ergo quod dico, fili mi, & temetipsum libera, quia incidisti in manus proximi tui, discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis, & non dormitent palpebræ tuæ.* (Prov. 6. 1.) Hæc omnia, cum, ut dixi, etiam juxta litteram, salvo videlicet intellectu qui rectoribus ecclesiæ congruit, mystico etiam pro quovis agere debeas amico, multo magis agere congruit pro temetipso, duplici scilicet pro causa, ne & patronus juste causari possit, debitum te beneficiis non rependisse obsequium, & cuncta de cœlo prospiciens Dominus vindex adsit, secundum Apostolum, dum in negotio dati & accepti te decipere viderit fratrem tuum. Memento itaque sæpissime illius dicentis: *Intellige proximum tuum ex temetipso.* (Eccli. 31. 18.) Itemque: *Multi non nequitia causa non fœnerati sunt, sed quia fraudari gratis timuerunt*, (Eccli. 29. 10.) ut ex temetipso colligas, quia non semper culpa est patronorum, quod aliquandiu detinent mercedem mercenariorum, vel quorumlibet sibi commendatorum, sed agit hoc multoties nequitia, desidia, vel superbia eorum. Unde qui supra, *Malignos*, ait, *fieri maxime ingrati docent.* Hoc itaque prudenter & sollicite cogitans, quo fidelius atque studiosius vales, ad serviendum præpara viriliter animum, certus

quia pater ille familias, cujus uterque estis A famuli, afflictionem & laborem tuum de cœlis contemplabitur, si viderit te a patrono decipi, & arguet eum, statuens fraudem contra faciem ejus, in tremendo die illius justi examinis. Tu vero si digne eamdem mercedem non elaboraveris, in supplicio componere exigeris, ubi scilicet deerit auxilium fidejussoris, & pretium redemtionis.

TIT. XII. Consiliarius es? cave illud propheticum, dicentis: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* (Isa. 5. 20.) Nam ut vetus sese habet proverbium: *Si in clientelam felicis hominis potentisque perveneris, aut veritas, aut amicitia* B *perdenda est.* Cogita quia dicimus Judæos Christum crucifixisse, cum non ipsi, sed milites Romani eum crucifixerunt, ut intelligas ei totum criminis pondus incumbere, qui consilium super hoc non dubitavit dare. Unde amplius Caipham exsecramur, qui dixit: *Quia expedit unum hominem mori pro populo*, (Joh. 18. 14.) quam Pilatum, qui dixit: *Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate eum.* (Ibid. 31.) Unde & Apostolus, *Non solum qui faciunt*, inquit, *sed etiam qui consentiunt facientibus, digni sunt morte.* (Rom. 1. 32.) Et nota, quia non ait, qui jubent, aut consiliantur, sed C quod valde minus est, qui consentiunt, ut intelligas quam mortiferum sit perditionis consilium, cum tam noxius sit etiam ipse consensus. Qui enim, ut ait Seneca, (SENECA.) succurrere perituro potest, cum non succurrit, occidit. Contra hodie agitur; mavult enim quis aliquem invenire morigerum, quam amicum. amicus autem, ut ait Gregorius, (GREG.) dicitur animæ custos, invenitur vero major hodie numerus eorum qui dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Non est autem hujusmodi amicitia, D non est, inquam, immo maxima inimicitia. Qui enim ea parte qua in perpetuum victurus est, quemlibet interficit, homicida pessimus est: lex vero amicitiæ, Lælio teste, (LÆLIUS) est, ut ab amicis honesta petamus, amicorum causa honesta faciamus. Omns vero suasio tria debet continere, honestum, utile, possibile; his si unum defuerit, receptibilis suasio non erit. *Sodalis vero amico*, ut legitur in Sapientiæ libro, *conjocundatur in oblectatione, & in tempore tribulationis adversarius erit.* (Eccli. 37. 4.) Quod agnoscens beatæ recordationis jam dictus papa Gregorius, (GREG.) cuidam E scribit: Consiliarios, inquiens, tales tibi elige, qui te, non tua diligant. tu ergo quicumque unus de mille ad consilium cujuslibet eligeris, cogita cujus vice frueris, & amicum non propter sua, sed propter se diligens, honesta ei consiliare, illius causa honesta operare; ipsum enim Dominum, magni consilii angelum vocatum legimus, cujus si imitatores esse volumus, consilium nemini, nisi sanum, nisi justum, nisi honestum demus, ne contra agentes, non consiliatores, sed amici judicemur proditores, nec bonitatis cooperatores, sed malitiæ vocemur inventores, & per hoc diaboli fautores.

TIT. XIII. Dominus es? noli extolli; memento te servum, unum habere Dominum, & ideo te esse conservum. Quamquam enim sapientissime sapiens quidam, servorum nequam considerans superbiam, dicat: *Panis & disciplina, & opus servo*, &c. (Eccli. 33. 25.) Vide tamen ne superponas ei aliquod quod ferre non possit, aut certe difficile possit servitium. Noveris discretionem matrem omnium esse virtutum, cum & juxta beati Leonis papæ (LEO.) admonitionem, hoc ipsum te per omnia debeat facere mitiorem, quod ejus uteris subjectione, cum quo uni Deo eadem subjiceris servitute. Hinc quidam pulcherrime: *Qui servis*, inquit, *crudelis est, ostendit in aliis non voluntatem sibi deesse, sed potestatem.* Terreat te itaque pœna Pharaonis, considera Deum afflictionem miserorum contemplari de cœlis, da ei quotidie aliquid spatii, non quo vacare quieti, sed servire valeat creatori. Si est, immo quia est disciplina necessaria, sit moderata; quod si te forsitan læsit, si furatus est aliquid, si fraudem intulit, si aufugit, quicquid perperam egerit, omnia ita stude corrigere, ut non iræ satisfacere, sed negligenti prospicere; non exsequi vindictam, sed videaris insequi culpam, salvare delinquentis animam, & in his omnibus ne excidat animo sententia illa terribilis, qua dicitur: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & tui misertus sum? Tunc iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus*, & reliqua. (Matt. 18. 32.) Quod si morigerus & fidelis est, audi: *Si est tibi servus fidelis, sit tibi sicut anima tua;* (Eccli. 33. 31.) non fraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.

TIT. XIIII. Servus es? noli tristari: si fideliter domino tuo servieris, libertus eris omnium Domini: omnes enim in Christo fratres sumus. Audi itaque Apostolum dicentem: *Servi subditi estote in omni timore dominis.* (1. Pet. 2. 18.) Quo timore, & quid sibi vult quod dicit *omni?* Id est primum Dei, inde terreni domini, sive primum timore servili, quem caritas foras mittit, videlicet ne flagelleris, ne vapules, ne constringaris, ad ultimum ne in ignem æternum pro contemtu ducaris, quia *quisquis potestati resistit, Dei ordinationi resistit; non est enim potestas nisi a Deo.* (Rom. 13. 2.) *Imposuisti* quoque, ait Psalmista, *homines super capita nostra*, (Psal. 65. 12.) & juxta cujusdam sententiam, qui Deo conatur resistere, necesse est ut magno bono careat, & magnum malum incurrat, quia scilicet summo bono

contraivit, & deteriori malo adhæsit. Hinc demum timore casto qui permanet in sæculum sæculi, videlicet ne si piger vel deses fueris, perdas gloriam, fortiter laborantibus in futuro promissam. Horas igitur si quas furaris domino tuo, redde creatori tuo; & ne fortuitu, aut absque Dei providentia putes te servituti, quovis ordine acciderit, subjectum. Audi Isidorum: Propter peccatum, inquit, primi hominis, humano generi pœna divinitus illata est servitutis, ita ut quibus aspicit non congruere libertatem, his misericorditer irroget servitutem; & licet hoc per peccatum contigerit originis, tamen æquus Deus ita discrevit hominibus vitam, alios servos constituens, alios dominos, ut licentia male agendi servorum, potestate dominorum restringatur. Nam si omnes sine metu essent, quis esset qui a malis quempiam cohiberet? Inde & in gentibus reges principesque electi sunt, ut terrore suo populos a malo coërcerent, atque ad recte vivendum legibus subderent. Quantum attinet ad rationem, non est personarum acceptio apud Deum, qui mundi elegit ignobilia & contemtibilia, & quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ne glorietur omnis caro, hoc est carnalis potentia coram illo. Unus enim Dominus æqualiter & dominis fert consilium & servis, melior est subjecta servitus, quam elata libertas: multi enim inveniuntur Deo libere servientes, sub dominis constituti flagitiosis, qui etsi subjecti sunt illis corpore, prælati sunt tamen eis mente. Hoc ergo tanti viri testimonio non tam diserto, quam vero consolatus esto fidelis & bonus servus, semper habens consilium in corde quod Agar ancillæ Sarai dedit angelus: *Revertere*, inquiens, *ad dominam tuam, & humiliare sub manu ejus.*

Isid. — Gen. 16. 9.

T. XV. Magister es? Memento te disciplinam cum dilectione discipulis debere, exemplo illius qui desuper magister est omnium, qui quos diligit flagellat & corripit, quique non servos, sed amicos suos vocare consuevit discipulos, & sic insequendo tam verbis quam verberibus eorum errata corrigere, ut personas delinquentium debeas & tu diligendo nutrire.

Tit. XVI. Discipulus es? scito te obedientiam debere magistris, eamque rem moralem existere, ut hoc quis exigat a subditis, quod se meminit exhibuisse prælatis, & ut mixtum & veluti concionale texam eloquium, discipulus es? audi & tu, quæso, præcipientem Dominum: *Quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Similiter, Magister es? audi: *Nolite vocari Rabbi.* Discipulus es? audi: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite.* Magister es? audi: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria*

A *ad collum ejus, & demergatur in profundum maris.* Discipulus es? cave, *Erit*, inquit Apostolus, *tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros*, & cetera. Magister es? adverte, volentes esse legis doctores, *non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Discipulus es? *Honore*, inquit, *invicem prævenientes.* Magister? *non dominantes in clero, sed forma facti gregis.* Postremo magister es, aut diceris, aut dici vis? cura magisterii jura servare, ne dicaris abusive. Desidera magis prodesse quam præesse. Discipulus? stude humiliter subesse, B ut tibi & multis aliis quandoque valeas prodesse. Magister es? doce humiliter quod nosti. Discipulus? disce inhianter quæ adhuc minime nosti. Magister? opta magis amari, quam timeri. avertit enim, ut dicit Augustinus, a se plurimos tristis & nimium severa crudelitas. unde & Gregorius: Si quis, ait, ferinos mores habet, necesse est ut bestialiter solus vivat. Discipulus? contende obsequendo amorem adipisci magistri; canit enim tibi ita poëta: Victrix sapientiæ fortuna: dicimus autem hos quoque felices, qui ferre incommoda vitæ, nec C jactare jugum vita didicere magistra. Magister es? cura hac arte magisterium moderari tuum, ut instituendis magis, quam hebetandis videaris præesse discipulis; nam sunt nonnulli tam tardi atque obliviosi intellectus, ut ipsa prima difficile elementa litterarum, nedum aliquid ex profundioribus capere valeant generibus institutionum. Quidam vero, verbis ut id referam Aurelii Augustini, tantæ sunt fatuitatis, ut paulo minus differant a pecoribus. Sunt vero alii tam agilis intellectus & studii, ut D sæpe proprio sensu & studio, etiam majora percipiant, quam a magistris didicerunt. Sunt etiam qui difficile capiunt, sed facile perdunt. sunt qui difficulter quidem capientes, capta fortiter retinent. sunt qui facile capiunt, facilius amittunt. sunt qui facillime capiunt, difficillime amittunt. His nihil aliud opus est insinuare, quam ut præpetem agilitatem sensus studii exercitio nutriant, ne non discendo quod valent, & auctorem ingratitudine offendant, & sapientia vacui, pœnas pro contemptu quandoque exsolvant: ceteris vero pro E captu singulorum & varietate intellectuum moderari debere noveris & præcepta disciplinarum, ne si incapabilia eis velis ingerere doctrinarum, profundius cœcitatis incidant gurgustium. Lege librum Augustini Soliloquiorum, & ibi evidens, huic tamen nostro non dissonans, invenies super isto consilium. Verum forsitan deest, nec valet inveniri quæsitus? Dicimus tibi, sicuti in eo legimus, quia ordine quodam ad sapientiam pervenire, bonæ disciplinæ officium

Aug. — Greg. — Aug. — Aug.

cium est; sine ordine autem vix credibilis felicitatis: quocirca suadeo illos superius expressos tanto doctrinæ ingenio tractari, ut more medicorum, qui lippientibus solem cupiunt visibilem reddere, primo levissimi captus doctrina eis offeratur: deinde quid, non multum quidem, fortius tamen; tum demum aliquid, quod aliquantula sui parte ab hoc remotum, quibusdam veluti conjecturis ipsum aperire aliquantulo valeat visum; inde quodlibet ejusdem lucis vicinium, hinc ipsius sapientiæ levius, hinc mediocrius, hinc, ipse si tamen capi utcumque posset, ipsius fulgor monstrandus; sin alias optatius est lippiente visu ipso mane tabernas circuire, & aliquid commodi referre domi, quam ipso splendore meridiani solis penitus obcœcato, ipsas cum quodam appetitu tenebras sine aliquo fructu captare. Sicut autem in auditoribus diversæ inveniuntur distantiæ sensuum, ita & in doctoribus diversæ reperiuntur conspersiones affectuum. nonnulli enim tam obstinatæ sunt voluntatis, ut cum magistri ambiant vocari, nulla doctrinæ arte aliquos a se cupiant imbui, doctores dici desiderant, qui invidia obstrusi, docere omnimodis detractant. hi sunt nimirum, qui thesaurum sapientiæ cordis suffodientes antro, maledictionis spiculo terebrantur

Prov. 11. 26. in judicio, juxta illud, *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis.* Sunt contra alii qui tantæ videntur largitatis, ut doctrinam magis videantur fundere, quam erogare, de quibus Gregorio teste dicitur in

GREG. lege: *Vir qui fluxum patitur seminis, a sacerdotio repellatur.* fluxum enim patitur seminis, qui ea de quibus in auditorum cordibus bonarum virtutum generari debuerant soboles, inaniter effundens, ipsa sui superfluitate steriles reddere eosdem cernitur auditores, horum qui nefaria cum sit divisio una, virtuti militare videtur solummodo; id est, cum quilibet tam ardentis est caritatis, ut si fieri posset, totum se

1. Cor. 7. 7. transfunderet in corde audientis, juxta il-

2. Cor. 6. 11. lud Apostoli: *Volo omnes fieri sicut me ipsum;* &, *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthii, cor nostrum dilatatum est, non angustamini in nobis, cum angustiamini in visceribus vestris;* quasi dixisset, licet angusta sit archa cordis vestri quæ capiat, non est angusta manus caritatis quæ fundat. Altera divisio servire videtur adulationi, dum quilibet sub specie docendi, volens placere, potentum alicui introducit satyram, & violat doctrinam. Tertia avaritiæ deprehenditur militare; multi enim lucri ambitu, tegenda silentio vendunt loquendo. Quarta jactantiæ specialius obsequitur; nam ut multum quis scire videatur, aperit sæpissime quod debuerat celare, contra illud psalmistæ: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non pec-*

A *cem tibi;* unde & Augustinus eumdem versiculum exponendo, Qui arcana, inquit, divulgat, imminuit Christi decorem; quibus satis lepide illud concinit poëtæ, Usque adeone, inquiens, scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter. Quintam vero horum partem incauta solummodo loquacitas efficit; plerique enim dum sine moderatione linguam incautius loquendo relaxant, inconsideranter emittunt quod, licet desideranter velint, revocare non possunt. Ex his quinque divisionibus, prima prædicanda est & tenenda. secunda cum quinta miseranda & corrigenda. tertia

B cum quarta penitus vitanda. Sunt post istos, qui quod ipsi minime dedicerunt, præsumtius nimis alios audent docere, de quibus ait Apostolus: *Volentes fieri legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Hi persæpe dum dedignantur discipuli fieri veritatis, magistri efficiuntur erroris. Sunt etiam quidam, secundum Apostolum, semper discentes, & numquam ad cognitionem veritatis venientes. Sunt quoque qui copiose dicunt

C quod non intelligunt. Sunt e contra quibus intellectus abundat, sed eloquentia deficit. Prædicandus autem, quem & eloquentia & intellectus reddit illustrem, cum primus ille quem dixi, de præsumtione culpandus; alter non vituperandus, sed sit amplectendus, nisi forte invidia vel avaritia plenus, benignitate vel caritate sit, ut assolet, vacuus, quem ut caveas precor obnixius.

AUG.

PERSIUS

Dives es? cave divitem illum superbum, qui contemsit Lazarum; time ne si denegas pauperi micam, desideres, nec accipias aquæ guttam. Videris aliqua possidere? disperge, ut possideas vere. Quomodo,

TIT. XVII.

D inquis, veraciter possidebo? numquid non & modo cum fruar, veraciter possideo? hoc a me non indiges inquirere, teipsum interroga, te conveni, tecum causam ini; dic, rogo, in quibus rebus constant divitiæ tuæ? In possessionibus, inquis, prædiorum, servorum, ancillarum, equorum, boum, ceterorumque pecudum; in obsecundatione obsequentium, delectatione canum, accipitrum abundantia, vestium, utensilium, frumenti, vini & olei, armorum, argenti & auri atque gemmarum. Optime modo

E te volo convenire: dic, rogo, tempestas numquam hæc tua contigit prædia? quomodo, inquis, aliter fieri potuit? quomodo, inquam, dicis te umquam veraciter possedisse, quod valuit tempestas auferre? nulla enim ratione veraciter est tuum, quod alicujus invasione potest fieri non tuum. unde & illud Sapientis: *Non proprium dicas, quod mutari potest.* Sed videamus cetera, forsitan firmius possides ea; servi, ancillæ, equi, boves possuntne a prædonibus diripi, clade opprimi? ad postremum nonne his

æqua tibi sors est moriendi? vestes nequeunt a tineis demoliri? Scio, inquis, remedium inde, bene aliquid nosti remedii ut igne non possint absumi? non, inquis, sed mitto eas illuc, ubi continetur & aurum, est locus arcuatus, non valet igni esse accessus. concedo, semper ergo illic erunt? numquamne foris prodibunt? facient plane, quid tunc? si salvæ, salvæ; si perditæ perditæ; ubi ergo tanta diligentia, tanta custodia, quid profuit tanto tempore custodisse, aliquando perdidisse? Esto nil horum contingat, quis tuas cum hinc vadis divitias tecum portat, nonne te video ligatis pollicibus pene nudum agi in tumulum? & si hoc tibi contingat, beatum te forsitan dixerim. nam audivi sæpe divitem a lupis comestum; quid ergo, inquis, agendum? an segnitie vacandum, nil laborandum, omnibus mendicandum? quis dat, si omnis mendicat? non, non illud præcipio, dicit Dominus, immo omnimodis prohibeo, nam prædixi tibi, quod *in sudore vultus tui vescereris pane tuo.* Cum illud prædixi, laborem indixi: tu e contra nil vis laborare, sed laborantibus auferre, & cum tu vaces peccatis & deliciis, aliis laborem indicis; cum e contra me in psalmo dixisse legeris: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit.* Et per Apostolum: *Qui non vult operari, nec manducet.* Labora itaque, dico, fruere, eroga, disperge; sicut ego non cesso dare, immo committere, ita tu ne cesses erogare, & semper, quia jussi, labori insiste, ut habeas quod possis erogare, & non sit opus servare. Otiositas enim, si non certis diebus mei causa, inimica est animæ. Enimvero nec ullo tempore te volo otiosum esse: nam etsi dixi per prophetam: *Vacate*, sed addidi: *& videte quia ego sum Dominus*, ut intelligas tibi cavendum, mihi serviendum: quid opus est ut serves, qui me dante quotidie satis accipies? quid convenit ut serves, qui ignoras cui serves? Servo, inquit, filiis: ante te forsitan obibunt. Dabo, ais, pro anima illorum; quando? postquam eos absorbuerit gehenna. non audisti psalmum dicentem: *In inferno quis confitebitur tibi?* Non legisti: *Frater non redimet, redimet homo?* Postremo me non audisti dicentem: *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam?* Quomodo autem est æternum, quod alicujus munere, postquam semel fuerit adeptum, potest fieri nullum? Non audisti: *Lignum in quocumque loco ceciderit, ibi erit?* Unde si vis pro anima tua, vel cujuslibet dare; dum tu illud possides, da; dum tui est juris, tui arbitrii, tuæ potestatis, dum vales redimi, dum vales liberari. Divitiæ enim tuæ te antecedere possunt, sequi omnino non possunt. hic sanus incipe dare, & si infirmitas evenit, studiosus eroga; & si mors intervenit, ne timeas; quod hic erogatur, illic proficiet, tantum ne Deus serum judicet inceptum, necessitatem non attendat, approbet voluntatem, non reprehendat intentionem, consideret hic te sanum voluisse dare, videat te hic cœpisse, hic voluisse complere. de voluntate enim & intentione judicat. At forte dicis, reliquerunt mihi parentes, possum non relinquere filiis, aut nepotibus, aut aliquibus heredibus? Væ illis qui totum tibi reliquerunt; sibi nil tulerunt, immo multum tulerunt: numquam enim deficiet quod tulerunt. damnationem enim perpetuam sibi tulerunt, ignem perpetuum sibi tulerunt, quasi te Deus non possit nosque illorum munificentia pascere, qui totum mundum pascit quotidie. Pater, inquis, meus reliquit mihi: patri quis? avus, inquis, avo quis? proavus ais: proavo quis? ille talis & talis: illis quis? quid me fatigas rogando, inquis, Adam, & si non alius, Adam quis? Deus: ergo Dei erat, immo velis nolis, Dei est totum, etiamsi non accipiat a te, habet a te. *Domini est terra & plenitudo ejus.* Væ autem eis quibus tanti successerunt heredes, ut Dominus numquam illis meruerit esse heres. Rumpe, fili, rumpe, quæso, hunc funem, ne hoc cum ipsis constringaris in perditionem; accipe Dominum heredem, ut te ille accipiat regni sui consortem; partire cum illo filiorum hereditatem, & effice eum illis fratrem: quod si non vis, neque tu ejus hereditatem usurpabis. Attamen velis nolis approbabo tuis ipsius testimoniis, non te tuas possidere divitias. fac, inquis, eroga dico. non faciam, dicis, cur? timeo ais; quid inquam? paupertatem: ergo paupertatis sunt tuæ divitiæ, non tuæ, Dominus est enim qui interdicit, subjectus cui quidlibet interdicitur. Ecce te confitente deprehendi, non tantum te tuas non possidere divitias, sed etiam a paupertate possideri, cui ipsæ serviunt divitiæ. Sed video quid declinaveris; cum enim servus sis avaritiæ, non ausus eam saltem nominare, sub tegmine paupertatis elegisti confugere, cum non timere eam te constet, sed abhorrere: illam vero cujus amore istam abhorres, magis te conveniret exsecrari. Nam cur paupertatem timeas? nonne majoris numeri * quos Deus pascit quotidie cernis pauperes quam divites? nonne eosdem tanto elatos nosti fastigio, ut fratres ab ipso Domino in illo vocentur judicio, ubi sola tibi ac singularis erit consolatio, si in dexteram poni pro obsequio illis merearis impenso? Dedignaris ergo, aut forsitan vilis tibi est ipsius fraternitas Dei. Verecundor, ais: quare? qui me, inquis, nunc honorant, post despectui habebunt: at pulchtum est digito monstrari & dici, hic est: Ratio contra, ô curas homi-

Marginal references: Gen. 3. 19. — Ps. 127. 2. — 2. Thess. 3. 10 — Psal. 45. 11. — Psal. 6. 6. — Psal. 48. 8. — Matt. 25. 46. — Eccli. 11. 3. — Psal. 23. 1. — * al. meritis

num! ô quantum est in rebus inane! Istud enim cur tam avide, ut video, inhias, quam
Psal. 36. 35. sit futile, psalmus te valet docere: *Vidi*, inquiens, *impium superexaltatum & elevatum sicut cedros Libani, & transivi, & ecce non erat, quæsivi eum, & non est inventus locus ejus*. Ecce vero alia, inquam, domina, quæ? superbia, inquam; quid enim tibi cujuslibet faciet despectus, si tui compos fueris in humilitate fixus? mitte jaculum in columnam marmoream, & videbis quid fiet. Modo, ais, gaudeo, oblector, quiesco. Ecce luxuria tertia domina; sed illud tertium rade; non enim quiescis, neque vero sine causa Deus sollicitudinem divitiis in evangelio jungit, nisi quia omnium penetrans corda novit optime quæ miseros divites cruciet cura. Sapiens quoque qui dicit: *Omne quod supereminet plus mœroribus afficitur, quam honoribus gaudeat*. Nequaquam hoc diceret, nisi quæ mala divites in intimis perferant optime nosceret. Denique temetipsum considerans, teque ante te proprii statuens censura judicii, interroga animum tuum, quid est quod eum tantopere angustat? quid vigilias auget, somnum aufert? quid te discurrere facit, recumbere interdicit? quæ illa inter amorem timoremque confusio, quæ sollicitudo, quæque illa crebra suspiria, & luce clarius videbis, quam sæva inquietudinis peste laboras, quibus cogitationum tumultibus agiteris, quibus mœroris procellis impellaris, qui te quiescere, oblectari & gaudere dicis. Licet enim ad tempus delectent, quantum aliquando cor stimulent opes terrenæ, optime nosti. Gaudes namque dum adquiris, mœres dum perdis, anhelus dum exigis, formidas dum exigeris, myrmicoleo utique nec dissimilis, formica aliis, aliis leo videris, ad cumulum quoque miseriæ, illos formidas sæpissime, quibus potentia inæstimabiliter videris præstare: unde quidam facundissime, quomodo, inquit, est dives quietus, quem suis stimulis, res ipsæ, ne careantur, semper faciunt inquietum? Et ideo magis elegit cupiditas inquietum & timidum esse divitem
SENECA. quam securum: unde & Seneca, regibus, ait multo pejus est quam servis, quia isti singulos, illi multos timent. in tanta ergo animi perturbatione positus, & temetipso penitus, ut ita dicam, frustratus, quid tuum esse dicere vales, ipse alieno juri subactus?
Matt. 6. 24. Unde pulchre Dominus, *non potestis*, inquit, *Deo servire & mammonæ*, cum præmisisset, quod nemo duobus dominis servire valeret. Sed ne quis me putet istud, de omnibus divitibus dicere, noverit duo genera divitum esse, unum bonorum, aliud malorum; unum superborum, aliud humilium. quis enim nesciat David regem fuisse ditissimum, Abraham & Job quis pauperes di-

A xerit? Et tamen David, ait, *Ego autem egenus sum & pauper*. Psal. 69. 6. Abraham, etiam: *Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis & cinis*. Gen. 18. 27. Job autem: *Si contempsi judicium subire cum servo meo, & ancillæ meæ, cum disceptaverunt adversum me*. Job. 31. 13. Vide quanta in isto genere divitum humilitas. de isto genere divitum est ille de quo dicitur: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*: Et alibi: *Cedri Libani quas plantabit Dominus illic passeres nidificabunt*. Id est potentes quilibet in sæculo, in quorum prædiis nidificant, ut Augusti- AUG. no quoque placet, id est cellas & orato-
B ria construunt monachi, virgines & viduæ, in eis hospites & peregrini, advenæ & captivi, atque pauperes colliguntur, de isto genere divitum est & ille, cujus præconium istiusmodi a psalmista laude effertur: *Gloria & divitiæ in domo ejus, & justitia ejus manet in sæculum sæculi*. Psal. 111. 3. Istud genus eorum est divitum, qui nil in suis divitiis aliud requirunt, nisi redemptionem animarum, victumque sibi atque suis necessarium, liberalemque usum. isti licet sint ditissimi, non tamen sunt pecuniosi, qui juxta cujus-
C dam sapientis sententiam, divitias non appetunt, sed si affuerint sapientissime atque cautissime eas disponunt. De quibus & Isi- ISID. dorus, sunt, ait, quidam divites humiles, quos non inflat superbia rerum, veluti plerumque fuerunt sancti veteris testamenti, qui & affluebant divitiis, & tamen humilitate pollebant. Itemque de utrisque alius inquit, de rebus humanis pereunt, quæ cupidius amaverunt, alii salvantur, dum in earum pulchritudine conditoris pulcherrimam providentiam laudantes, mirantur;
D vel dum per misericordiæ opus, cœlestia ex eis bona mercantur. Nunc igitur illud alterum, videamus, & caveamus genus divitum: *Væ vobis*, inquit Dominus, *divitibus, quia habetis consolationem vestram*. Luc. 6. 24. Et in psalmo: *Relinquent*, ait, *divitias suas, & sepulchra eorum, domus illorum in æternum*. Ps. 48. 11. Itemque, *Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus ejus*. Ibid. 17. Et post pauca: *Introibit in progenies patrum suorum, usque in æternum non videbit lumen*. Job vero quiddam expressius: *Ducunt*, inquiens, *in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendent*. Job. 21. 13.
E Alius autem: *Agite nunc divites*, ait, *plorate in miseriis, quæ advenient vobis: divitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra a tineis comesta sunt, aurum & argentum vestrum æruginavit, & rubigo eorum vobis in testimonium erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurisastis super terram, & in deliciis enutristis corda vestra in die occisionis. adduxistis iram vobis in novissimis diebus: ecce merces operariorum vestrorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis clamat, & clamor eorum in aures Domini sabaoth introivit, occi-* Jac. 5. 1.

distis justum, & non restitit vobis. Sicut vero bonis divitibus, nulla major salutis est causa, quam humilitas vera, ita istis nulla certior ruinæ causa, quam illorum superbia: ipsa enim non solum se perdunt, sed & alios opprimunt, urunt & cruciant, seque meliores depreciant, unde & psalmista: *Dum superbit*, inquit, *impius, incenditur pauper.* Itemque orando: *Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione, quia multum repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus, & despectio superbis.* Unde & Apostolus, medicinam quamdam eis adhibens: *Divitibus*, inquit, *hujus sæculi præcipe, non superbe agere, neque gloriari in incerto divitiarum.* Omnibusque generaliter bene faciant divites, sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, thesaurisent sibi fundamentum bonum, ut apprehendant veram vitam. ecce quomodo camelus deposita gibbi sarcina, per foramen valet acus transire, quomodo animal tortuosum onere deposito, pennas assumere columbæ & in ramis requiescere arboris, de semente sinapis editæ, & nec hoc solum, sed & tanta prærogativa ditari, ut in tasphoro illius, Madiam, Epha & Saba, aurum & thus ad templum Domini deferant, Ismahelitæ quoque negotiatores, stactem & thimiama, resinamque in Galaad nascentem, id est prædicatores sancti, verba scripturarum, quasi quorumdam congeriem aromatum, & thesaurum sapientiæ desiderabilem, quibus & alios ditare, & bonæ opinionis nidore ad Dei amorem accendere, & infirmis mentibus medelam boni exempli valeant præbere, quatenus intitubabiliter cuncti valeant animadvertere, quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia apud Deum omnimodis esse: quod quomodo fieri possit, Veritas ipsa non tacuit, dum in evangelio dixit: *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet*, & reliqua. Et Apostolus: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Recipe itaque, ô Dives, pro nomine Christi prophetantem aliquem in nomine ejus, & prophetæ ipsius cum ipso recipies mercedem; sustenta opibus tuis justum, & justitiæ recipies meritum, hoc est enim divitias negotiatorum, id est bene operantium, in dorso portare, eis in bono opere subsidium ferre: collatum autem eis subsidium, ipsorum impetrat consortium, ipsorum vero consortium regnum adquiret sempiternum, ipso præstante qui vivit & regnat in æternum.

Ps. 9. 23.
Ps. 122. 4.
1. Tim. 6. 17.
Matt. 10. 41.
Gal. 6. 2.

TIT. XVIII. Mediocris es? Audi Apostolum: *Non ut aliis remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.* Et illud Tobiæ: *Si multum tibi est, abundanter tribue, si parum etiam ipsum libenter impertire stude.* Quod si omnimodis pauper, considera: duo viduæ minuta forte desunt, & ipsa habes, calicem aquæ frigidæ, non est, inquis, puteus, deest fons vel fluvius, ipse non adest torrens, hauritorium omnino nullum, & hic Domini non deest consilium, audi enim angelorum in evangelio canticum: *Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Avaro autem secundum Hieronymum tam deest quod habet, quam quod non habet. Sed heu vecordem me, quid namque habeo confectum? Dum enim properantius quam expedit festino, maximum quorumdam tam divitum, quam & mediocrium vitium dimisi omnino, sed retrogradum rursus sermonis iter arripiam, iterum dicam, iterum repetam, clamabo, dicam, non dimittam, dicam tamen, non ex meo, alterius sed voce boabo, tantum siquidem est ac tale, quod non audeam retinere, etiamsi id meis nequeam verbis explicare, poteram autem utcumque, sed contradicit ratio, jam ab alio edita disertissime. potest autem fieri, ut labor hic noster in quorumlibet exeat manus, qui ejus dictorum expressit penitus, cum nec defuturos noverim innumeros certissime, qui & istis, & multis aliis a nostra quoque scientia remotissimis, ita sint refertissimi, ut dedignentur nostrorum vel visu ad momentum saltem impediri, nedum lectione desiderent frui. Quocirca libentius tam istius, quam aliorum similium, hic quam meo utor sermone, ut & qui alio nequeunt, hic valeant eorum dicta invenire, & eorum consortio robur aliquod nostra queant obtinere. Dic ergo quæso tu, loquere tu, clama tu, sermone, eruditione, ingenioque mirande; & ideo Os aureum merito appellate, gratiæque Dei, quam proprio ferre videris nomine, exsecutor fortissime: Non potest, inquit, ille misericordiam facere, qui possessionibus longe lateque diffusis, in confinio alium possidere non patitur, dum terminos jungit, fines producit, calumniatur pauperi, mediocrem premit, vicinum excludit, omnesque circumcirca positos infestando ac persequendo depellit, cui soli bonum est, quod publicum malum est; dum aut fructus servat, aut annonam captat, aut inflat pretia, aut fœnus exaggerat; dum adquirendi lucra, pernocendi exquirit ingenia, potestne talis misericordiæ implere officia, cui pupillorum dulcis est gemitus, & viduarum suavis est fletus; dum præda hujusmodi delectatur, spoliis pascitur: qui dives est arca, non merito; possessione, non genere; nomine, non dignitate. Potestne misericordia tangi aut humanitate moveri, cujus avaritiæ nec proprium sufficit, nec modum imponit alienum

2. Cor. 8. 13.
Tob. 4. 9.
Luc. 2. 14.

lienum; qui & si pauperi aliquid tribuit, hoc magis deterior, si alii tollit quod alii tribuat, & esurientis pane esurientem pascat, & nudum spoliis vestiat alienis, cum scriptum sit: *Qui offert sacrificium ex substantia pauperis, sic est, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.* Eccli. 34.24. Ecce, prudens lector, tres in uno genere distinctiones advertere vales, si voles, divitum; unam scilicet eorum qui rapiunt, nec tribuunt; tertiam qui rapiunt multa, & tribuunt pauca; medium eorum, qui nec rapere nec tribuere referuntur, sed exaggerandis quæstibus insistentes, thesaurisant dupliciter, id est hic alteri, licet nesciant cui, in futuro autem iram Dei sibi. Nunc vero ejusdem mellifluo discamus ore, quomodo his aliud, id est bonorum e regione obviet genus. Ille, inquit, vere est dives, qui misericordia opulens quam divitiis, facultates suas cum pauperibus dividit; qui locupletem se magis dando quam habendo ostendit; qui ad hoc se meminit habere divitias, ut fœneretur Deo, pascat Christum, vestiat Dominum; qui patrimonium suum non ingrato quærat heredi relinquere, sed pauperes illud Christo desideret commendare; qui divitias cœlo magis quam mundo commendat; qui desiderat potior opere esse, quam suæ substantiæ facultate; qui thesauros suos ad superna transmittit; qui ad hoc vivit, ut operetur; qui ad hoc operatur, ut in æternum vivere mereatur; qui viduarum casibus flectitur, pupillorum miseria commovetur, dolentium causam suscipit, & arrogantiam superborum addicit. Postquam igitur facete & quo nemo latius, deno veluti digitorum numero, duali operationis manu, bonorum divitum humilitas, trisulcum superborum qualiter eviscerans pectus, sibi contrarias scire & cavere volentibus, ejus prodat latebras, edidisti, nunc quas & in hoc seculo perferunt, rogo, proferas cruces, & sic nos laxando frena dimittas, ad alia festinantes; habere, inquit, nec facere; misereri posse, nec velle, commendatum sibi deputat, quod per cruciatum suum ad heredem transmittat, nec de suo miser permittitur tangere, quod post se futuro cogitur reservare; qui sollicitius servat quam adquirit, molestius custodit quam rapuit; suspirat enim vigilans adquirendo, suspirat dormiens reservando. huic nec vigiliæ lætæ, nec somnus securus, nec dies læta, nec nox secura est; discurrit, torquetur, gemit, & quasi illi proficiat quod adquirit, sic augere desiderat, quod alii etiam ingrato cum suo cruciatu relinquat, ut quale fuerit patrimonii pondus, talis sollicitudinis habeatur & cumulus. Et hoc itaque succincte atque disertissime monstrato, audiat, rogo, & mediocris, quaslibet nebulas sibi obtendens ex-

A cusationis, tuis luculentissime quid sibi congruat dictis. Nullus miser, inquis, nisi qui misereri noluerit, quia nec quisquam misereri desiderans, poterit non habere quod tribuat, nullus petentem poterit inanem relinquere, nisi qui ei noluerit commodare, non enim misericordiæ definita sunt pretia; aut nisi quis multum dederit, acceptabile esse quod datur non poterit, aut inopes tantum a quoquam exposcunt, quantum qui poscuntur, dare non possunt, aut ex modico multum, aut de exiguo plurimum dare quispiam cogitur, cum libenter B ex modico modicum attributum, divina pietas gratuletur. En dives præter superbiam & crudelitatem etiam avarissime, en mediocris tenacissime, & si ego visus sum vobis festinando parcere, certe non pepercit doctiloquus iste, non parcit omnigena vox sanctæ scripturæ; ideoque rogo & admoneo, ut & vos in nullo vosmet velitis palpare, ne quando rapiamini subito, & eripiamini a nullo.

TIT. XVIII.

Mendicus es? audi Apostolum: *Qui non vult operari, nec manducet.* 2. Thess. 3. 10. Audi & Sapientiæ proverbium: *Omnis piger*, ait, *semper in egestate est.* Prov. 21. 5. Itemque: *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate & non dabitur ei.* Prov. 20. 4. C Itemque: *Egestas & ignominia ei qui deserit disciplinam.* Prov. 13. 18. Rursumque: *Egestatem operata est manus remissa, est quasi dives, cum nihil habeat, & est quasi pauper, cum in multis divitiis sit.* Ipse quoque iterum: *Qui operatur terram suam, saturabitur panibus; qui autem sectatur otium, stultissimus est.* Eccli. 20. 30. Et: *Vade ad formicam, ô piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam; quæ cum non habeat ducem neque principem, parat æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat. Usquequo,* Prov. 6. 6. D *piger, dormis? quando consurges de somno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus ut dormias, & veniet tibi quasi major egestas, & pauperies quasi vir armatus.* Hoc per ordinem ita protuli, ut considerare te admoneam, quæ te causa facit mendicare, ne forsitan, ut multi, sub hoc obtentu divitias velis congregare, aut segnitiæ deservire. Sunt vero & multi, ut superius audisti, pauperes, quorum superbia elationem divitum excedit; cum e contra sint divites, quorum humilitas multorum pauperum mansuetudinem vincit: un- E de pulchre Veritas dicit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum;* Matt. 5. 3. ut intelligas quosdam miserrima conditione paupertatis, & hic sæculi gaudiis ob inopiam rerum, & in futuro regno Dei ob meritorum nequitiam fraudatos, ab hac beatitudine extorres esse, & penitus alienos. hinc est illud Sapientis: *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia, & nequissima paupertas in ore impii.* Eccli. 30. 13. unde & Jeronymus luculentissime: Nec diviti, inquit,

A obsunt opes, si eis bene utatur; nec pauperem egestas commendabiliorem reddit, si inter sordes & inopiam peccata non caveat. Ad utriusque rei testimonium & Abraham &... quotidiana exempla suppeditant, quorum alter in summis divitiis amicus Dei fuit, alii quotidie in sceleribus deprehensi, pœnas legibus solvunt. hinc & Isidorus: Est elatio pauperum, quos nec divitiæ elevant, & voluntas in eis sola superbia est: his etsi opes desunt, propter mentis tamen tumorem, plusquam superbi divites condemnantur. Augustinus quoque, etiam de debilibus agens: O, inquit, quanta mala faciunt cœci, a quibus malis abstinet mens mala! His ita se habentibus, satage, rogo, & tu pro posse Deo in humilitate servire, ut cum ovibus in dextera, in illo supremo examine poni, & frater atque benedictus a summo justoque Judice vocari, non cum hœdis propter superbiam in sinistra locari, avaritia quoque notari, & maledictus a facie Dei & sanctorum merearis sequestrari. Nam nec te a misericordiæ operibus debere vacare scias, certissime Domino testante, quia calicem aquæ frigidæ proximo porrigere, non caret mercede, angelorum quoque canticum in evangelio invenis, *Gloria in excelsis Deo*, dicentium, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Unde & Johannes Chrysostomus more suo facundissime ait, Ne posset quisquam, inquiens, non habendi excusatione purgari, gratuita misericordiæ indicuntur officia, ut ostendatur Dominum ipsis etiam pauperibus operandi imposuisse obsequia. Calicem aquæ frigidæ prophetæ porrigere, præmium prophetæ promittitur; ægrotum vel in carcere constitutum visitare, Deum visitare est, ut possit pro bona voluntate remunerari, qui de substantia non potest misereri: ut jam constet pro qualitatibus hominum, misericordiæ non debere officia cessare, ut laborantibus præmia possint compensari cœlestia, ut cum cœperint misericordes expungi, & steriles condemnari, & misericors quia misertus est gaudeat, & sterilis pœnas quas non speravit, inveniat. Hoc itaque tecum tractans, atque omni excusatione posthabita, etiamsi intrinsecus * omnique membrorum officio sis penitus destitutus, tantum integer interior sit sensus deliberans, quidquid potes offer Deo, sedulus sciens omnibus te quoque debitorem fore, quorum aleris sumtibus. Væ autem tibi, si tuo potes vivere labore, & alterius frueris desidia torpens opere. Sed infirmitas me cogit, dicis, age ergo Deo gratias, & vide ne murmures, & ora pro his quorum opibus contineris. Sanus quidem sum, ais, sed multitudo me opprimit filiorum; si potes, inquam, cum consensu uxoris te contine, & labora manibus, unde & te & alios valeas sustentare. Nequeo, inquis: plange ergo vitium, grave enim & hoc est incommodum, mendica quod sufficit, & cave superessluentiam; vide ne mures exinde pascas & vermes, tu qui sanus es, subleva ceteros, visita infirmos, sepeli mortuos, partire cum omnibus benedictionem tibi collatam Domini: esto cœcis oculus, surdis auris, mutis lingua, claudis pes, neque sis umquam tui causa de crastino sollicitus; si est via tibi juxta ecclesiam, cave pertranseas, donec & illic scilicet mendices tibi pro excessibus veniam, & benefactoribus vitam æternam.

Isid. — Aug. — Matt. 10.41. — Luc. 2. — Johan. Chrys. — *al. truncus.

B

Explicit liber primus.

Continet quoque istud hæc Præloquium, I. Virum, II. Mulierem, III. Maritum, IV. Uxorem, V. Cœlibem, VI. Patrem & matrem, VII. Filium & filiam, VIII. Viduam, IX. Virginem, X. Parvulum, XI. Puerum, XII. Adolescentem, XIII. Senem.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

C Decursо duce te, Deus, breviter primo, secundum de te quoque adhuc præsumens, incunctanter libellum hunc aggredior modicum per nullius multiloquium mœstiloquus, majore sui parte lecta, aliquantula vero comperta, dicturus, cum scilicet ab infantiæ crepusculo, in hanc ætatis fere deductus meridiem, cœcam adhuc casuum diversorum patiar noctem, trimodoque retrusus constringar ergastulo, qui e tenebris liberando, ad lumenque tuæ visionis admirabile vocando, quondam institutus videbar populo, frustratus gregis consortio, quia eum insidianti, ut fertur, & utinam veraciter diceretur, nolui com-D mittere lupo; expositus supplicio, quia solum eum exponere timui periculo; sæculi subactus dominio, quia me tibi soli subjici oportere credidi Domino; verum te penitus contrario, creato a te nil agi sciens in mundo, tempestatem hanc tuo solamine fultus tranquille sustineo; credens sedari si volueris & quando volueris, istud per te posse facillime pelagus, qui terminum mari arenam posuisti primitus: usque huc, inquiens, venies, & non supergredieris, sed in temetipso confringentur fluctus tui. In-E tona ergo, & adhuc, si placet, tuo e cœlis Christe præcepto, quodque per multos, perque teipsum interdixisti, creberrime minando, interdicet nunc miserrimo misericordissime miserendo; dic de profundis clamanti, misericorditer exi; tenebris horrendis circumsepto relevare carceris de ergastulo; dic, noli prohibere; sed quia quod desideranti longum videtur esse & quasi difficile, disponenti breve est & omnino facillimum. si quid hic interim animo suggesseris, ponere satagam quod conficiat

& istud cum tui adjutorio opusculum, cetera tuæ committens clementiæ, cujus ad nutum cuncta novi favere.

TIT. I. Vir es, a virtute, necne a vireo, vel a viribus, sive a vi, & rego, verbo, ut quemdam audivi non incongrue, ut mihi visum est, disputantem, denominatum gestans vocabulum. Femineam devitans mollitiem in virtute solida animum; *Neque* enim, ait Apostolus, *molles regnum Dei possidebunt*, (1. Cor. 6. 9.) quod tunc facere prævales, si viribus nitens, vim animi ad sidera eleves, carnem animæ, animam subigas Deo, rigidus semper & inflexibilis, cum Dei adjutorio, contra sæculi voluptates, contraque carnis incedens illecebras, illud Psalmistæ semper ante oculos habens: *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.* (Psal. 26. 14.) Et illud Domini ad Job: *Accinge sicut vir lumbos tuos.* (Job. 38. 3.) Contra aërias quoque potestates, quæ significantur per Chananæorum reges, ad bellanda Domini bella te cogitans directum, ut terram repromissionis merearis intrare, quandoquidem ex Ægypto jam per mare rubrum, hoc est sanguine Christi consecratum, baptisma eductus, hujus sæculi gradiaris per eremum. Computa tibi dictum: *Confortare, & esto robustus.* (Deut. 7. 23.) Quantum enim mollis, & dissoluta mentis custodia, etiam perfectorum noceat studiis, Loth illius justissimi, Samson illius fortissimi, Salomonis quoque sapientissimi demonstrant casus, Hisboseth etiam intimat interitus, femineæ utrum an virili custodiæ committi cordis debeat aditus.

TIT. II. Mulier es? mollitiem quam præfers nomine, ad obedientiæ virtutem, non ad dissolutionis vitium transferre stude. Virago enim, id est fortis, mulier vocata est in principio, ut & fortem te contra vitia, & flexibilem in subjectione Domini præceptorum, esse debere memineris omnino. Vir itaque mente, mulier carne, insurgentes & tu adversus spiritum insanos vitiorum voluptatumque tumultus, forti mentis vigore stude devincere, perpendens plurima tibi in scripturis divinis hujus operis exempla suppeditare, dum & in veteri testamento quamdam de hoste universo orbi pavendo, viris omnibus timore quasi mortis somno consumtis, mirabilem Dei gratia legeris reportasse victoriam, & in novo, innumerabiles femineam oblitas imbecillitatem, virili peracto hostibus devictis certamine, cum triumpho gloriæ palmam victoriæ & coronam meruisse insignem.

TIT III. Conjunx vel maritus es? Considera quam fidem debeas uxori, cujusque fidei quis habeatur exactor & testis. Bonum namque esse conjugium, secundum istam scilicet conditionem nascendi & moriendi, in qua creati sumus, & ipsum bonum violare magni criminis esse, scripturæ sanctæ testimo- A niis potes advertere, præsertim cum tam insolubilem copulam pacti hujus Dominus in principio voluerit facere, ut non singulos singulariter, sed unum ex altero voluerit fabricare, præcepto consequente, & cur hoc fecerit monstrante atque dicente: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* (Gen. 2. 24.) Erunt, inquit, duo in carne una; si ergo tanta vis, immo quia tanta vis hujus est conjunctionis, cogitent quia usu perversissimo hanc, aut adulterando, aut penitus deserendo uxores aut viros, tantæ fidei, tamque insolubilis copulam dilectionis scin- B dunt, quam grave noxiumque crimen sibi adquirunt; maxime cum evidens & in evangelio, & in Apostolo ipsius Domini contra hoc habeant præceptum; & si violata caritas, odio subvertente, in duobus spirituali regeneratione fratribus, homicidii crimine notatur, quid cum non solum spiritus, sed etiam una caro abominabili divortio in diversa distrahitur? Sciendum vero duo genera esse conjugii, unum inculpabile, aliud cum culpa veniale: his aliquid superadditum jam esse adulterium, etiamsi perpetrator nullius violet thorum, quia videli- C cet in semetipso, in quo cubare debuerat, Dei violat templum. horum primum tantum conditor ipse dignatus est nobilitare, ut non solum præcipere, sed & ei in nuptiis dignatus sit assidere, factoque primo miraculo, suo eum munere insignire. (Joh. 2. 1.) Constat vero idem amore tantum filiorum, quo scilicet propagetur multitudo hominum, quæ compleat orbem terrarum, & creaturis sibi concessis legitimum dominium, & creatori debitum exhibeat obsequium, qua etiam civitas Dei ex numero compleatur prædestinatorum. Aliud vero veniale atque concessivum, propter for- D nicationem tantummodo conceditur ab Apostolo, videlicet ne per adulteria, aut quoslibet illicitos quislibet defluat appetitus, impatiens libidinis, aut quod longe incomparabiliter pejus est, contra naturam quovis modo cogatur excedere, ob talia enim quædam; *Melius est nubere quam uri*; (1. Cor. 7. 9.) Id est usque ad eliquationem, *vel illicitum sive immundissimum fluxum accendi, (* al. ut.) nec ullo Dei amore, aut E gehennæ timore restringi. Ecce quantum valet etiam cum culpa conjugium, necessitate scilicet propter pejus concessum, unde pulchre Augustinus, in libro contra Jovinianum de bono conjugali hæreticum, concubitus ait, necessarius causa generandi, inculpabilis est & solus ipse nuptialis; ille autem qui ultra istam necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur; & hunc tamen non exigere, sed reddere conjugi, ne fornicando damnabiliter peccet, ad personam pertinet conju-

galem. Si autem ambo tali concupiscentiæ A subiguntur, rem faciunt non plane nuptiarum: verumtamen si magis in sua conjunctione diligunt, quod honestum est, quam quod inhonestum, id est quod nuptiarum, quam id quod non est nuptiarum, hoc eis auctore Apostolo secundum veniam conceditur, cujus delicti non habent hortatrices nuptias, sed deprecatrices, si Dei misericordiam non a se avertant, vel non abstinendo quibusdam diebus, ut orationi vacent, & per hanc abstinentiam commendent preces suas, sicut & per jejunium, vel immutando naturalem usum, B in eum qui est contra naturam, quod damnabilius fit in conjuge. nam cum ille naturalis usus, quando prolabitur ultra pacta nuptialia, id est ultra propagandi necessitatem, venialis sit in uxore, in meretrice damnabilis: iste qui est contra naturam execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius

Aug. in uxore. Item, in libello ad Valerium contra novellos hæreticos, de sermone apo-

1. Cor. 7. 31. stoli: *Volo vos sine sollicitudine esse.* Hoc, inquit, dico fratres, tempus breve est, id est non adhuc populus Dei propagandus est generatione temporali carnaliter, sed jam C generatione spiritualiter colligendus: reliquum ergo est, ut qui habent uxores, non carnali concupiscentiæ subjugentur; & qui flent tristitia præsentis mali, gaudeant spe futuri boni; & qui gaudent propter temporale commodum, timeant æternum judicium; & qui emunt, sic habendo possideant, ut amando possessis non hæreant; & qui utuntur, hoc mundo, transire se cogitent, non manere: *Præterit enim figura mundi hujus. volo autem vos sine sollicitudine esse.* Id est volo vos sursum cor, in quem non præte- D reunt præterita tempora habere, deinde

1. Cor. 7. 32. subjungit: *Qui sine uxore est, cogitat ea, quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo, qui autem matrimonio junctus est, cogitat quæ sunt mundi*; atque ita quodammodo exponit, quod supra dixerat: *Qui habent uxores, sint tamquam non habentes*; qui enim sic habent uxores, ut cogitent ea quæ sunt Domini, quomodo placeant Domino, nec in his quæ sunt mundi, cogitent placere uxoribus, tamquam non habentes sunt, quod ea felicitate fit, quando & uxores tales sunt, ut eis mariti non ideo placeant, quia divi- E tes, quia sublimes, quia genere nobiles, quia carne amabiles: sed quia fideles, quia religiosi, quia pudici, quia viri boni sunt: verum in conjugatis ut hæc amplectenda atque laudanda, sic alia toleranda sunt, ne in damnabilia flagitia, id est fornicationes, vel adulteria corruatur: propter quod vitandum malum, etiam illi concubitus conjugum, qui non sunt causa generandi, sed victrici concupiscentiæ serviunt, in quibus jubentur non fraudare invicem, ne tentet eos sathanas, propter intemperantiam suam, non quidem secundum imperium præcipiuntur, sed secundum veniam conceduntur. Sic enim scriptum est: *Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor* 1. Cor. 7. 3.
viro: mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter & vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier; nolite invicem fraudare, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos sathanas propter incontinentiam vestram. hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium: ubi ergo venia datur, aliquid culpæ esse nequaquam negabitur. Cum igitur culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui proprie nuptiis imputandus est, quid secundum veniam concedit Apostolus, nisi quod conjuges dum se non continent, debitum ab alterutro carnis exposcunt, non voluntate propaginis, sed libidinis voluptate? quæ tamen voluntas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. quocirca etiam hinc sunt laudabiles nuptiæ, quia & illud quod non pertinet ad se, ignosci faciunt propter se: neque enim iste concubitus, quo servitur concupiscentiæ, sic agitur, ut impediatur fœtus, quem postulant nuptiæ, sed tamen aliud est concumbere, nisi sola voluntate generandi, quod non habet culpam; aliud autem carnis quidem appetere concumbendo voluptatem, sed non propter conjugem, quod venialem habet culpam; quia etsi non causa propagandæ prolis obsistitur, non tamen hujus libidinis causa propagationi prolis obsistitur, sive voto malo, sive opere malo. Nam qui hoc faciunt, id est qui aut voto, aut opere aliquo agunt, ne eis filii nascantur, quamvis vocentur, conjuges non sunt, nec ullam nuptiarum retinent veritatem: sed honestum nomen velandæ turpitudini obtendunt; produntur autem, quando eo usque progrediuntur, ut exponant filios, qui nascuntur invitis; oderunt enim nutrire, vel habere, quos gignere metuebant. Itaque cum in suos sævit, quos genuit tenebrosa iniquitas, clara iniquitate in lucem promitur, & occulta turpitudo manifesta crudelitate convincitur. aliquando eo pervenit hæc libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, ut etiam sterilitatis venena procuret, & si nihil valuerint, conceptos fœtus intra viscera extinguat ac fundat, volens suam prolem prius interire, quam vivere. aut si in utero jam vivebat, occidi antequam nasci. prorsus si ambo tales sunt, conjuges non sunt; & si ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium, sed per stuprum potius convenerunt. Si autem ambo non sunt tales, audeo dicere, aut illa est quodammodo mariti meretrix, aut ille adulter

adulter uxoris. Item, post pauca: In nuptiis, inquit, hæc bona nuptialia, diliguntur proles, fides, sacramentum, sed proles non ut nascatur tantum, verum etiam ut renascatur: nascitur namque ad pœnam, nisi renascatur ad vitam; fides autem, non qualem habent etiam inter se infideles, zelantes carnem, quis enim quamlibet impius, vult adulteram uxorem, aut quæ mulier quamlibet impia, vult adulterum virum? hoc in connubio bonum naturale est quidem, carnale tamen, sed membrum Christi, conjugis adulterium conjugi debet timere, non sibi, & a Christo sperare fidei præmium, quam exhibet conjugi. sacramentum vero, quod nec separati & adulterati amittunt conjuges, concorditer casteque custodiant: solum enim est, quod etiam sterile conjugium tenet jure pietas, jam spe fœcunditatis amissa, propter quam fuerat copulatum. hæc bona nuptialia laudet in nuptiis, qui laudare vult nuptias; carnis autem concupiscentia non est nuptiis imputanda, sed toleranda. non est enim ex naturali connubio veniens bonum, sed ex antiquo peccato accedens malum. Ecce testimonio tam sancti, & tam eruditi viri, demonstravi, quare in principio bonum esse conjugium dixerim, & quare adulterator, aut penitus desertor illius, crimen incurrat tam noxium, quia videlicet & utile & inculpabile est, si causa solummodo generandi fiat, secundum Domini præceptum; & utile & veniale est, si propter vitandum fornicationis malum ineatur, secundum quod est ab Apostolo concessum. quod autem paupertatis causa, a quibusdam divites ducuntur uxores, quæ scilicet ægestatis ductæ varias expellant necessitates, utrum ad illud concessivum referatur connubium, an non, aliis judicare dimitto. Hoc unum secutus Augustinum profiteor, laudabiles etiam in hoc esse nuptias, quia & illud quod non pertinet ad se, ignosci faciunt propter se, quamquam ad tertium connubii genus, hoc a quibusdam referri noverim, proponentibus, in principio ipsum cunctorum auctorem dixisse, *Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sibi.* (Gen. 2. 18.) quovis autem ordine causa prolis, an aspernatione fornicationis, vel repudio paupertatis agantur, tantum valet fides, & sacramentum connubio proprium, ut nec deserta, alterius possit esse, nisi desertoris uxor, superinducta autem quemlibet sancta, casta, nobilis sit, & pudica, meretrix habeatur, ratione veridica: ductus autem a contraria, adulter & ipse sit, testante atque dicente voce Dominica: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi causa fornicationis, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.* (Matt. 19. 9.) Nota autem quia cum aliter penitus interdicatur, causa fornicationis dimitti conceditur; quia videlicet, quando fornicata est, jam rupit vinculum, jam desiit esse una caro. hinc adulteri vel adulteræ colligant, advertant, quam detestabile facinus incurrant, si contra interdictum conditoris, quod Deus conjunxit, aut adulterando, aut penitus abdicando separant, cum una caro esse, nisi fidem sibi servando, & sacramentum custodiendo, possint. quæcumque autem feminis non licent, hæc & viris non licere manifestissima ratio docet, quantum scilicet ad pacti convenientiam attinet, & turpissimum valde est, si quod jure sexus robustior ab imbecilliori exigit, victus & subactus libidini imbecilliori non impendit, pactum autem & sacramentum, sponsalia vel tabulas sive cartas dico, quibus invicem insolubiliter confœderantur, præsente spectante atque teste justo judice Deo. hoc totum igitur a nobis prolatum, ad hoc quæso valeat, ut quia jam ardentem Sodomam, id est illicita carnis incendia, saniori aufugisti consilio, nec montana, id est celsitudinem cœlibatus conscendere deliberasti, saltem in Segor, hoc est medium horum, quod intelligitur carnale esse connubium, te continenter & pudice pro posse contineas, uxorem secundum Apostoli præceptum, ut Christus ecclesiam diligens, & præter ipsam nullam cognoscens, ab ipsa etiam legaliter interdictis ecclesiastice diebus, cum ipsius consensu, te continens, fidemque perpetuam ei conservans: certissime cognoscens, quia si in aliquo negotio eam deceperis, vel circumveneris, aderit vindex velocissimus, & judex justissimus, atque testis veracissimus de cœlo cuncta prospiciens Dominus, cujus precepti es transgressor effectus. Pueriliter vero sentiunt, quod minime audeo præterire, qui illud quod dicitur, erunt duo in carne una, super filio intelligunt, ut videlicet propter semen maris, & florem feminæ, ex quibus confici prolem in utero physici tractant, duo, id est pater & mater, in carne una, id est in filio, unum sint. Si enim ita esset, tantumdem valeret scortum, quantum connubium, tantum ut proles ex eo nasceretur; cum evidenter Apostolus, non propter filiorum generationem, sed propter ipsum concubitum, unum corpus tales quoque esse dixerit, sic enim ait: *Nescitis quoniam qui adhæret meretrici unum corpus efficitur, qui autem adhæret Domino, unus spiritus est.* (1. Cor. 6. 16.) Si ita quoque, ut aiunt, esset, dicere satis filius posset quod solus unigenitus Dei filius coessentialiter & coæternaliter Deus, apud Deum manens, dicere veraciter potuit: *Pater in me est, & ego in eo.* Et *Pater in me manens facit opera.* Et *ego & pater unum sumus.* Unum videlicet singulariter sumus, dicens pluraliter, ut intelligas duos in una substantia, deitate, æ-

ternitate, majestate, operatione, voluntate, & potestate insolubiliter esse, & ut replicem, ita iste dicere posset: ego & pater & mater unum sumus, & pater & mater in me sunt, & ego in eis: & vesanius, ego sum mei ipsius pater & mater, quia in me sunt ambo unum, qui fuerant ante duo, quod fieri non potui, nisi illi esse desiissent in se, versi in me. quid autem, cum non solum unus, sed & duo, immo viginti aut plures nascuntur filii? ergo de talibus debuit dici, non debuerant prætermitti, debuerant inquam dici, erunt duo in carnibus viginti. intelligendum potius, quia erunt duo in carne una, in lege, dilectione, atque fide carnis una, in vinculo carnis uno, in pacto carnis uno, ut scilicet tanta unione duæ carnes invicem confœderentur, ut non liceat uni quod non licet alteri; nec isti, verbi gratia, ad alterius mulieris, nec illi ad alterius viri carnem, propria in viro relicta, accedere. Et sicuti caro a carne dividi nequit, sine magno dolore, ita uxor a viro dividi nequeat, sine magno crimine: alioquin qui in virginitate perpetua permanserunt, sicut multos sanctorum legimus, etiam conjugio junctos fecisse, aut qui steriles fuerunt, senes quoque in cadaverinis jam corporibus constituti, ab hac viderentur caritatis lege, immo ab hoc nuptiarum bono alieni, quod aliunde non est bonum, nisi propter tam insolubile vinculum, quod Deus ex uno, duos noluit facere, ut unum essent effectu & fide in se, qui corporibus divisi essent a se, ut ex istis duobus tertius fieret, qui jam non unum cum eis esset, sed relictis illis, alii adhærere, cum quo exemplo illorum duo in carne una essent, & ita propagaretur hominum generatio, hoc a bestiis ceterisque animantibus divisa bono, quod illæ inrationabiles, affectu dilectionis unum esse nescientes, in promiscuos diffluerent concubitus; isti vero rationales pacto tenacissimo firmarentur, uno affectu caritatis, etiam carne connexi. Quod si opponat mihi Jacob duas uxores, David quoque & Salomonis etiam plures; invito te ad mysterium indagandum, quia omnia hæc in figuram contingebant, & audacter profiteor, etiam hic civitatem Dei nostri, & montem sanctum ejus prophetatum, in quo non licet viro habere, nisi unam uxorem, & uxori nisi unum virum, cum quo pudice vivens, causa sit prolis, aut metu fornicationis fidem ei illibatam perpetuo custodiat, & sacramentum, maxime cum & id ad majus pertineat, hoc est ecclesiam & Christum, dicit enim Apostolus de eadem sententia, *Sacramentum*, id est mysterium, *hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in ecclesia.* Videlicet ut aliquantulum ex hoc proferre audeam, quia sicut illi duo in carne sunt una, ita Christus cum sit verus Deus & verus homo in corpore suo, quod est ecclesia, unum ex duobus manet naturis, nec dividi ab ea potest in æternum, pro qua fudit in sponsalibus sanguinem proprium, sicuti nec viro uxorem, nec uxori linquere proprium licet maritum. sicut autem causa fornicationis ab alterutro legitimum contingere potest divortium, ita & a Christo unaquæque anima post amatores alienos, id est crimina diversa, vel spirituum immundorum suggestiones, fornicans, ab eo repudiatur, nisi forte iterum ei per pœnitentiam reconcilietur, sicut & uxorem viro, fieri posse per Apostolum docemur. Quod autem etiam per Apostolum carne duo in carne sunt una, nec hoc transeunter accipiendum; sed dicendum, quia & in principio duo fuerunt, quia de uno detracta est altera, & una caro fuerunt, quia unum quasi corpus invicem fuerunt, ipse in ea costa quæ detracta est sibi, illa in ipso totum corpus habens, ex quo costa detracta, creata est illi. Similiter & Christus unum est cum ecclesia, in quantum caput ejusdem est ecclesiæ, sicut ipse quoque in evangelio testatur, dicens: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis qui est in cœlo.* Quasi dixisset, aptius nemo intrabit in regnum cœlorum, nisi unitus & quasi concorporatus ei, qui sic descendit homo factus de cœlo, ut per divinitatis potentiam sit in cœlo, terram scilicet complens & cœlum. Duo vero sunt Christus & ecclesia, in quantum ipsa ex hominibus, & puris constat hominibus, ipse vero verus homo, verus extat & Deus, ista hactenus, nunc ad reliqua properemus.

Eph. 5. 32. — Joh. 3. 13.

TIT. IV.

Uxor es? omnia tibi convenire cogita, quæ prælibavimus, superadditis his, quæ & per semetipsum & per servos suos, tam exemplis quam verbis, maxime vero per Apostolum tibi specialiter ipse mandavit conditor Deus: *Sub viri*, inquiens, *potestate eris, & ipse dominabitur tui.* unde Petrus apostolus Saram in exemplum trahit, cum te quid facere deberes monere voluisset, dicens: *Sicut Sara obediebat Abraham, dominum illum vocans, cujus estis filiæ bene facientes.* Ut ergo filia merearis fieri patriarcharum bene faciens, obedire stude viro, etiam in ipso sermone humilitatis subjectionem & gravitatem præferens morum, quatenus præconium illius conveniat Sapientis dicentis: *Mulieris bona beatus vir, numerus annorum illorum duplex*, id est, & præsentis sæculi & futuri jocunditate felix. Itemque, *Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona, mulier bona in parte bona dabitur viro pro bonis factis.* Et vere: *Salvabitur enim*, teste Apostolo, *etiam vir infidelis per mulierem fidelem.* Contra vero secundum eumdem

Gen. 3. 16. — 1. Pet. 3. 6. — Eccli. 26. 1. — Ibid. 2. — 1. Cor. 7. 14.

Eccli. 26. 8. qui supra: *Dolor cordis & luctus mulier zelotypa*, & *In muliere zelotypa flagellum linguæ*. Zelotypa vero mulier est, rixosa, vel ea quæ zelotem efficit virum: zelotes autem vir est, qui cum cura & cordis cruciatu castitatem custodit uxoris. Unde & Dominus zelotes per Moysen dicitur, quia sicuti maritus cum cura castitatem uxoris, ita & ipse, modo terrore supplicii, modo promissione regni, nos, ne ab ipso fornicemur,
Eccli. 26. 11. & 19. custodiendo restringit. Itemque: *Mulier rixosa, ira magna & contumelia, & turpitudo illius non tegetur; gratia vero super gratiam, mulier sancta & pudorata.* Apostolus quoque Titum de rebus ecclesiasticis
B instruens, te quoque quomodo commone-
Tit. 2. 1. faciat docet, dicendo inter cetera: *Loquere quæ decent sanam doctrinam, senes ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia. Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non vino multo servientes, bene docentes, ut prudentiam doceant; adolescentes, ut viros suos diligant, prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur*
Eph. 5. 22. *verbum Dei.* Ad Ephesios quoque: *Mulieres*, ait, *subditæ sint viris suis, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus ecclesiæ, ipse salvator corporis ejus: sed ut ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus.* Viris quoque præcipiens:
Ibid. 25. *Diligite*, inquit, *uxores vestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret: ita & viri debent diligere uxores suas ut corpora sua, nemo enim umquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus ecclesiam, quia membra sumus ejus corporis, de carne ejus, & de ossibus ejus. Propter hoc*, inquit, *relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in ecclesia.* id est, licet & in humana carnalique conjunctione illud contingat, ut duo videlicet invicem sibi adhærentes, una fiat caro; sacramentum tamen ad Christum pertinet atque ecclesiam; quia sicut de costa viri fabricata est Eva, ita de Christi latere redemta crevit ecclesia; & sicut caput uxoris vir, ita caput ecclesiæ Christus,
Eph. 5. 33. unde & subdit: *Verumtamen & vos singuli, unusquisque uxorem suam diligat sicut seipsum*, quia videlicet & Christus similiter fecit pro ecclesia, tradendo seipsum. Subjungensque: *Uxor*, inquit, *timeat virum suum.* Ecce qualis erga virum esse debeas, præceptis audisti apostolicis: nunc qualem erga teipsam te esse conveniat, ex dictis col-
Cypr. lige beati Cypriani episcopi & martyris: Pudicitia, inquit, corporis est, alienas res non appetere, omnem immunditiam devitare, ante horam congruam non gustare velle, risum non excitare, verba vana &

A falsa non loqui, habitum per omnia ordinatum, propositoque convenientem, tam capillorum quam vestium, sicut decet, habere, cum indignis contubernia non inire, supercilioso intuitu neminem aspicere, vagari oculos non permittere, pompatico & illecebroso gressu non incedere, nulli inferior in incœpto bono opere apparere, nulli contumeliam aut ruborem incutere, neminem blasphemare, senes non irridere, meliori non controversari, de his quæ ignoras non tractare, etiam quæ scis non omnia proferre. Hæc cum proximis amabilem hominem reddunt, & Deo acceptabilem faciunt. Bonum itaque, ut ad nostra redeam, si habeas virum, Saram, Rebeccam, Rachelem & Elisabeth imitare; quod si iniquum & crudelem, habes quoque quas imiteris, in novo quidem Anastasiam & Theodoram; in veteri autem testamento Abigail uxorem Nabal Carmeli, & Esther Assueri. audi denique Apostolum dicentem: *Salvabitur vir infidelis per* 1. Cor. 7. 14.
mulierem fidelem. Itemque: *Salvabitur per filiorum generationem.* ubi non filios carnis, 1. Tim. 2. 15
sed filios mentis accipe expressos; quos utique tenere & allidere juberis ad petram,
C id est omnia opera & cogitationes attollere ad Christum, ut quidquid boni agis non tibi, sed ipsi imputare studeas, sine quo nil boni agere pervales.

Cœlebs es? Considera quam summum sanctitatis conscenderis culmen; & eo sollicitius præcipitem cave ruinam, quo altius stas. Animadverte itaque quæ causa de angelo fecit diabolum, & reminiscens Dominici illius, *Quia sine me nihil potestis facere*, scias in hoc negotio te misericordia & gratia illius maxime indigere, quia ut veridice ait Hieronymus, in carne præter carnem vivere, non humani meriti, sed muneris est divini. Unde &, teste Gregorio, ipse cœlibatus non præcipitur, sed laudatur, quia videlicet stultum, immo valde superbum est, ut hoc pulvis & cinis se præsumat exequi posse virtute propria, quod non sibi, sed angelis cum Dei munere contulit natura. Sic enim ait Veritas ipsa: *Hujus sæculi filii nubunt & traduntur ad nuptias; in resurrectione autem neque nubent, neque ducent uxores, sed erunt sicut angeli in cælo.* Et alibi super re eadem: *Qui potest capere capiat*; ostendens non omnem qui vult, sed cui Deus possibilitatem tribuit, tam summi fastigii arcem conscendere. Quocirca nil de te, sed de ipso, sine quo nihil potes, præsumens, secundum prophetam, quo pulchrior es descende, & habita cum incircumcisis, id est humiliter condescende quibuslibet, non solum matrimonio junctis, sed & carnis curam in concupiscentia facientibus, æstimatione propria te nemini præferens; quasi ceteri peccatores, tu propter

Margin notes (right column): Tit. V. — Hier. — Greg. — Luc. 20. 34. — Matt. 19. 11. — D — E

castitatis donum sis singulariter sanctus: sciens quibusdam vitia quædam plerumque, Deo permittente, ad tempus dominari, ut conversi post discant cujus pietate de captivitate redemti, & cujus virtute de potestate sint crudelis tyranni erepti, & tanto majores gratias referant liberatori, quanto de majori periculo sunt liberati. At contra quibusdam reprobis quædam sublimium virtutum dona nonnumquam provenire, quibus elati gravius corruant, quatenus eorum casu territi electi, de se non præsumant, sed in Dei misericordia firmius gressum mentis figant. Unde Apostolus pulchre: *Qui stat*, inquit, *videat ne cadat*. (1. Cor. 10. 12) Unde autem casus iste specialiter contingat, Psalmista precando demonstrat: *Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moveat me. ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem*. (Psal. 35. 12.) Nec injuria: quia enim scriptura testante, *Ante ruinam exaltatur cor*, sciendum neminem de virtute ad vitium quodlibet prolabi, nisi prius ab humilitatis petra, in arenam superbiæ ei contingat saltu vanitatis & inconstantiæ demutari. nam nisi præcessisset latens superbia, non sequeretur libidinis manifesta ruina. Unde & Prosper: (Prosp.) Concupiscentiæ, ait, carnis addictus, videtur quidem nil habere superbiæ, cum præsertim passio ipsa eum videatur humiliare luxuriæ; & tamen nisi prius rebellis Deo existeret, cujus salubre præceptum de conservanda pudicitia, superbi spiritus præsumtione contemneret: nulla enim lasciviæ cupiditas provocaret. in animo ejus diu disceptant Dei contemtus & metus, sed aut contemtus Dei præponderat, & superbus animus recepta cupiditate pudicitiam perdit, aut obtinet metus, & animus Deo subjectus, cupiditati simul aut superbiæ contradicit. Hæc quidem de speciali causa ruinæ, nunc qua materia eadem persæpe contingat ruina, ejusdem audi doctrinam: (Prosp.) Plerosque, ait, gula & concupiscentia vini, turpiter in luxuriam solvit, alios in injuriam pudicitiæ sordidæ cogitationes incendunt, nonnullos de proposito castitatis occasiones oblatæ dejiciunt, quosdam sub impudicitiæ jugo exempla perdite viventium mittunt. Sunt alii quorum vitam lingua turpis inflammat, & turpem conscientiam manifestat: qui prius inverecundos sermones aut proferunt, aut libenter audiunt, ac deinde paulatim morbo crescente, ab honestate deficiunt. Cogitatio quippe est, quæ mentem sicut turpis inquinat, ita si fuerit honesta, purificat. Hinc est quod ille corporis fluxus, qui fit in dormientibus, sine culpa, interdum vigilantibus contingit ex culpa; sed aliud est quod in dormiente fit, aliud quod vigilans facit; ibi naturaliter plenitudo humoris expellitur, hic turpis concupiscentia publicatur. Ne igitur cœlebs amittere castitatis vilipendas donum; recole illud prophetiæ imperium: *Quomodo*, inquit, *cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris*? (Isai. 14. 12.) id est virginitatis splendore cunctis parebas decorus & admirabilis. admiratio enim ista non est causa ignorantiæ, sed nota calumniæ: ex culpa enim, ut jam diximus, superbiæ, miseria hujusmodi contigit ruinæ; quia videlicet cum his duobus vitiis diabolus universum genus pereuntium, maxime, immo omnimodis supplantet, libidinis scilicet atque superbiæ; unum tamen pendet ex altero. Sicut enim per superbiam itur in prostitutionem libidinis, ita a libidine pervenitur ad duritiam mentis, & heu dolor! usque ad contemtum ruitur creatoris. Et ita demum cor quod Dei debueat per humilitatem atque munditiam esse templum, fit dæmoniorum per superbiam atque immunditiam delubrum, & ut aptius dicam, diaboli monumentum. Sic enim quod negare non possumus, ipse ab beatum Job Dominus ait: *Sub umbra dormit in secreto calami & locis humentibus*. (Job. 40. 16.) Cave igitur quicumque adhuc tanta castitatis frueris prærogativa, ne tuis meritis eam tribuendo, dum declinas libidinem, incidas in elationem, & dum caves elationem, cadas segniter in libidinem: quod ut agere valeas, timorem gehennæ oculis propone mentis, & ut clavus clavum expellit, ita hujus timor incendii, ardorem illius expellat vitii; consideratio quoque terrenæ fragilitatis, timorem refrenet elationis, ita fit ut & ab elationis veneno, & a libidinis incendio, Christo adjuvante, defensus, angelis perpetim conjocunderis consortibus, angelicam in terris quandoquidem vitam es imitatus.

TIT. VI.

Pater aut mater es? Memento disciplinam te debere filiis, & sic monitis obtempera apostolicis, ut simul & interitum caveas Heli sacerdotis. *Patres*, inquit Apostolus, *nolite ad iracundiam provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant*. (Eph. 6. 4.)

TIT. VII.

Filius vel filia es? Memento te reverentiam debere parentibus, ipse enim unigenitus, qui non ex peccato ut tu, sed ex Spiritusancto conceptus, de Virgine natus est, postquam in templo inventus, parentes, id est matrem Virginem, & nutricium castissimum, & ideo patrem nominatum, de divinitatis suæ potentia, qua cum Patre omnia possidens inhabitat, edocuisset; & illi non intellexissent, *Descendit*, inquit evangelista, *cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis*. (Luc. 2. 51.) Cur ergo tu dedigneris subdi parentibus, cum & nutricio suo subdi non dedignatus sit cuncta creans & nutriens Dominus? Et sæpe contingit, ut paupere patre existente, dives sit filius. Quid rogo in rerum natura fœdius? & cum alii de fastu

tactu paternæ nobilitatis soleant superbire, A tu ad ignominiam tui ipsius, patrem nota paupertatis adustum, per plateas dimittis mendicando incedere. Quid enim mendicans clamitat, nisi te novitium, te assumtum, te illud quod nuper ab his inventum est, qui se homines facere jactant, id est faticium, te allevaticium, te nothum, spuriumque demonstrat? Cui si aliquis id vel mentiens improperaret, nonne causa commotionis hæc magna esse potuisset? & hæc quidem quantum ad sæculum, secundum vero Deum cum ipse in psalmo dicat: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* (Psal. 40. 2.) B Super quem tu, rogo, intelliges, qui nec ipsum mendicum miserando patrem recognoscis? Cui, rogo, porrigis eleemosynam, qui nec ipsam in patre agnoscis naturam? Et si omnibus misericordia impendenda, etiam a fide extraneis, maxime autem, ut ait Apostolus, ad domesticos fidei; quid his qui non solum domestici fidei, sed etiam domestici sanguinis, vel origo sunt generis, vel sicut quidam pulchre in decacordo ait, Qui suis parentibus non defert honorem, quibus parere poterit? Omnibus igitur aliquid dandum est, patri totum committendum, C ejus dominio totum mancipandum; pater itaque sis, filius sis, quilibet consanguineus sis, audi Apostolum: *Qui suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* (1. Tim. 5. 8.)

TIT. VIII.

Vidua es? habes Annam, tuam, ut ita dixerim, regulam. Quod si aliter vivere vis, audi Apostolum: *Vidua*, inquit, *quæ in deliciis est, vivens mortua est.* (1. Tim. 5. 6.)

TIT. IX.

Virgo es? Gaude in Domino humiliter, & cave ne perdas esse quod es. Habes MARIAM, pudicitiæ speculum, virginitatis titulum, humilitatis insigne, decus innocentiæ. Scrutare ejus canticum, potest tibi D sufficere ad compositionem morum; intuere qua maxime virtute nisa est illa, ut hujus tam excelsi & sublimis, nulli post nec antea concessi muneris meruerit prærogativa ditari; & stude, quantum potes, & tu eam imitari: quod ut quærenti tibi facile occurrat, interrogata humiliter ipsa respondeat sapienter, *Quia respexit*, inquiens, *humilitatem ancillæ suæ.* (Luc. 1. 48.) Ecce causa, nam & hoc idem jam olim promiserat per prophetam; *Ad quem*, inquiens, *respiciam, nisi ad humilem & quietum & trementem sermones meos?* (Isa. 66. 2.) Tota itaque causa perditionis nostræ E superbia, tota recuperationis humilitas. Humilitas mater virtutum, morum est omnium ornamentum, sine hac virtus nulla; absque ea omnes virtutes, non virtutes sunt, sed vitia. Denique profero tibi tres uno ordine, de quibus non valeas dubitare, utrique doctores mirifici, utrique pontifices summi, utrique toti mirabiles orbi, Romæ unus, Mediolani alter, Ypponæ præfuit tertius. Nulla, inquit prior, virginitas carnis, quam non commendat suavitas mentis. (GREG.) Decet, ait alter, ut quo castior virgo, tanto humilior sit. (AMBR.) Melius, inquit tertius, est humile conjugium, quam superba virginitas. (AUG.)

TIT. X.

Parvulus es? Nutriat te ille in hoc sæculo, qui Samuelem in templo. Audi itaque, ut potes, & tu satage, ut potes, & tu conare, ut potes, & tu nitere, ut potes, & tu sequere, ut potes, tu dicentem sapientiam: *Usquequo parvuli diligitis infantiam?* (Prov. 1. 22.) Scito patremfamilias adesse, & teipsum ævi tui mane quotidie vocare. Dum enim profeceris, dum legere, dum intelligere, dum certe interrogare volueris, invenies quosdam in quinquennio, & quod majoris adhuc miraculi est, etiam in triennio, ad martyrium sponte prorupisse, sapientissime & potentissime sæculi potestatibus restitisse, miracula in nomine Domini ostendisse, tormenta fortiter tolerasse, tortores constantissime derisisse, mortem pro Domino non tam immaturam quam preciosam libentissime suscepisse, & coronam immortalitatis cum palma victoriæ, signis & miraculis ad extincta eorum corpora clarescentibus, se accepisse, perspicacissime demonstrasse; & quod adhuc incredibilioris erit prodigii, plures fortissimas virgines ejusdem invenies ævi, in conflictu victrices diaboli, pro amore profecisse nominis Christi. Invenies quoque ejusdem ætatis miseros, post remissum originale peccatum, propriis meritis mercatos infernum, & hoc quibusdam apertis indiciis ad notitiam monstrasse hominum, ipso misericorditer permittente, qui hoc ad tuæ cautelæ scribi voluit exemplum.

TIT. XI.

Puer es? Audi Apostolum: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti sitis.* (1. Cor. 14. 20) Imitare illum de quo legitur, quia *proficiebat ætate, & sapientia, & gratia coram Deo & hominibus.* (Luc. 2. 52.) Secundum enim divinitatem totus manens perfectus, neque in quo proficeret habens, qui sic sine initio existit, ut neque deficiendo finem aliquem habere possit, juxta humanitatem quam tui gratia accepit, proficere voluit, ut tibi unde proficere deberes monstraret, immo ut proficeres ipse præstaret. Scito itaque & tu patremfamilias adesse, & te ad vineæ culturam tanto studiosius vocare, quanto jam & membra corporis ad laborandum, & sensus ad intelligendum videntur crescere mentis. Cum additamento enim conjunctionis, te & sequentes invitat dicens: *Ite & vos in vineam meam*; (Matt. 20. 27.) quod alibi clarebit cur faciat. Memento etiam mortem infantibus, pueris & juvenibus, licet immaturam, tamen improvise accidere, uti & senibus accidit debite.

TIT. XII.

Adolescens es? audi Dominum: *Tibi,*

Eph. 5. 14. inquit, *dico surge*. Audi & Apostolum : *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus*. Nec succenseas, quod tam terribiliter te in ipsis videor iniquus excitare; scias me hoc tam propter declivem ad lapsus multigenos agere hujusmodi ætatem, quam & bicipitem in ipso introitu vivendi callem, quod littera tibi Pithagoræ Samii valet recordari, si quando dare volueris oblitui, sed & ille qui nostrum quod laboramus jam in multis vivit, auxit, ornavit, & roboravit opus, ne quid minus, & ad id explicandum posse videatur, assit rogo, AUG. quantocius Augustinus utique beatus, Juventus, inquit, ad amorem liberior, ad lapsum incautior, ad infirmitatem fragilior, ad correptionem durior. Ecclesiastes etiam proverbiorum & sapientiæ libri, auctorum etiam tam novi, quam veteris testamenti, tam umbræ veri, quam ipsius veritatis acti * præsagiis, quid de tuæ exprimant proprietate ætatis, quibus te contra instruant & muniant documentis, longum edicere nimis, ne impedimentum sit propositi ad alia tendentis: sed ne te dum multis indigeas, etiam aliquibus videamur fraudare; hortamur, si velis, ut aurem cordis psalmistæ adhibeas dictis, quibus interrogans tibimet congruum statim accepit consilium : *In quo*, inquiens, *corrigit adolescentior viam suam in custodiendo sermones tuos?* Nota igitur, ut verbis Augustini nunc quoque utamur, quod non præsumptione humana inventum, sed inspiratione divina acceptum, tibi subito propinet remedii poculum, mens enim tua quæ degenerat in stirpibus, meliores edere fructus incipit, si verborum cœlestium conspersa seminibus fuerit, quæ tamen ille cœlestis Agricola nisi in quodam versu serere consuevit. Audi denique hujus fœcundissimæ sationis ministrum : *Omnia*, inquit, *vestra honeste cum ordine fiant*. Dirige itaque cordis obtutus ad illius nutus, nec tortuosi serpentis sequaris anfractus. dirige viam ad te venientis Domini, rectas fac semitas Dei tui. Ipse enim non nisi via incedere dignatur recta, sicut de ipso dicit scriptura : *Via*, inquiens, *Domini recta, perversa autem sunt semitæ reproborum*. Si ergo vis Christum sequi, qua ille incedit, ambula via; ne de te dicatur, ô qui dereliquerunt semitas rectas, animadverte quid tibi consilii melioris propheta agendum decernit in Threnis. *Bonum*, inquit, *est viro cum portaverit jugum, ab adolescentia sua?* Et quasi interroges, cur *sua*, adjecit *sedebit singulariter, & tacebit*. Nil aliud, inquis, utilitatis? Istud enim homines maxime deputant utilitati, denique constipatum multis lateri adhærentium incedere turbis, multis obsequentium comprimi cuneis, magnæ istic dicitur felicitatis. tu jugum tollere suades, ut solus sedeam, cum

*al. præsagus

Psal. 118. 9.

AUG.

1. Cor. 14. 40.

Thren. 3. 27.

multos idcirco tollere ut multis comitentur aspiciam, sequitur & jungit quid solitarius ille meretur : *Quia levabit*, inquit, *super se*. Quo, inquis, levabor? quare levabor? numquid ut de me dicatur : *Qui se exaltat humiliabitur*: an ut dicere possim, *elevans allisisti me*? Non, sed ut de te dicatur : *Qui se humiliat exaltabitur*. Et *qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur*. Tuque gaudens possis cantare : *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria assumpsisti me*. Multique in tui, immo Dei laude valeant dicere : *Beatus quem elegisti & assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis*. Quo autem te elevet, interroga Paulum : *Qui nos*, inquit, *consuscitavit, & consedere fecit in cælestibus*. Ipseque Dominus : *Ubi sum ego, illic & minister meus erit*. Ministra ergo Christo & eris cum Christo, ubi? *Videntibus*, inquit, *illis, elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum*, dicentibus angelis, *hic Jesus qui assumptus est a vobis in cælum*, & reliqua. Si ergo vis ad illum pertinere, stude terram de corde purgare, ut expeditus & liber, virtutum pennis, nullo scilicet horum, quibus superius te inhiare monstrasti visco impeditus, in cœlum, ubi ille est, possis conscendere. Quod autem dixisti nolle te conqueri, dicendo *elevans allisisti me*, ne forte me putes accepisse perfunctorie, dico pro ut valeo, etsi non pro ut debeo, in bonam magis quam in malam posse referri intelligentiam, scilicet ut elevatus in virtutum culmine, allidaris gratuito in humilitate; immo allidat te ille, non tamen in turbine & lapide grandinis, sed in spiritu mansuetudinis, qui elisum erigere valet omnimodis : qui tangit montes, & fumigant, mortificansque vivificat, auferens spiritum alta sapientium, ut deficiant, & in pulverem suum redeant, hoc est pulverem se esse recognoscant. percipiens dicendo : quanto major es, humilia te in omnibus, ita enim valebis recognoscere, qui ipse solus ponit humiles in sublimi, & merentes erigit sospitate, & nil meritis tuis te debere tribuere; sed ei soli qui auctor, dator, & remunerator bonorum noscitur esse : uno quippe, ut ante nos dictum est, inanis gloriæ malo, a summis ad infima; immo humilitatis bono, ab infimis revehi vales ad summa; sed si adhuc requiris, nec tibi satisfactum credis, quomodo super te levari possis, scias docente Apostolo : *Quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam*. Nec erigere sese quis suis viribus valet ad summa, nisi illius elevetur gratia, qui nostri causa descendit ad ima. Verum quia in hoc quod tui causa posui testimonio, non tantum *levabit super se* dicitur, sed etiam quod paululum refutare visus es, *sedebit solitarius & ta-*

Thren. 3. 28.

Luc. 14. 11.

Psal. 101. 11.

Psal. 90. 1.

Ps. 72. 23.

Ps. 64. 5.

Eph. 2. 6.

Joh. 12. 26.

Act. 1. 9.

1. Cor. 2. 16.

cebit, non transeunter censeo accipiendum, sed magnopere inquirendum ipsa sessio, & taciturnitas quæ vel sit, quidve sibi velit; fortassis consequenter lucebit, quia gravitate & munditia cordis, atque silentio oris, virtus pariter divinæ contemplationis, contemplatione autem consessus adquiritur ipse qui & imitatur regni cœlestis; ab omni scilicet cupidicia ac fæce rerum mortalium cohibita, & eliquata cogitatione mentis. Ne itaque vagari incipiam per multa, adest adhuc recens in auribus ea quæ modo in evangelio sonuit MARIA; sexta enim septimi mensis ab anni revolutione, octavi autem ab hujus quæ me deprimit, immo erudit, calamitatis accessione, hæc rite occurrit lectio feria, non parum, ut credo, auctore Deo, ad id quod indagandum suscepi, collatura. Videamus itaque ut credamus, credamus ut videamus. Quid est quod dico? videamus Deum solum esse qui revelat absconsa de tenebris, credamus ipsum semper, maxime autem de se loquentibus, præsentem esse nobis. Credamus ea quæ nondum de illo intelligimus, ut credendo videre & intelligere valeamus. Sic enim dixit. Si credideris, videbis. Quæramus sanctissima ista peccatrix, castissima meretrix, quomodo jugum tulerit, quomodo solitaria sederit, quomodo tacens se super se levaverit, & si hodierna non suffragatur lectio, ad hæc omnia habemus alterius de ea lectionis, si tamen hæc eadem esse sit credenda, perspicacissima atque aptissima documenta. Age
Luc. 7. 36. nunc, *Rogavit* JESUM *quidam Pharisæus, ut pranderet apud se*, quod & fecit, & inter agendum, *Mulier quædam, quæ fuerat in civitate peccatrix.* Hic subsiste paululum, & nota, *fuerat* dicit, quare *erat* non dicit?
Ibid. 48. numquid adhuc audierat: *Dico tibi remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum?* sed novit evangelista causam adventus mulieris, de pietate esse Domini trahentis, ipse enim per misericordiam trahebat intus, qui per mansuetudinem foris erat suscepturus. Et ideo quando aspexit, & elegit ut traheret, conversa, esse desiit. quod fuerat, & accepit esse, quod per pietatem suscipientis futura erat. Sic enim
Ezech. 33. 12. pollicetur per prophetam: *Quacumque hora peccator conversus ingemuerit, salvus erit.*
Luc. 7. 37. Nunc sequentia tentemus, *Attulit alabastrum unguenti, & stans retro secus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Ecce jugum quod tulit. Quot enim in se prius habuit oblectamenta, tot de se protulit holocausta; subjugavit cuncta genera delectationum, dum de se nil sibi relinquens, tota fluxit in lacrymis desideriorum cœlestium; arsit igne divini amoris, quæ prius igne arserat voluptatis; lavit lacrymis maculas criminis, quas gaudio contraxerat noxiæ delectationis; capillos, oculos, insuper totum corpus huic jugo subegit, quæ cuncta quondam in contemtu Creatoris armavit; convertit ad numerum virtutum, multitudinem vitiorum; ut totum serviret in pœnitentia, quidquid mundo, immo diabolo servierat in culpa. Ecce ex lectione præsenti jugum quod ista tulit Maria, ut reor, cognoscis; nunc alia, ut promisi, accedens, quomodo sola tacens sederit, sedendo se super se levaverit demonstret, & id totum quod proposuimus, Deo operante, conficiat. *Intravit*, inquit, Luc. 10. 38.
Jesus in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verba illius, accipe sedentem, & tacendo audientem; sed numquid sola? intende, stetit Martha & ait: *Domine non est tibi curæ, quod* Ibid. 40.
soror mea reliquit me solam ministrare? Habes & hic solam, si placet, duæ enim ante fuerant expressæ, Martha & soror Maria; Martha ministrabat sola, Maria sedet, tacet, & audit sola, & merito tacet, quæ talem pro se loquentem advocatum habet. En, ut credo, nec de sedente nec de tacente aliquid restat ambigui; nunc sublevationem pariter videamus, videntes amplectamur, amplectentes nobis optemus. *Martha, Martha, sollicita es & turbaris erga plurima;* ideo, ut credo, dupliciter appellata, Ibid. 41.
sive propter amorem, sive quia non adhuc uni assidebat ut Maria, sed duobus serviebat quærendo cœlestia, ministrando terrena. Quod & fecerat quondam etiam illa, sicut monstrat lectio superius decursa; sed ab his expedita, abjecto jugo jam libera, sponte pedibus divinis cuncta submittebat membra. Martha itaque sola, non sola: Maria sola; sola illa quia multis, ista quia uni. unum est enim necessarium, multa enim illa nullum percipiunt fructum, si ad istud non perveniunt unum, & ideo illa multa indigent uno, unum non indiget multis. *Maria optimam partem sibi elegit,* Luc. 10. 42.
quæ non auferetur ab ea. Ecce quo subiit elevata, quæ post jugum portatum ambivit tacens sedere sola. soli enim sola inhærens, ipsum unum, ipsum solum partem meruit Deum. Sed quid, inquis, tam festinanter partem hanc esse dicis Deum, qui ad hoc tenendum nullum adhuc protulisti testimonium? Ideo protuli nullum, quia superius adest evidentissimum: *Qui mihi*, in- Joh. 12. 26.
quit, *ministrat, me sequatur, & ubi sum ego, illic & minister meus erit.* Ergo Martha quæ ministravit, inquis, non Maria, illic erit, quæ sedit. Verum diceres si pigritia sedisset; verum diceres si & ipsa jam non ministrasset. ministrantur enim multa cum sufficiat unum, sed pervenitur ad unum

ministerio multorum. Unum ergo quod est? Deus utique. Et multa quæ? opera misericordiæ; operibus misericordiæ pervenitur ad Deum, ubi cum pervenitur, cessat omne quod agitur, quia non est necessitas qua agatur. Remanet fructus cujus causa agebatur, remanet sola charitas qua agebatur, ipsa una uni, ipsa sola soli, ipsa singularis adhæret in sæculum singulari; ipsa autem qua tu Mariam accusare niteris sessione, in tantum nil est operosius, etiamsi nil videatur cessationi similius, ut definitione congrua, etiam in hoc sæculo quies valeat operosa vocari. Sed ne forte inopia dicendi, me putes suffragium non protulisse exempli, habes ipsum beatum juvenem sanctum adolescentem, immo ipsam quæ tulit jugum Mariam, in eisdem threnis loquentem: *Pars mea Deus*, *dixit anima mea*, *propterea expectabo eum.* Et Psalmista: *Portio*, inquit, *mea in terra viventium.* Quod autem ab ea numquam auferatur auditu, inquit, *Idem ipse es*, *& anni tui non deficient*, *filii servorum tuorum habitabunt ibi*, *& semen eorum in sæculum dirigetur*; &, *Pars mea Dominus in æternum.* Deo autem gratias, quia huc sumus ratiocinando adducti, ut ipsa tui cunctatione, suadeam tibi jugum tollere cum Maria, ministrare cum Martha; ut postea bene sedere cum eadem valeas Maria, cum qua etiam optime sedendo, id est, contemplative a sæcularibus vacando, & verbum Dei sine strepitu audiendo, partem optimam eligere, obtinere valeas, feliciter & possidere. Hoc itaque jugum suave, hoc onus tam leve, quod te tantum elevare, tantum valet attollere, ut partem ipsum merearis Deum habere; quod non conterit cervicem, sed ornat, honestat collum, non cruciat: ne cuncteris, ne moreris, quæso, in juventute tollere, ne si sero velis tollere, desit forte locus, dicaturque tibi: Quæ in juventute non collegisti, quomodo invenies in senectute? Præveni ergo senectutis annos operatione & correctione congrua, sciens optatius tibi esse, ut possis veraciter dicere: *Deus qui pascis me a juventute mea*, & *Deus docuisti me a juventute mea*, quam recordatione lapsuum suspecte orare, & deflere dicendo: *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris Domine.* Illud est enim robur salutis, istud medicina ægritudinis, remedium vulneri quæritur, gratia sananti refertur. Cum enim militia sit vita hominis super terram, nonne melius est in juventute ejusdem militiæ excubias fortiter subire, ut in senectute inter emeritos locum majoris gradus valeas obtinere, quam segnitiæ in adolescentia vacans, tunc militiæ manus nitaris dare, cum & senectus laborem impedit, & enerves artus, viribus deficientibus, spe capessendi victoriam certaminis, dissolutioribus interdictis lacertis; præsertim cum nec ætas ipsa tot vitæ promittat spatia, quibus labore peracto, militiam mutare, ut altioris gradus infulari honoribus possis; sed potius fessis artubus, nullo præeunte laudis præconio, gaudeas, si saltem inter illos annumereris, qui donativum pro ipso expetunt tyrocinio, aut cum provincialibus, qui annonam tributaliter ipsis præbent militibus ideoque bonum esse dicit ille superius jugum in adolescentia tollere; etenim ei qui post decursum juvenilis ætatis tempus illud tollit, multa eveniunt genera contrarietatum: stimulant enim assueta vitia, consuetudo deprimit prava, exagitat conscientia ipsa; usus erroris instabilem facit, conatur contra se, & labitur sub se, abolefacere vult vetera, sed voluntatem non sequitur efficacia, captisque in rete avibus non dissimilis, ubi expedire vult pedem operis, maculis retinetur usitatæ consuetudinis. Tota itaque huic res est in periculo, illi in bono. Sedebit denique iste singularis, rarum aut forte nullum suis dignum inveniens consortiis, quietus & feriatus, divinis vacabit officiis, angelicis ditatus revelationibus & præmiis, nullis nec anteactis nec præsentibus illecebrarum voluptatibus interpellatus, nec stimulantis carnis tactus titillationibus, solus, quietus, liber gaudebit & securus. Quisquis ergo es, qui ad hoc tam singulare niteris fastigium, exercere prius communiter in campo viventium, asside gravioribus acclinis & sedulus, disce honorem deferre senioribus, amorem æqualibus, exemplum junioribus, sequere auctoritatem ac præcepta sapientium, & per hæc tibi Deum loqui credito ipsum. In consilio seniorum cum sederis, manum ori adhibe, intentus ausculta, sedulus disce, ut percipiens senum sententias, colligas sollicite, quod in majori serves ætate aliquando. Et jam volo te a coæquævorum continere loquelis, ut parviloquio assuefieri ipso usu instruaris, neve rudis adhuc ætatis, facile ad illicita loquendo labaris; sed remotus seniorum intendere præceptis, antiquorum dictis, prophetarum oraculis, & apostolorum valeas magisteriis. Laudandus enim est, qui vult tacendo loquenda discere, quam proferre quæ sentit, antequam loqui discat. His si tuam Dei gratia indolem concesserit munerari, adjiciendum quod & facete ab eo qui supra, insolentissimo quidem, sed diserto cuidam consiliatum est juveni, ut nec plusquam oportet tibi tribuendo vanescas, nec rursus te abjiciendo ac desperando frigescas. Inter hæc animadverte patremfamilias otiosum te, non simpliciter ut illos mane primo, sed cum additamento conjunctionis, qua notam intelligas reprehensionis, ad vineæ cultum

Thr. 3. 24. Psal. 141. 6. Psal. 101. 28. Psal. 72. 26. Ps. 70. 17. Ps. 24. 7.

cultum vocare; *Ite*, inquit, & *vos in vineam*. id est, & ipsi qui mane horaque tertia debuistis adesse, saltem vel sexta properate, & medium quod restat diei lucrifacite.

TIT. XIII. Senex es? gaude in Domino, qui ad hoc usque ductus, non solum quia quammultos syrtium scopulos evasisti, naufragosque casus, sed & quia jam prope est, quo tendere videris portus, si tamen es serius, si probus, si gravis, si bonis moribus ornatus, si virtutibus comptus, si canitie venerabilis mentis, si venustate mellifluus oris, si dicere vales cum Psalmista: *Senectus mea in misericordia uberi*. (Psal. 91. 11.) Sin secus, quod absit, ne succenseas, rogo, si & te monere audeam junior ego: scias me ipso hoc præsumere officio, quantum etiam te video attinere; nulla ætas ad id quod opus est discendum, sera debet parere; & licet, ut quidam satis probe ante nos visus est dicere, senes magis deceat docere, quam discere, magis tamen condecet discere, quam quid doceant, immo quid agant, quod non ex superfluo addere satis possimus, ignorare. Audi itaque & tu quid Ecclesiastes dicat: *Si multis annis vixerit homo, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguuntur præterita*, (Eccli. 11. 8.) & *Puer centum annorum maledictus erit*. (Isa. 65. 20.) Itemque, *Senectus venerabilis, non diuturna neque numero annorum computata*. Audi etiam custodem omnibus generaliter, tibi vero dicentem specialiter; *Venit mane & nox, si quæritis quærite, convertimini, & venite*. (Isa. 21. 12.) Audi & Apostolum: *Omne*, ait, *quod veteratur & senescit, prope interitum est*. (Heb. 8. 13.) Perspicienti autem mihi ipsos quos capite geris nivei canos candoris, fateor non minimum adest dubietatis, unde initium debeam ordiri sermonis, siquidem & reverentiam ætati, & doctrinam vellem, si possem, conferre fatuitati: verum assit, rogo, ille propitius, qui insensatos ad humanam loquelam asinæ quondam convertit rugitus, retexam seriem lectionis evangelicæ hodie recitatam, & si ibi tuum forte aliquid inveneris, ne mihi, quæso, qui recito, imputes; sed tua ut tua recipias, & tibi ad utilitatem, etiamsi ad contumeliam putes prolata, convertas. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vineam suam*, (Luc. 13. 6.) & reliqua. arboribus significari homines; si tibi adhuc ista non suadet lectio, lege aliquid apertius in Daniele, ubi refertur somnium de arbore magna & excelsa, cujus cum multa descripta essent dignitatum præconia, ad ultimum succidi jussa, & super regis celsitudinem interpretata, ipsum quem excellentia signavit, jactura monstravit. nam ille innumeris provectuum dignitatibus, veluti quibusdam elementorum contemperationibus, quasi usque ad coelum, ut arbor, est inaltatus; excisus a culmine, cecidit ab honore, desertus est a sibi obsecundantibus, veluti arbor ab avibus fugientibus, septem temporibus super eo mutatis, ad pristinum statum rursus rediit celsitudinis. Sunt multa & in scripturis quæ aliud per naturam, alterum signant per intelligentiam, sed lectoris requirunt diligentiam. Arbor ergo ista, sive tu, sive ego, sive utrique, sive quilibet, cui ipsa quæ de ea referuntur congruunt, sit, videamus quid illi contigerit: *Venit*, inquit, *quærens fructum in ea, & non invenit*. (Luc. 13. 6.) Quis venit? ille cujus erat vinea, cujus & ficus; si tu ficus, ergo ille qui te plantavit est Dominus: etenim ipse; *Vinea*, inquit, *mea electa, ego te plantavi*. (Jer. 2. 21.) Quod si non credis, adest parabola quæ approbet alterius lectionis. Vinea in qua te plantavit est ecclesia, venit quærens fructum in te, & non invenit: quot vicibus, ipse dicat. Non enim hic aliquid violenter ex me proferre aut fingere volo, ne non certus disputator, sed ineptus a te judicer fabulator. Dixit autem ad cultorem vineæ: *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio*. (Luc. 13. 7.) Tene igitur, tres sunt anni. Aliud videamus, te dixi arborem, vineam ecclesiam, quemdam illum, immo dominum vineæ illum Deum: cultorem vineæ quem dicam? si enim ficus cultorem dixisset, forte animus tuus, forte angelus, cui ut quibusdam videris, immo ut recte potes videri, es commissus, fuerat intelligendus. Nunc autem non cultorem arboris, sed cultorem vineæ dicens, alium requirit, qui non te solum excolendum, sed alias ficus, immo totam summam vineæ custodiendam susceperit: quid ergo angustamur? non quod si aliquid bene; quod enim difficilius invenitur, dulcius, teste Ambrosio, tenetur, & quo tardior adeptio, eo gratior perfunctio. (AMBR.) Poteram enim, quantum ille qui desuper magister est omnium, convallem exiguitatis meæ per ipsos, qui jam satis super hoc tractaverunt montes dignatur irrorare, tibi jam cultorem vineæ monstrare; sed volo te eminentioris exemplo auctoritatis attrahere, quo & ad quærendum paratior efficiaris, & me non a me hæc invenisse, sed de scripturis comprobasse perspiciens, tanto capacior reddaris, quanto avidior. *Homo quidam*, (Matt. 21. 33.) ait alia lectio, sed tamen & ut hæc evangelii, *erat dives, qui plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & locavit eam agricolis*, &c. usque *dum reversus malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis*; quod quia impletum est, ideo ipso relatu multorum jam patefactum perspicacius istud quod modo quæritur suffragando valet aperire. Jam enim illi vineæ mali cultores, qui non solum reddere fructum noluerunt, sed etiam servos diversis injuriis

affectos occiderunt, insuper & ab ipso filio manus continere noluerunt, male sunt perditi. Jam vinea locata est apostolis, eorumque successoribus episcopis, presbyteris, ceterisque ordinibus sacris, qui singuli pro suo quisque captu vel ministerio eidem insistentes, dominum vineæ ut veniat præstolantur, non ut malos male perdat, sed ut fructum beneplacitum recipiens, bonos operarios benigna largitate remuneret. Horum autem aliquem quis sit, sive episcopus scilicet, sive presbyter qui te excolendum suscepit, non ad me pertinet, ipse autem de te alloquitur, & te fructum non dedisse conqueritur, cum mores tuos ei demonstrans, te inconvertibilem, diuque infructuosum esse fatetur, non solum suo ore, id est scripturarum voce, sed & tua operatione. *Ecce*, inquit, *tres sunt anni, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio.* Hæc dicuntur dum cultor tui cordis in te conspicit ea quæ Domino docente cognoscit reprehensibilia, tunc conquerentem super te audit ipsum, cui detractas fructum deferre operum; annis autem tempora ætatis significari, sicut & alio evangelii loco horis; si denegas, sunt multa quæ tibi obviant testimonia. Ne itaque dum illud unde nullum opus est gerere scrupulum, testimoniis cingere operam damus, tardius illud contingat venire quo festinamus; scias tribus temporibus ætatum Dominicum jam tibi affuisse adventum. Venit enim ad te in infantia & pueritia, ut unum pro sui vicinitate accipias, dando baptismum & ministrando intellectum, præbendo magistros, & fructus exquirendo collatos. Quid retuleris ipse melius nosti. venit secundo in adolescentia & juventute, cumulando intelligentiam, augendo dona, requirendo merita, & tunc quid rependeris, credo, quia recolis. adest nunc, vide quid facias, vult enim te succidere, & ne lenocineris tibi, quod si excisus fueris, rursus erigaris, ut illa superius post septennium; alia fuit illa arbor, alia tu. Non fuit illa ficus, sed cedrus, nec de cedris Libani quas plantavit Dominus, sed de illis de quibus dictum est: *Confringet Dominus cedros Libani*, quia etsi Libanus candidatio interpretatur, sunt tamen quidam velut sepulcra dealbata, quibus *Væ*, dicit veritas ipsa, non stetit hæc cedrus in vineto, sed in campo. Crede mihi si incorrectus excideris, statim in ignem mitteris. Jam enim minatus est paterfamilias dicens: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Tunc expectabatur gratia, modo præstolatur judicium, ille quia paganus, tamen aliquid boni habens remunerabatur, in præsenti ut cruciaretur in sempiternum. tu quia Christianus, licet negligens, exigeris, ut hic te sponte corrigens vivas in æternum, & hæc quidem omnia ex superfluo, cum illa excisio nil fuerit aliud nisi regni & sensus amissio: tua autem hæc de qua hic dicitur sit animæ amissio, & mortis subitio, quæ si bona fuerit, non est mors, sed natalis; sin mala, erit mors immortalis, defectus indeficiens, perditio semper manens, corruptio immutabilis, luctus sine consolatione, gemitus sine cessatione, calamitas sine fine. Memento itaque ut adhuc de ipso evangelio quod tibi restat eloquar; quid ille tuus cultor, sive sit episcopus, sive aliquis pro te Deum rogans dicat patronus: *Domine, dimitte illam & hoc anno usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & siquidem fecerit fructum; sin autem in futuro succides eam!* O quam breve spatium, ô quam sufficiens, si convertaris! ô quam subitum si avertaris, immo si persistas in hac qua te invenit duritia cordis! Sed ne dicas me hic violenter annum pro anno accipere, cum superius annum dixerim pro ætate; considera & hic, rogo, ætatem tuam, cogita quantum vixeris, & vide si adhuc ætas tot promittat spatia temporis, cum præsertim & in ipsis infantibus incertus sit, quia sæpe immaturus exitus mortis. Cogita quia non sine causa certæ rationis silicernius in ista ætate vocaris, sed ut admonearis debitum finem attendere, tanto scilicet attentius, quanto magis est contiguus. Ponas ante oculos quo hinc excedens suscipi debeas thafum, ab obtutibus non recedat sepulcrum, a meditatione ne aufugiat memoria peccatorum, immanitas pœnarum, formido suppliciorum, contemplatio judicis, sententia illa ultima æternæ perditionis. Hoc est enim stercus, quo ad statum potest revehi pinguedinis, hæc fossa humilitatis, qua fructum referre valeas piæ operationis, videlicet ut conscientia pravitatis tangat memoriam cogitationis, & plangens quod te fecisse recolis, ad fœcunditatem operis, per defossionem confessionis, & contemplationem fœtidæ operationis radix tui redeat cordis. & ne tempus exactum nimium longissimum, residuum autem ad pœnitentiam æstimans desperes brevissimum, precor te, considera David, intuere Zachæum, & si est unde, imitare ipsum; quod si tam pauper es, ut nihil unde te redimas habeas, & tam subitus te intercipit mortis casus, imitare illum beatum latronem, diutino latronem, subito confessorem, subito martyrem; diu homicidam, illico paradisi incolam. Imitare Ninivitas veternosos reatus triduana pœnitentia delentes; ineffabilis enim, inexcogitabilis & incomprehensibilis est bonitas medici cœlestis, nunc alios longa, nunc alios mediocri, nunc alios brevissima satisfactione, omnes vero sola suæ gratiæ benignitate,

Luc. 7. 7. — Luc. 13. 8. — Psal. 28. 5. — Matth. 3. 10.

nullum sua aliqua salvans operatione, sicut audisti in psalmo: *Quia melior est misericordia tua super vitas.* Si enim tempus suppetit, vult ut longos erratus longa maceratione castiges, sicut dicit ad animam: *Ego enim ostendam ei quanta oporteat eum pati pro nomine meo*; quod est tale, quasi diceret, qui diu contra me pugnavit, diutius volo ut & pro me decertet; denique jam David peccatum dimiserat, & tamen ejus filium contra ipsius votum occidens, alium autem adversus eum erigi sinens, populum sternens, pœnam adhuc pro peccato intentat. Quod si mediocritas vitæ occurrit, mediocritatem pœnitentiæ non renuit, tantum ut voluntas non mediocris, sed sit immanis: unde satis provide a sanctis patribus institutum est in causis pœnitentium non tam considerari debere mensuram temporis, quam doloris. Quod si ipsa hora ultima te subito invadit, dum adhuc spiras, dum palpitas, quantulum vales, emitte vocem confessionis, pœniteat te illic venisse imparatum; ne tamen desperes, ne dubites, confidenter clama, ex toto corde supplica; videt ille in corde, considerat quo affectu clames; crede mihi veraciter, tibi promitto quia si viderit quod non duplici, sed simplici corde pœniteas & confitearis in ipso articulo mortis, medicinam conferet salutis. animet ergo dubietatem noxii timoris tanta clementia conditoris, terreat duritiam obstinati cordis sententia illa Jacobi apostoli, licet universalis, tibi maxime specialis: *Ecce judex ante januam assistit.* Janua enim cuique ille est exitus improvisus, cui sors irrevocabilis illa velut fur assidet, captans horam qua animam insperate rapiat, & illuc ducat ubi pro meritis propria recipiat. De hoc fure ab initio nativitatis debuisti suspectus esse, ne irrueret, ut assolet, immature; quanto magis nunc cum auctoritate quadam judiciaria adest debite? Noli itaque segniter agere, noli obdormire, ne dormientem te capiat, id est ab operibus piis vacantem. Audi apostolum salubri te ab hoc torporis lethargo excitantem voce. *Hora est*, inquit, *jam nos de somno surgere*; ne deinceps ullas dederis ferias; sufficiat, jam nunc satis cum Judæis sabbatizasti, pone modum nunc vacationi, & insiste piæ laborationi. Vide ne contingat fuga tua hyeme vel sabbato, id est ne te frigidum a caritate, nec vacantem inveniat a bono opere. Scito quia ultima tibi jam adest hora, jam adest præ manibus te accersens missus, rape quidquid potes quod tecum feras; hoc autem tecum scias te laturum esse, quod hic studueris præmittere. Securis ad radicem jam est arboris, arida per maturitatem est arbor, infœcunda & infructuosa per torporem; nil superest quin debeat excidi. excideris statim, dico tibi

Rom. 13. 11.

excideris, sed vide ne in ignem mittaris; non potest fieri ut non excidaris, quia conqueritur dominus vineæ, quod terram inaniter occupas; multæ autem arbores exciduntur, sed in ignem non continuo mittuntur, infructuosæ autem in ignem mittuntur. De ceteris autem, opera diversa, utensilia diversa, vascula fiunt diversa, quædam & jam optima, & quibusdam licet perraris auro cariora. Hoc tibi ideo suggero, quia scio veracissime quod in ista hora, in isto ævo, in ista quam nunc geris ætate, debeas excidi, nec volo ut fomentum ignis, sed poculum pretiosissimum sis in manu regis cœlestis. Unde ille Salomon, vere pacificus, qui facit pacem inter nos & Deum, & confœderavit terram cœlestibus, dignetur libere ea participibus suis potum lætitiæ, id est tuæ conversionis & salutis gaudia propinare, siquidem calix ejus inebrians valde præclarus est. Hæc tibi modica quidem quantum ad tuam utilitatem, sufficientia vero quantum ad nostram vacationem sufficiant dicta, nunc quia locus sese tui obtulit causa, dignum & satis ducimus commodum quædam nobis & tibi generalia ex eodem evangelio subvertere, quæ utrisque Deus concedat prodesse: verum quia incomparabili oris facundia a quodam, cujus auctoritati non modice succumbit nostra, luculentissime sunt prolata, veremur ea fœdare nostri sermonis ammixtione ulla, ita ut sunt disserta in fine sermonis ab eo ponemus illibata. ait ergo quibusdam satis dilucide, aliis præmissis, sed a nobis quædam ex his, non quidem ut decuit, sed ut ariditas nostri ingenii valuit, in tui specialiter, generaliter autem in nostri multorumque utilitate, sermone, non sensu adeo dissonante sunt recitata: Gregorius sunt ait plerique, qui increpationes audiunt, & tamen ad pœnitentiam redire contemnunt, & infructuosi Deo, virides stant in hoc sæculo. Quid itaque cultor vineæ dicat audiamus. Siquidem fecerit fructum, sin autem in futuro succides eam: quia profecto qui hic non vult ad fœcunditatem pinguescere per increpationem, illic cadit unde jam per pœnitentiam surgere non valebit, & in futuro succidetur, quamvis hic sine fructu viridis stare videatur: *Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis.* Et mulier quædam: *Habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo*: Paulo ante jam diximus, quia hoc trinus adventus Domini ad infructuosam arborem, quod decem & octo annorum numerus ad mulierem curvam signat. Sexto enim die homo est factus, atque eadem sexta die cuncta opera Domini perfecta sunt: senarius autem numerus in trigonum ductus, decem & octo fuit, quia ergo homo qui sexto die factus est, perfecta opera habere

GREG.

Luc. 13. 11.

noluit, sed ante legem, sub lege atque in initio inchoantis gratiæ infirmus extitit, decem & octo annis mulier curva fuit. Atque post pauca: Plerumque videmus quæ agenda sunt, sed hæc opere non implemus, nitimur & infirmamur, mens judicium rectitudinis conspicit, sed ad hanc operis fortitudo succumbit, quia nimirum jam de pœna peccati est, ut bene quidem possit bonum conspici, sed ab eo quod conspicitur contigat per meritum repelli. Usitata enim culpa obligat mentem, ut nequaquam possit surgere ad rectitudinem. Conatur & labitur, quia ubi sponte diu perstitit, ibi & cum noluerit coacta cadit. Item, si ipsa se anima ad ima appetenda non dejicit, contra hanc dæmonum perversitas nullatenus convalescit, & transire per eam non valent, quam contra se rigidam pertimescunt. nos ergo fratres, nos viam malignis spiritibus damus, cum terrena concupiscimus, cum ad temporalia appetenda curvamur. pudeat ergo terrena concupiscere, & dorsa mentium adversariis ascendentibus præbere, terram semper intuetur qui curvus est, & quo precio redemtus sit, non meminit qui ima quærit. Item, qui gibbum tolerat, ima semper intuetur, a sacerdotio ergo repellitur, quia quisquis solis terrenis intentus est, ipse sibi testis est, quod membrum summi sacerdotis non est. Item, si virtutum summa operari non possumus, ipse Deus nostro gaudet lamento. Ex ipsa ei justitiæ inchoatione placebimus, qui injusta quæ fecimus punimus; istud tantum extra viam propositi, amœnitate tam florigeræ viriditatis prati delectatum, me sufficiat processisse: nunc ad te, ne opus in aliquo videar interrupisse, reversus, suggerendo admoneo, siquidem reverentiam tibi debere pro canitie scio, ut hæc cum superioribus conferas, & negotium tibi ex his capessendæ salutis adquiras, & ne inveteratus dierum malorum rite vociteris, dies tuos jam rogo, ut dimidiare, dum vales, studeas, & spiritu mentis renovari contendas. Et quia hucusque te plus justo carnalibus refudisti in sensibus, te ad te colligas & novus homo jam salutem nunc vetere exuto, repuerascas Deo, annos octoginta aut proximos aut transactos aut insistentes aspicias, supervenientem mansuetudinem Dei ne contemnas, ne correctionem durius sustinens, florem tui capitis amigdalum advertas, quod si & adhuc locusta id est agilitas quondam gressuum tumore pedum aut certe tibiarum, jam est impinguata, aut certe secundum poëtam, lapidosa chiragra jam fecit articulos veteris ramalia fagi, suspectus pavidusque horam illam expecta, qua ire ad domum æternitatis boni aut mali debeas, quia postea quicquid planctus tui causa acciderit in plateis, nil te juvabit positum in tormentis, qui dum hic superstes esses, tibi consulere, & tibimet contra tantam superventuræ calamitatis angustiam consilium capere, dum immutabile id esse optime scires, detrectasti. Interim ergo dum opportunitas flendi fructuose, dum tempus acceptabile, dies adhuc salutis, dum vivis, dum adhuc avidice sustineris, hortor ut in melius conitaris, dum ille securis differt ictum, tu de te cape consilium, dum ille suspendit vindictam, tu corrige vitam, non est apud Deum difficilis aut tarda conversio, cui ipsa justitiæ placet inchoatio. Væ autem illi cui non conceditur ante corrigi, quam defungi. magnam enim, ut dicit qui superius, contumaciam contemptæ mansuetudinis & gratiæ, major sequi solet ira vindictæ, & diutius expectatus, durius feritur non conversus, & quam largiter prorogatur misericordia in præsenti, tam severe ingratis intentatur judicium in futuro.

Explicit liber secundus.

I. Rex es? delectatio regia te instruat. II. Discerni qua intentione quis quid faciat. III. Non virtutes prætextu aliarum rerum quæ sunt dissonæ palliare. IV. Timendo Deum rege tibi commissa. V. Catholicam esse ecclesiam, & catholicam ejus esse gratiam. VI. Ut non rex dedignetur subdi Dei judicibus. VII. Quod opprobrium & subsanatio facti sumus. VIII. Quod sicut sunt episcopi sortes sanctorum ministerio ordinis, ita sint & privilegio honoris. IX. Spiritum sanctum negligenti etiam episcopo adesse sæpe. X. Quod a nemine nisi a solo Deo valeat judicari episcopus. XI. Oratio sub altari constitutorum. XII. Trifaria divisio filiorum ecclesiæ.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

Superioribus duobus libellis temporum, personarum, officiorum, sexuum vel ætatum præloquiis, quanta valuimus brevitate, & si non quanto decuit lepore, Deo donante, transcursis, nunc dignitatum, ordinum vel affectuum vastos, & sæpe ideo per naufragos, quia abundantissimis promunctoriorum cautibus refertissimos æstus tentantes, flatibus nos committentes adversis, ipsum obicem opponimus Christum, tricipiti voluminum lintre eosdem gestientes sulcare, si tamen illius non desit remigium, cujus in isto eo magis flagitamus nobis necessarium affore auxilium, quo scit nos id opus assumere tanto dubitantius, quanto periculosius. nam ex uno latere superni spectatoris, ex alio sali hujus immodice ferventis veremur procellam, navisque nostræ cujus jam fracto remo, amisso clavo, fessus multigenis collisusque scopulis, sopitis viribus, non quidem scapha portatus,

tatus, sed unda jactatus, tremulis linguam ipsam mordens dentibus, in uno brevium jacet nauclerus, omnimodis jacturam tenemus cum hunc ei miserabilem incursum, propter præcipitem cursum, dum cavere ancipitem nescivit excursum, contigisse noverimus. quamquam enim scriptura dicente: *Lingua sapientium sicut stimuli, & sicut clavi in altum defixi.* Noverimus divinæ auctoritatis ita constantissimam constantiam, ut nulli parcere, neminem noverit palpare: tamen novimus ab ipsis quoque urbanæ scientiæ viris, hodie summa diligentia observari, quid cautius, quam quid proferant verius, utilius æstimari quod docet comicus, quam quid interminatur dominus, pluris pendi dictum, obsequium amicos, veritas odium parit, quam qui me erubuerit & meos sermones, & hunc filius hominis erubescet cum venerit, & forte illud quia quasi disertius ideo putatur utilius, quia pompaticum, ideo judicatur saluberrimum, istud quia foliorum venustate, quin potius vanitatis opacissima densitate nudatum, ideo a sæculi prudentibus seu simplex, atque ut ita dicatur rusticum, vili penso ducitur dignum, cum nec minus cautelæ eis videatur afferre negotium suspectius dicentium videntibus, nolite videre; & aspicientibus, nolite aspicere, nobis ea quæ recta videntur loquimini, nobis placentia, videte nobis errores. Verum magistra eadem quæ & via est veritate, atque per quemdam de se ipsa dicente: hæc via, ambulate per eam, neque ad dexteram, neque ad sinistram, satagamus hac arte sermonem moderari nostrum, ut nec ad dexteram altiora nobis præsumptive tentantes, usque ad sinistram declinemus, falsitati timide cedentes: quo fit, ut ita loqui quamquam absurde liceat, ut nec Terentius alicujus minus provide odium in nosmet exacuisse, nec Christus alicujus amicitiam minus libere notet veritati prætulisse. quod ne contingat, inter utraque hæc, cauto gradientes vestigio, sic tangamus dignitatis cordam, ut citharœdi taceamus personam; sic alloquamur ordinem, ut ordinati omittamus nomen; sic affectum, ut caritatis non patiamur defectum, cujus hic magnopere quærere debemus profectum, præsertim, cum nec defuturam osorum credamus invidiam, qui nostram hac etiam in parte reprehendere non dubitent audaciam, cum præter auctoritatem, salva officii reverentia, haud aliquam, nullam quoque nobis noverint suppeditare scientiam, cujus hic quoque rei enormem satis capere valeant conjecturam.

Eccli. 12. 11. (margin)

TIT. II. Rex es? dignitas rogo ipsa te dum delectat, instruat. Sunt quædam regalis ordinis insignia, quibus sine etsi nomen utcumque, re tamen vera certe non potest consistere dignitas tanta. His ergo utere; his exercere, his exornare. Esto prudens, justus, fortis & temperatus, hac quasi quadriga evectus regni fines perlustra; hoc denique curru ista utere in via, ut cum sanctissimo Helia vel vocari merearis auriga. hoc quadruplici munitus thorace, hostibus ne cunčteris imperterritus occurrere, nec enim poteris aliquibus adversis devinci, si tanta tuitione vallari merueris.

TIT. III. In primis itaque, antequam scilicet temptemus alia tuæ serenitati congruentia, de his singulis tam te, quam omnes qui sunt in sublimitate constituti, volo instruere: hoc adjiciens, ut sollicite studeat quis discernere, quid qua intentione faciat. ut enim & experimento ex nobis ipsis, & lectione, ex antiquorum cognovimus dictis, plerumque vitia virtutes se esse mentiuntur, unde satis pulchre Seneca in proverbiis, timidus, ait, se cautum vocat, sordidus parcum. calliditas enim, ut & quidam ait nostrorum, prudentia vult sæpe videri, videlicet ut dum aliquem dolo capimus, prudenter nos fecisse gratulemur; quod contra psalmista, id quod & Petrus de Christo in epistola: *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.* Psal. 14. 3. nostrorumque quidam, dolus, ait, in corde quanto apud homines prudentius callet, tanto apud Deum stultius decipit. Itemque psalmista: *Inimici ejus terram lingent.* Ps. 71. 9. Terram quippe lingere, est sermonis suavitate ab aliquo terrenum aliquid auferre: quod vitium cum urbanitas a quibusdam deputetur sæcularium, tanto a piis mentibus est sollicitius cavendum, quanto hoc testimonio discimus Dei specialiter vocari inimicum, qui suadente suaviloquio per falsiloquium decipit proximum, aut possessis hac eum simulatione spolians, aut, quod pejus est, eumdem ipsum perfidi proditoris exemplo sugillans, juxta illud *in ore suo pacem cum amico loquitur, & in occulto ponit ei insidias.* Jer. 9. 8. Et dicentes pax pax, cum non esset pax, & *sub lingua ejus labor & dolor, sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.* Ps. 10. 7. Et quibusdam intermixtis aliquanto post: *Insidiatur*, ait, *ut rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum.* Item alio: *Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula;* Ps. 54. 22. speciemque ad genus more usitato transferens, præmiumque debitum promens: *Tu vero*, inquit, *Deus, deduces eos in puteum interitus.* Ibid. 24. Job autem tanto terribilius, quanto expressius: *Simulatores & callidi*, inquit, *provocant iram Dei.* Job. 36. 13. Ubi notandum quod non *merentur*, sed *provocant* ut aliquid formidosius inesse intelligas, dixit. Verendum autem ne provocetur adeo, ut resistere ei valeat nemo, ne dicatur vivo ego, dicit Dominus, quia non expiabitur iniqui-

tas hæc victimis & muneribus usque in sempiternum. quam fœdum autem cuilibet hoc sit vitium sectari Christiano, etiam antiquorum monstratur exemplo, qui non divino timore, sed naturali honestatis amore, definierunt turpem omnem dolo quæsitam victoriam fore. insania quoque impatientiæ fortitudo vult sæpe parere, fortem enim se quisque ambit videri, cum percutit pugno, victus convitio; sed stultum est, ut ait peritissimorum quidam, hominem victum fortem dicere. sciendum etiam freneticos plus sanis persæpe viribus posse. Virtus, juxta Augustinum, eo pluris æstimanda, quo plura contemnit. Crudelitas quoque impietatis, & ipsa ambitio ardentissimæ cupiditatis, trophæum invadere aliquotiens nituntur æquitatis; videlicet cum quis satisfacit iræ, & putat se servire justitiæ, aut etiam si justum sit quod agit, quæstus illud gratia facit, contra interdictum illius qui præcipit, dicens: Juste quod justum est exsequeris, desidia etiam temperantia vult nonnumquam videri; videlicet cum quid præcipitanter agere vitamus, sed id moderari per discretionem nescimus, ea etiam quæ agenda erant, minus providi, desidiose inacta dimittimus, dumque vitium metuimus, vitium incurrimus. Sæpe enim cum quis moderari nititur iram, incurrit negligentiam; cum plerumque vitia non coercere, majoris sit criminis, quam ulcisci, & delinquentem negligere non minus sit, quam odisse. aliquoties doli scyllam caventes, stultitiæ incurrimus syrtes, fortiter persæpe exsequenda vitantes, segnitiæ vitio servimus torpentes. Verum quid affert earum cognoscere æmulas, si contingat, & ipsæ quæ sint, certis indiciis pernescire virtutes? Definiamus igitur quæ sint ipsæ, & luce fulgorantius parebit quid non sint ipsæ. Justitia est, ut jam a majoribus est diffinitum, habitus animi pro communi utilitate servatus, suam cuique tribuens dignitatem; unde proprie justitia dicitur, quasi juris status: Jus autem est propria lex, & justus qui jus, id est propriam legem custodit, vel qui quod proprium est unicuique impendit, ut illud Domini, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Matt. 22. 21. Prudentia est rerum bonarum malarumve verax scientia. Temperantia est adversum libidines, aliosque non rectos impetus animi, firma & moderata dominatio. hæc & modestia vocatur, quia cum modo vel mensura omnia agit. Fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum firma perpessio. Hæ quatuor ita regales propriæ noscuntur esse virtutes, ut cum his quilibet etiam rusticus, rex non incongrue dici; sine his, nec ipse universam pene monarchiam obtinens mundi, quamquam abusive, rex valeat juste vocari: male enim imperando, ut ait qui supra, summum imperium amittitur; quantum autem his amiciri, non solum regibus, sed etiam omnibus prosit hominibus, testatur dicens in sapientiæ laudibus: Sobrietatem enim & sapientiam docet, & justitiam & virtutem, quibus nil utilius in terra est hominibus. ubi sobrietatem, temperantiam, sapientiam esse, quam & nos posuimus prudentiam, virtutem, fortitudinem diligens lector attendat. Beatus autem cui dicitur: Omnibus his vel ut vestimentis indueris.

TIT. III.

His ita non inconsideranter, ut credo, præjactis, nunc si qua sunt dicenda, ita recipere ne aspernetur amplitudo tua, ut dum aperta fuerint diu forsitan ignorata, corrigantur neglecta. Primum itaque rogo te, ne ipsas quoquomodo velis degenerare virtutes, prætextusque aliarum quarumlibet rerum, quæ forte sunt dissonæ, palliare. Esto dico prudens, non callidus, quamvis & calliditatis nomine prudentia sæpe soleat intelligi, ut est illud: *Callidi est intelligere viam suam*; Prov. 14. 8. fortis, non superbus; temperatus, non deses aut remissus; justus, non crudelis. Honora itaque Deum, rege primum teipsum, immo ipsi rectori commenda teipsum; vide quæ arbores majori impulsu agitantur ventorum; considera quæ gravius ruunt ædificia, & ne illud incurras, quia *judicium durissimum in his qui præsunt*, Sap. 6. 6. & *potentes potenter tormenta patientur*; & *fortioribus major instat cruciatus*. Amplectere sollicitus, quia *beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*; Matt. 5. 7. ut simul possis evadere illud, quia *judicium sine misericordia his qui non habent misericordiam*; Jac. 2. 13. & intelligere quia nullus miser, nisi qui misereri noluerit, & ne fortem te putes, cum percutis gladio victus vitio, nec multum læteris cum plurima tibi subjicis. Audi multum ante nos dictum, ante ipse subjicitur qui vult alios habere subjectos; cui vero subjiciatur tibi relinquo disquirere, cum Dominus te possit satis hinc congrue dicendo docere: *Nemo*, inquiens, *potest duobus dominis servire*, Matth. 6. 24. & *Non potestis Deo servire & mammonæ*. Et Apostolus, *Non regnet*, Rom. 6. 12. inquiens, *peccatum in vestro mortali corpore*. Et, *Qui facit peccatum, servus est peccati*; & Joh. 21. 34. *a quo quis superatur, ejus est & servus*. Et in Daniele: *Princeps*, inquit, *regni Persarum* Dan. 10. 13. *restitit mihi*. Non enim sine causa dicuntur dæmones fornicationis & superbiæ, vel ceterorum vitiorum spiritus, nisi quia habent subjectos quibus dominantur, eisdem scilicet vitiis servientes: quod cum evidentissime didiceris, considera quid per prophetam Dominus dicat: *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci, numquid vos soli habitatis in terra? in auribus meis sunt omnia hæc, dicit Dominus exercituum.* Isa. 5. 8. Atque post

Ibid. 14. pauca: *Propterea dilatavit*, inquit, *infernus os suum, & aperuit absque ullo termino, & descendent fortes ejus, & populus ejus, & sublimes gloriosique ejus ad eum.* Itemque: *Væ qui*
Ibid. 23. *justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo, propterea sicut devorat stipulam & ligna ignis, & calor flammæ exurit, sic radix eorum quasi favilla, & germen eorum ut pulvis ascendet.* Considera itaque, rogo, quam grave sit cupiditatis crimen, quod & te & populum tuum, totumque potest consumere germen; quod si cuncta cedunt ex sententia, si omnium adversantium tibi subito supplicant colla, nulla inutilis gaudii te exinde pulset jactantia. Memento hujusmodi a Psalmista illi promissa, quem divina justitia despexit: *Auferuntur*, inquit,
Ps. 10. 5. *judicia tua a facie ejus, omnium inimicorum suorum dominabitur.* Scito etiam a medicis desperatis nil prohiberi quod desiderant esui.

TIT. IV. Tu potius time Deum, rege, immo nutri populum tibi commissum, deprecare sanctos, venerare episcopos, noveris illos tibi, non te illis esse prælatos; & ut amplius dicam, deos tibi a summo & uno & singulari Deo, & angelos ab ipso magni consilii angelo esse datos. Quod si me putas mentiri, antecessorem tuum interroga Constantinum, interroga psalmum ipsum; interroga Dominum. Vos, ait ille jam fatus, nobis a Deo dati estis dii, & conveniens non est ut homo judicet deos. Psalmista
Psal. 81. 1. vero, *Deus*, inquit, *stetit in medio deorum,*
Ibid. 6. atque aliquanto post: *Ego dixi, dii estis.*
Psal. 49. 1. Et *Deus deorum dominus locutus est*; ipseque
Exod. 7. 1. Dominus ad Moïsen ait: *Ecce constitui te*
Exod. 22. 28. *deum Pharaonis.* Et *diis ne detrahas.* Itemque *applicate illum ad deos.* Et rursus in psal-
Psal. 103. 4. mo: *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis*, id est, prædicatores suos & spirituales; & caritate facit fer-
Malach. 2. 7. ventes. Et per prophetam: *Labia sacerdotis custodient justitiam, & legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.* In Apocalypsi Johannis cum audis angelos septem ecclesiarum, nullos alios intelligas quam episcopos earum. In evangelio quoque quid dicat, quam potestatem eis tri-
Matth. 16. 19. buat adverte: *Quæcumque*, inquiens, *ligaveritis super terram, ligata erunt & in cælo, & quæcumque solveritis super terram, soluta erunt & in cælo.* Hoc idem, licet sparsim, & in psalmo jam & propheta peroraverat:
Psal. 138. 17. *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Quorum? apostolorum, evangelistarum, episcoporum, clericorum, monachorum sæculo renuntiantium, qui quia nolunt aliquid habere in mundo, jure cum Deo principantur & judicant de mundo; malentes aurum habentibus imperare, quam aurum habere.
Psal. 46. 6. *Principes*, inquit, *populorum congregati sunt*

A *cum Deo Abraham, quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt.* Ecce habes manifestissime, quia principes populorum ipsi sunt dii terræ. Sed quis est iste principatus? ad quid est iste principatus? *Ad alligandos*, in- Psal. 149. 8.
quit, *reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis judicium conscriptum.* Ecce quem acceperint principatum, ad quid acceperint, quomodo confortatus est ipse principatus. Quo? hic & in futuro; qua? per omnem mundum, ubicumque Christus adoratur, sacerdos post ipsum excolitur, immo in sacerdote Christus honoratur.

B Ne quis ergo Jerusalem, Romam, Alexandriam, vel aliam quamlibet in hac prerogativa accipiat, ceteras excipiat. Catholica est ecclesia, catholica & ejus est gratia: non sunt plures, una est quæ eam continet petra, unica est ecclesia. Sic enim de ea dicitur, una est matri suæ, id est regeneratrici gratiæ, unica est lex universæ. Licet consuetudines pro ritu & proprietate gentium sunt discretæ, uno spiritu omnes consecrantur, sicut & uno baptismate omnes lavantur; & licet divisiones sint gratia- TIT. V.
C rum, siquidem excellunt alii alios in ecclesia, sicut & in cœlo ordines, non tamen divisi datores, unus est enim dator, operator unus, idemque qui solus Deus essentialiter, immo id quod comprehendi non potest, quodque melius mirando & credendo, quam cogitando, ratiocinando vel loquendo proferimus, id est, substantialem esse, vivere posse, sapere & intelligere, semper idem manens dividit singulis prout vult, quomodo vult, per quos vult, & ideo dicitur: *Non est potestas, nisi a Deo; quæ au-* Rom. 13. 1.
D *tem sunt, a Deo ordinata sunt.* Ideo ejus ordinatione est institutum, quæ cui potestati congruum præbeat privilegium, quæ cui præferatur vel supponatur, ut videlicet ea summa sit potestas, quæ cuncta, utpote quia a se creata distribuit, ordinat, gubernat & continet universa; eam illa sequatur quæ ab ipso ceteris prælata dicendo, quantum scilicet tacitis supercœlestibus, venitur ad cœlestia, quæ a nobis vocantur ecclesiastica; *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis.* Non enim dixit, ali- Matt. 16. 19.
E quacumque ligantibus vobis, erunt ligata, ut subintelligere tibi optio daretur, aliquacumque ab hac lege manere inconcessa, sed quæcumque, id est, *Omnia quæ ligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Huic autem quæ superferri, cum nil videatur in ejus suppositione residui, nec aliquid nisi per eam rite vel christiane videatur quod cetera supposita ordinet institui, invenire adhuc nec cogitando, nec ratiocinando, nec legendo valuimus. Huic tamen si contradictorem forte aliquem invenimus, proferat de divinis scripturis, &

credimus, tantum ne Spiritum-sanctum a Patre & Filio procedentem, atque ubi vult spirantem, ab homine dari posse audiamus: quod nec angelo dicenti assentimur, quin potius dicentem cum apostolo anathematizamus. nam & quod quasi robur invincibile in hoc opponitur, id est illud ejusdem: *Carissimi, subditi estote omni humanæ creaturæ, sive regi quasi præcellenti*, aliquid valeret ad id instruendum, si diceretur Deo præcellenti, aut episcopis præcellenti; nunc vero hoc tacito intelligendum solummodo terrenis illum præcellere, & ideo ut justitia teneatur, debitum ei, id est, majorem ceteris creaturis terrenis, nec tamen cœlestibus honorem deferendum; sed & hoc non propter se, sed propter Deum servata reverentia sublimium potestatum, quibus & ipsa humana potestas, & omnis præcipitur anima fieri subdita, quæ non sunt aliæ, nisi quæ per Spiritum-sanctum in apostolis eorumque successoribus potestatem judicandi, ligandi ac absolvendi ab ipsa summa Potestate acceperunt de omnibus.

1. Pet. 2. 13.

TIT. VI. Talibus igitur, ô rex, subdi ne dedigneris, quia velis nolis, ipsos deos, ipsos angelos, ipsos principes, ipsos judices habebis: ipsi te solvere, ipsi valent ligare. nam tu super aliquos, illi super te & super omnes. Excole itaque eos quanta potes veneratione, ut & illi te excolant condigna remuneratione; vide ne aliquam tibi eis contingat injuriam inferre, quin potius ab altero illatam, quantum pervales & ratio dictat, vindicare stude; noli quolibet negotio Spiritum-sanctum qui in eis est contristare, ne non tibi expediat; vide, recole, si legisti; vel si non, lege in libro Genesis, quid Dominus pro eis sub persona Abrahæ & Saræ, & rursus Isaac & Rebeccæ, itemque Jacob Laban fugientis dederit comminationis, & assume in cautelam tuæ actionis arcam etiam testamenti, quæ illos significat mystice, ab Allophylis captam, & in templo Dagon positam. Aspice, & tibi provide, prospice, non dissimulans quid illis contigerit cogitare, ipsam quoque arcam, quia bobus calcitrantibus inclinatam, Oza, qui interpretatur robustus Domini, erigere voluit, quid meruerit perpende, & si quod forte negligentis declinium vitæ eis videris inesse, vide ne per te eos emendando velis relevare, ne dum robustus videri ambis Domini, fias jugulum ferientis angeli. Prophetam etiam in Bethel transmissum, & propter inobedientiam a leone devoratum conspice, & præter manum regis aridam, considera etiam in fera illa inrationabili quanta veneratione debeas tu rationalis vivos excolere, quandoquidem illa nec asinum pro sua culpa mortui ausa est usurpare. quinquagenarios etiam duos Heliam maledicentes aspice, & ignem iræ cœlestis verere. quadraginta quoque pueros in Bethel Heliseo illudentes perpende, & a detractione, & læsione prophetarum, quod utique ipsi sunt, linguam, vim & manus contine. Quod si forsitan ambisti, si præsumpsisti, si usurpasti, ut jam exempla proposita sufficiant, aut forte ab his ascitus, aut tua vi elatus, ut eis te prælatum, cum non esses, crederes; siquidem nec homo Deo præferri, nec terrestris cœlesti præponi, nec vermis angelo principari, nec rex regi, sed præstantiori debet aut valet omnino dominari; sufficiat tibi ad hoc, illorum peccato, tuo malo te esse perductum, attende ne pessimo auriga in pejus actus, tentes aliquos illorum etiam si sint toto orbi infantes, tantum sint in fide catholica stabiles, aliquibus tradere suppliciis more servorum, cum potius ipsi jure debeant fungi dominorum. scias usum hunc fuisse, non quidem catholicorum, sed illorum, quorum pars longe sit a tua, tyrannorum. quod si negligentia pravæ alicujus eorum consuetudinis exposcit, ut debeant tundendo produci, ut tuba ductulis in ecclesia sunt Domini, cave tu malleus fieri, quia dum tuba producitur, malleus hebetatur. nam etsi Dominus propitius vindicat in omnes affectiones eorum, & visitat in virga iniquitates eorum & in verberibus peccata eorum. noli tu virga fieri, audi dictum esse: *Qui parcit virgæ, odit filium.* Time igitur, ne dum cuilibet eorum parcitur, per te castigato quia dilecto, tibi non parcatur disrupto quia despecto: & dum ille per emendationem, quia dilectus, proficit ad hereditatem; quia despectus tu deficias per impietatem ad perditionem. Scopis enim verruntur palatia, sed ipsæ focis attritæ adhibent fomenta; aurum etiam igne purgatur, non consumitur; ligna vero quibus ignis nutritur, in favillas rediguntur. Sed flagellantur, ais, filii optime placentes; quid mirum si flagellantur servi negligentes? At, inquam, licet sint negligentes, non sunt tamen de conditione illa servili, qui passim debeant a quovis flagellari. Audenter quidem tibi quid sint & quasi insolenter enumerando ne non scias & ostendas pronuntio; sed tamen tanto liberius quanto non ex me, sed ex divinis proferens auctoritatibus. Miraculum autem, si tanta & tam ineffabilia & etiam ipsi qui his fruitur incomprehensibilia, ab homine possunt conferri: quid Deus distat, vel quid opus ipse sit rogari, si tanta pulvis valet largiri? Quid cogitare quid est aliud quam in cœlum velle conscendere? quid dicere, quid nisi super astra cœli quod utique episcopi, si tamen sunt quod dicuntur, exaltare est solium? quid conari nisi ascendere super altitudinem nubium,

Prov. 13. 24.

bium, quod propheta referente testis est Isa. 5. 6. Deus eos esse, dicens: *Mandabo nubibus meis ne pluant super eos imbrem*, & ideo se similem æstimare? Dii sunt, Domini sunt, Christi sunt, cœli sunt, angeli sunt, patriarchæ sunt, prophetæ sunt, apostoli sunt, evangelistæ sunt, martyres sunt, vincti sunt, reges sunt, principes sunt, judices sunt non tantum hominum, sed & angelorum; arietes gregis Domini sunt, pastores ovium, non quarumcumque, sed Christi sanguine lotarum, sunt; doctores sunt, præcones venturi judicis sunt, speculatores sunt, pupilla oculi Domini sunt, amici Dei viventis sunt, filii Dei sunt, patres sunt, luminaria mundi sunt, stellæ cœli sunt, columnæ ecclesiæ sunt, medici animarum sunt, janitores paradisi sunt, claves cœli portant, reserare & claudere cœlum valent, nubes quas Dominus ascensum suum posuit, bases super quas tota jacet structura templi Dei. Qui ergo aliquem horum, ut omissis brevitatis studio ceteris, saltem de isto ratiocinemur, uno impulsu movet aliquo, quid, rogo, de superposito agit ædificio? clamat pro eis Dominus, minatur pro eis Dominus, pugnat pro eis etiamsi nescias Dominus. Clamat, inquam, clamat, non dissimulat, non tacet, ne tu forsitan dicere possis; non novi, clamat & dicit: Psal. 104. 15. *Nolite tangere Christos meos*. Et hoc tibi, ut scias, ut caveas, ut resipiscas, immo ne agere tentes, ne præsumas, ne audeas, ne tangas, verum nec detrahas. Vociferatur enim, & hoc intonat & hoc clamat: *Diis*, inquiens, *ne detraxeris*. Ne ergo excuses te nescisse. Eos autem ipsos confortans & animans, & ne timeant roborans: *Nolite*, Joh. 16. 33. inquit, *timere, sed confidite quia ego vici mundum*. Ego, inquit, ego. Ego Deus vester, ego pater vester, ego frater vester, ego caput vestrum, ego ipse per naturam quod vos per officium, ego particeps vestri, ego Christus, ego unctus, ego pastor, ego sacerdos, ego episcopus, ego pontifex summus, ego Rex regum, ego vici mundum. Quem timetis? victus est. Quem formidatis? sub pedibus vestris jacet; & ut approbes, leva quilibet metuens, & forte in carcere sub vinculis gemens, leva manum, erige signum, trophæum exere, vexillum demonstra, labarum porrige, videbis ille fastus, illa altitudo, illa superbia, illa thorosa cervix, illud filiarum Babylonis collum erectum, illa turris Sennaar, mœnia Jericho, muri Cariathsefer firmissimi quid agent, quid conabuntur quomodo cedent, supplicabunt, nutabunt, corruent, confundentur, acclinique & humiles mente despectum, injuriatum, vilipensum, carceratum, ligatum, nudum, famelicum, sitibundum, miseriarumque omnium copia refertissimum adorabunt. Vos enim testes mei estis, & qui vos spernit me spernit, & qui vos contristavit me contristavit, & qui facit injuriam, recipit quod inique egit, & qui tangit vos quasi qui tangit pupillam oculi mei.

Tit. VII.

Sed tacti sumus, elisi sumus, spreti sumus, impulsi sumus, versati sumus, cecidit quæ super nos videbatur stare structura; possederunt nos, Domine, absque te facti sumus opprobium vicinis nostris, subsannatio & illusio his qui sunt in circuitu nostro, exemplum, spectaculum, fabula & canticum eorum tota die. *Intelligite*, inquit, Ps. 93. 8. *insipientes in populo, & stulti aliquando sapite: qui plantavit aurem non audit, & qui finxit oculum non considerat?* Quid *autem miramini si mundus vos odit, qui & me priorem vobis odio habuit*. Joh. 15. 18. Nam *si de mundo fuissetis, utique quod suum erat diligeret*, Ibid. 19. quid amicitiam inimici captatis, cum avellere vos nec ego velim a consortio capitis, nec ipse mundus dignos vel suis judicet amicitiis. Videre ne recusare videamini esse in corpore, si non vultis odium mundi sustinere cum capite. Quid enim vobis faciunt quod non mihi & majoribus meis jam non fecerunt membris? Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Si cum ego vobiscum usque ad consummationem sæculi sum: ita nec deerunt qui me in vobis odio habeant, persequantur, sermonemque vestrum, non quia vester, sed quia meus est, contemnant: nam si vester, id est, sæcularis, carnalis, vitiisque favens esset, utique amaretur. quid ante messem colligere zizania vultis, non caventes ne simul & triticum cum ipsis eradicetis, cum etiam in tali facto perisse sæpe pium pro impio videritis? Mihi potius, mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus.

Tit. VIII.

Verum si calumniaris ea quæ de sanctis scripta sunt, ad nos qui longe infra pedes eorum jacemus, me non debere convertere, ad hoc respondeo, quoniam in hoc sæculo sicut sumus eis consortes ministerio ordinis, ita & consortes & dignitate nominis & privilegio honoris. Quod si nostram, ad illarum studuerimus vitam componere, erimus participes & gloriæ sempiternæ. Quod si aliter, quod absit: illic separabimur, qui hic communis honoris & ministerii officio fungi videmur. nam si aliter esset, quid illa quam regendam suscepimus Christianitas valeret? Et si eodem quo illorum noster non sanctificaretur spiritu pontificatus, quid prodesset quod nostro ministerio sacrato chrismate baptisatur populus? quid denique missæ celebratio, benedictio & diversarum rerum consecratio vel ullius divini cultus exhibitio? aut itaque Christianitatem defecisse pronuntia, & illud verum esse denega, quod ait falsi nescia Veritas ipsa: *Ecce ego vobis-*

Matt. 28. 20. *cum sum omnibus diebus usque ad consummationem saculi.* Et illud quod patrem orans,
Joh. 17. 20. ait : *Non pro his rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me*, non impetrasse confirma: illud etiam consequenter erit absurdum, quod nasciturum
Luc. 1. 33. eum pronuntians angelus, ait: *quia regnabit in domo Jacob in aternum.* quod si hoc astruere nequis, velis nolis, ejusdem honoris, ejusdem dignitatis nostrum sacerdotium esse fines quo & illorum, quia non est aliud, sive ante legem, sive sub lege, sive sub gratia; sed idem ipsum prius quidem figuris & ænigmatibus præsagatum, post ipsa veritate exhibitum, eadem quoque vocabulorum genera, & idem significantia. nam quamdiu populus grex, tamdiu episcopus pastor; quamdiu verbum Dei annuntiabitur, tamdiu adnuntiator angelus dicetur & erit; quamdiu chrisma conficietur, tamdiu confector Christus vocabitur; quamdiu prophetia recitabitur, tamdiu recitator propheta dicetur, nisi forte falsum velis putare illud proverbii;
Prov. 29. 18. *quia cum prophetia defecerit, dissipabitur populus*; & *qui*
Matt. 10. 41. *recipit prophetam in nomine propheta, mercedem propheta accipiet*, de præterito non de futuro vel præsenti velis accipere. quamdiu quoque ista durabunt insignia, tamdiu contemtoribus, injuriatoribus & persecutoribus eorum, eadem quæ antiquis erunt crimina, nec in ullo dissimilis pœna, nisi quod durius feritur protervia quam ignorantia, contemtus quam excessus, dicente
Joh. 15. 22. Domino : *Si non venissem & locutus fuissem*
Matt. 12. 45. *eis, peccatum non haberent*, & *fiunt novissima*
Joh. 5. 14. *hominis illius pejora* * *prioribus.* Itemque: *Ecce sanus factus es, vade & amplius noli peccare,*
Matt. 10. 15. *ne deterius tibi aliquid contingat.* & *tolerabilius erit terra Sodomorum & Gomorraorum in die judicii, quam illi civitati*, quæ audivit quidem verbum Dei, sed credere contem-
Matt. 11. 21. sit, & : *Va tibi Corozain, va tibi Betsaida*, concludensque, *Tyro & Sydoni remissius erit*
2. Pet. 2. 21. *in die judicii quam tibi*, & Apostolus : *Melius*, inquit, *erat eis non cognoscere viam veritatis, quam post cognitionem retrorsum converti.* Per Moysen quoque ipse Dominus:
Num. 15. 28. *Anima*, ait, *qua per ignorantiam peccaverit coram Domino, deprecabitur pro ea sacerdos, quod inscia peccaverit, impetrabitque ei veniam, & dimittetur ei. Anima vero qua per superbiam aliquid commiserit, peribit de populo suo, quia rebellis fuit adversus Dominum: idcirco delebitur & portabit iniquitatem suam.* Infinita quoque astruunt testimonia severius judicari in eos qui scienter quam qui nescienter delinquunt : unde & illud in
Ps. 54. 6. psalmo : *Descendant in infernum viventes* : viventes enim scientes quæ agenda sunt deputantur, mortui qui nullo scientiæ usu fruuntur. quanta autem reverentia etiam negligentibus debeatur sacerdotibus, etiam

* al. pejoribus.

A Moyses demonstrat, qui dum Aaron vitulum filiis Israël quem adorarent fabricasset, viginti tribus millibus interfectis populi, ipsum qui auctor fuerat sceleris, levissima solummodo increpatione redarguit dicens: *Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super* Exod. 32. 21.
eum peccatum maximum? Adverte igitur quantæ temeritatis sit, pro quavis culpa quemlibet laïcum saltem reprehendere quempiam sacerdotem, si propheta talis ac tantus in tali etiam infando facinore, ceteris trucidatis, principem sceleris nequaquam præsumpsit saltem vel durius increpare, Deo soli id cogitans congruere pro
B officii dignitate, nec enim quilibet in episcopo episcopum, sed ipsum summum & sine macula pontificem in eo persequitur Christum; nec injuriatur culpabilis episcopus, sed ipse in eo per benedictionis gratiam inhabitans Spiritus-sanctus. cum tangitur sacerdotis persona, tangitur ipsa Domini pupilla, quia per eum providetur divino prospectu ecclesia. Verere ergo quicumque eorum insectator, quandoquidem & hoc in Spiritum-sanctum est peccare, ne forte non inveniatur qui tibi illud valeat dimittere, præter enim principalem in qua
C hoc continetur sententiam, dicitur alibi: *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest* 1. Reg. 2. 25.
Deus; *si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo?* in quo non omne peccatum, sed speciale quoddam muneris intelligere, & congrue. Nam & David in eadem historia legitur graviter in sibi fidissimum militum excessisse, & veniam meruisse; filii vero Heli detrahentes sacrificium Domini, gladio vindice referuntur extincti. considera vel hic rogo quam grave Dei ferat justitia, si pontifice substracto, istud verum ei detrahatur sacrificium, & hoc per tempus diutinum, si tam graviter feriendo
D monstravit, quid sibi illud videbatur umbraticum, nisi forte tu multum differre adhuc nescis inter umbram & veritatem, carnem pecoris & carnem redemptoris, cinerem vitulæ & consecrationem eucharistiæ.

Spiritum autem sanctum etiam peccatori sæpe adesse episcopo, etiam Caiphæ monstratur exemplo, qui teste evangelio ideo tam veraciter potuit de Domino prophetare, quia pontifex videbatur anni illius esse, quod & quibusdam similibus rebus longe licet imparibus non esse incredibile
E valemus probare. Verbi gratia sol cum in cloacam intrat, ipse quidem cloacam æque ut pulcherrimum triclinium illuminat; cœnum autem quodlibet sit intra cloacam, nil obscuritatis, nil præterea inquinationis radio affert solis, sed tantumdem vel diminutionis vel augmenti affert luminis, quantum afferret, si illic paries jaceret auri purissimi. Tum vero si quid jeceris intra cloacam, nequaquam vales contingere cœ- Tit. IX.

num antequam solem ferias ipsum. Sicnimirum in honore, sic in injuria quorumlibet agitur episcoporum, etiam in aliquibus obnoxiorum; ipsa enim gratiæ lux, ipsa benedictio, ipse Spiritus-sanctus, ipse sol in eis habitans justitiæ Christus aut honoratur aut injuriatur, & antequam perveniatur ad crimen quod ferire quivis nititur, ipse qui etiam criminosum illustrat feritur. Neque enim ille cui nihil est impossibile, frustra dixit sal infatuatum nec in sterquilinio ponendum; sed ut præter aliud etiam hoc agnoscas, episcopum qui salis ideo accipitur vocatus nomine, quod mentes fidelium verbi sapore cœlestis debet condire, ut cibus Dei valeant esse, a nullo penitus nisi ab ipso omnipotente, si deliquerint, aliqua pœnitentia corrigi posse vel debere. Quis enim judicem judicare, angelum corrigere, nisi ille qui super angelos est audeat, nedum ligare? In uno quoque eodemque homine & bonus sanguis, & mala est persæpe valetudo, & dum ignarus medendi bonam conatur valetudinem reddere, sanguinem bonum solet turbare. Accipe quasi sanguinem bonum benedictionis spiritum, malam valetudinem negligentem, aut forte, ut tu dicere amas, criminosam episcopi actionem: vide ne dum tibi non competit, siquidem non fungeris medici ministerio, dum insequi niteris ægritudinem criminis, Spiritum sanctum potius lædere videaris. Puteus etiam limpidissimam tam potui quam lavacro exhibet aquam, & plerumque aliquid inepti prope jacet ipsum meatum, quod tamen nec interdicat potum, nec inquinet lavacrum; immisso autem uncino, dum illud conamur abstrahere, statum aquæ cogimur turbare. nec minus autem hæc tertia similitudo te valet commonefacere, siquidem & per puteum sacerdotem in cujusdam sermone, & Spiritum-sanctum aquæ nomine in evangelio habes aptissime.

Luc. 14. 35.

TIT. X. Quod vero a nemine nisi ab ipso Deo possint judicari aut reprehendi, testatur Apostolus quibusdam detractoribus obvians: *Hic jam*, inquit, *quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Nostrique assumens personam, dum defendit suam, *Qui autem*, ait, *judicat me*, *Dominus.* Ipse quoque Dominus de Pharisæis, *Quæ dicunt*, inquit, *facite*, *quæ autem faciunt*, *facere nolite.* Non dixit, vos eos castigate, ut nuper a quodam actum scitur satis absurde, & ideo indignum referre. Ut autem exinde quoque aliquid licet per modicum dicens, me nec dissimulare pavore, nec assentiri favore, excusem: utinam illi Deus e cœlis ut Saulo clamasset, aut certe ipse Deum, ut in veridica habetur scriptura, jam clamasse didicisset: *Tulerunt sibi homines judicium meum*; utique tam temerarie suum contra

1. Cor. 4. 2. — Ibid. 4. — Matt. 23. 3.

A eum non erexisset tribunal vel solium. Sed ut modicum alludam ad factum, cui potius generale omnium competit lamentum, dico illum maximum sacerdotibus vel medicis animarum in hoc contulisse, si sequi velint exemplum, ut videlicet noverint quanta censura debeant ipsi ligandos ligando refrenare, si ligandi ligantes tanta cura student ligando coërcere. qua diligentia pastores erroneos ab erroribus oves debeant revocare, si tanta vigilantia ipsæ oves erraticæ pastores student ab excessibus etiam flagellis, vel ut proprius dicam morsibus, ordine non tantum sævo quantum præpostero deducere? at tu forte contra, ab antecessoribus, inquis, meis audivi multos eorum exiliis destinatos: ego illico, numquid non & carceri mancipatos? nempe si illos velis habere antecessores, qui hoc aut referuntur aut leguntur fecisse: invenies etiam ab eis multos exmembratos, exoculatos, excoriatos, flammis traditos, cruci appensos, decollatos. Sed interroga qui fuerint illi antecessores, & vide si tibi prosit eorum fieri successorem. Certe audivi ipsum Dominum, ipsum pontificem summum, ipsum consortem, ipsum caput omnium, nullo excepto, quantum quidem ad officium spectat episcoporum, ipsum audivi dicentem in evangelio Deum: *Ecce ego mitto ad vos prophetas & sapientes & scribas, & ex eis occidetis & crucifigetis, & ex illis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de civitate in civitatem, ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ quem occidistis inter templum & altare; amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.* Itemque: *Implete mensuram patrum vestrorum.* Et iterum: *Secundum hæc faciebant prophetis patres eorum.* Et *Colligite primum zizania, & fasciculos alligate*, hoc est pares paribus sociate. habes his exemplis generationem unam, da & alteram: *Generatio rectorum benedicetur.* da, si vales, & tertiam. nequeo, inquis. si ergo nequis, in qua ex his duabus eos invenias, qui hoc quod supra dixisti leguntur fecisse, & metire ex illorum actu tuum, & ex remuneratione tuam, & elige quod volueris, aut cum illa generatione pessima non solum pro his quæ tu agis, sed & pro his quæ illi ab Abel usque ad novissimum memorem Domini & benedictionis filium. Hoc enim illa duo significant vocabula, fecerunt, pœnas exsolve, aut a persecutione quorumlibet ecclesiasticorum, licet minimi ordinis, linguam, vim, & manus contine, quia ipsi prophetæ, ipsi sapientes dicuntur & scribæ, ut cum generatione rectorum benedicere, ut cum ea valeas sine fine regnare. Nam si vilipendis criminosum episcopum, aut etiam presby-

Matt. 23. 34. — Ibid. 32. — Matt. 13. 30.

terum suppliciis afficere, ne rogo parvipendas tantos, quos evangelica tibi modo monstravit lectio, usque in finem sæculi interfectos ab initio. si unum non vereris injuriare, considera si vales pro omnibus tormenta perferre, & revera si ex meo hoc tibi conarer astruere, dicere poteras me mei causa finxisse. nunc vero cum verbo Veritatis nil temere minantis, nil refragabiliter promittentis illud dictum audis, quod rogo effugium invenis?

TIT. XI. Considera & orationem sub altare Dei propter testamentum Domini occisorum continuam, & nec minus altare ipsum, dum & idem esse qui & pontifex & hostia est, intellexeris. Formidans animadverte, rogo, quorum postulent vindictam: *Usquequo*, inquiunt, *Domine, sanctus & justus non judicas & vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* (Apoc. 6. 10.) O quam terribile tonitruum, monstrans eum qui ad hoc non expergiscitur non dormientem fore, sed penitus mortuum. Non dicunt de his qui nos occiderunt, jam enim eos in inferno indefective cruciari sciunt: quod utique etsi dicerent, nequaquam divinam illam superius prolatam in aliquo levigarent sententiam; sed de his, inquiunt, qui sunt in terra, qui adhuc alios, et si non tales ut nos, tamen de corpore nostro, de membris nostris, licet adhuc, ut fuimus & nos, infirmis, de consortio nostro, de ministerio nostro, de gradu & officio nostro persequuntur, in carceres trudunt, fame cruciant, gelu tormentant, exiliis deputant, propriis sedibus pulsant, diversisque afflictionum generibus injuriantur. Hoc etiam & universalis per orbem quotidie clamat ecclesia, hoc istic ubi per speculum & in ænigmate capitis sui contemplans speciem, malis mixta zizaniis, graviora persæpe a propriis quam patitur ab extraneis. hoc & illic, ubi facie ad faciem in quibusdam membris suis magna jam ex parte exaltata, ipsum caput, ipsum cernit auctorem, tanto clamat attentius quanto liberius: *Intret*, inquiens, *in conspectu tuo gemitus compeditorum, redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum.* (Psal. 78. 11.) Tunc ergo quilibet hæc audiens vicine, id est ejusdem domus, ejusdem familiæ, fidei & redemtionis, catholice, christianissime, time rex bone, & dum gaudes cum audis quotidie ecclesiam dicere: *Domine, salvum fac regem*, metue quod sequitur, *Et exaudi nos in die qua invocaverimus te.* (Psal. 19. 10.) Re enim satis perspicua quid tibi putas prodesse, dum oratur pro te, dum ipsi etiam orantes non sinuntur quiete vivere pro te? nam dicente Apostolo & præcipiente: *Orate pro regibus, ducibus, & omnibus qui in sublimitate sunt constituti*; vide quid sequitur, *Ut quietam*, inquit, *& tranquillam vitam agamus.* (1. Tim. 2. 2.) Vide igitur ne dum hoc quod modo audisti canitur, Deus contra te invocetur, dum scilicet compediti clamant, pro se clamant, & eorum consortes unanimi sicut caritate, ita & voce. Sed non exaudiuntur, inquis, male precantes, cum Deo præcipiente pro persequentibus debeant orare. optime, quid quod orationi in sinu orantis persæpe revertitur? unde ne tibi pueriliter lenocineris, audi dicentem Dominum: *Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis. amen dico vobis, cito faciet vindictam illorum.* (Luc. 18. 7.) Et Job, *Anima*, ait, *vulneratorum clamabit, & Deus inultum abire non patitur.* (Job. 24. 12.) Alius autem: *Ne relinquas*, inquit, *post te maledicere; maledicentis enim tibi in afflictione anima sua exaudietur oratio ejus; exaudiet autem illum Deus qui fecit eum.* (Eccli. 4. 5.) Et *Qui avertit aurem suam a clamore pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur.* (Prov. 21. 13.) Et *videns vidi afflictionem populi mei, & gemitum eorum audivi.* (Exod. 3. 7.) Et *Sanguis Abel clamat ad me de terra.* (Gen. 4. 10.) Et *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, & clamaverunt justi & Dominus exaudivit eos.* (Psal. 10. 16.; Psal. 33. 18.) Et *Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit.* Qui autem scis utrum te converso, ipsis videlicet pro te intercedentibus, an perdito salventur, dum oratio pia non ad te, sed in sinu revertitur eorum a quibus est fusa? in quo non plus afflicti quam totius ecclesiæ, inter quos etiam tu contra te clamas pro afflicto, clamantium voces te convenit formidare dicentium: *Adjuva nos Deus salutaris noster.* (Psal. 78. 9.) Et *Deus in adjutorium meum intende.* (Psal. 69. 2.) Et *Domine libera animam meam a labiis iniquitatis & a lingua dolosa:* Et *Confundantur omnes qui ostendunt servis tuis mala.* (Psal. 119. 2.) Et *Libera nos, Deus, in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo.* (Dan. 3. 44.) Hæc enim & his similia infinitissima liberati dum clamant, sine dubio pro liberandis clamant; & re non minus experta quam vera. nonne audis quotidie istud & hoc usitari in sæculo regem pro rege, licet sint inimicissimi, dum unusquisque videlicet prospicit sibi, sæpissime loqui, episcopum pro episcopo, clericum pro clerico, monachum pro monacho, laïcum pro laïco, judicem pro judice, pincernam pro pincerna; & ut ad vilissima quamquam necessaria veniam, pistorem pro pistore, coquum pro coquo? Si ergo nos invicem pro participio vivamus ordinis, in quibus est maxima imperfectio caritatis, quid illos putas pro suis consortibus agere, qui illam qua major nulla est caritatis arcem non solum conscendere, sed etiam, si fieri posset, transcendere nitentes, dum ponerent animas pro amicis, etiam pro ipsis orabant inimicis? An non putandum nos, licet negligentius multo quam expedit, debitum eis honorem deferentes, & quotidie in auxilium defensionemque invocantes

vocantes deserere, qui ipsos inimicos timebant negligere? At forte ais, volunt quidem, sed peccatis nostris merentibus nequeunt. Quæ, rogo, illa beatitudo, quam aliqua inefficax excruciat cupido? quæ felicitas, quam quævis impossibilitatis addicit egestas? quod cogitare quid puerilius? quod dicere quid potest inveniri perversius? Ast nobis hæc haud interruptim loquentibus, tu forte volvis interius, quid inter hæc agendum, si contra meum aliquis illorum consurgat imperium? quo pacto id possit contingere nequeo cogitare; tuum enim quomodo ambiat honorem qui obtinet superiorem? nam qui major etiam tuo censetur judicio, qui instituitur, an per quem quis instituitur? cum vero præcepisse
1. Reg. 16. 1. Dominum legeris Samueli dicendo: *Sume cornu olei, & vade, unge illum* vel illum in regem, Nathan quoque & Sadoch unxisse legeris Salomonem, quære utrum alicubi inveneris quemlibet regum unxisse, licet legatur instituisse sacerdotum vel prophetarum aliquem, & videbis quis eorum post Deum locum obtineat superiorem.

TIT. XII.

Omnes autem ecclesiæ filii, inter quos tu etiam numeraris, si tamen non dedignaris, si patrem ut Absalon, arbore vindice multandus, mucrone non persequeris; si vipereo matris viscera ore non rodis, attamen facias, facias tamen, inter eos numeraris, sed vide ne hereditate & cohereditate illorum a temet frauderis, omnes, inquam, ecclesiæ filii aut de sorte sunt Domini & appellantur clerici & monachi, aut sunt ecclesiæ famuli, episcopi vero confamuli, aut laboratores servi & liberi, aut milites regni. Domini vero est terra & tuæ defensioni commissa, reditus vero ejus aut sancta sanctorum sunt Domini, & ad jus pertinent sacerdotum, nec a quolibet auferri possunt, nisi qui publicum committere non formidat sacrilegium, aut tui imperialis sit juris? & puto nec vero judico quod nullus auferre absque præjudicio valeat capitis, aut incolarum pagi, quod qui conatur invadere, legali coercetur sanctione. Sacerdotium vero a Deo solo conferri sicut & regnum, immo præstantius multo quam regnum cum millia approbent testimoniorum: tamen ista quæ nunc pulsant animum, suum hic expetunt locum. Dictum
Exod. 7. 1. est Moysi: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Et utique id non rex terrenus, non quælibet potestas terrena, sed de rubo protes-
1. Reg. 2. 10. tans vox ipsa dixit Dominica, quæ *dat imperium regi suo, atque sublimat cornu Christi,*
Psal. 81. 6. & utique *sui*; quæ in psalmo: *Ego*, inquit, *dixi dii estis*: Ego inquit, ego, non quilibet homo, ego dixi, ego statui, qui & vos homines creavi, ego dixi, non cuilibet ut diceret, ut valeret, aut auderet concessi, a me homines creati, a me dii estis vocati, quod utique facere nisi Deus, quod concedere nisi omnium poterat Dominus, ipsaque non altera, ipsa vis, ipsa potestas, ipse nutus, ipsa majestas, *Speculatorem*, in- Ezech. 3. 17.
quit, *dedi te domui Israël*: aliique; *Ad om-* Jer. 1. 10.
nia quæ mittam te ibis, & ecce constitui te hodie super gentes & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices & plantes. Pulchre vero nec dissonum a novo:
Quæcumque, enim dicit, *ligaveritis super ter-* Matt. 18. 18.
ram erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solveritis super terram erunt soluta & in cœlo,
quod & ex his unus: *Aliis*, inquiens, *sumus* 2. Cor. 2. 16.
odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam. Ipsa etiam sapientia: *Per me*, ait, *re-* Prov. 8. 15.
ges regnant & conditores legum justa decernunt; quos conditores intelligit legum nisi reseratores scripturarum? qui tunc videntur Dei leges condere cum student enodare, quasi nullæ enim sunt nescienti, sicut,
& *coinquinatis nil mundum.* quod si tibi ista Tit. 1. 15.
forsitan displicet, alia editio enucleatius profert: *Per me*, inquiens, *reges regnant & potentes scribunt justitiam*: cui concinit jam carne velata, sed ipsa eademque Sapientia:
ideo, inquiens, *omnis scriba doctus in regno* Matt. 13. 52.
cœlorum similis est homini patri familias qui profert de thesauro suo nova & vetera. Quæ & alio, sed tamen & evangelii loco, uni, & in eo ejusdem ordinis omnibus, ipsi ta-
men specialius: *Tibi*, inquit, *dabo claves re-* Matt. 16. 19.
gni cœlorum; itemque si dici fas sit tanto majori auctoritate, quanto jam devicta mortalitate, triumphata morte, induta immortalitate, imminente ascensione, peracta
resurrectione: *Pasce*, inquit, *oves meas*; Joh. 21. 17.
meas, inquit, meas, meas creatione, meas redemptione, meas jure, meas non tuas, meas non Tyberii, meas non Claudii, meas non Constantini, meas non Theodosii, meas non Mauritii, meas non Caroli. Omnibus-
que generaliter: *Accipite*, inquit, *Spiritum-* Joh. 20. 23.
sanctum: quorum remiseritis vel retinueritis
peccata remissa vel retenta sunt. Et *euntes in* Marc. 16. 15.
mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ: Quod reminiscens ille cui primo & in quo cuncto est præceptum præ-
dicatorum catalogo dicit; *Præcipit nobis* Act. 10. 42.
Dominus prædicare populo; statutusque co-
ram principibus & magistratibus: *Obedire*, Act. 5. 29.
inquit, *oportet Deo magis quam hominibus.* Ejusque in passione collega Paulus in epi-
stola: *Pro Christo legatione fungimur.* Et alibi: 2. Cor. 5. 20.
Quomodo, inquit, *prædicabunt nisi mittantur?* Rom. 10. 15.
a quo mittuntur, quæso, nisi ab eo qui di-
xerat: *Ego misi vos metere quod vos non se-* Joh. 4. 38.
minastis? Habes breviter, sed sufficienter sacerdotii jura ab ipso Deo per Spiritumsanctum collata. cesset ergo quis dicere humanum, quod specialissime est Dei donum, desinat hac auctoritate victus quilibet; etsi nesciens, Deum tamen blasphemans dicit Deo, ego illum & illum feci, ne dum Deo

se coæquare vult in aliquo, dejiciatur cum eo qui solium contra eum voluit erigere in cœlo. Creatricem enim creatam nullam esse substantiam ita cuncti tenemus certissime, ut si quis aliquid retur procul dubius, nil invenire eo queat insanius. quod si episcopus specialiter ab homine est factus, cum generaliter a Deo totus creatus sit mundus, ridiculum quod si non adorari, venerari tamen adhuc videantur simulacra. dictum est enim in psalmo: *Simulacra gentium opera manuum hominum.* Multo autem perversius adhuc Deus, inquit, ossa & carnem illi dedit, nam cetera ego contuli. habes hic inæstimabiliter homini suppositum Deum. quantum enim ea charismatum insignia differant, quibus homo vocatur angelus, immo Deus, ab ea conditione qua vocatur pulvis & cinis, credo quod nullus ignoret rationalis. vide ergo quantum ille, si tamen eo sensu immo vesania duo sunt, præfertur, qui ex pulvere angelum, ex cinere potuit Deum facere, quod se dicit iste fecisse illi, qui tantum pulverem & cinerem potuit creare, quod tantummodo videtur Deo concedere, quod ipso auditu intolerabiliter obscænum & penitus detestabile, licet numquam nisi hac nostra, pro nefas! dictum vel auditum fuerit ætate, tamen æstimo cuidam a propheta dictum esse! *O pastor & idolum derelinquens gregem.* Pastorem eum scilicet usuali pro officio vocans dicendi genere, idolum vero quod hoc sibi donum ab homine æstimet collatum, & ideo derelinquat gregem in necessitate, quia nescit quod, vel a quo percepturus sit præmium pro defensione, judicio victus conscientiæ, præsertim cum & hac conjectura credere possit putari aliquid posse sine Deo fieri. Eheu autem intolerabilis animæ miseria, sui penitus creatoris carere notitia. Nec desunt interea, ut ad inceptum redeam, etiam in episcopio corrosores, qui exemplo eorum qui anno a præterito altero, Tiesthæas cænas adversus quemdam commentati sunt episcopum, concinnent nunc & adversus istum quoque quædam obloquia; & hoc non exteri, sed agunt privati, qui debuerant testes boni ejus esse propositi. Faciunt hoc, inquam, non inimici, sed amici dolosi, unanimes quondam homines, & aliquando dulces & noti, qui simul cum eo dulces capiebant cibos in domo Dei, quasi cum consensu coambulantes, & eum ad cœlos usque tollentes, & beatum, justum sanctumque deceptoriis non minus quam adulatoriis favoribus pronuntiantes. parcat quibus Deus, avertens ab eis ne veniat mors super eos & descendant in infernum viventes, id est, scienter infernalia acta patrantes, nec repentinum mortis occasum caventes. faciunt hoc traditorum reliquiæ, nulla cœlesti jam facta pro hujusmodi, quantum scilicet quibusdam videtur, perterriti redibitione vindictæ. Quorum uni ab exilio scripsit hujusmodi: Heu me filium quid agam! quem primum plangam, me mortuum an te mortuo insultantem, quasi & tibi eadem non sit conditio moriendi, immo quod est multo miserius, fœtores mortui naribus trahentem, ore aspirantem, pulmonibusque, longe pejus moriturum mittentem, & quod est gravius aliis hoc ut simul possint commori propinantem? an nescis, fili, quoddam supra tibi contiguum mare Commacla dici castrum, in quod fertur mortuus occidere vivum? quantum vero præter innumerabilia & non solum tibi, sed etiam mihi & omnibus præter soli Deo cognita non... minusque lugenda in ipsis etiam quæ a te & utinam falso proferuntur, me jure lugendum censeam tibi fili caritative, ut sæpe confabulando referrem, si locum colloquendi haberem. At cum omnimodis desit, breviter hinc aliquid pro tempore fabor: primum me lugeo, quod talis inveniri quiverim, qui a te talis dici possim. secundo, quod te ad hoc meo ut tu alios modo instruxerim exemplo, siquidem te præsente multis, heu doloris mei oblitus & etiam melioribus sæpe derogavi & ego. Tertio auditorum terror vere, qui tam tuo quam meo periclitantur fœtore. sed desine me, fili, hac in parte non minus quam accusare imitari, qua noxius cum mihi, si ita est ut asseris, magnopere fuerim, maxime fui tibi: habes sanum super hoc quod sequaris consilium, quando quidem non defutura hujusmodi cadaverum male olida præsciens busta, tale quid ne horum fœtore necarentur, vivis consulens divina pietas dixit: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite.* nam & si ego tibi causa, quia materies fui mortis, tamen scito quia quovis ordine cujusvis scelere moriaris, inter mortuos mortuus deputaberis. Sic enim dicit Deus, ipse quidem, *In iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Et revera quid profuit Ævæ dixisse: *Serpens decepit me*? Et utique dum hæc tibi ut compescaris tui sollicitus scribo, id studiosissime ago, ut & tu a morte liberaris, & ego reus tui non tenear sanguinis. potest autem fieri, nec enim id fieri posse despero ab eo cui idem est posse quod velle, nec tu quoque hinc debes desperare, cum eum quatriduanum legeris suscitasse, nec ego meminerim me id te docuisse in eo quem manibus scripsisti de parricidio sermone, ut ego jam ad vitam clamer cum fremitu pietatis divinæ, licet tu me adhuc quod ille melius novit quam tu, utpote quatriduanum dicas fœtere, nam nec desunt super me pie flentes sorores, inter quas rogo & tu annumereris, id est, ut

Marginal notes: Psal. 113. 4. — Matt. 23. 3 — Ezech. 3. 20 — Gen. 3. 13

„ sit in te sororius & non parricidialis affe-
„ ctus, quo si me foetere quia potes confi-
„ tearis, vere non succenseo, immo omni-
„ modis postulo, dummodo mellifluam il-
„ lam Domini merear audire vocem, resur-
„ rectionem mihi, tibi miraculum promit-
„ tentem. Tantum rogo ut periculum au-
„ dientium attendas, tuum etiam ne nulli-
„ pendas. dictum enim, ut credo, divinitus,
Levit. 20. 9. „ etiamsi non memineris, non ignoras. *Qui*
„ *maledixerit patri vel matri morte moriatur.*
„ Quod cum ad mentem vel hic relegens re-
„ duxeris, postquam duplicem mortem at-
„ tenderis, ac duas hinc separatim subjacen-
„ tes, id est cuique divisioni propriam agno-
„ veris substantias, unamque mortaliter so-
„ lummodo mortalem, alteram immortaliter
„ mortalem, mortaliter immortalem perpen-
„ deris, ne rogo obliviscaris quã gravibus ma-
„ trem ipsam, quã ne forsan perfunctorie acci-
„ pias, ecclesiam esse tibi replico, si tamen es fi-
„ lius; si non, de te aut pater aut quilibet parens
„ loquitur germanus, ex nobis exierunt sed
„ non erant ex nobis? sis autem, sis precor,
„ sis rogo; ne tamen ut dixi obliviscaris po-
„ stulo, quam gravibus matrem maculis as-
„ pergis, dum patrem tam foeda criminis
„ nota aduris, quam enim insolubilis, tam
„ compassibilis est dilectio maritalis, cum
„ & eadem consortia sunt honoris, quod to-
„ tum minate facere auderes minime, si di-
Exod. 20. 12. „ ctum voluisses recolere: *Honora patrem &*
„ *matrem*, aut pluris regenerationem quam
„ generationem penderes, si prohibitum re-
Ps. 104. 15. „ miniscereris: *Noli tangere Christos meos*, Et
„ *qui tangit vos, quasi qui tangit pupillam oculi*
Zach. 2. 8. „ *mei*, Et *qui vos spernit me spernit.* Et *diis ne*
Luc. 10. 16. „ *detraxeris.* Et *qui detrahit regi, detrahit legi*,
Exod. 22. 28. „ regale autem ecclesiæ esse ut crederes sa-
„ cerdotium, præter alia innumera unum tibi
„ suadere satis posset Petri testimonium di-
1. Pet. 2. 9. „ centis: *Vos autem genus electum, regale sacer-*
„ *dotium.* Sententiam quoque cujusdam in
„ decretis sanctissimi papæ præ oculis habuis-
„ ses dicentis, pejus nullum judico fore sce-
„ lus, quam Christianos propriis detrahere
„ sacerdotibus: piaculum etiam maledictio-
„ nis Cham advertisses, atque ejus exemplo
„ verecundiora patris denudare timuisses:
„ canones etiam & sanctorum patrum con-
„ cilia non posthabuisses; in quibus damna-
„ tos hac de causa multos advertere pote-
„ ras, si legisses; curiæ quoque tradi & in-
„ famis absque ulla spe restitutionis cunctis
„ vitæ diebus eidem deservire timuisses, vin-
„ dictam quoque pro Narcisso beatissimo fa-
„ ctam meminisses, nec archidiaconum no-
„ strum ideo fortuitu percussum, quia tu ad-
„ huc nil pateris, cogitasses, cum diutius ex-
„ pectatus durius feriatur non conversus,
„ quod & a te & a tuis complicibus avertat
„ omnipotens Deus, & forte te, fili, obser-
„ vatores mei, dum mihi inimici tibi volunt

A parere morigeri fefellerunt, sicuti quon- „
dam illi sanctorum nisi sunt facere coetum, „
qui contra Athanasium brachium cujus- „
dam quasi Arsenii concilio obtulerunt ex- „
cisum; sicut & tu quoque quemdam, Deus „
parcat tibi, mei odio fecisti, qui epistolam „
convitiis plenam a tuo ei illo jam dicto ma- „
gistro olim destinatam proferens, & aucto- „
rem facti investigare nitens, cum te scrip- „
torem ultro deprehendisset confitentem, „
tu ceteris qui adeo tibi non competebant „
ut ego, relictis, me auctorem, me totius mo- „
liminis præsentasti incentorem, & utique „
B dum hoc pro libitu duxisti, verum me sa- „
tis non accusato & te excusato dicere si vo- „
luisses potuisti; quod nimirum fecisses, si „
tanta mihi charitate consuluisses, quanta „
ego consului tibi & universo meo gregi: „
maxime tamen vero jam prætaxato illi „
tuo socero, cum ad illam epistolam Deus „
scit quo animo consensi. nam veniente, „
ut optime nosti, a contraria parte altera, „
cum ea perspecta gens effera & nobis bar- „
bara, de se ipsa vero jure suspecta, utpote „
pro ea quæ inter vos jam in multis in ne- „
gotio consimili sæpe naufragaverat vita, om- „
nem ut erat culpam in eumdem retorsisset „
C archidiaconum, & nostræ partis honoratio- „
res quosdam, maxime vero in clerum univer- „
sum, & me reservato quamquam asportato, „
propter consanguinitatem, quam cum il- „
lorum habebam primoribus, ipsoque, ut „
dicebat, principe, omnem domum Dei „
prædari, omnes majores civitatis aut ex- „
membrare, aut captivos ducere, ipsum „
vero jam factum & eos qui post meæ cum „
illo fuerunt traditionis principes furca mo- „
lirentur appendere. Qualem illam noctem „
duxerim Deus scit, tu quoque qui te nil „
boni de me fateris scire, quibus precibus, „
D humiliationibus, lacrymis, muneribus, „
promissis & ipsis tibi interventu amicorum „
vitam & libertatem obtinuerim, ipse, ut „
dixi, optime nosti, qui hæc omnia tacens, „
id solum quod me interficeret proferre ma- „
luisti. Lucescente enim die decretum est, „
non a me solo, ut dixisti, sed ab omnibus „
tam nostratium quam exterorum; princi- „
pem vero hujus consilii qui fuerit, non ple- „
niter agnosco alium quam diabolum, ut „
fieret talis qualis facta est epistola, & si illam „
mittere auderet archidiaconus, quasi in- „
E scius dimitteretur criminis: sin alias, sen- „
tentiam illico subiret capitis, hoc quod „
dixi acto tam de me quam & de ceteris. „
Deo autem gratias, quia dum vobis consu- „
lui, me ut videtur neglexi, dum vobis, „
licet vestræ molitionis ex parte conscius, pe- „
perci, me prodidi. Legitur autem, fili, in „
historia tripertita, quod quidam in pastu „
occupatus pecorum cum occidisset quem- „
dam, & fugisset pavore actus in eremum, „
& sanctorum patrum exemplis bono assue- „

» factus, fuisset eremita perfectus, semper » benedicebat scelus, quod sibi tanti fuit » causa profectus. Hæc ideo retuli, ut hinc » colligas quantum meo profectui militasti, » dum me ut penitus deficerem, tam graviter » accusasti. Nam si præsens esses & permit- » teres, manus osculis demulcerem prædul- » cibus epistolæ illius scriptrices, quia hæc » causa, materies, & totius meæ summa fuit, » ut opinor, salutis; per hanc morti, ut cre- » do, æternæ subtractus & vitæ sum reddi- » tus. per ipsam actum esse credo, ut & his » quorum fœtore tu adhuc periclitaris, & » universam pene mihi commissam ecclesiam » mortifero pestilentiæ tabo corrumpis, » quamquam & possit fieri, ut per cuncta ita » se non habeant, ut dicis, ceterisque innu- » merabilibus, a tua vero scientia longe re- » motissimis magna ex parte jam cavere cre- » di possit, licet securitatem exinde nullam, » quia non expedit, siquidem certitudine ca- » reo, ceperim. Tantum vero hac me occa- » sione considero profecisse, ut nullum mihi » amplius quam te videam amplectendum, » qui mihi materies tantorum fuisti bono- » rum. O autem me, & ut hoc dicam, ipso » mei infortunio fortunatissimum, etiamsi » nihil aliud quam te tibique consimiles cog- » novisse ejus beneficio contigisset mihi; unde » omnia non solum tibi parcens, sed & uber- » rimas pro his tibi gratias referens, admo- » neo, fili, ut quia jam nunc indicibiliter » profuisti mihi, caveas ne omnino mei odio » obsueris tibi. Verum ut quodam utar com- » pendio, festinante nuncio, & cartula defi- » ciente omnino, parcat tibi omnipotentis » justa pietas resipiscenti rogo, immo ut resi- » piscas ipsa benigne concedat postulo: sine » causa enim quantum scilicet ad tui spectat » læsionem, me ipsa scit a te hoc pati, si ta- » men profectum pati quis rite possit dici » isto genere dicendi, quatenus per te quo- » que tui corrigantur complices, nec a tuo » derivato nomine vocitentur Ursini vel Ur- » sani, sed ab eo qui dixit: *Discite a me quia* » *mitis sum & humilis corde*, & per suum » quemdam: *Obedite præpositis vestris & sub-* » *jacete eis*, appellari jure mereantur Chri- » stiani vel Agnei, id est mites non feri, ama- » tores non risores pastorum. quod si mihi » provenit oranti, lætitiam ipsam dissimula- » re nedum reprimere valeo minime; quod » si non, peccatis meis imputo: saltem vero » hoc diva pietas concedat postulo, ut dum » peccata mea adversum me, immo adver- » sum te pronuntias, illa remittat, dum tu ea » describis, ipsa deleat, teque in hoc præ- » senti sæculo recognoscere faciat, quia in- » æstimabiliter tibi ipsi obsueris, dum irre- » cuperabiliter me nocere contenderis, in- » dicibiliter mihi profueris. Valeas in Domi- » no, precor, fili, correctus, amen. Inter hæc, si dicere audeam, stant simulacra un-

Matt. 11. 29.

Heb. 13. 17.

A dique fixa, nullum vel sui causa sonitum dantia, quasi qui ipsa taciturnitate videantur clamare se rationis expertia omnimodis esse. Sed ne mihi, sed potius sibi succenseant, rogo, non enim hoc eos esse scio vel dico, sed ne jure dicantur haud modice timeo, dum & ab homine factos dici patienter ferre, immo uberes gratias dicenti referre audeo; nam nec erunt, si dixero, necnon erunt si tacuero; sed si dixerint vel consenserint omnino. Et ô quam pulchrius vocari perfectum quam facticium. Perfectus autem omnis erit, si sit sicut ma- B gister ejus: væ autem ei qui ipsum non habet magistrum, qui hoc dicit dominum, cui consimiles effici non comparatione possumus, sed imitatione debemus, nec omnimoda, sed ab ipso nobis præcepta, qui etsi tributum mundo reddidit, Cæsari quæ Cæsaris, Deo exsolvens quæ erant Dei, quantum mundum ipsum ipsa sua humilitate calcaverit, sibique subactum tibi etiam ipsi supponendum monstraverit, postquam dixerat: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*; quem potius timeres, dominum an servum, subjicientem an subactum, da- C tum an possidentem, per unum commonens discipulorum quantum ad ipsum, quantum ad te pertinet magistrorum, ait: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*. Et utique hoc non in exedra, non in analogio, non in ambone, sed ante principes sæculi, inter minas, inter flagra, inter ipsos tibi clamabat cædentes; quod tu nec dicere, nedum agere audes, cum tibi jam ipsi subigantur imperatores. Verum ut jam ad incœptum redeam, præterit sane sacerdos & levita, non se intelligentes eadem descendere via, nec ulla fratri vulnerato conferunt remedia; & ut isti, quod Deus D avertat, tempori proprie videatur concinere, quia ubi abundavit iniquitas, refrigescet caritas multorum, nullus invenitur qui Dei saltem respectu, timore vel amore audeat, quin potius velit esurientem reficere, sitientem potare; nudum vestire, infirmum vel incarceratum visitare, dolentem consolari, angustiantem refovere, præsertim cum interdicatur nulli, siquidem nec factum legitur ab eadem generatione antiquorum alicui; quod perspicue monstrant Pauli epistolæ in carcere editæ, in quibus & ministrantium videtur meminisse, E nec timet ne fiant deprehensæ, cum & se & illos plus Deum quam terrorem noverit timere. Præmisso eamdem mihi quam beato Augustino fidei catholicæ credulitatem esse, licet illi longe dissimilis fuerit, & ad indagandum acuminis vivacitas, & ad tenendum intelligentiæ capacitas, & ad proferendum eloquentiæ facultas, & ad hoc cum Dei gratia promerendum vitæ qualitas, & abdicans ab ore vel corde respuens omnem

Matt. 28. 18.

Act. 5. 29.

omnem contra Deum, etiamsi deprehendere forte nesciam hæresim, confiteor me credere æqualem, coessentialem, vel ut ita proferam, consubstantialem æternaliter Trinitatis unitatem, unitatis Trinitatem, hoc est Patrem & Filium & Spiritum sanctum, creatricem & gubernatricem universorum quæ sunt sive in cœlo, sive in terra, & si adjicere opus sit, in mari, & in omnibus abyssis, ita una eademque manente substantia deitatis, personarum proprietate distincta, ut Pater sit qui creavit omnia, Filius per quem creata sunt omnia, Spiritus-sanctus quo creata sunt omnia, Patrem Filii auctoritatem, Filium Patris, Spiritum-sanctum Patris & Filii pronuntians communitatem. his tribus unam eamdemque inesse credens deitatis æqualitatem, nihil in his prius aut posterius, nihil majus aut minus esse intelligens, & Patrem a seipso non ab alio, Filium a Patre solo, Spiritum-sanctum a Patre esse & Filio: Patrem credo Filium æternaliter & ineffabiliter genuisse, Filium æternaliter & ineffabiliter a Patre solo genitum, non factum esse, uti lumen de lumine, verbum in corde, vel ut expressius loquar, aliquid dicibile, Spiritum-sanctum, id est consubstantialem amborum caritatem numquam eis defuisse, eumque ab isto ad illum, ab illo ad istum inlocaliter, immobiliter, æternaliter, ac per hoc & ineffabiliter procedere, ad inspirandos electorum animos a Patre & Filio mitti, a seipso venire temporaliter, Filium solum de Patre sine matre æternaliter, de matre sine patre natum temporaliter. de Spiritu-sancto autem conceptum cum audio, non Spiritum-sanctum patrem alium intelligo, sed credo quia in corde Patris manens æternaliter, Verbum quando voluit sua Patrisque voluntate ita exivit a Patre, & venit in mundum, ut neque Patrem neque ipsum relinqueret cœlum, per corpus quod tota simul Trinitas in utero matris Virginis ex substantia ejusdem matris semper Virginis operata est, visibile hominibus factum. Et cum audio, *Verbum caro factum est*, non Deum in hominem conversum, sed manente incommutabilis deitatis substantia, ita Verbum sibi hominem unisse confiteor, ut sicut ex corpore & anima rationali unus est homo, ita ex homine & Deo unus sit Jesus Christus, non compositus, sed ineffabiliter perexistens natus. Passum vero, mortuum & sepultum, dieque tertia resurrexisse, cœlosque ascendisse cum audio, neque Christo divisionem, neque Deo passibilitatem ascribo; sed sicut homo, qui utique caro & anima est, interfectus dicitur ab aliquo, cum utique anima rationalis mortem non recipiat; ita Deum in homine quem assumsit, ea omnia impassibiliter pertulisse confiteor. Et cum id dico: Credo in

A Spiritum-sanctum, statimque subjungo: sanctam ecclesiam, non quaternitatem illic cogito, sed sanctam ecclesiam catholicam tantummodo esse me credere confiteor, per unum scilicet, id est catholicum baptisma, & per Dei gratiam & fidem quæ per dilectionem operatur, per quæ etiam sanctorum communionem & remissionem peccatorum nos percepturos, si voluerimus, confido; carnis vero resurrectionem, sicut in Domino Jesu Christo veram & non fantasticam scio & confiteor fuisse, ita & omnium tam electorum quam reproborum futuram confiteor esse; sed electorum, ut B cum corpore & anima eant in vitam æternam; reproborum, ut eant similiter cum anima & corpore in supplicium æternum: sed ut illi absque timore per justitiam repulsionis, ita isti absque spe ullius per misericordiam recuperationis. Hæc de ineffabilitate tantæ incomprehensibilitatis tanto, ut vereor, petulantius, quanto simplicius non discutienti, sed tamen cogitanti, ignosce lector, quæso, ignosce mihi; cæcus enim illis quibus talia debuerant considerari, id est beatis mundi cordis oculis, C non videndo miser, sed palpando ista perstrinxi; & sicuti cæco non visa cupientes referre nequimus, nisi adhibita similitudine quadam eorum quæ vidit; ita & ego indigens propriisque utique in Deo nulla in hac nobis occurrunt mortalitatis colluvione, per quædam captui meo facilia, non tamen a scripturæ sanctæ auctoritate penitus extranea conducens, ratiocinando animum interrogavi quid de Deo ejusque creatura sentiret, experiri videlicet gestiens utrum alias sane plurimorum æstimatione vituperabilis, mei ipsius damnabilis, ne & in assertione fidei inveniri valerem catholicæ culpabilis, & ideo jure expellendus a com-D misso mihi præsulatu, hoc est ecclesiæ Veronensis, si tamen decrevisset auctoritas concilii universalis respondere, ineffabilitate rei novitateque probationis permotus tamen non distulit, valente Deo per sapientiam ipsius omnia creata, quod responsum cum ea quam Athanasii dicimus, Nicæni quoque concilii fide, cum ariditas ingenioli vitiorum pulvere squallidi contulisset, nihilque dissentirem ab eis percipere valuisset, ausus sum non defendentis obsti-E natione, sed invenisse me, quæsita credentis securitate, creatricem & gubernatricem omnium Trinitatis unitatem, unitatis Trinitatem corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem. Gaudeo igitur, si non erro; sin vero autem, caritative reprehendi omnimodis desidero.

Explicit liber tertius.



INCIPIT LIBER QUARTUS.

Solet fessus plerumque viator, unius diei etiamsi valeat confici, iter in alterum transferre, ne sera scilicet adeptio copiam deneget quiescendi lassato. consuevit & nauta industrius, si quando ventus flando contrarius proprium interdicit, contiguum cujuslibet insulæ petere littus, quo scaphis adeptis, ne in syrtim navis incidat, earum ut quondam Paulus utantur adjutoriis: quod & nos exemplum non indecens, si propositum unius diei sermonem transferre coëgit in alterum, ne lectori videlicet inferret prolixitas fastidium, neve contraria quibusdam dicturis aliquod, ut assolet, afferret ipsa loquacitatis importunitas periculum. tertia enim hora diei Spiritu-sancto afflati, musto etiam summe madidi etiam ipsi dicebantur theologi, nedum nos sole occidente quidlibet sobrie judicaremur loqui.

Postquam igitur negotio, quod se simulachrorum sive pastoris & idoli causa ultro obtulit, satisfaciendo, paululum quid, ut videtur, otiose exorbitavimus, siquidem nec congruentia omnimodis quædam retulimus & aliquem nos forte læsisse timemus: nunc ad indagandum quid moliri, quid contra te sentire debeat aut valeat episcopus, ut cœpimus properemus; sed quia paulo verbosius effusi sumus, ipsa in ordinem ut confecta sunt reducamus. dixi, nisi fallor, episcopos a Deo solo, ut reges, & præstantius multo quam reges, quia & reges ab episcopis instituti, episcopi vero a regibus etsi eligi vel decerni, non valent tamen ordinari, institutos; nec dixisse me pœnitet quandoquidem & ipse testimonium perhibet, qui solus ipse sibi testimonium ferre valet, ipse enim dicit: *Ego misi vos metere*, & multa hinc testimonia, multa, inquam, sunt & infinita. *Joh. 4. 38.* Væ autem usurpantibus, non jussis; permissis non missis: væ his de quibus dicitur: *Regnaverunt reges & non ex me, principes extiterunt & ignoravi.* *Ezech. 8. 4.* væ aliunde ascendentibus, & non per ostium intrantibus, unde eos liberet pastor bonus, qui cunctivalens solus potest vel in euge convertere, non illic scilicet puniens districte, quos hic concedit mutari benigne. Dixi ecclesiæ filios aut esse clericos, & monachos, aut famulos; aut laboratores servos & liberos, aut liberos, terram Domini commissam tuæ rex defensioni, reditus vero aut sanctum sanctorum Domini & ad jus pertinere sacerdotum, aut esse juris tui, aut incolarum pagi. Hæc vero & ante prælibavi & modo retuli, ut deprehendere si possum satagam, quæ dissensio, quod discidium inter te possit esse & episcopum, cum tu illius defensor, ille tuus esse debeat pastor, ille tibi seminare spiritualia, tu ei ministrare & utique ex tuo non ex suo debeas carnalia, sic enim unus eorum & expressius dicit: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus*, *1. Cor. 9. 11.* ille te benedicere, tu eum debes honorare, postremo vestra etiam temporalia ita a Deo sunt summa æquilibratione divisa, ut nec tu ejus, quia non ejus, sed Domini sunt, debeas invadere; ille tua nec cupere, nisi tantum pro tuæ animæ salute; illi enim dicitur: *Non quærentes datum sed fructum*, tibi autem cum Deus rogatur, dicitur, & utinam non infructuose clamatur: *Qui dixerunt hereditate possideamus sanctuarium Dei, Deus meus pone illos ut rotam.* *Psal. 82. 13.* Et sequentia, & *non alligabis os bovi trituranti*, *1. Cor. 9. 9.* vox autem boni episcopi illa debet sæpius esse: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* *Rom. 13. 1.* Et *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* *Matt. 22. 21.* Et *reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.* *Rom. 13. 7.* Et *Non est potestas nisi a Deo.* *Rom. 13. 1.* Et *Obedite præpositis vestris & subjacete eis.* *Heb. 13. 17.* Et quod quidam pulcherrime, obedientia, inquit, quæ majoribus præbetur Deo exhibetur; atque ceterorum hujusmodi. Quod si nil aliud contra te sentit, prædicat & præcipit episcopus, non modo te isto offendere, sed multo magis, utpote per te sentiens, debet placare: sin secus, quod absit, nec præbere patientiam, sed delectat exequi vindictam: est unde illi facias injuriam & tibi tam gravem non contrahas noxam. Habent conventus inter se generales, synodos universales, canones antiquos, concilia descripta, sanctorum decreta patrum, sanctiones diversorum pontificum: nihil est quod possit inter eos contingere, unde proprium inter se non possint judicium invenire. Postremo est sedes universalis, principalis, capitalis, quia ipsis capitibus ecclesiæ insignis, nutrix mater, judex & magistra omnium, si quid contra rem actum ab aliquo vel in aliquo est horum, in ea judicari, examinari, vel legali potest sanctione puniri. hos ergo consule, ad illos rem defer, illis causam committe. Si quid perperam contra te invenitur actum, crede mihi, districte vindicabitur judicio canonum; nam alium esse nullum qui manus impune, & ipso Deo intacto, possit immittere in aliquo horum, non vales invenire, etiamsi pennis possis volare. Tu forte contra, siquidem & hoc die audivi dictum a quodam hesterna, non minori insania quam stultitia; quid, inquis, opus judice, quando jam eo utimur censore? nam in tantum est diffamatus, ut omnes noverint quod jure sit damnandus. Totum hoc dicere recte potuisses, si ipsius confessione in concilio canonice discussa percepisses. sed ô cathe-

dra pestilentiæ, qua beatus ille vir rexque Syon mansuetus, qui pro nobis homo est factus, dedignatur sedere! ô nefandum & in ipsa radice premendum judicium! ô iniqua sententia & illa soli sæculo propria, quo pro nobis solis seditiosi vulgi acclamationibus comprehendebantur sanctorum millia, & farciebantur innocentibus ergastula! ô digna cui ipsa Domini obviet sententia dicentis: *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.* Et de se ipso, *sicut audio*, inquit, *judico*, sicut audio, inquit, non sicut audivi. Præteritis enim calumniatorum accusationibus, subsequente vero accusati responsione, justum valet judex justus & non violentus discernere, ut possit veraciter dicere: sicut audio judico, id est sicut lex ipsa decernit, non sicut rumor furentium garrit; sicut præsens ipse fatetur, non prout absentes insidiantur: unde quidam facete satis, ad puniendum, inquit, properat, cito qui judicat: ad puniendum, inquit, non ad discernendum: *Ex verbis enim tuis*, inquit, *justificaberis, & ex verbis tuis judicaberis.* Id est & sæculariter & divine, misericorditer & juste; misericorditer, ut est dictum, tu prior [dicas] iniquitates tuas ut justificeris; juste, ut est illud: *Ex ore tuo te judico serve nequam.* Et hic enim quasi cautionem quamdam inter te & Deum consideres propositam, juste enim ex ore suo quisque judicatur: misericorditer vero, prior iniquitates dicens justificatur. Hinc est quod in scholis hujusmodi nutriendi sponte commissa confitentes, veniam citius merentur, pertinaces diu virgis cæduntur, dicit autem hujus cautionis Veritas ministra: *In qua mensura mensi fueritis remetietur vobis.* Id est, si justa, justa; si misericordi, misericordi; ubi & sententia sollicite debet illa pensari: *Qui sine peccato est vestrum primus in illam lapidem mittat.* Cavenda etiam est Pharisæorum imitatio, qui observabant ut caperent Dominum in verbo, unde & humanæ satis considerantur leges, advocatis insciis, studuerunt providere. Si ergo sæcularium quis, non nisi proprio conjunctus ore, potest damnari; quanto minus ille cujus judicium in manu solummodo est Dei, dolet ad libitum invidorum, aliquorum cavillationibus subrigi? Qui enim scis, eadem infamia qua intentione; & si scias, qua ex occasione vel causa fuerit orta, quo affectu propalata, zelo charitatis an zelo livoris? & ut ad rem ratiocinando veniamus, subsiste, rogo, paululum, & videamus. lex & hoc etiam vetus prohibet viduam & repudiatam sacerdotem accipere, consecratas vero Deo virgines tanto magis a cujuslibet usu colloquio vel visu decet fore remotissimas, quanto magis sponso castissimo, illi & præ filiis hominum pulcherrimo se student servare

Joh. 7. 24.

Matt. 12. 37

Luc. 19. 22.

Matt. 7. 2.

Johan. 8. 7.

A castissimas, & ipso necdum actu, sermone, auditu, etiam cogitatu, in quantum homini studiosissime cum Dei adjutorio nitenti possibile est illibatas. canones etiam sancti cohabitationem episcopis omnimodam interdicunt mulierum præter illic exceptarum, videas quamlibet harum episcopo sæpe colloqui, id etiam solitarie aliquotiens fieri, & per vulgus diffamari, volesne eum, ut censes, utpote diffamatum, quasi hoc solo, ut dixisti, sui censorem effectum statim debere deponi? qui vel quomodo enim scis, utrum secreta quidem tibi, sibi autem & Deo manifesta aliqua, sed B tamen pia, id est, lucrandæ animæ ratione hoc agatur facere, sicut quidam nec minoris famæ anachoritarum quādam famosissimam legitur convertisse meretricem, quidam etiam ejusdem nec minus valens propositi pretio, ut moris erat illectas, quadam in civitate hospitio introducebat pellices, & cum inde diffamaretur in tantum, ut ignibus dari debere acclamaretur, tanta copia conversarum excedens sæculo claruit, ut in illa populis refertissima Alexandria, quæ ternis earum millibus eo intrante abundaverat, meretrix hec una eo discedente inveniri valeret. quid inquis, & si C filii approbent scelus? ego è diverso quis hoc dico novit, nisi ipsa, & Deus? non legisti: *Cum autem dormirent homines, venit inimicus, & superseminavit zizania in medio tritici & abiit.* Ut intelligas uno seminante verba doctrinæ, alium posse subripere qui inserat semen luxuriæ. Dicamus & aliud, ebriosus, inquiunt canones, episcopus aut desinat aut deponatur. & sæpe videmus multos ejusdem ordinis hujusmodi vitio quasi servientes, cum penitus qua id intentione agant simus ignorantes. potest enim fieri, ut ebriosis quasi ebriosus quis D secundum Apostolum hoc faciat convescendo, ut eos lucri faciat, aut alio aliquo licet occulto, tamen bono affectu id agat. rectumne ergo censes ob istiusmodi infamiam, absque confessione propria eum deponi debere ad vulgi clamorem? Seditione autem prædæ & bella quam sint gravia, præter alia ipsa approbant homicidia, dicente autem Domino: *Necesse est, ut veniant scandala.* Et *surget gens contra gentem, E & regnum adversus.* Et Jobi, *nihil in terra sine causa fit.* Emergente cujuslibet occasione rei contingat, ut sæpe aliquod in civitate discidium, aut a regno divortium fiant nulla homicidiorum, omnes dicant machinatum id totum fuisse episcopum. censesne eum, nulla præeunte canonica examinatione, vel propria confessione, deponendum; aut quod inconvenientius multo, injuriandum ob clamorem, illo solo negante, cunctorum? Quid enim si erit ab hujusmodi immunis flagitio? nam tu unde non esse

Matt. 13. 25.

Matth. 18. 7.

Luc. 21. 10.

Job. 5. 6.

conjicis? quia cum malefactoribus, inquit, inter agendum conversatus, cum ipsis est comprehensus, videlicet non quid senserit sed ubi fuerit cogitandum esse judicans, cum è contra Dominum non de opere, sed de intentione noverimus judicare. Quid enim si hoc bona, quia justa, egit intentione, verbi gratia, veluti Jeremias propheta qui per caritatem, ut dicit beatus Gregorius, dum cives ab ingressu Ægypti non potuit cohibere, studuit illuc cum eis & ipse descendere. Et revera quem episcoporum legimus, cum Italia a Langobardis invaderetur, relicto grege ad Mauricium transiisse? Numquid jam iste paululum jam dictus? cum ei isdem esset suspectus Mauricius, cum & filium ejus e sacro fonte isdem suscepisset sanctus, & quotidie illi idem improperaret, quod suo adjutorio, facto & decreto apostolatum primæ sedis indeptus fuisset, cum invitus fugisset, & renitens illud licet consentiente, sed post pœnitente eodem Mauricio, sortitus fuisset, ita agendum decrevit, ut scilicet ob improbitatem civium & incursionem hostium transiens Constantinopolim, relinqueret gregem commissum. numquidnam & excellentissimæ recordationis pater Augustinus, dum similis urgeret ratio, ita agendum decrevit, aut exemplo monstravit in talibus? Ille autem qui interrogatus ab hostibus de nomine respondisse refertur, servum se fore Christi, hosteque consonanter respondente, se flagellum esse Christi, fuitne jure damnandus, quod civitatem illico hostibus aperuit intrantibus? Cunctosne ergo judicas deponendos, qui rebelles regibus cives, & filios esse scientes, non eos ut punirentur prodiderunt, sed e contra missas eis fecerunt, filios eorum baptizaverunt, prædicaverunt, chrismaverunt, pœnitentiam indulserunt, reconciliaverunt? Sed forte ideo tu hoc recte te putas dicere, quia sententiam recolis Domini dicentis: *Si offers munus tuum ad altare*, & reliqua; & quia sicut non proficit in vulnere medicamentum, si adhuc ferrum in eo sit; ita non proficit pœnitentia, discordante proximo, quanto magis Domino animum habentis, cum principalis Domini habeatur sententia dicentis: *Nisi remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester remittet vobis peccata vestra?* Sed quis ad hæc idoneus, nisi solus ille qui omnia novit Deus? Quomodo enim scis utrum etsi discordem actum, concordem alicui quis habeat animum? Non legisti: *Si fieri potest cum omnibus hominibus pacem habentes?* Non audisti: *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur?* Nescis dictum esse: *Qui dixerunt patri vel matri, non novimus vos, isti custodierunt testamentum tuum?* Non recolis dictum Josaphat, dum adjutorium præberet Achab: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Deum amicitia jungeris.* Et psalmus tibi non occurrit dicens: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam.* Et *Facientes prævaricationes odivi;* & totus ille psalmus, & *Lætabitur justus cum viderit vindictam*, & *Iniquos odio habui.* Postremo Dominum dicentem si non recolis, *Non veni pacem mittere, sed gladium;* & in Job de concordia impiorum: *Membra carnium ejus cohærentia sibi una uni adhærebit, & nec spiraculum incedit per eas.* In tanta ergo diversitate quis nisi solus Deus potest cognoscere, nisi aut verbis aut quibusdam actuum conjecturis, quis, quid, qua agat intentione, cum etiamsi malam eam omnimodis sciamus esse, nostrum ministerium sit ut melioretur vigilanter insistere? damnandus enimvero Job, cum dicat: *Frater fui draconum, & socius strutionum?* damnandus Loth in scelere Sodomitarum? damnandi quibus dicit Apostolus: *In medio nationis pravæ & perversæ, in quibus lucetis sicut luminaria in cælo, verbum vitæ continentes?* Damnandus angelus, immo episcopus ille cui dicitur in Apocalypsi: *Scio ubi habitas, ubi sedes est satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam?* Damnandus Noë & filii ejus, quod cum serpentibus fuerint in arca? Damnanda tota generaliter cui dicitur ecclesia: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias?* Si vero negligenda minime navis ecclesiæ in tranquillitate, quanto minus in tempestate? Et si deserendus nequaquam grex lupo dissimulante, quanto minus imminente? si sani custodiendi, ægri omnino negligendi? Et ubi erit: *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus?* Quis autem filium umquam carum etiam in phrenesim dimisit actum, cum etsi non ligari, utcumque saltem potuerit custodiri? Nam cum & de vilissimis servorum videamus id persæpe fieri personis, dum consulitur ne periclitentur, sanis; quanto magis, si necesse fuerit, de dilectissimis agi congruit filiis? nempe cum divina suis pastoribus quos lupina specialiter præsciebat incursione infestandos pietas consulens concessisset dicens: *Si vos persecuti fuerint in unam civitatem, fugite in aliam;* quid in generali esset necessitate agendum, & suo & mercenarii monstravit exemplo, dicens, *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus, mercenarius autem fugit?* Et alibi: *His autem fieri incipientibus, respicite & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemtio vestra.* Itemque: *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ ventura sunt, & stare ante filium hominis.* Animam ergo dare pro ovibus, cor exhilarare, vigilare, & orare, non fugere in communi necessitate præcipimur, cum in speciali id minime prohibeamur. Desine ergo hæc tantum

Marginalia: Greg. — Aug. — Matt. 5. 23. — Matt. 18. 35. — Rom. 12. 18. — Jac. 4. 4. — 2. Paral. 19. 2. — Ps. 138. 21. — Ps. 100. 3. — Psal. 57. 11. — Ps. 118. 113. — Matt. 10. 34. — Job. 41. 14. — Job. 30. 29. — Phil. 2. 15. — Apoc. 2. 13. — Cant. 2. 2. — Matth. 9. 12. — Matt. 10. 23. — Joh. 10. 11. — Luc. 21. 28. — Luc. 21. 36.

tum quivis, & si excedendo jam dixeris, defendendo augmentare scelus, ne tu potius & a temporali & a sempiterno honore videaris jure deponendus: quia cum in eodem sis honore, non intelligis; & ideo comparandus jumentis potius quam episcopis, pecoribus videris quam pastoribus, dum & teipsum tam vilipendis, & tam impie contraire legibus niteris, pro te quoque, si tamen illud esses quod vocaris, piissime promulgatis. Nam & quod gigantomachiam & theomachiam, vel potius idolomachiam illam tuam ista adhuc in re mihi opposuisti, nequaquam & hoc vitium promisisti celari: nempe dum magis philopopi quam veri philosophi, licet habitum prætendas, morem sectaris, gigantomachiam sæpius quam psychomachiam non modo relegens, sed & recolens, magis te idolorum cultorem quam Christi demonstras pontificem; immo idolum te esse insinuas, dum tam meticulose, ne a gigantibus, immo ab eo qui *Exultavit ut gigas ad currendum viam*, persecutus consequaris, comprehendaris, dejiciaris; frivolis vaniloquiorum ambagibus quasi post arborem a calore ejus, cum non possis absconsus, ab eo scilicet corrigendus inveniaris, foliorum ficus campestris tectus, non agni veri innocentia vestitus, tinctis fucatus in die coloribus, non nive in Selmon dealbatus, te munire conaris, nec pennas columbæ, id est virtutem simplicitatis velis assumere, quibus evoles ut requiescas, sed milvi quibus extollaris ut vanescas; nec deargentatas, ut sint posteriora tui in specie auri, sed verso in scoriam argento, aurum potius Æthiopiæ quod non æquatur sapientiæ, quam illud Opphir optimum ambis, quod verus noster pacificus qui fecit utraque unum, navibus comparatis præcepit sibi afferri, quibus laquearia vel vasa exornet sui templi, corda videlicet illorum in quibus ipse habitare, & thesaurum desiderabilem dignatur recondere. Stultam quoque mundi sapientiam, quam confundit infirmus, & despectus speciosus præ filiis hominum noster, magis amplectens, quam æternam illam veramque sapientiam, fatuitatem a tuis illis doctoribus quos laudas, quos effers, quos magnificas, æstimatam; mutuata ab Ægyptiis vasa non in tabernaculi utensilibus Domini, sed in ornamentis ejusdem congeris Ægypti, lanam & linum Domini cum ipsis servire cogens reginæ cœli, hoc est terrenæ altitudini, dum dolo devictum a Mario Jugurtham, quam ligno subactam a Christo sæculi pompam; captum Siphacem, quam dejectum a Michaële draconem, triumphantemque nostro in prælio, cui non ex equo, sed ascendere debueras ex adverso, introducis Scipionem, Pompeium & Deiotarum, Catonemque facundissimum, potius quam Petrum & Paulum, Johannemque recolens Domini dilectissimum, bella per Emathios quam concilia a doctoribus celebrata Christianis, immo bellatoribus invictissimis per amœnissimos depicta sanctæ scripturæ sæpius relegens campos; jusque datum sceleri, quam regulam statutam pie vivendi, major in exiguo certabat corpore victus, quod Statius: quam virtus in infirmitate perficitur, quod dicit Apostolus. Et ideo percutiendum te a monte sine manibus vere dum in illum non times offendere, suspicans immo docens montes coagulatos, montem esse Dei uberem, id est divisionibus gratiarum quos vult & prout vult fœcundantem, quod tu audes dicere fieri ab homine, licet aliquotiens & partim per hominem, & ideo quia de terra es, dum cœlestibus penitus abdiculis, de terra solummodo loqueris, time ne a dracone illo antiquo devoreris, dum cibus ejus esse ambis. Sic enim illi promisit qui mentiri nescit, *Terram*, inquit, id est terrenos, *comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Meminisse autem debueras quando hæc astute, ut tibi videbatur, proferebas, Cariathsepher, id est civitatem litterarum, a Josue qui vivificat in spiritu quos littera occidit, jam esse destructam, jamque regnum Dei non in sermone consistere, sed in virtute; jam manu fortem nostrum, David scilicet alterum, cui *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos*, inquiens, *in æternum*, percussisse vallem Salinarum, id est, loquacitatem superbe sapientium, ideo expressam vallis vocabulo, quia *Omnis qui se exaltat humiliabitur*, non quia convalles abundabunt frumento, id est, quia *qui se humiliat exaltabitur*, ab eo scilicet qui emittit fontes in convallibus, ut inter medium montium pertranseant aquæ, non utique illæ, quæ quondam super montes steterunt ecclesiarum, id est tumore eos ad tempus cooperuerunt persecutionum: jam Deo gratias ab increpatione Dei, licet tu eas revocare in tui ipsius præjudicio contendas, fugerunt, ascenderunt & descenderunt in locum quem eis fundavit, id est, perpetualiter locavit Dominus, ut non committantur rursus, licet velint operire terram; quia etsi adhuc in aliquibus laborat regnum Dei, & adversarii sint multi; tamen in maxima jam parte sæculi ostium magnum & evidens aperitur apostolico sermoni, non utique, ut & hoc dicam, inter istos cataclismi montes illos quibus ecclesia potetur, lavetur, mundetur, ut tu docere altum sapiens cupis, suos Dominus emittit fontes; sed inter eos quos rigat de superioribus, his videlicet in quorum vertice ipse est præparatus, qui & de monte lapis est abscisus sine manibus, id est, sine operatione virili

Psal. 18. 6.

Gen. 3. 14.

Psal. 109. 4.

ex semine David secundum carnem natus Christus. Non, inquam, mundatur ecclesia aquis Ægypti quæ ruunt cum præcipitio: aquis Siloe quæ vadunt cum silentio. nam etsi Abana & Pharphar fluvii Damasci meliores omnibus aquis Israël judicio æstimabantur Naaman Syri, tamen nonnisi in Jordane nostro septies, non sine mysterio, lavatus a lepra potuit mundari. Illa etiam quæ in medicos, id est, falsos theologos, quos & tu adhuc sectaris, dum propositiones & assumtiones in causa ecclesiæ introducis Tullii Ciceronis, a nullo horum potuit curari, quamvis multa potuerit perpeti. Nam & catapharsim & apophasim tuum hac in parte tantum decidemus, ut in uno salubrius ac prudentius fore doceamus responderi, secundum apostolum, quia *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* In altero autem non solum in eorum numero currere magnopere vitemus, qui firmaverunt sibi sermones, sermones malignos, sed etiam salva catholica fide & reclinata fovea, hoc est officii nostri jactura, malimus alienis sermonibus humiliter cedere, quam pertinaciter contentionibus deservire: & hæc quidem omnia ad id conjectandum, ut si talis etiam, quod absit, aliquis, ut tu dicis, inveniatur episcoporum, non posse convincatur judicari nisi a semet, ab ullo hominum, excepta dumtaxat auctoritate canonum, a semet autem pura inter se & Deum aut quemlibet sibi elegerit fidelem patronum confessione judicatur, ut non a Deo districte judicetur, sed prior iniquitates suas adversum se confitens, vocemque accusatori præripiens justificetur: canonica vero judicatur auctoritate, si examinatus legitime, crimen suum in concilio proprio publicaverit ore. A Domino vero multis modis judicatur, dum secundum Psalmistam, aut infirmitate, aut damnis, aut inimicorum infestationibus, aut aliis quibuscumque afflictionum generibus, non quidem jubente, sed permittente Deo, in ejus afflictiones vindicatur, ut aut corripiatur in præsenti sæculo, ne cum mundo damnetur in futuro: aut ut ferrum ejus mentis ad subtilitatem perveniat acuminis alienæ erasum lima pravitatis, quo & ipse resecare in aliis male pullulantia valeat cordis. At totum ita se habere non Catonicis, sed Dominicis approbemus eloquiis. A nullo hominum episcopos judicandos, & Apostolus perhibet dicens de eis dum de se: *Qui autem judicat me Dominus est.* Et *Spiritualis dijudicat omnia, ipse autem a nemine judicatur.* Et Dominus sal infatuatum nec in sterquilinio asserens ponendum, a semet ut idem Apostolus dicit: *Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur.* Et illud de Moïse: *Posuit & labrum æneum, in quo lavarentur Aaron & filii ejus cum ingrederentur in sancta, quæ fecerat de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.* A Domino, ut & illud: *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* Non autem hoc dicit ab eo, qui pedes discipulorum lavisse legitur in evangelio. Canonica vero auctoritate quomodo judicetur monstrat satis evidenter qui dicit: Sicut audio judico. Et *Ex ore tuo te judico.* Et apostolus, ut etiam hoc in præsenti observandum intelligas, in quantum Dominum adesse consideras, dum aliquo manifesto suæ præsentiæ judicio, aut invitum & coactum, perspicuam tamen veritatem promentem ac sponte confitentem, aut aliquo justo & legali judicio deprehensum revelat in publico: *Nolite*, inquit, *ante tempus judicare, donec veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum.* Mundeburdem autem vulgo quoddam genus regalis vocant tuitionis, quod qui habuerit speciali quodam privilegio, ita regia tuetur auctoritate plerumque, ut nec vi, nec judicio, aliquid etiam in culpa deprehensus ab aliquo patiatur, antequam in præsentia ejusdem majestatis audiatur. Si autem mortalis ita timetur potestas, si litteris sententia prolata hodie quidem subsistentibus, cras vero aut igne, aut aqua, aut vetustate deletis, nullum robur obtinentibus ita custoditur: qua reverentia, quo timore illius debent servari edicta, cujus cœlo & terra transeuntibus, non transeunt verba. Quem vero apertiorem requiris mundeburdem ad defendendum specialiter principes vel ministros, quos ille Rex regum potentissimus in ecclesia, quam *nolite tangere christos meos*? Wiffam etiam quoddam vocant signum, quod qui regali habuerit dono, & alicujus invasu alicui subjacuerit damno, vindice defenditur gladio. quod autem terribilius inveniri potest signum quam pontificale pedalum? perspicaciorem quam desideras wiffam, quam eam quam capite gestant coronam? Stola vero, planeta, dalmatica, cingulum, caligæ & sandalia, quid tibi, etiamsi nil intus aliud intelligere valeres, nisi manifestissima divinæ tuitionis pariter & venerationis, dum contra ceterorum consuetudinem eos his uti cernis, tibi produnt insignia? quæ etiam tibi ne tuo judicio obvenerint, nonnihil timeo, dum tam vilipendi a te considero, ut magis prædari & occidi quam his optes defendi. His contra tam perversissimum & inconvenientissimum etiam laïcis judicium breviter prælectis, non te quem supra rogo consideres, cum inter se quoque propria, si aliquid excesserint, habeant judicia. Vidistine umquam militem aut plebeium, qui ausus fuerit reprehendere, nedum ju-

1. Joh. 1. 8. — 1. Cor. 4. [4]. — Psal. ... — 1. Cor. 2. 15. — 1. Cor. 11. 31. — Exod. 38. 8. — Psal. 88. 3[3]. — Luc. 19. 22. — 1. Cor. 4. 5. — Psal. 104. 15.

dicare judicem palatinum? Denique satisfactum tibi jam esse poterat, judices eos esse omnium, non solum hominum, sed & angelorum apostatarum utique. Sed ad inculcandum, ne volubilitate excedat, animum diversarum curarum, iterum arbitror replicandum, aliquid etiam quod forsan adhuc aut ignoras aut dissimulas adjiciendum. Noveris itaque quatuor futuros ordines in judicio; unum qui judicet cum Deo, alium qui per judicium liberetur a Deo, tertium qui per judicium damnetur, quartum qui jam judicatus ad nil aliud, ut credimus, aderit, nisi ut ipsa amplius piorum felicitate crucietur, ut in psalmo legi-
Psal. 111. 10. tur: *Peccator videbit & irascetur*, & quod præ angustia spiritus sunt dicturi. Et ut hoc evidentissimis pandam exemplis, audi Dominum promittentem sedebitis, inquit, *su-*
Matt. 19. 28. *per sedes duodecim*, id est in soliis apostolorum, non quidem solummodo duodecim illorum, sed & omnium ejusdem officii justorum; & ne novum hoc & forsan a nobis æstimes conjectatum, audi ex his unum, sed jam tertium decimum, quia post Mat-
1. Cor. 6. 3. thiam è cœlo vocatum: *Nescitis*, ait, *quoniam angelos judicabimus*. Frustra autem de sede hujus ordinis dubitas, cum apostolos eos quantum & id agunt esse scias, si tamen & idem te non fallit vocabulum, quia
Psal. 46. 10. græcum, & psalmista concinat: *Principes*, inquiens, *populorum congregati sunt cum Deo Abraham*. Congregati vero quid agant exultantes scilicet in gloria, lætantes in cubilibus suis, dicit in alio, idem psalmo: *Gladii*
Psal. 149. 6. *ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis judicium conscriptum.* Gladius si quis sit non intelligis, cum manus opera, quibus è judicio vindicta & increpatione victuri liberarentur, morituri damnarentur, dederunt, advertere possis, ut ait unus eorum jam gladium tenens, & si non aperte vi-
2. Cor. 2. 16. brans: *Aliis*, inquiens, *sumus odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam*. Et Simeon præter alterum scilicet sensum de
Luc. 2. 34. Domino: *Et ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum* Et Dominus ipse: *Est qui accusat vos Moyses*, & de Aposto-
Matt. 12. 27. lis: *Ideo*, inquit, *judices vestri erunt*, Et *viri*
Ibid. 41. *Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ.* Et *si non venis-*
Joh. 15. 22. *sem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent.* Si vero, ut dixi, quis iste sit non intelligis gladius, interrogatus idem proferat Pau-
Eph. 6. 17. lus: *Gladium spiritus quod est verbum Dei.* Et
2. Thess. 2. 8. de ultima & præcipua superbia: *Quem dominus* Jesus *interficit spiritu oris sui.* Et *est*
Heb. 4. 12. *sermo Dei vivus & efficax & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus.* Ancipites vero, id est, bis acuti quare sint, præter istud quod modo est dictum, considera quod & gehenna, id est duplex pœna illud vocatur judicium conscriptum. compedes vero & manicæ ferreæ duritia crudelitatis comparatæ, satis in evangelio habentur dicente: *Ligate illis manus & pedes.* Judicantur ergo, vindicantibus & increpantibus justis, injusti manibus & ancipitibus gladiis, quia hic nec opera eorum imitando attendere, sermonem vero non solum spernere, sed etiam multis persecutionibus & mortibus studuerunt insectare. Et quia hic manus & pedes sponte ligatos habuerunt a bono opere, merito invitæ illic ligatæ in æterna erunt damnatione. Si pauci sunt dicis, qui ad hoc erunt quandoque perventuri, dinumerabo inquit eos, & forte propter Matthiam duodecim, aut propter Judam undecim, aut propter Paulum erunt tredecim, super arenam, inquit, multiplicabuntur. Considera quantos judices, & vide si sit leve inter tot unum vel increpare. Habes ordinem judicum, proferamus & per judicium salvandorum: *Beatus*, inquit, *qui* Psal. 40. 1.
intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Da & per judicium damnandorum. *Cum incaluerit*, inquit beatus Job, *solventur de loco suo*, utique illo sinistro, perpetuo destinati supplicio. Hos duos ita sermo evangelicus meritis unius cujusque præmissis dividit dicens: *Ibunt hi* Joh. 6. 17.
in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam: Quartum vero psalmista prædicente dicendo: *Ideo non resurgunt impii in judicio*: ita & idem excipit sermo: *Qui au-* Joh. 3. 18.
tem credit jam judicatus est, qui non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Opere precium autem videtur male sanæ hic cujusdam obviare sententiæ, qui præsentibus quibusdam nec modice, proh dolor! eruditis episcopis ausus est illud quod canitur in ecclesia improbare, videlicet sanctos omnes cum Christo in æternum regnaturos fore, asserens nec dicendum nec credendum aliquem præter Deum in æternum regnare, sed fatendum sanctos tantummodo cum illo gaudere, quasi & idem non sit Deo gaudere quod regnare, regnare quod vivere, vivere quod semper esse. in quo tantum infeliciter convaluit, ut ipsum, pro quo totum in præsenti laborat, tantæ felicitatis dulcisonum a cantu ecclesiæ se præsente secreverit melos: quod quidem recte faceret, si singularem Deitatem ejus regnatum & potentiam, qua cuncta proprio quoque & singulari nutu creata, proprio quoque & singulari regit & gubernat imperio atque moderamine, ita pie venerando intelligeret, ut gratuitæ miserationi, quæ ex vasis iræ vasa facta misericordiæ tanto ditat munere, quo non reges tantummodo esse & vocari, sed insuper Deos esse & dici ineffa-

bili concedat benignitate, impie inviden- A
do contraire timeret, sed ô cæca cæco-
rum & dicentis scilicet & conniventium hac
dumtaxat in parte, & stultissima si tamen
defendatur stultitia. Dum enim ex se homi-
nes Deum conantur metiri, putant & illum,
ut se, invidere alieno profectui, quasi & il-
lum tanta coartet angustia possessionis &
potestatis, tanta autem dilatet magnitudo
cupiditatis & ambitionis, ut quod alter as-
sequitur, hoc sibi æstimet minui, cum om-
nia solus possidens, thesaurarium ita æquo
moderatu contineat suum, ut nec exhau- B
riri valeat nec cumulari: potestas vero ejus
nec deficere in aliquo, nec proficere queat
omnino, licet omnia ipse pro sui placito na-
turarumque & causarum concentu & cu-
mulet & exhauriat, quibus vult profectum,
quibus vult adhibens defectum, immuta-
bilis in se mutabilia continens, sub se ita il-
luminanda ex se illuminans, cum sibi nil
luminis detrahat, ut & ipsa luce vocari rite
& benignissime concedat: quod & de regi-
bus jam dictis satis ipse intelligere poterat,
videlicet ut illum & sciret & confiteretur es-
sentialiter fore Regem regum, sed instituto- C
rum, sicut est lux luminum, sed illumina-
torum. Verum ut ad ipsum erroris aucto-
rem nostrum jam vertamus sermonem, dic
mihi rogo hoc aut dicens, aut tacendo con-
sentiens, aut quod multo pejus est, astipu-
lando confirmans, apostolicis refragaris
testimoniis? Nullo modo, inquis. quid
itaque in tam aperta ejus sententia inesse
2. Tim. 2. 12. reris arcanum, ubi dicit: *Si compatimur &*
conregnabimus? Quid cum in Apocalypsim
Johannis finitum, pro infinito accipiens,
Apoc. 23. 6. legis? *Regnabunt cum ipso mille annis*? Quid D
daturum eis, quibus in judicio dicturus est:
Matt. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei percipite regnum*,
nisi idem ut conregnent regnum? Quem
enim regum terrenorum illud cum præfe-
cturas & prædia vel alia hujusmodi ad par-
tem regni suis distribuant pertinentia, di-
cere nisi cum conregnaturo aut certe suc-
cessuro audis filio? Aut vero propter judi-
catum in sessu duodeno etiam regnantum,
prædictum nequis intelligere numerum?
Psal. 44. 8. Cum vero in psalmo audis: *Unxit te Deus*
Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis,
quos consortes intelligis, nisi conregnan- E
tes? In eo vero quod angelum MARIÆ di-
Luc. 1. 33. xisse legis: *Regnabit in domo Jacob in æternum*,
quid, quæso, intelligis? an æstimas divini-
tati illius qua coeternus & consubstantialis
Patri ubique sine initio & sine fine regnat,
aliquod non ante habitum, & quod præ-
ter ubique esse possit, alicubi regnum pro-
missum, & non potius humanitati illius,
qua in tempore pro nobis est indutus a di-
vinitate, quæ una illi cum Patre est attribu-
tum, ut scilicet regnet in domo Jacob, id
est, in regno ecclesiæ, quod ex eo cœpit ex

quo natus est ipse, vel ex eo quod tribunal
crucis dignatus est nostri causa ascendere,
psalmista dum clamat testante fidelibus
christicolis: *Dicite in gentibus quia Dominus*
regnavit a ligno, id est a crucis ascensu futu-
rum sine fine, cum eodem utique Jacob
in æternum, hoc est, capite cum corpore?
an tu aliter sentis & putas etiam tempora-
rie, cum nec possit vivere sine membris ali-
quid caput, posse regnare? aut forte de
ipso dictum esse non recolis: *Cum corpore* Rom. 8. 17.
suo quod est ecclesia? Itemque *si autem & hæ-*
redes. hæredes quidem Dei, cohæredes autem
Christi? Et cujus, quæso, hæredes rei nisi
regni? postremo cum in oratione ab ipso
tibi tradita dicis: *Adveniat regnum tuum*, Matt. 6. 10.
quid rogo petis? an ut jam maturet regna-
re, qui numquam creditur non regnasse?
an quod est verius, ut cum ipso merearis
regnare adoptione non genere, munere
non proprietate, dono non debito, con-
cessione non parilitate, gratia non essen-
tia, pietate dantis non comparatione æqua-
litatis? nempe & ejusdem de mansionibus,
& apostoli de stellis differentias quasdam
facientes possumus veraciter dictis collige-
re, non solum ipsum cui essentialiter idem
est semper regnare quod vivere, longe in-
comparabiliter adoptatis præstare regibus,
sed etiam inter ipsos regnantes non par-
vam regnandi distantiam fore. Desine er-
go, fili, hanc tuam non quidem sententiam,
sed maximam tueri inscitiam, ne illorum
in numero inveniaris aliquando, qui Deum
dum defendere nituntur, offendunt. Vin-
dica quin potius & tumoribus dignitatem
tuam, ne tantam perdas prærogativam.
Inaniter enim hoc in oratione rogas, si il-
lud adipisci, dum etiam desperas, non de-
sideras; cum nec patrem illum aliter tuum
esse nisi & inaniter dicas. Ad te vero isto
relicto reversus, cum quo mihi jam sermo
de non parvo est negotio diutius. Consi-
dera, rogo, dum summus pontifex a ne-
mine nec reprehendendus, quanto minus
quilibet eorum flagellandus carceri man-
cipandus, famæ & siti frigore & nuditate
ceterisque afflictionum generibus tormen-
tandus? unum etiam precor, ut attendas,
& ex te ipso perpendas. Si haberes aliquem
servum, negligentem quidem, quem tamen
tanto amore excoleres, ut in aliquo loco-
rum tuorum secunda post te sede, secun-
da auctoritate, secunda poneres potestate,
videlicet ut quidquid tibi agendum, tibi
decernendum quæ committeres, quidquid
statuisset firmares, quidquid destituisset de-
stitueres, benedictus ab eo a te quoque be-
nediceretur, maledictus malediceretur, cui
tua jura, tua insignia, thronum, sceptrum,
purpuram, ipsam etiam concederes coro-
nam. Nomine etiam tuo appellandum de-
cerneres, postremo quoque nil tibi residui
nisi

nisi ipsam essentiam regimen atque gubernationem, qua ipsum cum commissis regeres & gubernares, & quod quicquid ageret, decerneret, statueret, difiniret, tua non sua potestate faceret. Inter hæc aliquid cum in aliquo conservorum excedente comprehensus, te inconsulto licet præsente, ab eo injuriaretur, carceri daretur, famæ, siti geluque necaretur, opprobriis & derisionibus & contemptui quod gestaret nominis afficeretur: quid ergo bone rex, pie princeps, in hujusmodi tibi agendum decerneres negotio? Scio, ais, quid agerem, sed non est iste Deo tam charus quam dicis. Quid, inquam, nosti? nonne vides eum solio, sceptro, corona, purpura, ipsoque nomine satis præclue insignitum? Ego, inquis, eum insignivi. Tu qualiter? Potuistine dare quod nec audes contingere? Valuisti concedere quod etiam cogeris adorare? Fuitne umquam in tua potestate, quod tam altius nunc est supra te? Mirabile ergo quod tibi tulisti, alteri tribuisti. Sed desine hoc vel cogitare. nam si potuisses dare, poteras utique & auferre. nunc vero cum rebus spoliare, patria pellere, exulare, carceri tradere, luminibus orbare, excoriare, exmembrare, ad ultimum in tui ipsius præjudicio eum valeas occidere; nomen autem illud, sceptrum illud, coronam cum purpura, illam benedictionem, illam potestatem ligandi te ipsum, etiam a quo ligatus tenetur solvendique illam, judicium illud, principatum illum, angelicatum illum, apostolicatum illum, pontificatum illum, regnatum illum, pastoralitatem illam, postremo quod his omnibus est præstantius unctionem & dealitatem illam non possis tua vi, tuo judicio, tua auctoritate, tua tollere potestate? agnosce multum supra te esse, quod tantum ipso Deo vides propinquare, ut nisi ab ipso auferri, ab ipso valeat tribui, ab ipso in sui consortio mereatur ita in sublimissime asciri, ut a nullo se intacto valeat tangi. Nam illa omnia, quæ, ipso licet nolente, dum tam terribiliter interdicit, te tamen permittente, ab homine eis possunt infligi, licet maxima injuria sit Dei, maxima miseria inferentis, inæstimabilis tamen gloria ejusdem est ordinis; quod testantur
Act. 5. 41. illi qui *ibant gaudentes a conspectu concilii quoniam digni habiti sunt pro nomine* JESU *contumeliam pati*.... graviter contra dantem erexit dum tam immaniter illum offendit, quid ad te? Quia meum, inquit, turbavit regnum, concitavit prælia, prædas innumeras exercuit. Non puto, inquam, at vero dicamus fecerit, dicamus tibi morem gerendo pro libitu tuo, sed ô utinam postquam eum captum in tua habuisti potestate, Deo permittente quamquam nolente, neque enim fas est fautorem eum esse eorum quæ ne fierent interdixit, dici vel credi, recoluisses illum dixisse omnibus cum præcipue tibi: *Quicumque honorificaverit me, honorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*. Et illud. Dedit ei Deus locum: at ille abutitur eo in superbiam, & de quibusdam: averteruntque oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum. Susurrasset quoque tibi Sapientis illud dicentis hujusce proverbium: *Bis vincit qui se in victoria vincit, & iracundum qui vincit hostem superat maximum*. Itemque: *In vindicando criminosa est hereditas*. Alterius quoque hujusmodi. Animum vincere, iracundiam cohibere, vino temperare, adversarium non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem, hæc qui facit, non ego eum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico. Ridiculum è contra, juxta eum qui supra, odio nocentis innocentiam perdere. Occurrisset etiam animo factum David, quomodo persequentem se Saul, sibi a Deo traditum inveniens, & a suis ut eum feriret suasus, noluerit; potiusque dixerit: *Propitius mihi sit Deus, ne extendam manum in Christum Domini*. In quo primum notavisset, quod propitium sibi fieri Deum postulaverit, ne faceret quod ipso locum ei dante juste facere poterat. Væ enim ei qui secundum psalmistam dimittitur voluntati suæ, cum corruptos & abhominabiles utique Deo quosdam in studiis suis factos alibi notans scriptura dicat: *Post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere*. Et *sunt viæ quæ videntur hominibus rectæ, quarum finis usque in profundum inferni demergit*, & desiderent quædam plerumque nonnulli, quod malo suo exauditi solent accipere. Unde quidam satis lepide: nil tam insanum, inquit, quam id desiderare, per quod possis perire. Alius item scilicet facete, quantum ipsa sapientia docente, si miserum est, ait, voluisse prava, potuisse miserius est. Job autem: *Abundant*, inquit, *tabernacula prædonum & audacter provocant Deum, cum ille omnia dederit in manibus eorum*. Unde autem prædones cum Deus dederit, nisi quod, Deo permittente, juste isti ad prædam exarserunt injuste? Unde audacter provocant, nisi ex eo unde eis Deus locum, aut propter castigationem, aut propter pœnam delinquentium dedit, aut certe malo illorum, ut scilicet sibi relicti, nec a medico prohibiti edant unde necentur; bibant calicem furoris Domini, unde inebriati gravius corruant in æternum perituri? Exaggerent crimina, unde major eis accendatur gehenna, apposita semper iniquitate super iniquitatem eorum, dum scilicet maligna voluntas eorum nequissimum pervenit ad effectum, ut non intrent in justitiam Dei, sed deleantur de libro viventium, & cum justis

1. Reg. 2. 30.
1. Reg. 26. 11.
Eccli. 18. 30.
Prov. 16. 25.
Job. 12. 6.

non scribantur, paupere & dolente a salute Dei suscepto, ut magnificet eum in laude, & laudet nomen ejus in cantico. Unde ergo, ut dixi, Dei iram provocant, nisi unde Deo quamvis secretissimo consilii sui disposito permittente, locum accipientes omnia quæ ira, cupiditas, vel superbia eorum dictat, agunt, nec permittentis justitiam verentes, nec pietates pensantes, nec ancipitem Dei gladium metuentes, nec respectum super afflictionem miserorum considerantes, postremo ne vel suimet consideratione aliorum miseriis condolentes, neque prophetici illius improperii reminiscentes, quo sub persona impiæ Babylonis talibus Dominus exprobrat, dicens: *Iratus sum super populum meum, contaminavi hereditatem meam & dedi eos in manu tua, non posuisti eis misericordias, & recordata es novissimi tui*: terribiliterque post aliquanta concludentis: *Veniet*, inquiens, *super te malum, & nescies ortum ejus, & irruet super te calamitas quam non poteris expiare. Veniet super te miseria quam nescis*, ceteraque quibus nescio utrum quid terribilius queat inveniri? Quod si, ut ad David redeamus, more.... usitatissimo respondens magnæ quidem patientiæ illud exemplum fuisse, sed hodie ista non competere, respondeo quia magis hodie competit talia quam tunc. tunc enim juste licebat ulcisci, modo nec irasci, hoc, inquis, ideo quia Dominus suus fuerat egit. Tu, inquam, ideo quia pastor tuus, propheta tuus, angelus tuus, judex tuus, Deus tuus fuerat convenientius fecisse. Verum si altius quid in hujusmodi facto velis rimari, scias David te in isto turbato, ut dicis, regno injuriam tuam significasse; Saul vero unctum quidem, sed justi persequutorem, præpositorum in ecclesia, sed negligentium ordinem. Saul itaque purgat ventrem, cum quilibet eorum de se malæ opinionis elicit fetorem. dolet David se oram clamidis ejus abscidisse, quia valde metuendum est cuilibet.... & jam si sit & ipse unctus, ut David, vel in extrema actione reprehendere quemlibet Hebræorum. Regale autem nostrum esse sacerdotium, & Petri testimonium, & milia approbant testimoniorum. Quod denique testimonium alio festinans ponere non proposueram, sed quia se ultro obtulit, abjici nullomodo potuit, forsan nec minus alius sui oportunitate valebit. Verum potest fieri, ut per totum ita se rem non habere, ut dicis, inveniamus si ventilemus discussius. Videor enim mihi optime intelligere quid desiderares. Lupus enim cum sis ipse, pastorem timidum canemque mutum velles invenire. Et cum ecclesiæ sis publicus prædo, contradictorem inveniri velles nullum. Sed ô importabilis sarcina! & ubi erit *Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus digni sunt morte?* Ubi quod dicit alibi idem: *Quicumque voluerit amicus sæculi hujus esse, inimicus Dei constituitur.* Ubi illud psalmistæ: *Si videbas furem, currebas cum eo?* Id est, consentiebas ei. Hæc ut opinor causa fuit discidii, hæc nota quod ingeris criminis, quod videlicet tu res omnes volebas tenere ecclesiæ: cum vero mercenarium tui non pastorem gregis esse Christi, hocque sibi displicere aliquo resistendi monstravit genere, regem te ipsa ethimologia pensus, ubi recte ageres furem, ubi sacrilegium perpetrares. Certum quidquid factum sit, quidquid perperam contigerit, ita enim sermo est agendus, ceu factum fuerit & contigerit: quod ne fiat & contingat, interdicere labor hic noster contendit. Numquidnam non debuit auctor facti judicio canonum prius legitime examinari, & si legaliter fuisset convictus, ipse suæ damnationis testis, judex & censor effectus, non jam damnaretur ut episcopus, sed eo, si ita se lex haberet, deposito, & alio ecclesiæ substituto, & iste pœnas, si velles, juste lueret pro commisso, & tam sacratissimum ministerium non violaretur in aliquo, & ecclesia mater per tam diuturni temporis spatia, tam nimia de perditione suorum filiorum non sustineret præjudicia. Ubi enim quos uno saltem paschali tempore eadem debuit parere filii ipsa vidua, ut ita dicam, sine consortio quamquam viri existente matre? In animo excedit dictum: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, cum & in primordialis virginitatis commendatione primi hominis prophetiam exponens Apostolus dicat: *Sacramentum*, inquiens, *hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in ecclesia.* Cui vero dicamus imputabitur quod tanta multitudo, quæ pie per gratiam Christi liberata, regna debuerat intrare cœlorum, impie derelicta cumulavit infernum? Nam, ut ad ipsum de quo superius satis prolixus est sermo habitus, modicum quid a proposito digressi redeamus, quorumdam, proh dolor! relatu cognovimus, quod eodem quo absens fuit paschali tempore, cum baptisterium non fuisset, chrisma deficiente qui daret, in eadem ecclesia celebratum, tanta clades in civitate contigit infantium, & hoc solummodo non baptizatorum, quantam nullus meminit umquam priorum: ita ut passim per domos a matribus non quidem sponte suffocati, unum totius civitatis facere possent, si tamen timore Dei eodem ullus esset in loco, lamentum, pro vindicta divinæ animadversionis lugentibus aliis, aliis tam temporalem quam æternam & natorum & genitricum mortem plangentibus. Quid igitur super hoc dicamus? Judex ille dicturus est, cum venerit terribilis, qui primum venit quærere & salvum facere quod perierat

Margin notes: Jer. 47. 6. — Ibid. 11. — Rom. 1. 32. — Jac. 4. 4. — Psal. 49. 19. — Matt. 19. 6. — Eph. 5. 32.

mitis, nisi se frustra, quantum ad ipsos spectat, venisse, frustra illos quæsisse, nescio quo, ipse viderit, si tamen ita catholice metaphoricos scilicet, dici possit, abscondente ne inveniri & salvari possent frustra actionarios, qui eos unde unde colligerent constituisse frustra sanguinem suum pro eis dedisse conquerendo clamabit? Esto episcopus deliquerat, quilibet eorum quid deliquit? Christus in quo aliquem, ut hoc pateretur, læsit? Ecclesia quid commisit? Quod si peccato delinquentis exsulati imputandum censes, bene consentiamus: tamen nec tu, auctorem autem facti alloquor, Dei judicium evades, immo tanto majus duruit quod senties, quanto de ejus injuria tuam visus es vindicare: cum ille te suo exemplo, utpote qui propter multa similia, si tamen posset aliquid huic inveniri simile, quod diatim committis, te adhuc patienter etiam in isto ut resipiscas spectat, monet non solum ut in illam causam non referres, sed ut nec fratri malum pro malo, quin magis bonum pro malo rependeres, ut filius tanti patris esse mereceris: quod quia refutasti, vide cujus filius, cum nonnisi duo patres, sicut nonnisi duæ sint generationes, merearis vocari. Forsan autem ut & hoc aditum super eo consultus respondere tibi propheta potuerat

4. Reg. 6. 22. rat Helisæus. *Non*, inquiens, *percuties: neque enim eum cepisti gladio aut arcu tuo ut percuties.* Quid autem in illo supplicio, quod tu illi juste quidem secundum te, injuste autem & Deo penitus execrabili, sæculoque Christiano penitus injusto ordine quantum ad officium intulisti, Deus indulserit sicut latroni in cruce, & quibusdam aliis legimus contigisse, qui pro criminibus dati suppliciis, Christi gratiam in ipsis meruerunt tormentis? Numquidnam putas & Deum tantum sui regni dispendium relinquere impunitum? Nam si quid iste deliquit, tu injuriis emendasti, quod tu agis,

Job. 34. 11. cujus judicio committis? Nempe *Deus*, ut in Job habetur, *nil inultum abire patitur.* Ipse quoque etiam, si tu errare velis, & quasi dissimulando abscondi, ut dicit Apo-

Gal. 6. 7. stolus, *non irridetur.* Numquam vero scelus scelere vindicandum testatur Sapientis proverbium. Perturpe est enim quod objicitur in objiciente cognosci, & scelestum a scelerato damnari. Tantis igitur tamque terribilibus sententiarum tonitruis ipsam judicii tempestatem, quæ in turbine veniet, præeuntibus, non solum experrectus, sed & perterritus, ab afflictione cujuslibet ecclesiastici, licet minimi, licet negligentis, contine quæso vim, linguam & manus, ne forte Deo per te illos, ut jam alios per alios corrigente, eruditi stent, & illi cum aliis in magna constantia adversum te, qui eos angustiasti, tuque cum tuis gemens præ an-

A gustia spiritus, seroque pœnitens, incipias dicere illis te judicantibus districte: *Hi sunt* Sap. 5. 3.
quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinem improperii. Hæc tibi quantum ad rem breviter, cum possem infinite, volui demonstrare, etsi ignarus horum in hoc nefandissimum & singularis contra Deum rebellionis facinus incurreres incautius, pœnas ego pro tui perditione luerem, quandoquidem alia minoris valde periculi pandens, dum istud tacendo recusarem interdicere, viderer sparsisse. Sed ut ad aliquem horum, quos nunc boreæ divisimus, tetrarchiam satis strenue novi gubernare hæc

B cuncta referam, otiose me ista prælibasse puto, in quantum te Christianissimum fore conspicio, nec tyrannide imperium, nec potestatem insania commutavisse. Tantos etiam tales & tam maximi numeri sciam adhuc in ecclesia doctores haberi, ut si, quod absit, ... impelleris hujusmodi, ab his satis valeres coërceri. Væ enim ipsis, si aut te, Deo posthabito, tantum timeant, cum ejusdem qua illi conditionis, ejusdem sis pulveris, nihilque nisi permissus possis. Potestatis autem auctoritate ab eis diu multum supereris, aut in tantum odio ha-

C bent, cum sis eorum tu ovis, filius, defensor, advocatus, atque patronus, & forsitan, quod adhuc, licet ex malo est, amplius atque onerosius aliquo eis sacramenti genere confœderatus: cum veracissima illa sit Clementis papæ sententia, quia unicum negligere non minus est quam odisse, & verissime. Qui enim, ut ait sapientium quidam, succurrere perituro potest, dum non succurrit, occidit. Væ etiam adhuc eis imminet deterius, si cum sint canes ad hoc Domini præpositi ovibus, ut eos latratu a

D luporum defendant semper incursibus, adeo obmutuerint, ut non solum easdem defendere, sed & jam unum quemlibet suorum, licet debilem & inutilem, omnigenoque ægritudinum genere confectum nulli etiam usui penitus aptum, tamen eorum consortem, canem quoque & pastorem vocatum, permittant ore pessimi & inauditi generis silentio infelicissime per quemdam ejusdem ordinis obturato, coram suis a quolibet strangulari, cum veracissime sit dictum in causa ejusdem negotii: Mortem languenti, qui cum potuit non abstulit, infli-

E xit. Nam si tanta hodieque, ut jam fecit, fervesceret rabies, nonne debuerant hac occasione pro fratre, immo pro Christo suas sponte gladio submittere cervices? Nunc vero cum tam clementissimæ quivis nostrûm sit lenitatis, tam obedientissimæ Deo voluntatis, tamque affabillimæ hominibus benignitatis, ut quibuslibet precantum precibus liberalis firmum præbere non moretur assensum, magisqqe ignorantia quam malitia in quempiam proruat

lapsum: quod, rogo, excusationis sibi obtendere valeant velum, nisi quod videntur omnino seipsos negligere, dum sibi non prospiciunt, dumque te forsitan proditum iri, quandoquidem sinunt, cupiunt, semetipsos interficiunt? Nempe audeo incunctanter dicere, nec in eo mihi videor errare, quia nullus consilium, consensum vel adjutorium in hujusmodi labendi crimine tibi valet, vult, aut audet tribuere, nisi qui Deum aut non novit, aut negavit, aut vitæ regni atque honoris tui, præsentis scilicet & futuri, proditor esse velit, vel etiamsi nescias sit aut sacramentum, quod tibi fecit, aut non intelligit aut non recolit, dum illud tam perverse negligit: *Intelligite hæc qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.* Tu vero, bone rex, Christianissime princeps, dum te ab istis similibus prudentissime caveris respectu illius a quo quotidie prosperis ad vota successibus attolleris, debella post hæc hostes, conserva cives. accipe, si accipis ab extraneis, da tuis; & ut minaris, & quorum uteris sæpius obsequiis perpende. etiam nomen in græco officiale tuum, & inter græcam latinamque illud interpretando formam agnosce, te populum portare debere, non premere. Esto superbis erectus, humilibus vero submissus, mitis cunctis, affabilis universis. Discretus, munificus, moderatus, potentiam propter utilitatem cogitans, propter timorem dissimulans. Audi sapientiam dicentem: *Misericordia & veritas custodiunt regem.* Itemque: *Tolle impietatem de corde regis, & roborabitur clementia thronus ejus.* Cui illud quoque vulgare videtur concinere, quia non debet habere potestatem, qui non habet patientiam. Dilige itaque juxta cujusdam sapientis dictum, jure bonos, & miserescere malis. Res enim, secundum alterius proverbium, optima est, non sceleratos extirpare, sed scelera. Eleemosynas non solum assidue, ut alii, sed continuatim facito. Dicerem etiam tibi, sed timeo ne succenseas, sed tamen facias necne non audeo reticere. vereor enim quod in evangelio audivi pridie: *Qui me erubuerit & meos sermones, & hunc filius hominis erubescet cum venerit in gloria sua & Patris & sanctorum angelorum.* Quid est, inquis, quod dicere cupis? Vide, aio, unde facias eleemosynas, quibus, cur, qualiter, unde, hoc est, ne alii tuleris. *Qui enim offert sacrificium ex substantia pauperis, sic est quasi qui victimet filium in conspectu patris sui.* Nam etsi de mammona iniquitatis juberis amicos facere, non hoc ideo ut alii auferas inique, quod alii tribuas benigne; sed ut noveris divitias undecumque fiant collectæ de iniquitate procedere. omnis enim, ut ait Hieronymus, dives, aut iniquus, aut iniqui est heres. Iniquum est enim, ut quod Deus

Psal. 49. 22.
Prov. 20. 28.
Ibid.
Luc. 9. 26.
Eccli. 34. 24.

A omnibus contulit generaliter, quidam congregent singulariter. aut iniquus ergo si congregat, aut iniqui heres si congregatori succedit: lucrum autem sine damno alterius fieri non posse & vetus proverbium & quotidianum approbat experimentum. Et ideo mammona iniquitatis divitiæ appellantur, quia qui eas colligunt suadente spiritu philargyriæ, qui punice illo vocatur nomine, injuste omnium generalia sibi faciunt specialia, sicut e contra de dispergente & dante pauperibus dicitur, quia B *Justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Quibus facias, id est, primum tuis, inde universis. Quid enim affert quod tuum bubulcum nudum dimittis, alterum vestis? Cur facias, id est, primum pro debito; dispensator enim es eorum quæ tibi contulit, immo commisit Deus; & ideo multa commisit, ut plurimum eroges. deinde pro statu & pace regni tui. Hinc demum pro præteritis & quotidianis & tuis & tuorum facinoribus, quia multa tui audacia, tui auctoritate, tui obtentu contra rem aguntur a tuis, quæ tu etiam nescis. Periculosa enim est, ut ait quidam, domus sarcina, & ipsi C domino vehementer onerosa, si moribus vitiosa sit familia. Unde ille rex potentissimus, fortissimus, justissimus, temperatissimus, prudentissimus, sanctissimus, quem tu quoque debes imitari, clamabat: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce servo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero & emundabor a delicto maximo.* Ecce quantum istud metuebat delictum, quod vocabat maximum. Ut enim ante nos est dictum, quidquid a te procedit in te recurrit, quicquid etiam a discipulis delinquitur ad magistrum respicit. Postremo, D ne securitate eleemosynarum futura & quotidiana criminosa etiam velis admittere, sed præterita deleas, præterita vel futura caveas. futura autem dico, non quæ velim ut veniant, sed quæ evenire nisi caveantur poterant. Quod alterius quam mea quæ nulla est præter officium, auctoritate tibi suggerere malo, siquidem etiamsi illud digne depromere valerem, non a te libenti animo percipi scirem. Difficile enim, docente Gregorio, esse scio, ut quamvis recta prædicans, qui non amatur, libenter au- E diatur. Adsit ergo hic augustæ recordationis ille Aurelius, aures tui cordis decacordis suis mulcens modulatibus. Exercete, inquit, vos in misericordia, in eleemosynis, in jejuniis, in orationibus: his enim purgantur quotidiana peccata, quæ non possunt nisi subripere in animam propter fragilitatem humanam. Nolite illa contemnere quia minora sunt, sed timete quia plura sunt. Attendite, fratres mei, minuta sunt, non sunt magna. non est bestia quasi leo,

Ps. 18. 13.

leo, ut uno morsu guttur frangat, sed & plerumque & bestiæ minutæ multæ necant. Si projiciatur quisque in loco pulicibus pleno, numquid non moritur ibi? non sunt quidem majores, sed infirma est natura humana, quæ etiam a minutissimis bestiis interimi potest. Sic & modica peccata attenditis, quia modica sunt, sed cavete quia plura sunt. Quam minutissima sunt grana arenæ; si arena amplius in navi mittatur, mergit illam ut pereat. Quam minutæ sunt guttæ pluviæ, nonne flumina implent, & domos dejiciunt? Ergo ista nolite contemnere. Sed dicturi estis: Ecquis potest esse sine istis? Ne hoc dixeritis, quia vere nemo potest. Deus misericors videns nostram fragilitatem, posuit e contra remedia. Quæ sunt remedia? eleemosynarum, jejuniorum, orationum. Ipsa sunt tria; ut autem verum dicas in oratione perfectæ implendæ sunt eleemosynæ. Quæ sunt perfectæ eleemosynæ? ut ex quo tibi abundat, des ei qui non habet, & quod vel cum te lædit aliquis, ignoscas illi. Sed ne putetis, fratres, quia facienda sint quotidie adulteria, & eleemosynis quotidianis mundanda. Ad ea scelera majora non sufficiunt quotidianæ eleemosynæ, ut ea mundent. Aliud est ubi mutes vitam, aliud ubi toleres vitam, illa mutanda sunt, ut si mœchus eras, jam non sis; si fornicator eras, noli fornicari; si homicida, noli esse homicida; si ibas ad mathematicum, vel ad ceteras pestes sacrilegas, jam desine. Arbitrabaris hæc, nisi fieri desinant, quotidianis posse eleemosynis mundari? Illa dico quotidiana peccata, quæ aut per linguam facile committuntur, ut est verbum durum, aut cum labitur quis in risum immoderatum, aut in hujusmodi nugas quotidianas. In ipsis etiam concessis peccata sunt; cum ipsa uxore si exceditur concumbendi modus procreandis liberis debitus, peccatum est. ad hoc enim ducitur uxor, quod & tabulæ indicant, ubi scribitur liberorum procreandorum causa. Quando tu uti uxore amplius quam necessitas procreandorum liberorum cogit volueris, jam peccatum est, & ipsa talia peccata quotidianæ eleemosynæ mundant. In ipsis etiam alimentis, quæ utique concessa sunt, si forte excedis modum, & amplius accipis quam necesse est, peccas; quotidiana sunt ista quæ dico: tamen peccata sunt & non sunt levia; quia vero quotidiana sunt & plurima, timenda est ruina multitudinis. Talia peccata dicimus, fratres, quotidianis mundari eleemosynis. Item post aliquanta. Quanta donatis histrionibus, quanta donatis venatoribus, quanta donatis turpibus personis qui vos occidunt. Per ipsas enim exhibitiones voluptatum interficiunt animas vestras, & insanitis quis plus donet, si insaniretis quis plus servet, non essetis ferendi. quis plus servet insanire, avaritiæ est, quis plus donet insanire, profusionis est; nec avarum te Deus, nec profusum te vult. collocare te vult quæ habes, non projicere. Certatis quis vincat in pejus, non datis operam quis sit melior: atque utinam non daretis res vestras, & diceretis: Christiani sumus. Ad favorem populi projicitis res vestras, contra jussa tenetis res vestras. Ecce non jubet Christus, rogat Christus, eget Christus. *Esurivi*, dicit Christus, *& non dedisti mihi manducare*; egere voluit propter te, ut haberes ubi seminares terrena quæ dedit, & meteres vitam æternam. Videtis, fratres mei, Christi misericordiam. Deo gratias, quia pericula mortifera viventes audistis. Nemo vos fallat, odit ista Deus, vindicat ista Deus. Eia, optime princeps, quis tibi hodie ista dicere auderet? Nempe si ego dixissem, aut degenerem vel bacularem appellares, aut insanire me diceres. Ipsos etiam bromios nequirem ferre tuos, eorum in me convitia nulla caperet mensura. Verum hujuscemodi fuit antiquorum constantissima severitas, quos mira comitabatur sanctitas, dum purissima afflaret veritas, ferventissima accenderet charitas. Cum talibus quoque res agebatur, qui ne irascerentur nil omnino metuebatur, dum illi sibi in talibus consuli omnimodis gratularentur, sicut clementissimæ recordationis imperator sub hisdem temporibus egit Theodosius . . . . ut impleatur quod per prophetam dictum est: *Disperdet Dominus caput & caudam incurvantem & refrenantem in die una.* nemo invenitur, sicut nec in docentibus mendacium, ita nec in conventu longævorum, qui tuum tibi audeat monstrare, saltem aliquo, ut Nathan David, ingenio periculum, cum non sis, quod Deus omnino avertat, filius Belial, ut nemo tibi possit loqui, neque in eorum, Deo gratias, te sciam currere velle numero, de quibus dicitur quasi de uno: *Considera opera Dei, quia nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Ideoque timendum est, ne ad euge perpetuum comparandum in illo examine nullius pene istius ævi alloquatur actio Domini dicens: *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar.* Manifestato illorum peccato, a quorum te Deus separet consortio, qui dixerunt domino Deo: *Recede a nobis*, dum prædicatoribus scilicet non obaudierunt ejus appropiare cupientis, & inambulare, & habitare, & cohabitari, ut esset illorum ipse Deus, & ipsi ejus populus desiderantis. E quibus duobus, ut evadas alterum, ut nanciscaris [alium] perexpediamus quod de eleemosyna cœpimus, ut ita demum de ceteris ad id pertinentibus te copiosissime instruamus.

Matth. 25. 42.

Isa. 9. 14.

Eccle. 7. 14.

Ps. 118. 46.

Vide qualiter facias, hoc est humiliter, non superbe, ne tibi contingat cum Pharisæis audire: *Amen dico vobis, recepistis mercedem vestram.* (Matt. 6. 2.) Quid enim debet quis superbire de eleemosyna, cum etiam si fieri posset, Jacobo Johanneque non posse fieri testantibus, quorum unus, *In multis enim*, (Jacob. 3. 2.) ait, *offendimus omnes*; alter tamen, non sua est quam largitur pecunia? Ideo enim justitia vocatur & non misericordia, quia ejus est quæ datur pecunia qui præcipit ut agatur eleemosyna, quam si fideliter erogas, pro justitia coronaris; si avare retines, pro justitia damnaris; si arroganter tribuis, de fraude judicaris. Fraus enim est rem commissam non ad committentis, sed ad proprium libitum, ad proprium redigere vel dispergere favorem. Quod si pro peccatis agitur, exinde superbitur, tale est ac si quis ægrotus substantiam suam in medicos effundat, atque in phrenesim actus, quod ægrotando ad hanc devenerit necessitatem gaudeat, ... quod necessitas immo insania est deputet, cum melius illi esset, ut sanus suas divitias possideret, quam infirmus perderet. Nec hoc me ideo autumes dicere, quod velim in aliquo nomine opera levigare, quasi astruens meriti nullius esse pro peccatis elemosynam facere. Non hoc astruo, quin potius pro posse contra venio. quod enim majus peccatori meritum, quam beatitudo, quæ paratur indulgentia peccatorum? *Beati* (Psal. 31. 1.) enim *quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata.* Non perdit itaque substantiam, qui pro peccatis agit elemosynam, cum ut juste videri potest, ideo eam susceperit, si tamen non malo aliquo, sed eam adquisivit labore vel ingenio, at vero fecerit, nec tamen & in hoc illius deest misericordia, qui quærit & salvum facere quod perierat venit. Adest enim regula talium magnus ille gratia, licet pusillus statura, Zachæus; adest, inquam, clamans. Sed inspiratus: *Ecce*, inquit Domine, *dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si* (Luc. 19. 8.) *quid aliquem defraudavi reddo quadruplum.* Sed quis novum, inquis, utrum hoc facto placuerit? subjecit evangelista dicens: *Ait autem* JESUS *ad eum, quia hodie salus domui huic facta est, eo quod & ipse filius sit Abrahæ*, imitatione utique, non genere. sicut enim Abraham Dei præcepto reliquit Chaldæam, ita iste Dei dilectus abdicavit avaritiam. Non perdit, inquam, substantiam, qui pro peccatis facit elemosynam, immo ex ipsa adquirit veniam, per Dei gratiam extinguit sibi gehennam & præparat vitam æternam. Perdit autem substantiam, qui dat propter vanam gloriam, immo adquirit sibi pœnam, & Dei iram; pœnam, propter fraudem; irã, propter superbiam, fraudem quam? Illam quam jam diximus rem commendatam usurpando ut propriam, & ad suæ elationis dispergendo libidinem, cum utique hoc facto nil aliud, ut omnem computem summam, sit exinde capturus, quam ventum inanem, hoc est, adulantium favorem, & forte nec ipsum invenit quem toto annisu quæsivit. Iram autem Dei quam provocat invenit, eumque sibi inimicum adquirit, quem illo opere sibi reconciliare debuit. *Deus enim superbis resistit* cum è contra *humilibus det gratiam.* (Jac. 4. 6.) Est autem præter hos quintus elemosynæ modus, cui sextus præstantior multum ceteris fraterni sit remissio excessus, quem sequitur septimus cum exhortatione pia alimoniam ignoranti verbi porrigimus, quem videlicet quintum tactis breviter sequentibus, non ex meis proferre, sed ex illius, quem superius introduxi, malo dictis, ne scilicet me mei causâ finxisse dicere velis. Ait autem idem hoc sensu, iisdemque verbis: omnibus quidem misericordia inopibus jure debetur; sed major quædam, cum ex divitibus atque nobilibus in ultimum statum atque egestatis necessitatem aliquos ærumna dejicit, miserationis pulsat affectus. habes parva, sed prudenti sufficienter dicta, elemosynæ faciendæ documenta. transeamus ad cetera; sed urget animum sententia ab infante quidem mihi* percepta, sed ut puto (*f. proposita.) non primitus pueriliter inventa, cum præter id quod est sapientissima, sit etiam veracissima. Nam interrogatus, me audiente, quidam puerulus a quodam jlocaliter, cujus homo esset rex, continuo nil etiam hæsitans respondit: cujus opera facit. quod cum pro tempore non parvum stuporem ingessisset mihi, cognovi quodam referente id proverbium in concionibus celebrari, conversusque ad Deum optavi ut & id ita, ut mihi, audire contingeret tibi, quatenus illud cum dominica voce conferens dicente: *Nemo potest duobus Dominis servire*, reminiscens etiam dictum esse, *Qui facit peccatum, servus est peccati*, & quia *a quo quis superatur ejus & servus est.* (Matt. 6. 24. Joh. 8. 34. 2. Pet. 2. 19.) pessimum non modo Dominum fugeres; sed nobilitatem tuam moribus vindicans erecta cervice illi resisteres, eique subdi dedignatus optimi Domini totus esse contenderes, nec alterius homo, quam qui te ut homo esses, immo ut ceteris hominibus præcelleres, fecit esse, ejus opera faciendo certares. Scimus enim præ ceteris tibi sollicitius fore cavendum, ne quando rex Babylonis interfectis filiis; quod timemus, tuis, id est dissipatis, si quos Deo generasti bonarum cogitationum operumque fœtibus, vel certe commissis, tua culpa aut exemplo perditis in Reblatha, quæ interpretatur multa, hæc quæ & a Domino lata & spatiosa sæculi hujus vocatur ad perditionem ducens via, dum contra illum brachium pro natis interfectis, pœ-

nitens scilicet pro excessis, moribus in melius commutatis, armis justitiæ correptis, non erigis processu impiæ dominationis, ipsis etiam luminibus orbatus, in carcerem ab eo trudaris, ut sicuti Sanson ille quidem fortissimus, femineis illecebris enervatus, ad molam deputeris, cujus in gyro impii ambulant terrenæ & inexplebilis sollicitudinis, hoc est visu rationis, quo te tibique commissos debueras prævidere, adempto, carcerem improvidus subeas æternæ perditionis, solet enim miserrimæ animæ id sæpe contingere, ut dum virtutibus paulatim quotidie deficientibus, humeros mentis ad reparandum in pristinum aut certe meliorem non exerit statum, crescente miseria, ad hoc deveniat, ut regnante peccato in mortali ejus corpore, ita ad obediendum ejus subdatur concupiscentiis, ut lumine ipso carens rationis, nec acta recolat, nec agenda videat; quod ne tibi contingat, illis fortissime repugnando a corde tuo expelle Dominum, jugum Christi suave & onus ejus leve assumens, subjectos provido regimine sub te illi militare non tantum præceptis quam exemplis facito, ut sine fine regnare merearis cum ipsis. Et ne, rogo, flocci pendas tametsi a puero prolatum tam salubre, licet permodicum, superius documentum: quandoquidem, ut hodierna monet solemnitas, ipsi Deo testimonium placuisse noveris, etiam non loquentum. Neque etiam ut jam iter carpamus arreptum, tibi omnia licere putes exequi, quæ voluntas suggerit cordi. cum audis quia cor regis in manu Dei, scias tribus ut investigare quivimus modis hoc posse intelligi, quorum prior tibi, alter subjectis, sequens generaliter congruit omnibus, qui & firmius tenendus & sollicitius est servandus. Nam ut de primo dicamus tecum, scias cor tuum in manu esse Dei, & tunc noveris eum illud dirigere, cum quod præcipit corde percipere, opere studueris implere. cor autem, non illam quæ sub costis latens ita appellatur carnis particulam, ex qua rivi prodire noscuntur venarum, dicimus; sed illam vim qua cogitationes fiunt; quæ ut & majores senserunt, & magnus quoque dixit pater Augustinus, ideo hoc appellatur nomine, quia sicut motus non cessat, unde sese pulsus diffundit, usquequaque venarum in corde, ita non quiescimus aliquid cogitando versare. Ex toto itaque isto corde, hoc est ista vi animæ præcipimur Deum diligere, ex ista denique vocantur excordes, concordes, discordes, vecordes & socordes. inde quibusdam dicitur: *Redite prævaricatores ad cor*, ut intelligant se amentia agi, non corde regi, dum suam volentes statuere, voluntati Dei nil nisi justum & bonum amantis dedignantur se subdere, nec cor ad id Deum vertere, sed adversa- Isa. 46. 8.

A rium amentiam implere. secundo hoc ideo dici agnoscas, ne quis tuam plus justo timeat iram, aut ambiat gratiam: *Bonum est* Psal. 117. 9.
enim sperare in Domino, quam sperare in principibus, cum etiam *maledictus* ab alio dicatur propheta, *qui spem suam ponit in homine.* itemque per alium: *Ego Dominus formans lu-* Isa. 45. 7.
cem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. dicendo enim cor regis in manu Dei, quocumque voluerit vertet illud. vult omnes monere, te nil posse perficere iratum, nisi quod ipse permiserit; nec concedere placatum, nisi quod ipse voluerit. quocirca se solum timeri, se solum amari,
B sibi omnino nil cupit conferri, nedum præferri. quod una sententiola breviter pulcherrime est ab Apostolo comprehensum: Deum timete, regem honorificate. Ac si dicatur: Dominum timere, ministrum honorate: sed cur mutando verbum levigo dictum? *Deum timete, regem honorificate* di- I. Pet. 2. 17.
xit; nec perfunctorie quidem, ut autumo, honorariis enim aliorum redderis obsequiis, qui ex te ejusdem es conditionis. ut enim potens esse possis, non in te; sed in servientium manibus situm veracissime noveris. unde & quos terres ipse plus metuis. Me-
C tiri autem sese quemquam dicit, ut Avienus dicit, propriisque juvari laudibus, nec alterius bona ferre, id est, computare sibi. Vide ergo ut & tuis honoretur ille servitiis, cujus honoraris præceptis, alienisque utens bonis, ingratus largitori ne extiteris. Nam cum alibi dixisset: *Subditi estote omni huma-* Ibid. 13.
na creaturæ; statim intulit: *propter Deum.* Hoc est honorate creatum propter creatorem; subdimini facto, non facti, sed factoris amore; *sive regi*, inquit, *quasi præcellenti*, subaudis propter Deum. Videlicet ut
D agnoscat quanta reverentia ipse debet creatori subici, cum tanta illi impenditur a creatura conditione consimili, quid sibi exigit jure omnium Dominus, dum tanta exigere videtur communis naturæ a conservis servus? *Deum timete, regem honorificate.* Timete flagellantem Dominum, honorificate ipsum per quod ab eo corrigimini. Metuite patronum, honorate quo sustentamini baculum. veneramini patrem, nec vilipendatis qui vos erudit auctorem. Paveте ad vocem genitoris, nec spernatis per-
E sonam tutoris. Ita enim dicitur, cor regis in manu Dei, quocumque voluerit vertet illud, sicut omnia quæcumque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis, & in manu ejus omnis finis terræ. cujus ista allegationis tota est summa, nisi fallor, iste est finis: Quicquid fit, quicquid factum est, quicquid fiet, res fit, corpus fit, actio fit, passio fit, aut disponente & volente, jubente, adjuvante, perficiente eo, aut annuente, concedente vel permittente eo, agitur, disponitur, &

perficitur; nilque, neque ab homine, neque ab angelo, neque a bestia ulla, aura ulla, elemento ullo, serpenti, verme, ipsa denique musca alicui potest contingere, quod sine ipsius nutu, voluntate & potestate valeat evenire. Quo etiam illud conficitur quod a sapientibus jam definitum firmissime tenetur. Quod tamen, ut ait qui superius satis lepide, non nisi perpurgatæ animæ possunt conspicere, tanta scilicet Dei providentia justitiaque gubernari omnia, ut nulli, nec ipsa mors inique possit accidere, etiamsi eam iniquus forte videatur inferre. in naturis quoque nullam esse quæ non ab illo sit, in voluntatibus vero nullam bonam esse, cui non prosit; nullam malam, qua bene uti non possit. Bipertito enim, ut & idem beatus & eloquentissimus doctor Augustinus luculentissime dicit providentiæ nutu, præesse universis certissime creditur creaturis, naturis quidem præstans ut sint, voluntatibus vero ut nil absque illius jussu vel permissu possint. Quod utrumque in Job passionibus patet manifestissime, qui frustra & non frustra, & Dominica assertione, etsi apta pronuntiatione flagella dicitur suscepisse. Nam illi & diabolus omnia abstulerat, & tamen dicebat: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est.* Domino autem certum est nil nisi justum placere, ipse autem adversarius, qui contra Deum singulariter superbit, vires non tribuit suæ malignitati, sed Dominicæ potestati, cum dicit: *Extende manum tuam & tange cuncta quæ possidet.* ipse autem Dominus quid de minutis animantibus dicat audivimus, ait enim: *Nonne duo passeres asse veneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro?* Quid ergo mirum, si in manu Dei est cor regis, aut alicujus alterius hominis, in cujus manu est & penna minutissimi volatilis? aut quid in manu ejus non tenetur, qui cælum metitur palmo, & terram continet pugillo? Ne tibi itaque arroganter soli velis tribuere, quod constat omnes creaturas generaliter accepisse; ut cor tuum sit solummodo in manu Dei, extra cujus manum si aliquid est, perditum sine dubio est. immo audenter dico, quia non est: *Nihil enim*, dictum est ei, *odisti eorum quæ fecisti.* Et Apostolus: *Ex quo omnia, per quem omnia.* manum autem, id est potentiam ejus, aliud quid esse præter ipsum credere, non solum desipere; sed incomparabiliter est insanire. Sapere enim, posse, velle, vivere & intelligere idem est ei quod esse. Ne autem dum aliquid moliris, injuste Deum dicas ad id cor tuum vertere. Scito certissime illum nil mali velle, eumque nullius cor ad aliquod crimen impellere, sed diabolum, sed voluntatem propriam. quod facete, & quo non facetius quis, idem qui paulo superius, est prosecutus in epistola ad Hieronimum dicens: certus sum animam nulla Dei culpa, nulla Dei necessitate vel sua, sed propria voluntate, in peccatum esse collapsam. ipsum vero, sicut jam multipliciter diximus, occulto suo judicio, numquam vero injusto, etiam quod non vult aliquando permittere non denego; quin potius astruo. quare vero præter id quod superius exinde dixi, hoc aliquotiens contingat, reddit Apostolus causam in epistola ad Romanos dicens: *Quoniam cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt, & propterea tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut non faciant quæ non * conveniunt.* In quo studiose te admoneo, ne intelligas quod Deus aliquem malo tradat. Sed tradidit dicit, tradi permisit, sicut dicit: *Ego induravi cor Pharaonis*, id est, indurari permisi, & David *si Deus*, inquit, *concitat te*, id est, concitari laxat, & de Semei: *Dimittite eum ut maledicat, Dominus enim præcepit, ut malediceret David.* præcepit dicens pro sivit, & nos in oratione dicimus quotidie, *Ne nos inducas in tentationem*, id est, ne induci sinas, ceteraque his similia. Cum igitur aliquid boni facis Deo ascribe; cum aliquid mali, tibi imputa. ipse enim consuevit, ut superior quoque se habet sensus, licet nullo nostro merito, sed suo beneficio multa bona facere, non solum per nos, sed etiam de nostris malitiis, sicut nos è contra multa mala de ipsius agimus beneficiis. Hoc itaque ita se habente, nullius aut gratia, Deo relicto, ambiri aut potestas, etiamsi aliqua sit quæ se super regem efferat, debet formidari. illa vis singulariter amplectenda, illa solummodo est metuenda, quæ ad quoslibet usus voluerit, etiam ea quæ non diligit sibi servire compellit: in cujus gubernatione omnia non in suo sunt possidere relicta, cujus in laude quidam sapiens orator perorat sapientissime. Nosti enim Domine, inquiens, bona facere per iniquos, cum converteris ad adjutorium, quod paratum est ad nocendum. potius esse dijudicans læsionis ad utilitatem convertere, quam causas malorum radicitus amputare. Verum si omnia quæ hinc occurrunt, vel occurrere, si enucleatim exquirantur, possunt, velim congerere, fateor deficiet septimana, nedum dies sufficiat ipsa.

Ad tertium vero intellectus hujusce sententiæ accedentes, modum ipsum quem superius ut hoc expediat proferamus in medium. Itaque exponens dupliciter illum psalmi versiculum, ubi a quibusdam dicitur: *Anima mea in manibus meis semper* ab aliquibus vero *in manibus tuis*, & priorem quidem sensum non respuens, secundum vero sibi eligens, ille quasi cum securitate loquentium, iste vero de sola Dei pietate præsumentium videtur esse. His ait verbis: scit propheta ubi animæ suæ præsidium

Marginalia: Job. 1. 21. — Ibid. 11. — Matt. 10. 29. — Sap. 10. 25. — 1. Cor. 8. 6. — Rom. 1. 21. — * al. conveniant. — Exod. 7. 3. — 2. Reg. 16. 10. — Matt. 6. 13. — Ps. 118. 109.

sidium locet, unde opem speret, in manus Dei constituere vult animam suam, quia cor regis in manu Dei. Quicumque proprium corpus subegerit, nec ejus passionibus turbari animam suam rector sui congrua vivacitate permiserit, is bene regia potestate se cohibens, rex dicitur, quod regere se noverit, ne captivus trahatur in culpam, nec præceps feratur in vitium. Alius autem tanto lautius, quanto succinctius, inquit: Tu si animo regeris, rex es; si corpore, servus? Item vero alter vir ait: Habere honorem dabo tibi magnum imperium, & impera tibi. Hinc etiam est, quod usu locutionis communi ea quæ antiqua & recta est, regia dicitur via, & regia vocatur porta, qua intratur in aulam; regale insinuans fore quicquid recte incedens, viam quam & inter ortum aliis recti itineris & beatæ mansionis propriis monstrat exemplis. Ut enim & ethymologia ipsius innuit nominis, rex a recto dirivatum obtinens vocabulum, ostendit illi nil nisi rectum, ne scilicet a nomine discordet, agendum. Quid ergo mirum, si regia jure quælibet recte suum gerens corpus bona dicatur anima, cum regia recte deducens dicatur & via regia, qua non aliunde ascenditur, sed legitime intratur & janua? Nam & illud quod non parvam male intelligentibus afferre solet jactantiam, de Proverbiorum libro, hoc est, *divinatio in corde regis, in judicio non errabit os ejus*, de rege potius intelligendum alia translatio monstrat ita dicendo: *Nil falsum dicetur regi, & nil falsum exiet de ore ejus*, quia nimirum, ut & Beda exponit, nec ullo mentiente potest falli, nec aliquando mentiri. in ejus quoque regis hilaritate est vita, quia quicumque in illo supremo examine hilarem ejus vultum videre merebuntur, his in æternum cum illo vivere dabitur, de quibus in expositione superioris quoque sententiæ idem taliter ait: Quare cor regis in manu Dei esse, & non potius omnium hominum perhibet, cum scriptum sit, quia in manu ejus omnes fines terræ, nisi quia regem quemcumque esse dicit, qui vitiorum bella in se vincere & virtutum militia noverit stipari? Sicut enim Dominus multifidis aquarum divisionibus, terrarum fines & aëris late simul implet, tegit quoque aquis superiora cœlorum; ita cor regis quocumque vult inclinat; quia sicut divisiones gratiarum juxta voluntatem suam & angelis & hominibus tribuit, ita corda sanctorum quibuscumque voluerit digna donationibus reddit, neque ullum habet Pelagianista locum, quod absque Dei gratia quis salvus possit fieri. Ceterum ut jam sufficiant ista, quamquam modica, magna vero dicentium auctoritate suffulta, pauca tibi adhuc vivendi suggero dogmata, & sic te relicto, pergo ad

Prov. 16. 10.

A alia: hoc ante omnia proferens, quia justum est te legibus obtemperare debere. Tecum enim jura tua ab hominibus custodienda scias, si & tu illis reverentiam præbeas: Teneris enim tu, ut dicit Isidorus, tuis legibus, nec ipse damnare contra hæc faciendo, tua debes jura, quæ in subjectis constituis. Justa est enim vocis tuæ auctoritas, si quod prohibes populis, tibi licere non patiaris. Multos autem, ut ait veridicum proverbium, timere debet quem multi timent; & ut verbis jam dictis te alloquar, scias moneo, quia principes sæculi nonnunquam intra ecclesiam potestatis adeptæ B culmina tenent, ut per eamdem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Ceterum intra ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut, quod non prævalet sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. Ecce quæ & quare tibi potestas in ecclesiæ sit rebus concessa. ne ergo decidat a ministerio, priorum tuorum exemplo ecclesias Dei restaura, monasteria releva, opibus dita. erit enim forte tempus, quo & ipsæ expendentur pro salute tua. C Interroga quis regum anteriorum juste sapienterve incessit? quis voluntatem Dei, amplius ut faceret, quæsivit? quis jure populum rexit? quis ecclesias construxit, monasteria fundavit, xenodochia statuit? & illum amplectere, illum sequere, illum imitare. Cave ne umquam aliquis existat, qui possit suadere, ut aliquid ex his aut ad tuos aut ad tuorum auferas usus. Scito certissime, quia si illi mercedem pro dato, tu pœnam habiturus es pro ablato; si illi dando mercati sunt vitam æternam, tu auferendo adquiris gehennam. Res enim ecclesiæ igneæ. Nam nec eleemosynam exinde potes D facere, nec manducare, nec bibere, nisi aut ecclesiæ dono, aut tuo sacrilegio. Ipsum autem quid legibus mereatur non indiges doceri, qui & vindex a Deo & a populo constitutus es super hujusmodi. Noveris autem ecclesiæ Dei te advocatum esse institutum, non dominum. non enim matri dominari quis nisi absurde valet, tutorem non dispensatorem, quem scias esse, Domino docente, pontificem, patronum, non ministrum, quod eumdem esse ipsumquoque, si legis, potes invenire dixisse in evangelio Domini. Verere autem, ne si E plusquam perceptum est usurpare velis, pœnas pro invasione in judicio luere cogaris. Audi Dominum, ut etiam juxta litteram illud accipias, in evangelio dixisse: *Nolite sanctum dare canibus.* Audi eumdem per legem clamasse: *Quicquid Domino offertur sanctum sanctorum est, & ad jus pertinet sacerdotum.* Vide ergo sive tu, sive quilibet etiam eorum, ne quod alendis collatum est pauperibus, sive sacerdotibus pascen-

Matth. 7. 6.

dis, tribuas canibus. Inter hæc uxorem dilige, concubinarum consortia fuge. usus quidem prioris ævi iste fuit pro paucitate hominum; sed deficiente necessitate, debet quoque & quod propter necessitatem agitur, cessare; præsertim cum sciamus novum hominem nova præcepta dedisse. Ministros & consiliarios tibi tales elige, qui non tua, sed te probentur diligere; nec tantum morigeros, quantum amicos, id est animæ custodes, qui te scilicet corripiant in misericordia & increpent, neque oleo noxiæ vel mortiferæ adulationis caput, id est mentem tuam, demulceant. Cave etiam delatorum fallaciam, memento illorum fraude multorum jam innocentiam fuisse præscriptam, e quibus ut vel unum periculi causa memorem, scias Joseph carcerem subisse insontem. Agnoveris, Egesippo teste, numquam illos defore, si illis credulus volueris esse. Vide ne cum in edictis, epistolis sive decretis vocari ambias pius, in factis appareas impius; & ut aliquid de sæcularibus adhuc audeamus tangere, erubesce Sydon, ait enim mare. animadverte etiam, rogo, quid poëta tibi dicat, inquiens in satyra: Expectata diu tamdem provincia cum te rectorem acciperet, pone iræ frena, modumque pone & avaritiæ, miserere inopum & sociorum; sociorum, inquit, non servorum, non subjectorum: omnes enim in Christo, secundum Apostolum, unum sumus. Sed studebo jam te relinquere, ne alicujus videar velle mores carpere. simul etiam vel sero debeo meminisse, me contra flumen non debere natare.

Regina es? præter alias innumeras, multa etiam quæ & tibi jam superius posita competunt documenta, habes quas imiteris, Helenam scilicet Constantini post Mariam Christi, Radegundem reginam pariter & virginem, Rothildem Clodovei, & Placillam Theodosii. Has si volueris imitari, & hic sceptra feliciter regni præsentis, & illic ubi jam illæ præcesserunt, si tamen sequi non dedigneris, felicissime obtinere præmia valebis regni cœlestis.

Explicit liber quartus.

INCIPIT LIBER QUINTUS.

Mirari forte aliquem contingat cum tricipiti voluminum lintre contiguos proposuerimus æstus tentare, qua de re tam enormis in isto quem, Deo donante, transnatavimus granditatis, subierimus carabum impares, vel de ceteris finibus concedentes carinas. Sed noverit præter temporis incongruentiam, etiam aurarum maxime id expostulasse inconsonantiam, dum non unum aut duos tantummodo, sed plures qui infractis cautissime scopulis rectam per æquora deducerent puppim, res depoposcit naucleros. Nam dum gauderet pelago se jam exemtam nostri carina sermonis, brachia rursum fluctifragis concedere remis proxima monebat carybdis. Adeo his totum calamitatibus opus exstitit tempestivum, ut non mirum pertulisse naufragium, sed potius evasisse vivum, si tamen perevaserit nostrum nobis videatur nauclerum. Sed aggrediamur jam, Christo auspice, & hinc æquoris tametsi inæqualem, enimvero nec permodicum sinum. forsitan enim & hic aliquod pertulit periculum, ex quo gubernator cunctipotens omnium carabum liberet nostrum: unde plurimos, dum placidum adhuc modicum quid stat mare, advocantes socios, precemur, ut accipiant in modicos ducantque per æquora remos, citius optata ut tangat littora ratis, mortibus exemtum in nostris spectantibus nauticum reddens amicis. Eia igitur & novum da Deus auxilium, atque animis illabere nostris, ne a te in aliquo deviet nostri callis præstans sermonis.

Episcopus es? nomen ipsum, rogo, te admoneat, officium doceat, dignitas tanta conveniat, antiqua perpende, præsentia compone. Considera quam altum quod gestas vocabulum, quam sanctum, quam sit vetustum. Attende tuum in Abel sacrificium acceptum, munditiam in Enoch tuam translatam, te in Noë propter justitiam reservatum. Arcam intellige ecclesiam, animantia diverse distincta affectibus hominum genera, diluvium mundum, & evigila contra naufragium: si quando datur tranquillitas, cave ne subrepat ebrietas; perpende Melchisedech obtulisse panem & vinum, & regale tuum figurasse sacerdotium. Abraham fide qua vivis, si tamen juste vivis, placuit, & sacerdos ut tu quoque, si tamen es quod diceris, fuit. Isaac cum Rebecca quid nisi Dominus & ecclesia? Denique & ipse postquam est quia voluit oblatus, victimas sæpe obtulit, gregem pavit, puteos fodit, quos Allophylis implentibus alios rursum fodere non distulit, sibi laborans, te instruens, ut victimis assiduis, id est, mortificatione carnis & contritione cordis, domino Deo te ipsum quotidie in ara mentis offeras. sacerdotium tuum ipsi a quo illud accepisti commendes, puteos effodias, hoc est scripturæ abdita ab imis mysteriorum educens, rationalibus ovibus offeras tuis, ne ignorantiæ eas enecet sitis. Jacob caput in lapide ponens, eumdemque fuso desuper oleo in titulum erigens, nonne tibi evidentissime pandit super Christum caput mentis, cum a sæcularibus vacando dormitas curis vel actibus, per contemplationem debere ponere, ut angelorum ascensum descensum.

que merearis conspicere, id est, ubi sese divina cœlos super attollant eloquia. ubi vero vobis quo utcumque capi possint condescendendo, quasi ad nostrum concordent humilia debere intelligere, ipsam denique petram oleo misericordiæ & compassionis fraternæ superfundere, quod est ut semper superexaltes misericordiam judicio, ut eamdem & ipse consequi merearis a Domino, ipsumque Christum actuum tuorum caput, id est, initium & finem, & totius gloriæ tuæ spem, coronam, titulum, & veluti cujusdam super aggeres sibilis arcis esse debere insigne, hoc est, ut sobrius manens fratribus, mente autem excedens Deo, si quid gloriaris, in Domino glorieris. Denique Jacob fratrem subplantavit, greges pavit, uxores duas, quarum major lippa, sed fœcunda; minor venusti aspectus, sed infœcundi fuit conceptus, duxit: quem in his maxime omnibus nisi te docuit? qui diaboli astutias prudenti provisione illudere, activæ vitæ per exercitia pastoralis sollicitudinis, uberes operum fœtus gignere, per intentionem vero æthereæ contemplationis speculativa semper Deo debes quæ sunt quærendo, sapiendo, vel amando inhærere. Nulli enim pariter ista duo congruunt ordini maxime, quam pontificali excellentiæ. Joseph vero tunica talaris & polimita quid nisi tui sacerdotii designat insignia? Job pro filiis octavo die sacrificium offerens, eisque benedicendo sanctificans dictis & factis, quem potissimum quam te instruit? Moïses vero ipse pene totus tuus noscitur esse. Nihil enim in verbis gestisque ejus invenire poteris, quod si bene intelligas, aut ad litteram aut ad sensum, non imitari cogaris. Quid de Aaron ejusque filiis, Josue, Samson, atque omnibus Israël judicibus, Samuele quoque illo orationibus impetrato, in templo etiam nutrito, omnibusque ecclesiasticæ functionis infulis insignito, cum actus personæ ipsa etiam officiorum vocabula, tuos mores, tua jura, tui sacerdotii prædicent, instruant & pandant insignia? Veniamus ad David illum sanctissimum vatem, potentissimum regem, fortissimum bellatorem, pugnatissimum militem, acceptissimum Deo sacerdotem, quid in omnibus quæ de ipso leguntur erit, nisi te aut spiritualiter aut moraliter etiam in his quæ secundum litteram reprehensibilia videntur, quid ageres docuit? Denique pavit gregem, ursum occidit & leonem, ictu lapilli prostravit gigantem, cantu psalterii mitigavit dæmonem, inimico pepercit, filium fugit, coram arca Domini saltavit; quid in universis his moraliter spiritualiterque acceptis intelligis, nisi pastoris ecclesiastici fortitudinem, audaciam, orationum emolumenta, patientiam, exercitiaque divini cultus? Postremo rectæ prædicationis & vitæ schemata sacerdotalis. Salomon omnesque reges Judæ & Israëlis omnibus suis bonis actibus, ipsa quoque unctione, quem nisi te docuerint maxime? Prophetas quid opus est decurrere, cum prophetas imitari, prophetas exponere, propheta ipse quoque debeas esse? Siquidem, testante Domino, nova & vetera de thesauro cordis debes proferre. Machabæorum ala illa fortissima in omnibus præliis victoriarumque proventibus, quid nisi tuam contra visibiles & invisibiles hostes quotidianam orationis, prædicationis, piæque operationis prædicat pugnam, triumphisque promittit palmam, braviumque post victoriam? Hæc quidem de veteri, ut antiquitatem tui agnoscas atque amplectaris ministerii.

In novo autem testamento quæ lingua dicere, quis intellectus sufficit capere, quanta documenta tibi suppetunt vivendi? hic melius, ut reor, te alloquor, tuæque industriæ totum committo. Scrutare scripturas, divini eloquii libros revolve, apostolos aspice, martyres vide, confessores attende, ipsas etiam quæ cum sæculo & sexum vicerunt virgines contemplare, instauratos secundum Job contra te tot testes Dei perpende, pacem cum his, dum coambulant in ista præsentis itineris via, & tibi & eis consulens conciliare, & aliis ut similiter agant stude docere; neque enim aliter quod diceris mereberis esse.

Denique pondus quod te premit aspicito, onus quod ferre videris pensa, & si jam bonus es, si sanctus, si justus, si per cuncta irreprehensibilis, attamen considera tuos, tibi commissos attende, utrum & hi tales sint sollicite provide. Neque enim solus ut alii, sed cum toto grege Domino habes præsentari, nec ut referas prout gessisti tantum tui propria corporis gesta, sed totius tibi commissæ plebis. Si autem, ut levius graviora silens dicam, te præsentari contingat solum, ubi euge tuum? Quo ne careas, sollicite clamantem audi & consiliantem Sapientiæ librum: *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam.* (Prov. 6. 1.) Fac ergo quod tibi utile est, & temetipsum libera, quia incidisti in manus proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum tuum, & non dormitent palpebræ tuæ. Audi & per Ezechielem tibi clamantem Dominum: *Speculatorem te dedi domui Israel*, & cetera (Ezech. 3. 17.) de te in eodem libro, quibus nil comminatius. Jeremiam quoque conquerentem in Threnis: *Parvuli petierunt panem, nec erat qui frangeret eis.* (Thren. 4. 4.) Expergefaciat te illud saltem vel judicii tonitruum: *Serve male*, (Luc. 19. 23.) inquiens, *& piger, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens utique cum usura exegissem illam.* Et hæc quidem tor-

pentibus & desidiosis. quid vero putamus illis manere improperii, qui cum nullam doctrinæ acceperint pecuniam, impudentia & fronte canino de non concesso quasi concesso gloriantur talento, qui passim prorumpunt pastores vocari, cum nullas vitæ pascuas noverint, & dispensatores dominicæ videri volunt substantiæ, quos constat inediæ peste laborare? Quid autem, quæso, erogat qui nihil accipit? quid dat qui nihil habet? quid ministrat qui omnibus indiget? Dicente autem patrefamilias, *Pasce oves meas*, unde, rogo, eas pascit, qui ipsa adhuc pascua nec ipse invenit? Cum autem fidelis debeat fore dispensator & prudens, quem Dominus super familiam suam constituit, ut det illis in tempore tritici mensuram, quid dispensat qui ab eo quod dispensari debet, ipse jejunus & stultus laborat? quod triticum erogat, qui penitus & quid sit triticum ignorat? Hinc mecum valde metuo, ne contingat audire: *Amice, ad quid venisti, aut quomodo huc introisti*? quo ostio? qua janua? quibus meritis? qua prærogativa? virtute an sapientia? an doctrina? ac forte, etsi defuit prædicationis gratia, commendavit te vitæ innocentia? Nonne prædixi tibi quod & ipsis carnalibus oculis cernere potuisti, dicens: *Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt*? Quid tibi convenit quod non potuisti tentare? quid tam onerosum tollere jugum, qui portare nec poteras temetipsum? Et qui tuæ tenere moderamina non noveras vitæ, judex fieri ut quid ambisti alienæ? Quomodo suadere tibi Sapiens non potuit ille qui dixit: *De re quæ ad te non pertinet ne sollicitus fueris*. Ubi, rogo, aures habebas quando dicebatur: *Altiora te ne quæsieris*? Ubi non solum tibi, sed & omnibus qui sub cœlo sunt, sapientia, sermone, & virtute, utpote Dei colloquiis assueto indicibiliter præstantiori dictum legebas, ultra vires tuas esse negotium? Quomodo tibi sonuit, quomodo non commovit, non terruit, non ab incœpto revocavit evangelicum illud: *Succide illam, ut quid etiam terram occupat*? Quid de te cogitabas, cum me conquerentem audiebas: *Tenentes legem nescierunt me*? Psalmus quid tibi suadebat dicens: *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant, movebuntur omnia fundamenta terræ*? Et qui te diversis vitiis & passionibus terreni corporis ob ignorantiam, qua non solum alios ferre, sed te quoque in soliditate morum non noveras continere, desuper posito tibi totius domus Dei onere censebas contingere, nisi commoto fundamento casurum sine dubio, & id quod erat superædificatum?

Joh. 21. 17.
Matt. 22. 12.
Matt. 15. 14.
Eccli. 3. 22.
Luc. 13. 7.
Jer. 2. 8.
Psal. 81. 5.

Hæc vero cum in semetipsis nimium gravia, in comparatione graviorum videantur levia, ipsa graviora partim tangentes, non prout sunt omnino proferentes, siquidem & facundiam superant non modo nostram, sed & loquacissimorum quorumlibet æstimationem. Quid his putamus manere tormenti, qui non solum pascere, etiamsi ad hoc videantur idonei, gregem sibi negligunt commissum? sed ad insaniam quoque tanti quod gestant nominis, semetipsos agere non desinunt per abrupta vitiorum, qui ludis sæcularibus, venatibus, & illecebrosis jugiter occupantur aucupiis, qui teutonico ritu soliti torquere cateias, sanctas penitus desuescunt scripturas, qui Deo exuti, mundo induti, ipsis laïcis non timent vestibus indusiari? Quid vero de laïcis conqueror, cum viderim persæpe quosdam peregrini ritus, & barbaricis, ut ita dicam, ridimiculis, ad dedecus sacerdotii ita inconvenientius, longe quam sese dignitas habeat tanta, amiciri, vel quod est verius, deturpari, ut quirinali trabea cinctuque gabino quam habitu insigniri pluris penderent ecclesiastico? qui venatores quam doctores, audaces quam mites, callidi quam simplices Machabæi magis optant dici quam episcopi. Atque utinam hoc vitæ nomine in illo uterentur certamine, in quo Christus eos de mundo posuit triumphare & ejus principe, qui trocho ludunt, aleam vero nequaquam fugiunt, qui tabula quam scriptura, disco exercentur quam libro, qui melius damnosa canicula quantum radat, quam norunt quanta salutaris Veritas jubeat, vetet vel promittat, quidque dixerit ferant senio, quam quod ipsi referre debeant Deo; qui histriones quam sacerdotes, temelicos quam clericos, bromios quam philosophos, nebulones quam veraces, impudicos quam verecundos, mimos carius amplectuntur quam monachos; qui græcas glorias, Babylonicas pompas, exoticos ambiunt ornatus; qui scyphis aureis, scutellis argenteis, cuppis auctioris pretii, crateribus immo conchis ponderis gravioris, & invisæ ulli sæculo magnitudinis instant operandis auro sessiliis quibus depingitur obba, cum fuligine oppleta eis adjacens videatur basilica.

Inter hæc obsonia refertissima epulæ ipsa sui diversitate præter multiplicitatem mirabiles, & in his omnibus, qui avidior ille dapsilior, qui sagacior ille melior, qui locupletior ille prudentior, qui massutior ille celebratior, ille vir, ille vulgatus, ille famosus, ille cunctorum ore laudatus frugi autem dici in tantum hodie execratur ut jam & in ipsis monachis vituperetur, quamquam & largitio caritativa virorum liberalissimorum in usu munificentissimo a nobis non solum minime reprehendatur, & maximis jure præconiis efferatur: sine causa enim vivere videtur episcopus, si non

non fuerit pecuniosius. tu præter ea joca, tecum risus intemperans, de simplicitate quoque Dei hæc timore abdicantium plerumque congestus, cithara in conviviis & lyra, ut dicit & propheta, opus vero Domini in nullius memoria, nec væ promissum agentibus talia. Tecum symphonia & omnia musicorum genera, cantorum lenocinia, saltatricum pestis, sermo totus qui forte ad rem pertinet de homine non de Deo, de creatura non de creatore, de præsentibus non de futuris, de seniore terreno non de cœlesti Domino. Tunc ille celebratur, istius nec quisquam reminiscitur; illius nomen juratur, istius nec recordatur; pro salute istius bibitur, iste sitiens nec potatur; crapula illius amore distenditur venter, iste forsitan etiam in carcere micis indigens non reficitur pauper; ille præponitur, iste suponitur; illius memoria in primis, istius nec habetur in secundis. canes prætérea ipsa curunt in mensa, equi pernicibus volant magis quam cursitant curribus, cappo præpetem librat volatum, accipiter raucisonam præripit gruem. propheta inter hæc nullus, nullus apostolus, nemo doctor, nec aliquis prope canones, nusquam scita patrum, procul decreta pontificum, longe passiones, frugalitas, humilitas, egestas vel gesta sanctorum a memoria remota cunctorum. dives ille superbus nec præsentatur obtutibus, canum saltem linguis non linguitur quin potius corroditur Lazarus. Balthazar pro hujusmodi nec recordatur interitus. amphora illa cum talento plumbi de propheta, de talibus in terra Sennaar alis milvi delata, nec venit in memoria gybbum cameli, acusque foramen animadvertit, nec ullus superventum diei Domini reminiscitur: nullus, ore pleno epulis, lachrymantibus oculis, lingua jocis resoluta inconditis, nuper quemdam obisse nemo curat advertere, nec Deum ob id præcepisse nos omni tempore orantes vigilare, in die convivii primi fratris Job filios extinctos omnium subterfugit oculos. Loth a Sodomis nemo meminit exeuntis, nec Noë arcam intrantis: postremo canones oblitui dantur, præcipientes de cunctis reditibus ecclesiæ, quia sancta sanctorum sunt Domini, quatuor partes fieri, quæ si fideliter fuerint actæ, non dico crater, conca, vel vasculatorium, aut ut mirabilius quid proferam, & utinam mentiens, lebes, sciphus, certe unde fiat deerit. Ipse taceo de conviviis regifico luxu paratis, ipse quotidianus persæpe victus cogetur more illius in lacum clausi a Deo separati vel serotinus. mentior; si non testimonium ferunt tantæ per orbem destructæ basilicæ, viduæ, orphani, peregrini, pauperes innumeri, captivi, vincti, carcerati, cæci, claudi, debiles, infirmi, monachi, virgines, pro debitis quoque constricti, & alieno ære oppressi, ad ultimum omnes ad quodcumque destinati, alicujus suffragii pro necessitate singulorum, si valet & non valet prorogare, damnationem fraudulenti dispensatoris videbitur incurrere.

Dictum est enim a quodam non contemtibilis auctoritatis veracissime, quia quilibet Christianus si non aliquibus pro posse subvenerit, judicabitur; episcopus si aliquem neglexerit, condemnabitur. Pone tamen hæc omnia juste pleniterque impensa, nil obstarent ad luxum. Debetne doctor ea ambire, quæ docet aliis fugienda omnimodis esse? Quid enim si apostolica illa percellatur sententia qua dicitur: *Qui prædicas non furandum, furaris*, & Dominica voce feriatur dicente: *Ejice primum trabem de oculo tuo.* Et *Medice cura te ipsum prius?* Ubi autem erit illud ejusdem Apostoli: *Castigo*, dicentis, *corpus meum, & servituti subjicio, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar?* Ut enim a peritissimo sanctissimoque ante nos jam dictum est doctore, cujus vita despicitur, restat ut & prædicatio contemnatur. Quid vero sibi ipsi in intimis talium quis, cum aliis dicit foris: *Non in commessationibus & ebrietatibus.* Et *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Et *Nolite diligere mundum neque ea quæ sunt in mundo.* Et *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus inimicus Dei constituitur.* Esto illa quanto minus facere nec velit docere, quid cum compellitur sursum corda clamare? verum ut relicta specie, iterum paululum quid varicato gressu transeamus, ad genus vini potest hæc madidi potionibus confecti, ne in ullo penitus præter idolatriam, cum nec desit in altero. hoc est avaritia ipsa videantur dissimiles illis de quibus dictum est: *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* editum arduumque linquentes suggestum, currus, ut ita loquar, redasque conscendunt, spumeosque subeunt equos habenis aureis, murenis argenteis, frenis Germanicis, sellis Saxonicis faleratos, ad quoslibetque properant, quos crapula dictaverit lusus. tunc ille sedens asello, fortis & potens in prælio, non alicui occurrit in animo, tecum reges ipsi, sæculi gloria præiri, quam apostolorum paupertas imitari; divitum voluptas superari, quam piscatorum sanctitas sequi ambitur.

Lectus post hæc ornatur aureis distinctus mirifice crustis, fulcra sericis depicta proferuntur facturis, culcitra ipsa pallio optimo cooperta, scabellum tapete Gothico tectum, inter hæc præsepe nostri Infantis, ipsi nec panni, nec ipsum menti adest diversorium, procul a memoria ille caput non habens ubi reclimet. Mordacibus tandem somno curis excusso, in ipso oblectamine thori sese volutantes, nec quiescere valen-

Rom. 2. 21.
Luc. 4. 23.
1. Cor. 9. 27.
Rom. 13. 13.
1. Pet. 5. 6.
1. Joh. 2. 15.
Jac. 4. 4.
Exod. 32. 6.

tes, pro matutinis hymnis murmuria quædam proferunt, injuriæ potius apta quam gratiæ, contemtui quam receptui, execrationi quam exauditioni.

Ubi vero ventum fuerit ad vestitum, peregrinis, ut dixi, quam patrioticis amiciuntur ornatibus, curribus teretibus instar torno, ut ita dicam, potius aptatis quam manu, ita ut quævis earum columna rectius dici possit, quam tibia. Corpus vero totum tanto studio comitur, ut hæresium ipsum, quod solo frigoris debuerat obtentu parari, tanto melius quanto spissius, cum sic ex pallio factum optimo, limbum habeat ex alio, quod si inveniri posset, melius sit optimo; cujus latitudo ceterorum nisi quidem modicatur, sed ad cubiti superat mensuram; cui si quid genus vestimenti superponitur, tanta huic elationis industria coaptatur, ut aut subtilitate, aut qualibet etiam cum damno scissura, ipsum quod subtus tegere debuerat, prodat miraculum. lumbare autem ipsum, pedibus usque sedentis porrectum, aurea fibula compactum, aureum in summitate videntibus offert & balteum non sine gravi ambitionis tormento visibus ingestum multorum, ita ut in hoc solo posset videri com-
Psal. 9. 23. pletum, quia *dum superbit impius, incenditur pauper.* tum vero videas quosdam mastruga pro cappa, galero Unguarico pro sacerdotali pileo, sceptro uti pro baculo, nec
1. Tim. 2. 9. cogitare illud Apostoli: *Non in veste pretio-*
Luc. 11. 41. *sa*, nec illius dicentis reminisci: *Quod super*
Luc. 16. 15. *est date elemosynam.* Et *quod altum est hominibus, abhominatio est ante Deum.* Et dicturi:
Matt. 25. 36. *Nudus fui & non operuistis me*, cum ipse percussorem suum non solum de mille, sed de duabus tunicis quoque unam indigenti præceperit dari.

Missa dehinc excursa potius quam excantata, vel quod est gravius aliquotiens penitus neglecta, pane accepto & bibere, quod utique ad regale prandium posset sufficere, nullo existente, qui nec ad litteram, nec ad sensum, velit dictum reminisci, quia
Eccle. 10. 16. *væ terra cujus principes mane comedunt, & cujus rex servus?* iterum faliscos non quidem quos pridie, ne forsan assiduitate vilescant, videntum subeunt, equos aureis ornatos torquibus, frenis argenteis, tanti vero ponderis, ut ipsi solummodo ferendi fortissimis quoque sufficere possent equis, quibus, ut verbis ornatius id exequar poëtæ,

Aurea pectoribus demissa monilia pendent,
Tecti auro fulvum madunt qui dentibus aurum,
Et vel in gramineis exercent membra palæstris.
Contendunt ludo, & fulva luctantur arena,
Aut exercentur equis, domitantque in pulvere currus,
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis.
Spicula contorquent, aut his similia, ut ad nostra redeamus, exercent, aut certe relictis cœlestibus, tractant & curant solummodo terrena, qui decernere ecclesiastica, sanciunt quomodo sese agere debeat res publica, atque utinam nil aliud inibi tractaretur! hoc solo illic Deus offenderetur. esset fortassis veniabile, etsi non approbabile. non utique contingeret quod nuper, id est isto eodemque tempore, prope anno siquidem præterito, ambiebant placere, ne in illud eos pariter contingeret incidere, quod consequenter in eodem versiculo soliti erant taliter carere: *Inclinabit se, &* Psal. 9. 30.
cadet cum dominatus fuerit pauperum. dixit enim in corde suo oblitus est Deus, avertit faciem suam ne videat in finem. In tantum enim succedente infortunio, crescente incommodo, illum derelictum non tantum cogitabant: (etiam dicebant a Domino ut ipso festo sanctæ Dei genitricis quidam severissima fuerint increpatione redarguti, quod osculum illi in ecclesia concesserint, ut moris est, inter solemnia missarum fieri, pacis putantes felices & prudentissimi eum a Deo non qui a peccatore:) quia deceptum, damnatum, cum culpam non faciat pœna sed causa, & teste augustæ recordationis Aurelio, pœna reorum quædam absolutio fit eorum. Crastina itaque peracta die, nil promissorum exhibetur opere; mandat tamen per internuntios ille summus, in quo tota fiducia boni erat proventus, sæpissime, ne a suo consilio deviaret in aliquo, promittens omnia sese fine pacturum optimo, tantum in pacto perstaret promisso. quod & fecit, suo, ut cernitur & putari potest, malo, re autem, ut credi debet, vera & perspicua bono. Mitti quoque sibi actutum quosdam civitatis ab eodem primarios rogat. quod cum fecisset; quemdam, ut ita loquar, quasi laqueum sibi quo teneretur injecit. Cum ipsis siquidem est actum, quod præsentem ubique illum nequaquam latuit oculum, quodque cunctipotens pie aut vindicet aut relaxet in præsenti sæculo, ne districte puniat in futuro. Quid magis? sermonem quidem hinc texere satis possumus longum, sed multo magis hic eum censemus devorandum, propter illud quod in præfatione nos superioris libelli meminisse recordamur periculum, ne quod videlicet pariat nobis ipsa veritas odium. Supprimantur hic ergo tam infanda talium acta, ne si fortuitu insolenti relatu producta proferri cogantur, & agentium vocabula, maximam discordiæ turbam factura, taliter vero hæc præsentia cum sese habeant tempora, nullus tamen invenitur saltem Dei respectu, qui pro indi-

centibus interveniat, pro damnatis exoret, qui causam pupillorum & viduarum vel quorumlibet afflictorum suam faciat, quod approbat & istius afflictio levigata a nullo.

EPISTOLA EJUSDEM.

RATHERIUS exul WIDONI atque SOBBONI archiepiscopis ceterisque coepiscopis concilio residentibus.

Istud Domini pro præsentia suscipite nostri, & legere precor dignemini. fortassis enim non erit inconveniens negotio præsenti.

Concilia dehinc ecclesiæ nusquam, conventus synodici non alicubi, nil ecclesiastica lege aut approbatur aut improbatur, accusatur aut excusatur, defenditur aut opponitur: sed omnia vi, potestate & judicio sæculari imperantur, perficiuntur, & tolerantur, juste aut injuste, cujus rei quoque astipulator extat & iste, a coepiscopis quidem, a laïcis vero nulla præeunte audientia, exilio deportatus, deficiente omnino qui interponeret defensionis sepem, & ascenderet ex adverso, opponens se murum pro domo Israël, & stans in prælio in die Domini, id est gaudente sæculo, exhonorato, quantum ad ipsos, Domino, cum siquidem in aures, sicut non una solummodo occasione, ita non unius tantummodo, sed plerumque multorum eveniat probatione. Nec enim frustra ante januam divitis jacuit Lazarus, sed ut unde ille exercebatur iste damnaretur; ille, quia indigebat; iste, quia non tribuebat. Nam cum in psalmo Dominus dicat: *Probavi te ad aquas contradictionis*, ubi rogo vigoris, zeli & fortitudinis pastoralis monstrari potest vel debet intentio, nisi ubi non quæcumque, sed maxima est contradictio? & cum non coronetur, nisi qui legitime certaverit, unde, quæso, coronam aut sperat aut requirit, qui imminente fugiens bello, nusquam pugnavit? quid enim? & si obtineri non potest victoria, debentne ob id semper hostibus tribui terga? Nonne confosso persæpe milite, prolem ejus remuneratam vidimus pro patris audacia, constantia vel devotione? Nostra vero cum longe alia sit pugna, graviora sint & pericula; siquidem fugiens in æternum moritur; cadens vero tantum ne deficiat devotio, non solum rursus erigitur, sed etiam pro injuria in æternum coronatur; obtinenti vero eadem sit corona quod scutum, quod arma, quod victoria, hoc est Deus ipse omnia, qui protegit quos incitat, coronat quos protegit, erigit quos cadere sinit, remunerat quos victores esse concedit. siquidem in ista non alius pugna nisi ipse cum adversario præliatur. Ipse dimicat, ipse obsidetur, ipse includitur, ipse assistit, ipse murorum septa defendit, & victoria nobis cedit, nobis ascribitur, nobis imputatur. quid tam desides quemlibet convenit gerere animos, cum a Deo certamen ejus, non ejus, sed Dei sit, ut etiam nec cogitare quomodo aut quid loqui debeat, nequaquam indigeat; tantum ne devotio, ut dixi, qua loqui velit deficiat? Quid trepidare aliquem convenit, cum idem ipse qui remunerator, ipse sit & protector, ipse denique & pugnator? Nam in tantum cum pugnas, adest; cum dimicas, præsens est, ut etiam dum putaris feriri, ille non tu feriatur. siquidem ita hodie audisti cum & heri legisses: *Qui tangit vos, quasi qui tangit pupillam oculi mei*. Et *Qui vos spernit, me spernit*.

Ne ergo lenocineris hosti, si vis placere imperatori; nec enim eum poteris promereri, si a te istum nolueris separari. Nullo enim excepto, dicitur ab Apostolo: *Omnes qui pie volunt vivere in* CHRISTO JESU, *persecutionem patiuntur*. Videtur ergo nolle pie vivere in CHRISTO JESU, qui persecutionem non patitur pro CHRISTO JESU; recusat etiam, ut ante vos dictum est, esse in corpore, qui non vult odium mundi sustinere cum capite. non audeo, inquis, periculosum est hodie..... & Dominus: *De ore tuo te judico serve nequam*. abjurasti enim militiam, si perdidisti audaciam. Ut quid ergo arma sumsisti? ut quid militiæ nomen dedisti? pastor vocari ut quid ambisti, qui lupo veniente, fugere deliberasti? baculum quare cepisti, si occurrere periculo timuisti? Si defendere non audebas gregem, ut quid sumsisti mercedem? Lac qua fronte comedis gregis, qui contra furem aut vocem dare, aut patremfamilias excitare, aut canes instigare pavescis? Lanis quare indueris ovium, qui in tantum formidas etiam hœdum agnis ammixtum, nedum frementem contemnas leonem vel ursum? Pecuniam meam quare sumsisti, si hanc erogare cum scires timuisti? & qui te contra me tam audaciter erigis, quomodo tam meticulose ipsi te, quem sub pedibus teneo, subjicis? periculosum, inquis, esse ..... Tempestas ergo est in mari, si periclitaretur navis? Quid ergo agere vis? monstra cur remum sumseris, an ut caput, moriture, ingeras sentinis? exere potius vires, fortiter dimica, instanter naviga, præsto est portus, jacet in navi licet dormiens tibi, cui obediunt mare & venti. Metuo, ais, offensam senioris. E contra Apostolus: *Ego*, inquit, *si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem*. Quid enim tibi faciet offensa senioris? commutabitur, forte auferet concessa: forte totum hoc rite timeres, si non promissum dicentis haberes: *Gaudete & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cælo*, & si non dictum ab apo-

Psal. 80. 8. — Zach. 2. 8. — Luc. 10. 16. — 2. Tim. 3. 12. — Luc. 19. 22. — Gal. 1. 10. — Matt. 5. 12.

2. Pet. 3. 13. stolo scires: *Quis est qui vobis noceat, si boni* A
Ibid. 14. *æmulatores fueritis?* sed & *Si quid patimini propter justitiam, beati;* timorem autem eorum ne timueritis. timeo plus aliquid, inquis, quid? Mori, ais, quod est dicere: leo in via, in medio platearum occidendus
Luc. 21. 10. sum; sed audi Dominum: *Capillus de capite vestro non peribit.* Audi & illius ejusdem quo fungeris ordinis servum, id est sæpissime hic inditum Augustinum: Time, inquit, mori, si potes non mori. Audi & alium: Qui natus ex homine est, & moriturus
Act. 21. 13. erit. Audi & Apostolum: *Ego non solum alligari, etiam mori paratus sum pro* CHRISTO B JESU. Audi & quemdam ad tui verecundiam ethnicum: Tolerabilior, inquit, est qui mori jubet, quam qui male vivere. Occidere te valet regis ira, potestne tibi ne moriaris præstare ejus gratia? Sed, rogo, ne erres, non rex quemlibet occidit, sed
Deut. 32. 39. ille qui dixit: *Ego occidam & vivere faciam.* Si enim præter istum aliquis quempiam occidere valeret, caminus ignis tres pueros non reservasset, nec leones famelici pepercissent Danieli; Susanna quoque, ut putabatur, legibus damnata, tam velociter non fuisset liberata. ceto etiam Jonas sorbente voratus, non fuisset, Deo jubente, C evomitus. Quid enim ad necandum facilius igne? quid ad suffocandum paratius leonina rabie? quid ad absolvendum difficilius quam damnata lege, quæ nulli noverat parcere? quid ad absorbendum voracius marina profunditate, vel potius belluina edacitate? Et tamen neutrum horum cum vim obtineant, Deo volente, concessum, aliquid valuit contra protectionem divinam: unde pulchre de uno illorum Deo in ecclesia consuevimus canere: Vim virtutis suæ oblitus est ignis, ut pueri tui liberarentur illæsi.

Utrum vero hæc se ita ut diximus ha- D beant necne, potes etiam ex dictis Cassiodori, si velis, ita dicentis perpendere: Mirum præterea videtur rem incorpoream membris solidissimis colligatam, & sic distantes naturas in unam convenientiam fuisse perductas, ut nec anima se possit segregare, cum velit, nec retinere, cum jussionem creatoris agnoverit; clausa illi sunt universa, cum præcipitur insidere, aperta redduntur omnia, cum jubetur exire. Nam etsi acerbus dolor vulneris infligatur, sine auctoris imperio non amittitur, sicut nec E sine ipsius munere custoditur. Quæ cum ita se haberi inditubabiliter ipsa duce ratione etiam ex nobis ipsis possimus colligere, virili omnimodis deposita constantia, muliebri assumta ignavia, Deo erecti, mundo subjecti, desides & effeminati, inanis quoque gloriæ inexplebiliter cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes, negligentes & infelicissimi, superbia tumidi, bonitate vacui, carnis voluptatibus subditi, fratribus elati, in adquirendis rebus avaritiæ facibus accensi, congregandis autem virtutum opibus inefficaces & pigri, dum affectamus honorem sæculi, gloriam quæ a Deo est, perdimus, heu dolor! miseri, dumque superferri fratribus ambimus, superbiendo, lugendo, generi cui præferri debuimus supponimur mundo; contemnentesque Dominum dominantem, patimur servum; & qui potestate concessa, calcare debuimus serpentes & scorpiones, & omnem virtutem inimici, retrogrado ordine calcamur quotidie ipsi, ita ut & in nobis compleri quandoque possimus timere quod & in Job legitur ita dicente: *Fugiet arma* Job. 20. 24.
ferrea, & incidet in arcum æneum; & qui timent pruinam, irruet super eos nix: quod fit cum timetur temporalis ira, incurritur sempiterna; metuitur terrenum periculum, & irruit supernum & inevitabile iræ cœlestis judicium.

Qui si honorem magis nostrum quo non solum ad imaginem Dei conditi, sed etiam omnibus sub cœlo per officium creaturis prælati voluissemus moribus vindicare, Christo scilicet ut antecessores nostri subjecti, mundo erecti, alter alterius onera secundum Apostolum, portantes, invicem nos juvantes, honore invicem prævenientes, idipsum in Domino omnes sentientes, spiritu ferventes, zelo caritatis pro domo Israël exemplo Heliæ zelantes, in doctrina docentes, exhortando mutuo nos exhortantes, commoda pro necessitate alterutrûm in simplicitate tribuentes, prælaturam in sollicitudine administrantes, in hilaritate nobis invicem miserantes, dilectionem Dei & fraternam sine simulatione habentes, odientes malum, adhærentes bono, caritatem fraternitatis invicem custodientes, non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Fateor, non solum aliquem non timeremus, sed etiam ab omnibus timeremur. Nec vero ut, proh nefas! in nobis illud impleatur propheticum dicentis: *Unusquisque* Isa. 9. 20.
carnem brachii sui vorabit, Manasses Effraim, & Effraim Manassen, simul ipsi contra Judam, hoc est confessione Dei insignem ecclesiam, invicem mordentes, ab invicem consumimur, divisique ab alterutro desolamur. Nec enim mentitur veridica semper Veritas dicens: *Omne regnum* Matt. 12. 25.
in seipso divisum desolabitur; nec refutanda cujusdam, quamquam Deum nescientis, sententia dicentis: quia concordia parvæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Apostoli quoque in mente semper habenda monentis: *Quæ pacis sunt sectemur,* Rom. 14. 19.
& quæ ædificationis sunt invicem custodiamus. Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus. Itemque:

Vis

Vis non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex ipsa. Et *Hac est voluntas Dei, ut bene facientes obmutescere faciatis imprudentiam hominum & ignorantiam.* Alterius autem, Cum placuerint, inquit, Domino, viæ hominis, inimicos quoque illius convertet ad pacem. Et per Psalmistam Domini: *Si populus meus audisset me, Israël si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem.* Per Jeremiam item: *Si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace super terram.* Per Moïsen quoque: *Ecce mitto angelum meum qui præcedat te & custodiat semper; observa tantum, & audi vocem meam, & inimicus ero inimicis tuis, & affligentes te affligam.*

1. Pet. 2. 15.

Psal. 80. 14.

Baruch. 3. 13

Exod. 23. 20.

B

Nos vero e diverso, cum & hæc omnino a perfectis nec appetenda, pro gloria Dei quæque sunt bona agenda; adversa vero ejus amore toleranda magis, quam vindicta optanda; potius vindicare nos solemus quam vindicari; defendere nos ipsos ipsi, quam a Deo defendi; & cum ad id non sufficimus, fœdus quoddam cum ipsis inimicis, eis in malo consentiens inire magis, quam Deum protectorem corde cum manibus ad eum levato invocare, & contra internum raptorem, qui numquam melius vincitur, quam cum exterior amatur, arma corripere properamus, illisque non dissimiles, qui salutis, quæ a solo Deo datur, causa, ritu sacrilego ad fontes vel arbores reddunt vota pro commodis terrenis, ipsam potius terram quam eum precari studemus qui fecit cœlum & terram. Et ne in aliquo precum effectu fraudentur optato, relicto penitus eo qui nos proposuit mundo, relicto omni præter nomen officio, ipsi ita specialius deservimus ceteris mundo, ut dum ceteri Deo quæ Dei, mundo quæ mundi sunt contendunt reddere, nos e contra mundo quæ Dei, id est omnigenum amorem & cultum; Deoque quæ debuerant mundo reddi, reddamus, id est omnigenum despectum & contemtum, & ut ipsi alligemur arctius, ne quando scilicet, dum ab eo non recognoscimur, despiciamur, relicto ritu, cultu, habitu quoque nostro, ipsius mundi consuetudine atque studiis, amictibus etiam in tantum utimur, ut solo, ut ita eloquar, barbirasio & corona, & quod non a nobis ut ab eis ducuntur uxores, qualescumque etiam, quas Domino ore tantummodo, & hoc rarissime, reddere videmur, laudes, in nullo alio sæcularibus videamur dissimiles: ita ut de nobis, proh nefas! dictum prophetiæ possit credi quod continent tempora præsentis ævi: *Et erit sicut populus, sic sacerdos.* Et quod alius in Threnis deplorat: *Quomodo*, inquiens, *obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum.* Detractam quoque jam de cælo in terris lugere possimus magnam partem stellarum, id est dejectos a sublimibus in ima tantum sectari multitudinem sacerdotum, quorum opera lucere debuerant coram hominibus, ut glorificaretur Deus.

C

D

E

Isa. 24. 2.

Thren. 4. 1.

A

Nec otiosum videtur talium causa isto in loco brevem quidem, tamen utillimam presbyteri cujusdam nostri pene temporis ponere sententiam: qui cum vidisset episcopum suum, horrendum dictu! ad tabulas ludentem, subsannatus movit frigutiens caput: quo intuito, iratus episcopus, & quidem satis juste, sed si ei cui deberet, interminatus est continuo carcerem, nisi confestim diceret, ubi hoc fieri sibi canonica lex vetuisset. Ille simulans metum, cum in promtu haberet quo fugitivum stringeret nervum, pedibus ejus prostratus, Ignosce, ait, domine, tanto enim sum concussus pavore, ut ne primum quidem primi psalmi meminerim versiculum, nedum aliquid ex decretis proferre valeam canonum. Sed obsecro a te, piissime, hunc mihi recordari sensum, siquidem ipsum pavore amisi. Tunc cum joco risuque totis cum astantibus resolutus episcopus, instante tandem presbytero, primum cum altero protulit versiculum dicens: *Beatus vir*, &c. *Sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die & nocte.* Presbyter ore proprio captum hujusmodi respondens instruxit episcopum. Optime, inquit, pater sanctissime, quod superest ad tabulas lude. Hæc vero istic nobis ideo placuit ponere, ut in hac brevissima sententia, & quid cavere & quid debeas agere evidentissime valeas conjicere; sed studebo te jam relinquere, ne ortis sitientibus, aquas in flumine vecors videar mittere, cum & timendum ne ab aliquo horum qui juxta poëtam nigrum in candida vertunt, dum malum bonum, bonum dicunt malum; tenebras lucem, lucem tenebras putantes; veritatem falsitatem, falsitatem veritatem æstimantes, dicatur mihi: Morte morieris, quia mendacium locutus es, in nomine Domini pergam potius ad alia meæ professioni quantum propinquiora, tantum formidolosiora.

Psal. 1. 2.

Ex monacho fortuitu assumtus es? Vide unde, quo deveneris, videlicet de maximo ad magnum, de maxima quiete monasterii ad magnum laborem sæculi, de sinu tutissimi littoris ad procellas frequentissimæ tempestatis. Naviga itaque suspectus, qui in portu gaudere noluisti securus; conare, satage, stude aliquid agere ceteris sublimius, immo humilius & perfectius, sciens ponderibus te subjacere duobus. Compelleris enim monacho quæ sunt monachi, episcopo reddere quæ sunt episcopi. Vide ne tibi suadere aliquis valeat illum um-

quam mutare habitum, etiamsi hoc approbare ex antiquorum exemplis velit patrum, excepto cum ad illud divinum accedis ministerium, quod sibi proprium exigit ornamentum. Tunc quoque cum non gestatur corpore, non recedat a corde. Audi Apostolum dicentem: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Jejuniis itaque refectionem, orationibus corporis delectationem, lacrymis tempera sæculi jocunditatem. Quod si forsitan assumtus ex abbate, aut ut assolet duobus aut certe pluribus jam præfuisti monasteriis, pensa quæ causa hujusmodi fuerit demutationis. Nec tibi, quæso, parcas, non te decipias, non te palpes, non tibi quod optime nosti velis celare. nulla enim apud Deum, ut ait Augustinus, latebra, etiamsi plena sit abscondentis perfidia. Neque ideo ille non novit, si tu te fingas ignorare, quin potius tu humiliter agnosce, si vis ut ille ignoscat. Prima est vero, ut ait gentilium quidam, ultio, quod se judice nocens absolvitur nemo. Cogita igitur utrum his rite præfueris: quod si inveneris, dole quod non perseveraveris; sin minus, etiam ob id in omni vita quotidiani non desinant gemitus. Memento tot te subjacere ponderibus, quot præfecturis infulatus largitori indigne his utens extitisti ingratus; dumque prodesse debuisti pluribus, paucis aut forsitan nullis causa alicujus fuisti profectus, immo his destitutis, ad alios subinde migrans, nullumque nec de his nec de illis, quin etiam nec de teipso ad horreum dominicæ areæ fructum apportans, quot debuisti manipulos ferre, tot exigeris in judicio componere.

1. Tim. 5. 12.

Fac itaque, dum adhuc dies est, quod suggero, dum adhuc vacat tempus sationis, dum adhuc œconomus spectat, dum custos areæ triturat, paleam non exerit, ventilabrum non arripit, dum adhuc non ventilat, labora, sere, congrega, nullas dederis ferias, nullum tibi colludium, nullam pausam, nullum tempus indulgeas vacationi. insiste omnimodis sationi, ne desit quod afferas triturationi, ipsam etiam incessanter mentis oculis adhibe, ipsam attende, cogita quotidie ne superent paleæ, ne superabundent zizania; memento triticum in horreum debere recondi, paleas autem comburi igni inextinguibili. Prope itaque positos creberrimis exhortationibus, longe remotos epistolis sæpissimis ad Dei cultum reaccende. præteritam & tuam & illorum segnitiam accusa, redargue, & tecum ut excitentur, ut reviviscant, animos attollant, industriam reparent, vires exerant, constantiam resumant, fide, spe, & caritate in Deum recalescant; invita & obsecra, nec hoc verbo tantummodo, multo magis operibus tibi noveris exequendum. Vera est enim Leonis papæ sententia, quia validiora sunt exempla quam verba, & plus est opere docere quam voce. Necessitatibus quoque eorum in temporalibus sedulus adesto. si quid fraudasti prælatus, restaura episcopus. si quid de te minus, abbas dum esses, recordaris fecisse, pontifex ne verearis componere.

LEO.

Nec hoc agens verearis, ne quis te peccatorem, te olim dixerit extitisse fraudatorem. vide tantum ne Christo opprobriosus, ne Deo horridus, ne Spiritui-sancto pareas exsecrandus. Hoc fit, si nec præterita diluis, nec præsentia emendatione componis; quin potius cum de te hoc dicitur, gaude humiliter in Deo, si tibi cum ceteris vere dicatur: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, & hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sanctificati estis.* Si quis itaque detrahat, obloquatur, maledicat, factumque vituperet, tibi firma spes, solidum refugium in illius sit auxilio, cui a propheta est dictum: *Maledicent illi, & tu benedices*, & erigens mentis aciem indesinenter clama: *Aufer a me opprobrium & contemtum*, non utique opprobrium hominum quod pertransit; potius tuum, quod si hic non desinit, illic finem non invenit. Vereor enim ne dum transacta, ut sunt digna opprobrio judicas, etiam præsentia digna contemtui deputes. Quod fit, si & transacta corriguntur segniter, & præsentia exercentur negligenter. Illam etiam Saræ orationem ad tuam profer utilitatem, *Peto*, inquiens, *Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certe desuper terram eripias me*, non quidem substantialiter ante tempus prædestinatum auferendo, mentem meam ad te penitus erigendo: hic est, dicent, novellus propheta, recens apostolus, subito angelus effectus. Iste sanctus Martinus, Zeno est iste sanctus, modo de cœlis demissus. Vanitatis, inquiunt, signa sunt ista, hypocrisis, simulatio vel levitas, mutatio affectuum ista, non aliqua religio vera. O quam asperum verbum, sed vide ne sit verum.

1. Cor. 6. 11.

Psal. 108. 28.

Ps. 118. 22.

Tob. 3. 15.

Cave etiam prope latentem venantium laqueum. multi enim hoc aspero verbo perterriti, exasperati & verecundati, bonum relinquentes incœptum, capti sunt in muscipulam venantium. Tu e contra his corde non ore responde, ipsum etiam te hæc cogitans cave. non desunt enim & tibi quædam introrsus cavernæ, ubi aliquæ latrocinantis inimici adsint insidiæ. Dic ergo in corde, pavidus cogita, sed suspectus dic quod quidam longe te incomparabilis dixit dissimilis certe, nec mentieris. In melius mutare propositum non est levitas, virtus neque culpa: gratia erunt etiam qui dum nulla considerant immo nolunt habere sua, tua si qua viderint, statim bona incipiant laudare, & mirari velut maxima. quibus

si tuæ conscientiæ relicto testimonio credideris, fateor nec mentior, illico perditus eris. Tu e contra dum exhibes præsentia, semper stude meminisse præterita, simulque Dei districta & incomprehensibilia cogitare judicia. Sæpe enim unde mereri putatur gratia, contrahitur offensa, unde contrahi timetur offensa, acquiritur gratia. Linguam non solum a criminosis, etiam ab otiosis contine, sciens dictum per Jacobum esse: *Si quis se putat religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.* Jac. 1. 26.

Sed ut semel incipiens paucis adhuc te alloquar, suggero ut & si quid in juventute, si quid etiam adhuc in monasterio positus, antequam scilicet ad aliquod regimen esses assumtus egisti, sollicite retractes, forsitan & ibi aliquid quod non parum debeas metuere invenies. Reperietur etiam tibi quo ordine assumtus, qua necessitate fueris electus. Proclivis enim semper in deteriora humanæ ambitionis superbia universa jam occupans sæcula, nec ipsa hodie deserit cœnobia, videlicet ut eligendi non virtutum meritis, sed putridæ istius, quam ita vocant, terrenæ nobilitatis, re autem vera corruptibilitatis taxentur præconiis. Nec exquiritur quis obedientia ceteros præeat, humilitate vincat, prudentia antecellat: cujus arca cumulatior, camerave fortior, donis sit repletior, stabula quis amplius plena, prædia & beneficia latius habeat distenta, cujus pater ditior, frater locupletior, prosapia generosior, propago potentior. Inter hæc nec ipsa honoratur canities, juventus senectutis locum invadit, & illud quod totum est divinum datur ad præmium, & lucra captantur terrena, unde animarum solummodo congeri debuerant mercimonia. his denique & aliis, qui hujusmodi solent comitari pessimæ ambitionis casibus, si forsitan te interceptum repereris, lætitiæ, quæso, locum in corde ne dederis. Forsitan enim his auspiciis evectus, ad hoc es perductus, ut & illud quo modo fungeris honoris fastigium, aliquo sæcularis suffragii juvamine te contigerit ascendisse. quod si ita se habet, quantum lugendus sis enarrare non sufficio satis, etiamsi omnia membra corporis cunctimodis concrepent linguis. Verum ne putes me hoc ideo dicere, quod te aut dejicere aut velim desperare; consilium si quod valeo tibi dare non negligo, cetera tuæ industriæ committo.

Sunt multa sanctorum patrum jam ex his dicta diversis opusculis indita: hæc relege, & negotium ex his tibi salutis adquire. Mihi tamen videtur, dum interim hæc captas, & consilium inveniendi & exequendi quod dixerint forsitan impedit tarditas, ut nullo modo desperans, in eo qui omnia fecit de nihilo firmiter spem ponens, lacrymis te totum dedas, pia opera non quasi qui ab ipsa incœperis exercens infantia: quasi qui totum vitæ tempus pravis datum atque consumtum habens delectationibus, residuo si quid datur spatii, Deo tantum te debere memineris mancipari. Et licet sciam te hoc ordine per ostium non introisse, aliunde potius ascendisse, non tamen te penitus audeo desperare, quia tantam novi patrisfamilias istius potentiam esse, ut ex ipso fure pastorem, si velit, possit efficere, qui de lupo ovem sæpe legitur fecisse. Quid enim non potest omnipotens? quid non potest nisi quod posse nolit? Non potest de impio invasore pium pontificem facere, qui potuit de lapidibus suscitare filios Abrahæ? Non potuit interfectum reficere, qui potuit non existentem creare? Difficilia, ais, sunt nimium hæc, sed cui? numquid Deo? quid illi difficile, qui cuncta de nihilo potuit facere? Ipsius non audisti hodie sermonem dicentis: *Si potes credere, omnia possibilia credenti?* Nescis in rebus quoque humanis hujusmodi haberi consuetudinem, ut tanto plus laudetur medicus, quanto amplius desperabatur ægrotus, cum & quo desperatior animæ sit mortis occasio, tanto plures plerumque eodem corrigantur exemplo? Hinc enim quidam nostrorum dicit eodem sensu præmisso. Vide David, considera Petrum, quorum quo gradus altior, eo casus gravior: quo autem casus gravior, eo pietas erigentis gratior. Unde & idem nimis pulchre consuevit orare: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime & miserando manifestas, multiplica super nos misericordiam tuam.* Quid enim si hæc cuncta ideo ita permisit incidere, ut haberes unde eum amplius posses laudare, sinens videlicet te periclitari in pluribus, ut sine defectu clamares? Quid si te exemplum voluit esse talium, qui, proh dolor! innumerabiliter ita hodie per universum instituuntur sæculum, ut capiant aliquodcumque de se quoque ipsi consilium, dum te viderint resuscitatum quem noverant extinctum, quo anathematis lethum, si fieri possit, evadant canonibus promulgatum, maledictionemque a se expellant principis apostolorum per clementiam Dei & domini apostolorum? Nam & pro nobis ille fieri dignatus est maledictum, ut nos a maledicto redimeret, non tantum legis, sed & originalium atque actualium criminum; tantum est ne desperes, ne segniter agas, ne ad dexteram per elationem, ne ad sinistram deflectas per desperationem, ne qualitate boni aut quantitate, ut assolet fieri, mali falsaris, ne aliorum mores intuens, te aut arroganter erigas, aut desperanter humilies, neve locum adversario in temetipso ulterius tribuas, ne quod tibi Marc. 9. 23.

contigisse doles, alicui, quantum scilicet A reniti prævales, numquam concedas, nec labi te amplius sinas in talibus aut etiam similibus, cogitans quam difficile elisus erigi valeas rursus.

Pulchre autem te quidam tuique similes satisque utiliter, licet paulo mitius quam sese auctoritas canonum habeat, commonet dicens: Quicumque tales sunt, si volunt, veniente Domino, de ecclesia auferri, auferant & ipsi ista, id est ea quæ Dominus in templo agi videns, facto de resticulis B vindicavit flagello de cordibus suis, nec faciant domum Dei domum negotiationis. Horum autem omnium * sacratico illo exemplo quo dicit, sum quidem libidinosus, (meum est ipsam libidinem superare; tuæ virtuti, tuæ cautelæ, tuis nil committas viribus,) illius totus contende esse, atque ejus te totum committe, nitens corde & manibus custodiæ, cui te creare redimere placuit & vocare. ipse te custodire valet paulo erectum, qui voluit erigere penitus dejectum; ipse continere sanum, qui sanare voluit contritum; ipse perpetim efficere spudium, qui contra naturam citraque omnem spem colligere voluit etiam infatuatum.

* f. Socratico.

Quamvis autem sine illo nil boni possis, saltem nec velle, nedum facere; tamen nec sine tuo aliquanto conamine credas te salvandum omnimodis fore, cum ob id rationabilem te a Deo creatum scire possis certissime, indulta arbitrii libertate. Ipsi ergo non raptim & quasi in transitu, indesinenter inhærere stude, cum quo esse nisi feliciter potes, sine quo esse nisi infeliciter vales, quod si inter hæc, justo immo piissimo judice misericorditer disponente, tibi aliqua adversitas evenerit, aut infimitatis scilicet, aut damni rerum familiarum, vel quolibet aliud genus vindictæ, ne contristeris, quasi despectus humiliter gaude quasi pie respectus, sciens & confitens pro peccatis tuis hoc tibi accidisse, & minora multum esse quam iniquitas tua merebatur profiteri. Rubigo enim tantorum scelerum consumi non potuit, nisi igne diversarum pœnarum. Exulta itaque gaudens in Domino humiliter, quod in hoc sæculo partim tibi contigit vicissitudinem malorum recipere, quæ in illo valde metuendum erat simul omnia ferre, cum nil impunitum constet Deum relinquere, suo autem peccato prædicti hoc modo solent ejus misericordia liberari.

Temet itaque incessanter in conspectu illius accusa, sicque cum propheta declama: *Justus es, Domine, & rectum judicium tuum*. Et cum alio: *Justus es Domine in omnibus quæ reddidisti nobis*. Et *Omnia quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti quia peccavimus tibi*. Et *Iram Domini sustinebo, quoniam peccavi ei, donec ipse justificet causam meam*. In ipsa autem tribulatione nec te dederis segnitiæ, quasi certus, cum & ex hoc desperare non debeas penitus, pro hac pœna omnia tibi remissa aut certe partem graviorum tibi peccatorum donatam. Vigiliis, orationibus & jejuniis, præter hæc quæ necessitas agere cogit, crebrius & sollicitius insiste, ignarus videlicet quo sis percussus flagelli genere, utrum eo quo corriguntur filii, an illo quo flagellantur servi, aut puniuntur malefici. cum enim scriptura teste omnis filius qui recipitur castigetur, multa flagella peccatoris: laqueus, ignis, sulphur & spiritus procellarum, & cum videantur omnimodis hæc intolerabilia, tamen non totius pars est calicis eorum, & *plaga insanabili percussi te castigatione crudeli*. Itemque: *quid clamas ad me super contritione tua? insanabilis est dolor tuus*. Pœnamque describens in æternum damnatorum *induantur*, inquit, *sicut diploide confusione sua*, unde & bis idem in psalmo C precatur: *Domine, ne in furore tuo arguas me*. Alius autem: *Corripe me*, ait *Domine*, verumtamen *in misericordia* & non *in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me*. Quæ omnia cum ad illum flagelli genus, quo exemplo Pharaonis & Herodis & in præsenti & in futuro impii flagellantur, perpenderis pertinere, noveris, teste Gregorio, solos flagellis temporalibus ab æternis liberari, quos hic ab iniquitatibus contigerit mutari. Scias etiam te cum adversario in agone consistere tanto sævius bacchante, quanto D ei de amissa tui dolet potestate. & insuper hoc eum gravius afficiat, quod ante qui ei solitus eras servire, provocetur in certamine. ipsis quoque quorum fraude proditus, negligentia destitutus, dolo captus, factione ad hæc es incommoda devolutus, ne cuncteris parcere, certus quia si eorum admissa in corde retinueris, tuorum quoque venia veritatis voce docente carebis, cum dimittens & de tuorum ralaxatione quandoque gavisurus, & de filiatione Dei perenniter sis lætaturus.

Ps. 118. 137. Dan. 3. 31. Mich. 7. 9. Jer. 30. 14. Ibid. 15. Psal. 108. 92. Psal. 6. 2. Jer. 10. 34.

Tibi vero totum quod pateris ascribe, E tuæ culpæ omnia, tuis peccatis imputa universa. fortassis enim & hæc tua ad aliquid fuit commotio, cujus rei gratia hujusmodi datus es supplicio; quod si non, amplius habes unde gaudeas; si vero amplius, quod defleas, sed tamen non desperative, quia divitias bonitatis Dei nullus valet pensare, nedum æstimare. non minus vero si ita est, temetipsum tuosque quam ipsos lugere convenit traditores, maxime si aut tuæ ecclesiæ fuerint filii, aut forte, quod absit, ejusdem cujus es officii, cum & te occasionem; quia materiem mortis recognoscas filiorum fuisse, & dolere possis tot cœli luminaria tuis tenebris involuta, tuo fore casu extincta

extincta. sed quia hic pie justus districte A quædam solet ferire, ne inveniat quod illic æternaliter debeat punire, inter ipsa lamenta te ejus misericordiæ reficiat memoria, qua scilicet actum est, ut canere possis cum psalmista: *Ego autem in Domino gaudebo, exultabo, & lætabor in misericordia tua, quia respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam, nec conclusisti me in manibus inimici, statuisti in loco spatioso pedes meos.* quod totum recte dicere valebis, si indulta pœnitentiæ tempora non neglexeris, si pœnam illatam patienter tuleris, sciens de causa peccati præteriti hanc processisse pœnam peccati præsentis, qua te nec peccare peccans videre, ut non peccares ab iniquitatibus comprehensus potuisti. Precare itaque sedulus, ut & istud tibi clementissime divina pietas parcat, & illa ob quæ in istud vel potius in ista es devolutus: ista vero dico, ut & peccatum memorem, & flagellum peccati ad te omnem referens summam, in isto necessitatis camino absumens deleat, teque in hoc sæculo ita emaculet, ut nil inveniat, quod edax ille inextinguibilis ignis futurus exurat: potius ejus gratia quod remuneret, justitia quod coronet.

Psal. 30. 8.

Destitutionem vero tuorum cum magnopere debeas plangere, non tamen inconsolabiliter te id convenit agere, cum pastorem summum per prophetam noveris dixisse: *Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo illas sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum.* Et per quemdam sapientem dictum agnoveris, quia necesse est adesse divinum, ubi humanum deest auxilium. quod si prolixitas te excruciat temporis, & perditio contristat obeuntium sine subventu baptismatis, idque tuos non curare tortores, tantum de tui cruciatu suas ut compleant voluntates, perpendis Dei te totum subdens voluntati, & disposito vitam ipsam dare, ne dicam dispendium omnimodum honoris pro grege paratus subire, illius dicentis utere voce: *Si propter me hæc tempestas est, tollite me & mittite in mare*, tantumne diutius mei causa navis pericliteur ecclesiæ, tam innumeros, heu dolor! filios morti transmittens æternæ. verum ista modo volumus.

Ezech. 34. 11

Jon. 1. 12.

Clericus es? ipsum quæso sufficere. Deus illa tibi concedat prodesse, a mente conveniat vocabulum, videlicet ut de sorte perpendens te esse debere Domini, aliud propter ipsum ambiens, tanti boni consortium perdere nonnihil timeas: magis tali socio te dignum exhibeas. Canonicus si diceris, vide ne a canonibus devies sanctis. quod si forte eos respuis, cogita in quali ordine judici debeas præsentari, qui scilicet laïcum abjurasti, & ecclesiasticum non servasti. Præsbyter es? gravitatem quam ferre videris nomine, conserva operatione. Diaconus es? ministrum te agnoscens esse sacramentorum cœlestium, pudicum te secundum apostolum omnimodis agens, tantis dignum officiis, Deo cordis & corporis conserva cælibatum, sciens manibus immundis tam sacratissimum tractari non debere satrificium, quod institutum ad delicta emundanda est omnium. Subdiaconus es? subditum te esse debere non solum Deo, sed omnibus scias ecclesiæ prælatis, ut a Domino & hic exaltari, & in futuro remunerari merearis. Exorcista es? ipsum quem B adjurando a corporibus aliorum expellis, dominari non permittas sensibus tuis. Ceroferarius? lumen aliis ministrans, te peccatorum & ignorantiæ tenebris obscurari ne sinas, magis & ipse intus illuminari, & aliis lumen boni exempli præbere, quæso contendas. Lector es? id instanter unde agnomen trahis agendo, stude, ne discrepes ab officio. Ostiarius es? cor tuum Deo pande, venienti diabolo claude insidianti.

Monachus es? nullam admonitionem indiges, non tantum ut in eo quod bene cœpisti optime perseveres, si tamen es quod C diceris, quod putaris, quod in habitu prætendis. Quod si aliter, quod absit, væ tibi qui lupum sub pelle ovina tegis. Vide tamen ne desperes expellere magis lupum a corde, & redde ovem pelli suæ. memento Dominum, ut jam alibi diximus, ex lupo ovem, immo reddidisse pastorem. sed ut illum excusando te magis accusem, aliud est ignarum boni aperte sævire, aliud sub prætextu religionis & alios decipiendo fallere, & iram sibi Dei simulando quod non D est provocare. At tu forte non simulatione illud agis: quadam negligentia consopitus segniter torpescis. Repara itaque vires, resume constantiam, induere fortitudine, ut gigas pugna fortiter contra aëreas nequitias, neque enim aliter eas devincere, neve alio modo tam arduum culmen valebis ascendere. Meditare regulam, vitas sanctorum patrum crebrius relege, in his te quasi in quodam speculo conspice, & vitam tuam ad illorum compone, obedientiam tibi primum indicito, conventus pu- E blicos caveto. contubernia sæcularium fugito, scito a quodam verissime dictum, quod & a nobis, heu dolor! experimento quoque constat probatum, quia ovis quæ de ovili egreditur, luporum morsibus patet. Si quando vero obedientia aut aliqua justa necessitas tibi processum indicit in publico, habitus ipse, sermo, vel potius solitudo ipsa, incessus, vultus, & color sit admirationi cunctis, timori & exemplo. meum & tuum quasi quoddam vita sacrilegium, sine quibus quietissima omnium generalitas valuit esse. Et postquam cuncta com-

pleveris, quæ vero conveniunt monacho, memento te in hoc periculoso adhuc navigare salo, in quo omnia pene incerta, omnia dubia, tam secunda quam adversa, tam naufraga quam tranquilla: donec igitur pervenias ad portum, ne te reddas securum. audi Ambrosium: Laudari ante gubernator non potest, quam in portum navim deduxerit. Abbas es? memor esto quod diceris, quamque difficilem rem & arduam susceperis, utque in te finem istius claudamus sermonis, attende quæso tanti dignitatem nominis, cujusque vice fungeris oculis perspice mentis. Monachus est qui se ita interceptum angustiis videns, usque ad desperationem pene adductus, sed omnipotentissimæ miserationis Dei anchora, ne in carybdim ipsius penitus proruat retentus, timorem illum de miseratione Dei existere ratus, ad se revertitur, laqueumque quo cum Juda strangularetur, imponere sibi devitat, relinquensque omnia quæ in sæculo possederat, ambitum scilicet ipsum cum sensu, monasterium petit, totumque se Domino tradit, nihil sibi utique reservans ex omnibus, quippe qui nec ipsum corpus in propria retinendum noverit atque decreverit potestate. quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur, nedum dicere, cogitare saltem sibi computans interdictum, omnia necessaria a patre monasterii sibi proventura securus. De monacho, inquam, satisfactum decerno.

Nunc vero quid de abbate dicemus? diximus quidem paululum, sed & de eodem paulo plus prosequamur. Abbas est omnium monachorum, si loqui auctoritas ita concederet, monachissimus, qui utique plus jejunare, plus valet orare, plus legere, plus psallere. inediam, nuditatem, inopiam, contumelias, despectum, famem, sitim, algorem, ventum, imbrem, nivem, grandinem, probra, derisiones, subsannationes, ad postremum omnia incommoda patientius tolerare, benivolentiam, ubi beneficentia non suffragatur, omnibus etiam odio eum insectantibus, amplius ceteris exhibere, qui docibilior atque docilior ceteris, qui si fieri potest, hoc est concordantibus ceteris virtutibus, sapientior, qui caritate refertior, qui disciplinæ rigore volentior, qui benignitatis copia mansuetior, qui liberalitate præstantior, qui ad compatiendum calamitosis paratior, qui humilior sit omnibus, atque submissior. & hic quidem ut de monacho, sic & de abbate satisfactum decerno.

Isti etenim quos passim compertum, proh nefas! habeo monachis tantum præesse, non autem monachi affectant, certifico, esse; & ideo eos fugiendos potius quam sequendos autumo fore, nedum eorum exemplo consultum sit vivere, quos constat tam noxia, tam innumera, tam gravia, tam inmania de se protulisse. Opportunum sane censeo narravisse quid horno anxietati contigerit meæ. Lauduni namque cum essem, nativitatis Domini die, rogavit me abbas, ut in festivitate sancti Stephani in capitulo sororum venirem, & ut verbis ipsius loquar, eis aliquid boni dicerem. annui, & post consuetam lectionem, petita & accepta benedictione, dixi. Rogatus aliquid boni vestræ dicere caritati, non invenio aliud, nisi qualecumque sit quod ista nocte mihi contigerit, vestræ referam dominationi. Sollicitatus nimium heri pro recipienda provisione abbatiæ sancti Amandi, cum ad nocturnale officium vigilando, ut pro nefas! sæpe somnians starem, dum lector ad eum pervenisset tractatus beati Hieronymi locum, ubi Dominus in evangelio quibusdam præfatis prosequitur dicens: *Venient hæc omnia super generationem istam*, & ego explanatione ejusdem jamfati doctoris hoc ita intellexissem, quod qui hodie fratrem suum, hoc est Christianum aliquem, injuste interficit, tanto majorem noxam sibi contrahit, ab his qui ab Abel justo usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ aliquos occiderunt, quanto & illam omnem pro consortio generationis utique habet & suam insuper quam imitatione commisit ipsorum. Cumque me hoc nimium terruisset, ut sæpe contingit, ex aliis alia colligens, & quod de homicidio sensum fuerat sentiri, & de ceteris criminibus ratio evidens postularet valere, cœpi intra me dicere, tunc ergo debes abbas cum hujusmodi conscientia fieri? Monachus primum efficere. nam de præsulatu tum temporis exciderat, nisi quod & hunc indigne subjerant multi. Igitur quia ab illo quo libri hujus clausula fieri debuit longe digressi sumus loco, anchoram nostram in isto figamus modo, ut paulisper recreatus proreta, vires citius expeditiusque resumat, hujus itaque nostri scilicet textus sermonis in laudem definat sanctæ Trinitatis. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, ô beata Trinitas. Miserere, miserere, miserere, licet indignissimo, de te tamen indecenter loquendi trepido, cujus nomen non ignoras, mihi.

Matt. 23. 36.

Explicit liber quintus.

INCIPIT EJUSDEM NEGOTII SEXTUS.

USuale est nautis, non minus pyratas quam procellas, plus vero nonnumquam ipsius vicinia portus, quam ipsum formidare pelagus, dum dromo sæpe præter granditatem onustus improvise illidi-

tur syrtibus, spesque tota laboris cum ipsis A deperit laborantibus, amicis è vicino spectantibus, quod ne & nobis contingat, exurgens precamur. Salva nos ne pereamus. Te enim sine nil altum mens inchoat, nedum perficiat. Sextus hic gubernatrix dealitas summa, dum de te nobis præsumentibus sulcari nititur sinus, portum jam respiciens quo tendimus. Ut jam itaque ordinibus sacris breviter tactis, veniamus ad hominum discretos effectus, eosdem quoque alloquentes, quo possumus succinctius. Justus es? suggero dissimula, immo cogita te non esse, ut possis veraciter esse. Peccator es? contende quantum vales non esse, recognoscens B te veraciter esse. Hoc enim pacto, Deo adjuvante, poteris aliquando non esse. Justus es? Vide ne corruas. Peccator es? conare ut surgas. Justus es? Teneat te casus angeli ad cautelam. Peccator es? animet te ascensus hominis ad pœnitentiam. Nec tu itaque prior de propria actione confidas, nec iste de Dei misericordia desperet, quia si scitur hodie quales sitis, cras uterque quid futuri sitis omnino nescitur. mutabiles enim tam tenebras quam lucem cordis esse, & lapsus tantum, & erectio quotidie monstrat lapsorum. Unde & quibusdam cum & alibi dixerit: *Qui stat videat ne cadat*, dicit Apostolus, C
1. Cor. 10. 12. *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in*
Eph. 5. 8. *Domino*. Peccator es? audi unde gaudeas:
Luc. 15. 10. *Gaudium est in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente quam supra nonaginta novem justos qui non indigent pœnitentia*. Justus es?
Luc. 10. 18. audi quid caveas: *Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem*.

Ceterum nec justus adeo, nec peccator adeo: medius quidam inter hæc duo te delectat locus. Time rogo ipsum valde teporem, ne ab ipso rursus labaris ad frigus. D Nam sicut a tepore ad calorem, ita sæpenumero ab eodem declinatur, teste Gregorio, ad frigus. audi denique quid angelo di-
Apoc. 3. 16. catur Laodiciæ: *Utinam calidus esses aut frigidus, nunc autem quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*. væ autem qui ex ore inrecuperabiliter evomitur Dei. Quo contra psalmista de sanctis: *Ibunt*, inquit, *de*
Ps. 83. 8. *virtute in virtutem*, quia videlicet, ut Leo beatus ait, scientes arbores se esse in ecclesiæ viridiario plantatas Dominico, non solum cavent ne deficiant in pejus: etiam dant E magnopere studium ut proficiant in melius. cum autem pulcherrima cujusdam nostrorum quia mitissima habeatur sententia dicentis, non futurum extra misericordiam qui vel partem bonorum operum fuerit assecutus: non minus tamen receptissima alterius quia verissima est retinenda definitio dicentis: qui non proficit deficit, & qui nihil adquirit nonnihil perdit. cui assentiens nec inferior alter, omnis ait defectus ad nihilum tendit. His itaque ita connexis, timendum ne dum non inhias profectui, succumbas defectui, devenias nihili. Sunt autem quidam, teste Gregorio, a quorum liberari satage consortio, qui ut fruantur sæculo, dispensatorie serviunt Deo: sunt contra alii, quorum in numero stude inveniri, qui ut fruantur Deo, transitorie serviunt mundo. Hunc autem medium esse justitiæ locum æstimo. quod si omnino te erigere non vales, ut non vales, ad suppremum illum Deo placendi ordinem ullomodo, saltem vel ad istum te humiliter firmissimeque teneas medium postulo, ne quando scilicet ruas ad illum infirmum ordine devio. neque enim ideo debes fieri perditus, quia non vales esse perfectus; nec ideo pessimus, quia non potes existere optimus. ipsa denique humilitas qua de te vilia æstimas, si sit vera & non potius segnitia, te quandoque erigere valebit ad sublimia, teste voce Dominica.

Ne vero dum hæc mitius tecum ago, me tibi suadere putes, vel etiam forsitan concedere, ut ab aliquibus dum abstines, alicui deservias quasi cum venia vitio, cum docente apostolo, noverim quia modicum fermentum totam massam corrumpat, audi dictum a Jacobo: *Quicumque totam legem* Jac. 2. 10.
observaverit, offendat autem in uno, erit reus. Legem autem hanc utrum evangelii aut veteris testamenti, an simul utramque dicat, studiosis relinquimus disquirere, cum & interrogata in duobus præceptis totam Veritas ipsa legem & prophetas dixerit pendere, & Apostolus plenitudinem legis dilectionem dixerit esse. Scimus vero Augustinum dixisse: si quis unum mandatum custodiat, aliud prævaricetur, non ei prodest. Custodit se aliquis ab avaritia, non custodit ab adulterio. Utique in uno convictus, damnatur etiam sæculi legibus, nec prodest ei alterius criminis abstinentia, qui in altero fuerit deprehensus. Hoc sensu cum terribile sit valde quod protulit, sed tamen super hanc eamdem apostoli sententiam Hieronymum jam consuluerit, nec incognitum nobis legem totam intelligere decem illa generalia præcepta, unde omnium specialitas velut è quodam rivo fidibus decacordi distincta derivatur, quæ cum insolubiliter a duobus illis maximis & primis deducta, decem faciant rivos, septem videlicet ad dilectionem proximi, tres pertinentes ad dilectionem Dei, ita suam servant unde emerserant naturam, ut unum sine altero, sicut nec caput ita nec amplecti veraciter respuique valeant membra. nam sicut Deum non diligere probatur, qui proximum non diligit, Johanne dicente: *Si quis dixerit quoniam diligo* 1. Joh. 3. 9.
Deum, & fratrem suum odit, mendax est. Et non tam proximum, quam etiam inimicum, Domino dicente: *Diligite inimicos* Matt. 5. 44.

vestros, benefacite his qui oderint vos, ut sitis filii patris vestri qui in cœlis est. nulla autem evidentior redamatio, quam patris ad filium, filii ad patrem, quem non amare convincitur, qui ejus suspernit jussionem. ita illa tria quæ a primo deducuntur, nullus. qui illud veraciter observat potest prævaricari. nemo enim diligens Deum, alium colit præter eum, neque accipit nomen ejus in vanum, nec aliquid facit boni nisi propter verum sabbatum, hoc est requiem sempiternam; & sicut proximum non diligere comprobatur, qui Deum non diligit, nam nec se ipsum diligit, psalmista dicente: *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam*: ita qui illud diligit veraciter, cetera ex hoc deducta non negligit. nam & honorat parentes, nec mœchatur, nec occidit, nec furatur, nec falsum testimonium dicit, nec concupiscit uxorem proximi sui, nec rem aliquam ejus. qui vero aliquid horum prævaricatus fuerit, omnium reus ideo tenetur, quia in ipsum excessisse fontem unde cuncta procedunt videtur, cum neutrum horum quæ sunt prohibita agere, dum & proximum veraciter diligens possit. Dilectio enim proximi malum non operatur, hæc cuncta diximus ideo, ut si saltem illum medium bonitatis locum vis obtinere, omni capitali vitio studeas carere.

Psal. 10. 5.

Capitalia vero ea noveris esse, quæ decacordum tabulis lapideis prohibet scriptum. Et ut eodem sensu ea dinumeremus, quæ jam sunt a beato Augustino digesta, sciendum est primo, quia idolorum est perfidia, a qua te prohibet, cum dicit: *Deus tuus, Deus unus est.* Hanc sequitur error hæreseos, & diversarum superstitionum, præcantationes videlicet, & quæ vulgo dicuntur facturæ, & illa quæ vanitates & insaniæ falsæ dicuntur a Psalmista. ipsa quoque quæ Apostolus terribiliter enumerat dicens: *Dies observatis & menses & annos, timeo ne sine causa laboraverim in vobis*, & his similia, a quibus omnibus compesceris cum audis: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* perjuria quoque & in hoc mihi videntur prohibita, hinc superbia, elatio & inanis gloria, vel amor sæculi, pro quo maxime in omnibus negotiis laboratur ab his qui Deum non diligunt, a quibus retraheris cum sabbatum servare juberis, id est ut declinans a malo & faciens bonum, vaces a peccato, & servias Deo. omnia autem humiliter, non superbe, propter remunerationem æternam, non propter inanem sæculi gloriam. Hæ tres præceptorum distinctiones, malorumque prohibitiones. Ad amorem vero proximi pertinent hæc: *Honora patrem & matrem*, ubi præter carnalem genitorem, etiam Dei Patris & ecclesiæ matris præpositorumque ecclesiæ honor specialius tibi indicitur. *Non mœchaberis*, in quo compesceris ab omni libidine. *Non occides*, in quo prohiberis ab omnimoda crudelitate. *Non furtum facies*, in quo restringeris ab avaritia & rapacitate. *Non falsum testimonium dices*, in quo prohiberis a falsitate, perjurio, detrectatione. *Non concupisces uxorem proximi tui*, in quo revocaris etiam ab adulterina cogitatione. Hæc si illibate custodieris tecum, te exemplo Domini juveni se hæc observasse dicenti, ut ad majora subveharis, possum commonere. si autem in aliquo horumte prævaricatorem deprehendero, non te accendo ad meliora; (corrigere moneo iniqua, nec ut scandas dico de virtute in virtutem,) sed ut convertaris a malitia ad bonitatem. nam non est iste locus ut putabas bonitatis medius, immo est nullus. qui enim nec Deum nec proximum diligere contra hæc decem præcepta excedendo in aliquo, etiamsi quædam illorum videaris implesse, probaris, quam bonitatem habere te putas, antequam ea scilicet quæ minus fecisse te agnoveris corrigas? cum autem vel usu bonitatis, vel satisfactione emendationis his te vitiis, quæ hæc decem prohibent purgatum, his te virtutibus quæ monent, id est dilectione Dei & proximi, fide & spe agnovero ornatum, te locum credo subisse medium, & aut ad superiora evehuris, omnia scilicet vendendo, & dando pauperibus, Christumque sequendo moneo: aut certe ut firmiter te saltem in his teneas suggero, quia solis his te non solum salvandum, etiam remunerandum scio, Psalmista dicente: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnia scribentur*, hoc est perfecta & imperfecta. Perfecta autem sunt quæ, ut præmisimus, Dominus juveni offerebat, dicens: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me.* Imperfecta vero, quæ jam medium justitiæ locum describentes præmisimus, quibus etiam sæculares pervalde Deo placere credimus, per quem pœnitentiæ dignos fructus misericordissimi judicis gratiam nos mereri, etiam post multimodum ipsius contemtum speramus, nuptialemque quam terrena læsione perdimus vestem, etsi non cum corona, saltem cum venia, reconciliatos nos recepturos credimus, omnia vero hæc ad reprimendam præsumtionem, & excitandam devotionem, non injiciendam cum sint prolata desperationem.

Gal. 4. 10. Exod. 20. 7. Exod. 20.14. Exod. 20.13. Ibid. 15. Ibid. 16. Ibid. 17. Ps. 138. 16. Matt. 19. 21.

Sciendum etiam minima quæque persæpe multum valere, cum & largitate solummodo eleemosynarum maxima conversis donentur peccata, hoc agi tantummodo gratuita Dei constat gratia, quæ id quod miserando inspirat, miserando ut perficiatur adjuvat, miserando perfectum recipiens coronat, facit & hoc omnia delicta extinguens

guens caritas. Nemo enim veraciter alicui miseretur, nisi Dei & ipsius amore cui miseretur, cujus virtutis tanta est prærogativa, ut etiam ejus imperfecta multum sint accepta, cum & hac carens virtus, etiamsi videatur esse aliqua, sit nulla, teste voce apostolica. Nam ut dicamus de ipsa qua in Deum credimus fide, si propter aliud credendo eum, quam propter illius nostræque animæ amorem colimus, nil utilitatis adquirimus. Sperare autem de eo quid aliud maxime præcipimur, nisi quod ejus amatu vel redamatu, visione & cognitione in æternum fruemur. Non mœchari autem, non occidere, non furtum facere, non falsum testimonium dicere, non concupiscere rem proximi, nec ejus uxorem desiderare, vel aliud nisi pro Dei fraternoque amore quid putamus juvare?

Quodlibet itaque bonum quamquam minimum, si propter caritatem facis, securus esto, cum fructu facis: si propter aliud facis, ne erres, inaniter facis. A quolibet malo si caritatis amore compesceris, mercede non carebis. Si ob aliud agis, nec venia nedum gratia dignus haberis. Quisquis ergo medium locum justitiæ vis obtinere, hæc observa decem præcepta, & hoc propter duo illa, id est, dilectionem Dei & proximi. Quod si contingat ab his te forsitan elabi, quo citius potes recurrens ad pietatem quem amas medici & contemtum paulo minus amorem ipsum confitens, multumque deflens, tuo stude loco restitui. amat enim eos a quibus quoque non amatur, nedum te despiciat, a quo quamlibet parum negligentius ex aliquo diligitur. Cum ergo tanto amico festina reconciliari, undeque cecideras restitui, quandoquidem restitutos nonnullos vides etiam ad potiora provectos. Vera autem restitutio, ubi vera confessio; vera autem confessio, ubi vera conversio; ubi autem vera conversio, ibi vera curatio. nam quid pertinet vulnus medico monstrare, si eo non vis carere? sæpius vero monstrata nec curata plus tument vulnera, ita ut & ipsos sui fœtore a quibus videntur inficiant, frequenti attactu deteriorata.

Pœnitens itaque es, aut esse vis? considera regulam pœnitendi in dictis expressam
Matt. 3. 8. Baptistæ Domini: *Facite*, inquit, *fructus di-*
Luc. 3. 11. *gnos pœnitentiæ.* Et paulo post: *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* Ceteraque exequens misericordiæ opera, docet perspicacissime curam aliorum necessitatibus misericorditer debere impendere, qui ut misericordiam consequatur a Domino, culpas insequendo pœnitentiæ dignum cupit fructum exhibere. Vestiat itaque necesse est nudum, qui amissum innocentiæ vult recipere ornamentum; pascat esurientem, qui mortiferam animæ desiderat evadere famem; potet sitientem, qui vult evadere ægritudinem morum; consoletur in carcere constitutum, qui inferni non vult subire ergastulum; confortet dolentem, qui æternum non videre desiderat dolorem. Recipiat hospitio peregrinum, qui vult a Domino recipi in æternum illud paradisi tabernaculum. Redimat captivum, qui a diaboli laqueis cupit liberari. Per Christum solatietur in aliquibus necessitatibus constitutum, qui de necessitatibus diversarum vult liberari angustiarum. Sepeliat mortuum, qui perditionis æternæ cupit evadere lethum. Liberet constrictum pro debitis, qui liberari a suis cupit peccatis. Eripiat eos qui ducuntur ad mortem, qui vult inferni effugere carcerem. Vincat animum impatientem, qui vult diabolum superare bacchantem. Corripiat in misericordia negligentem, qui castigantem placare vult Deum Patrem.

Est autem præter hos alius misericordiæ promerendæ specialior tantopere modus, quanto ab ipso Domino ore proprio institutus, hisque adjunctus, immo ordine, natura, atque utilitate ita prælatus: *Dimittite*, inquit, *& dimittetur vobis, date & da-* Luc. 6. 37.
bitur vobis. Et *Nisi dimiseritis hominibus* Matth. 6. 15.
peccata eorum, nec Pater vester qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra. Tertioque idem eodem replicans sensu: *Cum statis*, ait, Marc. 11. 25.
ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut & Pater vester qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra. Quarto autem parabola quæ & idem monstraret promissa: *Sic & Pater meus cælestis faciet* Matt. 18. 35.
vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris, videlicet ne ore se quis æstimet Deum posse fallere, qui ipso videt in corde. Quinto vero: *Si offers*, inquiens, Matt. 5. 23.
munus tuum ad altare, & recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Sed tu forsitan dicis: Abest longe quem læsi, nec possum eum adire. dicit tibi angelus: *Gloria in excelsis* Luc. 2. 14.
Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Dicit & psalmus: *In me sunt, Deus,* Psal. 55. 13.
vota tua, quæ reddam laudationes tibi. Dicit & Apostolus: *Si fieri potest, & utcumque pacem in voluntate retine;* ita enim & Dominus: *Si ibi fuerit filius pacis, requiescet super* Luc. 10. 6.
illum pax vestra; sin autem ad vos revertetur, id est, non deerit a voluntate & remuneratione vestra, etiamsi ab illo non fuerit recepta. Dicit & Gregorius: Debemus itaque ad proximum quamvis longe positum longeque disjunctum mente ire, eique animum subdere, humilitate illum ac benevolentia placare.

Sexto demum Dominus: *In qua*, inquit, *mensura mensi fueritis, remetietur vo-* Matt. 7. 2.

Joh. 8. 7. bis. Septimo dicens de adultera: *Qui sine peccato est vestrûm*, ait, *primus in illam lapidem mittat*, hoc est, feriat alterius sine misericordia admissum, qui in se nullum habet quo feriri possit peccatum. Hinc Seneca: Unde, ait, si adhuc malus es, & similibus parce: verum si esse desisti, cur aliis bonum emendationis abscidas, si tamen hujusce istic non dissonet persona.

Matth. 7. 3. Octavo, *Ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui*: festucam iram dicens subitam & levem; trabem superbiam, odium, & inimicitiæ retentionem. Nono, *Medice cura teipsum*, id est, emenda prius in te iram vel odium, & ita demum alterius insequendo cura peccatum, exemplo videlicet cujusdam philosophi, qui cum ad iracundiam, ut jam in alio volumine retulimus, concitaretur, eidem a quo incitabatur dixisse fertur: Jam te percuterem, nisi iratus essem. Quod si alicui fidelium contigisset dixisse, quid aliud ageret, non custodita propriæ mentis sospitate, illius phrenesim haustu patientiæ curaret? Quid vero nobis trabem proprio in oculo ferentibus, & de alterius festucam avellere nitentibus? facto in hujusmodi gentilis idem, proh nefas! clamavit, non quod jam dudum propheta: *Erubesce*, inquiens, *Sidon, ait, mare*; ac si ipso exemplo diceret: Qua fronte Christianus quilibet cum trabe superbiæ alterius de oculo festucam alicujus vitii conaretur demere, cum me academicus nec ipsam festucam iræ oculo cordis velle videat gestare, dum de alterius tignum elationis studeo revellere?

Luc. 4. 23.

Isa. 23. 4.

Luc. 6. 27. Decimo vero item Dominus: *Diligite*, inquit, *inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Facessat ergo omnis indigne pœnitentium, immo Deum hac simulatione ad iracundiam provocantium, his divini oris præter innumerabilia tonitruis perculsa saltem dolositas, æstimantium veniam se mereri nullo modo peccaminum, quamdiu in corde aliquod phreneticum retinent odium.

Ad fructum autem dignum pœnitentiæ etiam hoc pertinet maxime, ut qui se illicita perpetrasse considerat, sese a licitis caute restringat, ipsarum etiam rerum illecebris, quas sibi causam alicujus recognoscit fuisse criminis, corpus suum assuefacere ulterius caveat: sciens a quodam veracissime dictum, quod & a nobis utinam non fuisset perspicacissime, heu dolor! experimento nuper probatum; quia aliud est exhausta pestis, aliud consopita. Furens enim adversarius, a corde se docens expulsum alicujus, propulsionis suæ vindicare nitens injuriam, præter alia mille nocendi ingenia, illum maxime quo admitti solebat, observat introitum, cui nisi virilis cum Dei auxilio adhibita fuerit custodia, exemplo necis Hisboset, cujus dormiente ostiaria improvise contigit interitus, cum in inguine, ablatis etiam spicis quod purgabatur frumenti, a latrunculis fuerit percussus, plerumque irruere tanto solet sævius, quanto inopinatius, juxta hoc quod ait Dominus: *Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa quærens requiem, & non inveniens, dicit, revertar in domum meam unde exivi, & veniens domum*, & reliqua. *Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & ingressi habitant ibi, & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Ecce quod malum de negligentia, desidia, vel torpore generatur. Unde & Psalmista dum necessitates carnaliter populi describeret, casus moraliter nostros ostendebat, dicens: *Omnem escam abhominata est anima eorum, & appropinquaverunt usque ad portas mortis.* Escæ autem animarum, oratio, psalmodia, jejunia, eleemosynæ, & continuæ sunt lectiones: quæ qui abhominatur, nisi ei contingat quod sequitur, id est, ut clamet ad Dominum dum tribulatur, ut & necessitatibus suis liberetur, æternæ sine dubio mortis, teste Gregorio, periculum incurrere creditur. desperatur enim ejus etiam temporaliter vita, qui carnalia respuit alimenta. Luc. 11. 24. Psal. 106. 18.

Sed ut meipsum in hoc quod cœpi traham in exemplum, cum paulo resolutius quam competeret nudius-tertius me agerem, sensi proh nefas! in parvissima, ut mihi videbatur, non ut erat, occasione quam me titillans amara illa voluptatum suavitas, etiam in carcere positum, dolore confectum, pupugerit, longe quidem quam solebat mitius, sed rursus longe aliter atque putaveram: ita ut in hoc saltem cognoscere potuerim, non mollem, sed omnimodis fortem; non muliebrem, sed virilem cordis januis me debuisse custodiam adhibere. Quod, ô bone Jesu, pie, cœlestis, ac sapientissime istic poni decuit medice; non ut tibi revelem, qui omnia nosti antequam fiant, sed ut præter id quod potissimum est flagitandum, id est, dum ego illud describo ut deleas, dum ego adversum me, confiteor, tu cum innumerabilibus & gravioribus deleas; etiam lecturis in isto provideam, videlicet ut causam juste quam patior animadversionis tuæ perpendant, quo tuam in hoc justitiam glorificent: considerantes quam reus in tuo conspectu parebam, cum me illud nec esse omnimodis cœcus perpenderem, cum & nunc percussus, prostratus, oculisque parumper apertis, teque ex aliquantulo, ut mihi videtur, a te autem utrum faciam veraciter sci-

tur, sciens, & me non tam emendare quam corrigere cum tui adjutorio, ut te videre merear, volens dominis quoque crudelissimis, qui me dum a te fugerem receperunt, terga ad te refugiendo dare deliberans, nexu adhuc insolitæ consuetudinis & maculis retentus pernoxiæ frequentationis, tam miserrime ictu zabolico terebratus, jaculisque peccati percussus confodior. Rursus quam miser eram perpendant a te penitus aversus, qui tam inutilis adhuc pareo ad te quasi conversus; quam impius cum me ipse crudeliter interficerem, qui tam iniquus cum me a te refici misericorditer postulem, quid superba caro in prosperitate egerit, quæ adhuc in tam maxima adversitate superbit; qui petulcus moliebatur animus, cum quædam illi pro voto arridebant, cum adhuc evanescat, cum universa ei repugnant, simul ut mei jactura sibi cautelæ capiant commoda. felix enim alterius cujus sunt documenta flagella, proque memet miserrimo tuam eo obnixius postulent clementiam, quo numerosiorem agnoverint culpam, abundantiorem intellexerint & intercessionis indigentiam.

Verum ut ad te cum quo mihi erat sermo redeam, suggero, ut dum agis pœnitentiam, ipsam quoque non solum a malis, etiam a bonis temperes linguam, Psalmista docente te dum dicit de se: *Cum consisteret peccator adversum me, obmutui.* Et *humiliatus sum & silui a bonis.* Qui tamen præmiserat: *Posui ori meo custodiam.* Aliud enim est custodiri, ut rationabiliter, dum utilitas exposcit, proferatur; aliud penitus obturari, ne ullatenus proferatur. Unde & in alio psalmo precatur dicens: *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Ostium vero & aperitur & clauditur. peccatoris vero nomine diabolum hic expressum intellige, qui tentationis vel pœnitentiæ tempore, ut jam dictum est, contra nos maxime probatur consistere. Nam & illum qui uxorem patris violaverat, tradi Apostolus satanæ præcipit in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. tradi autem satanæ dicitur, ad conflictum, non ad dominatum; ad certamen, non ad servitutem; ad carnis interitum, non ad animæ detrimentum; videlicet ut dum illo cum adversario jejuniis, vigiliis, ceterisque corporis cruciatibus pugnante, caro interiret, spiritus hoste devicto salvus in die Domini fieret. Unde & alibi quædam sæcularia in exemplum proferens idem ait: *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Et verissime. Nam & in scammate luctaturis quorumdam abstinentia indicebatur: ita ut etiam cibus eis agonisticus daretur, id est levior, qui corpus reficiendo roboraret, non gravando elideret; & quia luxuria quoque ni-

Psal. 38. 2.

Psal. 38. 2.

1. Cor. 9. 25.

A mium debilitat corpus, laminas plumbi renibus circumponebant, propter pollutionem nocturnam: quæ omnia cum propter corruptibile bravium illi facerent carnaliter adipiscendum, nos spiritualiter agere in hoc longe dissimili potius debemus conflictu, ut & carnem spiritui subjiciamus, & diabolum prosternamus, & bravium sempiternum pro victoria capiamus.

Quamvis & alio congruentius modo possit intelligi quod dictum est, *Tradere hujusmodi satanæ.* Satanas quippe adversarius vel contrarius interpretatur, per quod contrarietatis nomen significatur traditum peccatorem contrariis anterioris vitæ consuetudinibus: verbi gratia, ut qui ante deliciis, nunc utatur amaritudinibus, & quicquid aversum vel contrarium est voluptatibus, exerceat pœnitentiæ diebus, ut intereunte hujusmodi contrarietate per afflictionem carnei spiritus in die Domini salvus mereatur existere. 1. Cor. 5. 5.

B

Sciendum autem alium modum esse pœnitentiæ, quo judicio totius ecclesiæ quis certo tempore, alium quo nostra sponte pœnitemus omni tempore. istud nulla constringitur lege, nisi prout quisque sibi velit indicere tantum ut pro modo ægritudinis medicinam sibi noverit adhibere salutis. Illud vero ea constringitur conditione, ut nil laxius sibi possit ab eo quod præceptum est agere, nisi ipsius a quo ligatus est levigetur auctoritate, aut forte ipsius industria hoc eum ligaverit moderamine, ut si ipse defuerit, ab alio sibi absolutionem liceat postulare. Pœnitentiam vero nec iste nec ille digne agere convincitur, si dum unum quodlibet vitium sese macerando insequitur, aliud simile, aut forsitan gravius, aut certe plura alia committere non veretur. Nam sunt nonnulli qui pro commisso pœnitentes homicidio, aliud meditantur homicidium. Sunt etiam qui cum homicidium pœnitent, adulterium perpetrare non abhorrent. Quid istis evenit, nisi quod dicitur: *Væ peccatori terram ingredienti duabus viis.* Duabus viis quippe terram ingredi nititur, qui unum insequendo vitium, viam salutis quærere videtur, cetera vero exequendo, viam mortis incedere comprobatur; cum apertissime Jacobus dicat apostolus: *Qui in uno offenderit, erit omnium reus.* Hoc enim quod de homicidio & adulterio exprimendi gratia dixi, de ceteris unusquisque noverit debere intelligi.

C

D

Eccli. 2. 19.

E

Jac. 2. 10.

Notandum interea quales impios Dominus suscipiat conversos, ait enim: *Si averterit se impius ab impietate sua, & egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea & fecerit judicium & justitiam, vita vivet, & non morietur.* Si, inquit, egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis, & custodierit omnia præ- Ezech. 18. 21.

cepta mea, ne tu te putes aliquod pœnitendo delere posse peccatum; si contemptor Domini fueris præceptorum. omnia ergo crimina necesse est derelinquat, & universa præcepta Dei custodiat, qui indulgentiam consequi desiderat. Cave igitur omnis quicumque es, qui pœnitentiam desideras agere, ne duplici corde illud certamen velis adire, ne forte dum Deum te posse cogitas fallere, non quidem fallere, sed eum potius videaris irritare, quem oportuerat humillima & purissima satisfactione placare. Sed ad hoc quis idoneus, cum nemo aliquid possit suis viribus? unde quotidie clama, immo incessanter, etiam tacendo & aliud quodlibet agendo desiderans postula: *Cor mundum crea in me Deus.* Psal. 50. 12. Quod si nitenti tibi ipsa prava consuetudine exui difficilis occurrit effectus, ne rogo ideo deficias. naturalis enim iste est omnium conatuum usus. Magnus enim lapis difficile evehitur ad summa: cito ruit ad infima, nec a primordio quis potest esse perfectus, teste enim Augustino, difficile est ut sic homo mutetur, ut non habeat unde reprehendatur. Tunc tene te ad Christum, clama: *Trahe me post te*, & *Educ de carcere animam meam*, & ne tuis innitaris viribus, audi eumdem Augustinum: pugna contra concupiscentias, Deo desistente, si potes; laborare potes, vincere non potes. Unde psalmista: *Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*, ac si dicat: quantumvis nitar, quantumvis laborem, quovis mentis acie evolem, quovis proficiendo conscendam, cum ipsis pennis me scio casurum, nisi dextera tua solitum præstet auxilium. De ipso vero auxilio quantum præsumat, alibi ita demonstrat: promitto vobis filioli & certus sum quia si quis ex corde pænituerit, & ad vomitum peccati reversus non fuerit, salvus erit, tantum est fide non dubitet, ne delectationes repetat.

Cant. 1. 4. Psal. 141. 8. Ps. 138. 9.

Inter hæc igitur subruente tentatione subita, si aut in cogitatione, aut in verbo, aut denique in facto, te improvise contingat labi, ne desperes, ne deseras incœptum, ne bene agendi in aliquo interrumpas cursum, repara redivivum certamen, resume conflictum, reaccende audaciam, vindica injuriam. Solet dux eum militem plus diligere, qui frequentibus ictibus confossus, rursus adversarium revocato certamine impetit; quam eum qui aut numquam, aut terga dedit, nil virtutis inimicum expugnando monstravit. Audi etiam super hoc scripturæ sanctæ consilium: *Si spiritus*, inquit, *potestatem habentis super te ascenderit, locum tuum ne dimiseris, quia curatio cessare faciet.* Eccle. 10. 4.

Sanus es? lauda custodientem te, peccata maxima [vita per] Dei misericordiam.

A Infirmus es? lauda flagellantem pii patris justitiam: *Bonum est*, inquit psalmus, *confiteri Domino, & psallere nomini tuo Altissime.* Psal. 91. 2. Quomodo? *Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.* mane prosperitatem, noctem significans adversitatem, ac si dixisset: In prosperitate misericordiam, in adversitate bonum est annuntiare tuam laudando justitiam. Sanus es? audi a quo contineris: *Custodit Dominus omnia ossa eorum.* Psal. 33. 21. Infirmus? audi unde consoleris: *Multa*, inquit, *tribulationes justorum*, Ibid. 20. & reliqua. Et *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8. 18.

B Infirmus es? audi, ne impatienter doleas: *Quem*, enim *diligit*, *Dominus corripit.* Prov. 3. 12. Sanus es? audi ne insolenter exultes, quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes, ergo adulteri & non filii estis. Sanus es? time ne tibi dicatur: *Fili recordare quia recepisti bona in vita tua.* Luc. 16. 25. Infirmus es? opta ut de te dicatur: *Et Lazarus similiter mala.* Amplectere tu: *nunc vero hic consolatur.* Time tu: *Tu vero cruciaris*: Verumtamen ne te resolutum ipsa infir-

C mitas aut istum sanitas reddat ingratum, noveritis quia quibusdam infirmitas aut quælibet flagella, aut ad perfectum, aut ad probationem, aut ad solam gloriam Dei sunt: quibusdam autem aut ad correctionem, aut ad initium malorum, videlicet ut dum hic flagellantur, nec corriguntur, hic incipiant torqueri, ut in æternum crucientur. multa enim flagella peccatoris. Vide Pharaonem, considera Herodem. & quibusdam sanitas, aut alia bona temporalia, aut ad probationem aut ad aliorum utilitatem, aut ad judicium dantur. non numquam vero ideo dantur, ut abundante via-

D tico in præsenti liberius ad mansura bona tendatur. sive, ut dum pure quis ministrat aliena, quandoque perveniat ad sua, & dum cum Dei gloria ministrantur momentanea, gloriosius cum boni operis fructu perveniatur ad æterna. Scriptum est enim: *Dedit eis regiones gentium*, & reliqua. Ps. 104. 44. Tanto ergo minus vel affici ad hæc utraque debet quis vel extolli, quanto minus ad quid sint prærogata in hoc valet difficile mundo perpendi.

Sapiens aut es, aut esse vis, aut forte diceris? stultus secundum apostolum in hoc

E sæculo efficere, ut sis sapiens. Stultus es? *Inclina*, secundum Salomonem, *aurem prudentibus, ne sis stultus.* Sapiens es? audi: *Non plus sapere quam oportet sapere.* Rom. 12. 13. Stultus es? audi: *Qui autem ignorat ignorabitur.* 1. Cor. 14. 38. Sapiens es? audi: *Prudentia tua pone modum.* Prov. 23. 4. Sultus es? audi: *Usquequo*, inquit, *parvuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient.* Prov. 1. 22. Et *Imprudentes odibunt scientiam?* Sapiens es? audi: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Ps. 110. 10. Stultus es? intellige: *Qui* Prov. 28. 9.

averrit

avertit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis. Sapiens es? cave quod dicit
Heb. 10. 26. Apostolus: *Melius eis fuerat non cognoscere viam veritatis, quam post agnitionem retrorsum converti.* Stultus es? vide quid dicat
Joh. 7. 47. Dominus: *Qui est ex Deo, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Sapiens es? evita prudentiam carnalem. Stultus? sectare prudentiam spiritualem. Sa-
Prov. 3. 7. piens? audi: *Ne sis sapiens apud temetipsum.*
Ibid. Stultus? *Time Deum & recede a malo.* Sapiens? agnosce ipsum tuum nescire. Stultus? aude sapere, ne tentatio te subjuget antequam metus. Sapiens? audi: *Sapiens eris, si te non esse credideris.* Stultus? non naturæ, negligentiæ sapientia denegatur. Sapiens es?
Eccli. 3. 22. audi: *Altiora te ne quæsieris.* Sultus? *Quæ præcepit Deus, illa cogita semper.* Audite eumdem simul utrimque: *Neuter excusatur, nec ille qui legit, nec ille qui legere noluit*; plus deliquit qui negavit quod legit. ille autem qui cum potuit noluit scire quod faceret, nequaquam evadet, quia dictum est in Job in cujusdam descriptione maledictionis, sive scilicet Judæorum crucifigentium, sive Judæ tradentis Dominum, sive principali illi superbiæ, sive generationi communiter malorum. Utrisque enim militat sensus. *Re-*
Job. 20. 27. *velabunt cœli iniquitatem ejus, & terra adversus eum consurget, & manifestum erit peccatum illius in die furoris Domini*, cum
Job. 21. 14. eis qui dixerint domino Deo: *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Itemque:
Job. 21. 13. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*, & Sapientia satis idem
Prov. 1. 26. terribiliter: *Vocavi*, ait, *& non venistis*, & reliqua, *ego quoque in interitu vestro ridebo*, & reliqua. Propheta etiam in Threnis deplorans: *Propterea*, inquit, *ductus est captivus populus meus, quia non habuit scientiam.* Alius
Psal. 35. 4. vero: *Omnis*, ait, *iniquitas ab ignorantia descendit.* Et illud: *Noluit intelligere ut bene age-*
Psal. 81. 5. *ret.* Iterumque: *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant, movebuntur omnia fundamenta terræ.* Dominus vero in evange-
Joh. 8. 47. lio: *Qui est*, ait, *ex Deo, verba Dei audit.* Ne vero tu, neve ille alter ad qualemcumque sapientiam me putet vos invitare, præter ad illam quæ ex Deo est, & ab aliquacumque, cum cautelam suadeo, compescere alteram, cum nulla sit alia, conabor quo citius expedire potero, tria sicut in corpore, ita & in animo esse genera incrementorum, verbum è verbo, sicut hic, id est qui plura superius in adminiculo istius operis protulit prosequens ipsum. Est enim unum inquit Augustinus in corpore necessarium, quo naturalis convenientia impletur in membris; alterum superfluum, sicut interdum senis digitis nascuntur homines; tertium noxium, quod cum acciderit, tumor vocatur. etenim sic membra crescere dicuntur, revera enim locum occupant ampliorem, ex-pugnata bona valitudine, ita in animo quædam quasi naturalia incrementa sunt, cum honestis, & ad bene beatæque vivendum accommodatis augeri dicitur disciplinis. Cum vero ea discimus quæ mirabiliora quam utiliora sunt, quamquam non nullis rebus plerumque opportuna, supervacanea tamen & de illo secundo genere numeranda sunt. Noxium vero illud genus est artium, quo anima sauciatur. Istud ergo, ut hæc tria qualiter accipi debeant suppetam, pessimum genus sciendi omnimodis respuendum, secundum cavendum, primum est amplectendum. ipsa est enim vera sapientia, immo nulla alia, quæ nulla suadet, nisi honesta; nulla docet, nisi utilia; nulla præcipit, nisi Deo acceptabilia.

Prudens es? esto & simplex. Simplex es? esto & prudens. Nec enim unum sine altero aliquid valet, ut esse virtus valeat. Nam prudentia sine simplicitate calliditas; simplicitas sine prudentia fatuitas est. Audi
Dominum dicentem: *Estote prudentes sicut* Matt. 10. 16.
serpentes & simplices sicut columbæ. Volo ergo te, ut de quodam (a) satis Gregorius ait lepide, scienter nescium & sapienter indoc- [a]
tum. Lætus es? utinam in Deo. Tristis es? utinam esses pro incolatu tuo. Lætus es? Audi
in quo gaudere debeas: *Gaudete in Domino* Eph. 4. 4.
semper. Tristis es? Audi qualiter affici de-
beas: *Quæ enim*, ait Apostolus, *secundum* 2. Cor. 7. 10.
Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Dicit tibi psalmus: *Lætamini* Psal. 31. 11.
in Domino. Dicit & tibi Apostolus: *Omne* Jac. 1. 2.
gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis. Audi ait igitur lætus
ne insolescas. *Væ vobis qui ridetis, quia plorabi-* Luc. 6. 25.
tis & flebitis. Audiat tristis ne amarescat: *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Lætus: *Gaudete*
quod nomina vestra scripta sunt in cœlo. Tristis: Luc. 10. 20.
Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor ve- Joh. 16. 22.
strum, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis.
Lætus: *Spe gaudentes.* Tristis? *Quasi tristes* Rom. 12. 12.
semper autem gaudentes. Audiat utique tri- 2. Cor. 6. 10.
stis: *Gaudete justi in Domino.* Lætus: *Plange* Ps. 32. 1.
quasi virgo. Tristis: *Gaude & lætare filia Syon.* Johel 1. 8. Thren. 4. 21.
Lætus: *Quantum exaltavit se, & in deliciis* Apoc. 18. 7.
& lætitia fuit, tantum date ei luctum & planctum. Audiat tristis: *Tristatur aliquis ve-*
strum? oret æquo animo & psallat. Audiat læ- Jac. 5. 13.
tus: *Hilarem datorem diligit Deus.* Hæc ita- 2. Cor. 9. 7.
que duo ita compegi, ut & tristis mœrorem æquanimitate, oratione & crebris, si ad hoc idoneus est, psalmodiis mitigare contendat, ne rancorem incidat; & lætus hilaritatem sui, non alio quam cum Dei gratia in operibus bonis Deo ostendere humiliter satagat, ne offensam pro lætitia incurrat, & meritum pro beneficio præparet. dictum est enim a quodam, ut credo, ve-

(a) Sancto scilicet Benedicto, de quo S. Gregorius lib. 2. Dial. initio, *Recessit igitur scienter nescius & sapienter indoctus.*

racissime (hanc enim prærogativam sibi dicendi comparavit puritate, ut de ipsius testimonio nullus debeat dubitare,) qui panem egenti tribuit tristis, & panem & meritum perdit. hinc & ille qui superius, id est Augustinus, sæpissime, si cum hilaritate, inquit, bonum facis, tecum facis; si autem cum tristitia, fit de te, non tu facis. Cum itaque importunius temporale gaudium cordi subripit, respondeat intus moderatus vigor animi dolens de cæcitate præsentis sæculi: Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? rursus dum sese tristitia intolerabiliter ingerit, erecta in arcem mentis constantia
Rom. 8. 35. dicat: *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia?*

Cum igitur naturale quodammodo sit omnibus magis flere quam ridere, siquidem a fletu omnes videmur nascendo incipere, convincitur legem naturæ excedere, qui dissolutior in ridendo existens, raro, aut forsitan numquam, nec pro desiderio cœlestium, nec pro jactura terrestrium, nec pro ipsa mortalitatis contemplatione, quæ propter ipsum inevitabilem occasum tot quotidie subjacet casibus, quot servit necessitatibus, fletum aliquem corde proferre, aut oculis valet elicere: quod enim aliquotiens utilior quam lætitia sit
Eccle. 7. 5. tristitia, testatur qui dicit: *Cor stultorum ubi lætitia, & sapientium ubi tristitia.* Cui ille qui superius satis concinit laute, utilior, inquiens, sæpe tristitia est, quæ comitem solet habere gravitatem. Alius item, ipso, inquit, nostro Deus gaudet lamento. unde dicitur: *Ante ruinam exaltatur cor*, Et illud quod tamen si de futura perditione, maxime, tamen & de præsenti potest intelligi e-
Prov. 14. 13. venturum varietate: *Risus dolore miscebitur & extrema gaudii luctus occupat.* quomodo ergo inter hæc utraque statum mentis debeat moderari, sapienter te docet qui di-
Eccli. 11. 27. cit: *In die malorum ne immemor sis bonorum, & in die bonorum ne immemor sis malorum.* Hoc enim facto nec lætitia dissolutum, nec tristitia faciet desperatum, quod facundissime ille incomparabilis eloquii supra qui paulo ore depromit aureo, si qua, inquiens, est præsentis temporis lætitia, ita est agenda, ut numquam amaritudo sequentis supplicii recedat a memoria. His ita confectis, pensandum est cuique unde in præsenti gaudere debeat, ne in futuro doleat, vel unde tristari, ne notam rancoris incurrat, nam & rident homines in præsenti & plorant, & quod rident sæpe plorandum est; & quod dolent gaudendum. ridet enim quis quod plorandum est, sicut de quibusdam dicitur:
Prov. 2. 14. *Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Item plorat aliquis cum ei aliquid adversi contigerit, cum potius gaudendum
Heb. 12. 16. esset illi, quia *quem diligit Dominus corripit*, A *flagellat autem omnem filium quem recipit.* unde igitur oportet gaudere, nisi de profectu piorum? Unde tristari, nisi de defectu eorum? unde gaudere nisi de felicitate promissa? unde tristari nisi de peregrinatione hac diuturna? Leve enim est desiderium patriæ, si desunt penitus lacrymæ in peregrinatione; & frigida nimis torpet caritas in corde, si de profectu fraterno gaudere, & pro defectu nescit omnimodis dolere. unde & Augustinus, odit, ait, patriam, & valde vituperat, qui putat sibi bene esse, cum peregrinatur.

B Est etiam alia non usitata quidem multis, sed tamen dominicis mādata præceptis causa exultationis. enumeratis quibusdam quippe adventum ejus præcedentibus signis, ait discipulis: *His autem fieri incipientibus, respicite, & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* quasi dixisset, dum transire ea quæ non amatis cernitis, prope illud scitote esse quod inhianter quæsistis. valde autem metuendum hoc exemplo cuiquam Christiano de percussione mundi dolere, ne dum mundum compatiendo ei, deprehenditur diligere, inimicitias Dei videatur incurrere, apostolo terribiliter in- C tonante: *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Neque enim lugendum in precibus pro re est terrena, quia videlicet juxta dictum Gregorii fructum nullum habent lamenta, quæ cum lacrymis student quærere peritura, quod & Esau approbat consternatio cassa, quamquam licet moderate etiam de rebus minimis Deum oporteat precari, vel sicut in Timeo dicit Plato, Dei præsidium implorari. quid autem in talibus sit agendum, monstrat Abacuch prophetæ oraculum, qui dum quasdam sæculi dinumerasset clades, D concludens adjunxit: *Ego autem in Domino gaudebo.* Et psalmista: *Lætabitur*, inquit, *justus, cum viderit vindictam.* videlicet sciens adesse in proximo remunerationem bonorum, cum crebrescentem vindictam viderit malorum. Itemque: *Renuit consolari anima mea.* Hoc itaque est gaudium bonis specialissimum, huic nullus communicat impiorum. in hoc enim sæculo impii æque ut justi & gaudere videntur & affici. Gaudent enim cum adquirunt, gemunt cum perdunt. similiter sancti & non similiter, quia ex rebus etiam differentibus. Nam illi pro damnis terrenis, isti pro cœlestibus desideriis, E & tamen gaudent sancti cum adquirunt utique fructum laborum. Mœrent autem cum perdunt, id est cum aliquos de consortio sui excidere conspiciunt. Irrident illi pie plorantes, deflent isti inaniter ridentes, inaniter etiam lugentes, a risu enim ad luctum, a fletu etiam pergunt ad fletum, a fletu cum risu, ad fletum sine risu: luget quippe quilibet eorum proximum euntem ad regnum,

Luc. 21. 28. Jac. 4. 4. Hab. 3. 18. Ps. 57. 11. Ps. 56. 3.

cum potius deberet lugere seipsum festinantem ad interitum. Tu ergo ne insolenter gaudeas, ne inaniter lugeas. gaude in Domino, lætare in Deo salutari tuo; luge in sæculo, geme pro cœlesti desiderio. plange pro tuo & proximi peccato, suspira & tristare pro incolatu hoc diuturno. Dabit tibi ille pro luctu gaudium, pro gemitu exultationem, pro planctu jubilum, qui est consolatio mœstorum, spes laborantium, auxilium pereuntium, qui loquitur per evangelium: *Iterum autem videbo vos & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* (Joh. 16. 33.) Jam enim olim & hoc propheta promiserat. *Et dabit*, inquit, *tibi Dominus coronam pro cinere, pallium laudis pro spiritu mœroris.* (Isa. 61. 3.) Securus ergo cinerem porta, cui promittitur corona; gesta mœroris transitoriæ spiritum, cui manet fine fine laudis pallium. Obtempera præcipienti sedulus, immo amplectere refoventem gratissimus: *Qui flent*, (1. Cor. 7. 3.) ait, *tamquam non flentes, & qui gaudent tamquam non gaudentes*, id est, si fles tristitia præsentis mali, gaude spe futuri boni; & si gaudes ad temporale commodum, time æternum judicium. Consiliatorem enim, ut ait Gregorius, animum inhabitat, qui dolens de præsentibus ad æterna festinat.

Verum quia ad calcem nos, Deo annuente, videmur propinquare præloquii, cavendum est ne properantius quam expedit festinantes, quia semel cœpimus omnes admonere, aliquem relinquamus, aliquem negligamus: quod ne fiat, hortor & admoneo ut omnes Christiani, omnes baptizati, omnis ordo, conditio, sexus, ætas & professio, divites, mediocres & pauperes, sani & infirmi, juvenes & senes, ipsique infantes, peccatores & justi, clerici & laici, omnes, inquam, nullo relicto, nullo excepto, qui partem volunt habere in Christi regno, omnes seipsos excitent, seipsos admoneant, omnes aures cordis adhibeant illi parabolæ quam de rege & servis, bono & malo, quorum unus quinque, alius duo, tertius unum erogandum suscepit talentum, proposuit Dominus ipse. hoc enim quod illum dicit egisse, ipse quotidie non desinit agere, illa quæ ipsis contigisse narrat, universis in die judicii pro diversitate operum contingere, qui habet aures audiēdi audiat, intelligat & incunctanter agnoscat. nemo se potest excusare, nullum talentum accepisse, etiam si omnino debilis videatur esse, cum & ipsa infirmitas sæpe detur pro munere. habet aliquis sapientiam, maximum hoc est talentum, nullum enim majus: habet divitias est quidem minus, ad erogandum aptissimum, utitur qualibet arte valet ex ea multiplicare talentum perutile; habet locum apud principem vel amicum, & quod non valet ex suo, ex illius potest operari talento. desunt omnia, sed tamen

A adest vita, adsit & voluntas bona, nec minora congerit lucra.

His igitur districte & capitulatim, licet veluti ex superfluo, quia nec proposita fuerant animo, verum non inutiliter transcursis, ut puto, postquam paucis quomodo divina medicamina & omnibus omnia, & singulis congruant singula, præmonstravimus, superest ut modo illum cui ipsum porrigimus agonisticum alloquentes, ita demum quædam beati Augustini interponamus de utilitate vigiliarum, & sic adoriamur in nomine Domini ipsum.

B Adesto itaque totus, & hæc quæ dicuntur fenestratis animi percipe sensibus; primum omnimodis a te volo perquirere, utrum propria sponte hoc tam singulare velis certamen adire. ita est, inquis. Si igitur ita est, ego in ipsis initiis, antequam scilicet hoc tam arduum iter, & a paucis aggressum, a quibusdam vero segniter inchoatum, segnius derelictum; a quibusdam fortiter arreptum, longe aliter consummatum; ab aliquibus autem bene incœptum, optime peractum, adire incipias; ut primum pede solertis discretionis sollicite pertentes, utrum hoc dum bene inchoaveris,

C ad calcem perducere valeas optimæ perfectionis. Incassum quippe tam summum bonum incipitur, si ante finem deseratur; nec in sacrificio Domini accepta est hostia, si defuerit cauda. Tacitis etiam fratrum indumentis Joseph tunica polymita refertur & talaris: polymita, propter diversitatem: talaris, propter consummationem. Quibus contra propheta impiis imprecando: *Fiant*, (Psal. 128. 6.) inquit, *sicut fœnum tectorum*; illeque qui laborantibus ad vesperum denarium reddere

D consuevit, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (Matt. 10. 22.) Milleque hinc occurrunt testimonia, quibus monstrantur nil boni valere initia, si desit perfectio sancta. Commonefaciat itaque ad summa nitentem animum similitudo illa Domini quam protulit, ut in verbis legitur evangelii: *Quis enim*, (Luc. 14. 28.) inquiens, *volens turrim ædificare, non sedens prius computat sumtus qui necessarii sunt, si habet ad perficiendum, ne forte cum posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui viderint, incipiant illudere ei dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit*

E *consummare?* Quod totum ideo constat prolatum, ut scias commodius esse quemlibet in imis sese humiliter comprimere, quam inconsulte summa tentare, nec adipiscendo verecunde deficere, spectatoribusque occasionem irrisionis præbere. Et quidem providendum summopere, ne dum a bonis communibus ad ea quæ multorum vires superant, improvide quivis nititur, nec perseverando ad id pervenit quod inchoando conatur, contingat illi quod in Job legitur: *Quia omnes qui eum viderint, dicent* (Job. 36. 25.)

ubi est? videlicet quia nec hic ubi communiter cum ceteris bene valere, nec illic invenitur ubi transcensis aliis singulariter visus est festinasse. Multiplices inter hæc subtilesque nimium diaboli insidias convenit considerari, invidiam ejus maximam, hancque veluti proprie illis intendere, quos ad sublimiora viderit festinare. se enim videns delapsum ad ima, dolet indicibiliter, quando aliquem evehi considerat ad supera. tribus quippe obsidionum generibus horum unumquemque quotidie non cessat vallare, in initio scilicet intentionis, in itinere actionis, in fine consummationis.

De his tribus si per singula plenius cupis edoceri, habes ea sufficientissime in Moralibus Gregorii. Quod si obstinato, ut optamus, animo dictum reminiscens: *Qui observat ventos non seminat, & qui considerat nubes non metit*, hujusmodi adire luctamen interritus desideras, cave ante omnia ne quid terrenum, ne quid sæculare, ne quid bestiale in tuo resideat corde. *Bestia enim si tetigerit montem lapidabitur.* Inde hoc in mari magno & spatioso, in quo sunt reptilia, quorum non est numerus, navim adhuc tuam esse considerans, sollicite draconem moneo caveto. Illude ei antequam ipse tibi, Regulum in ipso visu intentionis observa, scito ejus naturam esse, ut cum prior hominem videns interficiat, ipse quoque visu hominis præventus interficiatur. Linguam quoque vipereæ suggestionis sollicite prævide, & surgens pravum opus aspidalis inchoationis valebis necare. Cumque hominis primam frontem monstraveris in principio operis, satage ne in bestiam desinens irrationabilis executionis, monstro monocentauri noteris congregationem hypocritæ sterilem; cave scriptum ante solem humectum in ortu ejus, arentem devita. Fœcundas quidem, sed neglectas vites conspice a bestiis & volatilibus voluntarius conculcari quam steriles, terram duabus ne velis ingredi viis, dum & bona Dei amore facis, & placere hominibus exinde cupis. thesaurum publice in via ne feras, ne a latrunculis, qui viam obsident, deprædantibus perdas. ventum ne captes inanem, unde æternam debes percipere mercedem. Inter omnia enim milleformis & tortuosis flexibus innumerabiliter sinuati serpentis genera astutiarum cautius observandum noveris nullum quam vitium cenodoxiæ pessimum. Hoc enim ita subtilissime in sanctorum utitur expugnatione, ut nisi se caverint vigilantissime, & latrocinantis dolos, non dico in intentione & in omnimodo actionis corpore provide curaverint deprehendere, improvise eos percutiens gravius ipsa virtute dejicere, quam soleat vitiis supplantare. tunc demum linguam ipsam tuam prudentissime restringe. Hæc enim, teste

Eccle. 11. 4. — Exod. 19. 12. — Job. 15. 34. — Ibid. 8. 16.

A Augustino, in tantum facilis & labilis, & ad dejiciendum ex arce animum est proclivis & efficabilis, ut sæpe contingat, ut quod mens non cogitat, ipsa loquendi facilitate incurrat. Et ne leve autumes in verbo labi sæpe, audi Jacobus quid tibi dicat apostolus præcipue: *Si quis se putat religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.* Et alibi: *Lingua inquietum malum, plena veneno mortifero.* Itemque: *Mors & vita in manibus linguæ.* Rursumque: *In multiloquio peccatum non deerit.* Pulchreque quidam nostrorum duobus

B adjunctis: Nullatenus, ait, quis salvari putandus est, quamdiu inordinatis moribus adhærere, supervacuis verbis delectari, turbulentis cogitationibus non timet devastari. Deo autem gratias. Ecce enim subito & veluti ex improviso dum cavendæ istum loquacitatis gratia in testimonium ascire studui, totum pene negotium quod multis verborum circuitionibus vix posse putaveram expediri, confeci. Vis enim salvari, remunerari & coronari? dum caves ab operibus inordinatis, parce & a verbis super-

C vacuis, contine te & a cogitationibus immundis, sequere inoffenso pede operis vocem Domini vocantis. *Qui enim*, ait ipse, *vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Sequi autem, id est imitari Christum, eadem qua ipse pergit via ire post ipsum. Quod est non ambire terrena, non caduca sectari lucra, honores declinare infimos; adversitatem mundique contemtum pro amore ejus libenter amplecti, cunctis prodesse, etiam ultra vires velle, injurias nulli inferre, a

D quovis autem illatas patienter sufferre, ipsis quoque inferentibus beneficia, si est unde, sin alias oratione sedula illis veniam postulare, quoscumque valet secum ad amorem patriæ cælestis erigere. His piæ voluntatis conatibus si te in campo prius exercueris operationis, invictum, fateor, athletam imperatori palestritæ editioribus spectatoribusque exhibes cunctis, dummodo & in his, ut quibusdam miserrime contigit, non defetiscaris, & semper ad potiora nitaris, donec bono certamine optime certato, cursu feliciter consummato, fide indeficue servata, perenni remunerationis bravio glo-

E riose diteris. Ideo autem, ut reor, ipso disponente in cujus manu sumus & nos & sermones nostri, ita in longum producta est oratio, ut monstratis minorum actionum qualitatumve proprietatibus, tandem perveniretur ad summum, quem tu aggredi conaris, apicem actuum, quatenus ab imis præceptorum Domini veluti per scalam caute cessimque scandendo, ad elatiora provectus, nil amplius restet quod requiras in imis, qui per inaccessibilem multis vivendi ordinem ipsis jam hærere mereberis summis,

Jacob. 1. 26. — Prov. 14. — Prov. 10. — Luc. 9. 23.

summis, sive etiam ut de qualicumque ordine, conditione, dignitate, affectu, sexu, ætate, ad id certaminis opus millies prædicabile manus volueris dare, istic invenias quomodo te prius in tuis exercitare debeas, ut ita demum ad ea quæ ultra te sunt, felici progressu conscendas, ne quando missa semel manu in aratrum, alicujus domesticæ provisionis obtentu oculos intentionis ab incœpto cogaris retorquere retrorsum, & aut tortuosum & inutilem facere sulcum aut arantum vulnerare vestigia boum. Quod si aliquis, ut jam in alio docuimus epilogo, invenitur, qui non sui sponte, sed alterius factione hunc vivendi ordinem imitari cogatur, sive certo, sive omni tempore vitæ, jam in posterioribus illi me credo satisfecisse. Hic jam nil amplius credo residui nisi hoc adjicere, ut si forte ab hac necessitate cum Dei gratia contingat liberari, nullo umquam tempore ex toto assuetum in pœnitentia prætermittat morem vivendi, sed diebus residuis omnibus in ejus pareat actibus, quod eum suis habenis a petulantis vanitatis anfractibus jam olim coërcuerit misericors Dominus.

Hoc facto, & meritum adquirere sibi, & gratiarum actionem magistro, & satisfactionem Domino, & laudem referre videbitur Deo, qui eum in præsenti flagellavit, ne in æternum perderet; temporaliter erudiens, ut sempiterni regni dignum heredem constitueret. Quod si secus hanc nostri consilii declinare ei placuerit viam, ille quid agat viderit, nos tamen valde metuimus, ne sibi hoc divinum conveniat opprobrium, quia non est inventus qui rediret & daret gloriam Deo; & quod adhuc gravius, sententiæ illi subjaceat, quam idem Dominus de immundo spiritu exeunte, & octeno capite redeunte monstravit. Unde & cuidam
Joh. 8. 11. sanato ait: *Vade, & amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Et illud quod
Jer. 5. 3. propheta deplorat: *Percussisti eos*, inquiens, *nec doluerunt; attrivisti eos, & non sunt reversi.* Considerandum etiam huic video, quia quosdam longa ægritudo ad vitam sæpe reformat, quos postea levissima cujuslibet rei occasio, dum se quasi quadam securitate resoluti incautius custodiunt, a vita funditus extinguit. Hoc ergo ne & sibi contingat metuat, & saluti suæ talium quis consilium, dum locus est, capiat, ne dum rursus voluerit, non valeat. Ceterum si aliquem forsitan movet, quod modernis in hac præfatione doctorum exemplis æque usus sim ut antiquis, & concentonem me sive usitatius compilatorem hac de causa velit dicere, quasi qui alienis sumtibus propria velim construere, causam non immoror reddere. Dicente enim Psalmista: *Do-*
Ps. 103. 13. *mine rigans montes de superioribus suis*, quantum ipso irrigante per ipsos ariditatem in-

A genioli mei, qui & ipsorum superiores per se irrigavit, & per illos istos, perque illos nos nimium adhuc arentes; nisi quia defuerit imber, quia nos magis pulvere vitiorum, squalore, quam pluvia voluntaria quam segregavit ipse hereditati suæ, complui malentes, tegmine nos quodam obteximus iniquitatum, intelligere potui. Visum est congruum eorum sicuti & antiquorum indifferenter nos uti exemplis debere, siquidem ea quæ ipsi acceperunt a superioribus, ita nobis pluerunt inferioribus,
B ut in quolibet sensu proprie quiddam eorum debeat accipi, ipsis discernentibus pateat apertius, nec sit alicui opus errare per devia, & propria non propriis attribuere locis, dum quid eorum quem specialiter obtineat sensum, quemve rite occupet locum in tractatibus copiosissimis invenis ipsorum; & ideo dum utilitas postulat te aliquid de scripturarum testimoniis allegare, non esse opus inutilem aut fortassis periculosum laborem assumere, sed ita ut sint
C ab eis prolata proferre. siquidem illorum magis quam priscorum inniti exemplis, est labyrinthus scripturarum, adhuc perinaggressibilis mihi, & exemplum suasit duorum, quos in ecclesiastica historia filios pinguedinis vocitatos, & luminaria dextra lævaque assistentia candelabro legi, quos Cappadocia tanto tecum temporis vicinis regionibus fœcundior, quanto ipsis nubibus completior protulit, nutrivit & docuit: immo quibus ipsa imbuta, nutrita & edocta luminosius cunctis enituit: qui cum per tredecim annos omnibus sæcularium græcorum libris, remotis solis divinæ scripturæ voluminibus, operam darent, earum
D intelligentiam non ex propria præsumtione, sed ex majorum scriptis & auctoritate sequebantur, quos & ipsos ex apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat, & quia nemo scit nisi quod discit; dicant vero quidam etiam quæ ignorant, non potui ratione cogente aliqua dicere, nisi scita narrare, licet & ambigua quædam, licet perpauca, & ipsa mœrori necessaria videar inseruisse.

Est & alia, sed jam superius reddita, nec minor istius cunctationis ratio, videlicet ne si minus aliquis nostra auctoritate, quæ
E nulla est, ductus, etiamsi aliquid haberet quod de suo proferret, his quæ dicta vel dicenda erant fidem dare recusavisset, saltem his qui de scripturis ea decerpere, & sano sensu ad nos voluerunt deferre, nobis consonantibus credere minime detrectaret. Qui enim in me nil unde placere alicui queam invenire valeo, quantum cunctis displiceam scio, verissimamque illam esse sententiam approbo, quia cujus vita despicitur, restat ut & prædicatio contemnatur. & ideo aliquid mea auctoritate etiamsi ad-

esset ulla, absque illorum comitatu proferre timeo, ne notam increpationis ipse a Domino, & legentes occasionem reprehensionis eorum quæ dico, a meipso accipiant qui dico. Cujusmodi autem gratia rei libellum cudere ausim, in fine operis licet ponere decreverim, tamen quia locus nec sese ingerit opportunus, dicendum puto convenientius. Peccatis itaque meis, heu dolor! facientibus, & multo majora merentibus, ad hæc quæ patior devolutus, dum quid dudum fuerim, quid modo sim, quid non fuerim, quid non sim, quid esse debeam, quidve debuerim, conspicere volo, nec valeo; cœcitatem hanc unde, ubi, vel qualiter contraxerim cogito, sed nec largitori luminis, nec ductoribus ipsis unde conquerar vel succenseam invenio, sed propriæ negligentiæ torpori & segnitiæ illud imputandum conspicio. Et hoc quidem quantum ad nec percepta: ubi vero ad ea quæ percepi quidem, sed percepta rursus contuli oblitui, venio, maximæ meæ crudelitati, maximæ in propriam necem tyrannidi, maximo deputo crimini, quod me proprio actu ita sauciavi, obrui, & obcœcavi, ut si quando oculos attollere in illud cupiam lumen quod amisi, tanta noxiæ consuetudinis a meipso obnubiler albugine, ut non modo videre quod cupio, & veluti somnium advolans ad mentem reduco, nequeam ipso lumine repercussus, ipsas tenebras cum quodam oblectamine repetam quantocius. Hoc diuturno jam multum fatigatus cœcumine, ipsum lucis datæ perditæ hæsit paululum animo auctorem, jam nec licet, ut mihi videtur, vel sero requirere, quatenus ille oculos mentis meæ suæ misericordiæ unguat collyrio, qui mihi eos sanos, lucisque capabiles contulit in principio, sensumque cordis ipse splendificet, qui omnia quæ voluerit valet; & quia, ut dixi, paululum quid amoris jam animo hæsit, ipso jam amore eo largiente qui dedit, & ipsum meruisse me intelligo, ut sciam me non subito & impudenter ipso quo adhuc caligo visu debere in ipsum splendorem ingerere, ne reverberatis ipso fulgore obtutibus, ad pejores quam nunc tenebras redeam cum dedecore. Captanda ergo mihi censeo quædam ejusdem lucis antevicinia, quibus paulatim assuefactus, & quantulumcumque oculis eorum usu expulveratis, quandoque in repercussa acie ipsum valeam luminis radium intendere, ipsumque inhianter concupiscere, & quotiens sese dignabitur ingerere, libero aspectu cernere, cretumque sine fine valeam amare, quod totum ut merear adipisci, visum est mihi eorum medicorum assuefieri excubiis, qui modernius quidem, sed tamen apertius, super hoc disputantes, ita suæ artis condiderint libellos, ut in om-

A nibus & imitarentur magistros, & instruerent discipulos, qualiter scilicet lux ipsa quærenda, invenienda, tenenda, cernenda, amanda, quo collyrio oculi inunguendi, quo bono an noxio pulvere expulverandi, qua observantia nutriendi, qua cautela sint conservandi: quorum omnium me perspiciens indoctissimum, attamen jam olim ejusdem lucis amatorem effectum, libellum ex illorum dictis mei causa condere volui istum, in quo nihil a me mea industria prolatum, in eorum medicinalibus inventum, congererem medicaminis plurimum, nec

B taxarem priorum ullos per me librorum angiportus lustrare, in quibus etsi ad aliquid facilis introitus, per plura difficilis exitus, sed illos per omnia sequerer, eorumque gressibus tritum callem aggrederer, qui multigenis scrutiniis eisdem diutina frequentatione peragratis, jam absque alicujus amminiculo ductoris, solo scilicet qui eos circumfluxit, introfluxit, & præterfluxit, fontis lumine præeunte, comitante, & sequente, libero cursu valuerunt incedere. Egi autem hoc, non ut hac arte doctrinam conferre præsumerem alicui, sed

C ne rursus hæc eadem meditata, ut jam fecerant, subterfugerent mihi. Nec mirum si pauca congeri, pauca etiam valuerint recordari, recordata etiam non adeo diserte satis decusatimque proferri, cum & abundanter tam parvo sufficiant operi, desint etiam qui solatium ferant libri, absint & colloquentes amici, obnubilans etiam ipsam mentis aciem adsit labor infortunii, memoriam vero mœror hebetaverit; cum equidem & ipsa obmutescere soleat facundia. si ergo sit conscientia, nec male quassata corda bene sonet in cithara. Adverte igitur, lector, quis me ad hoc impulerit

D angor, quæ calamitas, quæ necessitas has mihi scribendi monstraverit vias. Prima quidem, ut recapitulando dicam planius, causa oblivionis fuit metus, quo ut totum evomam virus grassantis veneni, timui ne sicut jam omnigenis vitiorum ruderibus oppressus, malorumque tenebris vallatus, ac multis sæcularium curarum noxiis interpellatus clamoribus, oblivíscerer ea penitus, dum me aliquid ex his retractando recolere potius se multimode sim gavisus. Secunda, ut quia, ut dixi, desunt libri, desunt & confabulantes socii, adest tristitia

E excrucians, mœror ipse animum indesinenter corrodens, haberem in hoc aliquod solatium, uterer eo quasi quodam colloquente amico, refoverer eo quodam veluti socio: nec questus sum, juxta comicum, egomet mihi dicendo, quis leget hæc? me lectorem, me operis solummodo etsi non alterum istius perspiciens amatorem, quandoquidem aliis indigens, hoc saltem solari posse eum qui mihi inerat viderem legendi

amorem. Qui vult itaque legat, qui vult negligat me, nam impulsorem nemo dicat. Et qui ad hoc tempus paulo vocantius quam volui reperi, in præfationibus quidem me pene totum depinxi, conditionem, genus, nomen, officium commissum, fortunam, si dici audeat, ipsam, supplicia, tortorem ipsum quibusdam indiciis scriptitans meum, & quod illi maneat, nisi resipuerit, supplicium, ex quo rogo Deus liberet ipsum; hinc iterum quid gerendum nec gestum, gestum fuerit nec gerendum: quæ cum omnia quasi sub personis aliorum ne facile valeant expiscari, videantur prolata, mihi tamen ita sunt aptata, ut mox fiant aperta cum obtutibus fuerint præsentata, quæque universa tam caute invenire poterit exsecuta, si cui studiose eadem libuerit rimare, ut his propalandis putari possit sagacitas laborasse nostræ intentionis in tam prolixa serie præfationis. Corpus vero totum operis ita compegi, ut ab oratione ad lectionem, a lectione ad orationem conversum, nullum nec athletæ nec adversario colludium, nullam indulserim pausam, cum orando iste pugnet, ille expugnetur; legendo iste animetur, ille increpetur; in uno isti virtutes accrescant, illi vires deficiant; in altero isti consilium detur, illi pavor inferatur. His ergo ita se habentibus, videtur quidem prologus pene totus esse meus, in quo & ex meo plura, licet ab aliis explorata ponere sum ausus. Agonisticus vero ipse communis omnium luctamini manus dantium, unde nil ibi præter connexionem ipsam, & ut ita loquar nodos membrorum invenies meorum; sed orationes quidem a multis compositas, quamvis & a me in ipsis initiis aliquas interpositas, quas negotio præsenti judicavi congruas, lectiones vero ex sanctorum libris excerptas; quomodo autem ipsa præfatio dum expediri eam succinctissime voluerim, tam longum verborum obtinuerit tractum, partim adhuc & mihi manet incognitum; quantum autem est perceptum, altum dicendi spectat locum. siquidem adhuc est ambiguum quem Deus velit ut causa vergat in exitum. Sed rogo inter hæc, benigne JESU, veniam, dum incessanter te non ignorante contraho noxam. Cur enim ista præmiserim videor mihi ex parte scire; utrum autem rite præmiserim, cum & in pluribus vix valeam comprehendere, in nonnullis confiteor me penitus nescire. Rite est autem omne quod humiliter prolatum non dissonat ab omnimoda quæ tu es veritate. Si quid ergo rite est dictum, mihi, Domine, rogo ut proficiat: si quid sane absonum, tua quæso clementia ignoscat, tuaque majestas concedat, ut hæcce aliquis melius quam ego adhuc intelligens corrigat, nemo vero corrumpat, nemo deleat.

A Potest tua, cui omnia ad nutum suppetunt, majestas efficere, quandoquidem idem est tibi velle quod agere, posse quod esse, ut hæc eadem alicui contingat prodesse, qui pro me miserrimo te velit exorare, quem tu piissime digneris exaudire, eique vicem pro beneficio referre. Amen.

Hic ponendum quod promisimus beati Augustini de utilitate vigilarum.

Igitur quia quanta sit utilitas vigiliarum, & istis & multis aliorum doctorum, insuper & multidicis sanctæ scripturæ docemur testimoniis, admonemus olymphionicam nostrum, ut quia singulare cum
B pervigili hoste certamen decrevit adire, singulares excubias, quibus castra suarum virtutum contra multiplices ejus insidias pervigilantissime custodiat, se noverit aggredi debere. præveniat itaque aliorum vigilias studio adeundi certaminis, ne eo dormiente improvisus irruat hostis, eo scilicet sævior, quo pridem victus verecundior. Ubi itaque oculos aperuerit, memor præcipientis: incipite Domino in confessione, reminiscens etiam beneficiorum ejus innumerabilium, hoc illico contra inimicum
C intorqueat telum, quod & sibi sit omni clypeo tutius defensaculum.

Explicit liber sextus præloquiorum Ratherii, Veronensis quidem ecclesiæ episcopi sed Laubiensis monachi.

Qui cœpisse librum dederas, finire dedisti,
Cunctipotens, famulo dando rogata tuo.
Hunc ego Ratherius pro te quia ferre laborem
Suscepi, probra dilue Christe mea.

Versus super tumulum ejus.

D Veronæ præsul, sed ter Ratherius exul,
Ante cucullatus, Lobia postque tuus
Nobilis, urbanus, pro tempore morigeratus,
Qui inscribi proprio hoc petiit tumulo:
Conculcate pedes hominum sal infatuatum,
Lector propitius subveniat precibus.

Amen finivit.

Cœlebs Folquinus requiescit hic tumulatus.
E Nobilitate cluens, abbatis nomine gliscens,
Divinis satagens, humana sophismata callens,
Cujus peccatis veniam lector petat omnis.



EJUSDEM EPISTOLA.

Widoni & Sobboni archiepiscopis, Godescalco & Aurelio episcopis.

SAnctissimis atque dulcissimis patribus Widoni atque Sobboni archiepiscopis, Godescalco, & Aurelio præsulibus Ratherius peccator & exsul.

Nisi deesset, patres reverendissimi, quod & maxime angustia deprimit miseriæ scedula; excusationem condignam non contumacis quidem, sed inefficacis deprimerem inobedientiæ prosecutione multidicæ, seu scilicet competeret dominis dignissimis pontificibus felicissimis ab indignissimo omniumque infelicissimo, quamquam & Dei misericordia coepiscopo. sed quid agam? quod nequivi digniloquio, suggerere satagam parviloquio: Ea, domini, quam maxime causa est, quod juxta vestrum non occurri vestræ dominationi præceptum, quod juris ipse non sum proprii, & demum quod nemo in sese tentat descendere. De seniore vero aliquid sinistri sentire, nedum dicere, prudentibus loquor, scelus judico exsecrabile. Explorandi vero causa qualitatis meæ cujuslibet obtutibus me præsentare non est necesse. Quantum enim ad pejus id juxta illud Terentianum, cunctus curat populus. Quantum vero spectat ad melius, gratia Dei sum, si quid sum, millies vero minus ab eo quod amicorum præconiis efferor, omnimodis sum. media inter hæc duo diversa omnibus infortunii mei late patet miseria, cui propter Deum dupliciter misereamini quæso oratione scilicet suffragando, facultate juvando. Utroque enim hoc quam maxime indigeo, vosque & debitores fore, & ad debitum solvendum Dei misericordia abundare non nescio. Istud de cetero sudoris mei vestro examini dirigo opusculum, quod caritative relegatis propter Deum. Valete in Domino ubique memores nostri.

EPISTOLA EJUSDEM

Ad Robertum archiepiscopum.

DOmino reverentissimo Roberto archipræsulum nobilissimo Ratherius servus fidelissimus.

Non condignas quidem, verum uberrimas vestræ dominationi, pater amantissime, refero gratiarum mercedes, pro collatis a vestra claritudine modicitati meæ promissionaliter beneficiorum prærogativis: optans ut qui inspiravit promittere, præstet taliter & perficere, ut & a nostra parvitate promtissimam servitii necessitudinem, ut ab ipso æternam proinde mereamini recipere mercedem. Studuisse me ceterum ut ad vestræ respondeam interrogata dominationis, nullis postquam istinc abii libris, oblitum vero ex his quæ didiceram doleo multa nimis: unde me indigere doceri quam docere convenire profiteor magis, qui licet in ipsis initiis quorumdam quæstiunculis Mediolanensium haud leviter pulsatus, quædam ex his quæ vos requirere non ambigo, visus sum prælibasse, infulatus hac qua Dei misericordia fungor sarcina, illud statim desii agere, injunctum mihi in hoc officio cogitans in Dei potius lege die ac nocte meditari debere. Naucipendens itaque quid mendax Græcia, quid poëtica garrulitas semper de falsitate referat ornata, his ediscendis dedi operam, quæ mera latinitas & authenticorum virorum promulgavit sincerissima puritas, posthabens fontem Caballinum, bicipitemque Parnassum, vitæ fontem si cognoscerem, non solum ad salutem, verum ad peritiam credidi Christum videlicet Jesum & hunc crucifixum, in capiteque ecclesiæ anguli positum. Nam etsi alienigenam prisca non prohibeamur ducere lege; tamen nisi prius raso capite ceterisque superfluis, non sine mysterio, ut melius nostis, resciffis, ducatur legitime, Syromasten Fineen compellimur formidare, cum & vasa aurea vel argentea ex Ægypto furari non ideo sit Jacobitis * præceptum, ut in eodem quo apud eos maneret officio, sed ut spoliata gente reproba, populus ditaretur Hebræorum eisdem copiis, postea qui Domini conderet templum. Servus vero nequam de evangelio ideo damnationis æternæ addictus est elogio, quia talentum intellectus maluit terræ mandare, quam cœlo penitus destinare. Quæ similitudo, ut reor, monet inter cetera me peccatorem tantillum ingenioli, quod Deo sum assecutus largiente, illo potius acui oportere, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quam terrenæ vanitati committere, & nihil aliud exinde, nisi ventum inanem, nec sine detrimento animæ maximo captare. Sed cui ego, vel quorsum ista? sileat tandem iners loquacitas, cedat tandem urbanitati excusata saltem rusticitas. Librum propterea me tollere difficultas prohibuit ullum, præter istum quem vestræ, Domine mi, dirigo legendum fidei, mihique ocius remittendum. legendum ut inepta per vos emendentur ejusdem, remittendum, ut eum regrediens habere valeam comitem. Maximam de cetero in vestra clementia habere desiderans fiduciam, de servitio vestro precor potestative commonefaciatis, paratissimum namque ad omnia quæ libuerit præcipere, me pro posse noveritis esse, destina vero alicujus suffragii si destitutionis parvitatis meæ quamlibet

* Id est Israelitis filiis Jacob.

quamlibet dignamini prorogare; scit Dominus meus optime, quem obinde remuneratorem debeat habere. Valete feliciter nostrique meminisse clementer vestram optamus fine tenus claritudinem, ad laudem & gloriam ipsius, qui per sæcula benedictus, vestrum conservet rogamus pereniter decus.

EPISTOLA EJUSDEM
Ad omnes fideles.

IDem miser, infelicissimus & deceptissimus promissis loquiorum figuris & ænigmatibus affatim satiatus, hisque fidem ulterius adhibens, & experientiæ magisterio jam nimis sero prohibitus, omnibus legem Christi implere volentibus.

Villicatu concessi præsulatus, hoc est Veronensis, privatus, bonorumque omnium miserationi expositus, fodere ut huc usque inaniter laborando amplius non valens, remunerationis denario carens, expersque omnimodi redditus, quod semper erubui, seu scilicet superbiæ nota, seu recuperationis fiducia, quia omnia videbantur tolerabilia, spe perfruitionis ejus una saltem, si daretur die compensata, mendicare, tertium quod agam non inveniens, compulsus caritate sicubi est, requiro, ingeminansque clamorem, meam ut respiciat imploro calamitatem. Nusquam enim aliqua mihi vel hospitii quies; nusquam aliquod suffugium, nisi locus misericordium, eorum utique quibus in corde loquitur evangelium: Cum facis prandium aut cœnam, voca pauperes & beatus eris, quia non habent retribuere tibi. retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. Metuendum quoque divitis avari exemplum, qui non advertens cur Lazarus ante januam ejus jacere fuerit permissus, unde maximum captare valuit refrigerium, indeficuum accendere infelix non præcavit incendium, cujus clamori quia pium non adhibuit auditum, expertus est in semetipso veracissime dictum: qui avertit aurem suam a clamore pauperis, & ipse clamavit, & non exaudietur: Et ideo dum aquæ miser guttam peteret, non est exauditus, quia non dederat; & in hoc assertor ita loquens veridicus: *Qui declinat aurem ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis.* Lex autem cum priori sæculo fuerit ea impendere alii, quæ sibi quis vellet ab alio præstari, sequens quoque ne in ullo naturale inhiberet bonum, ita lata est per catalogum. *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & proximum tuum sicut teipsum.* Tertia sub gratia scilicet ita, *alter alterius* usque ad tertium cœlum raptus *onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*, Christi utique, Christi. Nam ipse interroganti cuidam quod esset mandatum magnum in lege, cum primum maximum præmisisset, secundum simile confirmavit esse: qui ut & suos a ceteris segregaret, *In hoc*, ait, *cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.* Diligo Deum, unusquisque ait requisitus, pessimus omnium, etiam quilibet tyrannus; nam, proh dolor! odium ita usquequaque hodie abundavit fraternum, ut nullum gloriosius quam, proh nefas! homicidarum; sed e diverso recumbens super ipsum præcipientis pectus. *Si quis*, ait, *dixerit quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est; qui enim non diligit fratrem suum, quem videt; Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Et *omnis qui odit fratrem suum homicida est.* Et *scitis quia omnis homicida non habet partem in regno Christi & Dei.* Omnis, inquit, omnis, id est nec quilibet eorum quos paulo ante deploravi gloriosorum, nec aliquis osor fratrum. Nullum, alius inquit, odio Christianum, ergo omnes diligis; nihil enim est tertium. Et hæc est illa caritas, quam Apostolus præfert etiam martyrio, cujus quia ope incredibiliter indigeo, nil dulcius quam illud, dum legitur, audio; omnes quod ut idem agerent optarem omnino. *Qui habuerit substantiam mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Et alibi: *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua; sed opere & veritate.* Et illud psalmographi: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem;* cujus cum intelligentiæ modum novem distinctionum fidibus descriptum a beato legerim Gregorio, non minus consolationis capio, cum in dictis augustæ recordationis Aurelii Augustini scriptum invenio: Omnibus quidem inopibus misericordia jure debetur, sed major quidem in his, qui ex nobilitate & divitiis in ultimum statum devenerunt, nos miserationis pulsat affectus, consonantemque huic Jeronymum, ubi commemorat his potius tribuendum, qui cum acceperint erubescunt. sed perpendat hac sententia motus ipse rogo sincerissima quam quæro caritas, advertat piorum universitas quam durum, quamvis sit verecundum, opis se clamare indigum, qui erogandi suscipit officium, qui non minus interiori quam exteriori gemebundus dicere valet inopia: *Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me,* & cum similibus. *Miserere nostri, Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione, quia multum repleta est anima nostra opprobrium abundantibus, & despectio superbis.* Cum constet autem nullos pluribus, nullos quam qui plura habent, parva minoribus sufficere, miretur; vereat alicujus.

prudentia superiori mei ipsius professione, A domo me quoque carente propria, quæ mihi sit mendicandi necessitas tanta: ad quod satisfaciendo ut respondeam, sciatur, quæso, quod ut me spes fefellit recuperandi episcopii, volui contendere ubi perpetuo quiescerem aliquò, sed cumulantes litigenæ contentionis prudentissime, ut eis visum est, æmuli causas, provocaverunt me quiescendo, eis parcere deliberantem, quibusdam obloquiis, non quidem in facie, sed ex obliquo, quibus non nisi canonice respondeo; aut criminosus aut fugax judicor, pessimæque suspicionis cauterio quod gesto officium infamis aduro. Facultas autem illud cum desit agendi, maxime cum longius disparato Romanam ob hoc adire, si liceat, cogatur ecclesiam, publicisque vehiculis, ut temporibus quondam divæ memoriæ Constantini, episcopos devehere ad concilia jam olim desueverit imperatorum munificentia. Iter hoc tam necessarium dimittere non volens, perficere non valens, bonorum omnium in hoc pro Dei amore auxilium rogo, malorum nulli aliquid inferens, importunitatis qui auxilium tantummodo flagito caritatis.



DE VITA VERE APOSTOLICA
DIALOGORUM LIBRI V.
AUCTORE, UT VIDETUR RUPERTO ABBATE TUITIENSI.

Ex ms. codice Graffchatensis monasterii, cujus character annos circiter sexcentos refert.

OBSERVATIO PRÆVIA.

Non aliam ob causam scripti videntur hi quinque dialogorum libri de vita vere apostolica, *quam ut eorum auctor demonstraret, monachos ad omnia ecclesiæ munia obeunda idoneos esse, summamque illis injuriam fieri a canonicis regularibus, qui vix sæculo* XI. *exorti, statim eis bellum indixerunt: existimantes & ubique conclamantes monachos tamquam incapaces, verbi divini prædicatione, administratione sacramentorum, parochiarum cura interdictos, intra cellularum suarum angustias esse detrudendos: Quamvis hactenus monachi infinitos prope populos, integras nationes & regna non pauca prædicationibus suis ad Christi fidem convertissent; nec aliquas tantum parochias; sed universas pene totius orbis diœceses administrassent, ipsamque sedem apostolicam, non semel occupassent, nec sine fructu. Namque absque ullo vanæ jactationis vitio possumus asserere vix umquam magis floruisse ecclesias, quam cum monachos habuerunt episcopos.*

Horum dialogorum auctor suum ex professo nomen subticuit, si quid in eis boni protulit, id totum Deo a quo omne bonum, referens, optansque ut in laude *sua* mutus liber *ipse* legatur, dummodo laudem Dei & ecclesiæ loquatur. *Scriptos tamen à Ruperto abbate Tuitiensi prope Coloniam Agrippinam ex conjectura non levi possumus asserere. Nam Graffchatense monasterium cujus ex codice illa ætate exarato ipsos descripsimus, situm est in diœcesi Coloniensi, simileque exemplar postea in ipso Ruperti cœnobio Tuitiensi reperi-*

mus, quod pene unicum ex omnibus tanti viri operibus ibidem superstes habetur. Deinde auctor librum suum tertium his terminat verbis : Imminens S. Nicolai festivitas compellit nos sibi insistere, unde compellimur quartum distinguere, cujus ad hoc possumus prece juvari. *Porro S. Nicolaus patronus est vicini Tuitio Brunvillarensis monasterii, quocum magnam haud dubium consuetudinem habebat Rupertus. Demum certum est hoc de argumento opus aliquod a Ruperto compositum fuisse, ut discimus ex Anselmi Havelbergensis epistola ad Abbatem Husbergensem, qui occasione Petri cujusdam canonici regularis, gratia majoris perfectionis ad monachos transvolantis, ejusdem argumenti lucubrationem ediderat. Hanc enim ille refellere cupiens, magno cum contemtu sic de Ruperto effatur* : Porro nescio cujus Roberti, cujusdam doctrinam adnectis, cujus auctoritas, quia in ecclesia ignoratur, ea facilitate contemnitur qua probatur. Fortassis apud vos magnus habetur, non ob id quod aliqua magna scripserit, sed ob hoc quod monachorum abbas extiterit. Ego sane quædam illius scripta, fateor, curiosa levitate legi, ipsum etiam vidi & novi; sed pulcre dictum apud Græcos proverbium in illo verum reperi: Pinguis venter non gignit tenuem sensum. *Hæ sunt amœnitates quibus iste episcopus summum illum virum recreat, cujus hactenus & scripta & sanctitatem veneratur ecclesia. At qui justam defendunt causam, non in conviciis aut in contumeliis victoriam quærunt sed in validissimis argumentis.*

His dialogorum libris subjiciemus haud contemnendum opus de diversis ordinibus & professionibus qui sunt in ecclesia, *scriptum circa exordium ordinis Præmonstratensis, quem miris sed meritis effert laudibus auctor anonymus. Is nobis canonicus regularis fuisse videtur, utpote qui longe prolixius de canonicis quam de monachis tractat, & de illis tamquam membrum illius familiæ loquitur, num.* 34. Si enim inspicias vigilantes NOS, *inquit*, & orantes, quomodo stupeant homines, & dicant supra se esse quod AGIMUS, *&c.*

INCIPIT PROLOGUS OPERIS SEQUENTIS.

CUm quidam fratrum intuerentur usquequaque quemadmodum sancta sanctorum conculcarentur & lapides sanctuarii in capite omnium platearum dispergerentur; illo zelo quo renes Mathathiæ contremuerunt, ipsorum præcordia infremuerunt, valde sedulo me hortabantur, ut & ego proprium arriperem baculum, quo, etsi non prosternerem, saltem vulnerarem, qui quotidie exprobrat Israëli, diabolum. Quibus cum dicerem me quasi inermem & impotentem adhoc non sufficere; hac me parabola conantur convincere. Quomodo lex, inquiunt, divina obtinuit & humana, quod debeat omnis viator qua id possit voce prodere, cum videt lupum gregem invadere, ne hunc si prodere cunctatur, sublati pecoris reus habeatur. Debent etiam pusilli cum majoribus fustes vel quælibet defendicula arripere, dum acrius bellum vident ex adversa facie insurgere. Non licet omnigenis armis parcere, qui nolunt communem hostem prosternere. Unde David pusillæ licet staturæ in funda & lapide

A Goliam prostravit, qui omni Israël in facie exprobravit. Horum itaque victus ratione pariter ac postulatione, elegi proprio stilo satan filiis Dei prodere, quos vult dispergere, & tamen inter ipsos absque nota latere. Quapropter quicumque vere estis filii Dei, vel vero vultis computari Israëli, animadvertite me pro vobis & ad vos subsequens opusculum dirigere, in quo me constat non contra vos, sed contra hunc qui est rex super universos filios superbiæ scribere. Hic enim licet dixerit circuisse se terram & perambulasse: tamen dicit cum filiis Dei ante Deum affuisse, scilicet ut ejus spiritu concipientes superbiæ filios pareret quos esse filios Dei invideret. Cum enim sit

B inter vos zelus & contentio, nonne homines estis & carnales, cum constet filios Dei esse pacificos ut fratres spiritales? Vetus est enim hæc inter monachos & clericos controversia, qui eorum digniores sint ad ecclesiæ tractanda mysteria, adeo ut dum inter se contendant pro apostolica dignitate, vacui ambulent ab apostolica caritate. Quippe cum sint monachi & clerici totius populi quasi duo corporis oculi, si hi spiritu superbiæ cæci ostenduntur, quantis populi tenebris involvuntur? Quia si oculus tuus tenebrosus est, totum corpus tuum

tenebrosum erit. Si enim in uno capite duo oculi pariter videre dedignarentur, nonne justum esset, ut ambo de capite eruerentur? Cum igitur hos oculos pituita superbiæ se alterutrum superponendo graviter ægrotare vidissem, & sæpe huic bello interfuissem, missus sum qualiscumque medicus ipsorum morbum describere, & eisdem hoc opusculum quasi quoddam collyrium impendere. Tum ut destructa contentione, ambulent & ipsi in dilectione, tum ut omnibus pateant causæ manifestiores qui in apostolica dignitate sunt digniores. Nam quod vitam & regulam monachorum tanta auctoritate evangelio & dignitati æquiparavi apostolorum, testor judicium futurum & JESUM vivos & mortuos judicaturum, quod hoc non personarum acceptione fecerim, sed veritate & hujuscemodi ammonitus visione. Quadam enim nocte cum pro ipsa quæstione mente turbarer sollicita, subito oppressus somno visus sum mihi missas celebrare, & ecce vidi ad dextram altaris pariter collaterales placido vultu mihi tres miræ auctoritatis viros astare. Me igitur stupente, & qui essent pariter nesciente, repente quædam vox insonuit, quæ mihi duos quidem apostolos Bartholomeum & Thomam, tertium autem S. Benedictum monachum fore innotuit. Rursum ad sinistram altaris respexi, & ecce quidam clericorum veste quidem incomparabili, ad me tamen accessit facie terribili & cum quasi aliquid mihi inlaturus accelerarct, ab his tribus qui in dextra steterunt est prohibitus, ne me in aliquo gravaret. Finita itaque missa, hi tres pari modo placido vultu abiere. Itaque intellexi me debere monasticam vitam & apostolicam in eadem dignitate describere. Cum beatus Benedictus se parem apostolis in visione mihi dignaretur ostendere, exprimens hoc totius in libri quæstione, quod vidi in hac visione. Ceterum utrum aliter hæc visio intelligatur, in arbitrio lectoris relinquatur. Ideo autem nominis mei substraxi personam, quia si quid utiliter dixi, inde non meo sed suo nomini do gloriam, ut in laude mea mutus liber legatur, dum modo laudem Dei & ecclesiæ loquatur. Pro meo itaque nomine: *Dialogus quæ sit vita vera apostolica*, *vocetur*, nam hæc summa totius libri habetur. Quod autem sub dialogo subsequens composui opusculum, ideo me sic fecisse manifestum, quia cum hæc quæstio inter monachos & clericos quasi inter duos constaret, volui eligere talem qui interrogaret, ut dum nil minus quam interrogando parceret, purum esset omne quod respondendo pateret. Unde etiam hunc volui auctoritate attestari, quod posset a me ratione probari. Rogo autem ut hic prologus cum capitulis sicut a me ordinatur ipsi opusculo præfigatur.

Explicit prologus.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI.

I. *De rationabili discipuli suggestione ad magistrum pro ecclesia defensione.*

II. *De eo quod quadrifarie summa quæstionis proponitur, unde totus liber pendet & scribitur.*

III. *Quod tres ordines ecclesiæ dum inter se contendunt, gravi quartum errore offendant.*

IV. *Quod aliquando sicut videntur multæ quæstiones sub una objici, ita multa sub una responsione præcidi.*

V. *De argumento quo probatur quod Dei judicio sint relinquendi qui perfectiores sunt habendi.*

VI. *Quod hoc argumentum si concedatur, inconveniens sequatur.*

VII. *Objectio monachorum quali molimine roboretur argumentorum.*

VIII. *Quid a monachis objiciatur regularibus canonicis.*

IX. *Quod regulares canonici & monachi eadem his qui dicuntur clerici objiciant.*

X. *Quod monachi & illi qui dicuntur clerici, nec in conversatione conveniant, nec in aliorum objectione.*

XI. *Quod omnibus apostoli testimonio respondeatur, quod & præludium vocatur.*

XII. *Quo argumento inveniatur, quod nullus nisi ab ipsa Veritate doceatur.*

XIII. *Quomodo constat inventum esse auctoritatem cum ratione convenisse.*

XIV. *Quod debeant ratione & auctoritate refutari, qui videntur de utroque injuste roborari.*

XV. *Quomodo auctoritas testetur gravius esse vitia expellere, quam virtutes acquirere.*

XVI. *Quod ex auctoritate constet aliquando sola ratione contradicentes convincere, aliquando ex adducta auctoritate concludere.*

XVII. *Quod qui debet discordes ad pacem reducere, sic debet quosdam arguere, ut alios videatur deffendere, & e converso; nunc autem omnes corrigere vel omnes ad pacem reducere.*

XVIII. *Quod ubi sermo pro veritate est, *facilius est ut scandalum oriatur, quam ut veritas relinquatur.* * l. satius.

EXPLICIUNT CAPITULA LIBRI PRIMI.

INCIPIT LIBER PRIMUS

DE EO QUID SIT VERE APOSTOLICA VITA.

DISCIPULUS. SAnctam ecclesiam ne patiaris, dilecte magister, quorumdam calumnia diutius commoveri, cum eam valeas tam rationis veritate quam scripturæ auctoritate defendere.

MAGISTER. Quid jubes fieri?

D. Ut sinas me quorumdam objectionum

num verbis te interrogare, ut tu quoque A freno rationis & auctoritatis ora iniqua loquentium valeas refrenare.

M. Creditur ecclesia supra firmam petram ædificata; ergone mei homunculi indigebit fulcimento, quæ Christum habet in fundamento? Quis aut immobilem festuca subponit montem, aut turbida aqua lucidissimum eliquat fontem? Quis lippis oculis clarissimum jubar illuminat solis, aut lutulenta manu tangit candidissimis vestitum stolis?

D. Age jam eo quo dicis modo ecclesia B nullius indigeat propugnaculo, saltem concedas interrogans respondentis egeat oraculo.

M. Age jam victus concedo breviter comprehendenda quæ tibi videntur objicienda.

D. Cum constet me magna quædam & utilia mea interrogatione parturire, non debeo quod sentio præpropere præterire; quare non valeo ea tam breviter comprehendere, ne postmodum cogar præcipitati nimis eloquii pœnitere.

M. Ista tua sollicitudo nescio quam me C sollicitum reddit.

D. Sic indigeo.

M. Unde tandem?

D. Pace tua, ut liceat mihi post primam & principalem quæstionem, omnes quæ inde videntur suboriri prout occurrerint tuo repræsentare examini.

M. Nequaquam hoc ab homine, sed a rationis examine te decet quærere; quare si quid movet, tandem exequere.

II. D. Videtur ecclesia in quatuor membra
III. divisa, quorum tria dum inter se sentiunt D contraria; quartum quod tria sequitur magno sub errore relinquitur.

M. Verba tantum audio, quare significatione indigeo.

D. Verbi gratia, sunt sub regula monachi, sunt & regulares canonici, dicuntur clerici, sciuntur & laïci. Ex quibus cum monachi, regulares canonici, & clerici sibi singuli apostolicæ perfectionis dignitatem vendicent; vides profecto quam graviter laïcos scandalisent? Horum enim quilibet cum sibi quasi proprium apostolicam dignitatem nitantur vindicare, hinc reliquos E sine dubio probantur privare. Sequitur enim ut si monachi apostolicam vitam habeant soli, hinc omnes sint alieni, regulares canonici & clerici. Item, si hanc habent regulares canonici, excluduntur clerici & monachi. Si autem clerici, excluduntur monachi & regulares canonici. Unde fit ut quasi excœcato capite totus populus quasi cœcum corpus in tenebris videatur palpitare, & volentes huic mundo renuntiare, ignorent quo se debeant contrahere.

M. Multum astute sub unius quæstionis occasione innumerabiles probaris commovere, ut cum tibi debeam hanc unam expedire, cogar quasi ex debito quod te movet pene de tota ecclesia exponere. Quare, ut reor, dignum judicatur, ut eadem mensura tibi remetiatur. IV.

D. Qua tandem, quæso?

M. Qua? nisi ut sicut tu mihi multas una sub quæstione callide videris ingerere, ita quoque ego tibi astute multas una responsione videar præcidere.

D. Ne rogo irascaris, ne malum pro malo reddere videaris. V.

M. Dic igitur in omnibus Deine judicium an hominis est præferendum?

D. Qui non dixerit Dei judicium, hunc video stultum.

M. Quos igitur sibi judicat cariores, hi sunt profecto in omni ecclesia perfectiores. hi in ipsa aut ipsi apostolicæ perfectioni propinquiores. Dei igitur judicio relinquitur, qui in apostolica dignitate cunctis prælati perfectiores habeantur.

D. Nimis hoc breve longi itineris compendium.

M. Quare totum negotium expeditum.

D. Vide ergo ne hoc tam breve compendium nimis confusum sequatur silentium. VI.

M. Hoc quod videris dicere opus habes conficere.

D. Si constat ecclesiam prædicatores recte docuisse, ipsamque ab ipsis juste didicisse, certum est te, etsi secundum rationem, quæ licet, non tamen secundum ædificationem quæ expedit, conclusisse.

M. Nondum videtur consonum quod dicis.

D. Constat Moïsen narrasse Deum cœlum & terram & omnia quæ in eis sunt creasse, in his autem omnibus Dei judicium judicio Moïsi est præferendum Si ergo omnia quæ dixit, debuit judicio Dei, ideo quia judicio ejus præfertur, reservasse, sequitur Moïsen in omnibus quæ dixit aut mentitum fuisse aut errasse.

M. Nimis progrederis.

D. Simili quoque ratione probantur omnes prædicatores ecclesiæ errare, si ea quæ prædicaverunt solius judicio Dei debuerunt commendare. Sequitur autem: si prædicatio subtrahitur, fides non suscipitur; si fides non suscipitur, ecclesiæ fundamentum subvertitur. Ergo si ecclesia pessumdatur, paganismus introducatur, rescindenda sunt & omnia concilia, concludenda omnium librorum volumina, tandem debebunt muta esse omnia labia.

M. Quomodo igitur constringor ratione tibi respondere? ergo perge securus, & tuam quæstionem prosequere.

D. Objectio autem monachorum tali molimine roboratur argumentorum, quia VII.

Christus cum de perfectione loqueretur apostolica, hæc ad juvenem quemdam locutus est testimonia: *Si vis, inquit, perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me.* Hoc igitur, aiunt, quia palam nos est implere, probamur hanc perfectionem possidere. Matt. 19. 21.

M. Non nimis absurde hoc dicerent, si de seipsis non præsumerent.

VIII. D. Porro regulares canonicos dicunt non tantam perfectionem possidere, dum manifestum est multa quæ monachis non licent, eis licere. Quanto autem magis quisque laborat, tanto majus præmium sui laboris recipiet: unusquisque enim secundum suum laborem propriam mercedem recipiet. Multa in hunc modum dicere videntur, quæ postmodum objicienda, si tibi placet, reserventur.

M. Placet, quare de reliquis progredere.

D. Nos, inquiunt regulares canonici, apostolis ipsis assimilamur, dum in eorum loco positi mores & vitam imitamur. Sicut enim apostolis dictum est: *Vos estis lux mundi, non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt*; & nobis dictum tenemus, quorum vitam, habitum, mores possidemus. Ergo si lux sumus mundi, & civitas quæ non potest abscondi super montem posita, & lucerna super candelabrum collocati, debemus omnibus qui in domo sunt ecclesiæ prædicare, opus evangelistarum & apostolorum consummare. Matt. 5. 13.

M. Satis, pro imperio.

D. Porro, inquiunt, monachi, quia vitam noscuntur pœnitentium agere, debent se in claustro quasi sub modio abscondere, mortui enim sunt, & vita illorum abscondita est cum Christo in Deo. Cum ergo Christus apparuerit, tunc & vita ipsorum apparebit cum ipso in gloria. Sicut ergo hic mortui, ibi vivi; sic ibi apparere, hic tantum debent latere; ergo nec debent prædicare, nec baptizare. Hoc etiam habitus eorum testatur, quia sicut sunt tam vestitu quam tonsura despicabiles, ita non sunt in vita huic mundo probabiles. NOTA.

M. Existimo hanc contumeliam in eorum transire gloriam.

IX. D. Illi autem qui dicuntur clerici, sicut videntur cum regularibus canonicis hæc omnia monachis objicere, ita quod de se sentiunt regulares canonici, ipsis sibi præsumunt ascribere. Simili quoque modo monachi & regulares canonici pariter adversum clericos conveniunt, dum eos pro sæculari conversatione ipso quidem clericorum nomine indignos judicant. Quare nec cum eis in sacramentis participant, dicentes cum Gregorio: Quorum vita contemnitur, restat ut eorum prædicatio condemnetur.

M. Hi viderentur habere rationem, si de seipsis non haberent gloriationem.

X. D. Porro monachi & illi qui dicuntur clerici, sicut videntur vitæ professione & morum conversatione longe ab invicem distare, ita nec in propriæ dignitatis ascriptione, nec in aliorum abjectione concordare.

M. Studiose nimis cuncta prosequeris: nam nihil præterire videris.

D. Etiamsi incautus quid videar negligere, pactum, ut scis, tecum posui, valeam ut me corrigere.

M. Ut tibi primum faciam quasi quoddam præludium, per hoc unum potest omnibus responderi Pauli testimonium: *Qui gloriatur, in Domino glorietur: non enim qui seipsum commendat, hic probatus est: sed quem Deus commendat.* Et: *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos.* Et: *Si quis videtur aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit.* Quicumque igitur de sua professione gloriantur, hi propriæ professionis destructores esse probantur. Ita fit ut dum singuli in summa ecclesiæ dignitate esse nitantur, ab omni dignitate ipsius foris excludantur; dignum est enim ut corpus illa membra a se debeat foris expellere, quibus non sufficit propria loca retinere. 1. Cor. 1. 31. Rom. 12. 16. Gal. 6. 3.

D. Propemodum jam incipit progredi eloquium.

M. Verumtamen de his omnibus quid vis discere?

XI. D. Equidem rationis veritatem.

M. Ab ipsa, an a quolibet alio?

D. Dummodo discerem, id fateor a quolibet alio vellem.

M. Ergo a pecude constat te velle veritatem discere.

D. Quis hoc vel sanus dixerit?

M. Idem ille tu ipse probaris.

D. Ergone iratus videris?

M. Tu enim confessus es te a quolibet alio quam ab ipsa ratione veritatem velle discere, quodlibet autem aliud quam ipsa rationis veritas est pecus. quare si a quolibet alio veritatem vis discere, debes ergo veritatem a pecude discere.

D. Licet confusus, fateor, me tamen rationis veritatem debere nonnisi ab ipsa veritate discere.

M. Constat igitur veritatem de seipsa nos omnes docere.

D. Manifestum est te hoc rationabiliter probare: me autem constat de ejus inventione jam desperare.

M. Deus te ab ista defendat calumnia.

D. Quid enim si veritatem constat omnes de seipsa docere, sequitur & nos ipsam

de omni veritate solam interrogare debere. Quonam modo ergo id præsumam facere, vel quis debet hoc de se præsumere?

XII. M. Debes ergo verba veritatis recordari, si auctoritas rationi alicubi inveniatur concordari.

D. O quam mire ammonuisti, ipsam enim Veritatem dixisse recordor: *Ne vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus.* (Matt. 23. 10.) Unus autem ibi ponitur, ac si solus diceretur. Christus autem est veritas, solus ergo Christus magister, sola veritas absque dubio intelligitur. Sicut igitur solus, hoc est unicus magister, omnes qui docentur docere convincitur, ita veritatem solam omnes docere manifestissima ratione concluditur.

XIII. M. Tandem bene evigilasti, nimis pulchre ostendens auctoritatem cum ratione concordare: quare, si tibi placet, hunc modum debemus per omnia de cetero observare, ut cum ego ratione quæcumque dixero innitar infirmare vel approbare, idipsum tu auctoritate scripturæ cum ratione facias resonare.

XIIII. D. Bene multum, nam sicut singularum partium professiones partim rationis veritate, partim evangelii auctoritate videntur roborari, sequitur eos eadem rationis veritate & evangelii auctoritate refutari debere vel approbari.

M. Ut sicut Golias proprio gladio gloriantes videantur cadere, vel sicut David in funda & lapide humiles probantur se defendere.

D. Bene concinnamus. nam & auctoritatem veritatis videor mihi recordari, qua possim a mea illa desperatione relevari; *Ubicumque enim duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum, dicit Dominus* Jesus Christus. (Matt. 18. 20.) Christus autem dicit: *Ego sum veritas.* Si ergo Christus in medio congregatorum ipsius non dubitatur residere, in medio nostrûm veritatem nos absque dubio testamur habere.

M. Quid igitur dubitamus ipsam interrogare, si seipsam in medio nostrûm dignatur collocare?

D. O misera, misera anima, quæ tanta privatur gloria, per quam Pater fecit & sæcula: quæ cum sit splendor & figura Patris ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, & sermo omni gladio ancipiti acutior, pertingens usque ad divisionem animæ, attingens a fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter, in carcere, in medio miserorum hujus exilii collocatorum dignatur residere, quæ in cœlo omnibus angelorum choris probatur præsidere.

M. Singularum partium objectionibus respondere, videtur ordo rationis exigere, ut prius gloriantium atque superbientium prave dicta, quasi vetusta ædificia destruantur; & postmodum humilium, & non in se sed in Deo spem suam ponentium, quasi super novum ædificium dicta construantur.

D. Hoc & auctoritas testatur, cum Deus ad Jeremiam loquebatur: *Ecce misi te*, inquit, *ut evellas, & disperdas, & destruas, & dissipes, & plantes, & adifices.* (XV. Jer. 1. 10.) Quatuor nominavit in vitiorum destructione; duo autem in virtutum subjugavit ædificatione: sicut ergo prius & gravius est vitiosa destruere, ita posterius & levius virtuosa ædificare.

M. Debeo ergo cum majore labore Adam veterem hominem cum actibus suis destruere, ut novum, qui secundum Deum creatus est, valeam erigere.

D. Hæc faciat & addat Deus, ut hic & in nobis funditus destruatur, & ille qui desursum est in nobis erigatur.

M. Hoc quoque memineris rationabili ordine me facere debere aliquando, sola ratione procedere aliquando ex adducta in medium auctoritate, quod necesse est concludere. XVI.

D. Multum hoc rationabile, nam legitur hoc utrumque Dominum fecisse. Cum enim Christum Judæi non aliud quam filium David ipsi respondissent, adducta in medium ipsius David auctoritate: *Dixit Dominus Domino meo*, &c. (Ps. 109. 1.) conclusit Christum, quod ipsi negaverunt, ipsius David esse Dominum, & ideo verum Deum ex ratione hoc modo inferens: *Si ergo David in spiritu vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?* (Luc. 20. 44.) Rursus cum eum causarentur die sabbati homini sanitatem dedisse, ex sola ratione probavit hoc sibi licere conclusisse, dicens: *Cujus vestrum asinus aut bos cadet in puteum, & non continuo abstrahit eum die sabbati*, (Luc. 14. 15.) quasi diceret: Si vobis die sabbati licet asinum de puteo abstrahere, licet ergo mihi multo magis hominem sanare.

M. Hoc quoque concedas mihi licere, ut cum videar singularum partium professiones nunc de præsumtione arguere, nunc ad pacem concordiæ sermone reducere, videar sic aliquando quosdam arguere, ut ibidem videar alios defendere, & rursum alios sic defendere, ut videar alios corrigere; nunc autem omnes de præsumtione corrigere paratus, vel secundum professionem defendere. XVII.

D. Hoc quoque ex auctoritate constat te debere, cum Paulus apostolus in eadem causa hoc idem videatur facere. Nam contra Judæos & Græcos loquens, Judæos de legis præsumtione contra gentiles gloriantes sic videtur reprimere, ut consummationem legis gentilibus videatur attribuere, dicens: *Si autem praputium justitias legis custodiat, nonne praputium illius in circumcisione reputabitur?* (Rom. 2. 26.) Aliquando autem sic

gentiles contra Judæos de ignorantia excusantes videtur arguere, ut videatur multo magis Judæis attribuere, dicens: *Quid ergo amplius Judæo, aut quæ utilitas circumcisionis? multum per omnem modum.* Nunc vero omnes pariter redarguere ut ibi. *causati enim sumus Judæos & Græcos omnes sub peccato esse;* nunc vero omnes ad pacem concordiæ reducere, dicens: *Justificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum,* &c.

Rom. 3. 1.

Rom. 5. 1.

M. Multum multumque mihi videris succurrere.

D. Non ego, sed ipsa Veritas dignetur nos hic & ubique docere.

M. Fiat, fiat. Nunc ergo qui hanc veritatem desiderant volunt præmonere, nullos quasi de superfluitate copiosi sermonis causari debere, cum videant me per totam pene ecclesiam sermone discurrere, qui cogor de omnibus professionibus sermonem disserere, in quas constat totam se ecclesiam dividere.

XVIII. D. Ex auctoritate constat * facilius esse ut scandalum oriatur, quam ut veritas relinquatur; & rursum in quantum absque dispendio veritatis possumus, proximorum scandalum vitare debemus. nam cum Dominus testaretur, non omne quod intrat in os, sed quod exit de ore hominem coinquinare, maluit inde Pharisæos scandalizari, quam veritatem non attestari. *Sinite eos,* inquiens discipulis suis, *cæci sunt & duces cæcorum.* Et rursum ne deberent scandalizari, jussit pro se & Petro Cæsari censum staterem dari. Exemplo ergo Domini si tibi sermo pro veritate est, debes prius omnes in scandalo relinquere, quam tacendo veritatem deserere. Veritas ergo Christus est: qui ergo veritatem, quid nisi Christum abnegat?

* f. satius.

Marc. 15. 14.

M. Vides igitur quam graviter peccamus, quotiens scientes veritatem ipsam abnegamus: quare ut veritatem audiamus, pariter ad ejus consultum procedamus.

Explicit liber primus.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

I. *Quod monachi non debent sibi tantum adscribere, quod constat multos possidere.*

II. *Quod si se fatentur dignitatem apostolorum apprehendisse, probantur minime imitatores eorum fuisse.*

III. *Quomodo illi justificantur qui a seipsis accusantur.*

IV. *Quod sicut humilitas sit, qua in ipsum itur Deum; sic superbia qua in ipsum diabolum.*

V. *Quod omnis homo imperfectus probetur, si districte judicetur.*

VI. *Quod si abstinere per se bonum vel malum concedatur, inconveniens sequatur.*

VII. *Quomodo constat probatum jejunium nec bonum esse nec malum, sed medium.*

VIII. *Oppositio quare nobis imitandum proponatur, si per se nec bonum nec malum probatur.*

IX. *Quod non dicta & opera, sed animus proponatur imitandus.*

X. *Quod regnum cœlorum magis detur ob boni animi studia quam ob ipsa jejunia.*

XI. *Quod numquam monachi fuere qui potuerunt retrocedere.*

XII. *Quod regulares canonici concludantur numquam cum Domino judicare debere, qui se volunt super monachos extollere.*

XIII. *Quod si dicunt habitum apostolorum se habere, omnes debent se & albo colobio induere, & adeo fieri pannosi, ut ad videndum sint ignominiosi.*

XIV. *Quod quicumque volunt de habitu præsumere, non possunt hanc calumniam evadere.*

XV. *Quod qui nolunt esse juniores & humiliores, convincuntur non habere vitam sanctam & sanctos mores.*

XVI. *Quod non faciat apostolum miraculis coruscare, baptizare, prædicare; sed virtutes habere, & seipsum humiliare.*

XVII. *Quod multiplex inconvenientia sequatur, si in his tribus apostolica vita accipiatur.*

EXPLICIUNT CAPITULA.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

I. D. Si igitur, inquiunt monachi, Christus dicit: *Si vis perfectus esse vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me;* palam autem est hoc nos implere; probamur igitur hanc perfectionem possidere.

Matt. 19. 21.

M. Si constat multos sanctorum in omni perfectione omnia bona sua pauperibus erogantes Christum fuisse secutos, ergo in sua professione non debent singulariter de hac perfectione gloriari, quam certum est cum ipsis multos in qualibet professione participare.

D. Constat autem tales in omni professione fuisse, ut hinc nefas sit quemlibet dubitasse; nec opus est nominare quos constat abundare.

M. Non debent ergo monachi tantum sibi ascribere, quod constat multos possidere.

D. Quod si hanc, inquiunt, non soli, sed cum aliis possidemus, certum est tamen quod hanc habemus.

M. Ratio exigit ut hi qui dicunt se perfectionem apostolicam habere ipsos apostolos cogantur imitari debere. Certum est autem ipsos apostolos nullomodo sibi apostolatus sui perfectionem ascripsisse.

D. Hoc constat, nam Paulus apostolus de hac perfectione dicit: *Ego me non arbitror comprehendisse;* sed ut hanc postmodum apprehenderet, dicit se extendisse. De omnibus

Phil. 3. 13.

bus autem apostolis hoc idem dicit de se A sentire: *Quicumque ergo*, inquit, *perfecti sumus hoc sentiamus*.

Phil. 3. 15.

M. Vides igitur quid inde concluditur, monachi si apostolicos sequuntur, non se arbitrantur hanc comprehendisse; aut si dicunt contra apostolos hanc se comprehendisse, quod manifestum est apostolos fateri de se non ausos fuisse; sequitur ergo eos minime fuisse apostolorum imitatores, quare nec eorum dignitatis apprehensores.

D. Nefas est si aliquis renititur quod inexpugnabili ratione concluditur. Nam & illud apostoli video sic posse impleri: *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.*

1. Cor. 4. 7.

III. M. Vides ergo si sunt justi, debent accusari; si volunt exaltari, debent humiliari. Si autem ideo exaltantur quia humiliantur, ideo justificantur quia a se ipsis accusantur; profecto sequitur quanto se huic justitiæ putant propinquiores, tanto fiant ab ea remotiores.

D. Huic contrarium videtur quod ab ipsa summa justitia nobis præcipitur: Appropinquate enim mihi, inquit justitia, & ego appropinquabo vobis. Et rursum: *Accedite ad eum & illuminamini.* Unde autem homo illuminatur, id lumen esse probatur: est autem lumen Deus ipse, sicut dicitur: *Erat lux vera qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Jubemur ergo ad lumen accedere, ut illuminemur; hoc est ad Deum, quatinus ut ita dicam deificemur. Quis autem deificatur, nisi qui justificatur? qui autem justificatur, hic justitiæ appropinquare videtur. Est ergo contrarium, nos appropinquare ut justificemur & elongari ut justificemur. Unde sequi videtur, si ideo justificamur quia justitiæ appropinquamus, ergo non justificamur, quia elongamur.

Ps. 33. 6.

Joh. 1. 9.

M. Movisti, ut fateor, quod & me movere videtur. Cum ergo hæc contrarietas ex his verbis oriatur, quibus dicitur: *omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur*; diligenter examinandum quis ex his verbis purus intellectus habeatur.

Matt. 23. 12.

D. O quam id a me desideratur!

M. Quid ergo intelligitur in hoc Qui humiliatur exaltabitur? hominem se humiliare hoc est hominem humilitatem habere; humilitatem autem hominem habere, hoc est hominem se ipsum cognoscere. Ipse autem homo est peccator; hominem ergo se cognoscere, hoc est peccatorem se ipsum cognoscere: hoc est quod verum est esse de se intelligere, qui autem de se quod verum est intelligit, juste facit, non potest autem quis juste facere, nisi justitia id debeat efficere. Juste autem justitia aliquid efficere non potest, nisi ipsius justitiæ qui juste facit debeat appropinquare. Ergo qui humiliatur, hic est qui justititiæ appropinquat; qui autem justitiæ appropinquat, huic justitia appropinquare probatur. Porro cui appropinquanti justitia appropinquare probatur, hic est qui a justitia justificatur. Ergo idem concluditur esse, ad Deum accedere & illuminari, & ad Deum hominem appropinquare, & Deum nobis appropinquare, quod est humiliari & exaltari, id est justificari.

B D. Si igitur idem est humiliari quod est justificari, qui autem justificatur, hic exaltatur; ergo si Dominus prohibet hominem exaltari, prohibet eum justificari, hominem justum fieri. quare si Deus prohibet hominem justificari, prohibet eum justum fieri. Probatur autem injustus, qui hominem justum prohibet fieri. Est ergo Deus injustus qui hominem justum prohibet fieri?

M. Deceret te aliquando dissimulare aliquid, & me minime tantum gravare.

D. Si non videns veritatem hanc me videre simularem, me ab ipsa veritate fraudarem. Sed nullus se debet a veritate de-C fraudare, quare nec eam ego dissimulare.

M. Unde tibi videtur nasci hæc argumentorum contrarietas?

D. Ex hoc quia probasti idem esse exaltari quod justificari.

M. Oculis apertis vides, quare si ideo quia idem intelliguntur, hæc tam contraria concluduntur. ergo si hæc duo id est exaltari & justificari accipiuntur contraria, nulla inde sequuntur impossibilia.

D. Jam mihi videor videre.

M. Hoc quoque debes dicere.

D. Scilicet ut ubi dicitur qui se humiliat exaltatur, exaltatur idem intelligatur ac D si diceret humiliatur. Tu autem probasti egregie hunc justificari, quem constat humiliari. Porro ubi dicitur qui se exaltat humiliabitur, sic exaltari accipiatur, ac si diceretur qui superbit.

M. Sicut ergo humilitas & superbia sunt contraria, ita qui præcipit hominem humiliari, ut debeat exaltari, id est justificari; & qui prohibet hominem exaltari, ne debeat humiliari, nihil aliud videtur præcipere, nisi in uno homine humilitatem proponere, in altero ab ipso superbiam re-E movere: quod totum est justum facere: non est ergo injustus Deus, qui hoc probatur præcipere vel prohibere.

D. Non me pœnitet hanc movisse quæstionem, cum magna mei utilitate solutam.

M. Qua tandem dicito.

D. Jam video sicut nihil superbia detestabilius, ita nihil humilitate utilius.

M. Licet in hoc diutius immoramur quam

vellem, tamen ut utiliter te inde commoveam, HUMILITAS est qua in ipsum itur Deum.

IV. D. Superbia igitur quæ in ipsum diabolum.

M. Immo quæ fecit ipsum.

D. Perhorres, perhorresco. nam ante superbiam constat eum splendidissimum fore angelum.

M. Factum est ergo cum superbiret, eum immundissimum fieri diabolum. quare ut reor etiam si constaret monachos omnium hominum esse sanctiores, vides profecto tanto eos esse debere humiliores. Humilitas autem de se semper probatur humilia sentire, quare nihil sibi monachi debent sanctitatis præsumere.

D. Bonum est ut tuam ammonitionem diligenter attendant. nam video quod non aliter partem suam quam humilitate deffendant.

V. M, Omnis qui opus bonum inchoat, ignorat si bona possit consummare, cum constet quemlibet etiam de propria vita ignorare. Boni operis autem consummatio ejusdem est perfectio. Constat ergo omnes imperfectos esse, qui ignorant perfectionem boni operis se perficere posse. Si autem homo semper viveret, semper utique bonum facere deberet. Si ergo quod semper facere deberet, districta justitia ab eo exigitur. Omnis ergo homo cum moritur, etiam imperfectus relinquitur.

D. Videtur hoc posse impugnari, nisi quod idem hanc auctoritatem constat attestari: *Cum perfeceritis omnia*, inquit Dominus, *quæ facere debuistis*, *dicite quia inutiles servi sumus*. Luc. 17. 10.

M. Perfectis autem omnibus, quæ debuimus facere, si nos debemus inutiles servos dicere, inutiles autem servi sunt imperfecti, quare omnis homo concluditur esse imperfectus. Quare si de hoc interim satis tibi videatur, ad ea quæ restant sermo progrediatur.

D. Porro adjiciunt regulares canonicos non tantam perfectionem possidere, dum manifestum est multa quæ monachis non licent, eis licere. Quanto autem magis quisque laborat, tanto magis præmium sui laboris recipiet. Unusquisque enim secundum suum laborem propriam mercedem recipiet.

VI. M. Est bonum abstinere? Bonum.

D. Bonum & malum nonne sunt contraria.

M. Contraria.

D. Quod autem bonum est jubemur semper implere, & quod malum est semper prohibemur facere. Si igitur bonum est abstinere; ergo jubemur semper id facere, sequitur itaque si jubemur semper abstinere, semper ergo prohibemur comedere.

A Quod autem semper prohibemur facere, id numquam debemus attingere, ergo numquam debemus comedere.

M. Videris mihi injuriam facere, me etenim tibi interroganti constat verum respondere, de nullo autem quod verum conceditur, falsum sequitur: quare si me constat verum concessisse, non debuisti de vero falsum conclusisse.

D. Age jam; concedo tibi, aut si potes contradicito, aut si non potes, ab initio respondeto.

B M. Rationi tuæ non possum contradicere, vides tamen quia verum est quod concessi. Quapropter ut calumniam tuam possim evadere, concedo malum esse abstinere.

D. Omne autem quod malum est prohibemur facere, ergo malum est abstinere. Quod autem prohibemur facere id numquam debemus attingere, ergo numquam debemus abstinere.

M. Angustiæ mihi sunt undique. Nam video me incidisse in illud ut dicitur inextricabile labyrinthum, vel in illam Dedali domum, quam qui intrat non invenit exi-

C tum. Si enim concessero bonum esse abstinere, concludis nos nonnumquam debere comedere: si autem malum, concludis nos nonnumquam debere abstinere. Quid autem tam contrarium quam hominem numquam comedere & numquam abstinere. Id est semper comedere.

D. Si velles tantum auctoritate suscipere cuncta quæ dicuntur, posses ut simplices breviter credere, non tamen an ita sint an non sint indubius intelligere. Si autem ratione cuncta an ita sint & aliter esse non possint investigare, debes longos cir-

D cuitus rationis tolerare. Nam ratio sicut omnia præcedit, ita per se solam sufficit. Sed quia paucorum valde est rationem intelligere, debent autem omnes homines ut pote rationabiles, ad rationem pervenire, debet ergo auctoritas pusillis condescendere: ut dum illa suscipiant, debeant pusilli cum majoribus ad rationem ascendere.

M. Eat & circumeat volens, ut fateor, tolero eam, dum modo nos reducat ad se ipsam. Sed quia non sum ausus abstinere vel bonum vel malum respondere, dicam

E ergo neutrum esse.

D. Quid est esse neutrum? VII.

M. Ut interim videtur medium.

D. Omne autem medium habet se ad primum & extremum. Ergo abstinere nec per se malum est, nec per se bonum. Siquidem probatum est bonum inter & malum esse medium, ergo judicabitur pro arbitrio utentium, ut si boni eo utantur bonum, si vero mali judicetur malum.

M. Fugata ignorantiæ caligine jam videor esse in lumine.

D. Quando autem monachi dicunt se esse ideo regularibus meliores, quia illis licent quæ sibi dicunt non licere, profecto indicant se a cibis multis plusquam canonici abstinere. A

M. Ita putatur illos esse sanctiores qui sunt a cibis abstinentiores.

D. Probatum est autem abstinere non per se malum, nec per se bonum esse. Si ergo sunt meliores, de hoc quod dicuntur plus abstinere, ergo de hoc esse eos meliores quod nec bonum est nec malum concluditur. Esse autem meliorem, hoc est esse plus bonum; plus autem esse bonum ab eo quod non est per se bonum, ut est omni B
bono contrarium, ita & falsum. Falsum est ergo ideo monachos esse meliores quod dicuntur plus abstinere.

M. Quia audio inaudita te concludere, debeo quæcumque possum objicere.

D. Bonum edissere.

VIII. M. Justum est ut unusquisque secundum proprium laborem mercedem accipiat. Quicumque ergo plus laborat, plus mercedis accipiet. Qui autem plus abstinere probantur, plus laborare judicantur; ergo qui plus abstinent, plus necesse est mercedis accipiant. Porro qui sunt in mer- C
cede ditiores, hi sunt profecto meliores. Falsum est ergo quod tu conclusisti, non ideo esse meliores, quia plus abstinent.

D. Multum es importunus.

M. Tu autem sis benevolus.

D. Vidistine aliquem hypocritam fortiter abstinentem, & sanctum omnes cibos cum gratiarum actione participantem?

M. Etsi faterer me non vidisse, constaret tamen utrumque fuisse secundum sententiam Salvatoris ita dicentis: *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.* Et iterum de sanctis apostolis dicitur, quod *non pos-* D
sunt filii sponsi jejunare, quamdiu sponsus cum illis est.

Matt. 6. 16.

D. Si igitur meliores sunt qui plus abstinent, id autem facit hypocrita quod aliquis sanctus minime, ergo melior est hypocrita aliquo sancto, & meliores sunt pharisæi & discipuli Johannis abstinentes, quam apostoli comedentes. Apostoli autem sancti, pharisæi iniqui, ergo iniqui sanctis sunt meliores.

M. Quia nefas est me diutius apertæ veritati renuere, debes saltem quod interim E
mihi his videtur contrarium exsolvere. nam ut prætermittam multos sanctorum qui ob jejunia videntur cœlorum regna recepisse, unde laudatur Moyses & Helias XL. diebus jejunasse, ille jejunando legem recipere, hic jejunando meruit igneo curru in cœlum transire? Ipse etiam Christus post baptismum cur jejunasse XL. diebus & XL. noctibus nobis imitandus proponitur, si jejunium minime per se bonum dicitur.

D. Si constaret te ea quæ dicta sunt diligenter percepisse, non deberes profecto hæc objecisse, ex his enim quæ sunt superius probata, hæc omnia constat soluta. IX.

M. Inter videntem & lippos oculos habentem magna distantia: si tu putas mihi lippienti cuncta patere, quia te clare constat videre.

D. Censesne eadem verba esse eadem verba? non sunt eadem, non sum homicida non sum homicida, & idem jejunium estne idem jejunium.

M. Hoc utrumque idem esse me fateri est necesse.

D. Pronuntient ergo hæc eadem verba homo sanctus & homicida, censesne eadem esse? si dicit homicida, non sum homicida & justus, non sum homicida?

M. Numquam hoc dixerim, sed sunt vera & falsa. Mentitur enim homicida, verum dicit homo sanctus.

D. Cur igitur accidit cum superius constaret eadem verba esse eadem verba; nunc quæ dicta sint a justo homine & homicida falsa & vera sint judicanda?

M. Quia profecto omnia quæ dicuntur, non secundum verborum sonum, sed secundum dicentium accipiuntur animum.

D. Præponitur ergo nobis in omnibus quæ dicuntur non sonus sed animus dicentium imitandus: verbi gratia, ut si bono animo aliquis aliqua dixerit, sicut est laudandum, ita nobis imitandum; & item si malo animo aliquis aliqua dixerit, sicut hoc est vituperandum, ita nobis non est imitandum. Verba autem constat esse eadem, nisi vel bono animo vel malo dicantur. Ergo sequitur in omnibus quæ dicuntur, nihil nisi animus vituperatur, vel animus laudatur. Quare de jejunio vide quid consequatur.

M. Inde non est tantum laborandum, licet hoc mihi relinquas adinveniendum.

D. Videris mihi videre quare interrogaverim utrum esset idem jejunium, idem jejunium.

M. Ideo ni fallor, quia cum constet idem jejunium & idem jejunium. hoc autem ideo vel malum judicetur, quia hoc facit malo animo hypocrita, utpote pro vana gloria; vel bonum, quia hoc facit bono animo bonus homo, utpote pro æterna gloria, non ibi jejunium tantum attendatur, sed vel malus animus vituperandus, vel bonus laudandus nobis proponatur.

D. Si igitur ut probatum est in omnibus quæ dicuntur vel opere complentur, non tantum ipsa verba vel opera, sed animus vel vituperatur vel laudatur: quidquid autem vituperatur, non sit a nobis imitandum; & quod laudatur sit imitandum, ergo cum Christus, Moyses & Helias jejunantes nobis collaudantur, non X.

tantum eorum jejunium, sed bonus animus nobis proponitur imitandus. Vides ergo cum multi sanctorum referantur jejunasse, non hoc quod jejunaverint, sed qualiter id est quali animo id fecerint scripturam nobis commendasse. Ideo sequitur non ob jejunia eos regna cœlorum percepisse, sed ob boni animi studia.

M. De illo etiam jejunio quod tu probasti per se non esse bonum, constat idem sensisse Dominum. Nam cum quidam hoc putarent sufficere, Dominus dignatur eos arguere. Quare enim dicebant jejunavimus, & non aspexisti, humiliavimus animas nostras & nescisti? Dominus autem

Isa. 58. 3. dixit se preces eorum non audivisse: *Ecce*, inquiens, *in diebus jejunii vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis; ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impie*. Ibi ergo quia jejunium malo animo eos habuisse probatur, a Domino refutatur. Et rursum. Quomodo bonum quia bono animo fit habeatur,

Ibid. 5. subjungens docere dignatur: *Nolite jejunare sicut ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Numquid tale est jejunium quod elegi, per diem hominem affligere animam suam? Numquid contorquere quasi circulum caput suum, & sacco & cinere sternere? Numquid istud vocavi jejunium & diem acceptabilem Domino? Hoc est*, inquit, *magis jejunium quod elegi, dissolvere colligationes impietatis*, &c. his similia. Et idcirco nisi medium probaretur, numquam ab apostolo diceretur,

Rom. 14. 3. *Neque manducans non manducantem, nec non manducans manducantem spernat*. Non tantum autem de jejunio, sed de omnibus quæ fiunt pro vana gloria ostendit nos Dominus nulla consequi laborum præmia: *Amen*,

Matt. 6. 16. inquiens, *dico vobis receperunt mercedem suam*.

M. Quare si interim tibi satis videtur, nostra ratio ad reliqua discurrere conetur.

D. Nos, inquiunt, canonici regulares apostolis ipsis assimilamur, dum in eorum loco positi, mores & vitam imitamur. Sicut

Matth. 5. 14. enim apostolis dictum est: *Vos estis lux mundi, non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt*; ita nobis dictum tenemus, quorum vitam, habitum, mores possidemus. Ergo si lux sumus mundi & civitas quæ non potest abscondi, super montem positi, & lucerna super candelabrum collocati, debemus omnibus qui in domo ecclesiæ sunt prædicare, opus evangelistarum & apostolorum consummare.

M. Hos constat viam veritatis ignorare.

D. Via autem veritatis sicut superius est probatum humilitas est qua itur in Deum.

M. Manifestum est ergo eos in tenebris

A ignorantiæ absque via errare. Denique quicquid superius dictum est contra præsumtionem monachorum, potest dici & contra gloriationem canonicorum. Quod probatum est, quanto quique vellent esse sanctiores, tanto deberent esse humiliores, dejectiores, sua confessione a Deo remotiores, quod te totum credo, sicut ex superiori ratione, non latere; ita in sancta ubique scripturarum auctoritate posse videre.

B D. Quod recordor te superius dixisse illos debere auctoritate refutari, qui contra ipsam & ex ipsa videntur roborari; debes interim a ratione quiescere, & eos ex adducta in medium auctoritate bene vel male dixisse convincere.

M. Nonne dixi tibi hoc me totum fecisse, & te totum intellexisse?

D. Ne graveris, sermo enim eorum validus videtur, quare valenter & potenter necesse est ut refutetur, vel si hoc non potes facere, sinantur palmam habere.

C M. Nondumne intelligis eamdem causam apostolos habuisse, quos constat de prioratu contendisse?

D. Scio, sic enim scriptum legitur: *Facta est contentio inter discipulos* JESU, *quis eorum videretur esse major*. Luc. 22. 24.

M. Legis etiam ibi quomodo hic error eorum opprimeretur, quidve illis, si majores esse vellent & perfectiores proponeretur?

D. Constat a Domino ita propositum, ut qui ex illis vellent esse majores, fierent juniores; & qui præcessores, sicut ministratores. nam seipsum Christus probavit omnium esse majorem, tamen dixit se in medio eorum esse sicut ministratorem juniorem.

D M. Quare tu taces quid illis de dispositione regni dixerit? Non tantum se dixit his regnum sicut sibi disposuit Pater disponere; sed etiam dixit eos super XII. thronos sedere, judicare XII. tribus Israël debere.

M. Sedere autem super XII. thronos, & judicare XII. Israël tribus vides eos non aliter posse possidere, nisi in illo proposito quo

E præceptum est illos fieri juniores, ministratores vellent permanere.

D. Manifestum est nullum ad hoc posse pertingere, nisi in hoc præcepto velit permanere.

M. Isti autem in eorum loco sicut se positos dicunt, ita quæ illis dicta sunt, & sibi dicta esse præsumunt: nolunt autem quod illis dictum est esse juniores ministratores, non ergo erunt majores prædecessores.

D. Sic sequitur.

M. Quiesce interim. Dubitas esse monachos Christi discipulos?

D. Numquam hoc dubitaverim, licet quosdam ex his retrocedere viderim.

M.

XI. M. Numquam monachi fuere quos constat retrocedere, quia impossibile est ut vel unus de electis pereat, quare de veris monachis id necesse est ne fiat.

D. Ecce secundum definitionem sui nominis concedo veros monachos non retrocedere, sicut nec XI. quos constat veros Christi esse apostolos; si autem aliquis hoc videtur facere, sicut Judas, numquam fuit apostolus, licet hoc videretur, ita iste numquam fuit monachus.

M. Bene intelligis, quia si esset apostolus, numquam diceret Christus de eo, *Unus ex vobis diabolus est*, quare constat monachos Christi esse discipulos. Qui autem volunt Christi esse discipulis majores præcessores, debent fieri juniores ministratores. Porro qui fuerint Christi discipulis juniores ministratores, hi procul dubio debent fieri sicut super XII. sedes sessores, ita super XII. tribus Israël cum Domino judicatores. Si
XII. igitur isti monachis, quos Christi constat esse discipulos, volunt esse majores; hoc autem impossibile sit fieri, nisi probentur omnibus Christi discipulis juniores ministratores. Hoc autem nolunt facere dum se super monachos conantur extollere; concluduntur ergo numquam super XII. sedes sedere, nec XII. tribus Israël judicare debere.

D. Vere nunc constat te manifeste concludere.

M. Adhuc te decet expectare.

D. Expecto, tu quid vis exsequere.

M. Non est major dignitas apostolica, quam hæc potestas judiciaria, hæc autem non tantum apostolis, sed omnibus sæculi renuntiatoribus est promissa. Quapropter si isti, ut probatum est, ab hac dignitate excludantur, vides profecto quod non tantum ab hac dignitate excellentiore, sed ab omni renuntiatorum gloria excludantur. Sequitur ergo ut qui majorem adipisci nitantur, in nulla gloria inveniantur.

D. Melius esset ut juniores se faterentur, quo ad hanc gloriam majores elevarentur.

M. Potesne ex verbis eorum perlucide contemplari, unde magis ipsis apostolis videantur assimilari?

XIII. D. Perfacile, quia eorum vitam, habitum, mores se dicunt habere.

M. Mallem tibi de his omnibus quemlibet alium respondere, cum non valeam tibi nisi quibusdam risoriis sententiis satisfacere, & idcirco melius est hæc te tecum conjicere.

D. Valerem quidem multa inde conjicere; sed aliud est conjicere, aliud quod verum est firmiter tenere. Quare inde non te decet excusare, si aliquid quod verum est poteris investigare.

M. Quis certum teneat quo habitu apostoli uterentur, cum hæc à nobis pene omnia celentur?

D. Non ideo excusaris. nam Simon & Judas habuisse leguntur habitum adeo pannosum, ut videretur eos audire vel videre ignominiosum.

M. Si hoc constat de his solis, quid dicetur de reliquis?

D. Immo si diaboli creditur testimonio, S. Bartholomæus usus legitur albo colobio, clavata purpura, & indutus albo pallio, quod per singulos angulos habuit singulas gemmas purpureas, quo licet per XXVI. annos indueretur, numquam tamen inveteratum legitur. Nam etiam Johannes evangelista & apostolus sindone, Thomas & Jacobus colobio albo usi fuisse perhibentur.

M. Vides igitur quid inde sequitur?

D. Nequaquam.

M. Profecto regulares canonici si se dicunt habitum apostolorum habere, omnes debent se albo colobio, albo pallio, purpurato, gemmato sindone Bartholomæum, Johannem, Thomam, Jacobum sequentes induere; & rursum Simonem & Judam sequentes debent adeo fieri pannosi, ut ad videndum vel ad audiendum sint ignominiosi.

D. Hoc utrumque sicut est multum indecens, ita valde inconveniens. Multum autem ab hoc differunt, cum neque sint vestitu ut Simon & Judas ignominiosi; neque ut Bartholomæus, Johannes apostolus, Thomas & Jacobus colobiati, sed inter utrumque capati, superpelliciati.

M. Desinant ergo attestari per habitum illis assimilari.

D. Quid si hoc idem a canonicis objicitur monachis?

M. Omnino ipsi quique vel si de habitu præsumerent, calumniam hanc non evaderent.

D. Est tamen loco & habitui aliquid sanctitatis attribuendum?

M. Nihil aliud nisi iis tantum discrete utendum. Nam Judas sub habitu apostolorum Christum tradidit, & Sebastianus sub clamyde militari martyrium subiit. Rursum diabolus in cœlo apostatavit, & Job in sterquilinio residens Dominum laudavit. XIV.

D. Age jam non de habitu, sed de moribus & vita eorum, dicant canonici se apostolos imitari: quare & illud quale sit te decet perscrutari. XV.

M. Cum hæc soluta sint superius, multum videris hæc rursum objiciendo vel superfluus vel importunus. Nonne probatum est inter omnes apostolos & Christi discipulos, quicumque vellent esse majores & digniores, hi deberent esse juniores & humiliores? Quid est autem esse juniores &

humiliores, nisi habere sanctissimam vitam A & sanctissimos mores? Porro isti nolunt esse juniores & humiliores; convincuntur ergo non habere vitam sanctam & sanctos mores, quæ non habere si probantur, quomodo humiles apostolos imitantur? Quis dixit apostolorum, ego sum major aliorum? Nonne vides Paulum dixisse, quem constat in tertium cœlum raptum esse: *Novissime visus est mihi tamquam abortivo, ego enim sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus?* Nonne de omnibus apostolis tale edidit oraculum, cum omnes dixit esse quasi peripsema & mundi spectaculum? Quis eorum non se dixit peccatorem, juniorem, ceteris inferiorem? Quis non ut pestiferum venenum fugit linguam adulantium? quis non eorum cum posset lampadibus & cereis ut Deus venerari, maluit cum omni opprobrio & dedecore refutari? quis non eorum omni conamine maluit se deprimere, quasi hoc solum esset ascendere?

1.Cor.15.8.

XVI. Quod si regulares illam vitam apostolorum & mores indicant, qua illos constat innumeris miraculis claruisse, & mundum pene totum circumvolantes baptizando, prædicando convertisse, & quia omnia testantur se fecisse, dicunt se apostolorum imitatores fuisse. Ergo ostendant necesse est, quibus miraculis claruerint, vel quos fines mundi circumvolantes baptizando, prædicando converterint, vel quas in partes mundi convertendas vel conversas jam a Domino directi apostoli fuerunt. Quod si hæc cuncta a seipsis minime possunt ostendere, desinant ergo apostolorum vitam in solo baptismo, in sola prædicatione & miraculo accipere. Nam non facit apostolum prædicare, baptizare & miracula facere; sed virtutes habere, & sicut illis injunctum est præ ceteris seipsum humiliare. Si enim in baptizando, in prædicando, in miracula faciendo, tantum vita apostolica & ipsi apostoli accipiuntur, hæc duo absurdissima inde concluduntur; aut omnes qui talia fecere apostolicam vitam habuere & apostoli fuere, aut qui talia non fecerunt numquam apostolicam vitam habuerunt, nec apostoli fuerunt. Mali autem sicut multa miracula fecerunt, ita baptizavere & prædicaverunt. Sequitur ergo malos apostolicam vitam habuisse, & ipsos apostolos esse.

XVII. Rursum autem multi perfectissimi & apostolici viri, sicut numquam curaverunt miracula facere, ita nec baptizavere, nec prædicavere, quos omnes sequitur nec apostolicam vitam habuisse, nec apostolicos viros fuisse. quæ sicut sunt contraria, ita concluduntur esse falsa. Ergo non in his tantum accipitur apostolica vita. Amplius: quid dici possit absurdius, quam ut in hoc tempore cum non fiunt miracula, privaretur omnis ecclesia dignitate apostolica? Denique inde non tam res mira quam contraria sequi videretur, ut nullus canonicorum, nullus monachorum, nisi faceret miracula, prædicaret, baptizaret, apostolicam vitam habere videretur, & quemlibet immundissimorum clericorum, quem constat utrumque facere, baptizare & prædicare, apostolicam vitam probaretur habere.

D. Multum multumque rationabile totum. ergo ô utinam sic semper te videam commotum. Nam miraculis coruscare, baptizare, prædicare, cum illo jejunio, loco & habitu, ut medium debemus computare. B quæcumque enim sunt a te probata, manifesta constant auctoritate prolata. Nusquam enim Dominus dixisse legitur: Discite a me miraculis coruscare, baptizare, prædicare; sed *Discite a me*, inquit, *quia mitis sum & humilis corde*. Nam cum quidam hæc facerent & gloriarentur, quasi hæc ad salutem sufficerent, minime inde gloriandum esse Dominus fertur hoc illis responsum reddidisse: *Nolite*, inquit, *gaudere quod dæmonia vobis sunt subjecta, sed quod nomina vestra scripta sunt in cœlis*. Et C rursum his qui de miraculis confidunt dicturus est in fine: *Amen dico vobis, nescio vos*. Paulus quoque, in quo ipse Christus loquebatur, hoc idem de baptismo & de prædicatione testatur; nam cum quidam plus justo in prædicatione & baptismo vellent confidere, ex hoc solo probavit eos Christum velle dividere, hoc modo proponens: *Hoc autem dico, quod unusquisque vestrûm dicit: Ego quidem sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephæ; ego autem Christi*. Divisus est Christus? quasi diceret: Si baptismus in tot di- D viditur a quotquot suscipitur; in omni autem baptismo unus Christus per fidem suscipitur: ergo in tot quot baptizant unus Christus dividitur. Nam etiam gratias Deo agit, quod neminem illorum baptizaverit, nisi Crispum & Gaium, & Stephanæ domum; ceterum nescit se aliquem baptizasse, ne quis deberet in ejus nomine gloriasse. Non enim dixit se missum a Christo ut baptizaret, sed ut evangelizaret. Quid autem stultius quam Paulum non plenum esse apostolum, si de his tribus prætermitteret unum, sicut sibi dixit injunctum? quod E totum ex hoc sequeretur, si vita apostolica & apostolum esse nonnisi in his tribus acciperetur. Tandem sic de se plantante, & Apollo rigante, id est prædicante & baptizante, loquitur: *Neque qui plantat*, id est prædicat, *neque qui rigat*, id est baptizat, *est aliquid*. Quare tua ratio omnino vera concluditur.

Matt.11.29. Luc.10.20. 1.Cor.1.12. 1.Cor.3.7.

M. Ut vides nocte superirruente compellimur quiescere; quare si interim de his tibi satis videtur, id quod restat futuro diei reservetur. *Explicit liber secundus*.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

I. *De eo quod si verum est quod monachis objicitur, de omnibus sanctis inconveniens concluditur.*

II. *Quod si monachi de vita pœnitentium jure culpantur, omnes sancti in ea culpa esse probantur.*

III. *Item quod inde sequatur Christum solum cælum ascendisse, & solum ibi absque sanctis resedisse.*

IV. *Quod quia hæc inconvenientia falsa concluduntur, idcirco monachi hæc facere sinuntur.*

V. *Quod sit auctoritas monachorum de vita ortodoxorum.*

VI. *Quod ideo quia monachi in Christo mortui esse dicuntur, spiritualia tractare conceduntur.*

VII. *Quod omni monacho qui presbyter ordinatur, prædicare, baptizare concedatur.*

VIII. *Quod si non licet hoc monacho qui ordinatur, non plenus sed semipresbyter vocatur.*

IX. *Quod si monachi de vili vestimento causantur, omnes sancti qui hoc usi sunt pro nihilo habeantur.*

X. *Objectio quod non sint idem regulares canonici, & illi qui dicuntur clerici.*

XI. *Solutio quod omnes clerici dicantur esse regulares.*

XII. *Quod sicut qui vivunt absque Christianitate, non sunt Christiani, ita qui absque regula canonicorum non sint clerici.*

XIII. *Quod sicut qui faciunt irregularia irregulares sint dicendi; ita qui non clericalia, non sint clerici habendi.*

XIV. *Quod ita esse ex evangelio & ex canonibus sit necesse.*

XV. *Quod hi soli debeant potestatem ligandi atque solvendi habere, quos constat secundum regulam apostolorum vivere.*

EXPLICIUNT CAPITALIA.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

I. D. Sicut irruente nocte compellebamur quiescere, ita ipsa illucescente die hortamur surgere; quare te decet quod monachis objicitur diligenter excutere.

M. Dummodo mihi Deus dignetur succurrere, id præsto sum facere: quare te decet quod objicitur præmittere.

D. Porro, inquiunt regulares canonici, quia vitam noscuntur monachi pœnitentium agere, debent se in claustro quasi sub modio abscondere; mortui enim sunt, & vita illorum abscondita est cum Christo in Deo. Cum ergo Christus apparuerit, tunc & vita ipsorum apparebit cum ipso in gloria. Sicut ergo hic mortui, ibi vivi; sic ibi apparere, hic tamen debent latere. Ergo nec debent prædicare, nec baptizare. Hoc etiam habitus eorum testatur: quia sicut A sunt tam vestitu quam tonsura despicabiles, ita non sunt in vita huic mundo probabiles. Illi autem qui dicuntur clerici, sicut sibi videntur regularium canonicorum vitam ducere, ita hæc cum ipsis canonicis monachis objicere.

M. Hæc non debent solis monachis, sed omnibus patriarchis & prophetis, apostolis, tandem omnibus sanctis objecisse, quos constat omnes vitam pœnitentium habuisse.

D. Si ita intelligitur, nullus ab hoc opprobrio excipitur. nam scriptum est: *Conclusit Deus omnia sub peccato*, ut omnium B misereatur; & omnes peccavimus, & egemus gratia Dei. Ipsi etiam apostoli de se dicunt: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* (Gal. 3. 22.) (1. Joh. 1. 8.)

M. Omnes autem qui dicuntur sub peccato conclusi esse, necesse est, si salvati sunt, de peccato pœnituisse. De peccato autem pœnitere hoc est vitam pœnitentium habere. Igitur si omnes sancti noscuntur vitam pœnitentium agere, debent ergo se C omnes sancti sub modio abscondere. Nullus ergo debuit prædicasse, baptizasse, vel miracula aliqua fecisse.

D. Hoc nihil falsius dicitur.

M. Nihil igitur hoc falsius monachis objicitur.

D. Non sic, inquiunt, intelligitur vitam pœnitentium agere, sed quos constat de criminalibus peccatis id facere.

M. Sequitur ergo Petrum & Matthæum se abscondere sub modio debuisse, nec aliqua miracula fecisse. II.

D. Sic videtur. nam ter Petrus Dominum negavit.

D M. Quod criminale esse peccatum nullus umquam sapiens negavit absque his quæ forsitan antea multa in vita perpetravit.

D. Respexit autem Deus Petrum, & exiens flevit amare.

M. De hoc autem quod Deum negavit cœpit amare flere, hoc est de criminali peccato pœnitere. Concluditur ergo Petrus vitam pœnitentium habere. Vides ergo quod primum conclusi, id inde sequi debere.

D. Video. nam si Matthæus seipsum in E publico theloneo publicus peccator dicit resedisse, constat te de utroque verum conclusisse.

M. Immo multa absurdissima possum inde ostendere.

D. Cum hoc video necesse, ne pigriteris facere.

M. Aut igitur vitam pœnitentium hoc modo dicuntur habere, ut hoc debeamus de omnibus peccatis intelligere, aut ita, ut tantum de criminalibus videantur pœnitere.

D. Quid autem de utroque sequatur,

diligenter rogo discutiatur.

M. Quia si ideo debent latere, nec baptizare, nec prædicare, quia pœnitere de omnibus peccatis dicuntur, hoc nulli apostolorum, nulli sanctorum, tandem nulli omnium ecclesiasticorum facere debuisse concluditur; sequiturque nullos sanctorum regna cœlorum percepisse, si hoc inobedienter & contra Deum probantur fecisse, & omnem ecclesiam semper in errore fuisse.
III. Inde res mira colligitur Christum solum cœlos ascendisse, & ibi solum vacuo solo absque sanctis omnibus resedisse.

D. O res non tam mira quam detestanda.

M. Si autem eo modo dicuntur vitam pœnitentium habere, ut hoc nonnisi de criminalibus debeant facere, & ideo nec debeant prædicare, non baptizare, sed semper latere, non tantum sequitur Petrum & Matthæum & innumeros sanctorum quos constat graviter deliquisse, numquam ad aliquam dignitatem pervenire debuisse, sed & nullos monachos esse, nisi quos constaret criminalia peccata perpetrasse.

D. Deus per suam gratiam ab hoc defendat ecclesiam.

M. Concluditur ergo falsum esse ideo monachos latere debere, quia vitam pœnitentium dicuntur habere.

IV. D. Multum, sicut dicitur, ratio rationabiliter progreditur: nam & auctoritate idem ita esse conceditur. Nam si monachis hoc non licuisset, minime ecclesia tam valida fuisset: nam monachi dicuntur convertisse pene dimidium orbem terrarum, quod ita esse probatur auctoritate omnium scripturarum. Nam ut prætermittam monasticæ vitæ tam viros innumerabiles quam sanctitate incomparabiles, qui tempora beatissimi Martini præcesserunt, qui innumerabilia signa fecerunt, qui exempla sanctitatis suæ omni mundo imitanda reliquerunt, inter quos in magno Antonio tota spes Ægypti fuit, & fide claruit, & in Hilarione tota Syria suspensa fuit, cujus sanctitatem dæmones ubique testificabantur, & sicut de eo scribit beatus Hieronymus, nusquam potuit propter miracula delitescere, dum de omni mundo certatim ad eum fluxere. qui omnes imitantes Heliam & Johannem Baptistam in solitudinibus, licet erraverint, & facere miracula vitaverint, tamen sanctitate sua innumeros populos attraxere, & cum vellent latere, nullo modo id potuere. Ipsi etiam monachi prædicavere, miracula fecere. Ut illos, inquam, omnes omittam, quid de beatissimo Martino dicam? quis ejus valeat narrare miracula? quis ejus sanctitatis attinget fastigia, qui par apostolis in nomine Trinitatis trium mortuorum meruit esse suscitator magnificus, ut ejus tempore a solo Martino monacho cœlum sustentaretur, ecclesia omnis illuminaretur, ut hic quasi solus apostolus præ omnibus episcopis videretur, a quo trina divisio totius Galliæ se fore conversam gratularetur. Etiam nunc quis non Martinum extollat in cœlum? quæ mens non contremiscit ad Martini sanctitatem? quis tyrannorum audito nomine Martini, quasi quodam fulmine cœli obstupefactus, vel ad modicum non deponit feritatem? Hic tamen monachus prædicavit, baptizavit, opus evangelistæ & apostoli consummavit. Quid de beatissimo Gregorio, qui ut dulcissimum Spiritus-sancti organum multa miracula faciendo, prædicando, baptizando, sicut universam ecclesiam sanctitate decoravit, ita doctrina prædicationis illuminavit? Quid tandem de beatissimo Benedicto monachorum institutore dicetur? qui sicut spiritu omnium justorum ab ipso Gregorio plenus describitur, ita ejus sanctitatem & miracula ad plenum nulli evolvere conceditur. Hic tamen monachus, sicut idem Gregorius testatur, omnibus qui ad eum confluxerunt, verbum vitæ prædicasse monstratur. Longum est singulariter evolvere, quanti monachi episcopi prædicavere, & quot mundi partes sua prædicatione convertere. Sed forsan tu me judicas, interim silere melius.

M. Nollem nos in his tamdiu immorari, sed quale sit quod objicitur perscrutari. V.

D. Ante nos est. nam quia mortui & in Christo absconditi sunt, cum Christus apparuerit debent apparere, hic tantum latere, & sicut sunt habitu despicabiles, ita non sunt huic mundo probabiles.

M. Est-ne gloriosum monachorum vitam cum Christo abscondere, & cum Christo resurgere?

D. Hoc constat omnes sanctos debere.

M. Debent ergo omnes sancti latere.

D. Sic sequitur.

M. Si ergo omnes sancti debent latere, nulli miracula facere, nulli baptizare, nulli prædicare debuere: unde eadem inconvenientia sequuntur, quæ superius concluduntur.

D. Hæc satis dicta videntur, cum superius ita esse probarentur.

M. Dic tamen qui in Christo mortui dicuntur, in spiritualibus an in carnalibus vivere conceduntur?

D. Qui in carnalibus dicet eos vivere, vult eos peccare libere: hoc autem quia impossibile est esse, vivere ergo eos in spiritualibus est necesse. VI.

M. Porro baptizare, prædicare, facere miracula opera sunt carnalia, an spiritualia?

D. Qui dixerit carnalia, vult sanctos esse bruta animalia; hæc quia sunt contraria, sunt ergo opera spiritualia.

M. Si

VII. M. Si ergo omnes qui in Christo mortui dicuntur, in spiritualibus vivere conceduntur, baptizare autem, prædicare, etiam miracula facere sint opera spiritualia: ergo monachi si in Christo mortui dicuntur, spiritualia, id est baptizare, prædicare nullo modo prohibentur. Item quotiens aliqui ordinantur presbyteri, nonne ibi compotes præficiuntur sacerdotalis ministerii.

VIII. D. Nisi omne quod presbyterorum est facere concedantur, inordinati esse probantur. Qui autem ordinantur non possunt inordinati probari.

M. Ergo compotes sui sacerdotalis officii probantur quicumque presbyteri ordinantur. Est autem plenum officium sacerdotalis ministerii baptizare, prædicare, & his similia, & missas cantare. Si igitur hoc non licet monachis qui ordinantur, ergo non pleni presbyteri, sed semipresbyteri vocantur.

D. O hoc non tam opprobrium quam ridiculum!

M. Quia autem est impossibile non ordinari qui ordinantur, huic autem qui ordinatur omnis potestas sui officii conceditur, ergo omnis monachus presbyter prædicare, baptizare debere concluditur.

D. Qui dictum hoc non sequitur, valde insipiens convincitur.

IX. M. Amplius. Quia dicuntur huic mundo improbabiles, quia sunt vestitu despicabiles, tantumdem est intelligere, si in his aliquid mundus quod sibi proprium est cognosceret, mundus quod suum est in his diligeret.

D. Hoc mire exponitur, quare eos hoc sequitur: *Sed quia de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, idcirco odit vos mundus.* (Joh. 15. 19.)

M. Si igitur a mundo odiuntur, ergo a Deo eliguntur. qui autem a Deo eliguntur, quæ Dei sunt facere sinuntur. Sunt autem Dei opera prædicare, baptizare, & his similia implere: ergo hæc omnia debere monachi probantur facere.

D. Sed judicantur honore * ecclesiam non debere potiri, quos constat tam vili vestimento vestiri.

(* f. in ecclesia.)

M. Debuit ergo Johannes-Baptista major inter natos mulierum ab omni ecclesiæ dignitate submoveri, quem constat pilis camelorum vestitum, & zona pellicia præcinctum, necnon Simon & Judas, & apostolorum alii, & Martinus episcopus, tandem millia sanctorum, qui usi leguntur extrema vilitate indumentorum. Si igitur monachi de extrema vilitate causantur, hi omnes ecclesiastico honore submoveantur.

D. Nequaquam, sed omnes qui asperis vestiuntur, cum Johanne-Baptista a Domino magis videntur laudari.

M. Hi ergo qui mollibus vestiuntur debent vituperari. Debent ergo qui mollibus vestiuntur in domibus regum esse terrenorum. Hi ergo qui asperis vestiuntur, in aula cælestium regnorum.

D. Sed hoc videtur contrarium, cum superius constet nil sanctitatis habere habitum.

M. Nonne tibi dixi, quia aut multum es superfluus aut multum importunus; nam videris mihi illius sententiæ oblitus, qua ad animum bene intentum debet referri animus ut omne medium.

D. Parce, oro, ut stultitiæ, ita propriæ & verecundiæ.

M. Caveas tu tamen, ne rursus sint probanda quæ constant superius probata.

D. Quid igitur de his qui dicuntur clerici, & sicut regularium vitam ducere, ita cum hi hæc monachis videntur objicere.

M. Si videntur cum illis vitam ducere, eorum sententiam videantur ubique suscipere, unde quæ te movent cetera, si placent, recita.

D. Videris mihi dissimulare, aut ea quæ dicis non recte examinare.

M. Debes ergo ostendere videar in quibus hæc facere.

D. Quia dicis idem esse qui dicuntur clerici, & qui sunt regulares canonici. X.

M. Ergone debeo tibi aliud dicere, quam quod me constat intelligere?

D. Sicut mira sunt quæ audiuntur, ita mira quæ hæc sequuntur.

M. Esto ut placet.

D. Quis intuens vitam clericorum dicat hanc esse regularium canonicorum, quantum distat cœlum a terra, & synagoga Judæorum ab ecclesia Christianorum, tantum vita clericorum a vita regularium canonicorum. Isti enim in mundo dispersi, rerum fruuntur deliciis; illi in claustro collecti regulæ constringuntur disciplinis; hi habent omnia propria, hi autem omnia communia: hi absque pastore quolibet vagantur, hi in unum sub magistro congregantur. Horum pars maxima uxoribus associati, hi omnes ab his segregati. Hi vestimentis griseis, mardalinis utuntur vel sabolinis, hi laneis lineis utuntur vel agninis. Hi lepores venantur, vel quas licet feras, hi libros scrutantur, vel sanctorum quaslibet sententias. Hi de mundo quodcumque placet possident, hi omni mundo renuntiant. In his tandem quidquid contrarium irreligiosumque vituperatur, in his contrarium & irreligiosum probatur.

M. Audistine uno vocari sub vocabulo quos constat servire Christo & diabolo?

D. Hæ, heu! sic se habent res humanæ, ut quæ sunt bonæ vocitentur vanæ, & quæ malæ vocitentur, minime id esse probentur.

M. Sunt autem quæ bona bona, & mala quæ mala: non ergo ideo res mutantur, quod alio vocabulo vocantur.

D. His videtur congruere quod te constat dicere.

M. Quid igitur miraris si clericorum nomine vocantur, quid id minime esse probantur.

D. Non miror. nam si quilibet id esset quod diceretur, adhuc Judas apostolus haberetur.

M. Nonne clerici sunt, qui debent sicut docere, ita populum regere?

D. Manifestum est hoc.

M. Decet ergo hos esse sine regula, qui alios constringunt sub ipsa, ut docentes regulam sint irregulares? debetne aliquis Christianus vivere sine regula ecclesiæ?

XII. D. Sicut qui vivunt absque christianitate non sunt Christiani, ita qui vivunt sine regula non sunt clerici; & cum Christus & apostoli omnibus Christianis regulam tradiderunt, sicut clerici eorum loca possederunt, ita regula quam ipsi sibimet tenuerunt, hanc observandam clericis tradiderunt.

M. Si igitur a regula dicuntur regulares, debent autem omnes clerici, qui cogunt populum sub ipsa regula docere, multo magis ipsi regulam implere: ergo omnes clerici debent regulares esse.

D. Qui non concedit sic esse necesse, vult clericos clericos non esse.

M. Dicitur autem canon græce regula latine, inde canonici græce regulares latine. ergo quando regulares canonici dicuntur, nihil aliud est quam si regulares regulares dicerentur.

D. Non est quod huic objici videatur.

M. Non autem sub sua regula vivere dicuntur, qui facere omnia contraria suæ regulæ convincuntur, tu autem dixisti superius, clericos deliciis frui, propria possidere, ubique vagare, uxoribus colligari, mardalinis & zabulinis vestiri, venari, mundum possidere & his multa contraria & irreligiosa vituperari, sed hæc omnia sunt irregularia, quia regulæ clericorum contraria.

XIII. Sicut ergo qui faciunt omnia irregularia, irregulares sunt dicendi, ita qui hæc faciunt clericis contraria, & ut ita dicam non clericalia, non clerici sunt habendi. Merito igitur monachi & veri regulares hos abjiciunt, & cum his in sacramentis non participant, quia qui manifeste clerici non esse probantur, dignum & justum est, ut non tantum a monachis & veris regularibus, sed ab omnibus Christianis spernantur. Quod si vis sanctum evangelium & sacros canones, eorum scilicet regulas investigare, manifestissime ita esse poteris probare.

XIIII. D. Manifeste, de his enim dicitur quod:

A *si oculus tuus scandalizet te, erue eum & projice abs te.* Matt. 18. 9. Melius est ergo luscum populum absque cœco oculo ad vitam intrare, quam cœcos clericos cœcum populum ducere, & ambos in foveam cadere. Et rursum: *Vos estis sal terræ, quod si sal evanuerit, ad nihilum valet ultra, nisi ut foris projiciatur & ab hominibus conculcetur.* Matt. 5. 13. Melius est ergo clericum in reproba vita quasi sal infatuatum projicere, quam totum populum infatuato sale salitum, absque tamen sale in fœtore peccati relinqui fœtidum. Hoc etiam manifestum est sacros canones attestari, qui præcipiunt omnibus B fidelibus hos exsecrari. Inquit enim papa Clemens in epistola sua ad Jacobum: Ministri altaris presbyter, sive diaconus, sive subdiaconus, tales eligantur ad Dominica officia, qui ante ordinationem conjuges reliquerunt. Quod si post ordinationem ministro contigerit propriæ invadere cubile uxoris, nec sanctuarii nec sacrificii portitor fiat, nec altare contingat, nec cum offerentibus holocausti oblationem suscipiat, nec ad Dominici corporis portionem accedat; aquam porrigat manibus sacerdotum, ostia forinsecus claudat, minora C officia gerat. Hæc igitur, frater Jacobe, de ore jubentis sancti Petri audivi, si quis hæc præcepta non integra servaverit, sit anathema usque ad adventum domini nostri Jesu Christi. Et rursum ut debeant vitam canonicorum regularium, ut tu probasti superius, omnes ducere, Alexander papa his verbis probatur præcipere. Præcipiendo, inquit, mandamus, ut nullus missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, vel subintroductam mulierem. Unde sancta synodus hæc a capite sub excommunicatione statuit dicens: Quicumque sacerdos vel diaconus vel D subdiaconus post constitutum beatæ memoriæ prædecessoris nostri sanctissimi papæ Leonis aut Nicolai de castitate clericorum, qui concubinam duxit palam, vel ductam non reliquit, ex parte omnipotentis Dei, aut auctoritate Petri & Pauli, præcipimus & omnino contradicimus, ut missam non cantet, neque evangelium legat, neque epistolam, neque in presbyterio ad divina officia cum his qui præfatæ constitutioni obedientes fuerint maneat, neque partem ab E ecclesia suscipiat, & præcipientes statuimus, ut hi prædictorum ordinum qui eisdem præcessoribus nostris obedientes castitatem servaverint, juxta ecclesias quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos, simul manducent & dormiant, & quidquid ab ecclesiis competit communiter habeant, & rogantes monemus, ut ad apostolicam scilicet communem vitam pervenire studeant, quatenus perfectionem cum his consequi, qui centesimo fructu di-

tantur in cœlesti patria mereantur ascribi. Deinde & primitiæ seu oblationes vivorum & mortuorum ecclesiis Dei reddantur fideliter a laïcis, ut in dispositione episcoporum sint; quas qui retinuerint, a sanctæ ecclesiæ communione separentur, ut per laïcos nullomodo quilibet clericus aut presbyter obtineat ecclesiam, nec gratis nec pretio, nec aliquis clericus duas ecclesias obtineat, aut per simoniacam hæresim nemo ordinetur vel promoveatur ad quemlibet officium ecclesiasticum, nec de ecclesiis ejiciatur, & ut nullus habitum monachilem suscipiat, spem aut promissionem habens ut abbas fiat. Ut nullus laïcus ad quemlibet gradum ecclesiasticum repente promoveatur, nisi post mutatum sæcularem habitum divinæ conversationis inter clericos fuerit comprobatus. Vos ergo hæc & alia sanctorum Patrum statuta fideliter Christiana reverentia observate, si vultis sanctæ Romanæ ecclesiæ, & apostolicæ sedis pace & communione atque benedictione & absolutione gaudere. Verumtamen quid est, quæso, quod se potestatem ligandi atque solvendi habere testantur, quomodocumque videantur vivere.

XV. M. Nonne, sicut ego ratione ostendi & tu auctoritate, debent hi potestatem ligandi atque solvendi habere, qui minime ecclesiastice probantur vivere. Nullus nisi ipsa ecclesia hanc potestatem habet. Ecclesia* autem ecclesiastice secundum regulam in communi debent vivere, quare quicumque probantur, his moribus quos ecclesia damnat vivere, sine dubio hanc potestatem minime debent habere amplius: magis Deus factis iniquis quam verbis malis negatur: unde sequitur: licet aliquis verbis Deum confiteatur, tamen iniquis operibus Deum negare convincitur. Quos autem constat male vivendo Deum negare, certum est seipsos hac potestate privare, cum non possit nisi ecclesia solvere atque ligare, quæ Deum numquam debet negare, quod ni fallor potest ex auctoritate declarare.

*f. clerici.

D. Paulus enim hoc attestatur dicens: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Rursum autem de potestate ligandi atque solvendi beatus Augustinus inquit: illi soli habent potestatem ligandi atque solvendi, qui in hac carne positi, sicut sancti apostoli, illorum exempla vitam simul tenent ac doctrinam, & omnia communia habent secundum regulam apostolicam. Item sicut Eunuchus fuit, qui Joseph comparavit, ita qui gratiam mercatur vivum semel non habet siccis genitalibus, sic quoque ignis sacrificii, qui per LXX. annos Babylonicæ captivitatis sub aqua vixerat, extinctus est, Anthioco Jasoni vendente sacerdotium, quod significat vere ignem Sancti Spiritus

Tit. 1. 16.

sacramentis simoniacis non licere. Unde ut ego aliquid ex ratione moliar cernere, hinc lux vera omnem quæstionem probatur exsolvere.

M. Enitere rogo hoc idem ostendere.

D. Si enim quemadmodum ex ratione & auctoritate superius est declaratum, illi soli potestatem habent ligandi atque solvendi, qui sicut sancti apostoli eorum tenent doctrinam, & omnia communia habent secundum regulam apostolicam; ergo si vel canonici vel monachi melius præ ceteris apostolorum doctrinam & omnia communia secundum regulam apostolicam habere probantur, hi præ ceteris verius & dignius non solum ligare atque solvere; sed omnia spiritualia posse tractare concluduntur. Unde te hortor feliciter nunc pergere, & qui in ecclesia apostolorum vitam dignius habent ostendere.

M. Videbar mihi debere nunc ab his quiescere, tu autem me cogis ea quæ supra me sunt dicere. non enim digne quod hortaris possum ostendere, nisi ad ipsos apostolos debeam ascendere, & qualiter omnem ecclesiam instituerint oculo claro contemplari, qualiterque ipsam ecclesiam deinde contigerit quasi de verissima radice primæ institutionis ad nos usque derivari, vel etiam ab illa perfectione paulatim devians exorbitari.

D. Nondum imples debitum tuæ promissionis, nec perfecte nodum solvis totius quæstionis, si hoc, licet arduum, tibi videatur implere, minime poteris ostendere. Sic enim te constat dixisse. primum enim, aiebas, debeo Adam veterem hominem destruere, ut novum hominem, qui secundum Deum creatus est, valeam erigere; unde cogeris, quia superbos destruxisti, humiles erigere, quia inquietam flagellasti disciplinam, pacatam familiam pascere, & scis quia Saulus si prostratus non erigeretur, magno apostolo ecclesia privaretur.

M. Ut vides solis occasus terminat diem, unde licet tertium claudere librum.

Explicit liber tertius.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI IV.

I. *Quare ad perfectam totius quæstionis absolutionem ascendat usque ad apostolorum primitivæ ecclesiæ institutionem.*

II. *Quod omnes apostoli sicut unam doctrinam habuere, ita in una perfectione omnem ecclesiam instituere.*

III. *De Ægyptiis & Alexandrinis ita a Marco evangelista primum institutis, sicut hi qui crediderant Jerosolymis.*

IV. *Quod omnis ecclesia exordium sumserit a vita monastica.*

V. *Unde auctoritatem moniales ducere videantur; quæ sacro velamine velantur.*

VI. *Quod qui sub apostolis crediderant perfectissimorum monachorum instituta habuerunt.*

VII. *Quare omnis ecclesia in prima perfectione non perseveraverit, vel in quibus in hac perfectione exorbitaverit, vel in quibus in hac perduraverit.*

VIII. *Quare monachi vocarentur, vel primo cœnobia instituerentur.*

IX. *Quomodo de vita monastica germinaverit anachoretica.*

X. *Quod sicut monastica vita sub evangelii honore, ita qui ab hac discesserunt sub legis terrore permanserunt.*

XI. *Quod omnes apostoli vere fuerunt monachi.*

XII. *Qua id probetur ratione pariter & auctoritate.*

XIII. *Quod nullum inconveniens sequeretur, si omnis homo perfectus monachus haberetur.*

XIV. *De differentia clericorum & monachorum secundum regulam eorum.*

XV. *Qua necessitate constringimur dicere regulam canonicorum regula monachorum inferiorem existere.*

XVI. *Quare S. Augustinus regulam canonicorum vellet componere, cum sciret regulam monachorum ante perfectiorem existere.*

EXPLICIUNT CAPITULA.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

I. D. UT video instantis mane diei dat finem gratæ quieti, unde compelleris surgere, & ea quæ sunt proposita animadvertere.

M. Quia ad perfectam totius quæstionis absolutionem compellor ascendere usque ad apostolorum primitivæ ecclesiæ institutionem, dignum inrefragabilem auctoritatem eorum ortodoxorum introducere, cui nullus audeat contradicere, quosque constat ex ipsa nos verius & perfectius instruere.

D. Hoc fateor mihi multum placere, si etiam eorum verba digneris ponere, ut sicut non tuæ sed ecclesiæ auctoritati creditur, ita ipsius ecclesiæ verbis roboretur quod dicitur,

M. Faciam ea quæ sunt necessaria, vitans in quantum possum superflua.

D. Adsit igitur tibi Spiritus-sancti gratia.

M. Post adventum igitur spe ejusdem Spiritus-sancti procul fugato omni servili timore, omnes apostoli de illo suo conclavi prorupere, & verbum Dei patenter primum quidam Jerosolymis prædicavere, dein se in toto mundo dispersere: a quanta autem perfectione ea multitudo quæ primo Jerosolymis crediderat ab apostolis instituebatur, manifestissimo Lucæ evangelistæ testimonio in ipsorum Actibus declaratur: *Multitudinis*, inquit, *credentium erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia, neque enim quisquam egens erat inter illos, quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes apostolorum, dividebatur autem singulis prout cuique opus erat.* Act. 4. 32.

II. D. De multitudine Jerosolymis congregata & quanta perfectione sit inchoata nulli dubium videtur, dummodo in aliis mundi partibus ab aliis apostolis in eadem perfectione ecclesiam inchoasse monstremus.

M. Firmissime tene omnes apostolos sicut unam doctrinam habuisse, ita in una perfectione omnem ecclesiam instituisse. Absit enim ut cum multitudo cor unum & animam unam habuissent, apostoli ipsius doctores alius in alia consuetudine alias instituissent ecclesia.

D. Vellem tamen audire qua id probares auctoritate.

III. M. Ut ecclesiastica historia testatur Petrus Romæ prædicans ecclesiam in eadem qua Jerosolymis perfectione æquavit. post Marcum evangelistam discipulum ejus cum ipso evangelio quod scripserat sua auctoritate in omnem Ægyptum primo delegavit. Marcus autem in Ægypto evangelium prædicavit. Post in hoc Alexandriam migravit, ibique sicut apostoli Jerosolymis, & Petrus magister ejus Romæ, primus ecclesiam informavit. Introducitur autem in ipsa ecclesiastica historia quidam Philo nomine narrans de omni Alexandrina ecclesia sub Marco instituta evangelista, qui sermone veracissimus, ipsum Petrum Romæ vidit, & quæ a Petro & Marco didicerat, omni ecclesiæ indubie conscripserat, tanta enim refertur multitudo virorum credentium ac mulierum primo ingressu Marci evangelistæ, exempla sobrietatis ejus & continentiæ congregata, ut etiam conversatio eorum qui per ipsum crediderant, & vita totius abstinentiæ & frugalia eorum, sobriaque convivia librorum memoriæ mandarentur. Hæc igitur omnia idem Philo describens in libello quem de vita theorica vel supplicum attitubavit, nihil omnino vel de proprio vel exstrinsecus addidit. Dicit itaque primo omnium quod renuntiaverint cunctis facultatibus suis, qui sub apostolis crediderint, bonaque sua fratribus tradiderint, deinde quod omnes vitæ sollicitudines procul abjecerint, & extra urbem egressi, in hortulis vel exiguis quibusque agellulis vixerint, refugientes imparis propositi consortia, & vitæ dissimilis contubernia, scientes hæc omnia impedire qui volunt arctam viam incedere. Vides igitur quod in una perfectione & in una consuetudine ecclesia hic in Alexandria & in Ægypto sit inchoata,

ta, qua illa prima sub apostolis Jerosolymis congregata, & illa sub Petro Romæ initiata.

IV. D. Manifestum est quoniam idem narrat de Ægyptiis Alexandrinis, quod & de his qui primo crediderant Jerosolymis. nam ut videtur & ipse se habet ordo verborum, & ipsa perfectio renuntiatorum, videtur ecclesia inchoasse a vita monachorum.

M. Si vis omnia scripturarum consulere testimonia, nihil aliud videntur dicere quam ecclesiam inchoasse a vita monastica, sicut se habent hæc verba sequentia. In multis, inquit Philo, orbis terræ partibus est hoc genus hominum apostolos sequentium. Oportebat, inquit, profecto hujus boni participem fieri omnem Græciam, omnemque Barbariam. In Ægypto tamen major est copia per singula quæque territoria, præcipue in Alexandria. Nam optimus quisque ex omnibus locis velut ad uberis patriæ glebam festinus accurrit colonus. Est, inquit, in singulis locis consecrata domus orationis, quæ appellatur semnion vel monasterium, quod interpretatur honestorum conventiculum. In quo, inquit, honestæ vitæ celebrant mysteria, nihil in eo reservantes, nisi legis tantum libros, volumina prophetarum, & hymnos & his similia, quibus in perfecta exercentur disciplina. Ab ortu autem, inquit, diei usque ad vesperum in his ducunt studium. habent etiam, inquit, disputationes quasdam & interpretationes veterum virorum, qui auctores eorum extiterunt, qui illis normam intelligentiæ & perfectæ vitæ monimenta reliquerunt: quorum illi velut itineris sui ducum & auctorum instituta pariter secuntur & morem. Procul dubio autem eorum duces & auctores apostoli dicuntur, quorum instituta pariter & mores secuntur. Rursum, inquit, non solum intelligunt subtilius hymnos veterum, sed & ipsi faciunt novos in Deum, omnibus eos & metris & sonis honnesta magis & suavi compage modulantes.

D. Hæc omnia sicut frequentius leguntur monachi facere, ita illis specialiter videntur convenire.

M. Vide adhuc quod illis magis ascribatur, nam ita prosequitur. Continentiam vero velut fundamentum quoddam primo in animo collocant, & ita demum reliquas super ædificant virtutes. Cibum potumque nullus eorum capit ante solis occasum, videlicet tempus lucis cum philosophiæ studiis, curam vero corporis cum nocte sociantes. Nonnulli post triduum in communionem veniunt cibi, quos edacior studiorum fames perurget. Quidam autem in sacrorum voluminum lectione ita inflammantur, ut nec quarto nec quinto sed sexto demum die, non tam desideratum quam necessarium corpori indulgeant cibum. Vinum nemo in gustu contingit, sed nec quamlibet carnem, tantum autem fit eis aqua poculum, panis cum sale cibus & hysopum.

D. Palam est quod ex auctoritate istorum orietur vita monachorum.

M. Adhuc, inquit, habitant per se viri seorsum, & per se feminæ deorsum, in quibus grandævæ sunt virgines integritatem servantes, non ex necessitate, sed ex devotione; non solum animo, sed & corpore consecratæ, indignum ducentes libidini mancipare vas ad capiendam sapientiam præparatum, & edere mortalem partum, a quibus Divini verbi concubitus sacrosanctus & immortalis expetitur, ex quo posteritas relinquatur nequaquam corruptelæ mortalitatis obnoxia. V.

D. Hinc auctoritatem ducere videntur moniales quæ sacro velamine velantur.

M. Vis autem adhuc scire a quanta perfectione omnis ecclesia ab apostolis institueretur? contemplare quid ab eodem viro subjungeretur: Omnis, inquit, lex istis viris videtur animali esse similis, quod corpus quidem habeat, ipsam litteram, & ea quæ secundum litteram observantur; animam vero occultum in littera spiritalem & invisibilem sensum, ut ab apostolis sunt docti, contemplantur. VI.

D. Hi viri probantur omnem legem transcendisse, & perfecte vereque sub evangelio vixisse.

M. Videnturne tibi perfectissimorum hi monachorum instituta non habuisse, quæ post eos monachi usque in hodiernum diem vix potuere ab his tradita custodisse? Quod autem constat Jerosolymis factum de ecclesia & Romæ a Petro, in Galatia, Bithynia, Cappadocia; & in Ægypto & in Alexandria a Marco; hoc fecit Thomas in Parthia, Matthæus in Æthiopia, Bartholomæus in citeriore India, Andreas in Achaia, Johannes in Asia, Simon & Judas in Persida, utrique Jacobi in Judea; Philippus in Scythia, Mathias in Samaria. De Paulo autem quid dicetur, a quo quicquid erat in Jerusalem & in Illyricum mare evangelio repleretur?

D. Quia igitur in qua perfectione, in qua institutione omnis ecclesia sub omnibus apostolis primo institueretur te satis probasse videtur, superest ut etiam dicas qua de causa, quid impedimenti pateretur quod in hac perfectione minime perseverare sineretur, vel in quibus ab hac perfectione exorbitasse, vel in quibus in semel incœpta perfectione perseverasse comprobaretur. VII.

M. Licet hoc meis verbis cito possem facere, malo tamen nulli contradicendam auctoritatem adducere. In XXIV. enim sanctissimorum patrum collationibus & totius apostolicæ perfectionis institutorum, qui in terris positi omnium sapientium

judicio probantur, non tantum apostolicam, sed etiam vitam duxisse angelicam, ita de his omnibus luce clarius constat expositum. Itaque, inquit prædictus Collationum liber, cœnobitarum id est perfectissimorum monachorum disciplina a tempore prædicationis apostolicæ sumsit exordium. Nam talis Jerosolymis illa omnis credentium multitudo, quæ in Actibus apostolorum describitur: *Act. 4. 32.* *multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una*, & cetera quæ in Actibus apostolorum sunt inde subjecta. Talis, inquit, erat tunc omnis ecclesia, quales nunc perpaucos in cœnobiis invenire difficile est. Sed cum apostolorum excessu tepescere cœpisset credentium multitudo, ea vel maxime quæ ad fidem Christi de alienis ac diversis gentibus confluebat, a quibus apostoli pro ipsis fidei rudimentis & inveterata gentilitatis consuetudine nihil amplius expetebant, nisi ut ab immolatitiis idolorum, & fornicatione & suffocatis & sanguine temperarent; atque ista libertas, quæ gentibus propter infirmitatem primæ credulitatis indulta est, etiam illius ecclesiæ perfectionem, quæ Jerosolymis consistebat, paulatim cantaminare cœpisset, & crescente quotidie vel indigenarum numero vel advenarum, primæ illius fidei refrigesceret fervor, non solum hi qui ad fidem Christi confluxerant, verum etiam illi qui erant ecclesiæ principes, ab illa districtione laxati sunt. Nonnulli enim existimantes id quod videbant gentibus pro infirmitate concessum sibi etiam licitum, nihil se detrimenti perpeti crediderunt, si cum substantiis ac facultatibus suis fidem Christi confessionemque sequerentur. Hi autem quibus apostolicus inerat fervor, memores illius pristinæ perfectionis, descendentes a civitatibus suis, illorumque consortio qui sibi & ecclesiæ Dei remissionis vitæ negligentiam licitam esse credebant, in locis suburbanis ac secretioribus commanere, & ea quæ ab apostolis per universum corpus ecclesiæ generaliter meminerant instituta, privatim & peculiariter exercere cœperunt, atque ita coaluit ista quam diximus discipulorum, qui se ab illorum contagio sequestraverant, disciplina. qui paulatim tempore procedente segregati a credentium turbis, ab eo quod conjugiis abstinerent, & a parentum se consortio mundique ipsius conversatione secernerent, VIII. monachi seu monaziantes a singularis ac solitariæ vitæ districtione nominati sunt. Unde consequens fuit, ut ex communione consortii cœnobitæ, cellæque ac diversoria eorum cœnobia vocarentur. Istud ergo solummodo fuit antiquissimum monachorum genus, quod non solum tempore, sed etiam gratia primum est, quod per annos plurimos inviolabile usque ad

A abbatis Pauli vel Antonii duravit ætatem, cujus etiam nunc adhuc in districtis cœnobiis cernimus sedere vestigia. De hoc perfectorum numero, inquit, & ut ita dixerim, fœcundissima radice sanctorum etiam anachoretarum post hæc flores fructusque prolati sunt, cujus professionis principes, hos quos paulo ante commemoravimus, sanctum scilicet Paulum vel Antonium novimus extitisse: qui non, ut quidam, pusillanimitatis causa, nec impatientiæ morbo, sed desiderio sublimioris perfectus contem- IX. B plationisque divinæ, solitudinis secreta sectati sunt, licet eorum prior necessitatis obtentu, dum tempore persecutionis affinium suorum devitat insidias, heremum penetrasse dicatur. Ita ergo processit ex illa quæ diximus disciplina, aliud perfectionis genus, cujus sectatores anachoritæ, id est secessores merito nuncupantur, eo quod nequaquam contenti hac victoria, qua inter homines occultas insidias diaboli calcaverunt, aperto certamine ac manifesto conflictu dæmonibus congredi cupientes, vastos heremi recessus penetrare non timeant, C ad imitationem scilicet Johannis Baptistæ, qui in heremo tota ætate permansit, Heliæ quoque & Helisæi atque illorum de quibus apostolus ita commemorat: *Qui erant in melotis, in pellibus caprinis, angustiati, afflicti, egentes, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ.* *Heb. 11. 37.*

X. D. Ut ratio & auctoritas declarat, sub apostolis sicut apostolicæ perfectionis omnis ecclesia a monachis sumsit exordium, ita in his de cetero totius perfectionis remansit privilegium; & sicut umbra legis D cum synagoga, lux autem vera cum ecclesia, ita omnes, qui ab hac perfectione se sequestraverunt, sub legis terrore permanserunt, sola autem monastica vita, quod est perfecta & primitiva ecclesia & ab hoc apostolica, sub evangelii honore permansit.

M. Considerastine in supradicta auctoritate hujus vocabuli, quod est monachus, definitionem, vel quare monachi vocarentur qui a ceterorum contagio segregarentur?

D. Patet, sicut ibi dicitur, quia omni E mundo sicut apostoli eorum institutores, renuntiaverunt, & a remissionibus, turbis & parentum consortio, mundique totius contagio segregati, monachi seu monaziantes, id est singulares vel solitarii a singularis vitæ sanctitate sunt nominati.

M. A qua forma sunt ita informati?

XI. D. Nonne tibi dixi ab apostolis suis institutoribus.

M. Si igitur omne quod aliquid informat, necesse est a se formati in se formam habere, constet autem monachos in quantum sunt monachi, ab ipsis formam sumere, er-

go omnes apostoli monachi veri fuerunt. A

D. Hoc nusquam legitur, & tamen ex his quæ dicta sunt sequitur.

XII. M. Nonne legitur apostolos omni mundo renuntiasse, ab omni conjugio segregatos esse, seipsos abnegasse, Christum secutos fuisse, Christo obedientes usque ad mortem extitisse?

D. Hoc ubique legitur manifeste.

M. Hæc autem omnia observare est monachos esse. Legitur ergo apostolos monachos fuisse.

D. Hoc dico quod hoc vocabulo, quod est monachus, non sunt vocitati.

M. Nonne monachus Græce, Latine dicitur singularis vel solitarius? B

D. Quis hoc negat?

M. Erant autem apostoli in sanctitate singulares & in hujusmodi tecto habitaverunt, mente solitarii. Hoc ergo quia ubique in libris esse Latine dicuntur, Græce ergo monachi fuisse leguntur. Amplius. Non est curandum quo quis nomine vocetur, cum id quod nomen significat esse probetur, alioquin magna contrarietas in multis rebus sequeretur. Si enim statim id esset quod quisque diceretur, sicut tu superius dixisti, adhuc Judas apostolus haberetur; & è converso quam cito aliquis sanctus vocaretur, illico in virtute consummatus probaretur. C Unde res absurdissima eveniret & contraria; ut nulli pro adipiscendis virtutibus deberent laborare, sed solo se virtutum nomine vocitare. Unde quod in nominibus sanctius diceretur, ut Deus ipse coleretur.

D. Vere fateor ab his quiescere cogor.

M. Nonne fuerunt apostoli justi, casti, sancti, mansueti, prudentes, sapientes, fortes, discreti, patientes, obedientes, caritativi?

D. Qui hoc negat fidem non habet.

M. Docuerunt autem homines justos, castos, sanctos, mansuetos, prudentes, sapientes, fortes, discretos, patientes, obedientes esse & caritativos, ergone docentes D homines has virtutes possidere, ipsi seipsos ab his virtutibus docendo evacuavere?

D. Quis hoc vel insanissimi capitis dixerit quod hos apostolos crediderit?

M. Hoc videntur illi facere, qui nolunt apostolos fore monachos concedere.

D. Ego ut verum fatear, numquam cogar id dicere. E

M. Sicut ergo apostoli docentes alios sanctos caritativos, &c. esse, hoc quod docuerunt ipsimet fuere: ita docentes monachos vivere, ipsi vere monachi extitere. Tandem ut de aliis taceam, nonne

Gal. 6. 14. tibi videtur verus monachus fuisse Paulus, quem constat dixisse: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce domini nostri* JESU CHRISTI, *per quem mihi mundus crucifixus est*

1. Tim. 6. 8. *ego mundo*? Nonne omnes fuere veri monachi, cum omnibus hoc conveniret: *Habentes victum & vestitum, his contenti simus*?

Quid tibi videtur dixisse Paulum: *Volo autem omnem hominem esse sicut meipsum*, nisi verum monachum? non enim voluit omnem hominem esse apostolum, maxime, cum dicat in alio loco: *Numquid omnes apostoli? si totum corpus oculus, ubi auditus?* ipse autem huic mundo renuntians, se a conjugio & a totius mundi contagio sequestravit, contentus victu & vestitu, & secutus Christum seipsum abnegavit. Hoc autem est esse monachum: unde, quia omnem hominem voluit esse sicut seipsum, omnem ergo hominem voluit esse monachum. 1. Cor. 7. 7. 1. Cor. 13. 19. Ibid. 17. XIII.

D. Si autem omnis homo esset monachus cito periret mundus, quia si nullus generaret, nullus generaretur; unde etiam in tempore Pauli, vel non multo post eum, mundum finisse sequeretur. quid igitur de his sanctis, qui post eum usque ad finem sæculi fuere, diceretur?

M. Constat esse electorum numerum certum atque diffinitum, mundus autem pro nullo alio adhuc stare probatur, nisi ut hic numerus electorum paulatim de ipso colligatur. Unde sequi videtur, si in tempore Pauli omnis homo perfectus monachus haberetur, electorum numerus uno tempore cito acceleraretur, qui postea paulatim colligi videretur.

D. Verumtamen privilegium apostolicæ dignitatis, quod probatum est a tempore apostolicæ prædicationis veros monachos usque ad nostra tempora possidere, id regulares canonici eodemmodo videntur implere. Nam omni mundo renuntiant, seipsos sibi abnegant, a conjugio & mundi contagio, contenti victu & vestitu, se segregant, obedientiam usque ad mortem præpositis suis promittunt. Hoc autem quia vita est monachorum, videtur ergo ut ab hac non differat regularium canonicorum. XIV.

M. Quia video nihil tibi sufficere, debeo tecum serius agere. dic igitur quis fecit eorum regulam?

D. Absque aliis præcipue tamen S. Augustinus. XV.

M. Dic etiam, nonne in tempore beati Augustini fuere omnes monachi sicut sanctiores, ita magis quam nunc omni ecclesiæ celebriores.

D. Nam ipse Augustinus vitam monasticam multoties dixit vere apostolicam, quam dixit nec satis posse admirari, nec ut dignum erat sermone laudari.

M. Sicut autem ipsa vita etiam suo testimonio probatur esse vere apostolica, ita in ipsa fuere a tempore apostolorum ipsorum instituta. nam sicut ipsam vitam apostoli statuere, ita aut ipsi aut æqui apostolici viri huic instituta tradidere.

D. Quod videris dicere, nulli fas est contradicere.

M. Si igitur hæc vita ejus testimonio est vere apostolica, in qua ante ejus tempora fuerunt apostolorum instituta; cur sanctus Augustinus instituit regulam canonicorum, dando omnino alia instituta, quam scivit ante sua tempora ab apostolis vel ab ejus sequacibus huic vitæ tradita esse? vel si eamdem voluit esse regulam canonicorum, quæ est monachorum, cur non est contentus, sicut apostolica vita, ita & apostolica regula, & monachorum disciplinis pariter & institutis?

XVI.

D. Hic me video deficere, quare te decet nodum exsolvere.

M. Aut igitur S. Augustinus regulam canonicorum eamdem, æque apostolicam voluit esse cum illa quæ est monachorum, aut superiorem & sanctiorem, aut inferiorem & minus sanctiorem.

D. Ut videtur eamdem.

M. Si eamdem voluit esse, non tantum superfluus invenitur, sed etiam contrarius fuisse judicabitur. erat enim superfluus, ut intelligeret eamdem & insuper componeret aliam; contrarius ut intelligeret ejusdem regulæ eadem instituta, & tamen daret multo remissiora & ob hoc diversa. Carnes enim comedere in septimana tribus diebus absque festivis, uti lineis mollibus & candididissimis, & multo brevius agere divinum servitium & levius, quis non videat esse diversum & multo remissius ab his qui abstinent a carnibus, asperis vestiuntur laneis, & omnibus vestibus huic mundo abjectissimis, & qui magis occupantur in psalmis & divinis disciplinis? Insuper judicabitur ipsis apostolis & apostolicis viris præjudicium fecisse, quorum regulam in id quod est remissius probatur immutasse. Illos etiam videtur magno præmio privare, quos constaret in regula monachorum majora instituta observando, majus præmium expectare.

D. Omnia videntur falsa & S. Augustino contraria.

M. Non ergo intellexit Augustinus canonicorum eamdem regulam esse & monachorum.

D. Age, intellexerit canonicorum multo altiorem & sanctiorem regula monachorum.

M. Si igitur eam voluit esse multo superiorem & sanctiorem, contrarius sibi erat dando multo leviorem & remissiorem; unde sequitur quod levior & remissior regula canonicorum multo altius habeatur, quam altior & sanctior regula apostolorum & monachorum. Unde res mira colligitur & contraria, ut quanto quis remissius conversetur, tanto altior & sanctior esse probetur; unde etiam regula canonicorum non est jam apostolica, sed super apostolos & apostolicos viros composita.

D. Ergo omnibus apostolis contraria.

M. Noluit ergo Augustinus eam superiorem esse, nec sanctiorem.

D. Ut videtur, necessitate constringimur dicere regulam canonicorum inferiorem esse & minus sanctiorem regula monachorum: unde merito quæritur quæ causa sanctum Augustinum hanc non adeo perfectam compulisset componere, cum ante sua tempora perfectiorem, utpote apostolicam monachorum regulam sciret existere.

M. Si Adam datam sibi a conditore naturalem legem cum sua posteritate vellet custodisse, nullo modo videretur necesse legem cum prophetis postea Deum tradidisse. Unde si legem & prophetas vellent spiritaliter observasse, ut scriberetur evangelium non esset necesse. hoc est enim esse rotam in rota, evangelium in propheta. Unde consequens fuit si evangelia ab omnibus diligenter observarentur, nec canones nec quælibet regulæ superponerentur. Nam quicumque justus & perfectus vellet per omnia ut præcipit evangelium vivere, huic non esset necesse, sicut nec ipsis apostolis alia sub lege vel regula vivere. Quapropter sicut Filius Dei voluit quærens hominem ad ipsum se deprimere, ita oportuit omnem sanctam scripturam, ut hominem retraheret, ad ipsum condescendere, ut qui naturalis legis transgressor haberetur, scripta lege & prophetis ammoneretur. Porro hæc si transgrederetur, scripto evangelio retraheretur: & rursum si evangelio minus cautus intenderet, vel canonibus, vel quibuslibet regulis se subderet. Unde indubitanter colligitur, si vellent clerici in tempore Augustini recte sub evangelio vivere, vel aliis perfectioribus regulis se subdere, superfluum esset & etiam periculosum aliam his regulam scribere. Et sicut omnem scripturam ab initio monstratum est cum homine condescendisse; ita oportuit Augustinum suam regulam his qui tunc erant condescendendo composuisse, scilicet ut quos vidit nec districte sub evangelio ut ipsos apostolos vivere, nec se ut eorum sequaces districtiori regulæ alicui sanctorum subdere, his deberet condescendendo talem regulam facere, ut qui non possent altius ascendere, in hac communi possent vivere.

D. Recte te constat hoc discrevisse, unde jam constat me sagaciter perpendisse etiam beatum Benedictum in aliquo monachis condescendisse, cum his vini licentiam probatur indulsisse. Dicit enim se legisse monachorum omnino vinum non esse; unde quia suis temporibus id monachis non potuit, ut ipse testatur, persuaderi; hunc illis in vino condescendisse a quolibet potest videri, Quare simili modo si posset beatus Augustinus clericis omnibus persuadere, ut ab his quæ his indulsit vellent abstinere, quis

quis non videat hoc illum libenter voluisse facere.

M. Ideo semper clerici infirmiores esse his probantur, quibus non adeo condescendisse ab illa evangelica perfectione beatus Benedictus, ut ceteri magistri districtioris regulæ judicantur. Verumtamen fateamur est necesse, sanctum Augustinum summæ discretionis in hac regula extitisse.

D. Nullus hoc poterit ignorare, qui cupit & qui potest libros suos perlucido oculo perlustrare; unde quia dicis regulam monachorum de regula quasi de fonte derivasse apostolorum, summopere necesse est te demonstrare, monasticam cum regula apostolica per omnia concordare.

M. Imminens S. Nicolai festivitas compellit nos sibi insistere, unde compellimur quartum librum distinguere, cujus ad hoc possumus prece juvari.

Explicit liber quartus.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI QUINTI.

I. *Qui & quam incomparabiles viri fuerint qui monachorum regulam composuerunt.*

II. *Quæ sit regula beati Benedicti concordia cum perfectione evangelica.*

III. *Ubi erigatur in evangelio scala quam vidit Jacob in somnio.*

IV. *Quod eadem scala erigatur in regula quam vidit Jacob in somnio, & Christus erexit in evangelio.*

V. *Cur in evangelio octo graduum dicatur, cum in regula in duodecim distinguatur.*

VI. *Quod qui primus in evangelio gradus dicitur, in regula in tres dividitur.*

VII. *Quod qui secundus in evangelio ponitur, in regula quartus intelligitur.*

VIII. *Quod qui tertius in evangelio habetur, quintus in regula esse probetur.*

IX. *Quod qui quartus in evangelio contexitur, in sextum & septimum in regula subdividitur.*

X. *Quod qui in evangelio quintus notatur, in regula octavus habeatur.*

XI. *Quod sextus in scala evangelica, id est in tres, nonum, decimum, undecimum dividatur in regula.*

XII. *Quod qui septimus in evangelio demonstratur, in regula duodecimus habeatur.*

XIII. *Quod in evangelio primus & octavus idem sit gradus.*

XIV. *Quare in regula scala humilitatis in duodecim gradus dividatur, & nulla alia virtus ad hoc assumatur.*

XV. *Quomodo si amba regulæ attendantur, jure monachi canonicis præferantur.*

XVI. *Quod privilegium suæ dignitatis monachi habeant, quod canonici non possideant.*

XVII. *Quod non debeant canonici prohiberi, si volunt monachi fieri.*

XVIII. *De privilegio quod se dicunt quidam habere, ut se non debeant canonici monachos facere.*

XIX. *Quod inconveniens sequatur, si hoc privilegium generaliter recipiatur.*

XX. *Quod exemplum beatissimi Martini adducatur, quod omni argumento certius habeatur.*

XXI. *Quod sit inconveniens, nec necesse canonicos monialibus quæ tenent regulam beati Benedicti præesse.*

XXII. *De vestimento monachorum sumto a vestimento apostolorum.*

XXIII. *De correctione ex vitiosa divisione.*

EXPLICIUNT CAPITULA.

INCIPIT LIBER QUINTUS.

D. Peracta festivitate in eadem versamur necessitate. Unde necesse est te persolvere quod scis me ex debito deposcere. I.

M. Monachorum regulam plerique composuere, qui incomparabilis sanctitatis viri extitere: de quibus B. Pachomius regulam monachorum ab ipso angelo de cœlo dictatam, non videlicet ut hominis, sed ut divinum oraculum monachis tradidit. B. autem Basilius, qui Dei testimonio columna usque in cœlum erecta extitit, qui igneis linguis loquebatur, omnibus in Cappadocia monachis regulam tradidit. Post quos sanctissimus Benedictus, qui, ut dicitur, plenus spiritu omnium justorum, ipsius divinitatis secreta penetravit, regulam monachorum dictavit. De quibus tibi sufficit unam eligere, de qua coner quod hortaris ostendere.

D. Licet primus eorum de cœlo dictatam tradidisset, secundus autem igneis linguis suam edidisset, tamen beatissimi Benedicti patris latinorum monachorum regulam debes assumere, de qua summam concordiam cum evangelica perfectione necesse est te ostendere.

M. Credo non intelligitur dignior apostolorum regula, quam ipsa quatuor evangelia, quæ sicut sunt omnium doctrina doctrinarum, ita omnium regula regularum. II.
Quare, si tibi placet, quæcumque sunt in his præcepta altiora & perfectiora, & solis apostolis dicta, & congrua excipe, ut iis, si possit fieri, conferatur beatissimi Benedicti regula.

D. Bene multum, nam jam video in uno Matthæi evangelio omnia altiora posse monstrare, uno insimul loco: hic autem est, ubi Dominus relicta turba in loco campestri in montem ascendit, & solos apostolos docebat dicens: *Beati pauperes spiritu*, &c. Matt. 5. 3.
Ideo etiam cum solos apostolos doceret, in montem ascendit, indicans se tam alta præcepta apostolos docere, ad quæ non posset relicta turba ascendere.

M. Apostolos ergo sicut secum altius præ ceteris voluit in montem ducere, ita per hæc quæ ibi docuit, altiora voluit eos præ

ceteris perfectius & altius in cœlum ascendere. unde ibi dignatus est altissimam octo beatitudinum, quod est octo graduum scalam in cœlum usque erigere, quam nulli nisi contemtores mundi perfectissimi in his beatitudinibus, ut ipsi apostoli, valerent conscendere.

III. D. Ut videtur hic erecta est illa scala, quam Jacob in somnis videbat, cujus summitas cœlos tangebat, per quam ascendentes & descendentes angelos cernebat: de quo etiam loco quam terribilis esset adjungebat.

IV. M. Contemplare igitur & diligenter perpende, quia beatissimus Benedictus eamdem scalam quam vidit Jacob in somno, & quam erexit Jesus discipulis suis in monte, in regula sua se testatur erigere, ut probentur monachi hanc ascendendo eamdem summitatem cœli attingere, quo Christus suos discipulos in scala a se in monte erecta voluit ascendere.

D. O Dei gratia cum summa gloria!

M. De hac enim scala sic dixit in regula: *Unde fratres, si summæ humilitatis volumus culmen attingere, & ad exaltationem illam cœlestem, ad quam per præsentis vitæ humilitatem ascenditur, volumus velociter pervenire, actibus nostris ascendentibus, scala erigenda est illa, quæ in somno Jacob apparuit, per quam ei descendentes & ascendentes angeli monstrabantur. Non aliud sine dubio descensus ille & ascensus a nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere & humilitate ascendere, &c.* Reg. S. Bened. cap. 7.

V. D. O vere sanctissimum hominem, qui ipsius divinitatis secreta penetravit, dum in spiritu Jacob non aliam hanc scalam vidisse testatur, nisi quam ipse in regula sua erexisse monstratur. Quid est autem quod hæc scala a Christo in monte octo graduum, id est octo beatitudinum, esse docetur, in regula autem a beatissimo Benedicto XII. graduum esse perhibetur, vel cur hic XII. ibi autem VIII. graduum esse dicitur, vel quomodo idem esse duodecim, quod esse octo graduum intelligitur?

M. Primo XII. erant apostoli, quibus a Domino in monte contexitur scala evangelica. unde ut se beatus Benedictus, non aliam quam XII. apostolorum vitam indicaret instituere, voluit scalam evangelicam in sua regula duodecim gradibus distinguere; qui XII. gradus sine dubio iidem intelliguntur, qui ibi octo esse dicuntur.

VI. D. Porro beati pauperes spiritu, quoniam vestrum est regnum cœlorum, ibi primus gradus dicitur.

M. Qui in regula tertius ponitur? habens sub se duos, per quos ad ipsum tertium ascenditur.

D. Hoc nondum intelligitur.

M. Tertius humilitatis gradus dicitur, cum quis pro amore Dei abbati factus obediens usque ad mortem efficitur, quod nullus potest facere, nisi qui vult animam suam in hoc mundo perdere, quem sine dubio potest pauperem spiritu dicere. Vides ergo eumdem esse in regula tertium, quem Dominus in evangelio inchoavit primum. Porro quia nullus potest factus obediens usque ad mortem, seipsum abnegare, nisi his duobus debeat primum renuntiare, id est primum substantia mundi seipsum depauperare, & postea non amans propriam voluntatem desideria carnis a se amputare. Idcirco duo præmisisse beatus Benedictus dicitur, per quos, uti dixi, ad tertium ascenditur. Primum enim de timore Dei gradum in imo hujus scalæ posuit, quia cum *Initium sapientiæ sit timor Domini*, oportuit duodecim gradus in timore Dei initiari, quos constat in summa ejus sapientia consummari. Cum enim non possimus Deo servire & mammonæ, timor ne Deum amittamus, projecit mammona iniquitatis, ut postea Deo serviamus. Secundum autem de amputando desiderio primo superposuit, quia quem constat projecta mammona Deo servire, debet a se desideria carnis abscindere, usque ascendit tertium competenter, ut factus obediens usque ad mortem, quod est animam suam perdere, quem sine dubio pauperem spiritu potest dicere. Ps. 110. 9.

D. Secundus autem in evangelio ponitur, dum beati mites quoniam ipsi possidebunt terram dicitur. VII.

M. Qui quartus in regula sine dubio intelligitur. Tantum enim valet dicere: *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram*, quantum beati patientes, quoniam ipsi debent animam propriam possidere, quam in hoc mundo omnia adversa patiendo pro Christo, non se ulciscendo, quasi videntur perdere. Qui enim dixit: *Qui animam suam in hoc mundo perdiderit, in vitam æternam eam possidebit*, ipse dixit, *in patientia vestra possidebitis animas vestras.* Si igitur idem est *Beati mites* quod est patientes, beatus autem Benedictus in quarto gradu doceat esse patientes, id est, *Qui præceptum Domini & in adversis & in injuriis per patientiam adimplentes; qui percussi in maxillam, præbent & aliam; auferenti tunicam dimittunt & pallium; angariati milliarium vadunt & duo, cum Paulo apostolo falsos fratres & persecutionem sustinent, & maledicentes se benedicunt.* Igitur idem gradus in regula intelligitur qui in evangelio secundus primo superponitur. Matt. 5. 4. Luc. 9. 24. Luc. 21. 19. Reg. S. Ben. cap. 7.

D. Tertius autem in evangelio subnectitur, cum *Beati qui nunc lugent, quoniam ipsi consolabuntur* subjungitur. VIII. Matt. 5. 5.

M. Hic est idem qui quintus in regula ponitur, qui sic a beato Benedicto intexitur: *Si omnes*, inquit, *cogitationes malas cordi suo advenientes, vel mala a se absconse com-*

missa per humilem confessionem abbati non celaverit suo. Si igitur humilem confessionem etiam de cogitationibus facere, hoc est eos hic lugere, qui postea consolabuntur; quintus ergo in regula, & tertius in evangelio unus esse concluduntur.

IX. *Matt. 5. 6.* D. Quartus autem in evangelio ita contexitur, dum *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* subintroducitur.

M. Is in sextum & in septimum hac ratione in regula subdividitur. Qui enim esurire & sitire justitiam dicitur, hic nimium justus esse probatur; qui autem nimium justus dicitur, hic seipsum nimium debet accusare, sicut scriptum est: *Justus in principio accusator est sui, & quanto major es in omnibus, humilia teipsum.* (*Prov. 18. 17.*) nimium autem justum seipsum accusare, id duobus modis debet facere; scilicet omni vilitate vel extremitate contentus esse, quod est sextum gradum humilitatis in regula ascendere, & rursum omnibus se humiliorem & viliorem aliis in exemplum sua lingua pronuntiare, quod est septimum humilitatis gradum in regula consummare. Hoc quia utrumque qui esurit & sitit justitiam debet facere; ergo quartus gradus scalæ evangelicæ subdividitur in sextum & septimum regulæ.

X. *Matth. 5. 7.* D. Quintus autem ita in evangelio subnotatur, cum *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, a Domino subjungatur.

M. Qui octavus humilitatis gradus in regula ita esse dicitur, *Si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii regula, vel majorum cohortantur exempla.* (*Reg. S. Ben. cap. 7.*) Quis enim non videat valde hos esse misericordes, quos cum constet sicut justos nulla sub lege teneri, tamen ut aliis condescendendo possint misereri, debeant sub communi monasterii regula tantum coërceri, scilicet ut omnibus omnia fiant, ut omnes lucrifaciant. Hoc ergo quia misericordes debent facere, vides ergo quintum evangelicæ & octavum regulæ unum eumdemque existere.

XI. *Matt. 5. 8.* D. Porro sextus gradus in scala evangelica intexitur cum *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* subintroducitur.

M. Hic ergo in regula in tres derivatur, cum nonus, decimus, undecimus pronuntiatur, ut Deum videre promereatur, ne munditiam cordis videatur etiam otioso verbo obfuscare; non debet linguam suam taciturnitate clausam nisi ad interrogationem reserare, unde debet non facilis in risu existere; sed cum loquitur leniter & sine risu, humiliter cum gravitate, & pauca verba & rationabilia dicere; quod quia totum mundus corde debet consummare. Vides ergo sextum in evangelio se in tres in regula derivare.

D. Septimus autem in evangelio nobis ascendendus demonstratur, cum *Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur* super ceteros collocatur. XII. *Matt. 5. 9.*

M. Qui duodecimus in regula ceteris præfertur, si non *solum corde monachus, sed etiam ipso corpore humilitatem videntibus se semper indicet, id est in opere Dei, in oratorio, in monasterio, in horto, in via, in agro, vel ubicumque sedens, ambulans, vel stans, inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus, &c.* (*Reg. S. Ben. cap. 7.*) Quis autem non videat valde hunc esse pacificum, cujus corpus adeo efficitur mansuetum, ut sicut suo spiritui nihil in nullo loco perpetret contrarium, ita nulli proximorum se videnti quod vel oculis displiceat, ponat offendiculum? Pacificus enim hic minime esse probatur, cujus adhuc corpus spiritui reluctatur, nec pace firma perfruitur, in cujus adhuc corpore aliquod indecens vel proximo ostenditur. Hoc est enim quod Dominus dicit, duo super terram convenire, corpus a spiritu in nullo bono dissentire; hoc est *si non solum corde monachus, sed etiam ipso corpore humilitatem videntibus se semper indicet; id est in opere Dei, in oratorio, in monasterio, in horto, in via, in agro, vel ubicumque sedens, ambulans, vel stans, inclinato sit semper capite, defixis in terram aspectibus.* (*Ibid.*) Quod est secundum Ezechielem cœleste animal plenum oculis ante & retro se undique circumspicere: unde te necesse est hunc vere pacificum dicere, qui stans in duodecimo gradu regulæ, in septimo probatur evangelicæ scalæ consistere.

D. Mirum valde videtur, si in hac vita major perfectio possidetur, quia quem constat in tanta consummatione virtutum gradus ascendere, nihil superest nisi ut summam summi certaminis coronam a justo judice debeat recipere.

M. Unde cognoscas octavum gradum evangelicæ scalæ quo beati esse dicuntur qui persecutionem propter justitiam patiuntur, non aliud intelligi debere, quam septem graduum consummatam justitiæ retinere. Et ne tanto labore in septem gradibus conquisitam justitiam se amittere patiantur, tantum contra persecutionem hanc quia defendunt beati vocantur. XIII.

D. Ideo forsan in octavo non aliud præmium promittitur nisi regnum cœlorum quod in primo proponitur.

M. Bene intelligis, nam sicut septem diebus omne tempus volvitur, in Dominico autem die totius septimanæ initium & finis concluditur, ita omnis virtutum consummatio in his septem gradibus consumitur. In octavo autem initium & finis repetitur.

D. Quemadmodum ergo manifeste probatur, beatus Benedictus hujus in ascensu

A scalæ ad eamdem summam gloriæ videtur perducere monachos, quo Christus in evangelica scala duodecim apostolos.

M. Hoc nulli dubitare conceditur, dum quantæ perfectionis sit stare in summo hujus scalæ his verbis ostenditur. *Ergo*, inquit, *his omnibus humilitatis gradibus ascensis, monachus mox ad caritatem Dei perveniet illam, quæ perfecta foras mittit timorem, per quam universa quæ prius non sine formidine observabat, absque ullo labore velut naturaliter, ex consuetudine incipiet custodire: non jam timore gehennæ, sed amore Christi & consuetudine ipsa bona & delectatione virtutum, quæ jam Deus in operarium suum mundum a vitiis & peccatis Spiritu-sancto dignabitur demonstrare.* Nam si ad perfectam caritatem Dei quæ foras mittit timorem, sicut tu vides, monachus perducitur, Deus autem caritas ipse est, & qui manet in caritate in Deo esse Johannis testimonio dicitur: ergo perfectus monachus in Deo esse & Deus in illo manifeste concluditur. Unde nullus permittitur dubitare, quin monachus perfectus regnum Dei ut sui patris debeat hereditare.

XIV. D. Quid est, rogo, quod sola humilitas in duodecim gradus dividitur, & nulla alia virtus ad hoc quasi minus idonea assumitur?

M. Nonne constitit superius inter nos, sicut humilitatem esse qua in ipsum itur Deum, ita superbiam qua in ipsum diabolum?

D. Non sum immemor unde ammoneor.

M. Scis autem superbiam proclivem scalam extitisse, qua primus homo a Deo ad diabolum probatur descendisse: unde necesse est si volumus a diabolo ad Deum ascendere, scalam humilitatis erigere. Sola autem humilitas, quia probatur secura, de diabolo ad Deum ascendere voluit. Ideo beatus Benedictus solam humilitatem in XII. gradus distinguere, ut hæc sola videretur ascendere, quæ id secure sola potest facere. Unde rogo ut omnes monachi ammoneantur, ut hanc adipisci præ ceteris summopere nitantur. Licet enim in ascensu hujus scalæ multitudo virtutum demonstretur, quarum tamen dum quælibet ibi titubando ascendere videtur, sola est humilitas, cui securum iter in cœlum usque præbetur. Nec quælibet aliarum ascendit, nisi cujus manum hæc ductrix apprehendit.

D. Eodem modo ergo necesse est ammoneantur ut superbiam præ ceteris vitare nitantur, quæ scribitur sicut omnis peccati initium, ita hæc sola ad hujus scalæ sufficit præcipitium; nec quilibet inde præcipitatur, nisi ejus manu deorsum trahatur. Pede enim superbiæ primum labitur, post ejus manu deorsum trahitur. Ibi enim omnes ceciderunt, qui iniquitatem fecerunt.

M. Vides ergo cum superbia pes & manus peccati dicatur, pes autem & manus finis & initium totius corporis videatur, quam terribile monstrum superbia, omnis peccati initium & finis indicatur, in quo omnis qui cecidit, prius lapsus monstratur. Unde quia humilitas huic contraria probatur, merito omnis qui ascendit scalam virtutum, in primo gradu cum illa associatur, & in summo stans in illa consummatur.

D. Vere necesse est fateamur regulam canonicorum in inferiori gradu collocari, cum manifestum sit beatissimi Benedicti regulam tam alto virtutum cubitu mensurari. XV.

B M. Amplius. Duo adhuc de jugo utriusque regulæ liberi eligantur, quibus ambæ regulæ ab initio relegantur, unus autem nondum eo ductus, ut sit omni vilitate & extremitate contentus, nec ex corde possit confiteri se omnibus humiliorem & viliorem haberi, nec per tam altum graduum iter imbecillo animo præsumat incedere, per quod regula beatissimi Benedicti fortissimo animo suos sequaces probatur ducere. Eligat ergo regulam sancti Augustini, quæ magis videtur infirmis condescendere. Nam nec adeo vilia & extrema in

C usu corporis, nec adeo ardua virtutum præcepta a suis sequacibus videtur exigere. Alter autem utpote fortiori mentis proposito, malit quæ viliora & extremiora in usu corporis, altiora etiam præcepta virtutis profitendo regulam beati Benedicti pro Christi amore eligere; quem, inquam, eorum censes ut fortiorem & sanctiorem, ita fore Deo cariorem?

D. Qui fortiori mentis proposito pro Christi amore quæque viliora & extremiora & virtutum præcepta altiora mavult eligere, hunc judico fortiorem, meliorem, sanctiorem, Deoque cariorem existere.

D M. Si igitur ambæ regulæ & professores earum tantum adtendantur, omnes qui regulam beati Benedicti profitentur, professoribus regulam beati Augustini ut fortiores, meliores, sanctiores ita Deo cariores esse judicantur.

D. Nihil habeo quod huic objiciatur.

M. Ergo omnis monachus si regulam suam observat, jure canonico præferatur. Nam nisi propositum monachi altissimum

E judicaretur, numquam qui regulam vult profiteri per integrum annum antea probari præciperetur, cum nihil tale in regula sancti Augustini esse manifestetur.

D. Habent aliud privilegium suæ dignitatis monachi, quam non habeant canonici? XVI.

M. Magnum & ab his differens multum. Nam ut in regula legitur, post integrum annum in patientia suscipitur, factoque officio celeberrimo dum regulam profitetur, monachus efficitur, ubique cooperto capite

pite

pite quasi superposito sepulchro, per tres dies cum Christo sepelitur, & in tertio die cum Christo resurgit, dum caput ejus, quasi aperto sepulchro, cuculla discooperitur, (a) quando etiam missa super eum celebratur, & abbas dans sibi Christi pacem, hunc osculatur, quasi Christus resurgens, *Pax tibi, ego sum: pacem meam do tibi, pacem meam relinquo tibi*, eum alloquitur. Unde etiam si perseveraverit verus Christi discipulus esse probatur.

D. Quid igitur si aliquis canonicorum voluerit ad hoc privilegium sanctitatis ascendere, numquid judicabitur id debere?

XVII. M. Absque dubio judicabitur debere, si tamen ad hoc a suo præposito humiliter licentiam vult quærere, nec bonum est si hoc voluerit sibi temere contradicere. nam multi sanctorum episcoporum etiam post episcopatum se monachos fecere, quod dignum laude magis judicatur, & a nemine nisi a stultissimo vituperatur. Nam nostra etiam memoria beatus Willelmus (b) Catalaunensis episcopus, cum esset perfectus regularis canonicus, omniumque judicio probatus, terque licet subterfugisset, tandem invitus episcopus efficitur: in quo quam sancte vixisset, nullus qui hoc scit dubitare conceditur. Hic, inquam, regularis canonicus & episcopus sanctus, cujus quasi claro oculo nil latuit in omni divina scriptura, dum testaretur regulam sancti Augustini ad perfectionem non sufficere, voluit sicut & fecit se monachum facere, quod tantum virum numquam constaret fecisse, si hoc sciret non licuisse.

NOTA.

XVIII. D. Quam perfectus quamque doctus fuerit omnis testatur, cui eum videre vel audire contigerit. Quid est igitur quod quidam aiunt, se privilegium ab apostolico habere, ut nulli de canonica vita ad monasticam liceat ascendere, cum tanta auctoritate & ratione constet hanc vitam supereminere.

M. Omnia sanctarum scripturarum volumina contemplanti nihil aliud occurrere videtur quo id non licuisse probetur, cum totiens factum esse tam sancta scriptura, quam sanctorum exempla attestentur. nam ipse sanctus Augustinus, cujus regulam habent in libro de Trinitate Dei, cum de contemplativa vita loqueretur, sic hunc locum apostoli; Quod vir non debet velato capite orare, exponere videtur: ut ideo vir caput non velare præcipiatur; ne dum modo velit in contemplativa vita altius ascendere ab aliquo prohibeatur. Vir enim ibi rationale mentis, quod optimum est hominis, accipitur, quod quia ad imaginem Dei factum est, ut in ejus contemplatione debeat semper ascendere, idcirco præcipitur velamen super se non habere. Unde qui prohibet hominem in contemplativa vita altius ascendere, & contra apostolum velamen super caput viri vult ponere, & contra Deum prohibet hominem creatorem suum diligere, hoc est enim secundum evangelium optimam partem Mariæ eligere, quod Christus solum necessarium se diligentibus videtur proponere. nam cum Martha Mariam ab hac parte quam elegit lacrymabili querimonia vellet impedire, nequaquam Christus Mariam Marthæ ideo præcepit succurrere, dum eam laudando ad pedes ejus permisit sedere. Unde nullo modo hoc generaliter ab ullo apostolico prohibitum esse credatur, nisi forsitan in aliquo claustro, dum aliquis hoc temere facere & incompetenter nitebatur. Dato hoc quod dicis privilegio ex necessitate, ne tale scandalum oriretur, restringebatur. Quapropter nullomodo generaliter id fieri prohibetur, licet aliquibus aliquod privilegium pro vitanda quorumdam importunitate, ut tunc oportuit, daretur. Alioquin si omnibus per hoc privilegium contradiceretur, non solum beatus Wilhelmus supradictus episcopus, qui hoc postea fecit, in communione ecclesiæ non haberetur, sed multi qui hoc postea fecerũt, nec extra communionem ecclesiæ obierunt. Quæ quia omnia ecclesiæ contraria exstiterunt, aliqui privati suo privilegio contenti erunt.

D. Etiam beatissimus Benedictus quomodo in regula sua tam sacerdotes, id est episcopos, quam reliquos clericos præcipit abbati suspicere; si ipse qui totum mundum sub uno radio solis collectum conspexit, hoc contra Deum perpendit non licere. XIX.

M. Si quis monachus fit canonicus, quid tibi videtur facere.

D. Mihi, ut omnibus, apostatare.

M. Est autem apostatare a Deo deorsum descendere.

D. Hoc me necesse est concedere.

M. Si igitur apostatare est a Deo deorsum descendere, hoc autem qui monachus fit canonicus videatur facere: ergo qui canonicus fit monachus, probatur ad Deum sursum ascendere.

D. Nullus valet hoc contradicere.

M. Sursum autem ad Deum ascendere probatur homini licere.

D. Quis hoc potest negare?

M. Licet ergo canonico se monachum facere. Unde perpendas quantum judicetur canonica vita a monastica distare, si de qua descendens in illa videatur aposta- XX.

(a) De hoc ritu vide si lubet, quæ diximus in commentario in Regulam S. Benedicti cap. 58.

(b) Is est celeberrimus ille Willelmus de Campellis, doctor egregius, qui assumto canonicorum regularium habitu, initium dedit insigni monasterio S. Victoris Parisiensis: unde extractus anno 1113. factus est episcopus Catalaunensis, atque obiisse dicitur anno 1121. 8. cal. Februarii, ut legitur in chronico Morigniacensi, sepultus apud Claramvallem, forte assumto in extremis monastico habitu.

tare, & ascendens de ista in illa probatur ad Deum sursum ascendere. Tandem ad unum exemplum beatissimi Martini adducatur, quo hoc quod dicitur omni argumento certius habeatur. Nam ut in vita ejus legitur, hic sibi cellam de lignis contextam, sicut seorsum ædificavit, ita in hac cum illo nobilissimo suorum monachorum discipulatu seorsum habitavit. Ceterum canonici, qui, ut ita dicam, sub Martino regularissimi extitere, in monasterio, id est in episcopali sede ex ejus præcepto habitavere. Unde si vita monastica canonica dignior non haberetur, minime dignius habitare cum monachis seorsum Martino videretur. Nam cum utrique sibi ut oves pariter a Domino committerentur, videbatur ratio sui episcopatus postulare, ut in episcopali sede ut episcopus deberet habitare. Sed qui dignioris & sanctioris vitæ extiterant, cum his habitare maluerat. Unde exemplum Martinus reliquerat, ut quicumque sanctius vellent vivere, ad monasticam vitam deberent confugere.

D. Quod si ratio nulla fuisset, hoc unicum exemplum beatissimi Martini sufficisset, quod illa vita ceteris dignior haberetur, in qua Martinus habitare dignaretur. Unde miror si justum videatur quod aliquis canonicorum digniori vitæ in magisterio præponatur, sicut audio quosdam regulares canonicos sanctimonialibus præesse, quod mihi videtur inconveniens nec necesse.

XXI. M. Si sanctimoniales sub examine sanctioris regulæ beati Benedicti vivere probantur, ut tu dicis inconveniens, nec necesse est, quod illis magistri inferioris regulæ præponantur, præsertim cum numerosiores & sanctiores ejusdem regulæ inveniantur, qui has regere dignius judicantur. Turpe est enim & periculosum pastorem ea docere quæ ipse in vita sua minime vult retinere. Tandem utrum secundum propriam informat eas, an secundum illarum sancti Benedicti regulam?

D. Quid videtur secundum propriam quam tenent regulam?

M. Si eas informat secundum regulam suam, cum ipse professus sit aliam, incurrit illud evangelicum periculum quo dicitur: *Qui autem solverit unum de mandatis istis minimis & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* (Matth. 5. 19.) Unde res mira necesse est sequatur, ut ambas regulas observare constringatur. Unam cujus professor habetur, alteram cujus magister quam docere videtur. Quicumque enim alium vult docere, ipse id ipsum cogitur implere. Si autem eas secundum quam profitetur vult informare, eas nimirum cogit a propria exorbitare, ut cum aliam doceantur, & aliam profiteantur, neutram impleri videantur. Porro si utrasque eos vult docere, videtur ut idem periculum ita inconveniens incurrere.

D. Rationabiliter id videris contradicere. Nam & canones hoc constat prohibere. Unde digneris rogo ostendere qua ex auctoritate monachi probentur vestimentum tale habere. XXII.

M. Sicut vitæ apostolorum probantur habere privilegium, ita sui vestimenti ex apostolorum vestimento sumsit exordium. nam apostoli colobio utebantur, in quo Christum inconsutili tunica usum imitabantur. Porro quia Christus hac tunica utebatur, nonnisi unica tunica quilibet apostolorum induebatur. Qua necessitate idem colobium cucullam dicebatur habere sine manicis, ne videretur aliquis superfluum possidere. Colobium ergo apostolorum recte imitatur cuculla monachorum. Porro manicis additis, demta cuculla, idem colobium in dalmaticam est mutatum, ut honor sit ministrorum uti dalmatica, ut veste apostolorum. Demta igitur cuculla, additis manicis, quasi dalmatica monachi insuper utuntur tunica. Legitur autem a S. Bonifacio hujus vestimenti spiritalis interpretatio, quia vitam habere angelorum noscuntur, sex alæ seraphim in hoc vestimento exprimuntur. In capitio duæ alæ quasi fides & spes, quibus quinque sensus capitis reguntur. In duabus manicis duæ alæ dilectionis Dei & proximi, quibus ad cœlum extolluntur. In cucullæ autem duabus partibus ante & retro quibus corpora eorum teguntur, timor & pœnitentia, quibus se ante oculos Dei tegunt, exprimuntur. Vile vestimentum mundi contemtum quod se ad pedes usque videtur continuare, significat eos in suo proposito usque in finem perseverare. Monachorum lata tonsura sumitur a Christi spinea corona, ut sicut cum eo debent habitare regni imperium, ita cum Christo crucis portent improperium.

D. O quam jocundum & quantæ gratiæ delectamentum hac sub spe latam coronam portare & vile vestimentum!

M. His igitur ita peractis reflecte oculum ad primam illam ecclesiæ definitionem, quæ cum a te in quatuor membra divideretur, turbabaris quod ex trium inter se dissensione, quartum magno sub errore relinqueretur; indicans hoc populum esse, qui si vellet huic mundo renunciare, ignoraret quo se deberet contrahere.


D. Video utrumque & nimis incaute me ecclesiam in quatuor membra divisisse, cum te constet duo membra sub uno posuisse, probans omnes clericos debere regulares esse, & quod consilium detur populo volenti huic mundo renuntiare, scilicet utrum ad clericos vel ad monachos se de- XXIII.

beant contrahere.

M. Poterisne tandem omnibus sane consulere ne aliquibus videaris præjudicium facere.

D. Licet hoc de his quæ probata sunt possim facile, ne tamen discipulus videar tibi magistro præjudicium facere, malo te in hoc dando consilio extremam manum imponere.

M. Cum igitur constet JESUM totiens in evangelio clamare nullum posse ejus perfectum discipulum esse, nisi qui vult omnibus quæ possidet renuntiare, & sequens illum crucem portare; id autem A probatum sit ratione & auctoritate, dignius & perfectius monachos qui suum student propositum, ut ipsos apostolos, consummare, potes sanum consilium dare omnibus volentibus huic mundo renuntiare, & ad perfectionem, ut veri Christi discipuli, pertingere, ut se debeant ad monasticam vitam contrahere. Sicut alia est enim claritas solis, alia claritas lunæ, & stella differt a stella in claritate, ita alia est claritas monachi; alia est claritas canonici, alia claritas laïci: unde qui vivit ut bonus laïcus facit bene, melius qui est canonicus, PER OPTIME QUI EST MONACHUS.



LIBER
DE DIVERSIS ORDINIBUS ET PROFESSIONIBUS QUÆ SUNT IN ECCLESIA.

Ex veteri codice ms. S. Jacobi Leodiensis.

Dilectissimo fratri suo R. unica dilectione sibi conjunctus frater R. viam Dei bene ac fidenter, ut cœpit, tenere, in qua alius sic, alius sic ambulat.

Cum ab initio surgentis ecclesiæ diversi servorum Dei profectus, diversique extiterint professionum status, & maxime nostris temporibus diversa monachorum canonicorumve surgat institutio in habitu vel cultu, ostendendum est, Deo auxiliante, quæ in talibus Dei servis differentia, quæ intentionis sit in diversis professionis forma. Ad demonstrandum ergo quod istæ diversitates professionum Deo placeant accingor. Primo loco sermonem habiturus de diversis ordinibus & professionibus monachorum & canonicorum vel aliorum, secundo de habitu diverso, tertio de epulis, quarto de labore manuum: neminem vere moveat, quod ordinem professionum aliquantulum mutatum inveniet. Nam pro certo scio canonicos monachosque majorem locum in ecclesia tenere, & tamen neutrum horum primum positum reperiet. Ne enim dicatur de me, quod in hoc opere quæro quod meum est, meque honorare velim, ideo canonicos primo loco non ponam. At vero nec monachos primo loco ponendos putavi; ne quis canonicorum C conqueratur, quod qui initio primitivæ ecclesiæ primi ad opus Dei & testimonium JESU esse meruerunt, primi ante monachos, qui postea esse cœperunt, positi non sint. Ideo ergo ita de ordinibus & professionibus tractare disposui, ut heremitæ, qui pauciores sunt, & aliquando soli habitant, primi ponerentur, sicut cum numeramus facere solemus, ut ab uno ad plures numerus surgat, & multiplicato numero, computator ad unum redeat. Verbi gratia cum ad centum venerit, si quid numeret adhuc invenerit, rursum ab uno numerare incipit. Ita & hic faciemus, primum eremitas ponentes, qui pauciores sunt, & soli sæpe D habitant; deinde monachos quorum multiplicior est numerus, sicque ad canonicos veniemus, quorum maxima in diversis locis & frequens habitatio diverse viventium esse comprobatur. Deinde rursum incipientes ab inclusis, & ab his qui continenter vivunt, & nec canonici, nec monachi, nec eremitæ, nec inclusi, sed Deicolæ, vel licoïsi id est quasi legis custodes possunt dici. ibidem revertemur ad mulieres, quæ eremiticam vitam ducunt, ascendentes ad sanctimonialium sanctitatem, necnon ad illas quæ cum sanctis vel sub sanctis viris jugum Christi suave suscipiunt. Ad ulti-

mum vero pene ad inclusas & mulieres Deicolas, quas licoïsas, id est legis custodes, vel nicoïsas vulgo vocamus, quasi sanctum Nicolaum imitantes, ordinem professionum terminabimus, ut postea de habitu & epulis & labore manuum liberius pertractemus. Postea autem subjungam de diversis ecclesiarum consuetudinibus, ostendere cupiens in ecclesia Dei nihil agi ex consuetudine, quod ipsi conditori & capiti ecclesiæ non placeat. Igitur dominum Deum nostrum conditorem omnium rogamus & petimus, & te ut roges precamur, quatenus nos de institutione servorum Dei loquuturos adjuvet, ut eorum vitam imitando, ad sanctorum societatem pertingere quandoque valeamus. Valeat in Christo dilectio tua, frater carissime.

INCIPIT LIBELLUS DE DIVERSIS ordinibus & professionibus quæ sunt in ecclesia.

I. *De eremitis qui sæpe soli vel cum paucis habitant.*

Eremitarum similitudo in primis hominibus.

1. DE diversis ordinibus vel professionibus sermonem habituri, quæ a religiosis viris sæculi pompam fugientibus in ecclesia Deo tenenda voventur, primum oportet ostendere, quod olim prima ætas Dei servitium & cultum libens frequentavit. Ibi enim Abel sacrificium acceptabile obtulit, Seth nomen Dei cum sua progenie invocavit, Noë quoque in sua generatione justus inventus, & ad obediendum Deo promtus, ipso jubente, arcam fabricavit. Unde quia ad eremitas principium facere disposuimus, intueamur si forte in primis hominibus aliquam horum servorum Dei similitudinem invenire potuerimus. Nam illos priores homines aliquando solos habitasse eo judicio perdocemur, quod Caïn, occiso fratre suo Abel, primus legitur civitatem ædificasse, & ex nomine filii sui Enos eamdem appellasse. Testatur etiam Josephus hoc ideo eum fecisse, quod latrocinia exerceret, & ad eadem secum exercenda familiares suos domesticosque intra muros convenire cogeret. Unde constat primam illam ætatem, licet parvo tempore, multum innocenter vixisse, quibus nec ædificandarum domorum adhuc cura erat, nec cibi potusque quanta nunc est diligentia, nec vestium vanitas, nec auri argentique tanta acquirendi solertia. Graminibus enim & aqua simplici & arborum fructibus, uti Deus dixerat, utebantur. Unde quidam facundissimus noster Philosophus laudem primorum hominum carmine mirifico decantans ait: Felix nimium prior ætas Contenta fidelibus arvis,

Boëtius de Consol. phil. lib. 2. metr. 5.

A Nec inerti perdita luxu, Facili quæ sera solebat Jejunia solvere glande, Nec Bachica munera norat Liquido confundere melle, Nec lucida vellere Serum Tyrio miscere veneno. Somnos dabat herba salubres, Potum quoque lubricus amnis, Umbras altissima pinus. Nondum maris alta secabat, Nec mercibus undique lectis, Nova littora viderat hospes. Ad ultimum vero carminis hujus idem subinfert. Heu primus quis fuit ille, Auri qui pondera tecti, Gemmasque latere volentes Pretiosa pericula fodit?

B 2. Si igitur conceditur mihi priores homines solos sæpius habitasse, quia nec in Genesi ante Caïn quisquam vel civitatem vel domum legitur construxisse, & Josephus similiter ob rapinam fratricidæ illius hæc adinventa testatur, & philosophi illius carmen illos in umbra arborum morasse decantat, sine luxu, sine cupiditate illa & jactantia, quæ modo in nobis est, viventes, & gramina ad usum vitæ, ut animantibus ita & hominibus a Deo sunt tradita, constat eosdem priores homines aliquam eremitarum similitudinem habuisse, quasi aliquem forte certum locum tenebant, vel ut homines aliquando se invisebant, tamen de ædificiis vel vestibus, cibo vel potu, vel pecunia non magnopere curabant. Locum vero certum eos nequaquam tenuisse eo modo conjicio, quia non ante Caïn domus vel civitas ædificata fuit. Et Joseph eumdem metas terris & limites primum imposuisse asserit. Domorum ergo ædificandarum cura eremitis summa non convenit, ne dicatur de eis, quia eremum non incolunt, sed in eremo domos civitatum invehere gestiunt. vestis vilis, cibus grossior, permodicus talibus congruit. Exercitatio corporalis, jejunia & vigilia illos gloriosos reddunt. Eremitæ ergo nomen incassum non teneant, sed opere exornent. Habemus ergo in priori ætate heremitarum similitudinem expressam, ubi invenimus Abel justum in arborum umbra morantem, & pascuis ovium intentum, sine dubio solitudinem quæsisse, ubi & sine tumultu vixerit, & oves suæ innocentiæ indices nutriret, ac deinde de eisdem ovibus fructus capiens Domino offerret. Justum enim erat, ut quia adhuc hominum paucitas erat, ille quem justum Dominus vocare dignatus est, solus Domino militaret, & quodammodo vitam solitariam, oves, animal procul dubio quietis amicum, psallendo instituerct. Unde autem justus a Domino appellatur? quia oves pavit? non: sed quia cum oves pasceret, studuit ut Deo placeret. Nam & illi pastores Israël secundum Ezechiel prophetiam oves pascere videbantur, de quorum manibus oves suas Dominus se requisiturum esse ait, quia eas non pascerent, sed se ipsos Dominus terribiliter

Ædificia an conveniant eremitis.

ribiliter interminatus. Non igitur inde placuit Deo.

Cura pascendarum oviũ congruit vitæ solitariæ. 3. Congruum profecto & aptum dico esse solitariæ vitæ pascendarum ovium opus, ubi & quies potest esse summa, & utilitas fructuum est maxima. Nam si bene inspicias, quid in ove ab utilitate vacuum? Si vellus attendas, ipsum vestit; si pellem consideres, ipsa multis modis prodest; si carnem inspicias, ipsa pascit; si lac cogites, parvulos alit, majores nihilominus delectat, sed & illud quod deterius esse putatur, vide quam utillimum agriculturæ sit, ita ut arens terra stercoris ejus fomento pinguescat. Talia ergo pecora curans theoriam amplectebatur. Videns enim quotidie gregem suum multiplicari, amplificationem ovilis ad cordis latitudinem trahebat, & sicut illi greges numero ampliabantur, sic in eo virtutum numerositas augmentabatur. Quas putas laudes in corde suo Domino reddebat, cum nullus ei tumultus adesset, & profectus virtutum simul & gregum numquam illi deesset. Credo nec ipsum balatum pecorum contemnebat, sed secundum hunc mortalitatis hujus ærumnam deflebat, profecto socius illius qui ait: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus*? Intueor etiam quodammodo solitariam vitam eum dilexisse, qui & artem diversam ab arte fratris pessimi quæsivit, & qui conjugii copulam non curavit. Nam, ut credo, nullus usque ad Noë in catalogo generationis humanæ nominatur, præter hunc sine uxore vixisse, ut profecto innotesceret, quia solitarium hominem oportet sine uxore, quæ Domini sunt, quomodo Domino placeat cogitare. Rom. 7. 24.

Christus vitam eremiticam in se consecravit. 4. Age ergo quisquis solitariam vitam amas, & ab illo qui primus justus appellatus est exemplum & boni incrementum operis accipe. Inspice etiam si alicubi noster hic JESUS huic vitæ simile quid egerit. Scriptum est de eo in evangelio Johannis: *JESUS vero cum cognovisset quia venturi erant, ut raperent eum, & facerent sibi regem, fugit in montem ipse solus.* Ecce JESUS meus solus in monte secedit, ne eremita dubitaret montana vel eremum solus habitare. Si ergo Dominus JESUS, sicut & ante nos sæpe dictum est, legendo in libro Isaïæ intra synagogam lector; & eliminando de templo nummularios, ostiarius; & ejiciendo dæmones, exorcista; & illuminando cœcos, ceroferarius; & ministrando subdiaconus, & prædicando evangelium regni levita, & seipsum offerendo sacerdos; non erit absurdum si secedendo in montem vel in desertum, quod eremitarum est proprium, vitam eorum in se ipse consecravit. Sic debent, & illis pro bonis operibus mundus arridet facere, Joh. 6. 15.

A si sese metiendo cognoverint, sine jactantiæ peccato inter homines non posse bona opera facere. Habes & in Marco scriptum, quia cum mundasset leprosum, & dixisset ei: *Vide nemini dixeris*, ille egressus cœpit prædicare & diffamare sermonem; ita ut non posset manifeste in civitatem introire, sed foris inde certis locis esse. Num ergo timebat JESUS boni operis jactantiam? non, sed ostendebat nobis humanam debere vitare laudem. Video etiam dominum JESUM pene omnium professionum ecclesiasticarum similitudinem in seipso demonstrasse, quod etiam pro posse suis locis ostendemus, cum de aliis professionibus sermonem texuerimus. Habes ergo in B prima ætate Abel pastorem ovium per solitudinem Deo placentem, & ob hoc ejus suscepta munera. habes & in secunda ætate patriarchas pascuis ovium intentos, & cum suis gregibus, id est cum sua simplicitate, hac atque illac terrenos homines fugientes. Habes & Moysen solum & gregem pascentem in desertis Syna Domini vidisse gloriam. Inspice etiam post datam legem Heliam, & multos alios per solitudinem Deo placuisse. Accipe etiam gratanter C dominum meum JESUM in montem vel in desertum fugisse, & habebis ante te quos imitari possis. Tempore vero revelatæ gratiæ nosti quam frequentata sit solitudinum habitatio. Quod si forte ignoras lege Antonii & Pauli historias, ut possis agnoscere. Marc. 1. 44.

5. Sed dicet aliquis: Quid audes dicere, quod ante te nullus ausus est asserere? Quis umquam Abel & patriarchas, Moïsen & rursum Dominum eremitis assimilavit? Ad quod respondeo, me non alicui melius sapienti & intelligenti præjudicare, sed meliora dicentem paratum audire. Sed qui D optima dicere ob ingenii mei tenuitatem fortasse nescio, ideo semper tacebo? Qui aurum non habeo, quod possum facio, in domo Dei vel pilos caprarum offero. Protegunt enim & ipsi ornaturam divini tabernaculi, & utiles sunt in domo Domini. Fidenter enim dico, salva fide & pace Christiana, non multum abhorrere a vero, si illum eremitis assimilem, qui forte eremitæ nomen non habuit, ideo quia forsitan adhuc inventum non erat, & eremiticam vitam optime tenuit. non multum contendo de nomine, ubi operis video effectum. nam E sine hoc nomine potest ejusdem vitæ fructus acquiri: sine vita vero solum nomen inane est. Participem ergo te constitue non tantum nominis, sed etiam vitæ eremiticæ, & perfectum sectatorem quisquis eam aggressus es, & humilis factus, cum evangelico agricola cophino stercoris terram cordis tui, ne sit tamquam ficulnea infructuosa, humectare & pinguescere per pœnitentiam facito. Postea vero tamquam parvu-

lus in Christo lac humanitatis ejus ut nutriaris accipe, & sic justitiam quæ ex fide est, tamquam ovium vellus indue, pellem quoque ejus, id est mortalitatem, quam pro te JESUS assumsit, ad omnia utilia tibi detrahe, ut ad extremum carnem ejus & sanguinem, quæ vere sunt cibus & potus, digne sumens, tuum quod mortale est absorbeatur a vita, ut cum Christus apparuerit vita nostra, appareas cum ipso in gloria.

6. Hæc autem omnia observans, vide ne alterius ordinis hominem de suo proposito vel professione reprehendas, etiamsi vitæ levioris sit, ne dilatans philacteria tua & magnificans cum Pharisæis fimbrias, Deus ad te veniens, partem tuam cum hypocritis ponat. Ama ergo in alio quod ipse non habes, ut amet alius in te quod ipse non habet, ut utriusque sit bonum quod uterque fecerit, & conjungantur amore, qui disjunguntur opere, & fiat unusquisque cum Apostolo omnibus omnia, ut perveniatis nobiscum ad eum qui est omnis in omnibus. Ceterum non moveat quemquam si in hoc ordine quædam diversitas appareat, & aliter atque aliter unusquisque vitam suam instituat, veluti est illud, ut quidam illorum soli habitent, quidam vero adjunctis sibi duobus aut tribus aut pluribus; & illud quod alter altero levius aut durius vivit, cum & hanc diversitatem in antiquis eremitis inveniamus, & unusquisque arbitrii sui potestate utatur, ut quantumlibet & quantum vires suas pensat aggrediatur, nec a Domino inde damnetur.

Inter eremitas diversitas non damnanda.

7. Si autem aliquando contigerit, ut unusquisque hanc institutionem aggressus, non multum sibi utilem esse perspexerit; si aliam rursus assumat, non inde debet judicari, licet hoc levitate nimia aliquando contingat, nisi forte priorem illam institutionem se observaturum voverit, cum & arboris plantam in uno loco infructuosam & inutilem manere videamus, quæ mota de loco crescit & frondescit, & fructus in altum attollit. Si autem adhuc tibi displicet quod omnes hujus professionis homines non uno modo vivant, inspice facturam mundi a bono conditore diverse dispositam, & de diversis concordem effecisse armoniam, ut cœlum superius, terra inferius, aqua gravior, aër levior, homo bellua sapientior, unum supra, alterum infra positum sit; & non miraberis si etiam in servis Dei alter alteri præferatur, & secundum evangelium in domo Patris mansiones multæ sunt. Secundum B. Augustinum mansionem illic pro suo quisque accepturus est merito. Placet ergo Deo ista in servis suis vitæ diversitas, nec debet dicere lutum figulo: quare sic me vel illum fecisti? quia habet figulus potestatem facere ex eadem massa aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, & in domo magna sunt vasa non solum aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & utraque ad opus domus utilia. Esto ergo vas utile & electum in domo Dei tui, ne propter incredulitatem & fratris detractionem frangaris, & tamquam testa de vase fictili habeas unde tangentem mordeas, & non habeas unde in te missa conserves. Lauda ex opere artificem, ex creatura creatorem, ut si forte ipsa assequi non vales quæ alius habet, amando tamen in alio cum eo præmia vitæ cœlestis assequaris.

II. *De monachis qui juxta homines habitant, sicut Cluniacenses & eorum similes.*

8. Nunc ad illos sermo dirigatur, qui monachi nomen proprie obtinent, quorum alii a turbis omnino segregati vitam Deo placabilem jejuniis & orationibus & corporali exercitatione ducunt; alii juxta homines in civitatibus & castellis & villis positi, de eleemosynis fidelium & reditibus ecclesiarum decimisque sustentantur, soli theoriæ operam dantes, & primum quærentes regnum Dei, sperantes quod necessaria hujus vitæ, licet ea non quærant, adjicientur eis.

9. De ipso autem nomine monachi pauca dicamus. Nomen istud unum vel solum sonat. Quid ergo, dicet aliquis, a nomine & actu sibi tanta diversitas? Si ergo monachus unus vel solus intelligitur, quare omnes aut pene omnes monachi congregatim habitant? Ad quod respondeo, quia ille unus & solus recte dicitur, quia unum & solum cum fratribus vivendi habet affectum, & a voluptate sæcularium omnino segregatum. Sed forte hoc concedatur de his qui longe se constituerunt a turbis. Si autem movet aliquem, quomodo hi qui in civitatibus degunt, hoc nomen obtinere possint, cum pater Hieronymus dicat: Monachum solitudo facit, non publicum. Respondeo nullum monachum, nec affectu nec societate sæcularibus debere conjungi. Licet enim inter homines aliquando contingat eos ædificia construere, tamen non perdunt prærogativam nominis, si frater cum fratribus, quorum bona & jocunda in unum habitantium societas est, sæcularia postponat, & blandientes syrenas in hujus vitæ pelago constitutus surda aure pertransiens horrescat. Tunc enim monachus vere unus & solus est, si cum fratribus unum sentiat, unum & solum Deum colat, & secundum Salomonem, frater adjutus a fratre unam civitatem fortem, dilectionem Dei scilicet & proximi, in corde suo constituat. Hæc de monachi nomine dicta sint.

De nomine monachi an conveniat habitantibus in urbibus.

10. Ceterum inspiciamus si alicubi in antiquis invenire possimus harum institutionum exempla, & ostendere non recenter,

nec solum post mortem & resurrectionem Christi, sed etiam antiquitus istam diversitatum observantiam, quæ nostris temporibus in monachis viget esse percelebratam. Dicamus ergo de his qui in civitatibus & castellis habitant, si quid horum simile in antiquis inveniamus. Scriptum in libro Malachim, quod dixit Samuel ad Saül postquam eum inunxit in regem. *Post hæc venies in collem Domini, ubi est statio Philistinorum, & cum ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes, & insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alterum.* Ecce quomodo arridet vetusta historia modernis monachorum conversationibus. Ille enim in regnum sublimatus, ad regendum populum Dei, scilicet ut vitia extirparet & populum virtutum nutriret & tueretur, pro signo ei dicitur, ut in collem Dei veniat: qui collis, sicut Hieronymus testatur, habitatio prophetarum erat: quia decet christum Domini tales imitari, qui licet corpore sint in terra, tamen super terram conversatione se esse in cœlis demonstrarent; quod habitatione collis hoc loco non inconvenienter ostenditur. Quod vero statio Philistinorum ibi esse ostenditur, ubi est habitatio prophetarum, nostro intellectui favet, quia decet & a turbis segregatos, juxta malignos, & qui sunt cadentes vel ruina populi, quod interpretantur Philistiim, habitationem habere, ut aliis odor vitæ ad vitam juxta Apostolum existentes, cadant & ruant ipsi maligni a malitia sua, interficientes & ruere facientes in semetipsos populum peccatorum, ut humiliati sanentur; aliis odor mortis in mortem manentes, persecutionem a filiis mortis sustineant, ut ad purum per tribulationis ignem decocti, dicant cum Psalmista: *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.*

Monachorum figuræ in veteri testamento. 1. Reg. 10. 5. Psal. 65. 12.

11. Sequitur etiam in lectione illa, *& cum ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso.* Intuere quoniam ipsi prophetæ & in excelso manebant, & aliquando de excelso descendebant, & per civitatem transibant. Et vide si in isto etiam tempore hoc agitur, quando monachi qui in civitatibus habitant, advenientes quoque suscipiunt, ut donum Dei quod ipsi habent, pro viribus aliis impendant. Unde & descendere de excelso dicuntur, quia infirmis compatiuntur, ut infirmis facti infirmi infirmos lucrentur. Gregatim etiam veniunt, ut ubi plures inveneris vitæ unius comites, quos etiam infirmos homines esse sicut teipsum nosti, non dubites cum eis uno spiritu participare. Dicitur etiam ibi; A *Quia ante eos psalterium & tympanum & tibia & cithara, & ipsi prophetantes.* Oportet enim tales homines semper habere verbum Dei, quod quasi psalterium de superioribus resonat, & quod de cœlo a regalibus sedibus venit, & super omnes est. habere & tympanum, quod ex mortuis animalibus fit, pelle detracta & siccata, ut immortalitatem quam assequi cupiunt bonis operibus consolidati & indurati resonent. Convenit etiam in his tibia quæ ab uno surgit & in duo extenditur, scilicet ut Deum diligant & proximum. Habent ante B se & citharam quæ ab inferioribus resonat, quia his omnibus mortificationem Christi in corpore suo circumferre congruit. aliter enim Spiritum-sanctum assequi non valent, nisi ista observaverint, nec aliquem de his qui regnum mortis in se destruere cupiunt, & regnum vitæ & justitiæ in se constituere, imitatorem sui efficient.

1. Reg. 10. 5.

12. Dicitur etiam in illa scriptura: *Et insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.* Videns enim quilibet regni cœlestis particeps & vocatione divina dignus, servos Dei ita viven- C tes, accipit divinum amorem, & cum eis se in conversatione jungens, narrat futuram electorum gloriam, mutaturque in virum alium, ut qui ante fuit blasphemus & injuriosus, nunc sit divinæ misericordiæ prædicator assiduus.

1. Reg. 10. 6.

13. Sed dicet aliquis, quare id quod etiam clericis & multis aliis vel omnibus fidelibus congruere potest, monachis tantum qui in civitatibus degunt adsignas? Respondeo quidem omnibus Christianis D virtutes animi & regnum virtutum contra vitia & fervorem Spiritus-sancti & susceptionem tanti doni congruere; sed in his quæ supradixi video quamdam monachorum talium propriam assignationem. nam ibi video collem Domini juxta stationem Philistinorum, invenio & urbem & in ipsa servos Dei congregatos, & Deum laudantes; unde salva fide conjicio, eos servos Dei qui in civitatibus degunt & monachi sunt, nec sæcularium rerum, sicut clerici & sacerdotes, sed sui tantum curam habent, præfigurari. Unde talibus etiam monachis cau- E tum esse debere confirmo, quod in pluribus locis video, ut officinæ talium ad habitationem hominum juxta se positorum non respiciant, sed extra sæcularium habitationem intuitus suos defigant, ut ducti cum Jesu in desertum ab spiritu ut tententur a diabolo, si forte diabolus habitationem illam sæcularium ostenderit eis dicens: hæc omnia vobis ad voluptatem dabo, si procidentes a statu professionis vestræ adoraveritis me. Positi cum Moïse in Deum Pharaonis, id est illius dissipatoris,

Monachi a sæcularibus rebus debent abstinere.

respondeant sibi non tentatori: O anima, dominum Deum tuum adorabis, non satanam. Intuere adhuc Dominum JESUM, si forte simile aliquid fecerit. Narrat evangelista Johannes: JESUS *autem*, inquit, *jam non palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum in civitatem Effrem, & ibi morabatur cum discipulis suis.* Ecce habes JESUM proximum morti apud Judæos occisores suos jam non palam ambulantem, sed regionem deserto proximam quærentem, & in ea cum discipulis manentem, & hoc in civitate quæ dicitur Effrem. Effrem interpretatur fertilis vel auctus ab augendo. Vides quid in tentationibus suis in quibus & discipuli ejus cum ipso manserunt, sicut ipse perhibet, quæsierit JESUS. Quæsivit enim, & esurivit & sitivit salutem & augmentum servorum suorum, & hoc juxta desertum, secundum propheticam vocem: *Scissæ sunt in deserto aquæ & torrentes in solitudine, ut lætetur deserta & invia, & germinans germinet & fructificet unum*, XXX. *& unum*, LX. *& unum* C. Tu vero qui monachus effectus es, & sub abbatis imperio quasi cum JESU moraris, fuge, ne ambules per vias terræ tenebrosas; sed avertendo faciem tuam a viis sæculi, & ab habitatione hominum, quorum Deus novit cogitationes quoniam vanæ sunt. Esto in Effrem, quærens augeri & ampliari virtutum multiplicitate, & fratrum numerositate, ut bono exemplo tuo & conversatione plurimi sæcularium convertantur, & augeatur numerus fratrum tuorum. Taliter enim diabolum superabis, & si quis ordini tuo & proposito causa rigidioris ordinis detraxerit, cum JESU in Effrem habitans contemnes.

Joh. 11. 54.

Isa. 35. 6.

14. Jam vero si requiratur a me, quia sæpe a multis quæritur, cur ipsi de redditibus & decimis vivant: quia his sacerdotes & levitæ sustentari per Moïsen a Domino jubentur, simpliciter, salva pace eorum qui forte hoc quod dicturus sum contradicturi sunt, respondeo, quia qui altario serviunt, cum altari participare debent, & qui sacerdotum & levitarum opera in seipsis, quantum eis a prædecessoribus concessum est, refundunt, sacerdotis & levitæ mercede non debent omnino privari. Video enim ecclesias illorum, velint nolint, a fidelibus frequentari, assidue eos missas cantare, frequenter evangelium prædicare, ad sermonem faciendum in ecclesia cogi, peccata populi de carbone divini altaris tangere, & annuntiare populo scelera sua. Lego etiam ut qui evangelium adnuntiant, de evangelio vivant, & *dignus est operarius mercede sua*, & timeo eos inde judicare, si accipiant quod ipsi merentur. Mihi autem magis timeo, si inde eos judicavero, ne ipse judicer. Potest enim in istis accipiendis esse

Cur monachi de redditibus & decimis vivant.

NOTA.

Luc. 10. 7.

A simplex & mundus eorum affectus, qui non requirat superflua, sed expectat necessaria. Si autem dicatur non esse illorum illa accipere, dicatur etiam illa sanctiora eos non debere facere. Valde etiam indecorum est, ut tot monachorum agmina, quæ nos in Dei servitio præcesserunt, & nobiscum adhuc in vita manent, pro una re, causa scilicet ad litteram tuendæ monasticæ regulæ, in qua, ut ipse ait qui eam condidit, non omnis justitia tradita est, condemnare velimus, præsertim cum ipsi quod secundum regulam se observaturos esse voverunt, cum interrogantur super hoc, bene
B se observare respondeant & confidant. Faveo bene intelligentibus, credo se observare regulam respondentibus, laudo secundum uniuscujusque monasterii legem viventes, prædico & appello dominos & patres, admiror & veneror ipsam regulam etiam ad litteram omnino servantes. Nulli enim derogare volo, quem scio etiamsi diversa ab alterius intellectu sentiat, quod diversa a fide christiana non teneat.

15. Quod si inter se ipsi monachi de regula contendant, & dicat alter alteri, quia laborare in agro debet, & talia indumenta
C qualia in regula præscripta sunt habere, & illis vel illis epulis secundum regulam uti; intelligat qui hoc dicit & credat, si quid a sapientibus aliter quam ipse intelligit visum est, non frustra, sed sapienter actum esse, ut vel multorum infirmitas relevaretur, vel illorum qui se exemplo talium monachorum salvare cupiebant, imbecillitas non terreretur. Ita ego eorum instituta facta esse intelligo, neutrum æstimans regulæ suæ prævaricatorem, & expeto utriuscujusque orationes, quos scio in unitate fidei esse concordes. non enim studeo aliquem de suo ordine reprehendere, sed
D ostendere cupio, quia licet diverse vivant, tamen ab uno principio ad unum finem Christum utrique suspirant. Habent enim & ipsi Dei servi, qui inter homines vivunt, Christum inter homines ambulantem; habent etiam eumdem propter incredulos ad tempus se diei festo subtrahentem, & cum postea ascendit, non manifeste, sed quasi in occulto hoc fecit, ut innotesceret servos Dei qui inter homines habitant, aliquando propter homines salvos faciendos, de alto mentis suæ se oportere descendere, ali-
E quando ne malorum livor illis detrahat, ad festum ubi reliquiæ cogitationis sunt, id est peccatorum solutorum & remissorum recordatio diem festum, ubi Deus solus videt cum Salvatore suo occulte ascendere. Pascant etiam nunc Christum in servis suis publicani & peccatores, detrahant illi Pharisæi, veræ scientiæ januam claudentes; suscipiat Zacchæus, convivium faciat Levi, ut sanus factus a medico cœlesti evangelium

Sapienter ab aliquibus quædam ex regula relaxata fuisse.

lium scribat. Monachus qui inter homines sicut Jesus vivit, non potest timere alium monachum, qui sicut Pharisæus peccatricem a se repellit. Habebit & ipse qui regulam suam ad litteram etiam bene servat præmium, si Jesus pro discipulis suis per sata hujus vitæ sabbato spicas vellentibus, id est ab hominibus victum quærentibus, non reprehenderit. In sabbato enim discipuli spicas vellunt, quia feriati a mundanis operibus victum a mundanis hominibus quasi spicas accipiunt.

Regula monachorum sobrios requirit intellectores.

16. Sane monachorum regula, ut legens adverti, sobrios intellectores requirit, moderatosque lectores expetit. nam multa sunt quæ sanctus ille ipsius regulæ conditor non posuit, quia ea indubitanter facienda noverat, sicut est illud, quod lectorem & mensæ ministros dicit antequam ad officium accedant debere mixtum accipere, nec ullum excipit diem. unde quidam monachi dicunt secundum regulam lectorem etiam in quadragesima debere mixtum accipere priusquam legat, quia hoc regula dicit, nec ullum diem excipit, & ita cogunt ad comedendum bene valentem jejunare. Alii vero contra non accipiendum mixtum dicunt, quia commune est & solemne jejunium. Bene isti dicunt. Sed audio quosdam abstinentes monachos etiam die Dominico secundum B. Benedicti vitam, quam in specu positus duxit, argumentantes debere vel posse jejunare, quia omni die jejunans, etiam diem Dominicum non prætermittebat. Utrosque video, de utrisque quid sentiam profero. Illi qui prandere bis etiam in quadragesima valentes dicit, respondeo pro pace universalis ecclesiæ, quæ jejunium illud celebrat, omnem hominem qui potest debere jejunare, nec esse contra regulam illam, quæ licet quadragesimam vel solemnia jejunia non exceperit, pacem tamen ecclesiæ servare voluit. Non enim dignum est, ut propter mixtum monachorum accipiant occasionem jejunii frangendi mensæ potatores, nec dignum est ut dicant edaces, cum reprehensi pro soluto jejunio fuerint, bene hoc potest fieri, quia & monachi hoc faciunt. Sic enim pro exiguo cibo monachorum forsitan turbabitur religiosa institutio Christianorum. Illi autem, qui affirmat quotidie etiam die Dominico secundum vitam beati Benedicti, quam in specu positus servavit, posse monachos jejunare, respondeo, non ex me, sed ex B. Gregorii sententia, qua dicit, quia longe ab hominibus positus eo die quo presbyter ad eum ex præcepto Domini venit, quod paschalis esset festivitas ignorabat. Quare fidenter dico, quia si ille sanctus qui ignorabat Dominicum diem, & in ipso die jejunabat, laudandus est; ille etiam presbyter prædicandus est, qui ei dixit: Resurrectionis Dominicæ paschalis dies est, abstinere tibi minime convenit, quia & ad hoc missus sum, ut dona omnipotentis Dei pariter sumamus. Ecce intuere, si post hanc vocem sacerdotis illius sanctus ille jejunavit & se abstinuit, si vocem Domini sprevit; & si potes, Dominico die contende posse jejunare.

Monachis non præscriptum jejunium diebus Dominicis.

17. Quod vero in regula eorum scriptum est, & sine aliqua exceptione definitum, ut ab idibus Septembris usque ad nonam jejunium extendant, credo Dominicum diem ideo eum prætermisisse, quia sciebat illo die non esse jejunandum, nec inde aliquem dubitare, vel ob reverentiam Dominicæ resurrectionis, vel quia ita Christiana consuetudo convaluit, ut eo die jejunare non liceat, ne scandalum in ecclesia generetur. Sunt præterea quidam præcipui dies, ut est Natalis Domini, epiphania, & similes dies, necnon & illius sancti in cujus honore cœnobium dedicatum est, ubi quidam timentes regulam offendere, putant continuandum esse jejunium. Volo autem monachos & canonicos sive clericos plus jejunare & abstinere quam plebeios Christianos. dignum est enim; sed volo etiam supradictos viros communis gaudii Christianorum in cibo & potu, quantum uniuscujusque regula patitur, aliquando, maxime in diebus solemnibus, esse consortes: nec esse credo contra monachorum regulam quæ illos dies non excepit, si regula ecclesiastici gaudii ab eis etiam qui sæculi gaudia fugiunt, observetur. Audio enim sæpe cum talia jejunia in diebus ita solemnibus custodiuntur, multos inde murmurare, nec inde exemplum abstinentiæ sumere, sed notam austeritatis religiosis viris impingere. Nec hoc dico quasi reprehensor eorum qui perfectæ student abstinentiæ, sed volo esse consultum paci & lætitiæ universalis ecclesiæ.

Diebus etiam solemnibus possunt non jejunare.

18. Sane ne illud quidem omittam, quod in utroque ordine tam monachorum quam canonicorum sunt aliqui diverso vitio laborantes, quorum alii ita consuetudines suas tuentur, quasi in his justitia constituta sit, nolentes aliquid pro tempore & loco & persona in ecclesia mutari: alii vero ita fastidiosi sunt, ut nihil eis quod apud ecclesiam suam agatur placeat, sed semper nova sibi de alterius monasterii consuetudine quæ sociis imponant onera perquirant. utrisque pro pace ecclesiæ suæ respondendum est. De illis qui consuetudines suas ultra modum custodiunt, dicit Augustinus in epistola de diversis consuetudinibus ecclesiæ, Januario notario directa: *Aliquis peregrinus in eo forte loco, ubi perseverantes in observatione quadragesima, nec quinta sabbati levant relaxantve jejunium, non, inquit, hodie jejunabo. Quæratur causa: quia non fit, inquit,*

August. epist. 54 nova editioni 5.

in patria mea. Quid aliud iste nisi consuetudinem suam consuetudini alterius præponere conatur? Non enim mihi de libro Dei hoc recitaturus est, aut universa quacumque dilatatur ecclesia plena voce certabit, aut ostendet illum contra fidem facere, se autem secundum fidem, moresque hinc optimos aut illum violare aut se custodire convincet. Violant sane quietem & pacem de superflua quæstione rixando. Mallem tamen in rebus hujusmodi ut ille in hujus, & hic in illius patria, ab eo quod ceteri faciunt non abhorreret. Hæc Augustinus de his qui ultra modum consuetudines suas custodire volunt. De his autem qui cito mutant consuetudinem, dicit in eadem epistola: *Faciat quisque quod in ea ecclesia ad quam venit invenit. non enim quicquam eorum contra fidem est, aut mores fiunt hinc vel inde meliores. His enim causis, id est, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet quod perperam fiebat, vel institui quod non fiebat. Ipsa quippe mutatio consuetudinis etiam quæ utilitate adjuvat, tamen novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa, consequenter noxia est.* Hæc etiam dicit de his qui novas & alienas consuetudines sequuntur. Ceterum lectoris prudentia videat, quia & in tenendis ultra modum suis consuetudinibus & in sequendis alienis, potest schisma & perturbatio generari. Unde oportet unamquamque ecclesiam ita vetera custodire, ut pro loco & tempore laxentur, & ita nova condere, ut ex novitate antiqua patrum auctoritas non violetur.

Num. 6.

19. Vellem autem inter monachos uniuscujusque provinciæ, similiter & canonicos esse, ut invicem se sequerentur, ut qui in una provincia degunt, uno modo jejunanarent, una consuetudine silentia tenerent. De his autem loquor qui in civitatibus & castellis habitant. Forsitan enim utrumque ita melius ac libentius teneretur: quia si quis ea quæ ab omnibus tenerentur infringeret, se magis errasse fateretur, & forte citius corrigeretur. Sicut enim jejunium, quod a patribus observatum est, & ab omnibus ritu communi tenetur, melius ac libentius etiam inter laïcos observatur, quam illud quod noviter inventum est, nec ab omnibus tenetur; faciliusque redarguitur qui infringit; ita credo fieret inter monachos & canonicos, si omnes observantiam unam sequerentur, essetque laudabilis supra omne jejunium concordia, ubi omnes unam unius ordinis tenerent vivendi mensuram. Sed quia videmus etiam in uno loco alios solito more velle prandere, alios contra morem antiquum velle jejunare, oritur hinc sane rixa intolerabilis, quia alius ex auctoritate se credit facere quod facit, alius zelo justitiæ se credit accendi. Unde aliquando inter tales superbia & invidia nascitur, ut qui jejunare volunt contra non

A jejunantes superbiant, & qui non jejunant jejunantibus invideant. Proinde accedit gravior morbus, ut qui propter jejunium superbiunt, non contenti secum habitantes despicere, etiam alienos a suo proposito & ecclesia, quia similiter sicut ipsi volunt non jejunant, despicere reformidant. Audivi enim quemdam, & nisi puderet dicere, plures vano tumore turgidos, detrahentes ordini alterius ecclesiæ, & dicentes: qualis ordo est, ubi sic prandetur, tam parum jejunatur, tam parum siletur, tot fercula sæpe sumuntur? Ad laudem ecclesiæ suæ & ordinis hoc se putant dicere; sed vide quid

B inde incurrant. Primum ad cumulum superbiæ, & ut ita dicam fastigium, inde ducuntur, & tam alta fit ipsa superbia, ut videri non possit, & dum non advertitur esse superbia, creditur humilitas. Deinde dum despicitur proximus, contemnitur Christus. Redeat ergo quisquis talis ad se, non efferat se super se, ne despiciendo unum de his pusillis qui in Jesum credunt, de alto superbiæ cadat, & dignus Christi voce judicetur, cui mola asinaria de collo ejus suspendatur, & in mare projiciatur. Discat ab apostolo & abundare & penu-

C riam pati; invitet etiam fratrem suum, si ecclesia ejus patitur, ad id quod idem, ut bonum est, non manducare carnem & non bibere vinum, hoc est perfecte abstinere a cibis corporalibus, quantum uniuscujusque capacitas sinit, sciens etiam nihil abjiciendum ab his qui hoc adhuc aggredi nolunt, quod cum gratiarum actione percipitur. Noverit etiam non cibum, sed cibi appetitum in culpa esse. Nam & Esaü vilis lenticulæ desiderio exardescens, qui sæpe venationes fastidiebat, eo desiderio primogenita perdidit; & e contrario David desideria refrænans, non vini, sed aquæ po-

D cula captans, ipsam Domino sacrificando, seipsum justificavit. Male ergo facit qui de vilibus cibis ventrem ingurgitat. Bene facit qui etiam de vilibus modum tenet. Bene etiam facit qui bona quæ in macello veneunt cum mensura & gratiarum actione sumit; deterior omnibus est, qui etiam quæcumque sibi deferuntur aut fastidit, aut preciose vel laute confici gestit. Ascendat igitur qui potest, & sequatur abstinentiores,

E condescendat abstinens, & caritatem minus valido præbeat, ut infirmum fratrem expectans, cum eo in perventione cursus gaudeat, ut uterque in via Dei obicem non sentiens, bravium æternæ remunerationis accipiant. Discant pusillanimes confortari. Discant fortes humiliari.

20. Ad postremum vero, ne illud omittam, quod ipsi monachi qui in urbibus & vicis morantur, sæcularia sæpius tractare videntur, forensia judicia decernunt, servos habent & ancillas capitales, judicant, De monachis qui sæcularia tractant.

regunt, tuentur, filios servorum nutriunt servos futuros, terras hospitales habent, ad censum dant, reditus inde spirant & exigunt, causas singulorum veluti judices sæculares audiunt, leges suis terris & hominibus imponunt, quæ omnia sæcularia & minus religiosa esse videntur. De talibus tamen dicam quod sentio. non hoc credo ab eis inventum propter cupiditatem, sed propter servorum & hospitum utilitatem. nam videmus multos feroces dominos fugientes, sub dominio ecclesiarum confugere, in quibus tuendis & defensandis non cupiditas ulla, sed misericordia est maxima. quodammodo enim cum fugitivos suscipiunt, urbes fugitivorum in possessione sanctorum, sicut ille antiquus populus, constituerunt. Si autem dicat aliquis non ideo debere monachos de sæcularibus se intromittere, illum admoneo qui hoc dicit, ut sobrius reprehensor sit, nec ante tempus quicquam judicet, quia lego & Jacob post amplexus desideratæ Rachelis, ad Liæ fertilis concubitum rediisse; id est illos qui gustaverunt dulcedinem contemplativæ vitæ, ad agenda opera vitæ activæ, non propter se, sed propter alios rediisse. Æqualem enim video esse misericordiam in defensandis pro posse ab iniquis pauperibus, & in nutriendis vel suscipiendis hominibus. Quod si quis reprehendit eos quæ pauperum sunt vel hospitum suorum suscipere, legat Dominum dixisse: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & Deo quæ Dei sunt,* nec miretur amplius si monachis reddant quæ Cæsaris sunt, quos fugitivi ipsi Cæsares propter tutamen sui & uxorum & filiorum & possessionum constituerunt. Non enim semper propter se monachi hoc agunt, sed propter ipsos, qui licet sæculares sint, tamen a sanctis viris auxilium protectionis exposcunt.

Matt. 22. 17.

21. Sed dicat adhuc aliquis: Si ergo bonum est, ut eos sustentent, ut protegant, ut nutriant, quid est quod aliquando ipsos in carcerem mittunt, verberant, leges sumunt, sua auferunt? Ad hoc respondeo in his modum debere servari, ut in carcerem missi non deficiant, ut verberati a talibus non moriantur, ut leges dantes pauperes ultra modum non efficiantur, nec propter vindictam ista exerceant, sed propter correctionem ceterorum servorum & hospitum suorum, ut hæc videntes ceteri timorem habeant, & mala facere formident. Melius est enim & in ordinibus & in sæcularibus, ut unus vapulet & salvetur cum multis, quam ut effrenata humanitas; quæ vix etiam cum ei mala & plagæ pro criminibus inferuntur, se cohibere potest, accepta per misericordiam peccandi licentia, dispereat. In talibus etiam exercendis ipsi monachi modum debent aptum tenere, ne ipsi in his agendis mensuram excedant, ut appareat eos ad hæc non ex voluntate propria ferri, sed pauperum necessitati & utilitati consulere. Ad hæc etiam agenda non debet infirma ætas laxari, nec noviter conversi ad hæc cito remitti, quia sæpe alta cedrus a statu concutitur, quanto magis novella planta, si vento sæcularitatis cœperit tangi, non citius eradicabitur? Fortassis ista dicens aliquos sanctioris propositi viros offendo, sed hoc paci ecclesiæ pro posse consulens dico, credens & sperans quod omnia quæ in ecclesiis Christi in una fide manentibus observantur, summo pontifici placeant, nec oblationem uniuscujusque, quamlibet parva sit, pius sacerdos respuat, quæ de corde contrito & spiritu humiliato offeratur. Hæc de monachis qui in civitatibus & castellis & similibus locis manent diximus, alterius intellectum qui melius senserit amplectentes, & lectorem deprecantes, ut si aliquid pravum diximus, non malevolentiæ deputet; sed si quid boni scriptum est, diligat; si vero aliquid mali, fidenter corrigat, & nobis, qui melius dicere nescimus, indulgeat.

III. *De monachis qui longe se ab hominibus faciunt, ut Cistercienses, & si qui sunt similes.*

22. Jam ad illos stylus recurrat, qui monachi nomen a turbis omnino segregati insigniunt, de quorum vita & instituto aliquid sinistrum suspicari non licet, nec inde loquentem, ne in laude ipsorum, quantacumque dixerit, peccet, timere oportet. Sunt enim in locis suis ita viventes, ut in carne manentes, quia carnalia deserunt & transcendunt, supra carnem esse jure dicantur. Miratur enim quisquis eos videt, humanæ infirmitatis tantam immutationem, nec jam esse de terra, sed esse in terra asseruntur. Intueamur tamen si alicubi in antiquis tale aliquid inveniamus. Scriptum est in libro Regum III. quod Abdias minister regis Achab, tempore persecutionis & famis centum prophetas in speluncis per quinquagenos divisos aluit pane & aqua. Aiunt etiam Hebræi & B. Hieronymus assentit, quod ipse Abdias, qui inter duodecim minores annumeratur, & propterea datum ei esse spiritum Domini, quod prophetas spiritum Dei habentes paverit. Interpretatur vero Abdias servus Domini. quia vero habemus servum Domini prophetas pascentem, & habemus tempus famis & persecutionis, & centum prophetas pro perfectione, quia talis numerus in scripturis divinis pro perfectione accipitur, & quinquagenos pro remissione, quia & in lege annus quinquagesimus remissionis appellabatur, eo quod in eo a servitute remittebantur, & possessiones recipiebant & in jubilatione relaxabantur.

23. Intueamur quantum faveat antiqua hi-

Figuræ in scripturis eorum quæ a remotissimis monachis geruntur.

storia nostro tempori, in quo si non idem forte, tamen simile quid agitur. Nam & in nostro tempore tales Dei servos illi qui terrena negotia habent, in abditis & remotis terrarum suarum locis mittunt, ut precum suarum effusione illorum peccata redimant & ut ipsi spiritum Dei, sicut & illi, accipiant. Fit vero & hoc tempore persecutionis, quando regina impiissima Jesabel, id est superbia & luxus sæculi, servos Dei vehementer infestos habet, & quoscumque potest seducendo necat. Contingunt etiam hæc tempore famis, quando quæritur qui justitiam teneat, qui veritatem servet, qui aliena non rapiat, qui verbum Dei puro corde prædicet & vix invenitur, ut impleatur etiam in vobis illud Isaïæ : *Immittam famem in terra*, &c. Et illud : *Pretiosior erit vir auro & homo simul obrizo.* Additur etiam quod centum paverit, ut perfecta caritas foras mittens servilem timorem, accipiat timorem castum permanentem in sæculum sæculi ; & ita Abdias, qui interpretatur servus Domini, fiat, & sicut ille prophetico dono participavit, sic iste servorum nutritor & institutor, eorum vitam diligens & imitari cupiens, ad hoc quandoque perducatur, ut quod illi agunt & ipse agat, & sic ipsorum spiritu inflammatus inardescat. Videmus sæpe tales homines, qui cum essent sæculares, & rerum affluentia & voluptatum copia abundarent, nec ab hominibus in eis esse aliqua virtus animi deprehenderetur, nisi hoc solum quod servos Dei instituebant & nutriebant, ad hoc venisse, ut pauperes effecti, pauperem Christum sequerentur, & tollentes crucem suam artam & arduam vitam monachorum aggrederentur, & redderent homines humana tantum sapientes admiratos & stupidos in subitatione insperatæ salutis ; ita ut diceretur de eis : *Hæc est immutatio dexteræ Excelsi.* Novit enim Dominus qui sunt ejus. Nam & ipse Abdias persecutor esse S. Heliæ credebatur, eo quod minister regis persecutoris esset, & tamen quod amator esset etiam minorum servorum Dei, quam Helias, prorsus latebat. Divisi etiam sunt ipsi ab eo per quinquagenos in speluncis, quia caritatem Dei & proximi tales servi Dei in corde perfecte retinentes, quod significatur per speluncas, remissionem plenariam postmodum cum servis Dei ipsi Deo militantes assequuntur, quod per quinquaginta indicatur. Quomodo autem assequuntur ? Numquid non assequuntur plenam remissionem, qui liberati a sæculari tumultu, soli Deo militant, & si quid molle, si quid dissolutum in domibus regum vel principum hujus sæculi in usu habuerunt, agnum paschalem Christum succinctis renibus, id est restrictis hujus corruptionis illecebris comedentes, ab

Ezech. 5. 17.
Isa. 13. 12.
Ps. 76. 11.

A ubertate domus Dei inebriantur ? Sic enim dividuntur per quinquagenos, quia caritatem erga Deum habentes, prius ab eo remissionem accipiunt, & caritatis officia erga fratres tenentes, si quid aliqui tulerant, si quid mali fecerant, si quid dixerant, viso tanto professionis eorum decore, libentissime eis præterita peccata, quæ in se fuerant commissa, relaxant.

24. Diximus de eo & ejus similibus, qui prophetas abscondit, quantum profecerit, quid assequutus sit, quid de eis dicturi sumus qui absconsi sunt ? Intueamur ergo B eorum vitam, qualis eo tempore fuerit, cum & caritate principis eis necessaria vir fortissimus subministrabat, & separatio a mundana conversatione tumultum omnem refrenabat. De abstinentia vero eorum si loqui voluero, superfluus judicabor, cum ipsi pane & aqua, quod est commune & forte jejunium, uterentur, ut abstinenter viventes, in laudem Dei extenuarentur, nec cibis corpulentionibus gravati, pondere carnis impedirentur, sed graciles facti, corpore tenues, mente subtiles, spiritu qui C in libro Sapientiæ subtilis & mobilis dicitur leves facti, ipsi replerentur. Sed & ipsi prophetæ, qui coram Elisæo propheta manebant, in quorum olla puer inscius mortiferum quid immisit, quam sobrie vixerint, qui esuriem corporis herbis aggrestibus depellebant ? Non hoc dico quasi credam in his sumendis vel non sumendis justitiam esse statutam, cum hæc agentem præmia non sequantur, nisi ista pax & justitia & misericordia præcesserint ; sed quia post illa & hæc agentem multipliciora Dei dona comitentur.

Eorum jejunia.

D 25. Inspice ergo homines illos nostri, etiam temporis monachos similiter viventes, quam concors simul spiritum coadunaverit, ut unum spiritum habentes, simul viverent, unum sentirent, in nullo discrepare in alterutrum volentes similiter comederent, uno cultu & modo induerentur, ut animi concordia per exteriorem habitus consonantiam panderetur. Neque enim credo eosdem antiquos prophetas communi hominum habitu usos fuisse, ubi prout cuilibet, quisque vestem suam immutat ; E sed fuisse in eis existimo quod in monachis diversi ordinis inspicitur, qui multotiens solummodo visi, nec interrogati, ex habitus indicio recognoscuntur, unde sint, vel cujus professionis, vel monasterii. Inde est illud quod invenio, regem Israël signa viri Dei Heliæ servos suos interrogasse, & quia vir pilosus & zona pellicia accinctus renibus pronunciatus est, Helias Thesbytes esse a rege proclamatus est. Unde credo & inter illos qui in urbibus morabantur, & inter eos qui eremum incolebant sicut Helias, qui pilosus erat, aliquam etiam in habitu

bitu habuisse distantiam; ut in his qui juxta homines morabantur, quædam morigera & moderatior vestis esset: Hi vero qui eremum incolebant, in testimonium regidioris instituti, hispidas & duras vestes haberent. Neque enim credo Isaïam & Heliam uno habitu prophetasse, cum ille esset nobilis & urbanus, & ut legitur, regis Ezechiæ socer, hic vero populorum catervas frequenter fugiens, rigidius vixerit; sed de habitu sive istorum sive aliorum, ut in præfatione promisimus, alias Deo donante dicemus.

Monachorum quanta caritas.

26. Sed qui de abstinentia prophetarum & monachorum vel de habitu loquimur, quid de caritate, de misericordia, de eleemosyna & hospitalitate & ceteris virtutibus dicemus? Superfluum credo inde multum loqui, nisi ut inde alii accendantur, cum ad tales adventantes magis in servis Dei ista experiri contigerit, quam nos aliquid verum loqui. Susceptus est a prophetantibus benigne Saül, etiam cum sanctum David persequeretur, & facto ipso spiritu Dei prophetavit, & invitus pronunciavit, quod apostolus dicit, quia vere Deus in vobis est. Suscipiuntur etiam a monachis similiter ut prophetæ viventibus, qui eis sua auferre moliuntur: ita ut audierimus a quibusdam, quod illi qui rapere venerant, vel rapaces extiterant, viso humilitatis eorum proposito, vel monachi facti remanserint, vel accusantes seipsos quod talia assequi dona digni fuerint, pacifici ad propria recesserint. Operantur etiam ipsi quæcumque sibi a prælatis injunguntur, cum tanta benevolentia, ut jure de eis dici possit, quod nullum eos transeat virtutis vestigium.

Exemplo Christi desertum petunt.

27. Intuere mecum etiam dominum meum JESUM, si forte alicubi tale aliquid vel huic simile fecerit. Dicit evangelium, quia facta die egressus ibat in desertum locum, & turbæ requirebant eum. Dicit & alibi: *Factum est autem in diebus illis exivit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* (Luc. 6. 16.) Primo intuendum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt usque ad ipsum, & si forte monachorum a turbis segregatorum vitæ hoc factum domini JESU possimus inflectere. Ante enim ab evangelista discribuntur morborum & febrium in socru Petri & aliorum curationes, necnon dæmonum dicentium *quia tu es Filius Dei* expulsiones, & hoc cum sol occidisset, & post mane facto, iter ejus in desertum describitur. quot ergo sunt febres quibus meus JESUS imperavit? qui morbi quos curavit? qui dæmones quos ejecit, nisi incentiva vitiorum, quæ respectu suo & jussu extinguit, curando medetur, ne non bene sanata iterum putrefiant, & spiritus maligni item in corde peccatoris per incuriam nidificentur? Hoc máxime convenit monacho, ut purificetur ab his, cum JESU facto sibi die, id est illuminato corde, in desertum exeat, turbam vitiorum penitus & illius mundi qui in maligno positus est consortium simul & dominium relinquat, ut postea proficiens, & non jam sui curam solum, sed etiam aliorum habere sufficiens, a turbis pro iniquitate sua turbatis, & quid faciemus inquirentibus, requiratur, & retentus dicat, *quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei*, id est aliis turbis, vel aliis ovibus, quæ adhuc non sunt de monachorum ovili & futuræ sunt, convenit dicere, ut se suosque sequaces imitentur. Sicut enim cum Antonio interiorem eremi partem penetrabit, ibi & angelorum contra dæmones auxilia, & hominum se propter Deum sequentium consortia habere merebitur.

Orationi & contemplationi vacare debent.

28. Intuere adhuc si non illud etiam implebit, quod superius de evangelio ab JESU factum posuimus. *Factum est autem in diebus illis exivit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* (Luc. 6. 16.) Hic etiam inspiciendum est, quo ordine id fecerit. Nam ante hoc factum, in sabbato JESUS hominem qui habebat manum aridam curavit, & ante inutilem ad bene operandum laxavit, ut profecto ostenderet, & a malis operibus feriandum tamquam in sabbato, & rursus ad bene operandum manus omnes id est operationes debere extendi. Unde & illi homini qui sanatus est dicitur: *Extende manum tuam*, (Matt. 12. 13.) id est ad bona opera a quibus sabbatizabas te exerce. Cum vero bene operatus fueris, tunc cum JESU in montem exeundum est ad orationem, & ibi pernoctandum in oratione Dei in excelso mentis, quasi in monte positus excelsum Deum sequatur, & exiens a corporalibus, ad summa & cœlestia rapiatur, & ibi pernoctans, id est in tota vita sua manens, quæ bonis omnibus respectu supernæ lucis non dies, sed nox est, semper ut exuatur a corpore expectet & oret. Sic enim cum patre suo Benedicto totum mundum ante se positum quasi parvam speram intuebitur, & in visione conditoris cum ipso dilatabitur.

Humilitatem sectentur.

29. Sit autem in hujusmodi servis Christi, sicut esse confidimus, fundamentum veræ humilitatis firmum & solidum, ut quantum Christo qui est fundamentum totius ecclesiæ propinquiores esse creduntur, tanto magis humilientur, ne forte super arenam collocati, facili impulsu inundantium tentationum ruant, sed Christo inhærentes, & cum Christo lapides fortes cœlestis ædificii facti, alios invalidiores & infirmiores portare sufficiant. Observabunt autem, ut credimus, quia servi Dei sunt, ne alterius ordinis ecclesiastici viros, licet

minus validi sint, despiciant, nec alta de se A sapient, sed humilibus consentient.

IV. *De monachis qui sæculares dicuntur, quorum professio nulla est.*

30. De monachis autem qui dicuntur sæculares quid dicam non invenio, quia nec professionem monachi sequuntur, nec eorum vita usquam describitur. Ex magistrorum enim negligentia, & ex rerum copia & aliquando etiam inopia magis hæc vita incrementum accepit. Contingit enim aliquando ut rerum affluentia dissolutionem pariat, & dum nihil temporale deest, sollicitudo & animi fortitudo protinus abest. Evenit etiam sæpe, ut cum in abbatis manu necessaria desint, quæ monachis dentur, non audeat eos pro dissolutione aliqua vel delicto redarguere, & ita fit, ut cum terrena a monachis inordinate quæruntur, ordinis districtio & æternorum præmiorum cura relinquatur. Bene igitur facient utrique si se corrigant, si nomen monachi quod portant honorent.

V. *De canonicis qui se ab hominibus constituunt, ut sunt Præmonstratenses & Sanctijudocenses.*

31. His igitur de monachis paucis pro viribus præmissis, ad canonicos veniendum est. Quorum ordo, refrigescente multorum caritate, quondam tepuerat; sed nostra ætate gratia Dei aliquantulum jam refloruit. Cujus autem auctoritatis sit eorum ordo & professio, Domino donante, pro posse ostendere tentabimus. Primum igitur intuendum est, quod iste ordo jam tripartitus habeatur, ita ut alii a turbis omnino conversatione & habitu & habitatione quantum possunt segregentur: alii juxta homines positi sint, alii inter homines habitent, unde & sæculares appellantur. Videndum est etiam quid canonici nomen insinuet. Canon enim intelligitur regula, & canonicus dicitur regularis. Unde autem hic ordo initium sumsit? an forte ab apostolis? Et hoc ex parte verum est, quia sic illi debent communiter vivere, & nihil proprium possidere. Sed est quod altius perscrutari posset. Ipsorum est enim populos docere, decimas accipere, oblata in domo Domini suscipere, delinquentes redarguere, correctos & pœnitentes ecclesiæ reconciliare, & alia quæ in lege antiquitus observabantur, etiam nunc in ecclesia nostri temporis observare. Legamus in libro Numerorum, si forte invenire poterimus in eo canonicorum prætensam speciem. Describuntur enim in illo libro officia levitarum, quos Deus assumsisse se dicit de medio filiorum Israël pro primogenitis eorum, ut in tabernaculo ejus ministrarent, de quibus erat & summus pontifex. Describitur etiam quid Gersonitæ agere debeant, quid Caathitæ, quid filii Merari, & quidam eorum in tabernaculo fœderis intrare dicuntur coram summo pontifice, & involuta portare, & alii cortinas & operimentum & tentorium & omnia quæ pertinent ad altare, funiculos & vasa ministerii, & alii tabulas tabernaculi & vectes ejus, columnas & bases earum, columnas atrii cum basibus & paxillis & funibus, & omnia vasa & supellectilem. Si de omnibus his vel aliis quæ ibi scribuntur rationem reddere voluerimus, tenuitas ingenioli deficiet. Unde ad sanctos doctores lectorem remittimus. Unum tantum est ut B intelligatur, quia sicut in veteri lege levitarum erat officium sanctificata custodire, & ferre, & mundare; sic & in hoc tempore canonicorum esse credo similia agere, nec quemquam ad ministerium ecclesiæ debere admitti, nisi qui regulariter & honeste vixerit, quod nomine ipsius canonici indicatur. Sicut enim in veteri lege levitis vivendi est regula præscripta, quis quid agere debeat, nec ad aliud vacare licebat, nisi ad quod erat ordinatus, nec aliis licebat eorum officia tractare: ita credo & in hoc tempore faciendum esse. Videamus C ergo si forte in his tribus familiis levitici ordinis tripartitum ordinem canonicorum invenire valeamus, seposita summi pontificis familia, quæ hujus temporis summum pontificem, & episcopos sine dubio præfigurabat, & potestatem & dignitatem eorum prætendebat.

Canonicorum ordo tripartitus.

32. Primum igitur de illis canonicis loquamur secundum lectionis numeri significationem, qui longius ab hominibus secedunt, & actu & vita & conversatione quantum possunt ab eis longe se faciunt, ut liberius Deo ministrent. Inspiciamus igitur D officia Caathitarum, qui a summo pontifice & filiis ejus arcam testamenti & altare aureum & candelabrum & mensam & digniora vasa involuta portare jubentur, & sanctuario interiori post familiam summi pontificis propinquius, quam Gersonitæ & Meraritæ deserviunt; ita ut intrent in interiori sanctuario, & involuta a summo pontifice vel filiis ejus portanda suscipiant. Isti ergo filii Caath, quanto propinquiores erant interiori sanctuario, tanto longe fiebant a populo. Unde non immerito his E comparantur canonici illi, qui sicut levitæ illi officia ecclesiastica suscipiunt, & longe ab hominibus secedentes, propinquius sanctuarii interioris vasa, id est contemplativæ vitæ gaudia secum vehunt. quibus etiam Caathitarum nomen convenit. Caath enim interpretatur pœnitens sive dolens. Tales enim prius compunguntur timore, postea amore, & de factis suis malis primum pœnitentes & veraciter flentes, postmodum a xxx. annis & supra, id

Primum canonicorum genus.

est a perfectione virtutis & credulitate sanctæ Trinitatis in ecclesia sacros ordines suscipiunt, ut bene meritos quinquagesimus annus suscipiat, & liberati a voluptatibus carnis, vasa dominica non onerati humeris deferant, sed justificati & probati custodiant.

Et ipsum dispertitum.

33. Est etiam in his secundum lectionis numeri tenorem ordo dispertitus, ut a summo pontifice dividatur unicuique onus quod portare quis debeat. Unde conjicere possumus, quod quidam eorum sanctiora pro sanctitate vitæ portanda suscipiebant, & alii qui minus validi in virtutibus habebantur, minoribus officiis deputabantur. Eadem enim familia quæ altare aureum, & candelabrum & mensam, & ipsam etiam arcam portabat, in sequentibus iacintinas pelles, & vectes, & lucernas, & forcipes, & emunctoria, portare perhibetur, necnon fuscinulas, & tridentes, uncinos & batilla. Intuere ergo quod similis forma in ordinibus canonicorum, qui longe ab hominibus secedunt, jam custodiatur. quando & ipsi de populo Dei tamquam levitæ assumti, non æqualiter sacros ordines suscipiunt. Sed aliqui eorum ad ministerium sacerdotale attolluntur, aliqui ad diaconatus officium promoventur, nonnulli ad subdiaconatus gradum asciscuntur, aliqui etiam in acolythorum, exorcistarum, ostiariorum, lectorum ordine deputantur, vel ad extremum alii minus ad hæc agenda idonei, in ecclesia tantum ad clericatum suscipiuntur, unde etiam inter suos conversi appellantur. Qui vero in suo ordine profecerit, seniorum judicio, qui ante in minori ordine locatus fuerat, ab episcopo tamquam ab Eleazaro majorem ordinem suscipit.

Eorum varia officia.

34. Præter hæc etiam officia, quæ ab universali ecclesia exposcuntur, sicut in ordinibus dicitur, quod non illa aut illa ecclesia exposcat, sed postulat sancta mater ecclesia; sunt alia officia quæ pro vitæ merito unicuique distribuuntur, ut inde serviant non universæ ecclesiæ, sed fratribus suis, & hospitibus, & peregrinis, veluti est quod unus eligitur in abbatem, alter subrogatur in priorem, alter in eleemosynarium, vel coquinarium, vel cellerarium, & ut ad viliora descendam, alter alendis peccoribus deputatur, ut impleatur in eis etiam illud quod scribitur de Caathitis: *Filiis autem Caath non dedit plaustra & boves, quia in sanctuario serviunt, & cara propriis portant humeris*: sic & canonici qui longe ab hominibus secedunt, propriis humeris onera portant, cum & spiritualia quibusque servis Dei ministrant, & in carnalibus sibi ipsos ministrantes, victum sibi de manibus acquirunt, onera propriis portant humeris, cum & Deo militant in ejus sanctuario, id

Num. 7. 9.

A est in sancta ecclesia servientes, & quasi in utroque fortes & jugum Christi portant, nec a fidelibus decimas vel redditus, quod sacerdotum vel canonicorum, clericorumve est extorquent, licet aliquando datæ suscipiant, illos profecto imitantes, qui accepta potestate vivendi de evangelio quod prædicabant, laborabant tamen manibus suis, ne quem gravarent.

Jesu Christo comparantur

35. Intuere etiam dominum JESUM si aliquid egerit simile, & si forte quicquam quod canonicorum talium factis assimiletur, aliquo actu perpetraverit. Et quia tales canonicos filiis Caath comparavimus, qui tamen in ordine minorum sacerdotum erant, B præter summi pontificis familiam, non indignum videatur si utrisque JESUS noster comparetur, qui minoratus est etiam paulo minus ab angelis, & didicit ex his quæ passus est, obedientiam, ut esset sicut Caathitæ, non in se, sed in membris suis sub Eleazaro filio summi sacerdotis, qui interpretatur Deus adjutor meus. Pergens igitur ad passionem, susceptus est a Judæis, & eductus, & bajulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, hebraice Golgotha, ubi eum crucifixerunt. Primum C vide ordinem, quem etiam hic observavit JESUS. Nam & familia Caath, ut supradictum est, in majores & minores sacerdotes divisa erat, & pontifex summus ex eadem erat familia. Sic & JESUS fecit, obediens existens patri usque ad mortem, mortem autem crucis. Prius portavit crucem sibi quasi filii Caath altare aureum, ut ipse dignus existens summo sacerdotio, postea aram illam crucis, quæ omni auro & omni mundo pretiosior est, ascenderet, ut dolens pro nobis, & vulneratus propter scelera nostra, taliter gradu summi sacerdotii D juste potiretur, & acciperet nomen quod est super omne nomen.

39. Tu ergo qui canonicus es, & ob vitæ & professionis tuæ decorem longe te ab hominibus faciens, & propter hoc forsitan in sanctuario propinquis ministrans, vis gradatim vel virtutes JESU vel ecclesiastica sacramenta suscipere, ut ordo familiæ canonicalis exposcit, imitare & intuere JESUM meum non subito summa petentem, sed gradatim ad summa tendentem. Porta tibi cum illo crucem & ipsum sequere, & carnem tuam, si Christi es, cum E vitiis & concupiscentiis crucifige, & exiens cum illo extra castra, totum te in Calvariæ loco cruci affige, & quasi calvus totum caput, id est principale illud mentis tuæ a terrenis habens denudatum improperium ejus portare gaudeto. Taliter etiam conveniat tibi nomen Caath, qui alia interpretatione dicitur molares dentes, vel patientia. Ruminans enim dentibus interioris hominis tui verbum Dei, & confrin-

gens subtiliter, ut possis illud glutire, & memoriæ commendare, patientiam habens erga detractores & persecutores, & findens ungulam benignus in Deum, benignus in proximum, & ruminans Dei verbum, non sicut stultus qui deglutit illud, ita mundum animal fies, & JESU CHRISTI comedens carnem & sanguinem bibens mutaberis in ipso, & membrum corporis ejus efficieris.

37. Quod si quis objiciat Caathitas etiam aliis canonicis, vel sacerdotibus, vel ministris posse comparari, & rursum dominum JESUM crucem sibi bajulantem omnibus fidelibus suis, qui crucem ejus in se portant, posse conferri; & ego consentio, & hæc dicentem approbo. Sed non cuiquam grave debet videri, si illum propinquiorem sanctuario interiori judico, qui majorem laborem pro Christo assumsit, vel si illum paulo amplius Christo consimilem, quam me in ejus cruce portanda dixerim, qui majorem quam ego oneris illius piissimi partem arripuit. Cum enim me amplius vigilant, jejunant, laborant, algent, & ut ad digniora veniam, cum humiliores & pauperiores pro Christo sunt, sub sarcina illa piissima quasi altiores & fortiores in medio curvatos intueor; me autem cum ipsis sub ipsa sarcina quasi humiliore humeros submisisse, & manus posuisse, & brachia tetendisse, ut infirmior quod possem facere aspicio. Sunt enim ipsi tales, qui humilitatem integre & pure custodiant, ita ut quæ viliora pro fratribus agant, stabula, ut audivimus, mundantes, & cetera contemtibilium servorum officia perficientes. Non enim dedignantur stabula, vel boum, asinorumque præsepia mundare, cum legant in evangelio Dominum suum propter nos in præsepio dignatum jacere. Sectantur etiam & ipsi tantum circa adventantes hospitalitantem, & humanitatem, ut Abrahæ & Loth consimiles jure dicantur, qui aliquando angelos susceperunt, quia hospites dilexerunt. Habent etiam in victu & vestitu tantam austeritatem, ut Johannem Baptistam imitari videantur, qui natus de sacerdotali stirpe, consortia sæcularium fugiebat, & pilis cameli zonaque pellicea vestiebatur, & mel silvestre comedebat. Ne vero per multiloquium peccatum incurrant, juge silentium tenere, vel pauca loqui dicuntur, ut cultum justitiæ omnino sequantur. Laudo professionis hujus magnanimitatem, prædico erga corporis austeritatem, amo tantam eorum humilitatem, sed modum in omnibus tenendum esse pronuntio. Cum enim audio sacerdotes & ipsum etiam abbatem in hoc ordine canonicorum, qui longe vita & conversatione a sæcularibus se faciunt, in illo etiam ordine monachorum qui similiter secedunt, de quo superius tractavimus, lac de ovibus suis mulgere, stabula mundare, vix possum credere, sed tamen cum hoc vel tandem credo, humilitatem eorum veneror & admiror. Video enim illos hæc ideo agere, ut superbia in eis omnino confundatur, & humilitas erigatur.

Nota Præmonstratensium humilitatem & vitæ austeritatem.

38. Vellem tamen eos qui circa altare quotidie ministrant, & maxime illos qui quotidie pro officio sacerdotii corpus Christi tractant, ob reverentiam ipsius corporis, qua nihil mundius esse potest, ita non agere; sed aliis qui ad illa officia suscipienda in ecclesia adhuc idonei non sunt, hæc agendo relinquere. Nam & in libro numerorum, de quo superius aliqua memoravimus, cum secundum Dei præceptum tribus Levitica numeraretur, & ab uno mense & superius numerus ipse inciperet, & usque ad XXII. millia surgeret, tamen non sunt inventi a XXX. annis & supra usque ad L. annum, nisi octo millia quingenti octoginta, qui ad ministerium tabernaculi vel altaris possent assumi. quid igitur de his qui minores natu erant dicemus? Nihilne illi qui annorum erant XV. & XX. egisse dicendi sunt? Credo & illos, & credendum est virtutum habuisse exercitia, ut in minoribus probati & exercitati, decimas frustra non comederent, sed patribus suis obedientes & humiliter obsequentes, illis laxatis ab officio, unusquisque pro vitæ merito patri succederet. Ita & hic potest fieri, ut si sunt aliqui fratres in ecclesia, qui ad illa sancta tractanda adhuc minus idonei sint, in istis, quæ humilitatem exerceant, & superbiam frangant, exerceantur, ut postea emeritis senibus quiescentibus, & vasa id est ministros ipsos vel fideles quosque custodientibus jure succedant. Illi vero sua officia quæ munditiam maxime expetunt, in omnibus honorent.

Qui sacra mysteria quotidie tractant an humilioribus ministeriis exercendi.

39. Quod si mihi dicat aliquis, quia omnia munda mundis. Et ego faveo, sed requiro utrum indumenta illa quibus ad altare accedunt, munda etiam exterius esse debeant, vel qua cura corporalia & mantilia seu manutergia tractanda sint. Si vero munda ea esse oportet, sicut etiam in accipiendis ordinibus subdiaconibus injungitur, ut ea munda faciant, quanto magis manus quæ corpus Christi conficiunt, tangunt, elevant, portant, amplectuntur, aliis tribuunt, mundæ exterius servandæ sunt? Quod si mundare eis domos placet, habent etiam ipsi in hoc officium suum, ut mundare debeant ecclesiæ pavimentum, non equorum stabula. Lege in libro Machabæorum, ubi elegit Judas sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege, & mundaverunt sancta. Sanctus etiam Hieronymus in commentario Matthæi sacerdotibus exprobrat, quod cum debuissent parietes

parietes levigare, pavimenta verrere, vasa mundare, tunc faciebant consilium quo modo occiderent Dominum. Ecce habes in mundandis ecclesiæ parietibus vel pavimentis antiquorum exemplum, quos imitari humilitati non erit inimicum, & munditiæ reverentiæque, quæ corpori Christi etiam in exterioribus debentur, non erit adversum.

40. Quod si dicat aliquis ablutione aquæ illas sordes supra memoratas cito mundari, quid erit si talia inhæserint, quæ non cito recedant? Et quid de vestimentis quotidianis, cum quibus necessario ad altare acceditur, si talibus sordibus inficiantur? Non enim quotidie possunt ipsa mutari. Si vero dicat adhuc aliquis in interioribus, non exterioribus debere esse munditiam, & quia JESUS in regione nostra sordes exteriores, sicut famem & sitim pro nobis pati non repudiavit, amplector quidem humilitatem; sed dico sputa Judæorum jam non esse in facie JESU quæ pependit in ligno, nec me tale corpus Christi sumere, quale fuit cum esset passibilis, sed tale quale nunc est cum sedet ad dextram Patris. Tale corpus Christi credo, teneo, amplector, sumo, in visceribus interioris mei trajicio, & corpus illud intus & exterius, sicut animam ejus mundum præ omni munditia esse pronuntio, & amo circa corpus ejus venerationem, cujus caro non vidit corruptionem. Si autem placet eis tanta humilitas & sui dejectio, placeat eis & meus circa corpus Christi cultus & devotio; sed si prætendant nobis ex regula sua laborem manuum sibi injunctum; sunt multa quæ cum reverentia illa Dominici corporis possunt exerceri, ut est fodere, ligna & segetes cædere, plantare, seminare & his similia.

Regula quæ nomen Augustini præfert an sit illius.

41. Non hoc dico quasi reprehendam eorum humilitatem, quæ custos est ceterarum virtutum, quæque talibus indiciis propaletur; sed ostendo meam circa corpus Christi devotionem. Ipsi vero si aliud aliter sapiunt, hoc quoque illis Deus revelavit. Sane de regula illa, quam plurimi canonicorum, quia sic intitulatur, B. Augustini esse affirmant, audeo certum aliquid definire. Si enim dixero illius non esse, titulus ipse, qui ubique nomen Augustini tenet, contradicet mihi. Rursus si affirmare voluero illius esse, duo sunt quæ objici possunt, & a pluribus dicuntur, quia nec in libro Retractationum, ut ejus plures libri, posita est, nec modus verborum & styli gravitas illius Aurelii fuisse comprobat, quæ in illa regula plurimum desunt. Certius est illud quod de vita sua in libro Confessionum ipse ponit, quod factus presbyter monasterium clericorum mox instituit, & cœpit vivere secundum regulam sub sanctis A apostolis constitutam. Et illud quod de vita illius Possidius discipulus ejus scripsit. Nemo ergo pro regula illa socium viæ Dei esse prævaricatorem credat, quam illius auctoris fuisse multi dubitant. Sit vero omnibus canonicis unus affectus observandi quid quisque voverit, vel quod unusquisque in sua ecclesia, quod religioni non obviat, invenit.

VI. *De canonicis qui juxta hominum conversationem habitationem habent, ut sunt Sancti-Quintinenses, de Prato, Sancti-Victorienses.*

42. Quoniam in superioribus post mo-B nachos diversi habitus & ordinis, de canonicis, qui longe se ab hominibus faciunt, pauca pro viribus diximus, nunc ad illos canonicorum mores & ordinem veniendum est, quos quasi in medio positos inspicere possumus, ut nec sicut illi qui longius secedunt consortia hominum mundanorum omnino fugiant, nec sicut illi qui sæculares dicuntur, cum hominibus habitationem suam communicent. Proponuntur enim & isti ad morum humanorum correctionem, ut mali videntes eorum vitam a malitia convertantur, & conversi vel C talem vitam aggrediantur; vel si aggredi non possunt, diligendo & pro posse imitando, & eleemosynas impertiendo, pro susceptione justi, & pro calice aquæ frigidæ saltem dato in nomine discipuli mercedem utriusque accipiant. Et quoniam illud quod in libro Numerorum de tribu filii Levi scriptum est, per figuram canonicorum vitæ servire posse superius memoravimus, & remotos canonicos filiis Caath assimilavimus, nunc intueamur si Gerson vel filios ejus, qui quasi in medio positi videntur, tali canonicorum ordini per similitudinem æquiparare valeamus.

43. Ac primum quid nomen Gerson in-D nuat attendamus. Interpretatur autem Gerson Advena ibi. Intende diligentius, & tali nomine perspecto, si quid congruum vel officiosum inveneris, studiose notato. Intuere illum qui ait: ut *incola ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei,* & intelligere poteris servos Dei ubicumque sint, dum in corpore sunt peregrinari a Domino, & veraciter dici posse apud Deum esse peregrinos, qui sequuntur, ut comprehendant, & in via Dei cum Deo & apud Deum E ambulant, ut ad ipsum pervenire valeant. patres vero suos in hoc imitantur cum illorum vitam inspiciendo, quam longe a mundi voluptatibus sese fecerint, similia operando filios eorum se esse operibus ostendunt. Advenæ igitur sunt ibi, cum & Deum sibi locum faciunt, & longe se adhuc a cœlesti patria esse cognoscunt. Si vero melius tibi placet, ut quod dicitur Gerson interpretari advena ibi referatur ad illud

Psal. 38. 13.

Servi Dei in hoc corpore peregrinantur a Domino.

quod sancti viri habitant sæpius juxta homines mundanos, & ibi tamquam advenæ non tamquam indigenæ morantur: quia eorum conversatio non hic, sed in cœlo est. Habes & in hoc versum propheticum consonantem, ubi orat & dicit: *Incola ego sum in terra, non abscondas a me mandata tua.* Si vero advena ibi referatur de servo Dei ad ipsum Deum, sive de servo Dei ad mundum, utrumque illi servo Dei congruit, quia & in hac vita Deum sequitur, nec ut capit plene consequitur, & ideo apud Deum peregrinatur, & inter homines tamquam advena habitans, incolatum suum prolongatum esse, & habitationem in Cedar, heu! clamando congeminat. Si autem hanc interpretationem advenæ ad unumquemque fidelem inflectere possumus, quanto magis ad illos, qui hoc non solum vita & moribus tenent, sed etiam ipso habitu & conversatione, necnon etiam loco, ut nihil ab eo quod dicitur Gerson, id est advena ibi discrepare videantur? Habet ergo hæc interpretatio cum canonicis qui in civitatibus vel castellis vel villis habitant, nec tamen habitationi hominum sese immiscent, aliquam consonantiam, quæ & proprie de illis dicatur, & a ceteris fidelibus non removeatur. Et quia de loco & modo habitationis fecimus mentionem, sicut superius de monachis qui in civitatibus vel castellis degunt diximus, ut officinæ eorum habitationem hominum non respiciant, ita hic canonicis similiter faciendum esse decerno, & istis id est canonicis rationem illam quæ de monachorum habitatione reddita est, custodiendam esse pronuntio.

Psal. 118. 19.

Canonici regulares in urbibus habitantes Gersonitis similes.

44. Considerato igitur nomine Gerson, & interpretatione discussa, intelligi, ut credo, jam potest, quod Gersonitarum nomen a canonicis talibus, qui incolatum mundi actu & loco profitentur, non multum discrepare videatur. Jam vero officia Gersonitarum quibus in tabernaculo ministrant consideremus, si forte canonicis talibus eorum onera vel opera aptare valuerimus. Primum ergo inspiciamus quod a triginta annis & supra usque ad annum L. id est a perfectione virtutis usque ad mortificationem carnis & membrorum quæ sunt super terram, ministrare præcipiuntur, & quid postea sequatur intendamus. Considerandum etiam est, quod sicut Gersonitæ pro dignitate vitæ a summo sacerdote vel filio ejus Ithamar onera suscipiebant: ita & isti ab episcopo, pro ut quisque profecerit, vel in acolythorum sorte, vel subdiaconorum gradu, vel diaconorum dignitate, vel sacerdotum vigilantia promoventur. Et ne te turbet quod dicimus, Inspice diligentius lectionem Numeri & invenies alium quasi digniorem ea quæ ad altare pertinent & vasa ministerii deferre, velamen iacinctinum, aliumque cortinas tabernaculi, & tectum fœderis, & similia portare, & ut ad minora descendam, alios cortinarum atrii & velaminis quod in introitu est tabernaculi, funiculorumque portitores. Et ne putes indifferenter eos ista vel alia portare, subinfertur: *Et scient singuli cui debeant oneri mancipari.* Unde convenienter conjici potest, quod pro vitæ merito onerum erat distributio. Similis forma custoditur etiam nunc cum ab episcopo tales canonici ordines sacros, prout dignum videtur, quisque sortitur, & gradatim ad sacramenta ecclesiastica promoventur. Si vero te movet quod istos canonicos Gersonitis assimilamus, vigilanter attende, & illorum in lege ritum & istorum similiter propositum, & intelliges multam esse in utrisque convenientiam, quam etiam me non piget aliquatenus disserere. & quia illi sacrorum vasorum & omnium quæ ad altare pertinent portitores fuisse memorantur, intueantur quam congruum sit canonicis, qui in civitatibus & castellis & villis habitant, ut juxta homines manentes ad interiora quæ significantur, & per ea quæ ad altare pertinent, & per vasa ministerii propter seipsos resideant, & rursus propter alios ad exteriora respiciant. Intuere etiam sagaciter onera Gersonitarum, licet in illo libro indifferenter, ut credo, ponantur. quia aliqui eorum, ut dixi, interiorum, ut sunt illa quæ ad altare pertinent, curam habent: aliqui autem cortinas tabernaculi portantes & tectum fœderis, operimentum aliud non ita in interioribus, ut priores, morantur, illi scilicet qui vasa ministerii & ea quæ ad altare pertinent ferunt. Nec illi ergo Gersonitæ relinquantur, qui pene expositi & interiora pene relinquentes, tentorium quod pendet in introitu fœderis tabernaculi, cortinas atrii & velamen in introitu, quod est ante tabernaculum, portare memorantur.

Num. 4. 27.

45. In hac trina divisione Gersonitæ partiti, possunt significare canonicos qui in ecclesiis quæ juxta homines sunt professionem serviendi Deo faciunt, quorum quidam ab episcopis ordinati ad communes ordines ecclesiæ, sub manu abbatis sui, quasi sub manu Ithamar filii summi sacerdotis, vivunt, & provida dispensatione, prout ipse abbas unumquemque valere novit, unum introrsum, quasi circa altare & circa vasa ministerii manere præcipit: alium vero nec totum interius, nec totum exterius, quasi ad cortinas & ad tectum fœderis, quæ quidem ut credo in loco interiorum erant, sed de longe videri poterant pro merito vitæ deputat. Alium autem quem in exterioribus valere conspicit, quasi ad tentorium quod pendet in introitu fœ-

deris tabernaculi & ad cortinas atrii fidenter relaxat, & ut manifestius fiat quod dicimus, unus in claustro retinetur, ut in interioribus Deo serviat, alius in eodem loco curas fratrum suorum & hospitum vel peregrinorum suscipit, alius equidem ad obedientiam longe & ad parochiam dirigitur.

De canonicis regularibus parochias regentibus.

46. Et quia de parochiis quas ipsi suscipiunt susceptasque regunt fecimus mentionem, dignum est ut de hoc pauca dicamus. Nam audivi plerosque sacerdotes vel clericos laudantes quidem ordinem talium canonicorum, sed murmurantes, quod qui sæculum reliquerunt, rursus ad sæculi homines curandos remittantur, quasi dignum non sit eos sæcularia negotia vel propter se vel propter alios tractare. Quapropter illud primum intuendum est, quod eadem familia Gersonitarum cortinas atrii in ministerium suscipit. Atrium itaque extra tabernaculum erat & prope tabernaculum. Nam & atria domus extra domum sunt & juxta domum, domuique inhærent, ut nullus de domo egredi possit vel ingredi, nisi per atrium quod domui jungitur. Et attende quod illi qui cortinas atrii ferebant, illorum vitam, qui subtiliter ad ecclesiam venientes investigant, significare possunt. Illud etiam inspice, quod hæc familia cum vasis altaris cum funiculis & vasis ministerii, non nisi cortinas & tectum, sive velamina, vel tentoria & cortinas ibidem atrii portare memorantur, quæ omnia subtilia fuisse, si Exodum legeris, invenies: & quia similitudinem de hac familia ad canonicos qui juxta homines sunt trahere voluimus, primum intueamur officium familiæ illius quam mundum fuerit, & quam subtile. Quid mundius poterat inveniri cortinis tabernaculi cum factæ sunt, quid subtilius? Forsitan omnium servorum Dei munditiam præfigurabant, & subtilitatem sive in scripturis intelligendis indicant, sive in moribus coercendis vel suis vel aliorum, ne ab irruente iniquitate tamquam interiora tabernaculi a tempestate lædantur. Si igitur omnia hæc munditiam & subtilitatem servorum Dei indicant, quanto magis illorum, qui hoc & opere exercent & habitu vel habitatione testantur? Si enim tales canonicos prudenter inspicias, & eorum professionem consideres, invenies eos qui ex his intus in claustro resident, actus suos sociorumque subtiliter investigare, ne quid sit quod oculos divinæ majestatis offendat, eos etiam qui exterius, vel propter obedientiam, vel parochiam mittuntur, subtiliter vel suos actus vel sibi commissorum pensare, & super omnia circa ministerium altaris munditiam tenere. Si igitur, ut præmissum est, illi levitæ qui cortinas atrii ferebant, eos canonicos præfigurare possunt,

A qui exteriorum hominum facta subtiliter pensant, jam non erit absurdum, si canonici ipsi populum regant, qui eorum facta discutere, & sui officii respectu munda facere noverunt.

47. Si autem requiratur quare & ipsi servos habeant & ancillas, & cur sicut judices sæculares eos regant & protegant, superius de monachis hæc eadem agentibus ratio reddita sequi debet. De decimis vero quas suscipiunt, nulla quæstio esse debet, quia ut levitæ & sacerdotes quod suum est requirunt. Addimus etiam prædictæ rationi, B quod levitis, præcipiente Domino, urbes ad habitandum datæ sunt, & oppida sex in fugitivorum auxilia, & alia oppida XLVIII. cum suburbiis suis. Ex quibus omnibus liquet quod quidam levitarum in tabernaculo & circa tabernaculum versabantur, quidam vero longe positi populos remotos docebant quæ Dei sunt, obedientes summo pontifici & filiis ejus. Similem ergo formam canonici juxta homines positi custodiunt, quosdam in matrice ecclesia tamquam in tabernaculo retinentes, quosdam vero longe ad docendos & regendos populos dirigentes, ut de reditibus & decimis C fidelium & ipsi vivant, & quod superfuerit fratribus suis ad ecclesiam tamquam ad tabernaculum sacerdotibus & ministris referant. Si vero requiras quare ipsi Gersonitæ, id est advenæ ibi sub manu Ithamar filii summi sacerdotis, qui interpretatur amaritudo, constituantur, facilis patet responsio, quia qui advenas se in hoc sæculo noverunt, dum sunt in corpore a Domino peregrinantes, salutifera & a Deo data amaritudine patriam semper requirunt, & sic sub filio summi sacerdotis Ithamar, id est sub dilato desiderio patriæ cœlestis adipiscendæ, sub quadam amaritudine vivunt, D Deoque ministrant.

48. Ecce dum in umbra futurorum bonorum, id est in veteri lege canonicos vel levitas, sacerdotesque istius temporis adumbratos fuisse quærimus, & post illam umbram veritatem sequimur, ille noster JESUS nobis ad memoriam revocatur, qui non umbratice, sed veraciter de humana infirmitate natus, & juste vel regulariter inter homines vivens, & ideo merito quasi levites assumtus, sacerdos vel pontifex factus est in æternum secundum ordinem Melchisedech. Inquiramus ergo de illo, si E forte aliquid egerit, unde tales canonicos repræsentaverit. Lege illum diligenter in evangelio secundum Lucam proximum passioni euntem secundum consuetudinem in montem Olivarum: secuti sunt autem eum & discipuli, & cum pervenisset ad locum, dixit illis: *Orate ut non intretis in tentationem. At ipse avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis, & positis genibus orabat dicens:* Luc. 22. 40.

Pater, si vis, transfer calicem istum a me. Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi angelus de cælo confortans eum, & factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, & cum surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos, invenit eos dormientes præ tristitia, & ait illis: Surgite, orate, ne intretis in tentationem. Intueamur pontificem nostrum dominum Jesum qui penetravit cœlos, egressum secundum consuetudinem in montem Olivarum, ut omnibus se sequentibus suam misericordiam insinuaret. Egrediatur & canonicus de turbine hujus vitæ cum Domino, ut omnium misereatur, & sit omnibus omnia, ut omnes lucrifaciat. Et nota quod secundum consuetudinem in montem Olivarum egredi dicitur. Quis enim melius secundum consuetudinem in montem Olivarum egredi jure dicatur, quam ille Pater misericordiarum, qui est etiam mons montium, in quo placet Deo habitare usque in finem? Sic & canonicus debet facere, imitando illum qui tulit omnium vulnera, ut omnibus misereatur.

49. Sequuti sunt autem illum & discipuli volentes ire quo ille ibat; & non valentes, sicut Petro prædixerat. Infirmi enim adhuc erant. Hoc nobis sæpe contingit, cum bona coram hominibus facimus, ut imitatores nostri sint; sicut & nos Christi. Sequuntur autem nos sicut illi discipuli adhuc infirmi sequebantur Dominum, sed in omnibus nos sequi non possunt. Cum enim pervenerint nobiscum ad locum orationis, sicut illi discipuli cum Domino, & invitantur a nobis ad orationem ne intrent in tentationem, non possunt diu orare, non possunt diu nobiscum stare. Quid igitur nobis faciendum est? avellamur ab eis cum Domino quantum jactus est lapidis, id est ad perfectionem feramur quantum homo lapidem Christum imitari potest, relinquentes ad tempus populorum imbecillitatem, & pro eis orantes, ne Christi passionibus nobiscum valeant communicare. *Positisque genibus orabat dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me. Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Manifestum est omnibus hæc dicere Dominum, non propter se qui potestatem habuit ponendi animam suam & iterum sumendi eam, sed propter illos qui in hoc tabernaculo ingemiscentes, nollent exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale a vita. Quid igitur? Istam orationem quam Filius obtulit Patri, nullus jam fidelium & præcipue canonicorum vel quorumlibet Dei servorum dicere potest? Potest, ut credo. Licet enim in Dei servitio magis exercitato infirmioris personam in se suscipere, sicut & Dominus clamat caput pro membris; nec

Luc. 22. 41.

A est absurdum, si majus membrum clamet pro minore, sicut non est absurdum majorem digitum minorem tegere & defendere. Dicat ergo perfectus quilibet, dicat & canonicus, qui cum infirmo infirmatur, cum scandalizato uritur, & oret suscipiens in se personam alterius: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste.* Video enim fratres meos viscera mea multum trepidantes relinquere usum pristinum, & precor ut a visceribus meis transeat calix iste inveteratæ consuetudinis, relinquantque mundum qui transit cum concupiscentiis suis, & relinquat & transeat ab eis calix qui mixtus est mero in calice iræ Dei, recedatque ab eis, moriaturque in eis calix Babylonis, id est cupiditatis sæcularis, ut possint & ipsi suscipere calicem salutarem, & nomen Domini perfecte invocare. Quod si fieri non potest, quod volumus omnes homines esse sicut nos ipsos, non nostra voluntas, sed tua fiat, qui cujus vis misereris, & quem vis obduras, & perfectos id ipsum sapere facis, & imperfectum nostrum viderunt oculi tui. Non enim qui adhuc perfecti non sunt omnino peribunt, sed credentes salvi fient. Hæc dicens canonicus qui forte ex præcepto abbatis sui regit plebem Dei, vel qui interius manens pro plebe Dei orationem fundit, perfecte potest dicere, ut credo, illam dominicam vocem, fratris sui infirmitatem suam esse deputans. Si autem & hoc communiter dicat, & pro se & pro aliis videbitur orare, ut passiones peccatorum quæ operantur in membris nostris, ut fructum ferant mortis, transeant a nobis, ut liberati a peccato tamquam a calice mortis, vota nostra reddamus in atriis domus Domini in medio Jerusalem. Quid autem dicemus de tali canonico vel levita? Numquid ipse quem invocat & cui obtemperat Pater spirituum, relinquit eum inconsolatum? Non. Vide ergo quis effectus illam dominicam orationem sequatur: *Apparuit autem illi angelus de cœlo confortans eum.* Apparet etiam nobis nunc magni consilii angelus, Panis ille qui de cœlo descendit, ut cor hominis confortaret, cum pro nobis & pro ejus populo supplicamus, effectum orationibus nostris præbendo, & ut sine intermissione oremus confortando, & ne quid in oratione deesset, quod in capite Christo Jesu non procederet. Ibid. 43.

50. Vide ipsum in oratione laborantem: unde etiam sequitur, *Et factus in agonia prolixius orabat.* Quid igitur est quod Dominus meus Jesus orans Patrem in agonia fit, nisi hoc quod nos cum oramus, & ipso cum effectu nostræ orationi præstito apparente nos confortante, aura illa sæcularis cogitationis, vel carnalis infirmitatis, seu favor humanæ laudis exagitare cupit, & ab oratione divellere? Quapropter agon ille Ibid.

ille quem assumsit Jesus, arripiendus est, licet alio modo, ut refugiamus illa sæcularia & carnalia, & prolixius orantes, turbines cogitationum fluitantium superemus.

Ibid. 44. 51. Sequitur: *Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Primum inspice Dominum Jesum in agonia prolixius orantem, sudore suo laborem orationis commendantem. Deinde intuere ipsum sudorem ad instar sanguinis fluentem in terra, ut labor orationis ejus laboris nostri esset initium, & sudor ejus testimonii nostri quod pro Jesu testificamur, & ad terram, hoc est ad terrenos homines velut passu quodam decurrit, fieret incitamentum. Si enim inspicias vigilantes nos & orantes, quomodo stupeant homines, & dicant supra se esse quod agimus, intelliges laborem nostrum pro testimonio Jesu velut sanguinem, id est passionem fluxisse & pervenisse ad terram, cum homines orationes & vigilias nostras magnam esse judicent passionem.

Ibid. 45. 52. Et vide quid sequatur sudorem illum sanguineum: *Et cum surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos, invenit eos dormientes præ tristitia.* Quid autem est quod cum Jesus orat, discipuli contristati dormiunt, nisi quod nobis orantibus & in orando laborantibus, homines illi adhuc infirmi, & ad imitationem nostri assurgere adhuc non valentes, sopiuntur tamen jam a voluntate carnali. Tristitia autem quæ eos sequitur & dormire facit, quid est aliud quam pœnitentia peccatorum, quæ mentem terret & a peccato dormire facit? Quæ cum superno respectu contingit, tunc veniendum est cum Jesu ad discipulos, hoc est ad homines adhuc infirmos. Tunc increpandi, tunc admonendi, tunc excitandi, tunc dicendum est eis quod in sequentibus dicit Jesus: *Quid dormitis?* Plus vos oportet facere quam mala & cupiditates mundi (Ibid. 46.) relinquere. Salubris est quidem sonus iste, quiescere scilicet secundum Isaiam agere perverse; sed videte quod dictum est: *Declina a malo & fac bonum*; & illud quod sequitur in eodem propheta: *Discite bene facere. Surgite* ergo *& orate ne intretis in tentationem.* Si enim trepidi fueritis, Dominus Jesus evomens vos ex ore suo, patietur vos induci in tentationem, quam ferre non poteritis, sicque a via Dei deviabitis. Ecce illa quæ fecit Jesus verus levita verusque sacerdos propinquus passioni & orans diutius, canonicis qui juxta homines sunt, bene, ut credo, aptari possunt; quæ canonicus observans recte regularis poterit appellari: & si regimen super homines sæculares habuerit, & ad bona eos provocaverit, non poterit ab aliquo proinde judicari. Sed dum meum Jesum qui fons est & origo totius boni, istorum etiam cano-

(Psal. 36. 27. — Isa. 1. 17.)

A nicorum opera suscepisse conjicio, mens reminiscitur illorum qui in primitiva ecclesia Jerosolymis morabantur, quos sancti apostoli corporaliter propter prædicationem evangelii relinquentes, mente quidem cum eis morabantur, & tempore famis quæ facta est sub Claudio, de eleemosynis credentium, ut in Actibus eorum legitur, sustentare satagebant. Quæ si recte inspicias, videbis canonicos qui juxta homines sunt similia agere, cum & illi qui interius quasi qui in Jerosolymis morantur, illos qui exterius vel propter prædicationem & regimen, vel propter obedientiam sunt, orationibus suis comitantur. Illi vero qui exterius, quasi apostoli per mundum sunt, interius Deo servientes magnificant; & ne causam progrediendi & minus orandi habeant, de eleemosynis fidelium reficere non desinunt.

53. Sed & illud attende quod Gersonitis, de quibus paulo antea loquebamur, plaustra & boves dati sunt, ut illorum infirmitas relevaretur, nec sub onere suo deficerent. Quid enim sunt vehicula, nisi infirmitatis nostræ remedia? Habemus ergo plaustra, habemus & boves, quibus onera quæ in domo Domini suscepimus, feruntur, cum perfectæ orationi studentes, plaustrum nostrum, id est volubilitatem, & mortalitatem nostram per boves, id est per prædicatores vel operarios exteriores cum oneribus nostris, id est cum laboribus serviendo Deo circumducimus. Per illos enim, qui nobis in exterioribus rebus ministrant, oratio nostra multum juvatur, quia vix fieri potest, ut perfecte quis orationi studeat, qui mentem vel exterioribus rebus vel corporalibus occupat. Quod si quis etiam hoc agere prævalet, quia in ecclesia tam perfecti viri non desunt, cum Apostolo laudet Deum, qui manibus laborabat, ne quem gravaret, & fratrum memoriam semper in orationibus habebat, sicut ipse de Romanis se agere perhibet. Utuntur autem isti potestate sibi concessa, habentes licentiam, ut qui evangelium annuntiant, de evangelio vivant, scientes non esse magnum, quandoquidem ipsi spiritualia seminant, si populorum carnalia metant.

55. Si autem quis mihi objiciat quod multi in his sunt qui evangelium annuntiare nesciunt, sicut sunt simplices quique, vel conversi. De hoc respondeo, quia qui bene vivit & propositum bene vivendi habet, professionemque suam quantum potest sequitur, de hoc recte dicitur quod evangelizat, id est bona annuntiat. Melius enim mihi annuntiare videtur, qui bene vivit, quam qui bene loquitur. Ille enim pro bono opere vel bono odore accipiet remunerationem. hic autem qui scivit voluntatem Domini sui, & fecit digna plagis, va-

Melius annuntiat evangelium qui bene vivit, quam qui bene loquitur.

pulans multis accipiet damnationem.

Excusantur qui manibus non laborant.

56. Quod si aliquem movet quod plerique canonici, ex his dico qui juxta homines mundanos habitant, non laborant manibus, primum possumus breviter respondere, quod dicit Apostolus: *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est: pietas autem ad omnia utilis.* (1. Tim. 4. 8.) Quod enim dicit ad modicum esse utilem corporalem exercitationem, ostendit quidem illam aliquantulum valere, sed non adeo, ut super hoc præceptum alicui imponat, vel si non laboret corporaliter, deteriorem judicet. Pietas autem, quam ad omnia utilem esse denuntiat, in canonicis qui juxta homines morantur, a magistris tunc maxima exhibetur, cum in claustris retinentur, ne progredientes mundana juxta se posita videant, quibus visis in illis hæreant, & infirmas mentes molliant, & tali visu dispereant. Nam LAUS claustralium esse solet, si diu in claustro fuerint, si mundana videre contemserint. Si autem & hi qui in claustro sedent aliquid manibus operari volunt, bonum hoc esse pronuntio, & otiositatem ab eis sicut a ceteris amputandam esse judico, dicens cum Apostolo: *Qui non vult operari, nec manducet.* (2. Thess. 3. 10) Hoc enim ita intelligo, quod hoc non solum de laboribus manuum dicatur, sed etiam de omni opere quod ecclesiasticis viris congruit: quod qui non fecerit, non manducet. Beata ergo judicanda est illa vita, quæ in claustro sedens, & a mundanis semetipsam quodammodo incarcerat, & in cœlestibus seipsam dilatat. Nec ille qui laborat manibus, jactet se super eum qui sedendo laborat, quia in utroque laborem inesse constat. desidiosi judices sunt, qui laborando manibus deficiunt, & sedendo in claustro topescunt. testis est etiam nostra infirmitas, quæ laborando lassatur, & contemplando divina quam citius ad humana redigitur. Si vero his talibus qui in claustro resident, & prope homines sunt, aliquid operari placuerit, non longius hujusmodi fratribus est procedendum, sed circa habitationes suas operandum. Hæc de canonicis qui juxta homines habitant pro posse dicta sufficiant.

VII. *De canonicis qui inter homines sæculares habitant, & sæculares dicuntur.*

57. De canonicis qui remotius vivunt, sive de illis qui juxta homines morantur, superius reddita ratio, ad loquendum de his qui inter homines habitant nos invitat, quorum professionem & actus describere & volumus & formidamus. Si enim eos laudare voluerimus, sanctioris propositi viros timemus offendere, qui eos multotiens reprehendunt: si vero vituperare, verendum est, ne fratres nostros in eadem fide & christiana devotione viventes, populumque Dei regentes contristemus. Nolumus autem, nec nobis conceditur ante tempus quicquam judicare. Vidimus enim & adhuc videmus multos tales canonicos, qui inter homines vivunt, propter quod & sæculares vocantur, suscepta bona ab ecclesia fideliter pertractasse, & simplici victu & vestitu contentos, reliqua pauperibus erogasse, multaque bona vel ecclesiis vel indigentibus fecisse. (Multi canonici sæculares sancte vivunt.) Quapropter relinquentes quidem quæ faciunt, & minus Deo placere videntur, ut sunt vestes pretiosæ, quibus plerique eorum utuntur, & domus superfluo ornatu depictæ, necnon negotia quæ plerique eorum plus justo sæculariter exercent, ostendere tentemus, Deo auxiliante, quid professio eorum contineat, quod in ecclesia habeant officium, unde Deo placeant, quem locum in ejus tabernaculo teneant, si tamen quod suum est impleant. Non enim hoc opere statui aliorum facta mordaci stilo carpere, sed uniuscujusque professio quid boni habeat, & quid simile cum antiquis sanctis, vel cum ipso Domino demonstrare.

Canonici sæculares unde dicti sæculares.

58. Ac primum ipsum nomen quo sæculares vocantur, quod multis videtur non in prosperum eis cedere, si possumus, vertamus eis in bonum. Intueamur ergo apostolum Paulum in epistola ad Hebræos, ubi de priori testamento loquitur: Quod *habuit*, inquit, *justificationes culturæ & sanctum sæculare.* (Heb. 9. 1.) Ut enim in quodam libro inveni, sanctum sæculare locum vocat atriorum, ubi gentiles ad Judaïsmum transeuntes stabant ad adorandum post Judæos, quem sine dubio sacerdotes & levitæ custodiebant. Inspice ergo & istos quos vocamus sæculares canonicos, si non atria ecclesiæ forensia custodiunt, si non impuros quosque & vero Judaismo, hoc est veræ fidei confessioni repugnantes, a sanctificatis locis arceant, & excommunicando pro auctoritate sibi tradita expellant. Quibus diligenter perspectis, intelligere poteris non ex hoc eis competere sæculare nomen, quod plerique ex his sæculariter vivant; sed congruenter ideo vocari sæculares, quod sæculi homines inter quos vivant regere & informare debeant. Bene igitur facient, si de communi vivant, si superflua a se resecent, & ita canonici, id est regulares recte vocabuntur. Optime etiam facient, si commissas sibi oves, id est sæculares homines, fideliter gubernare studuerint. Ita enim nomen sæculare eis parum oberit.

59. Dico etiam in nullo debere discrepare eos ab his qui juxta homines morantur, nisi forte quis dicat eos plus debere laxari, & plurima loca frequentare, ut pluribus prodesse possint, qui super plures primatum accipiunt. Ceterum in aliis rebus, id est in vestitu & habitu & moribus, decerno consimiles esse debere; sed tamen ita

temperate de eis loqui debemus, ut quod in eis corrigendum est, & continuo corrigi non potest, quia ita inolevit consuetudo, toleretur. quod vero in eis bonum est, & acceptum Deo, laudetur. Relicta igitur mordaci reprehensione, quæ auditoribus forsitan scandalum generaret, & illis canonicis nihil forte prodesset, consideremus eorum in ecclesia officium, intueamur & locum, & ex libro Numeri, ut proposuimus, similitudinem horum trahamus. Et quia filios Caath, qui remotius & secretius Deo in tabernaculo ejus serviebant, remotioribus canonicis assimilavimus; & Gersonitas, qui aliquid interius in officio habebant, canonicis qui juxta homines sunt, & plus interius & minus exterius habent, comparavimus; nunc de filiis Merari, qui & ipsi interius & exterius in tabernaculo Dei ministrabant, ad canonicos, quos secundum rationem superius dictam sæculares appellari volumus, similitudinem trahamus.

Filiis Merari comparantur.

60. Primum autem videamus quid Merari nomen indicet, & postea quomodo canonicis talibus conveniat agnoscamus. Merari enim interpretatur amaricans, sive amaritudo, & isti canonici similiter qui populos regunt, qui immundos de ecclesia expellunt, qui redeuntibus ad ecclesiam pœnitentiam indicunt, qui omnia transitoria despicienda prædicant, qui iniquis pœnas inferni, nisi resipuerint, proponunt; quid aliud quam amaricantes dici possunt? Amaricant enim seipsos cum mala & peccata sua vel populorum in se commissa vel aliis illata deplorant, amaricant & sibi commissos, cum eos pro culpis de cœtu fidelium expellunt, vel cum satisfacientes pœnitentiæ laboribus onerant; & quia ex operibus eorum officia cognoscimus; videamus a quo tempore onera ferre incipiant, ut postea quæ sint eorum onera perpendamus. nam & ipsi a xxx. annis & supra usque ad annum quinquagesimum ministrare sicut ceteri præcipiuntur, ut in eis & perfectio virtutis & mortificatio carnis inesse debere monstretur.

61. Portant autem tabulas tabernaculi & vectes, columnas & bases earum, columnas quoque atrii cum basibus & paxillis & funibus suis. Omnia vasa & suppellectilem ad numerum accipiunt, præcipiente Domino, & sic portant. Si consideremus diligenter Meraritarum onera, inveniemus ea fuisse gravia. Quamobrem & illos in veteri lege fortes in præceptis Domini custodiendis fuisse oportet, quibus tam gravia & tam digna onera commissa sunt. Si autem illi in præceptis Domini fortes dicendi sunt, qui in umbra futuri Deo serviebant, quanto magis illi qui in veritate ecclesiam ejus supportare in officio susceperunt? Et si quem movet quod filios Merari canonicis qui inter homines vivunt assimilamus, & illorum onera officiis istorum comparamus, intendat diligenter si aliquid congruum hæc dicentes invenimus, & quia superius diximus Meraritas interius & exterius ministrasse, vide si non etiam canonici qui inter homines sunt hoc faciunt. Ministrant enim interius cum in ecclesia officia ecclesiastica gradatim accipiunt, ut in domo Dei quotidie illi serviant, ministrant & exterius, cum plebes Dei ad ecclesiam advocant, instruunt, præcepta injungunt. quid unoquoque die in ecclesia facere, quid in domo, quid in agro debeant, utrum vacare an operari, jejunare an manducare possint indicant. Præterea contemtores dominicorum præceptorum suorumve de ecclesia expellunt, correctos revocant, incorrectos condemnant, ut ne ad mortem quidem communionem accipiant, ne sepulturam in sacratis locis habeant. Talia autem officia quæ enumeravimus, intus & foris, ut pespicuum est, canonici qui dicuntur sæculares exercent. Unde merito tales, si officium suum bene impleverint, portitoribus tabularum tabernaculi & vectium, columnarum & basium, columnarum quoque atrii, basiumque & paxillorum & funium adæquari possunt. Tabulatum etenim tabernaculi portant cum sanctorum patrum opera & scripta, quibus ecclesiam Dei portaverunt & decoraverunt, populis sibi commissis ad exemplum proponunt & docent, quia sicut tabernaculum super tabulas innitebatur affixum, sic ecclesia stat innixa verbis & operibus apostolorum & prophetarum. Portant vectes quibus tabulæ firmabantur, ut structura superimposita non moveretur, cum testimonia & præcepta, quæ data sunt nobis custodienda, ut in eis firmiter hæreamus, populis proponunt. Ferunt & columnas cum doctores qui prophetas & apostolos secuti sunt, qui etiam ipsi ecclesiam Dei portaverunt, populis imitandos esse edocent. Bases quoque columnarũ deferunt, cum regimen quod ecclesia semper habuit plebibus ostendunt. Basis enim dicitur rex. Et attende diligenter quod postea de Meraritis sequitur, quia columnas atrii per circuitum cum basibus & paxillis & funibus suis portant. Cum enim superius tabulas tabernaculi & vectes & columnas & bases portare dicebantur, demonstrabatur eos in interioribus tabernaculi aliquid habuisse officii. Cum vero columnas atrii cum basibus & paxillis & funibus portare memorantur, potestatem super plebes quæ ad tabernaculum conveniebant & extra tabernaculum erant, tenuisse indicantur. Neque enim structuram atriorum ferre, & in

ordinate in atriis se habentes non cohibere poterant.

62. Unde quia istos Merari filios canonicis qui sæculares dicuntur assimilavimus, videndum est, quia sicut illi in tabernaculo Dei deserviebant, & rursum extra tabernaculum atria custodiebant, sic & isti interius Deo servire & contemplationi studere debent, & exterius propter alios sibi commissos militare, & onera aliorum deferre oportet. Debent etiam sibi subjectis plebibus hærere & sibi commissos non deserere. Hoc enim per paxillos tabernaculo affixos designatur. Funes etiam tabernaculi portare præcipiuntur, ut se sibique commissos caritate mutua astringant. His igitur omnibus perspectis, inspicere potes canonicos quos dicimus sæculares, si officium suum quod habent in ecclesia bene custodierint, & professionem suam quam ecclesiæ Dei faciunt observaverint, non dici debere sæculares, quod sæculariter vivant, sed quod sæculi homines regere debeant. Si enim primum consideremus parentum ipsorum devotionem, qui filios suos erudiendos in ecclesia offerunt, & si intueamur quales sancta ecclesia post suam doctrinam eosdem postulet ad gradus ordinum promovendos, intelligere poterimus eos non sæculariter debere vivere, qui ideo docentur, ut speculatores domus Israël postmodum ponantur. Sed nec illud omittendum est, quod filii Merari, sicut in Numeris legitur, omnia vasa & suppellectilem ad numerum accipiebant cum ceteris oneribus, sicque portabant. Hic intelligi potest etiam illud quod superius de aliis familiis levitici ordinis diximus, licet hic non aperte referatur, quod unusquisque pro vitæ merito officium in tabernaculo Dei sortiretur. Neque enim æstimo sibi conferri debere eos qui tabulas tabernaculi & bases & columnas & vasa ferebant, & eos qui supellectilem in ministerio suscipiebant; sed etiam illud videndum est, quod hæc familia cum dignioribus officiis etiam supellectilem accipiebant, ut intelligant hi quibus hanc levitarum familiam comparamus, sui officii esse, ut nihil quod minimum sit in ecclesia, quod ad se vel ad populos sibi commissos pertineat, debere contemni; sed summo studio agere, ut omnia ordinate & secundum Deum fiant. Quo enim super plures potestatem accipiunt, eo magis plura & majora & minora curare debent, reminiscentes quia cui multum commissum est, multum requiretur ab eo.

De parochiarum administratoribus.

63. Sed ne illos quidem sacerdotes relinquere debemus, qui a pontificibus ordinati, tamquam ab Aaron & filiis ejus, ad parochias gubernandas ab episcopis vel eorum ministris mittuntur, & illis obedientes existunt. Non enim debet eorum vita a canonicorum, id est regularium conversatione discrepare, sed ordinate & regulariter, ut rectores populorum decet, inter sæculares homines vivere. Convenit etiam his, ut ubicumque inter homines habitant, & ipsi & familiæ eorum se religiosius habeant, quam ceteri plebeii homines, ut in omnibus actibus suis officium suum & ordinem honorent, & eleemosynas fidelium non frustra comedant; sed in omnibus Deum laudabilem faciant.

Similitudo eorum in antiquis.

64. Si autem requiratur a me & horum in antiquis similitudo, habes superius eos per illos levitas qui columnas & bases atrii ferebant significatos. Nam & atrium in quo mundi homines ad orandum conveniebant juxta tabernaculum, potest universalis ecclesiæ latitudinem significare, quæ ubique per mundum diffusa, tamquam atrium amplum seipsam præbet, & portitores suos, id est rectores quasi columnas & bases ferentes habet. Habes etiam illud exemplum superius memoratum, ubi dictum est quod cum sex civitatibus fugitivorum XLVIII. oppida levitis sunt distributa, quod posse significare eos qui ad regendos populos & tuendos ab impiis, longe a principibus sacerdotum mittuntur, superius demonstravimus. Quid etiam nunc de his congrue potest intelligi? a matrice enim ecclesia quasi a tabernaculo & a pontificibus quasi a filiis Aaron accipiunt potestatem regendi populos.

De clericis non canonicis.

65. Si autem requiras a me de illis qui solummodo clerici vocantur & canonici non sunt, quomodo vivere debeant, legere potes Hieronymi librum ad Nepotianum, & alium ejusdem ad Oceanum. lege etiam Isidori libellum de ecclesiasticis officiis, & videre poteris qualiter se agere debeant. Sed ut ad canonicos de quibus nobis sermo est redeamus, ne illud quidem omittendum est, quod duo tantum plaustra & quatuor boves filiis Gerson ad deferenda onera dati sunt. His autem, id est filiis Merari, IV. plaustra & VIII. boves tributa sunt. Forsitan enim per hoc ostenditur, quia sicut Gersonitæ minus terrena curabant, & minus a terrenis hominibus recipiebant; sic canonici qui juxta homines sunt, quos per Gersonitas significari posse diximus, quia minus terrena curant, minus a terrenis recipiunt. Filii autem Merari, qui illos canonicos significant, qui de sæcularibus hominibus magis solliciti sunt, plura adjumenta a sæcularibus accipiunt, & per hoc illos indicant, qui sæcularium multiplicius curam gerentes, majora bona temporalia ab eis accipiunt.

66. Si autem tacitus quis apud semetipsum dicat, quare ergo canonici qui dicuntur sæculares, in matricibus ecclesiis positi, potestatem super alios etiam sanctioris propositi

positi viro, id est super canonicos & monachos habent, & quasi primi in tabernaculo Dei sunt, cum etiam religiosioribus præcepta injungunt, sicut faciunt decani & archidiaconi. De hoc breviter possum respondere, quia canonicalis ordo antiquitus aliquantulum tepuerat, & oportebat ut illi qui de hoc ordine inveniebantur, regendas ecclesias plebesque susciperent. Nunc autem si aliis etiam canonicis sanctioris propositi & monachis præsunt, non se debent efferre, quasi digniores sint, sed modeste se habere, & illos credere digniores, quos Deus magis, postposita sæculari sollicitudine, sibi paucisque sibi commissis servire elegit, & temporalia parum curare. Perspice etiam Meraritas sub manu Ithamar filii Aaron summi sacerdotis, qui interpretatur amaritudo, esse constitutos, ut intelligant canonici, qui Meraritis assimilantur, potestatem quam super plebes Dei habent, non sibi debere dulcescere, sed cum necessitas exercendæ potestatis incumbit, propter subjectorum obstinationem, tunc debere tristari & amaricari, & cum timore & tremore suam ipsorum salutem operari.

67. Ecce de canonicis qui dicuntur sæculares, ut potuimus, secundum umbram veritatis, id est veterem legem loquuti sumus, quid de his etiam secundum ipsam veritatem quæ Christus est dicemus? Consideremus illum levitam vel sacerdotem, quem Pater sanctificavit & misit in mundum, si aliquid fecit quod canonicorum talium professioni & ordini congruere possit. Pascha celebraturus, immo ipse verum pascha futurus, quia pascha nostrum immolatus est Christus, in civitatem hoc fecit parari, dicens discipulis: *Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum in quam intrat, & dicite patrifamilias domus: Dicit tibi magister: Ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem? & ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate. Euntes autem invenerunt sicut dixit illis, & paraverunt pascha.* (Luc. 22. 10.) Repetamus ab initio capituli hoc quod proposuimus, & conferamus discipulos domini Jesu ex præcepto Domini introeuntes in civitatem, canonicis qui inter homines habitant, ut pascha celebrent, id est transitum de morte ad vitam faciendum hominibus sæcularibus proponant. Ipse enim ingressus eorum civitatem, filium pacis demonstrat per ministros ecclesiæ suæ inter homines quærere habitaculum: quod fit quando canonici vel quilibet servi Dei ab hominibus suscipiuntur. Homo vero qui discipulis in civitatem introeuntibus cum amphora vel mensura aquæ occurrit, potest indicare eos qui venientibus in aliquo loco Dei servis, modum mundationis & sanctificationis, quo indigent, ostendunt, seque per gratiam Dei jam esse habiles, ut Christus in hospitium ubi manent dignetur intrare, & pascha verum cum servis suis celebrare. Et notandum quod ille qui amphoram portabat, paterfamilias erat, sed quasi unus e familia, qui jam aquam ministeriis paschalibus deferret. Unde credo illum patremfamilias hospitalem fuisse, quicumque ille fuerit, & servum talem ad aquam misisse, qui adventantes benigne susciperet, & in domum domini sui fidenter deduceret. (Hospitalitas commendatur.) Deduxit autem eos in domum, non solum in domum inducens, sed etiam quia hospitales esse debeant indicans. Ideo enim dominus Jesus discipulis præcipit, ut eum in domum in quam intrat sequantur, id est ut hominem sæcularem & jam hospitalitati deditum, ipsi qui religiosi videntur, imitari debeant. Si enim aliquod bonum opus sæculare habent in quo præcellant, in hoc etiam sanctis viris imitabiles sunt. Nam sunt multi tales in sæculo sancti viri, qui Deum in cordibus habent, opera Dei faciunt, sicut fuit Cornelius centurio, qui antequam baptizaretur, erat faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper; unde contigit ut post visionem angelicam Petrum discipulorum Domini principem hospitio susciperet, & baptismum ab eo perciperet. Sic & multi alii in sæculo servi Dei bona opera faciunt, sed venientibus ad se religiosis viris in bono opere perficiuntur, sicque salvantur. Sæpe etiam contingit servis Dei, ut venientes ad aliquem locum Dei servitio aptum, statim inveniant aliquos ibi qui eos suscipiant, a quibus etiam locum ad habitandum accipiant, ut ibi Jesus cum discipulis pascha manducet, & sacramentum corporis & sanguinis sui quomodo celebrari debeat instituat. Unde & subditur: *Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate.* (Luc. 22. 12.)

68. Hic inspicere licet ad cœnaculum magnum stratum mentem eorum qui Christum pauperem cum servis suis suscipiunt, & in suis habitationibus ad ædificanda monasteria locum præbent, mentem jam a terrenis elevatam habent: unde dicitur quia ipse homo cœnaculum ostendit, quod in superioribus semper constat. Magnum vero est, quia dilatato suo animo illud offerunt. Stratum vero, quia ad omnia pro nomine Domini prædicando & dilatando paratum est.

69. Sequitur vero in evangelio: *Euntes autem discipuli invenerunt sicut dixit illis, & paraverunt pascha.* (Ibid. 13.) Cum enim servi Dei veniunt ad civitates, & loca ubi Christiani morantur, si veraciter Dei servi sunt, inveniunt fideles qui eos suscipiant, qui eis

ad serviendum Deo loca præbeant, ut ibi A pascha præparent, id est homines inter quos vivunt, de morte ad vitam transire doceant. Tale pascha desiderat JESUS cum discipulis manducare, ut faciat in hominibus voluntatem ejus qui misit illum, & ut perficiat opus ejus.


70. Sed dicit mihi aliquis: Quam convenientiam ostendis de hoc capitulo evangelico ad canonicos qui inter homines vivunt? Numquid ista omnia non possunt habere alias significationes, & aliis servis Dei congruere? Respondeo ad ista: scio quidem hæc ab expositoribus sanctis aliter pertractata, sed in his est quiddam canonicis istis congruum, quia & JESUS cum discipulis introivit in civitatem, & mansit in domo quadam civitatis, & hoc in cœnaculo illius domus, & ibi cum discipulis pascha celebravit, & sacramenta corporis & sanguinis sui tradidit. Perpende igitur canonicos qui inter homines vivunt, si non similiter faciunt vel facere debent. Introeunt enim in civitatem, ut pascha celebrent, id est viam de morte ad vitam sequendam ostendant, manent in domo cujusdam, cum unius præ ceteris devotio eisdem domum ad habitandum facit, vel in professione sua, & ecclesiam & domum faciendam concedit. Ostendit & cœnaculum magnum stratum, cum talem locum aptum supernis officiis demonstrat. Potest etiam iste quidam homo evangelicus plures indicare vel plures esse, sed unus dicti sunt, propter unanimem erga Deum & servos ejus voluntatem. In tali etiam loco pascha a discipulis præparatur, & ab JESU desiderabiliter manducatur, cum mansiones fratribus Deo servientibus aptantur, ut in conventu fratribus psallentibus & orantibus, & in nomine domini JESU congregatis, in medio eorum deambulans ipsorum profectibus reficiatur.

Excusantur canonici sæculares quod in domibus singularibus habitent.

71. De domibus etiam communibus, quas plures eorum non habent, si a me requiras, quid respondeam nescio, nisi forte quis velit dicere eos & singulatim posse manere, & de communi posse vivere. Hoc enim & apud antiquos eremitas invenimus, quorum plerique per cellulas suas manebant, & tamen de communi vivebant. Si autem hic similiter fieret, nihil aut parum cellulæ vel domus divisæ obessent. Sed cum unusquisque familiam aggregat, insuper & mulieres secum manere permittunt, tu ipse vides quid inde contingat. Sed ut aliquid etiam congruum de habitationibus eorum dicamus, quorum bona laudare volumus & diligere, in pluribus locis ipse locus habitationis eorum ecclesiarum fabricæ est contiguus, & claustrum appellatur. Audivimus etiam in pluribus locis observari, ne quid in toto illo spatio sæculare agatur, ne quid a quoquam jocosum aut minus religiosum fiat. Feminas etiam ab illis locis arceri, & gratias Deo, quod etiam in hoc ordine plures inveniuntur, qui ordinem suum aliquantisper honorant. Habent etiam plures eorum antiquas communes domos, ut est claustrum & refectorium, & frequenter etiam sæpius simul comedunt. audivi etiam quosdam simul quiescere. qui autem bene faciunt, alios sui ordinis viros ad similia invitent, qui autem adhuc infirmi sunt, fortiores imitentur.

72. Si autem requiratur quem tales canonici post Christum & ejus apostolos patrem institutionis hujus & ordinis sui debeant appellare, nullum alium melius invenimus, licet multi præcesserint, qui clericorum patres fuerint, quam B. Augustinum. Ex eo enim quod prope civitatem Ypponensem ecclesiam fratrum secundum regulam sub sanctis apostolis constitutam instituit, pater illorum qui juxta homines sunt recte appellatur. Ex eo vero quod in episcopio positus, cum fratribus etiam communiter vixit, eorum etiam qui inter plebes cum episcopis vel sub episcopis degunt, pater fuisse jure dicetur. Extant etiam sermones ejus de vita clericorum habiti, ubi apparet & eos qui ante episcopatum ejus cum eo vixerunt, & eos qui in episcopatu cum eo manserunt, simili modo communiter & regulariter vixisse. Quod autem in hoc ordine agitur de quo loquimur, si bonum est, teneatur; si vero pravum, corrigatur, ut Christus in eis laudetur, & cum venerit judex omnium unusquisque in suo ordine resurgens præmia æterna consequatur. Precor autem caritatem tuam quicumque hæc legis, si talis es, cui Deus tribuat intellectum, si aliquid boni inveneris, benedic Dominum: si vero aliquid dissonum & incongruum inveneris, statim corrige. quod notabile repereris.

73. Descriptis igitur duobus tripertitis ordinibus monachorum & canonicorum, quorum partitio prima dicitur eremitarum, qui frequenter & a veteribus monachi appellati sunt, uno autem qui non in numero ecclesiasticæ regulæ, id est monachorum sæcularium solummodo tecto & relicto, & de medio ecclesiæ utinam sublato, aliis vero ordinibus pro posse commendatis & laudatis, hic primus liber professionum vel diversorum ordinum qui sunt in ecclesia finem accipiat. *In ms. codice desiderantur alii libri.*



HARMONIA SIVE TRACTATUS DE LIBERO ARBITRIO ET GRATIA.

AUCTORE VIVIANO PRÆMONSTRATENSI.

Ex ms. codice collegii regalis Navarræ.

OBSERVATIO PRÆVIA.

IGnotus hactenus prodit Vivianus Præmonstratensis, cum Harmonia sua seu tractatu de libero arbitrio. Ignotus, inquam, utpote cujus nullam mentionem facit Præmonstratensis Johannis Pagii Bibliotheca, nullam Casimirus Oudin *Præmonstrati & ipse olim alumnus, qui ordinis sui auctores diligenter perquisitos accurate recensuit in Supplemento ad librum Bellarmini de scriptoribus ecclesiasticis; nullam denique alii bibliothecarum concinnatores. Fuit autem Vivianus, uti conjicere licet, unus ex primis S. Norberti discipulis, scripsitque non multò post jacta ordinis sui fundamenta; id saltem non obscure indicare videntur hæc ejus verba:* Vivianus pauperum Præmonstratæ ecclesiæ minimus, *quæ nascentem religionem omnino sapiunt. Fundatum est autem deserto in loco Laudunensis diœcesis, divinitus antea præmonstrato, primum S. Norberti cœnobium anno Christi* 1120. *ac proinde Vivianum Harmoniam suam circa annum* 1130. *scripsisse existimamus, paulo postquam S. Bernardus ejusdem argumenti tractatum, cujus ille meminit, concinnavit; id quod Mabillonio teste contigit ante annum* 1128. *In hoc autem tractatu Vivianus Clarevallensis abbatis doctrinam secutus est, quam &* aliorum cathedram magisterii nominatorum fuisse asserit. *Ceterum hoc ejus opusculum debemus humanitati clarissimi viri domini* Davolé *bibliothecæ regii Navarræ collegii præfecti, qui codicem auctoris fere ævo exaratum nobiscum communicavit.*

GERARDO ecclesiæ beati Quintini decano & magistro, VIVIANUS pauperum Præmonstratæ ecclesiæ minimus, futuræ libertatis donativum feliciter expectare.

Inter duos controversiam de libertate arbitrii novisti & novimus: alterius quorum sententiæ vos consensum tribuisse forsitan recolitis & nos recolimus. Postea quemdam librum, quem domnus BERNARDUS Clarevallensis abbas de libero arbitrio & gratia composuit, inter manus habuimus, ubi prædictam sententiam, quam & ab aliis antea ventilatam audieramus, reperimus. Mittimus itaque vobis ipsam secundum verba præmemorati sapientis & quorumdam aliorum cathedra magisterii nominatorum in hoc tractatu comprehensam, quatenus inspiciatis eam & attendatis, non quia vos sapiens, audiens, sapientior inde sitis; per vos enim in hujusmodi satis sapitis; sed putamus quod sententia quæ in transitu ac semel audita discretioni vestræ complacuit, attentius inspecta & decies repetita placebit.

HARMONIA.

Omne bonum, ut scriptum invenitur,

pulchrius elucescit, quando in commune deducitur. Hinc est quod creator noster, qui extrinsecus nullo amministrationis amminiculo indigebat, immo qui summum bonum, summa beatitudo, & sibi usquequaque sufficiens est & erat, utpote cujus potentia, sapientia, bonitas, quemadmodum nec crescere, sic nec minui potest vel poterat. Ille, inquam, Dominus tam potenter sapiens, & tam sapienter bonus, creaturam rationalem, videlicet angelum & hominem condidit, quibus rationis & intelligentiæ lumen infudit. Voluit enim his illuminata oculis creatura creatorem suum inspiceret, inspectum cognosceret, cognitum diligeret, dilectum imitaretur quantum posset. Siquidem non hoc voluit, ut pulchrius posset elucescere. Hoc enim impossibile est quantum ad se, nec hoc fecit, quia inde posset ditior esse, cui nihil poterat deesse; sed ut pulchram, divitem, ac beatam rem creatam faceret, cui se pulcherrimum ostenderet, cui divitias ac beatitudinem suæ divinitatis demonstraret. In hac prædicta creatura, in mundiali etiam fabrica, ut ipsi homini tota subserviret præparata, consideratur & noscitur tanti artificis potentia, per ipsarum scilicet magnitudinem, sapientia per earum pulchritudinem, bonitas per earum utilitatem. Quæ omnia etsi in hoc universaliter conveniant, quod a bono scilicet Deo bona creatura fieret, secundum quod Deus vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: tamen quantum rationalis creatura ab irrationali vel insensibili differat, non est nostrum docere vel dicere, cum omnis qui dote rationis utitur, si attendere velit, hoc discernat. Hæc enim secundum libertatem arbitrii penes quod omne consistit meritum, ad sui creatoris imaginem creata, sola misera fieri potest vel beata; misera, peccando, a Deo suo alienata; beata, pœnitendo, confitendo, satisfaciendo, suo principio reformata; secundum hoc quod dixi, diffinitio liberi arbitrii ipsi congruere videtur, quod sic a quibusdam diffinitur: Liberum arbitrium est voluntarius & liber consensus; vel sic: Liberum arbitrium est habilitas rationalis voluntatis, qua bonum eligitur, gratia cooperante, & malum ipsa deserente; ut liberum ad voluntatem, arbitrium referatur ad rationem. In his enim duobus consistit, voluntate scilicet & ratione. Rationis est videre quid sit eligendum vel non; voluntatis est appetere. Et ideo ratio tamquam pedissequa viam docet, illud quod videt faciendum consulendo, suumque contrarium dehortando. Voluntas tamquam domina rationem secum trahit, ad quodcumque declinata fuerit. Non enim trahitur voluntas a ratione, sed solummodo monstrat ratio quid appetere debeat: ratio vero a voluntate trahitur, & in his quæ ipsi rationi contraria sunt ducitur. Et cum ipsius sit naturaliter voluntati in malo contradicere, hoc est non illud esse faciendum judicare, & vinci tamen & consentire. Ipsa enim data est voluntati ut instruat illam, non destruat: destrueret autem si necessitatem ei ullam imponeret, quominus libere suo arbitrio, sive in bonum sive in suum contrarium sese verteret. quod si horum quodlibet ratione repugnante fieret, scilicet ut quo vellet voluntas seipsam vertere non posset, voluntas ipsa jam non esset. Quippe ubi necessitas, jam non voluntas, nec libertas, & ideo nec meritum. Sola namque voluntas quæ libera semper est, & numquam cogi potest, apud Deum judicatur, ac beatitudinem sive miseriam promeretur. Sensus vero, ut appetitus, nec beatum nec miserum faciunt. alioquin bruta animalia beatitudinem vel miseriam essent participantia. Ingenium etiam & memoria, vel hujusmodi cetera, nec justum constituunt, nec injustum, & sic etiamsi tarditatem vel labilitatem habeant, non habent imputari.

Liberi arbitrii definitio.

2. Et ut convenientius quod volumus ostendamus, paulo altius repetendum æstimamus. In rebus corporeis non id vita quod sensus, nec sensus quod appetitus, nec ille quod consensus. Est enim in quolibet corpore vita internus ac naturalis motus, vigens tantum intrinsecus: sensus vero vitalis in corpore motus, vigilans & extrinsecus; appetitus autem naturalis vis in animante movendis avide sensibus attributa. Verum consensus nutus est voluntatis spontaneus, vel etiam habitus animi liber sui. Porro voluntas est motus rationalis sensui præsidens & appetitui, habens quocumque se volverit rationem semper comitem, & quodammodo, ut diximus, pedissequam, non quod semper ex ratione, sed quod numquam absque ratione moveatur: ita ut multa faciat per ipsam contra ipsam. Hoc est per ejus quasi ministerium contra ejus consilium sive judicium; unde est illud: *Prudentiores filii sæculi hujus filiis lucis in generatione sua.* Et iterum: *Sapientes sunt ut faciant mala.* Neque enim prudentia seu sapientia inesse creaturæ potest vel in malo, nisi per rationem. Itaque nos habentes vitam cum arboribus, sensum & appetitum, & æquam vitam cum volucribus, id quod dicitur voluntas ab utroque discernit. Cujus voluntatis consensus utique voluntarius, non necessarius, dum aut justos probat aut injustos, etiam merito facit beatos vel miseros. Is ergo talis consensus ob voluntatis inamissibilem libertatem, & rationis quod secum semper & ubique portat indeclinabile judicium, non incongruum dicitur liberum arbitrium. Ipse liber sui propter voluntatem,

Luc. 16, 8.

luntatem, ipse judex sui propter rationem. Ideoque quia nulla vi, nulla necessitate cogitur, merito, ut diximus, apud Deum judicatur, ac bonum vel malum promeretur. Ceterum quod sui liberum non esse agnoscitur, quo pacto ei bonum vel malum imputatur. Excusat namque utrumque necessitas, quæ ubi fuerit, nulla est libertas. Sic nec meritum, ac per hoc nec judicium. Sed in talibus locis semper excipiatur originale peccatum, quod aliam constat habere rationem.

Libertas est triplex.

3. Postquam quæ præmittenda erant, quædam præmisimus, aliquid de triplici libertate videamus. Inde quorumdam ponemus sententias, aliquantulum quibusdam diversas. Diversa quidem dicunt, sed tamen quasi quamdam harmoniam efficiunt. Cum enim dicatur harmonia diversorum sonorum in unum, redacta concordia, ipsam quasi efficere videntur, qui etsi diversa sentiant vel proferant, tamen a tramite veritatis recedere nequaquam inveniuntur. Libertas igitur alia a necessitate, alia a peccato, alia a miseria. Libertas a necessitate æque & indifferenter Deo universæque tam bonæ quam malæ congruit rationali creaturæ, nec peccato nec miseria amittitur vel minuitur, nec major est in justo quam in peccatore, nec in angelo quam in homine. Quomodo itaque ad bonum conversus per gratiam humanæ voluntatis consensus eo libere bonum & in bono liberum hominem facit, quo voluntarius efficitur, non invitus pertrahitur: sic sponte devolutus in malum, in malum nihilominus tam liberum quam spontaneum constituit, sua utique voluntate ductum, non aliunde coactum ut malus sit. Et sicut cœlestis angelus aut etiam ipse Deus permanet libere bonus, nec aliqua necessitate extrinseca; sic profecto diabolus æque libere in malum corruit & persistit suo utique voluntario nutu, non alieno impulsu. Et est quidem sciendum, quod non ideo dictum sit liberum arbitrium, quod æqua inter bonum & malum potestate vel facilitate discurrat aut versetur, cum cadere per se potuerit, & adhuc possit, non autem resurgere nisi per Domini Spiritum. Alioquin nec angelus, nec angeli sancti, cum ita sint boni, ut non possint esse & mali; nec prævaricatores angeli, cum ita sint mali, ut non valeant esse boni, liberi arbitrii esse dicerentur. Sed & nos post resurrectionem illud amissuri sumus, quando utique inseparabiliter alii bonis, alii malis ammixti fuerimus. Ceterum nec Deus libero caret arbitrio, nec diabolus, quoniam quod non potest ille esse malus, non infirma facit necessitas; sed firma in bono voluntas & voluntaria firmitas: quodque is non valet in bonum respirare, non aliena facit violenta oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas & voluntaria obstinatio. Igitur potius ex eo liberum dicitur arbitrium, quod sive in bono sive in malo æque liberam faciat voluntatem, cum nec bonus quispiam, nec item malus dici debeat aut esse valeat, nisi volens. Tali etiam ratione non incongrue dicetur ad bonum se & ad malum habere æqualiter, quod utrobique videlicet par sit ei non in electione facilitas, sed in voluntate libertas. Hac sane dignitatis divinæ prærogativa rationalem creaturam singulariter conditor insignivit, quod quemadmodum ipse sui juris erat, suæque ipsius voluntatis, non necessitatis, quod bonus erat. Ita quoque & sui illa quodammodo juris existeret, quatenus nonnisi sua voluntate aut mala fieret, aut juste damnaretur; aut bona maneret & merito salvaretur; non quod ei sufficere posset voluntas ad salutem, sed quod eam nullatenus sine sua voluntate consequeretur. Nemo quippe invitus salvabitur. nam quod legitur in evangelio: *Compelle intrare*. Item in alio loco: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, nihil impedit; quia profecto quantoscumque compellere & trahere videbatur ad salutem benignus Pater, qui omnes vult salvos fieri, nullum probat salute dignum, quem ante non probaverit voluntarium. Hoc quippe intendit, cum terret ac percutit, ut faciat voluntarios, non ut salvet invitos, quatenus dum malam in bonam mutat voluntatem, transferat non auferat libertatem, cum voluntas cui semper individua comes est libertas, mutari non possit, nisi in aliam voluntatem. Ipsam vero voluntatem ita ubique sequitur liberum arbitrium, ut nisi illa penitus esse desinat, ipso non careat. Voluntas vero sicut in bono ita & in malo æque perdurat: æque profecto liberum arbitrium tam in malo quam in bono integrum perseverat. Et quomodo voluntas etiam posita in miseria non desinit esse voluntas; sed dicitur & est misera voluntas, sicut & beata voluntas: ita nec liberum arbitrium destruere, sive quantum in se est aliquatenus imminuere poterit quæcumque adversitas vel necessitas. Manet ergo voluntas libertatis, ubi etiam sit captivitas mentis, tam plena quidem in malis quam in bonis; sed in bonis ordinatior: tam integra quoque pro suo modo in creatura, quam in suo creatore, sed in illo potentior. quod de Deo, quod ipse liberum habeat arbitrium, Ambrosius ostendit sic scribens ad Gratianum: *Spiritus ubi vult spirat*. Apostolus quoque dicit, quia *omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*. Prout vult, inquit, id est pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio; nec est aliud liberum arbitrium in Deo, nisi voluntas divina, quæ non necessitate, sed sola boni-

Libertas a necessitate.

Luc. 14. 23.

Joh. 6. 44.

tate omnia facit. Ejus enim natura bonitas est. Ad hoc autem quod diximus angelos non posse peccare, solent quidam opponere hoc quod dicit Hieronymus: Solus Deus est in quem peccatum cadere non potest, cetera cum sint liberi arbitrii, in utramque partem suam possunt flectere voluntatem. Sed qualiter hoc intelligendum sit ex his verbis Isidori conjicere possumus: angeli mutabiles natura, immutabiles gratia. Unde concedendum est, boni angeli possunt peccare ex natura sua, id est eorum natura ad hoc non repugnat: nec tamen concedendum est, boni angeli possunt peccare, sed potius non possunt peccare, id est gratia per quam sunt confirmati ad hoc repugnat.

Libertas a peccato. 4. Sequitur de libertate a peccato. Est libertas a peccato, de qua dicit Apostolus: 2. Cor. 3. 17. *Ubi spiritus, ibi libertas.* Et alibi: *Cum servi* Rom. 6. 18. *essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo*, &c. Et hoc est quod sonat Augustinus: Homo mali utens libero arbitrio, se perdidit & ipsum, non est amissa libertas a necessitate; sed libertas a peccato. Qui enim facit peccatum servus est peccati. Hæc libertas a peccato eorum tantum qui dono gratiæ reformantur, non quod penitus sine peccato sint, sed quia non dominatur in eis peccatum, & hæc proprie appellatur libertas. In malo faciendo, ut quibusdam placet, non proprie liberum dicitur arbitrium, cum ratio ibi a voluntate discordet. Voluntas namque appetit, quod ratio contradicit. Hinc non est prætermittendum, quod ante peccatum, ad bonum nihil impediebat, ad ejus contrarium nihil coercebat; sine difficultatis obice voluntas bonum appetebat. Post peccatum vero antequam liberum arbitrium sit restitutum, premi potest a concupiscentia & vinci: post restitutionem ante confirmationem quæ in futuro erit, premi potest, sed non vinci; post confirmationem nec poterit vinci, nec premi. Est qui dicat, quod nemo in hoc sæculo sibi libertatem a peccato possit vindicare; sed verum dicit, si levia aut venialia non excipit: 1. Joh. 1. 8. *Si enim dicimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Sed qui illam posse vindicare asserit, libertatem a criminibus intendit.

Libertas a miseria. 5. Sequitur de libertate a miseria, de qua dicit Apostolus: *Et ipsa creatura liberabitur* Rom. 8. 21. *a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* De hac, ut quidam asserunt, [nemo] liberabitur, sed, ut aiunt, semper pœna peccati nos in hac vita comitatur. Sed est qui dicat, sanctos homines, qui jam primitias spiritus acceperunt, qui cum Maria optimam partem elegerunt, quandoque per excessum contemplationis raptos in spiritu, quantulumcumque de feli-

A citatis supernæ dulcedine, licet raro & raptim degustare, & tunc a miseria liberos esse. Qui enim jam tenent partem quæ auferenda non est, experiuntur utique quod futurum est. Sed quod futurum est felicitas est. Porro felicitas & miseria eodem tempore simul esse non possunt. Quotiens igitur per spiritum illam participant, totiens istam nec sentiunt nec degustant. Sed ut mihi videtur, tantummodo in hoc expertis credendum est. Sed quicquid sit de aliis, Filius, qui non a necessitate, sed a peccato & pœna peccati liberum liberare

B venit arbitrium, de quo dictum est Judæis: Joh. 8. 36. *Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis.* Christus liber a peccato & miseria. utramque habuit, libertatem videlicet a peccato & a miseria. Illam potentia & actu, quia peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; istam non actu, sed potentia, quia nemo tollebat animam ejus ab eo, sed ipse ponebat eam. Denique teste propheta; *Oblatus est, quia ipse voluit*, sicut Isa. 53. 7. cum natus ex muliere factus sub lege, videlicet miseriæ, ut eos qui sub eadem lege erant redimeret, & solus liber inter miseros & peccatores, utrumque jugum a fra-

C ternis cervicibus excuteret. Libertatem, a necessitate ipse etiam ex humana habuit natura, reliquas ex divina potentia. Primam autem nobis contulit in conditione naturæ, in secunda restauramur a gratia, ultima reservatur nobis in patria. Dicatur igitur prima libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia vitæ vel gloriæ. Primo quippe in liberam voluntatem, ac volontariam libertatem conditi sumus nobilis creatura. Secundo reformamur in innocentia nova in Christo creatura. Tertio sublimamur

D in gloria perfecta in spiritu creatura. Prima ergo libertas habet multum honoris, secunda plurimum & virtutis, novissima cumulum jocunditatis. Ex prima quippe præstamus ceteris animantibus, in secunda carnem, per tertiam mortem subjicimus, vel certe sicut in prima subjecit sub pedibus nostris, oves & boves & pecora campi: ita quoque per secundam spirituales bestias hujus aëris, de quibus dicitur: Psal. 73. 19. *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi*, prosternit æque ac conterit sub pedibus nostris. In ultima tandem plenius nos ipsos

E nobis summissurus per victoriam corruptionis & mortis, quando scilicet novissima mors destruetur, & nos transibimus, ut dictum est, in libertatem gloriæ filiorum Dei: *Qua libertate Christus nos liberabit, cum* Gal. 5. 1. *nos tradet regnum Deo & Patri.*

6. Est etiam indubitanter sciendum libertatem a peccato & miseria, perfectam perfectis inesse animabus carne solutis, cum Sancti post mortem liberi a peccato & miseria. Deo pariter & Christo atque angelis supercœlestibus. nam sanctis animabus, etsi nondum corpore receperunt, deest quidem

de gloria, sed nihil prorsus inest de miseria. Ab hac autem libertate, scilicet a peccato, vel ab illa quæ a miseria dicitur, liberum arbitrium nequaquam nominatur, sed ab ea prorsus quæ libertas a necessitate nuncupatur, eo scilicet quod voluntarium necessario contrarium esse e converso videatur. Nam ex illa quæ dicitur a peccato congruentius forsitan liberum consilium; & item ex illa quæ dicta est a miseria, liberum potius complacitum posset dici, quam liberum arbitrium. Arbitrium quippe judicium. Sicut vero judicii est discernere quid liceat, sic profecto consilii est probare quid expediat vel non expediat. Sic complaciti quoque experiri quid libeat vel non libeat. In hac vita sola plena & integra tam post peccatum, quam ante peccatum manet in hominibus libertas arbitrii. Nam libertas consilii ex parte tantum, & in paucis spiritualibus, qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis, quatenus jam non regnet peccatum in eorum mortali corpori. Porro ut non regnet, libertas facit consilii, ut tamen non desit ex integro, captivitas est liberi arbitrii. Cum autem venerit quod perfectum est, tunc evacuabitur quod ex parte est, hoc est cum plena fuerit libertas consilii, nulla jam erit captivitas arbitrii. Et hoc est quod quotidie petimus in oratione, cum dicimus *adveniat regnum tuum.* Regnum hoc necdum ex toto pervenit in nos, quotidie tamen paulatim adventat, sensimque magis ac magis dilatat terminos suos, in his dumtaxat, quorum per Dei adjutorium interior homo renovatur de die in diem. Soli vero, ut jam dictum est, contemplativi, quando in excessu mentis penna contemplationis sublevantur, utcumque libertate complaciti fruuntur & hoc ex parte satis modica, viceque rarissima.

Homo in hoc sæculo non est liber a peccato & miseria.

7. Deinceps videndum est qualiter vel quatenus primus homo in paradiso totas tres illas quas diximus libertates, id est arbitrii, consilii, complaciti, vel aliis nominibus a necessitate, a peccato, a miseria habuerit. Arbitrii utique libertatem tam post peccatum quam ante peccatum semper tenuit inconcussam. Reliquas autem duas, si plenarie habuisset, numquam a paradiso exul esset. Habet siquidem unaquæque illarum duos gradus, superiorem & inferiorem. Superior libertas consilii est non posse peccare; inferior posse non peccare. Item superior potestas complaciti non posse turbari, inferior posse non turbari. Itaque inferiorem utriusque libertatis gradum, simul cum plena libertate arbitrii homo in sui conditione accepit, & de utroque corruit cum peccavit. Corruit autem de posse non peccare in non posse non peccare, amissa ex toto consilii libertate. Item-

Omnem tamen libertatem habuit in paradiso sed in gradu inferiori.

A que de posse non turbari in non posse non turbari, amissa ex toto complaciti libertate. Sola remansit ad pœnam libertas arbitrii; perquam utique ceteras amisit. Ipsam tantum amittere non potuit. Per propriam quippe voluntatem servus factus peccati, merito perdidit libertatem consilii. Porro per peccatum factus debitor mortis, quomodo jam retinere valuit libertatem complaciti? De tribus ergo libertatibus quas accepit, abutendo illa quæ dicitur arbitrii, reliquis sese privavit. In eo autem eo abusus est, quod illam cum accepisset ad gloriam, convertit sibi in contumeliam, juxta

B testimonium scripturæ dicentis: *Homo cum in honore esset*, &c. Soli inter animantia datum est homini posse peccare ob prærogativam liberi arbitrii; datum autem, non ut inde peccaret, sed ut gloriosior appareret, si non peccaret cum peccare posset. Quid namque gloriosius ei esse poterat, quam si de ipso diceretur, quod scriptura perhibet dicens: *Quis est hic & laudabimus eum?* Unde ita laudabilis: *Fecit enim mirabilia in vita sua.* Quæ? *Quia potuit transgredi, & non est transgressus*, malum facere & non fecit. Hunc ergo honorem quamdiu absque peccato fuit, servavit, cum peccavit,

Psal. 48. 13.

Eccli. 31. 9.

C amisit. Peccavit autem, quia liberum ei fuit, nec aliunde profecto liberum, nisi ex libertate arbitrii, de qua utique inerat ei possibilitas peccandi. Nec fuit tamen culpa dantis, sed abutentis, qui ipsam videlicet facultatem convertit in usum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi. Nam etsi peccavit ex posse quod accepit, non tamen quia potuit, sed quia voluit. Nec enim prævaricante diabolo & angelis ejus, etiam alii prævaricati sunt, non quia

D non potuerunt, sed quia noluerunt. Peccantis ergo lapsus, non dono est adscribendus potestatis, sed vitio voluntatis. Lapsus tamen ex voluntate, non jam tamen ex voluntate liberum habet resurgere, qui etiam ante casum nullo suo conatu sine superapposita gratia in melius poterat proficere. Nempe datum fuit voluntati posse stare ne caderet, non tamen resurgere si caderet. Non enim tam facile quis valet exire de fovea, quam facile in eam labi. cecidit sola voluntate homo in foveam peccati; sed non ex voluntate sufficit & posse

E resurgere, cum jam etiam si velit, non possit non peccare. Quid ergo? Periit liberum arbitrium, quoniam non potest non peccare? Nequaquam. Sed liberum consilium perdidit, per quod prius habuit non posse peccare, quomodo & quod non valet utique non turbari, inde misero accidit, quod complaciti quoque libertatem amiserit, per quam habuit & antea posse non turbari. Manet ergo & post peccatum liberum arbitrium, & si miserum, tamen

integrum, & quod se per se homo non sufficit excutere a peccato, sive miseria, non liberi arbitrii signat destructionem, sed duarum reliquarum libertatum privationem. Neque enim ad liberum arbitrium, quantum in se est, pertinet, aut umquam pertinuit posse vel sapere, sed tantum velle, nec potentem facit creaturam, nec sapientem; sed tantum volentem. Unde apostolus: *Ut non quæcumque*, ait, *faciatis.* Velle, ut dixi, inest nobis ex libero arbitrio, non dico velle bonum aut velle malum, sed velle tantum: velle enim bonum profectus est, velle malum defectus, velle vero simpliciter ipsum est quod vel proficit, vel quod deficit. Porro ipsum ut esset, creans gratia fecit ut proficiat; salvans gratia facit, ut deficiat, ipsum se dejicit. Ipsum liberum arbitrium nos facit volentes, gratia benivolos. Ex ipso nobis est velle, ex ipsa bonum velle. Simplices nempe affectiones insunt nobis tamquam ex nobis, ut velle, timere; additamenta ex gratia, ut velle bonum, timere & amare Deum. Nec aliud profecto est, nisi quod gratia ordinat quas donavit creatio, ut nihil aliud sint virtutes, nisi ordinatæ affectiones. Affectio autem alia ordinata, alia inordinata; inordinata, ut voluntas; unde dictum est: *Nescitis quid petatis.* Ordinatam docebat qui dicebat: *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Hoc tunc quidem verbo, sed postmodum etiam exemplo, dicens ad Patrem: *Non quod ego volo, sed quod tu vis.* Similiter timor inordinatus fuit, quando ibi quidam trepidaverunt, ubi non fuit timor. Timorem ordinatum docebat qui dicebat. *Timete eum, qui potest animam & corpus mittere in gehennam.* Amor inordinatus: unde dictum est: *Dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.* Ordinatus, quem sponsa postulat in canticis dicens: *Ordinate in me caritatem.* Ubi simile invenitur, simile dicatur. Tam alias, quam prædictas affectiones accepimus in conditione naturæ, ut essemus aliqua creatura. Earum vero ordinationem in visitatione gratiæ, ut simus Dei creatura. Inde est quod libera voluntas nos faciat nostros, mala diaboli, bona Dei. Quamobrem sentiens apostolus quid ex natura esset, quid ex gratia expectaret aiebat: *Velle adjacet mihi, perficere non invenio.* Sciebat profecto velle sibi inesse ex libero arbitrio; sed ut ipsum velle perfectum haberet, gratiam sibi necessariam esse. Ad hoc autem duplici gratiæ munere indigemus, videlicet vero sapere quod est voluntatis ad bonum conversio; & etiam pleno posse, quod est ejusdem in bono confirmatio. Porro perfecta conversio est ad bonum, ut nihil libeat nisi quod deceat vel liceat. Perfecta in bono confirmatio, ut nihil desit jam quod libeat. Tunc demum

Gratia quid in nobis agat.

Matt. 20. 22.

Matt. 5. 29.

Joh. 3. 19.

Cant. 2. 4.

Rom. 7. 18.

A perfecta erit voluntas, cum plene fuerit bona & bene plena, quod in futura vita expectamus, ubi erit verum sapere, quantum ad justitiam; verum posse quantum ad gloriam. Verum & Plenum addita sunt: alterum ad distinctionem sapientiæ carnis, quæ mors est, itemque sapientiæ mundi, quæ stultitia est apud Deum. Alterum ad differentiam illorum de quibus dicitur: *Potentes potenter cruciabuntur.* Et quoniam ut dictum est, homo & libertate arbitrii verum sapere vel plenum posse habere non potest: igitur habet necessarium Dei virtutem & Dei sapientiam Christum, qui ex eo quod B sapientia est, verum ei sapere infundat in restauratione liberi consilii; & ex eo quod virtus est, plenum posse restituat in reparatione liberi complaciti, quatinus ex altero perfecte bonus peccatum jam nesciat: ex altero plene beatus adversi nihil sentiat; sed hoc in futuro expectamus, quando utraque nunc amissa libertas libero arbitrio plenarie restaurabitur: non quomodo justo cuivis in hoc sæculo quantumque perfecto, non quomodo vel ipsis primis hominibus datum fuit eas habere in paradiso; sed sicut eam nunc angeli possident in cœlo.

C 8. Puto in his tribus libertatibus, scilicet arbitrii, consilii, complaciti, ipsam ad quam conditi sumus conditoris imaginem atque similitudinem contineri: & imaginem quidem in libertate arbitrii; in reliquis autem duabus bipertitam quamdam consignari similitudinem. Hinc est fortassis quod solum liberum arbitrium sui omnino defectum seu diminutionem non patitur, quod in ipso potissimum æternæ & incommutabilis divinitatis substantiva quædam imago impressa videatur. Nam etsi habuerit initium, nescit tamen occasum, nec de justitia vel gratia capit augmentum, nec de D peccato sive miseria detrimentum. Quid æternitati similius? Porro in duabus aliis libertatibus, quoniam non solum ex parte minui, sed etiam ex toto amitti possunt, accidentalis quædam magis similitudo sapientiæ atque divinæ potentiæ imagini superducta cognoscitur. Denique & amisimus illas per culpam, & per gratiam recuperavimus, & quotidie alii quidem plus, alii minus, aut in ipsis proficimus, aut ab ipsis deficimus. Possent etiam sic amitti, ut jam non valeant recuperari. Possunt & ita E possideri, ut nec amitti valeant aliquo modo vel minui. Hujus bipertitæ similitudinis sapientiæ & potentiæ Dei non quidem in gradu summo, sed qui ipsi tamen esset proximior, homo in paradiso conditus est. Quid enim vicinius ad non posse peccare vel turbari, in quo utique jam sanctos angelos stare & Deum semper esse dubium non est, quam posse & non peccare & non turbari, in quo homo profecto creatus est? A quo illo

In tribus libertatibus continetur creatoris imago & similitudo.

illo per peccatum, immo nobis in illo & cum illo corruentibus, rursus per gratiam non quidem ipsum, sed pro ipso quemdam inferiorem gradum recepimus. Neque enim hic possumus penitus esse sine peccato seu miseria: possumus tamen gratia juvante nec peccato superari nec miseria. Divinæ igitur similitudinis summum gradum summi angeli tenent, nos infimum, Adam tenuit medium, porro dæmones nullum. Supernis nempe spiritibus datum est sine peccato & miseria perdurare: Adæ autem absque his quidem esse, sed non etiam permanere: nobis vero nec esse quidem absque his, sed tantum ipsis non cedere. Ceterum diabolus & membra ejus, sicut numquam volunt reluctari peccato, sic numquam possunt declinare pœnam peccati. Cum igitur istæ duæ libertates, consilii scilicet atque complaciti, per quas rationali creaturæ vera sapientia & potentia ministratur; ita Deo, prout vult, dispensante, quibusque pro causis, locis & temporibus varientur, quatenus in terris modice, in cœlestibus plenarie, mediocriter in paradiso, apud inferos nullatenus habeantur. Libertas vero arbitrii de ipso quoque quo condita est statu aliquatenus non mutetur, sed aliqualiter semper, quantum in se est, a cœlis, terris, inferis possidetur. merito duæ illæ similitudini, hæc imagini deputatur. Et quidem apud inferos quod utraque libertas perierit, illæ scilicet quæ ad similitudinem pertinere dicuntur, scripturarum testatur auctoritas. Nam verum illic sapere, quod utique de consilii libertate concipitur, omnino non esse locus ille manifestat, ubi legitur: *Quodcumque potest manus tua operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia est apud inferos, quo tu properas.* Et alibi: *In malivolam animam non introibit sapientia.* Porro de potentia, quæ per libertatem complaciti datur, evangelium sic loquitur: *Ligate illi pedes & manus, & projicite illum in tenebras exteriores.* Quid nempe manuum pedumque ligatio est, nisi omnimoda potestatis ablatio? Sed neque in hoc sæculo inveniri etiam posset similitudo, sed adhuc hic fœda & deformis jacuisset imago, si non evangelica illa mulier lucernam accenderet, id est sapientia Dei in carne appareret, everreret domum, videlicet vitiorum; dragmam suam requireret quam perdiderat, hoc est imaginem suam, quæ nativo spoliata decore, sub pelle peccati sordens, tamquam in pulvere latitabat, inventam tergeret, & tolleret de regione dissimilitudinis, pristinamque in speciem renovatam, similem faceret illam in gloriam sanctorum, immo sibi ipsi quandoque redderet per omnia conformem, cum illud scripturæ compleretur: *Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

Eccle. 9. 10.
Sap. 1. 4.
1. Joh. 3. 2.

Et revera cui potius id operis congruebat quam Dei filio, qui cum sit splendor & figura substantiæ Patris, portans verbo universa, ex utroque facile munitus apparuit, & unde reformaret deformem, & unde debilem confortaret, dum & de splendore figuræ fugans tenebras peccatorum, redderet sapientem, & ex virtute Verbi contra tyrannidem dæmonum potentem efficeret? Venit ergo ipsa forma, cui reformandum erat liberum arbitrium, quia ut pristinam reciperet formam, ex illa erat reformandum ex qua erat formatum. Forma autem sapientia est, conformatio ut faciat imago in corpore, quod forma facit in orbe. Porro illa *attingit a fine usque in finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Attingit a fine usque ad finem, hoc est a maximo angelo usque ad minimum vermiculum, a maxima creatura usque ad minimam, vel a summo cœlo usque ad inferiores partes terræ. Attingit autem fortiter, non quidem discursione vel locali diffusione, sed substantiali quadam & ubique præsenti fortitudine, qua utique universa potentissime movet & ordinat & ministrat. Et hoc suaviter, id est nulla difficultate; sed placida voluntate. vel attingat a fine usque in finem, hoc est ab ortu creaturæ usque ad finem destinatum a creatore, sive in quem urget natura, sive quem accelerat causa, sive quem concedit gratia. Sic ergo & liberum arbitrium suo conetur præesse corpori, ut præest sapientia orbi, & hoc fortiter faciat vitiis resistendo, & suaviter in conscientia quiescendo, hoc est non ex tristitia aut ex necessitate, quod est initium, non plenitudo sapientiæ; sed promta & alacri voluntate, quod sacrificium facit acceptum, quoniam *hilarem datorem diligit Deus.*

Sap. 8. 1.
2. Cor. 9. 7.

9. Est etiam sciendum quod inter divinum Spiritum & carnis appetitum tenet quemdam medium locum, id quod dicitur in homine liberum arbitrium, id est humana voluntas; & tamquam in devexo montis latere admodum ardui, inter utrumque pendens: ita in appetitu infirmatur per carnem, ut nisi sedulo Spiritus adjuvet ejus infirmitatem per gratiam; non solum non valeat justitiæ, quæ est juxta prophetam, *sicut montes Dei*, ascendendo de virtute in virtutem, apprehendere culmen; sed etiam de vitio in vitium, sui ipsius pondere devoluta, semper ruat in præceps, non solum lege peccati originaliter membris insita, verumetiam consuetudine terrenæ inhabitationis usualiter affectationibus inolita. Hoc loco potest opponi de verbis Apostoli dicentis: *Video aliam legem repugnantem in membris meis legi mentis, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.* Hæc putari possunt cogere

Libertas arbitrii non tollitur.
Rom. 7. 23.

voluntatem, & præripere libertatem. At vero quantiſcumque quis intus foriſve tentationibus urgeatur, libera ſemper, quantum ad arbitrium ſpectat, voluntas erit, quippe nihilominus de ſuo conſenſu judicabit. quantum autem pertinet ad conſilium, ſive complacitum, carnis interim concupiſcentia vitæque miſeria reluctante, minus quidem ſe liberam ſentit, ſed prorſus non malam, dummodo non conſentit. Simile eſt quod ſolent quidam homines conqueri & dicere: Volo habere bonam voluntatem, ſed non poſſum. Sed hoc nequaquam præſcribit libertati arbitrii, ut quaſi vim vel neceſſitatem voluntas in hac parte patiatur; ſed plane illa libertate, quæ dicitur a peccato, ſe carere teſtatur. Nam qui vult habere bonam voluntatem, probat ſe habere voluntatem. Non enim vult habere bonam, niſi per voluntatem: quod ſi voluntatem & libertatem, ſed libertatem non a peccato, ſed a neceſſitate: nempe ut non valeat cum velit habere bonam, ſentit quidem deeſſe libertatem ſibi, ſed profecto libertatem a peccato: quo utique dolet premi non perimi voluntatem: quamquam jam procul dubio utcumque bonam habet, ubi habere vult. Bonum quippe eſt quod vult, nec poſſet bonum velle, niſi bona voluntate, ſicut nec velle malum, niſi mala voluntate. Cum bonum volumus, bona eſt voluntas: cum malum volumus, mala eſt voluntas. utrobique voluntas, utrobique libertas. Cedit namque voluntati neceſſitas. Cum autem non valemus quod volumus, ſentimus quidem ipſam quodammodo libertatem a peccato eſſe captivam vel miſeram, non tamen amiſſam. Si opponatur de peccato, quod viſus ſit Petrus liberum amiſiſſe arbitrium, quando pro timore negavit, jam tunc procul dubio talis erat, quando ab illo, quem latere nihil poterat, audivit: *Priuſquam gallus cantet, ter me negabis.* Illa utique voluntatis infirmitas per incuſſum timorem nota, non orta, notum fecit qualiter ſe, qualiter Chriſtum amaverit: notum autem non Chriſto, ſed Petro. Nam Chriſtus ſciebat & ante quid eſſet in homine. Peccavit non odiendo aut ſpernendo Chriſtum; ſed ſeipſum amando. Voluntas ſiquidem quæ cogi non poteſt, niſi a ſeipſa; nec mutari, ut longe ante dictum eſt, in aliam voluntatem, ipſa ſeſe coëgit. Quod ſi ſeſe ipſa coëgit, compulſa & compellens, ubi amittere, ibi & recipere viſa eſt libertatem. Vim quippe, quam ipſa ſibi intulit, a ſe pertulit. Porro quod a ſe voluntas pertulit, ex voluntate fuit. quod ex voluntate fuit, jam non ex neceſſitate, ſed voluntarium fuit: ſi autem voluntarium, & liberum. Quem ſua denique ad negandum voluntas compulit, compulſus eſt quia voluit: immo non compulſus eſt, ſed conſenſit; & non alienæ potentiæ, ſed voluntati propriæ, illi utique qua mortem omnimodis evadere voluit. Negavit quidem dolens, non tamen niſi volens. De illis in quibus erat ſana voluntas, ſcriptum eſt: Occidi poſſunt, flecti autem nequeunt.

Matt. 26.75.

10. Diximus quod liberum arbitrium, nulla neceſſitate vel adverſitate ſua libertate privetur. Sed tamen licet ita ſtabile permaneat, ſciendum eſt quod ipſum tantummodo ſalutem hominis operetur, immo Dei gratia in ipſo ſive per ipſum. Hic forſitan quæret aliquis, quid in homine agat liberum arbitrium. Breviter reſpondemus: Salvatur. Tolle liberum arbitrium, non erit quod ſalvetur. Tolle gratiam, non erit unde ſalvetur. Opus ſine duobus effici non poteſt; uno, a quo fit; altero, cui vel in quo fit. Deus auctor ſalutis eſt, liberum arbitrium tantum capax. nec dare illam niſi Deus, nec capere poteſt niſi liberum arbitrium. Quod ergo a ſolo Deo & ſoli datur libero arbitrio, tam abſque conſenſu non poteſt eſſe accipientis, quam abſque gratia dantis, & ita gratiæ operanti ſalutem cooperari dicitur liberum arbitrium, dum conſentit, hoc eſt dum ſalvatur. Conſentire enim ſalvari eſt.

Liberum arbitrium quid agat in homine.

11. Et eſt conſiderandum, quod gratia liberum excitat arbitrium, cum ſeminat cogitatum; ſanat, cum mutat affectum; roborat, cum perducit ad actum; ſervat, ne ſentiat defectum. Sic autem iſta cum libero arbitrio operatur, ut tamen illud in primo præveniat, in ceteris comitetur: ad hoc utique præveniens, ut jam ſibi deinceps cooperetur: ita tamen quod a ſola gratia cœptum eſt, pariter ab utroque perficiatur, ut mixtim, non ſigillatim; ſimul, non viciſſim per ſingulos profectus operentur: non partim gratia, partim liberum arbitrium; ſed totum ſingula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa; ſed ut totum in illo, ſic totum ex illa. Itaque ſciendum * eſt, quod non liberi arbitrii, ſed Domini eſt ſalus. Ipſe tamen ad condenda merita noſtra, ſibi dignatur adhibere creaturarum miniſteria, non quibus egeat; ſed per quæ vel de quibus proficiat. Operatur ergo illorum ſalutem, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ; aliquando per creaturam ſine ipſa, aliquando per creaturam contra ipſam, aliquando per creaturam cum ipſa. Multa profecto fiunt hominibus ſalubria per inſenſibilem creaturam, & item per irrationalem, quæ idcirco dicuntur fieri ſine ipſa, quod non queat intellectu carens eſſe inde conſcia. Multa quoque ſaluti utilia facit Deus per malos ſive homines ſive angelos; ſed quoniam invitos, ideo contra ipſos. Nam dum nocere cupientes juvant, quantum aliis va-

Quid gratia.

* f. fatendum.

Deus operatur ſalutem per creaturas tribus modis.


let utilis actio, tantum ipsis nocet perversa intentio. Porro per quos & cum quibus operatur Deus, boni sunt angeli vel homines, qui quod Deus vult, & agunt pariter & volunt. qui enim bono, quod opere complent, voluntate consentiunt, opus omnino, quod per eos Deus explicat, ipsis communicat. Creatura per quam & sine qua fit aliquid, quid mereri potest? Quid autem illa per quam & contra quam fit, nisi iram? Quid autem illa per quam & cum qua fit, nisi gratiam? In prima itaque nulla, in sequenti mala, in ultima bona conquiruntur merita. Sed fatendum est hæc in illis fieri, quos gratia prævenit. Deus enim hæc tria operatur in nobis, bonum cogitare, velle, perficere. Primum profecto sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. Cavendum autem est, cum hæc intra nos aut nobiscum actitari sentimus, ne nobis, sed soli Dei gratiæ attribuamus. Quid aliud nostra sonant verba, nisi quod Apostolus ait: *Neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei?* quod sane non ideo dicit, quasi quis velle aut currere possit in vanum; sed quod is qui vult aut currit, non in se, sed in eo a quo accepit & velle & currere, debeat gloriari: quia, ô tu homo, quid habes quod non accepisti? Crearis, sanaris, salvaris. Quid horum tibi ex te, ô homo? quid horum non impossibile libero arbitrio? nec creare qui non eras, nec justificare peccator, nec mortuus teipsum poteras suscitare. Igitur si recte sapias, triplicem confiteberis operationem, non quidem liberi arbitrii, sed divinæ gratiæ, in ipso sive de ipso. Prima est creatio, secunda reformatio, tertia consummatio. Primo namque in Christo creati in libertatem voluntatis. Secundo reformamur per Christum in Spiritum libertatis, deinde cum Christo con-

Deus tria in nobis operatur.

Rom. 9. 16.

A firmandi in statum æternitatis. Siquidem quod non erat, in illo creari oportuit qui erat, per formam reformari deformem, membra non perfici, nisi vel cum capite, quod tunc complebitur, cum omnes occurremus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, quando apparente Christo vita nostra, apparebimus & nos cum ipso in gloria. Cum autem consummatio fieri habeat de nobis, sive etiam in nobis, non autem a nobis: creatio vero fit & sine nobis: sola, quæ nobiscum quodammodo fit per consensum voluntarium, B immerita reputabitur nobis reformatio. Ipsa sunt jejunia nostra, vigiliæ, continentia, opera misericordiæ, ceteraque virtutum exercitia, per quæ utique constat interiorem hominem nostrum renovari de die in diem. In his nempe tribus interior renovatio consistit, rectitudine scilicet intentionis, puritate affectionis, recordatione bonæ operationis, per quam sibi bene conscia memoria enitescit. Quia vero certum est hæc in nobis fieri divino Spiritu, Dei sunt munera. Sed quia cum nostræ voluntatis consensu, nostra sunt merita, a Deo autem voluntas & meritum. Non est enim C dubium quin a Deo & velle & perficere pro bona voluntate. Alioqoin si recte appelletur, ea quæ nostra dicimus merita, spei sunt quædam seminaria, caritatis incentiva, occultæ prædestinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia, via regni, non causa regnandi. Nec in hac re longa disputatione indigemus, cum humana consummatio sit potius inchoatio nominanda, & Paulus dicat: *Si ex operibus, jam non ex gratia.*

Explicit tractatus de libero arbitrio & gratia, qui si placet, inde Harmonia dicatur, quia in ipso diversorum sonorum in unum redacta concordia colligatur. Amen.



RITHMUS
MAGISTRI PETRI ABAILLART
DE S. TRINITATE.

Ex manuscripto Beccensis monasterii.


A & Ω. magne Deus, Heli, Heli, Deus meus,
Cujus virtus totum posse, cujus sensus totum nosse,
Cujus esse summum bonum, cujus opus quidquid bonum.
Super cuncta, subtus cuncta, extra cuncta, intra cuncta;
Intra cuncta nec inclusus, extra cuncta nec exclusus,

Subter cuncta nec subtractus, super cuncta nec elatus.
Super totus possidendo, subter totus sustinendo.
Extra totus complectendo, intra totus es implendo.
Intra nusquam coarctaris, extra nusquam dilataris,
Subtus nullo fatigaris, super nullo sustentaris.
Mundum movens non moveris, locum tenens non teneris.
Tempus mutans non mutaris, vaga firmans non vagaris.
Vis externa vel necesse non alternat tuum esse,
Heri nostrum, cras & pridem, semper tibi nunc & idem.
Tuum Deus hodiernum, indivisum, sempiternum,
Ad exemplar summæ mentis formam præstans elementis.
Nate Patri coæqualis, Patri consubstantialis,
Patris splendor & figura, factor factus creatura,
Carnem nostram induisti, causam nostram suscepisti,
Sempiternus, temporalis, moriturus, immortalis,
Verus homo, verus Deus, impermixtus homo Deus.
Non conversus hic in carnem, nec minutus propter carnem.
Hic assumtus est in Deum, nec consumtus propter Deum.
Patri compar Deitate, minor carnis veritate.
Deus Pater tantum Dei, Virgo mater sed & Dei.
In tam nova ligatura sic utraque stat natura,
Ut conservet quidquid erat, facta quiddam quod non erat.
Noster iste mediator, iste noster legislator.
Circumcisus, baptizatus, crucifixus, tumulatus,
Obdormivit & descendit, resurrexit & ascendit.
Sic ad cœlos elevatus judicabit judicatus.
Paraclitus increatus, neque factus, neque natus,
Patri consors genitoque, sic procedit ab utroque,
Ne sit minor potestate, vel discretus qualitate.
Quanti illi, tantus iste, quales illi, talis iste.
Ex quo illi, ex tunc iste, quantum illi, tantum iste.
Pater alter, sed gignendo, natus alter, sed nascendo.
Flamen ab his procedendo, tres sunt unum subsistendo.

A Quisque trium plenus Deus, non tres sunt dii, sed Deus.
In hoc Deo, Deo vero tres & unum assevero.
Dans usiæ unitatem & personis Trinitatem.
In personis nulla prior, nulla major, nulla minor.
Unaquæque semper ipsa, sic est constans atque fixa,
Ut nec ipsa varietur, nec in ullam transmutetur.
Hæc est fides orthodoxa, non hic error sive noxa.
B Sicut dico, sic & credo, nec in pravam partem cedo;
Inde venit bonus Deus, ne desperes quamvis reus.
Reus mortis non despero, sed in morte vitam quæro.
Quo te placem nil prætendo, nisi fidem quam defendo.
Fidem vides, hanc imploro, leva fascem quo laboro.
Per hoc sacrum cataplasma convalescat ægrum plasma,
C Extra portam jam delatum, jam fœtentem tumulatum.
Vitta ligat, lapis urget, sed si jubes, hic resurget.
Jube, lapis revolvetur, jube, vitta dirumpetur;
Exiturus nescit moras, postquam clamas exi foras.
In hoc salo mea ratis infestatur a piratis.
Hinc assultus, inde fluctus, hinc & inde mors & luctus.
Sed tu bone nauta veni, preme ventos, mare leni,
D Fac abscedant hi piratæ, duc ad portum salva rate.
Infœcunda mea ficus, cujus ramus ramus siccus,
Incidetur, incendetur, si promulgas quod meretur.
Sed hoc anno dimittatur, stercoretur, fodiatur.
Quod si necdum respondebit, flens hoc loquar, tunc ardebit.
Vetus hostis in me furit, aquis mersat, flammis urit.
E Inde languens & afflictus, tibi soli sum relictus.
Ut hic hostis evanescat, ut infirmus convalescat.
Tu virtutem jejunandi des infirmo, des orandi.
Per hæc duo, Christo teste, liberabor ab hac peste.
Ab hac peste solve mentem, fac devotum pœnitentem.
Da timorem, quo projecto, de salute nil conjecto.

Da

Da spem, fidem, caritatem, da discretam pietatem, A
Da contemtum terrenorum, appetitum supernorum.
Totum Deus in te spero, Deus ex te totum quæro.
Tu laus mea, meum bonum, mea cuncta tuum donum.
Tu solamen in labore, medicamen in dolore,
Tu in luctu mea lyra, tu lenimen es in ira.
Tu in arcto liberator, tu in lapsu relevator.
Meam præstas in provectu, spem conservas in defectu. B
Si quis lædit, tu rependis; si minatur, tu defendis.
Quod est anceps tu dissolvis, quod tegendum tu involvis.
Tu intrare me non sinas infernales officinas,
Ubi mœror, ubi metus, ubi fœtor, ubi fletus,
Ubi probra deteguntur, ubi rei confunduntur,
Ubi tortor semper cædens, ubi vermis semper edens, C
Ubi totum hoc perenne, quia perpes mors gehennæ.
Me receptet Sion illa, Sion David urbs tranquilla,
Cujus faber auctor lucis, cujus portæ lignum crucis,
Cujus claves lingua Petri, cujus cives semper læti,
Cujus muri lapis vivus, cujus custos rex festivus.
In hac urbe lux solemnis, ver æternum, pax perennis.
In hac odor implens cœlos, in hac semper festum melos.
Non est ibi corruptela, non defectus, non querela,
Non minuti, non deformes, omnes Christo sunt conformes.
Urbs cœlestis, urbs beata, super Petram collocata,
Urbs in portu satis tuto, ex longinquo te saluto.
Te suspiro, te saluto, te affecto, te requiro.
Quantum tui gratulentur, quam festive conviventur.
Quis affectus eos stringat, aut quæ gemma muros pingat,
Quis calcedon, quis jacinctus, norunt illi quid sit intus.
In plateis hujus urbis, sociatus piis turbis
Cum Moïse & Elia pium cantem alleluia. Amen.



PROVERBIA WIPONIS
EDITA AD HENRICUM CUONRADI IMPERATORIS FILIUM.

Ex manuscripto S. Matthiæ Trevirensis annorum 500.

INcipit inventum referens proverbia centum, D
Decet regem discere legem. Audiat rex quod præcipit lex. Legem servare hoc est regnare.
Notitia litterarum lux est animarum.
Sæpius offendit qui lumen non attendit.
Qui habet scientiam, ornat sententiam.
Melior est sapientia, quam sæcularis potentia.
Plus unicus sensus, quam multiplex census.
Est sapiens multum, qui amat Dei cultum.
Vir fidelis coronatur in cœlis.
Bene credit qui neminem lædit.
Qui fidus seniori adproximat honori.
Qui confidit in Deo, fortis est ut leo.
Melius est in Deo sperare, quam divitias congregare.
Fortissima spes beatificat res.
Caritas non ficta odit delicta.
Qui diligit fratrem, placat Deum & patrem.
Regnum cœlorum non est invidorum.
Melius est humiliari quam exaltari.
Humilis homo triumphat in domo.
Qui per ardua vadit, sæpius cadit.
Viri mites renuunt lites.
Qui assidue rixantur, a paucis amantur.
Malos pro Deo tolerare est superare.
Pacis donum omnibus est bonum.
Qui in pace fundantur, non eradicantur.
Incendium bellorum corruptio est morum.
Homo pudicus est animæ amicus.

Ubi frequens luxuria, non deerit penuria.
A
Voluptas mundana semper est vana.
Judicis sententiam oportet sequi clementiam.
Melius est interdum ignoscere, quam vindictam poscere.
Qui miseretur, misericordiam consequetur.
Verbum veritatis subveniet judicatis.
Falsus in ore caret honore.
Qui falsitate vivit, omnia occidit.
Qui est hilaris dator, hunc amat Salvator.
Omnis avarus nulli est carus.
Bona tribuere non est minuere.
Ubi pugnat sancta oratio, ibi vincitur tribulatio.
Incessanter orare est delicta purgare.
Bene orat qui in corde plorat.
Jejunium forte liberat a secunda sorte.
Qui non potest jejunare, discat eleemosynam dare.
Bene jubilabit qui a bono non cessabit.
Melius est interdum dormire, quam diabolo servire.
Dormire non multum exhilarat vultum.
Qui se fatetur reum, placat Deum.
Ubi est vera pœnitentia, ibi Dei clementia.
Oportet enim parcere diu positis in carcere.
Valde decipitur qui numquam corripitur.
Amicabilis increpatio non est damnatio.
Oleum peccatoris laus est adulatoris.
Ubi longa ebrietas, ibi brevis est pietas.
Vinum multum & forte parum distat a morte.
Per crapulam cibi & potus perit homo totus.
Per moderantiam pervenitur ad abundantiam.
Mediocriter plura gaudet natura.
Proverbium *Ne quid nimis* laudatur in primis.
Juvenis animosus senex fit gloriosus.
Qui torpescit dum calet, frigidus nihil valet.
Qui vacat in juventute, turbatur in senectute.
Fortes viri omnibus sunt miri.
Reges & præsides non decet esse desides.
Mundi rectores æquent cum nomine mores.
Viri pontificales sanctis sunt æquales.
Medici animarum exorbitent parum.
Contra lupum vigilare est raptus vitare.
Qui viduam defendit ad Christum regem tendit.
Qui vindicat pupillum Deus coronat illum.
Pauperum consolator est æternæ vitæ amator
Oportet cavere vanitatem videre.
Cor incendit oculus ut stipulam foculus.
Voluptas non visa citius erit elisa.

Qui libenter bonum audit corde Deum plaudit.
Melius est pauperem audire quam sonitum liræ.
Incassum miseros audit, qui os & manus claudit.
Lingua placabilis ligno vitæ est comparabilis
Lingua dolosa semper est odiosa.
Qui loquitur modeste liber est a peste.
Manus sine opere mendicabit propere.
Manuum labores præstant honores.
Qui bonum operatur a Deo benedicatur
B
Beati pedes qui visitant infirmorum ædes.
Cum Deo ambulare est animam salvare.
Qui migrat ad æternam sedem, non offendit pedem.
Iniquum est ob beneficium reddere supplicium.
Qui reddit malum pro bono indignus est dono.
Bono vincere mala ad cœlum est scala.
Mundi contemtus a Deo est inventus.
Qui amat mundum præsentem, sequitur rem fugientem.
Melius est supernum consilium quam hujus vitæ auxilium.
C
Pulcra tenet atria superna patria.
Tendit filius & frater qui vocat illos pater
Auro cœlesti sunt semper gaudia festi.
Quid fugis ex illo, qui claudit cuncta pugillo?
O quicumque velis mentem conjungere cœlis,
Qua resident justi serto palmisque venusti
Mundi sperne minas, & res pede subige blandas
Superbia dicit: In cunctis operibus tibi non
D
æquabitur ullus.
Humilis: Putridus es vermis, quid homo moriture superbis?
Inanis gloria: Fac propter famam quæcumque potes bona coram hominibus.
Timor Dei: Opta celari bona quæque soles operari.
Hypocrisis: Exterius sancto te conformare studeto.
Religio: Væ foris albatis, qui vos tumulis simulatis.
Inobedientia: Quid faciat se qui multum vilior est te.
E
Subjectio: Quisquis vos spernit, Deus, inquit, me quoque spernit.
Invidia: Cur quocumque modo non is sublimior illo?
Congratulatio: Congaude fratri, fer opemque proficienti.
Odium: Qualiter hunc quis amet, sibi qui contrarius extat?
Caritas: Verus amor fratris brevis est impletio legis.
Detractio.: Quis toleret sileat venialium


quod perpetrat ille.
Justa correptio: Occulte numquam debes reprehendere quemquam.
Ira: Cur non obsistis, cum quid fieri tibi non vis?
Patientia: Quid non pro Christo toleres pro te crucifixo?
Protervia: Peccanti semper sis durus & asper.
Mansuetudo: Argue, coge, roga, Timothee, sagaciter ista.
Timor mentis: Scit Deus ipse quid est, nullo de judice cures.
Satisfactio: Suspiciosus eris, si non delicta fateris.
Tristitia: Quo gaudere potes qui gratis tot mala perfers?
Gaudium spirituale: Cur modo contristat quod non tibi gaudia præstat?
Torpor vel ignavia: Visu privaris si continue lacrymaris.
Virtutis exercitatio: Mors venit absque mora, tu nocte dieque labora.
Vagatio: Hoc discede loco, locus ille beatior isto.
Stabilitas: Cum sit ubique Deus, maneas ubique quietus.
Desperatio: Non surges penitus peccati mole gravatus.
Spei fiducia: Dant tibi spem veniæ peccata remissa Mariæ.
Cupiditas: Multiplica fœnus, nec mendicabis egenus.
Mundi contemtus: Quantumvis habeas, nil hinc moriture reportas.
Obduratio: Unde tuos pascis, tua si dispergis?
Misericordia: Si quid habes tribuas, tua sit tibi larga voluntas.
Fraus, furtum: Non est quod tribuas? furto vel fraude requiras.
Innocentia: Præstat nulla dari quam te fraude furari.
Fallacia & mendacium dicit: Perfice fallendo quod non vis vera loquendo.
Veritas: Os quod mentitur animæ mors esse probatur.
Ventris ingluvies: A factore datis cur non epulis satiaris?
Parsimonia ciborum: Parce quibusque cibis, pereas ne cum Sodomitis.
Inepta lætitia: Fac socios gaudere tuos risumque movere.
Moderatus mæror: Unde tibi risus, cum sis miser hic peregrinus?
Multiloquium: Est nil peccati per plurima si bona fari.


A *Discreta taciturnitas*: Numquam vitabis culpam si multa loquaris.
Immunditia: Non est culpa gravis quævis pollutio (a) carnis.
Integritas carnis: Clauditur incestis cœlestis janua regni.
Luxuria: Utere luxuria? nescis quæ vita futura.
Castitas inlibata: Si castus fueris, vita sine fine frueris.
Spiritalis fornicatio: Non est grande nefas, animo concepta voluptas.
Mundicia carnis: Certe mœcharis, cum sis cupidus mulieris.
B *Amor præsentis sæculi*: Quid dulci vita valet esse venustius ista.
Amor patriæ cœlestis: Si carcer talis, Deus ô tua mansio qualis!

Expliciunt proverbia.

In linguæ plectro tibi mors & vita servata.
Ne sis bilinguis, ne des exempla malignis
Charus erit minime, qui quod scit ventilat omne.
Charo charus erit, qui non commissa tacebit.
C Lingua susurronis est pejor felle draconis.
Verba beant justum, non centum verbera stultum.
Nulla lues servo pejor potest esse maligno.
Doctus ab indocto distat virtutibus octo.
Lapsa suam non post solidabit virgo ruinam.
Mens robusta viri levitate cadit muliebri.
Vim frangunt cordis variæ modulamina vocis.
Absque modo tractus sæpissime frangitur arcus.
Gutta cavat lapidem, consumitur anulus usu.
D In psalmis & laude Dei torpescere noli.
Gaudia sunt populi rector pius atque benignus.
Quanto nobilius tanto magis flexile collum.
Sæpius exclusum foris obliviscimur intus.
Præmia sunt tecum, mors aufert cetera secum.
Divitiis posuisse modum non ultima laus est.
Munera quæ donat moriens, hæc munera non sunt,
Nulli ferme daret, uti si longius posset.
E Virtus est pueri præcepta servare magistri.

(a) Quando nimirum est involuntaria.





JOSLENI EPISCOPI SUESSIONENSIS EXPOSITIO SYMBOLI ET ORATIONIS DOMINICÆ.

Ex mſ. Marchianenſis monaſterii.

OBSERVATIO PRÆVIA.

SEquentem Joſleni epiſcopi Sueſſionenſis expoſitionem ſymboli & orationis Dominicæ deſcripſimus ex pervetuſto codice Marchianenſis monaſterii. Fuit autem Joſlenus tam ſæculari quam litterali ſcientia prædit**us**, *ut ſcribit Gaufridus monachus Clarevallis S. Bernardi notarius, in hiſtoria concilii Remenſis; Ludovici VII. Francorum regis una cum Sugerio S. Dionyſii abbate conſiliarius; ab Eugenio papa III. cum S. Bernardo ad Guillelmum Aquitaniæ ducem & Pictavenſem comitem pro ſchiſmatis extinctione miſſus legatus; ad quem extant plures Eugenii, S. Bernardi & Sugerii epiſtolæ, & a Nicolao monacho in vita S. Godefridi epiſcopi Ambianenſis hoc decoratus elogio:* Joſlenus archidiaconus ante Bituricenſis & magiſter celeberrimus Pariſienſis, Pater juſtitiæ & multorum cœnobiorum, hoſtis vitiorum, & caſtitatis cultor præcipuus. *Et certe ſi ordinis Præmonſtratenſis annaliſtæ credimus, quinque ejuſdem ordinis abbatiæ ejus opera conſtructæ fuerunt in diœceſi Sueſſionenſi. Sed & celeberrimum ordinis Ciſtercienſis ordinis monaſterium Longi-Pontis eumdem agnoſcit fundatorem.*

INCIPIT EXPOSITIO DOMINI JOSLENI SUESSIONENSIS EPISCOPI, IN SYMBOLO.

1. SYmbolum & orationem dominicam, ut tibi expoſita tranſmitterem, ſicut in eccleſiis ſoleo prædicare, poſtulavit faternitas tua. Moderato ſiquidem uſus es temperamento. Quis enim plene aut intelligere aut exponere poteſt dominicam orationem, quam Divina Sapientia, non per prophetam, non per apoſtolum, ſed proprio ore ipſa dictavit? Symboli quoque ſacramenta profunda ſunt, & ſacro tecta velamine. Attamen cum de fonte bibimus, mitigamus ſitim, etſi totum fontem non glutiamus. Sicut ergo populis ad intelli- A gentiam exponere ſolemus & tu poſtulas, Spiritu-ſancto dictante, dicere tentabimus. Et prius de ſymbolo agendum videtur.

2. In ſymbolo enim fidem quam ad Deum habemus, & quam fideles ei ſimus oſtendimus, ut per dominicam orationem audacius poſtulemus. JESUS enim non niſi fidelibus ſe credit, nec niſi ſumma largitur. Infidelis autem importunus petitor eſt, citoque paſſurus repulſam. Symbolum nomen eſt compoſitum ex ſyn græca præpo- B ſitione & bolo: Syn id eſt cum, unde quod nos conjuga, græcus ſynjuga dicit. Bolus bucata eſt, id eſt quantum panis vel cibi bucca ſimul capit. Sicut ergo multi convivæ confram faciunt, id eſt commune convivium, & unuſquiſque pro ſe ponit, ita & ſancti apoſtoli feciſſe noſcuntur. Poſt aſcenſionem

censionem namque Domini & adventum Spiritus-sancti, qui eos omnem docuerat veritatem, impleturi mandatum Christi, quo jusserat: *Ite in orbem universum prædicare evangelium, qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*, ne discors esset fidei prædicatio in numerosis apostolis, ante quam dividerentur, convenerunt. Confram spiritualem confecerunt, id est symbolum, in quo quidem non omnes partes fidei specialiter complexi sunt; sed XII. tantum sententias, sicut ipsi XII. erant, substituto jam Matthia pro Juda, ita ut unusquisque suam poneret. Quis quam? nondum in canonica scriptura legisse me memini. Hæ vero pernecessariæ sunt, ut his creditis, si in aliis non erret, salvari quis possit, sine his vero nemo ad salutem venerit postquam ad intelligibilem ætatem pervenerit. Dicit Athanasius: *Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit*. Fides namque omnium bonorum est fundamentum, humanæ salutis nuncium, & impossibile est sine fide quemquam placere Deo; sed siquis non ambulat per fidem, non perveniet ad speciem. Discat ergo quisquis baptisatur symbolum cum ad intelligibiles venerit annos. Patrini quoque dent operam, ut filioli sciant. fidejussores enim inde ad Deum effecti sunt, cum pro eis in baptismo responderunt. Quacumque autem lingua doceantur vel discant curandum non est, dum firmiter credant.

Marc. 16. 15.
Symbolum ab apostolis compositum.
Fidei necessitas.
NOTA.

3. Duodecim vero sententiæ, quæ conficiunt symbolum, sic distinguendæ videntur, ut prima sit: *Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ*. Secunda *Et in* JESUM CHRISTUM *Filium ejus unicum Dominum nostrum*. Tertia, *Qui conceptus est de Spiritu-sancto, natus è Maria Virgine*. Quarta: *Passus sub Pontio Pilato, mortuus & sepultus, descendit ad inferos*. Quinta, *Resurrexit a mortuis*. Sexta, *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus est judicare vivos & mortuos*. Septima, *Credo in Spiritum sanctum*. Octava, *Sanctam ecclesiam catholicam*. Nona, *Sanctorum communionem*. Decima, *Remissionem peccatorum*. Undecima, *Carnis resurrectionem*. Duodecima, *Vitam æternam*. Fides quidem quæ per symbolum demonstratur, in corde fidelis habet fundamentum, ibique plene cognoscit eam qui scrutatur renes & corda. At legisti: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, sed non tamen ei qui profert, sed eis qui audiunt. Nam cum multi per verba fidem suam alternatim cognoscunt, augetur caritas & multitudinis credentium fit cor unum & anima una. Est ergo fides, & semper corde servanda, & cum oportuerit voce promenda, juxta il-

Symboli duodecim articuli.
Rom. 10. 10.

A lud: *Non appareas in conspectu Dei vacuus*. Semper enim Deo si non voce, vel corde offerenda est fides. Dicat ergo qui audet: Credo in Deum, si verum dixerit, beatus est: *Justus enim ex fide vivit*.

Exod. 23. 15.
Rom. 1. 17.

4. Non dicit Credo Deum, id est quia Deus est, nec dicit Credo Deo, id est quia verax est. Sic enim credere non sufficit ad justitiam, quia & sic dæmones credunt & contremiscunt. Sed dicet credo in Deum. Hæc oratio quemdam processum fidelis animæ significat, cupientis hærere Deo per dilectionem, & consummari in ipsum B per bonam operationem atque voluntatem. Si dicat hoc criminalibus peccatis irretitus, mendax est: dum his servit, non proficit in Deum, sed deficit a Deo. Veritati per mendacium placere non potest, immo mentiendo perniciosus sibi est. *Os enim quod mentitur occidit animam*. Scrutetur ergo quisque se antequam hoc dicat, & si in crimine vel in criminis voluntate se invenerit, potius sileat. Quod si statim pœnituerit, & omni bona voluntate ad Deum se converterit, dicat secure Credo in Deum. C Deum singulariter dicit, ad distinctionem idolorum, quæ gentiles Deos credebant. Non enim est Deus, nisi unus, dicente Moyse: *Audi Israël, Deus tuus unus est*. Sed quia ille unus Deus est tres personæ, subdistinguit dicens Patrem, ac si diceret. Illum unum Deum credo Patrem, illum unum Deum credo Filium, illum unum Deum credo Spiritum-sanctum. Id est illum unam essentiam esse tres personas, illas tres personas esse unam essentiam, non plures. Si nondum intelligis, credo & intelliges. Non prius est intelligere quam cre- D dere, sed a mandatis tuis intellexi, nec fides proficit usque ad justificationem, quæ prius intelligitur per humanam rationem. Fides enim non habet meritum, cui ratio humana præbet experimentum. Si narrante aliquo quæ dicit intelligas, non habet tibi gratias, si credas. quod si nondum intellexeris, & tanti facias auctorem, ut discredere non possis quæ dicat, merito tibi gratus est. Hic est fons in quo non communicat alienus. Judæus aut gentilis Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate etiam audire abhorret, ideoque credere detre- E ctat, unde fit ut in præsenti sæculo, non consequatur justificationem quæ habetur per fidem; & in futuro non possideat vitam æternam, ut repetamus: *Justus ex fide vivit*. Sed revertamur ad expositionem. *Patrem* dicit, quia ante tempora coæternum sibi genuit Filium. *Omnipotentem creatorem cœli & terræ*, id est qui per omnipotentiam suam conditor est cœlestium & terrestrium, id est visibilium & invisibilium. Si quæras cum sit Filius omnipotens, & Spiritus-sanctus omnipotens, quare ad

Credere Deum credere Deo credere in Deum quid differant.
Sap. 1. 11.
Deut. 6. 34.
In Deo unitas essentiæ Trinitas personarum.
Rom. 1. 17.

Patrem adjunxit omnipotentem, & non ad Filium, non ad Spiritum-sanctum dici potest? Quædam senii debilitas innui solet per paternitatem, ut fortiores sint juniores Filii, quam parentes seniores. Sed talis non est, non imminuit potentiam, qui sibi conservat omnipotentiam.

Secunda pars symboli exponitur.

5. Sequitur: *Et in* JESUM CHRISTUM *filium ejus unicum Dominum nostrum. Et* conjunctio repetendum innuit *Credo*, ut dicatur: *Et credo in* JESUM CHRISTUM: quibus modis supra distinximus, quid erat credere in Deum Patrem, iisdem prorsus intellige credendum esse in Filium, quia cum æqualis sit Patri majestate, non debet minor esse in honore, ut sit credere in Filium promoveri in ipsum per bonam operationem atque voluntatem, ut eidem uniamur per caritatem. Nec vacant nomina quæ nomen præcedunt & subsequuntur, sed quasi quidam stimuli sunt promotionis nostræ in Filium, ac si diceret: jure sicut in Patrem credendum est nobis in Filium, quia & JESUS, id est Salvator noster est, de potestate diaboli salvans nos, & Christus id est unctus noster. Duæ personæ inunguntur, rex & sacerdos. Filius Dei rex noster est per hoc mare magnum & spaciosum, id est mundum regens nos; & pontifex pontem nobis faciens crucem suam, per quam de mundo hoc transeamus ad ipsum, juxta illud: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam*, &c. *Filium ejus unicum*, ac si dicat cum sint multi filii Dei, juxta quod dicitur in evangelio Johannis, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*. Filius iste unicus ejus est, consubstantialis & coæternus, unice genitus, ita ut non pars divinitatis a Patre derivet in Filium, & pars remaneat in Patre, sed in Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater. Quod si ita distinguas Filium ejus unicum Dominum nostrum, congrua est sententia. Ac si dicat: Filius iste in quem credendum est, Dominus noster est, non illa tantum communi dominatione, qua Pater est Dominus, Filius est Dominus, Spiritus-sanctus est Dominus, sed singulari quadam & unica, qua proprio sanguine nos emit juxta illud: *Emti enim estis pretio magno*, quia Pater incarnatus non est, unde posset fundere sanguinem, nec Spiritus-sanctus unde sustineret passionem.

Matt. 16. 24.

Joh. 1. 12.

1. Cor. 6. 20.

Symboli tertius articulus

6. *Qui conceptus est de Spiritu sancto ex* MARIA *Virgine*. Convenienter sine interpositione videretur debere sequi, *Credo in Spiritum-sanctum*, ut quia in solam Trinitatem, quæ est unus Deus, & non in aliud credendum est, postquam dictum erat, *Credo in Patrem*, *credo in Filium*, congrue diceretur, *Credo in Spiritum-sanctum* qui tertia persona est in Trinitate. Verum in congruus esset ordo verborum. Nam præmisso *Credo in Spiritum-sanctum*, si sequeretur *qui conceptus est de Spiritu-sancto*, potius referri videretur conceptio ad Spiritum, de quo proxime dictum erat, quam ad Filium, de quo remotius. Ideoque postquam dictum est, *Credo in Filium*, sine alterius interpositione, *qui*, subaudis Filius, *conceptus est*, *de Spiritu-sancto*. Omnis qui ex coïtu maris & feminæ concipitur, in peccato concipitur. Ipsa enim voluptas quæ in coïtu sentitur, nec in primis parentibus, nec in eorum sobole umquam esset, si illi priores non peccassent: quia ubi peccaverunt, in pœnam peccati voluptas ista propagata est, unde fit ut qui in ea concipiuntur, ita inficiantur originali peccato, cujus ipsa voluptas pœna est, ut perpetuo damnentur, nisi prius sacramento baptismatis eis subveniatur, juxta quod in evangelio dicitur: *Nisi quis renatus fuerit denuo, non introibit in regnum cælorum*. Et David de legitimo matrimonio natus erat, & tamen dicit: *Et in peccatis concepit me mater mea*. Ne ergo occurrat tibi illa peccati conceptio, cum audis *qui conceptus est*, statim adjungit, *de Spiritu-sancto*, id est non ex sanguinibus, non ex voluntate carnis, non ex voluntate viri, sed ex Spiritu-sancto, iste conceptus est, Adeo ut nullam voluptatem, quæ pœna est originalis peccati, in conceptione ista perpessa sit Virgo, sicut nec Eva si concepisset ante peccatum. Quamvis hoc Deificum magis & multo magnificentius comparari non potest. Dicit uxor concepit de viro, non ita intelligas, quia MARIA concepit de Spiritu-sancto: sed intellige id, quod hujus conceptionis auctor fuit Spiritus-sanctus, ut ipso illustrante & sanctificante cor Virginis, caro Christi de sola carne B. MARIÆ concepta sit, nulla sementivæ carnis origine extrinsecus operante. Sicut enim vermis calefaciente sole, de puro limo nascitur, sic Christi corpus de sola carne Virginis propagatur, unde se carni comparans, per psalmistam dicit: *Ego sum vermis & non homo*, id est conceptus more vermis de sola terra, non de admistione alterius seminis, & non more hominis, qui nonnisi commixtione seminum maris & feminæ concipi solet. Et attende quia non sic dicitur conceptus de Spiritu-sancto, quod ab hac operatione alienus sit Pater & Filius; quia quorum est una natura, & eadem essentia, non potest esse diversa operatio. Cooperante ergo tota Trinitate, conceptus iste factus est, ita ut ineffabili quodam generationis argumento ipse Filius esset in Virgine creator sui, qui se per Patrem & Spiritum-sanctum operabatur creandum. Licet autem tota Trinitas sacramentum istud operata sit, de Spiritu-sancto tamen mentio facta est, quia per

Peccatum originale.

Joh. 3. 5.

Psal. 50. 7.

Voluptas pœna originalis peccati.

Ps. 21. 7.

Christus conceptus cooperante tota Trinitate.

procedentem ab utroque, uterque unde procedit convenienter subintelligi potuit.

Natus intacta matris integritate.

7. *Natus ex* MARIA *Virgine*. Sicut singularis conceptus peccato non infecit virginem, ita singularis nativitas non corrupit virginitatem, quia sicut uterum matris non aperuit conceptus; sic nec aperuit partus; sed sicut Virgo fuit ante conceptum & partum, eadem perseveravit post conceptum & partum. Quæri potest cur Deus humanam naturam assumturus, de massa corrupta in Adam voluit eam accipere, & non potius eam creare novam, neque de patre neque de matre, sicut fecerat Adam. Sed multo mirabilius fuit eam assumere incorruptam, quam si incorruptam creasset, nulla præcedente corruptione. assumsit autem eam de sola muliere, quia sexus muliebris videbatur indignior misericordia & redemtione propter Evam, quæ prima traxit virum in mortem & secuturam ejus sobolem. Traxit autem non ex seductione. Mulier enim seducta fuit. Adam vero est seductus, sed sciens maluit parere uxori in malum, quam eam offendere. Hic est pars tertia.

Pars quarta Christi ignominiosa complectens. 1. Cor. 1. 23.

8. *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad inferos.* Ignominiosa Christi in parte quarta collocantur, juxta quod ait apostolus: *Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, nobis autem Dei virtutem & Dei sapientiam. Nam quod infirmum est, Dei fortius est hominibus.* Pilati mentio non ad aliquam personæ dignitatem, sed ad solam temporis determinationem imponitur. Multi enim fuerunt JESU, sed ut determinetur quis sit ille JESUS, in quem credendum sit, *qui conceptus de Spiritu-sancto, natus sit ex* MARIA *Virgine*, apponit, *Passus sub Pontio Pilato*, ac si dicat? Ille est qui passionem substinuit, Pontio Pilato procurante Judæam. Solent enim tempora per principes determinari. Passus ergo est naturaliter impassibilis Deus in assumta passibili natura, ut humanum genus quod passionibus subjacebat, ad impassibilitatem reformaret, juxta quod dicitur: *Oportebat pati Christum & ita intrare in gloriam suam.* (Luc. 24. 46.) Ac si dicat: In hoc fuit opportuna Christi passio, per quam effectum est, ut cum omnes resurrecturi sint fideles, immortales resurgant impassibiles, quæ est gloria resurrectionis.

Crucis supplicium ignominiosissimum. Sap. 2. 20.

9. *Crucifixus.* Ignominiosissimum erat genus mortis, quod per crucem infligebatur. Unde legitur: *Morte turpissima condemnemus eum.* Voluit ergo crucifigi, ut a cruciatibus æternis nos liberaret, & ad vitam æternam transferret. Quia enim diabolus in eum extenderit manum præsumtive, in quem nullum jus poterat habuisse, utpote qui peccatum non fecit, nec in eo conceptus est, jure amisit dominium quod super humanum genus sentiebatur extendisse & exercuisse. Potuit alio genere mori JESUS, sed nullum quam crucis fuit convenientius. quia enim infideles mortem Christi quasi alterius damnati inutilem existimabant, in ipso genere passionis ostensum est utilissimam eam esse, quæ & cœlo gaudium & inferno remedium & toti mundo pararet redemtionem. Nam cum de inferno beatorum animas qui eam expectabant extraxit, & paradisum aperuit, & ipsis remedium angelis, de eorum societate multiplicavit gaudium. quod significari potuit per sublimitatem crucis, in qua titulus scriptus est, & per partem quæ in profundo terræ fixa est. quod vero toti mundo profutura esset, ex eo notari potuit, quod alia pars crucis respexit orientem, alia occidentem, alia Austrum, alia septentrionem, ut per hoc inveniret, quatenus omnibus, qui diversas mundi partes habitant, nisi in eis remaneret, sufficientem reportaret redemtionem. Sacramenta crucis exequi formidamus, profunda enim nimis sunt & nocitura compendio.

Cur in cruce Christus voluerit mori.

Per triduanam Christi sepulturam tria in nobis peccata destructa.

10. *Mortuus.* Vera quippe morte mortuus est, sicut vera nativitate natus, ut nos ab æterna morte liberaret, & per mortem temporalem vitam nobis conferret æternam. *Et sepultus.* Ideo sepeliri voluit, ut nos sibi vitiis & concupiscentiis suis consepeliret. Unde dicit Apostolus: *Quicumque baptizati sumus in* CHRISTO JESU, *in mortem ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum ipso per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gratiam, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* (Rom. 6. 4.) Id est omni vetustate deposita, conformemur Christi similitudini, ut per trinam baptismi mentionem & triduanam Christi sepulturam, tria in nobis destruantur genera peccati consensus, actus & consuetudinis. In quo quidem vetus homo noster cum ipso crucifixus est.

Descendens Christus ad inferos sanctis paradisi januam aperuit.

11. *Descendit ad inferna.* Non fuit otiosa illa tridui mora inter mortem & resurrectionem, quoniam dum corpus jacuit in sepulcro, anima descendit in infernum, ut animas sanctorum, qui istam expectabant redemptionem, secum duceret in paradisum, & paradisi porta quæ in pœnam ab initio cunctis clausa fuerat, remoto cherubim, qui in introitu paradisi cum flammeo gladio positus fuerat, tunc aperta fuit, ubi simul intrarent boni, nec præcesserunt Johannes Baptista & SS. Innocentes Latronem, qui audierat a Domino. *Hodie mecum eris in paradiso.* (Luc. 23. 43.) Attende quod anima Christi licet separata fuerit a corpore, quantum distat infernus a sepulcro, unio tamen personæ divinitatis & humanitatis in Christo postquam semel inita est, non desiit, nec

desinet esse, nec remota a corpore velamine potuit esse divinitas, quæ ubique est juxta Psalmum: *Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades.* Si adhuc plene non intelligis crede. Hæc ergo infirma Christi superant omnem fortitudinem mundi.

Psal. 138. 8.

Qua ratione Christus tertia a die post mortem resurrexisse dicendus est.

12. *Tertia die resurrexit a mortuis.* Sexta feria crucifixus vel circa horam IX. emisit spiritum, ita per ultimam partem VI. feria, quin etiam & per totum sequens sabbatum & circa primam partem Dominicæ, quæ dicitur prima sabbati resurrexit Dominus, & sic vera est sententia; *Tertia die resurrexit a mortuis*, non quod tres dies integri transcurrissent, sed trium dierum aliquæ partes. Surrexerant multi ante Christum, sed postea resoluti sunt in mortem. Lazarus resuscitatus est, & episcopus factus, rexit ecclesiam [a] Jerosolymorum. Iterum autem mortuus est: *Christus vero resurgens a mortuis, jam non moritur*, unde veræ resurrectionis testis est. Ea enim vera est, quæ morte non solvitur. Hanc suis promittit Deus juxta apostolum: *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.* Hic est pars V.

[a]

Rom. 6. 9.

Rom. 6. 5.

13. *Ascendit ad cælos sedet a dexteram Dei patris omnipotentis, inde venturus est judicare vivos & mortuos.* Quadraginta dies intercurrerunt inter Pascha & Ascensionem, in quibus cum discipulis conversatus est Dominus. Sicut in pascha resurrexit, ita in die ascensionis conditionem naturæ nostræ, quam de homine matre natus assumsit, super cœlos collocavit. Nam secundum divinitatem qui ubique erat, & ibi deesse ante non poterat. Quod vero sedere dicitur, non ad membrorum positionem referas animum, quasi in hoc statu sit, sed judiciariam intellige potestatem: quia *omne judicium dedit Pater Filio. Sedet ad dexteram Dei Patris.* Non est Deus Pater corporale aliquid quod dexteram habeat vel sinistram; simplicissima natura, quæ ubique tota est, nullis dimensionibus circumscribi potest, ut aliquid ejus dextrorsum sit & sinistrorsum, ante vel retro, sursum vel deorsum: sed per dexteram intellige summam beatitudinem, in qua æqualis est semper Patri Filius: sicut econtrario per sinistram summam miseriam, juxta illud: *Hædi autem a sinistris. Inde venturus est judicare vivos & mortuos.* Apostolus dicit: *Omnes rapiemur obviam in aëra.* Ibi enim creditur esse futurum judicium. *Veniet* autem, secundum humanitatem dictum est: quia viderunt crucifixores Domini in quem pupugerunt, id est ipsius humanitatem. Tolletur tamen impius, ne videat gloriam Dei, neque omnino miser esse poterit, cui Deus manifestabit seipsum. *Vivos* intellige eos, quos adventus ejus, qui sicut fur in nocte veniet, ad hoc viventes inveniet, qui tamen in ipso adventu morientur, & si quid adhuc erat, in eis longo tempore puniendum, in momento purgabitur, præ terrore & horrore & angustia adventus ejus. *Mortuos*, scilicet quos adventus ejus jam mortuos inveniet & resuscitabit. vel vivos justos, qui ad vitam destinati sunt; mortuos, qui morte æterna damnandi sunt. Attendant hujus fidei professores in hoc symbolo, ad hoc Christi humanitatem & humiliationem, per quam reconciliati sunt, ita diligenter commemoratam, ut ingrati non existant beneficiis redemtoris sui, qui eos per suam humanitatem reconciliavit, per Deitatem absolvit, ne jure priventur paternis bonis propter ingratitudinem sibi abjudicatis.

Sedere ad Patris dextram quo modo Christus dicatur.

Job. 5. 22.

Matt. 25. 33.

1. Theſſ. 4. 17.

Hic completur pars VI.

14. *Credo in Spiritum sanctum.* Spiritus-sanctus tertia persona est in Trinitate, qui est verus & unus cum Patre & Filio Deus. In eum ergo sicut in Patrem & Filium credendum est, qui consubstantialis Patri & Filio, ab utroque æqualiter procedit. Quid sit autem credere in Deum, sicut supradictum est, hic recollige. Convenienter autem in septima parte fides Spiritus-sancti, qui septiformis dicitur, collocatur, propter septem gratias quæ in Isaia leguntur.

15. *Sanctam ecclesiam catholicam*, repetendum est *Credo*, & *In* præpositio prætermittenda. Non enim in aliud credendum est, nisi tantum in Patrem & Filium & Spiritum-sanctum, nec alibi quietem invenit rationalis creatura. unde in psalmo: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum.* Et alibi: *Concupivit & deficit anima mea in atria Domini.* Sic ergo distingue: *Credo ecclesiam catholicam esse sanctam.* Ecclesia congregatio fidelium, catholica communis interpretatur. Ea itaque congregatio fidelium sancta credenda est, quæ communi fide innititur, ea scilicet quæ prædicata ab apostolis, firma perseverat in prælatis ecclesiarum & inviolabilis permanet, & in multitudine populorum, & non ea quæ in cubiculis, vel post telas ab hæreticis susurratur. Hic est pars VIII.

Psal. 41. 3.

Psal. 83. 3.

Ecclesia catholica sancta.

16. *Sanctorum communionem.* Repetendum est, credo sanctorum communionem, id est ecclesiasticorum sacramentorum veritatem, cui communicaverunt sancti, qui in unitate fidei de hac vita migraverunt, ut plenius intelligas, si quis te interroget, ut in sermone te capiat, quid sentias de baptismo, quid de corpore & sanguine Domini, quid de ceteris sacramentis, noli cum furno hiare, sed breviter responde, id credo de his & ceteris sacramentis, quod sancti crediderunt veraciter. Credo sanctorum communionem, id est sanctos communiter habere dona cœlestia, non quod alter

Hic est pars VIII. Sanctorum communio quid.

(a) Non ergo existimabat Joslenus Lazarum fuisse Massiliensem episcopum.

1 Cor. 15. 41. alter plus altero non habeat, quia *differt stella a stella in claritate*; sed ita invicem ardent in claritate, ut nec inferior superiori invideat, nec superior inferiorem contemnat.

17. *Peccatorum remissionem.* Repetendum est, credo remissionem peccatorum, non eorum tantum quæ per baptismum remissa sunt; sed & eorum quæ per humilem confessionem digna satisfactione mundantur. Hæc est pars x.

Hic est pars xi.

18. *Carnis resurrectionem.* Repete *Credo.* Humana caro quæ aliquando animata fuit, in die judicii resurrectura est, & quælibet anima corpori quod rexit, quantumlibet putrefacto, quantumlibet disperso, in momento, in ictu oculi assignabitur, ut boni duplici stola, id est in anima & corpore beatificentur, & mali duplici contritione conterantur. Hæc est pars xi.

Hic est pars xii.

19. *Vitam æternam.* Repetendum est *Credo.* Mortuorum resurrectiones, quæ ante Christum & post Christum celebratæ sunt, mors subsecuta est: generalis vero ista resurrectio separationi animæ a corpore obnixa non est; sed sive boni ad percipiendam vitam æternam, sive mali ad sustinenda æterna supplicia, perpetuo subsistent. Hic completur pars xii. *Amen.* Amen quasi signaculum totius est symboli, ac si dicatur, quicquid in his xii. sententiis continetur, necessarium est ad fidem quæ perducit ad speciem.

INCIPIT EXPOSITIO EJUSDEM DE ORATIONE DOMINICA.

1. Sicut tua postulavit fraternitas, symboli sensum, profundiora veritatis aliquantisper explanavimus. Nunc ad Dominicæ orationis profundum convertimur, non in abysso fundum quærentes, sed in superficie tantum natare cupientes. Dominica enim oratio adeo brevis est, adeo longa; brevis verbis, longa in sententiis, ut nemo sit qui non in ejus contemplatione cœcutiat. Omnis quippe rationabilis postulatio, aut de appetendis bonis est, aut de vitandis malis, & de dimittendis commissis. Quicquid ultra citraque est, aut imperfectum est, aut superabundans. Totum hoc in tam compendioso sermone diligens lector circumscripte inveniet. Nam cum oramus, ut sanctificetur nomen Dei, ut adveniat regnum ejus, ut fiat voluntas ejus sicut in cœlo & in terra, ut panis quotidianus detur nobis, hoc pro appetendis bonis est vitæ futuræ vel præsentis. Cum vero dicimus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, pro dimittendis commissis est. Cum vero supplicamus ne nos inducat in tentationem, sed liberet nos a malo, pro vitandis malis aperte est. Hac igitur oratione devotius orandum est, in qua nec extra relinquitur quod necessarium sit, nec intra postulatur quod superfluum. Credibile est Deum non facile negare quod per verba quæ docuit postulatur, si voci mentis concordat affectus. Docuit siquidem nos orationem qui docuit humilitatem Jesus Christus, dicens: *Discite a me quia mitis sum & humilis corde*; Matt. 11. 29. qui docuit sobrietatem, dicens: *Non graventur corda vestra in crapula & ebrietate*; Luc. 21. 34. qui docuit nos jejunare dicens: *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes*; Matt. 6. 16. qui docuit eleemosynam facere, dicens: *Cum facis eleemosynam, nesciat dextera tua quid faciat sinistra.* Ibid. 3. Qui hæc docuit, orationis doctrinam præterire non debuit, quæ ad supradicta consequenda & conservanda plurimum valet, dixitque: *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & cum oraveris, ora Patrem tuum.* Matt. 6. 6. Qualiter orandum sit prius docet, id est, ut exclusis phantasiis terrenarum cupiditatum, quæ per ostia sensuum descendunt ad cor, quod per cubiculum significatur, ita in unum conveniant cor & lingua in oratione, ut quod alterius est, de altero prædicetur, juxta Psalmistam: *Tibi dixit cor meum*; Psal. 26. 8. & alibi: *Sed & lingua mea meditabitur justitiam tuam*, Psal. 34. 28. cum potius ad linguam locutio, ad cor pertineat meditatio. Parum tamen prodest scire qualiter orandum sit, nisi etiam sciamus quid orandum sit, quod nisi doceamur, scire non possumus, dicente Apostolo: *Nam quid oremus, sicut opus est, non scimus, sed Spiritus-sanctus postulat pro nobis*, Rom. 8. 26. & docet, postulare facit, & cum eo Pater & Filius, quia eadem est doctrina, & operatio trium.

Orationis Dominicæ verbis brevis, longa sententiis.

Quomodo orandum.

Quid orandum.

2. Dicit autem, sic autem orabitis, *Pater noster*, & nota quam diligens doctor est, qui tam compendiosis verbis, id est motulis septem sive petitionibus universa postulanda comprehendit. Alioquin si per dispendia verborum hoc fecisset, pravum cor hominis & instabile cum longo sermone teneri non posset. Nam qui meditationem cordis cum *Pater noster* non habet, cum toto psalterio vix habere poterit. Meliora tamen sunt quinque verba cum intellectu, quam decem millia verborum sine sensu. Istarum vero septem petitionum tres primæ in præsenti vita operari possunt & postulari, nonnisi in beata vita perficiuntur. Tres ultimæ in præsenti vita necessariæ sunt, ut ad beatam vitam perveniatur; sed cum ad illam perventum fuerit, omnino necessariæ non sunt. Media vero quæ est: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, ex parte in præsenti vita necessaria est, & cum ea finietur: ex parte vero ad futuram vitam spectat, & nonnisi in ea durabit & perficietur, quod sic in singularum expositionibus, Deo volente ostendemus. Nunc ad ipsum

Orationis Dominicæ petitiones aliæ ad præsentem, aliæ ad futuram pertinent vitam.

corpus Dominicæ orationis exponendum veniamus.

3. *Pater noster qui es in cœlis.* Oratorum sæcularium mos est, ut cum grande aliquid judici persuadere intendunt, utantur exordio ad captandam ipsius præcipue benevolentiam. Juxta hunc morem spiritualis iste postulator docetur a creatore suo, a redemtore, a confratre suo JESU, antequam postuletur, ejus benevolentiam captare, a quo impetrare desiderat, & dicit *Pater noster*, ac si diceret: Grande quidem est quod postulare volo, sed a Patre postulo, non ab alieno. Natura eram filius iræ, gratia autem præveniente & subsequente, fide mundans cor, filium adoptionis esse voluisti, heredem tui, coheredem Christi: quomodo ergo quicquam negare poteris, qui tam admirabile dedisti, ut sis ei Pater? Sub veteri testamento quis præsumebat Deum appellare Patrem? Dominus nomen illi. Et, ego Dominus. Timore serviebant, ut servi, & non amore ut filii. Populus vero adquisitionis, non tam timore quam amore subjectus est ei. Videat tamen qui dicit *Pater* ad Deum orans, ne mentiatur. Si enim Deus est ei pater, & ipse est ei filius. Sed dicit evangelium: *Cujus opera facis, ejus filius es.* Si opera carnis facis, filius diaboli es, quæ manifesta sunt, fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, &c. qui talia agunt regnum Dei non consequuntur. Quod si in aliquo supradictorum actu vel voluntate te invenis, ne usurpes Deum appellare Patrem. Jure indignabitur adversus filium diaboli, qui se mentitur Deum habere Patrem. Et quis est qui actu vel voluntate non fecerit opera diaboli? *Omnes quidem peccavimus, & si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Nemo ergo ad salutem suam dicet *Pater noster*? Absit. Attende. Sapientia sapienter locuta est; non dixit, cujus opera fecisti, alioquin omnes filii diaboli essemus. sed cujus opera facis innectens, ac si dicat: Dicturus *Pater noster*, præcogita si in aliquo criminali actu sis, aut in criminali voluntate. Si talem te invenis, tace. filius diaboli es, non te exaudiet Deus sub patris nomine, quia non filius ejus es, sed potius filiaster. ne desperes, descende in cor, pœniteat te peccasse, muta malam voluntatem, arripe boni desiderium, jam filius Dei es. Opera enim ejus jam volendo facis, perfecta voluntas animi reputatur pro opere facti. Dic ergo audacter *Pater*. nihil debet carius esse filio quam Pater, nec Patri quam filius. Caritas Dei in te est.

Quanta Dei dignatio, qui noster voluit esse Pater.

1. Joh. 1. 8.

4. *Noster.* Cognoscit iste petitor, Deum non singulariter unius, sed omnium fidelium Patrem, ejusdem vero Patris filios fratres esse necesse est. Quod fratres eos esse cognoscis, amare invicem oportet. nam *Si*

Deus omnium Pater, non unius solum.

A *fratrem quem vides non diligis, Deum quem non vides, quomodo potes diligere?* Deum diligis & proximum? perfectus es in caritate. nihil tibi negat qui caritas est. Jam non contemnat dives pauperem, si eum fratrem recognoscit. Et vide quam benigna oratio, quæ numquam pro se solo, sed pro omnibus confratribus orat. EFFICACIOR est autem oratio, cum omnes pro omnibus, quam cum singuli pro se solis orant, juxta illud: *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevan-*
B *tem.*

1. Joh. 4. 20.

Eccle. 4. 19.

5. Et ne putetur ad carnalem patrem dirigi hæc oratio, adjungit, *Qui es in cœlis*, id est qui mansionem habes in his, quorum conversatio & desiderium in cœlestibus est, id est in dilectoribus tuis, juxta illud: *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & mansionem apud eum faciemus*; non quod divinitas magis in cœlo circumscribatur, quam in terra, quia ubique est. Sed accommodatissime justi cœli nomine significantur, sicut ibi: *Cœli enarrant gloriam Dei.*
C Peccatores terra dicuntur, sicut ibi: *Terra es, & in terram ibis.* quasi tantum spiritualiter distet inter justum & peccatorem; quantum corporaliter inter cœlum & terram.

Joh. 14. 23.

Psal. 18. 2.

Gen.

6. Captata benivolentia, postulat *Sanctificetur nomen tuum*, & hæc est prima postulatio, de his quæ nonnisi in beata vita perficiuntur. Videretur autem rationabilior ordo, ut primum illa peteret, quæ in præsenti vita proficiunt, & ad primas consequendas in beata vita necessariæ sunt. Sed attende quod postulator iste ita caritate fervet, ut quæ posteriora sunt & transitoria obliviscens, ad anteriora & semper
D manentia toto animi desiderio anhelet, dicitque, hæc oro, hæc postulo, ut nomen tuum sanctificetur, non ut sanctum sit, quod non sanctum esse impossibile est. Hoc enim otiosum esset, sed ut ab omnibus sanctum cognoscatur. nunc in Judæa notus est Deus, id est in fidelibus & confitentibus. Gentes vero ignorant Deum; sed cum dies judicii advenerit, & justi suscipient æternam beatitudinem, injusti vero summam miseriam, tunc ab omnibus cognoscetur Deus, & nemo ex tunc idolum credet esse Deum. Vel aliter: *Sanctificetur nomen tuum*, hoc scilicet
E Pater. Judæi & gentes quæ non credunt JESUM Dei Filium, non credunt Deum ei esse Patrem consubstantialem, coæternum, sed & ipsi non credunt in baptismate regenerationem, in qua adoptamur a Deo Patre in filios & filias, sed canes vocant nos. Nomen ergo paternitatis in Deo non sanctum, sed abominabile eis ideo videtur. Sed cum ad beatam vitam ventum fuerit, & videbunt universi omne judicium datum Filio, non poterunt negare quin Deo Filio Deus sit Pater. Nam cum viderint denuo

Prima Dominicæ orationis petitio.

natos in sacramento baptismatis in dextera collocatos, ut perfruantur bono paternæ hereditatis, heredes Dei, coheredes autem Christi, tunc indubitanter apparebit in Deo sanctum nomen paternitatis. Vel ita: Nomen & gloria Patris est Christus. Ab hoc nomine Christiani denominantur. Precatur ergo ut nomen Christianum, quod modo Judæis & gentibus exsecrabile est, ab eis sanctum cognoscatur; quod fiet in beata vita, juxta illud: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore.* Quomodo ergo sunt inter filios Dei? (Sap. 5. 4.)

(Petitio secunda.) 7. Secunda petitio: *Adveniat regnum tuum.* quo veniet, aut unde veniet quod ubique est? Nusquam enim est ubi non regnat Deus, juxta illud: *Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum ades*, &c. (Ps. 138. 8.) Phreneticus nescit ubi est, aut quis est, & tamen usquam est, aliquis est. Cœcus nescit lucem propinquam, & tamen cum peccatis servit, super se Deum regnare non cognoscit, quia non est Deus in conspectu ejus. Orat ergo ut regnum Dei, quod deest ignorantibus, ab omnibus cognoscatur. Vel apertius, in his præcipue regnat Deus, in quibus peccatum non regnat, nec est, nec esse potest. Regnat in diabolo & in membris ejus, quibus placet peccatum & ei omnino non resistunt. Est & non regnat in his qui cum ex fragilitate carnis vel ex suggestione diaboli peccaverunt, statim pœnitet eos, & sine mora confitentur. Esse potest & non est, ut in recenter baptizatis, & sicut in Adam antequam prævaricatus fuisset: verum in beatis angelis, qui post casum aliorum ita confirmati sunt, ut jam peccare non possint, & in sanctorum animabus regnare dicitur Deus. Postulat ergo ut in illa excellentia Deus regnet in nobis, in qua regnat in angelis, scilicet ut peccatum omnino alienum sit a nobis, neque regnet, neque sit, neque esse possit.

(Tertia petitio.) 8. Tertia petitio: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.* Voluntati ejus quis resistit? Et tamen orat ut ita fiat concors voluntas fidelium adhuc in terra commorantium voluntati Dei, sicut concors est voluntas sanctorum angelorum, quibus nihil displicet, quod Deo placeat; nec quicquam placet, quod Deo displiceat. Vel ita: Modo caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Precatur ergo ut sopita hac diffidentia, tota anima sicut ratione concordat Deo, ita sensualitate qua gravatur a carne, ab eis nullo modo diffideat, juxta illud: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*, quod non nisi in beata vita perficietur. Et hæc est tertia petitio. (Psal. 83. 3.)

(Quarta petitio.) 9. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Dicunt grammatici, quod panis a *pan* A græco dicitur, quod est *totum.* Unde hic per panem omnis substantia, quæ ad præsentem vitam transigendam necessaria est, non incongrue postulatur, id est victus & vestimentum necessaria corpori juxta Apostolum: *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus*, atque doctrina verbi Dei, & communicatio corporis & sanguinis Domini, quæ sunt viaticum animæ in præsenti vita ne deficiat in via, ut non perveniat ad vitam beatam. Dicatur ergo *panem* sicut supra expositum est, *nostrum*, & non alienum. Alienum enim a nobis est quicquid superfluum est, & juris alterius est qui eo B indiget. *Quotidianum*, qui quotidie necessarius est. Neque enim panis temporalis semel sumtus in sempiternum sufficit, sed de die in diem necessarius est. Quod si realiter corpus & sanguinem Domini sumimus, spiritu & fide communicantibus unimur. Unde in communione osculum pacis a sacerdote populo promulgatur. *Da nobis hodie.* Moderatur postulator petitionem suam, in longum non excedit, dum hodierna contentus est. Præceptum sequitur evangelicum: *Nolite solliciti esse de crastino, crastinus enim ipse cogitabit sibi.* Et nota C quod crastini cogitatio & sollicitudo, non providentia prohibetur. Illa enim Deo quasi quadam diffidentia innuere videntur, quasi non videamur habere a bonitate Dei necessaria, nisi studio & humana sollertia præparentur. Credenti autem quod multum bonum est ab homine, sed universum a solo Deo, licet de futuro providere: Alioquin monachi & eremitæ qui sunt in conventibus suis, per totum annum victualia provident, extra *Pater noster* essent. Quamvis quidam exponant hodie, quasi hoc anno, ut de messe ad messem, de vindemia ad vindemiam, sine peccato provi- D dere liceat. Quarta petitio sic exposita ad tres sequentes videtur pertinere. Postulat enim necessaria præsentis vitæ, non æternæ, quia tunc nec corpus cibo & potu nec anima prædicatione vel corporis & sanguinis Domini reali assumtione egebunt, cum Deus erit omnia in omnibus. Alia littera est, *panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Refectio quæ omnem substantiam superat, Deus est, qui recte supersubstantialis dicitur. Materialis panis lenire famem & sitim potest, non delere. Etenim E hodie satur, nisi cras vel post cras satietur, esurit & sitit. Postulator igitur iste hanc fastidiens vicissitudinem, orat illo pane cibari, qui est super omnem creaturam, quo cibato non esuriet neque sitiet amplius, juxta illud: *Beatus qui comedet panem in regno cælorum. Quotidianum*, quia nec per momentum sine Deo esse non possumus, & hodie dari petit. Verum hodie in beata vita erit, quod nulla nox interpolabit, quia

(Panis nomine omnia necessaria putantur.) (1. Tim. 6. 8.) (Osculum pacis ante communionem.) (Matt. 6. 34.)

unus & quotidianus dies semper erit. In A hoc ergo die pane angelorum pro modulo suo cibari desiderat, ubi quomodo illi, nec ipse amplius esuriat. Juxta hanc expositionem, ad tres præcedentes pertinere videtur, & id postulat, quod non nisi in beata vita implebitur. Ideoque superius hanc petitionem, quam medium terminum appellavimus, quia secundum alteram expositionem cum tribus præcedentibus, secundum alteram cum tribus sequentibus participare videtur.

Quinta petitio.

10. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus.* Quinta hæc petitio de dimittendis commissis ad præsentem vitam pertinet. In beata enim vita nemo peccabit, ideoque dimissione peccatorum opus non habebit. Postulator ergo iste, qui ad bona beatæ vitæ in primis postulationibus tam ardenter se extenderat, rediens ad se cognoscit adhuc se conversari in misera ista vita, quæ plena est miseriis & peccatis, orat ut dimittantur nobis debita nostra, quibus non dimissis, ad regnum cœlorum non pervenitur. Rogat autem hoc cum hac additione: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, id est si dimittimus, dimitte; si non dimittimus, ut dimittas non præsumimus postulare. Gravis conditio: *Qui odit fratrem suum homicida est.* (1. Joh. 2. 11.) Occidis aliquis fratrem tuum, nisi dimittis ei, sed desideras mortem ejus, & dicis dimitte, sicut dimittimus. Insanus es. Sed fortassis prætereunda hæc conditio, & simpliciter dicendum: *Dimitte nobis debita nostra.* Si vis corrigere: *Pater noster*, & sapientior videri quam ipsa sapientia, quæ eam dictavit, insipientissimus es. Si vis dimitti, dimitte. Juxta evangelium, *dimitite & dimittetur vobis.* Alioquin qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, clamabit, & ipse non exaudietur. Etiam munus tuum non recipit Deus, nisi tu prius tuas dimiseris offensas, juxta illud evangelium: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* (Matt. 5. 23.) Debita poscit remitti. Peccata ideo appellari videntur debita, quia pro eis debetur satisfactio, quia sicut nullum bonum inremuneratum, ita nullum malum impunitum. Videtur ergo petere, ut peccata pœnitentibus nobis omnino remittantur, & satisfactio pro peccatis lenior fiat, & citius indulgeatur. Nam & bene defunctorum animæ, quibus remissa sunt peccata in pœnitentia & confessione, in purgatoriis locis purgantur, si non plenam satisfactionem fecerint in præsenti vita, pro quibus etiam post mortem sacrificium corporis & sanguinis Dei offertur, & eleemosynæ fiunt, ut pœna qua purgantur eis mitior fiat, & citius finiatur. Credit aliquis fratri suo egenti pecuniam vel quamlibet substantiam suam sine fœnore, melius fecisset, si dedisset; attamen bonum facit, si præstando egenti subvenit. Numquidnum dimittet ei Deus, si & hic debitum non dimiserit? Absit. Verum tamen si adeo pauper sit, quod reddere non possit, melius est dimittere, quam angariare, juxta illud: *Serve nequam omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me. Non ergo & tu debuisti misericordiam conservo tuo, sicut & ego tui misertus sum?* (Matt. 18. 32.) Sequitur, *& ne nos inducas in* B *tentationem.*

Si vis dimitti, dimitte.

Sexta petitio.

11. Sexta petitio de removendis futuris malis est. Non enim sufficit dimissa nobis esse mala præterita, nisi servet nos Deus de his in quibus nondum incidimus. Et hoc ita dicit: *Ne inducas nos*, &c. Tentari non est peccatum, sed coronam generat. *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* (2. Tim. 2. 5.) Legitur: *Tentavit Deus Abraham*, (Gen. 22. 1.) & *tentat vos dominus Deus vester.* (Deut. 13. 3.) Nisi consensum præbeas perversæ tentationi, quam vel caro infligit, quæ concupiscit adversus spiritum, vel immittit malignus spiritus, juxta illud: C *Immissiones per angelos malos*, (Psal. 77. 49.) non peccas, sed te in melius promoves. Quod si in plena voluntate habes opere complere, unde tentaris, si posses, prima morte mortuus es. Verendum est ne in secundam operis, & in tertiam proruas consuetudinis. Orat ergo ut non inducat nos Deus in aliquod peccatum: sed quia sine ipso a peccato nos abstinere non possumus, inducere in tentatione videtur, cum nos non deffendit, & gratiam non largitur: quam tamen gratiam non nisi gratis donat, quia non eam promeruimus, immo juste perdidimus. Et nota quod cum postulat non induci in consensum pravæ D tentationis, omne genus peccati orat a se longe fieri, quoniam qui non consentit non operatur, qui non operatur non consuescit. Et hæ sunt tres mortes animæ, in quas precatur non induci.

Septima petitio.

12. Septima est. *Sed libera nos a malo.* Vita præsens sine quocumque peccato non subsistit secundum Johannem: *Si dixerimus quia peccatum non habemus ipsi nos seducimus*, (1. Joh. 1. 8.) &c. Sed levia sunt & quæ facile, si tantum nos pœniteat, veniam consequuntur, & in communi, *Confiteor Deo* deleri creduntur. E Petit ergo liberari & ab his malis, sine quibus vita præsens ex fragilitate carnis non geritur. Aliter, *Libera nos a malo*, id est a diabolo. Diabolus enim præcipue dicitur malus, sicut e contrario, *nemo bonus nisi solus Deus.* (Marc. 10. 18.) Quia ergo diabolus fini nostro insidiatur, & non curat quales fuerimus, sed quales circa finem vitæ existamus; in eo articulo petit liberari a diabolo, ubi & B. Martino adstare præsumsit, ut in eo tunc mali nihil

nihil reperiat, sicut in B. Martino nihil reperit.

Amen. Amen quasi sigillum est confirmationis, ut si fideliter postulat, repulsam non patiatur. Septem istas petitiones Lucas in quinque comprehendit. Nam *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra* præteriens, in duabus præcedentibus contineri intelligit. Ultimam, *Sed libera nos a malo*, non apponit, quasi in præcedenti contineatur, *Et ne nos* A *inducas*, unde non apponitur, *Et libera nos* immo, *sed libera*, ut non per se sit petitio, sed de superiori pendens. Nituntur quidam his VII. petionibus VII. dona Spritus-sancti & octo beatitudines applicare; sed quoniam ad eruditionem simplicium non multum prodesse videntur, scienter præterivimus.

Explicit expositio domni Josleni Suessionensis pontificis in symbolo & oratione dominica.



PETRI VENERABILIS
ABBATIS CLUNIACENSIS
LIBRI II.
ADVERSUS NEFANDAM SECTAM SARRACENORUM.

Ex manuscripto codice Aquicinctensi auctoris ævo conscripto.

OBSERVATIO PRÆVIA.

EA est celeberrimi Cluniacensis monasterii prærogativa, ut primos omnes abbates & scientia & sanctitate illustres habuerit, quorum exemplo non minus quam industria & zelo, per ducentos circiter annos integra in eo illibataque viguit regularis disciplinæ observatio. Primus ab ea deflexit, qui S. Hugoni successerat Pontius abbas: at qui ipsi suffectus est Petrus Mauritius, vulgo Venerabilis dictus, vir natalium splendore, doctrina & pietate vix ceteris impar, inflictas ab eo ruinas statim reparare curavit. Nec solum ordinis monastici, sed ipsas etiam ecclesiæ maculas delere sollicitus, præcipuos ejus hostes eruditis scriptis strenuissime impugnavit. Nam & Judæos singulari libro confutavit, ætatis suæ hæreticos prostravit, scripto adversus Petrobrusianos egregio tractatu. Sed nec infensissimos Christiani nominis adversarios, Mahumetanos dictos, reliquit intactos. Eapropter anno MCXLI. *profectus in Hispaniam, omnem adhibuit curam, ut lex ipsorum, Alchoranum vulgo appellant, latinam converteretur in linguam, advocatis ad hoc negotium tribus Arabicæ linguæ peritissimis viris, Roberto Kecenensi, Armanno Dalmata & Petro Toletano, quibus, ut versio ipsa omnibus esset numeris absoluta, quartum addidit Sarracenum* Mahumet *nomine, utpote patriæ linguæ magis gnarum, nullis omnino pecuniarum expensis parcens. Et quia minus familiaris erat illis lingua latina, dedit etiam eis adjutorem* doctum virum, dilectum filium & fratrem Petrum notarium *suum, quem idem esse existimo cum Petro Pictavino, cujus hic in limine quatuor librorum habes capitula.*

Reverso in Gallias venerabili abbati præcipua fuit sollicitudo, procuratam a se translationem ad summum amicum suum S. Bernardum transmittendi, ut ad scribendum contra tam perniciosum errorem, *collatam ei divinitus*

doctrinæ magnificentiam *animaret. Petri epistolam anno* MCXLIII. *datam habes in Bibliotheca Cluniacensi pag.* 1109. *Bernardi ad eam responsum hactenus desideravimus. Sed neque aliquid umquam, eo de argumento, ab illo tractatum fuisse apparet, relicta abbati Cluniacensi hac provincia. Igitur* morem illum patrum sequutus, quo nullam umquam suorum temporum vel levissimam hæresim silendo prætererunt, quin ei totis fidei viribus resisterent, & scriptis ac disputationibus esse detestandam ac damnabilem demonstrarent, *egregium opus aggressus est, cujus capitula librorum quatuor ipsi præstituerat Petrus Pictavinus, tametsi iis se minime passus est astringi. Totam Petri Venerabilis lucubrationem libris quinque distinctam fuisse asserit Andreas Quercetanus, eosque plurimum a se perquisitos nequaquam reperiri potuisse dolet. Nos eo paulo feliciores adeo desiderati operis duos priores libros offendimus in pervetusto codice Aquicinctensi auctoris ævo eleganter exarato, ubi extant ad calcem epistolarum ejus: quos interim dum reliqui possint reperiri, eruditis lectoribus hic exhibemus.*

CAPITULA PETRI PICTAVENSIS AD DOMNUM PETRUM ABBATEM.

UNico & singulari patri & domno suo, domno abbati Cluniacensi PETRO, filiorum ejus exiguus Petrus, gaudere semper in Christo.

Dum semper omnia more vestro philosophice agitis, satis competenter mihi & patienti, & multis passionibus digno, passionem legendam misistis. Gratias dulcedini vestræ, quod hac saltem occasione epistolam vestram & salutationis paternæ gratiam teneo, quibus interim absentiæ vestræ, quæ mihi semper gravissima est, molestiam multo levius fero. Verumtamen postquam intellexi vos habere in proposito ad Angliam (a), ducente Domino, transfretare, valde sollicitior factus sum pro vobis & pro sociis & pro toto itinere vestro, ac prospero ad nos reditu, omnipotenti Deo, prout ipse largitur, preces & vota supplicationis offerre. Sed & illos quos devotiores & in sanctis orationibus novi studiosiores, ut idem faciant deprecari studeo, & magis atque magis Christo donante studebo. Spiritus sanctus dirigat iter vestrum, & consilium vestrum, & de reditu vestro ad nos plenum faciat gaudium nostrum. Mitto vobis capitula quæ Johannem perdidisse mandastis, & credo quod multo distinctius ordinata sint, quam ante. Siquidem ita modo prænotata sunt, sicut agere cœpistis, vel si tamen vobis videtur deinceps acturus estis contra illos vere inimicos crucis Christi. Ex multa vero fiducia qua ingenium vestrum novi, si quid addere vel mutare præsumsi, & hoc vobis ita placuerit, maneat; sin autem, vestrum est corrigere quod erraramus. Capitulum etiam quod est ibi de A uxoribus turpiter abutendis, non vos ullo modo scandalizet, quia vere ita est in Alchorano, & sicut ego in Hispania pro certo, & a Petro Toletano, cujus in transferendo socius eram, & a Roberto Pampilonensi nunc archidiacono audivi, omnes Saraceni hoc licenter, quasi ex præcepto *Mahumeth*, faciunt. Volo autem quod sic isti confundantur a vobis, sicut confusi Judæi & provinciales hæretici. Solus enim vos estis nostris temporibus, qui tres maximos sanctæ Christianitatis hostes, Judæos dico & hæreticos ac Saracenos divini verbi gladio B trucidastis, & matrem ecclesiam, non ita orbatam vel desolatam bonis filiis ostendistis, quin adhuc, Christo propitio, tales habeat, qui possint omni poscenti rationem reddere de ea quæ in nobis est spe & fide, & humiliare omnem arrogantiam & superbiam diaboli, extollentem se adversus altitudinem Dei. Salus & prosperitas & omne bonum vobis in primis, sociis quoque vestris & nostris domno Hugoni Anglico, & Johanni qui perdidit capitula, Bartholomæo nostro, domno Constabulo, Godefrido, Girardo, Alemanno, si tamen vobiscum est, & ceteris omnibus. Ignoscite, quæso, tarditati & infirmitati meæ, quia novit Do- C minus, cum multum voluissem, gravi totius corporis & maxime solita pedum debilitate constrictus, non ante potui vobis hæc mittere. Scripsi enim hæc omnia etiam in majore libro, timens ne & ipsa perdantur in via, sicut perdita sunt capitula, quod valde laboriosum fuit.

Explicit epistola.

CAPITULA LIBRI PRIMI DOMNI PETRI ABBATIS CLUNIACENSIS, CONTRA SECTAM NEFANDAM SARACENORUM.

I. *Prælocutio ad Saracenos admonens &*

(a) Duplicis in Angliam profectionis meminit Petrus Venerabilis in lib. 2. miraculorum cap. 32. atque in una saltem diu moratum fuisse testatur in epistola ad Henricum Wintoniensem episcopum, qui fuerat monachus Cluniacensis, lib. 2. epist. 13.

excitans eos, ut patienter audiant, & rationabiliter intelligant quæ sequuntur.

II. *Quam stulte ac ridiculose dicunt Judæos legem suam perdidisse, & modo nonnisi falsatam & mendosam habere.*

III. *Qua ratione hæc illorum opinio stulta & vana esse probatur.*

IV. *Quod quia similiter Christianos evangelium & scripta apostolica perdidisse asserunt, quomodo facillime refelli possit monstratur.*

V. *Quod non potuisset Christianos latere falsitas evangeliorum, maxime cum per universum orbem diffusi, multaque linguarum varietate divisi, idem prorsus evangelium omnes habeant, nec ab illa unius & ejusdem evangelii veritate aliqui hoc tempore Christiani dissentiant.*

VI. *Quod falsatum esse evangelium, nec tot linguarum ac gentium homines, tamque studiosos ac sapientes hoc latere potuisset, nec seipsos ipsimet nudato mendacio falli permisissent, nec relicta veritate, falsa pro veris, incerta pro certis tenuissent.*

VII. *Quod ex parte illa qua evangelium suscipiunt, necessario eos illud etiam ex toto suscipere debere probatur.*

CAPITULA LIBRI SECUNDI.

I. *Quod* Mahumeth *dici vel credi propheta non debeat his de causis.*

II. *Quod raptor fuerit, istudque ex sequentibus comprobatur.*

III. *Quod homicida insuper & parricida multorum fuerit.*

IV. *Quod proditor fuerit, incautos & dormientes sæpe jugulans.*

V. *Quod adulter nefandus extiterit, adulteria perpetrare sibi a Deo concessum in Alchorano suo dicens.*

VI. *Quod insuper rem Sodomicam atque turpissimam docuerit, præcipiens in Alchorano suo, & velut ex persona Dei sic loquens: O viri mulieres vobis subjectas ex quacumque parte vobis placuerit parate.*

VII. *Quod sæpissime in Alchorano suo sibimet contrarius sit, modo negans, modo affirmans illud idem quod ante negavit.*

VIII. *Quod legislationem ejus nulla miracula commendaverunt, cum Moyses antiquæ legis lator, & Christus novi testamenti conditor multis & magnis miraculis leges quas dederunt, divinas & sanctas esse firmaverint.*

CAPITULA LIBRI TERTII.

I. *Quod* Mahumeth *miracula facere non potuisse ex supradicta ejus nefanda vita probatur.*

II. *Quod ipse in Alchorano suo fateatur signa sibi a Deo data non esse.*

III. *Quam frivola, immo quam nulla sit ratio, quam ibi prætendit, quare scilicet miracula non faciat, introducens Deum sic sibi loquentem: Nisi sciremus eos tibi non credituros,* A *daremus tibi signa & prodigia.*

IV. *Quod inde etiam sibi contrarius sit, quando & prophetam se nominat, & tamen signa sibi data non esse affirmat, cum prophetia maximum signum sit.*

V. *Quod necesse sit eum in altero horum duorum mentiri, quia si propheta fuit, signa prophetica accepit; si signa non accepit, propheta non fuit.*

VI. *Quod lux, ut fabula genitura & nutritura ipsius habet, inclusa costis Adæ, indeque costis Noe, & sic per successiones usque ad ipsum nulla umquam fuerit, sed est omnium risu dignissima.*

B VII. *Quod eum prædixisse dicunt successuros sibi in regno, primo Abubarcharum, secundo Aomar, tertio Odmen, quarto Hali, & quædam alia falsum esse monstretur ex ipsius historici qui hoc refert relatione.*

VIII. *Quod rursus prophetam eum esse non potuisse, ex evangelio Christi, uti ex aliqua parte credunt, comprobetur.*

CAPITULA LIBRI QUARTI.

I. *Quod verba Domini dicentis in evangelio:* LEX ET PROPHETÆ USQUE AD JO- C HANNEM, *non de omnibus prophetis dicta sunt, sed de illis tantum qui universalem mundi salutem, quæ per Christum facta est, ante Christum prædixerunt.*

II. *Quod & post Johannem vel Christum alii prophetæ fuerunt, vel forte futuri sunt, qui non illa magna & singulariter salutem humanam operantia, sed quædam ad quasdam proprias gentes, terras, vel personas pertinentia, prophetico spiritu prædixerunt, vel fortassis prædicturi sunt, quorum exempla multa tenemus.*

D III. *Quod nec de istis, nec de illis* Mahumeth *fuerit, qui nec salutem quæ per Christum facta est, cum longe post Christum fuerit, prædixit, nec aliqua saltem minima ad prophetiam pertinentia dixit.*

IV. *Quod istud ex Alchorano ejus ostenditur, in quo nihil prorsus propheticum scripsit; cum nulla hoc habeat ratio, eum scilicet alicubi prophetice dixisse. Et hoc in illa sua juxta illum sublimi & sola scriptura tacuisse, ubi cum se prophetam dicat, nulla tamen prophetica narrat.*

E V. *Quod tota scriptura* Mahumeth *nihil aliud sit quam feces horridæ, & reliquiæ fœtidæ hæresum ante quingentos quam ipse nasceretur annos, ab universali sacrosancta totius orbis ecclesia damnatarum atque sepultarum, maxime autem Manichæorum, & apocryphorum scriptorum, præcipueque Thalmuth exsecrandi libri Judæorum, quas scilicet Saraceni hæreses, quia veraces historias & gesta ecclesiastica non legunt, nec legere sciunt, nec ipsa tempora, nec ipsas hæreses fuisse aliquando audierunt: & ideo istum satanam quasi mira & nova dicentem animales & miseri susceperunt.*

VI. *Exhortatio & admonitio, ut saltem hoc ultimo tempore, quando jam finis saculi prope est, ad veram & sanctam Christianitatem veniant, diaboli fabulas & deliramenta respuentes, atque in crucem Christi & mortem, in qua sola vera & tota hominum salus est, per sacri baptismatis ablutionem credentes.*

EXPLICIUNT CAPITULA LIBRI QUARTI.

INCIPIT PROLOGUS DOMNI PETRI abbatis Cluniacensis in libro contra sectam sive hæresim Saracenorum.

1. CONtra sectam nefariam nefandi *Mahameth* acturus, in primis omnipotentem Spiritum Dei invoco, ut qui nulli umquam adversus hostes suos & ecclesiæ suæ agenti defuit, mihi quoque contra pessimos utriusque adversarios agere disponenti non desit. Locutus est ille per prophetas, inflammavit apostolos, perfudit exundanti chrismate orbem terrarum, & sicut unguentum in capite usque ad ipsam oram vestimenti defluxit, adsit, oro, tanta ejus largitas mihi ultimo suorum, & qui continens omnia scientiam habet vocis, ad opus quod aggredior utiliter exequendum, cor scientia, os voce verboque congruo repleat. Spero autem, quod invocanti se aderit, quia benignus est. *Benignus est enim Spiritus sapientia*, immo quod plus esse non dubito, quia de ecclesia illa sum, cui Salvator promisit: *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Sed causa forte scribendi quæritur, quæ ne superfluus scriptor videar, proponenda est.

Sap. 1. 6.

Joh. 14. 16.

Causa scribendi hujus operis.

2. Causa plane scribendi hæc mihi fuit, quæ multis & magnis patribus extitit. Non potuerunt illi pati quamlibet vel parvam jacturam fidei Christianæ, nec adversus sanam doctrinam insanientem multiformium hæreticorum vesaniam toleraverunt. Caverunt esse muti ubi loquendum erat, advertentes, immo plenissime scientes, non minus se addicendos in subtili apud Deum statura judicii de infructuoso, vel quod majus est, de damnoso silentio, quam de verbo otioso vel noxio. Ideo epistolis, ideo libris, ideo diversis ac robustis tractatibus obstruxerunt os loquentium iniqua, & omnem juxta Apostolum satanæ altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, loquente per eos Spiritu Dei, prostraverunt, calcaverunt, destruxerunt. Transeo antiquos ipsa antiquitate minus famosos hæreticos, Basilidem, Appellem, Marcionem, Hermogenem, Kataphrigas, Eucrathitas, Montanum cum Prisca & Maximilla feminis insanis, Novatianum, Eunomium, multaque alia Christiani nominis monstra. Horum vesaniæ obvii restiterunt illorum temporum magni doctique homines Agrippa, Justinus philosophus & martyr, Theophilus Antiochenus episcopus, Apollinaris Gerapolitanus episcopus, Philippus Cretensis episcopus, Musanus, Modestus, Ireneus nostræ Lugdunensis Galliæ famosus episcopus & martyr, Rodon Asianus, Milciades, Apollonius, Serapion, Hippolytus, Victorinus, Rethicius Æduorum episcopus, pluresque alii nobis ignoti. Et hos prætereo. Ad præcipuas diabolicæ pravitatis pestes, quibus maxime satanas ecclesiam Dei inficere & velut robustioribus machinis subvertere conatus est, venio. Dico autem Manichæos, Arrianos, Macedonianos, Sabellianos, Donatistas, Pelagianos, omniumque ultimos Nestorianos & Eutichianos. Horum primi Manichæi universa testamenti veteris volumina abjicientes, prophetas respuentes, ipsum evangelium ex parte suscipientes, ex parte contemnentes, duo boni malique principia constituebant. Deum cum gente tenebrarum pugnasse, ne vinceretur, partem sui frugibus, carnibus, herbis, arboribus, cunctisque hujusmodi miscuisse, liberandam paulatim post esum talium ructibus humanis, mortem Domini phantasticam, resurrectionem falsam, multaque talia magis reticenda quam dicenda, prodigiosi & per inanissimas fabulas aberrantes homines delirabant.

Antiqui scriptores adversus hæreticos.

3. Arriani, fertilior aliis seges diaboli, ponentes in cœlum os suum, linguaque eorum transeunte in terra, unius veri ac summi Dei Patris, Filii, ac Spiritus-sancti divinitate pro velle abutentes, Patri tantum Deitatem asserebant, Filium ac Spiritum creaturis connumerabant. Dicebant Filium maximum esse creaturarum, Spiritum-sanctum filio inferiorem, sed aliis creaturis majorem.

De Arianis.

4. Macedoniani & ipsi insani cum Arrianis hæresim dividebant, Filium verum Deum Patrique coessentialem fatentes, Spiritum-sanctum ab utriusque Deitate separantes.

De Macedonianis.

5. Sabelliani omni se velut nimis molesta Trinitatis quæstione exuentes, unam tantum in Deitate personam sub tribus nominibus intelligendam esse putabant.

De Sabellianis.

6. Donatistæ ex sacris libris sub persecutione persecutoribus traditis sumta occasione, astruebant, exploso toto orbe a salute, non nisi in Africa ecclesiam esse posse, contra Christum dicentem: *Oportebat Christum pati & resurgere a mortuis die tertia, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem.*

De Donatistis.

Luc. 24. 41.

7. Pelagiani gratiæ Dei, qua sola salvamur, superbi & pessimi inimici, subtilius aliis hæresibus acuebant linguas suas sicut serpentes, & veneno aspidum latente sub labiis eorum, inter multiplices de hac materia blasphemias, substantiam quidem humanam

De Pelagianis.

nam a Deo, bona autem humana liberi arbitrii causa ab ipsis hominibus esse dicebant.

De Nestorianis.

8. Nestoriani horum penultimi, Deitatem a Christo Deo & homine removebant, negantes esse Deum, profitentes hominem purum.

De Eutychianis.

9. Eutychiani ultimi in supra scriptis, cum sint Nestorianis contrarii, non tamen minus impii, in sententia dispares, in perfidia pares, sicut illi Christum verum Deum, sic & isti negabant verum hominem. Dicit Nestorius: Homo tantum est Christus. Dicit Euthyches: Deus tantum est Christus.

Adversus istos hæreticos qui scripserint auctores.

10. Et ut eo ordine quo hæreses propositæ sunt, destructores quoque hæresum proponantur, contra Manichæos primus aut pene primus, libro disputationis edito, egit Archelaus Mesopotamiæ episcopus. Post eum Serapion & ipse episcopus egregium librum composuit & edidit. His tempore junior, sed longe sensibus & eloquio major, magnus Augustinus succedens, libris potentibus tam contra Faustum, quam contra Fortunatum Manichæorum principes editis, nefandam hæresim expugnavit. Contra Arrianos, quantum ad scripta pertinet, primum lego ad prælia processisse armatum fide & eloquio Eustachium Antiochenum episcopum, qui postquam contra Arrianum dogma multa composuit, exul Constantii imperatoris præcepto a sede & patria factus, proprium exsilium gloriosa & constanti confessione moriens decoravit. Post hunc lego Marcellum Ancyranum episcopum, multa adversus eosdem scripsisse volumina. Lego & Alexandrinum Athanasium non solum laboribus, non solum verbis, sed & scriptis Arrianos urgentem, & contra Valentem & Ursacium Arrianorum patronos integrum librum scribentem. Hilarium vero Aquitanum episcopum vere sanctum & omni scientia doctum virum, quis nesciat duodecim adversus Arrianos confecisse libros? Quem lateat unus ejus libellus ad Constantium imperatorem Arrianum, quem viventi obtulit, & alius in eumdem, quem post mortem ejus scripsit? Est & alter quem adversus jam dictos Valentem & Ursacium edidit. Scripsit & Victorinus Rhetor famosus, contra Arrianorum magistrum Arrium libros more dialectico. Egit & de eodem contra eosdem libris duobus Didymus Alexandrinus. Obtulit & apud Mediolanum Gratiano principi Maximus Philosophus & episcopus, insignem de fide adversus Arrianos librum. Contra Macedonianos supra scripti quidem libri adversus Arrianos editi sufficiunt. Nam sicut Patris & Filii, ita & Spiritus-sancti Deitatem tam in substantia quam in majestate, quam Macedoniani diffitebantur, commendant. Sed ut etiam libris adversus eorum errorem specialiter dedicatis confutarentur, scripsit jam dictus Didymus de Spiritu-sancto librum unum. Composuit & Basilius Cæsareæ Cappadociæ episcopus de eodem Spiritu-sancto volumen. Edidit & Gregorius Nazianzenus de eadem materia librum alterum. Sed & Effrem Edessenæ ecclesiæ diaconus edidit de eodem Spiritu-sancto Syra lingua volumen. Contra Sabellium licet specialia opera non invenerim, quicumque tamen resistunt Arrianis, quicumque repugnant Macedonianis, universi pariter contradicunt & Sabellianis. Dico quod plus est, non solum contra ipsos agunt catholici, sed ipsis quoque Sabellianis resistunt hæretici. Dicit Sabellius unam esse personam Trinitatis, negat hoc catholicus, negat Arrius, negat Macedonius. Sufficit ergo ad condemnationem Sabellianorum catholicorum consensus atque hæreticorum. Contra Donatistas universus quidem orbis, cujus hostes sunt, conclamat, sed speciales adversus eos sex libros conscripsit Optatus Afer episcopus Milevitanus. Supremo certamine eos verbis scriptisque debellavit noster & vere noster Hipponensis Augustinus. Contra Pelagianos eorumque auctores Pelagium, Celestium & Julianum Campanum ultimos fere vitæ suæ annos scribendo libris insignibus dedicavit idem qui supra maximus & summus Latinorum doctor Augustinus. Contra Nestorianos & eorum auctorem Nestorium secunda synodus Ephesina congregata est, in qua & Nestoriana hæresis condemnata, & Nestorius auctor hæreticus adjudicatus, & a Constantinopolitano episcopatu expulsus est. Contra Euticem & ab eo dictam Euticianam hæresim nobiles tam sensibus quam stylo dignas memoria epistolas scribit sanctus & primus hujus nominis papa Leo, vir magnus fide, scientia, eloquio. Hujus pastorali studio sexcenti fere apud Calcedonem episcopi congregati, Nestorium cum suis, Euticen cum suis a Christi corpore, hoc est ejus ecclesia præciderunt, & nisi qui supererant resipiscerent, perpetuo anathemati tradiderunt. Contra Jovinianum nuptias virginitati æquantem, contra Elvidium perpetuam matris Domini virginitatem negantem, contra Vigilantium sanctorum mortuorum corpora vel reliquias contemnentem, consummatæ scientiæ presbyter Hieronymus insignia more suo splendenti sermone volumina edidit, & quantum detestandi essent ostendit. Hi quidem Nestorium tempore præcesserunt, sed sectam sui nominis nullam facere potuerunt.

Nullum esse errorem adversus quem non debeant scripta fieri.

11. Fecit hoc semper & facit ecclesia Dei, & vepres spinasve satis dominicis inimicas studiosa ruricolarũ suorum manu exstirpat: non cessit quolibet tempore hostilibus jacu-

lis indefessum robur sanctorum, sed vires virtute, astutiam sapientia superans, & scuto fidei suos ab hostium furore protexit, & in eorum perniciem fulminantia spicula vehementi nisu intorsit. Non potuit pati venenosi sibilos serpentis cœlestibus oraculis prævalere, nec rectæ fidei viam ad beatam æternitatem ducentem, pravis errorum semitis ad inferos retorqueri. Hæc, inquam, hæc plane tota ac sola sanctis illis causa fuit scribendi, pro qua in hostes Christianæ salutis non solum verbis librisque invecti sunt; sed nec suis nec sibi, nec ipsi tandem vitæ propriæ pepercerunt. Hæc eadem est & mihi. Nec debeo, licet longe illis inferior & impar, minus zelari pro ecclesia Dei, sponsa Christi, quam ipsi, cum tam mihi quam illis una fuerit vel sit fides, unum baptisma, unus Deus, una, quam illi jam obtinent, & ad quam nos suspiramus, vita æterna. Sed forte quibusdam erroribus obviandum & de quibusdam silendum. Non hæc opinio apud patres. Ostendit hoc Hippolytus, inter multa alia opera sua scribens de pascha adversus omnes hæreses. Monstrat hoc & Barthesanes clarus olim scriptis variis in Mesopotamia apud suos, qui ardens ingenio & in disputatione vehemens, scripsit infinita adversus omnes pene hæreticos, qui ætate ejus pullulaverant. In quibus teste Hieronymo clarissimus ille est & fortissimus liber, quem Marco Antonino tradidit. Affirmat idem & Victorinus, non ille quem præmisi, sed Pitabionensis episcopus & martyr, qui græca latinaque lingua instructus, adversus omnes præcedentium vel suorum temporum hæreses scripsit, nullamque contra universas scribens negligendam esse monstravit. Quem utrum in scribendo imitari posteri debeant, non solum doctrina, sed & martyrio, quem ad extremum pro fide quam defenderat passus est, lector advertat. Astruit hoc Epiphanius sanctus & famosus Salaminæ, quæ in Cypro insula est, episcopus, scribens nihilominus adversus omnes hæreses libros, eosque legendos totius orbis ecclesiis tradens. Nulla est igitur his sanctorum exemplis docentibus hæresis negligenda, nulla est tantis magistris instruentibus silentio prætereunda. Confutandus est omnis error, omnis pravus & fidei adversus intellectus corripiendus, & si potest fieri corrigendus. Exhibenda est Christo ab his quibus ab ipso commissa est ecclesia absque macula & ruga, ut possit audire ab illo: *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te.* (Cant. 4. 7.)

Sed maxime adversus Mahumeticum qui valde dilatatus est.

12. Si ergo nulla hæresis quolibet tempore orta immunis a gladio spiritus, quod est verbum Dei, esse potuit, numquid tutus ab illo Mahumeticus error erit? An forte ut nullum aut parvum Christiana lingua transibit? An forte ut innoxio vel minus noxio parcet? Et quæ umquam, o lector, hæresis adeo ecclesiæ Dei nocuit? Quis umquam error adeo rempublicam Christianam vexavit? Quis in tantum terminos ejus rescidit? Quis tanta massa perditorum numerum infernalem adauxit. Occupavit Arriana pestis maxima prædictarum hæresum, quasdam aliquandiu partes terrarum, easque lethali haustu sathana propinante infecit. Adjunxit nequitiæ suæ quosdam reges Gothorum, duosque quod majus est Romani principes orbis, Constantium & Valentem corrupit. Transiit de solo barbarico in Pannoniam, indeque ad Italiam transmigravit, unde pulsa meridianam partem Galliæ, Aquitaniam dico, invasit: sed rege Francorum Clodoveo fugante, tandem in Hispaniis vi bellica subactis resedit. Ibi vix centum annis exactis, ac rege Gothorum qui genti hæreticæ imperabat, ad catholicam fidem spiritu Dei agente converso, defecit. At Mahumeticus furor ab Ismaelitis Arabibus sumens exordium, Persas, Medos, Syros, Armenos, Æthiopes, Indos, & reliqua orientis regna, ipsamque in tribus orbis partibus maximam Asiam pene totam corrupit, & vel a Christianismo avertens, vel a quibuslibet antiquis erroribus, ad perditi hominis sectam convertens, subtraxit Christo, substravit diabolo. Hinc non miti ratione, sed violenta incursione, toto fere, ut dictum est, armis oriente subacto, Ægyptum, Lybiam, Africamque universam prophanæ religioni subjecit. Et sic duabus mundi partibus occupatis, nec tertiam quæ Europa vocatur, Hispania pervasa, Christo vel Christianis suis integram dereliquit. Et quid dicam ultra? Nec si universas a Christi tempore per mille & centum annos diabolico spiritu suscitatas hæreses numeraveris, simulque collectas velut in statera appenderis, adæquari huic poterunt, nec pariter omnes tantam æternis ignibus materiem injecisse invenies.

Errores Mahometi an hæreses dici debeant.

13. Quæ ergo nullam vel parvam hæresim intactam præteriit, numquid hunc omnium errorum maximum errorem torpens vel muta Christiana lingua transibit? Sed forte dicet vel cogitabit quisquam: Illis olim hæresibus respondit ecclesia, quæ, ut Johannes apostolus ait: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*: at error iste nec ex nobis exiit, nec ex nobis fuit. Christianis enim de ecclesia, hoc est Christi corpore, quolibet errore tractis vel recedentibus, patres suprascripti responderunt, alienos & extra ecclesiam vagantes errores silendo contemserunt. quibus & hic error connumerari potest, qui nec, ut dictum est, de ecclesia exiit, ne se de ecclesia exiisse, ut aliæ hæreses erroris non hæresis nomine sa-

tis ostendit. Non enim hæresis dicitur, nisi exiens de ecclesia & agens contra ecclesiam. Ad hæc ego fateor, hoc, inquam, & ipse, Christianos pertinaciter contra quamlibet rectæ fidei partem agentes, jam ab antiquo usitato nomine dici hæreticos, eo quod prave sentiunt vel fatentur, vocari hæresim. Sed utrum Mahumeticus error hæresis dici debeat, & ejus sectatores hæretici, vel ethnici vocari, non satis discerno. Video enim eos hinc hæreticorum more de fide Christiana quædam suscipere, quædam abjicere: hinc ritu pagano, quod nulla umquam hæresis fecisse scribitur, facere pariter & docere. Nam cum quibusdam hæreticis, scribente sic in Alchorano suo impio *Mahumeth*, Christum quidem de Virgine natum prædicant, majorem omni homine ipsoque *Mahumeth* dicunt, sine peccato vixisse, vera prædicasse, mira fecisse affirmant. Spiritum Dei, verbum fuisse fatentur, sed nec spiritum Dei aut verbum, ut nos aut intelligunt aut exponunt. Christi passionem aut mortem non solum, ut Manichæi, phantasticam, sed nullam prorsus existisse vesaniunt. Hæc quidem & similia cum hæreticis sentiunt; cum paganis autem baptisma abjiciunt, sacrificium Christianum respuunt, pœnitentiam cunctaque reliqua ecclesiæ sacramenta derident.

Sive hæreses sive paganorum deliramenta sint debent impugnari.

14. Elige igitur quod malueris, aut voca hæreticos propter hæreticum sensum, quo partim cum ecclesia sentiunt, partim dissentiunt; aut dic paganos, propter excedentem impietatem, qua omnem hæresim erroris professione impia vincunt. Si hæreticos dixeris, probatum est supra omnibus hæreticis vel hæresibus obviandum; si paganos vocaveris, probo idque patrum auctoritate ostendo, non minus & illis resistendum. Ad hoc affirmandum redeat ad medium supra nominatus Justinus philosophus & martyr. Hic pro deffendenda Christi religione plurimum laboravit, in tantum ut Antonino quoque principi & filiis ejus & senatui librum contra gentes scriptum daret, ignominiamque crucis non erubesceret, & alium librum successoribus ejusdem Antonini Marco Antonino Vero & Lucio Aurelio Commodo. Est & ejus aliud volumen contra gentes, ubi etiam de dæmonum natura disputat. Item est & quartum adversus gentes, cui titulum prænotavit *Elegeos*. Est & dialogus contra Judæos, quem habuit adversus Triphonem principem Judæorum. Sequatur hunc ad hoc astruendum Apollinaris urbis Hierapolis, quæ est in Asia, episcopus, qui non solum imperatori Marco Antonino Vero insigne volumen pro fide Christiana dedit, sed & alios quinque adversus gentes libros conscripsit. Edidit & Lugdunensis Ireneus contra gentes volumen. Scripsit & Miliciades contra gentes, Judæosque libros alios, composuit & Apollonius Romanæ urbis senator sub Commodo principe ac Severo, insigne contra paganos volumen, quod, rationem fidei suæ reddens, in senatu legit, ac post lectionem ejusdem senatus sententia pro Christo capite truncatus est. Successit hiis Arnobius Rhetor sub Diocletiano principe, scripsitque adversus gentes, quæ illis temporibus publice legebantur. Confecit & Methodius Tyrius episcopus libros contra Porphyrium paganum philosophum, contra eumdem, & Leodicenus episcopus Apollinaris stilum exacuit, & triginta libros condidit. Non defuit assertioni huic supra nominatus ac sæpe nominandus Athanasius Alexandrinus episcopus, hic non solum contra Arrianos speciales hostes suos scripsit, sed & adversus gentes duos libros edidit. Sequatur hunc & Eusebius Emisenus episcopus, elegantis & rethorici ingenii homo. hic innumerabiles, ut legitur, libros confecit, ex quibus præcipui sunt adversus Judæos & gentes. Hiis universis nulli supradictorum doctrina inferior, immo forte superior Augustinus succedat, & libris notissimis viginti duobus de Civitate Dei editis, non tantum contra hæreticos, qui de ecclesia exeunt, sed & contra paganos ac Judæos, qui in ecclesia numquam fuerunt, contraque omnes omnino errores congruo tempore verbo scriptoque agendum esse doceat.

Ut adversus Mahumetanam legem scribi posset Petrus abbas Alchoranum ex Arabico in latinum curavit converti.

15. Sive ergo Mahumeticus error hæretico nomine deturpetur, sive gentili aut pagano infametur, agendum contra eum est, scribendum est. Sed quia latini & maxime moderni, antiquo studio pereunte, juxta Judæorum vocem, varias linguas apostolorum olim mirantium, non nisi linguam suam noverunt, in qua nati sunt, cujusmodi tantus error esset, agnoscere nec dicam tanto errori obviare non poterant. unde concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exarsit ignis, indignatus sum causam tantæ perditionis latinos ignorare, & ipsa ignorantia nullum ad resistendum posse animari. nam non erat qui responderet, quia non erat qui agnosceret. Contuli ergo me ad peritos linguæ Arabicæ, ex qua procedens mortiferum virus orbem plusquam dimidium infecit, eis ad transferendum de lingua Arabica in latinam perditi hominis originem, vitam, doctrinam, legemque ipsam quæ Alchoran vocatur, tam prece quam pretio persuasi; Et ut translationi fides plenissima non deesset, nec quicquam fraude aliqua nostrorum notitiæ subtrahi posset, Christianis interpretibus etiam Sarracenum adjunxi; Christianorum interpretum nomina: Robertus Kecenensis, Armannus Dalmata,

Petrus Toletanus; Sarraceni *Mahumeth* nomen erat, qui intima ipsa barbaræ gentis armaria perscrutantes, volumen non parvum ex prædicta materia latinis lectoribus ediderunt. Hoc anno illo factum est quo Hispanias adii, & cum domno ALDEFONSO, victorioso Hispaniarum imperatore; colloquium habui, qui annus fuit ab incarnatione Domini MCXLI.

Susceptus labor quid prodesse possit.

16. Sed forte adhuc aliquis: quid proderit fastidientibus cibos ingerere? quid confert aspidi surdæ & obturanti aures suas disputatione multiplici insonare? Nam homines contra quos agere disponis, alieni sunt, barbari sunt, non solum moribus, sed & lingua ipsa, nil sibi Latinisque commune esse fatentur. Quomodo igitur audiet, ne dicam exaudiet Arabs Latinum, Persa Romanum, Æthiops vel Ægyptius Gallum? Videndum est ne frustra labor insumatur, cavendum ne utili opere relicto, superfluo tempus teratur. Ad quod ego: Poterit, inquam, quod scriptum fuerit in eorum linguam transferri, poterit Christiana veritas in litteras Arabicas vel quaslibet alias commutari; sic potuit nefandus error ad Latinorum notitiam meo studio transmigrare. Sic latinum opus in peregrinam linguam translatum, proderit forsitan aliquibus, quos ductrix ad vitam gratia Deo lucrari voluerit. Sic ex litteris hebraïcis vetus testamentum, sic præter evangelium Matthæi, ex græco novum in universas totius orbis linguas transfusum, mundum Deo subjecit, & per Christianam fidem ab inferis revocans, cœlo restituit. Sic plurima alia patrum opera & Latinus a Græco mutuavit, & Græcus a Latino accepit. Nec defuit inter alias multiplices orbis linguas nobis ignotas hæc sermonum ad invicem commutatio, de quibus fere, ut de apostolis, dici possit: *Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* (Psal. 18. 4.) Quod si forte hæc de qua agitur scriptura aut interpretes non habuerit, aut translata non profuerit, habebit saltem Christianum armarium etiam adversus hos hostes arma, quibus aut se muniat, aut quibus, si forte ad certamen ventum fuerit, inimicos confodiat. Occurret fortasse volumen editum cogitationibus occultis nostrorum, quibus scandalizari possunt, aliquam apud impios illos esse putantes pietatem, & apud mendacii ministros aliquam credentes esse veritatem. Jungitur huic rationi auctoritas non parva, quæ etsi jure in talibus præire debeat, nil tamen obstat, si in re proposita rationem sequatur.

17. Scripserunt quoscumque præmisi & plures quos reticui contra hæreticos, Judæos vel ethnicos diversa magna, & mira opera, nec tamen scribentes quibus pro- A desse possent aut elegerunt aut præscierunt. Cumque nec elegissent neque præscissent quorum saluti labores proprii inservire deberent, non tamen idcirco vel animum a studendo, vel linguam a dictando, vel manum a scribendo vacare permiserunt. Non attendit græcus scriptor latino non posse prodesse græcitatem, non cogitavit latinus græco frustra legi latinitatem, non meditatus est quilibet quantumlibet barbarus, sed Catholicus adversus quoslibet errores agens, frustra se scribendi laborem assumere, quia non posset opus suum, nisi in varias B linguas translatum, hominibus peregrini sermonis prodesse. Noverant, certi erant, quod Spiritus-sanctus ubi vult spirat; sed scire non poterant quos, quando, vel quantum inspirat. Sciebant non esse aliquid neque qui plantat, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus. Eapropter rigando, plantando, ut boni servi quod suum erat implebant; quod Dei erat Domino dimittebant. Hos qui sequi voluerit, æstimo, immo affirmo, quia non errabit. Quod si & ipse fecero, certus sum quia non erra- C bo. Non errabo plane, si simplici oculo fecero quod meum est, & Deo, ut dixi, servavero quod suum est. Non poterit certe, non poterit omnino labor causa Dei assumtus evadere absque fructu, si autem conversis profuerit, aut hostibus obstiterit, aut domesticos munierit, aut saltem horum scriptori pax bonæ voluntatis hominibus repromissa non defuerit. Sequatur ergo in nomine Domini JESU dilati operis exordium. In fine addo, quia novi & certus sum insolita in talibus prolixitate me consuetas prologi metas aliquantulum ex- D cessisse; sed ut excusatum me lector habeat, sciat hoc importunis objectionibus disputantium contigisse, quibus ne brevis viderer, forte justo prolixior aliis extiti.

EXPLICIT PROLOGUS.

INCIPIT LIBER PRIMUS domni Petri abbatis Cluniacensis, adversus nefandam hæresim sive sectam Sarracenorum.

E IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, unius omnipotentis & veri Dei, PETRUS quidam, Gallus natione, Christianus fide, abbas officio eorum qui monachi dicuntur, Arabibus Hismahelis filiis, legem illius qui *Mahumeth* dicitur servantibus.

Petrus Venerabilis ex amore Mahometanorum hunc librum aggreditur.

1. Mirum videtur, & fortassis etiam est, quod homo a vobis loco remotissimus, lingua diversus, professione sejunctus, moribus vitaque alienus, ab ultimis occidentis, hominibus in orientis vel meridiei partibus positis scribo, & quos numquam vidi, quos

quos numquam forte visurus sum, loquendo aggredior. Aggredior, inquam, vos, non ut nostri sæpe faciunt, armis sed verbis, non vi sed ratione, non odio sed amore: amore tamen tali, qualis inter Christicolas & a Christo aversos esse debet; tali qualis inter apostolos nostros & illius temporis gentiles, quos ad Christi legem invitabant, extitit; tali qualis inter ipsum creatorem & rectorem omnium Deum, & illos quos, dum adhuc creaturæ non creatori servirent, a cultu simulacrorum vel dæmonum per suos avertit. Amavit plane ipse illos, antequam ipsi illum amarent, agnovit antequam agnoscerent, vocavit dum adhuc contemnerent. Contulit bona facientibus mala, misertus est pereuntibus sola gratia, eosque sic eripuit a miseria sempiterna. Habet hoc ab ipso ecclesia Christianorum, ut sicut ille, ut ait Christus noster, *Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos*; sic illa & in ipso amicos & propter ipsum diligat inimicos. Succedit huic Christianæ auctoritati ratio evidens, qua omne animal, ut ait quidam, diligit simile sibi. Probatur hoc inde, quod cum sub hoc genere quod est animal, universæ quadrupedum, volucrum, vel quorumlibet talium species contineantur, familiarius sibi est unumquodque animal in propria specie, quam in universali genere. Apparet hoc in domesticis, claret & in ipsis agrestibus bestiis, quæ aut semper aut sæpe ab illis, quas a se natura discrevit, abhorrent; easque quas similes sibi aut conformes sentiunt, consectantur. Quæ si, ut assolet fieri, contra se invicem qualibet de causa felle moto concertant, redeunt tamen cito, sedato motu, ad pacem, nec oblivisci quod factæ sunt prolixiore tempore possunt. Cumque inter infinitas, quæ, ut dictum est, sub animali continentur, species, etiam homo sit, & quod nulla alia animalium species habet, etiam ratione præditus sit, longe amplius cogitur diligere similem sibi, ratione suadente, quam ille natura trahente.

Matt. 5. 45.

2. Hæ sunt causæ quibus vos Christianus diligere, quibus vobis salutem debet optare; harum altera divina, altera humana est. In illa præcepto divino obedit, in hac naturæ propriæ satisfacit. Hoc modo ego de innumeris & inter innumeros servos Christi minimus, vos diligo, diligens vobis scribo, scribens ad salutem invito. Non ad salutem filiorum hominum, in quibus, juxta verbum David, *non est salus*, quia juxta eumdem, *vana est salus hominis*; sed ad illam de qua idem: *Salus autem justorum a Domino, & protector eorum est in tempore tribulationis*. Quæ psalmorum verba ea vobis de causa propono, quia psalmos a Deo David fuisse datos, a vestro *Mahumeth* audio. Loquens enim Abdiæ Judæo, sic ait: Unum quidem Deus, duo vero Adam & Eva, tria vero Gabriel, Michael, Seraphiel; quatuor lex Moysi, psalmi David, evangelium, & Alfurchan. Item: Nec enim simul descendit super me verbum Dei, quemadmodum simul data est lex Moysi, psalmi David, & evangelium Christo. Invito vos ad salutem, non quæ transit, sed quæ permanet; non quæ finitur cum vita brevi, sed quæ permanet in vitam æternam. Hanc consequi, hac tempore a Deo præstituto frui mortalibus quidem datum est; sed non nisi illis, qui de Deo quod est, non quod non est, sentiunt; qui eum non juxta cordis sui phantasmata, sed sicut ipse se coli & vult & præcipit, colunt.

Eosque ad salutem invitat.

Psal. 59. 11.

Psal. 36. 39.

3. Ad ista vos: absit ut aliter sentiat intellectus noster; absit ut aliter se habeat professio nostra. Nos nihil de eo somniavimus, nihil prorsus confinximus, sentimus de ipso, fatemur de ipso, non juxta figmenta corporis nostri, sed juxta quod tradidit nobis missus ab ipso propheta noster. Ille cum sit ordine ultimus in prophetis, & velut signaculum omnium prophetarum, & legis divinæ non auctor, sed lator; non Deus, sed nuntius; mandata cœlestia a Deo per Gabrielem sibi missa, nihil plus minusve continentia accepit, accepta patribus nostris nobisque servanda tradidit. Hæc servamus, hæc custodimus, his animas, his corpora, his vitam mortemque nostram dicavimus. Et ô homines, homines, inquam, non solum natura rationales, sed & ingenio & arte rationabiles, utinam mihi hic intellectuales vestrorum cordium aures præbeatis, utinam superstitionis obstinatione remota, quæ subinferre præparo audiatis. Audiatis ideo dico, quia quod valde mirum est, si tamen verum est, nullum contra morem vobis assuetum, nullum contra patrias vestras leges agere volentem, nullum contra ritus ab ipso quem supra nominavi vestro propheta vobis traditos disputare quærentem, vos velle audire audivi. Et non solum vos hoc a nullo velle audire accepi, sed ut ipsa loquendi primordia lapidibus aut gladiis, vel quolibet alio mortis genere obstruatis, vobis lege præceptum ab Oriente vestro ad Occidentem nostrum fama diffusa fatetur. Videte igitur viri juxta scientiam sæcularem prudentes; videte, inquam, & remoto obstinatæ voluntatis obice, subtiliter considerate, utrum mos iste probabilis sit, utrum ratione aliqua subnixus esse possit. Non vult aliquis hominum, qui non tantum natura rationalis, sed & vivaci mentis acumine rationabilis est, non vult plane in rebus temporalibus falli, non vult certa pro incertis accipere, ut delusus cujuslibet astu vel impru-

Illorum legem impugnare volentes audire nolunt.

Innatum est homini nolle falli & inquirere veritatem.

dentia, quod verum est falsum putet, quod falsum est verum existimet. Non cedit in hac parte cuilibet necessitudini, nec alicui super his carissimo adquiescit, non amicis, non sanguinis affinitate conjunctis, nec ab ipsis quibus arctiori amoris vinculo jungitur conjugibus, se scienter decipi æquanimiter pati potest. Cumque multotiens multa & maxima carni ac spiritui molesta, amicorum causa ab amicis patienter ferantur, istud tamen homini natura indidit, ne se falli ab aliquo, quantumlibet proximo aut amico, pacto quolibet patiatur. Scrutamini universa officia mortalium & artes ipsasque liberales; sed & ipsas quæ serviles dicuntur attendite, utrum aliquis studiosorum sæcularem scientiam amantium, de ipsis vel in ipsis se falli velit, & non magis earum veracem ac certam notitiam ab eruditoribus sive magistris accipere. Hoc indicato, præcipuè ipsius terrenæ sapientiæ studium, cui percipiendæ cum hi qui græce, philosophi; latine, amatores sapientiæ vocantur, summo conamine inhiarent, ac pro ingeniorum varietate, de ipsa diverse sentirent: laxabant libera frena sermonibus, & pro majori minorive acumine rationis, in medium quæ senserant proferentes, innumeris disputationum modis ad veritatem earum rerum quæ in propositis quæstionibus versabantur, pertingere laborabant. Non obstruebant ora eorum, quos studiosos inquirendæ veritatis credebant, immo magis de oppositis disputando, certatim se aliosque omni loquendi genere ad laudabile studium accendebant. Hic Græcorum, hic Latinorum, hic Persarum, hic Indorum aliarumque gentium sapientibus mos, hoc propositum semper fuit, ut & ipsi scrutandæ rerum veritati semper insisterent, & ad idem inquirendum, examinandum, definiendum frequentibus studiosos collationibus animarent. Quis jam eorum ingentem multitudinem, qui inter reliquos in investiganda rerum veritate maxime floruerunt, enumeret? famosa & solemnis est eorum notitia apud nostros, qui rerum creatarum veritatem ac virtutem non tacendo, nec ad tacendum ora hominum obstruendo, sed loquendo ac disputando de naturæ occultis eruerunt; & quæ absque dubio certa ac vera esse repererant, tam sui temporis hominibus quam posteris tradiderunt.

Non ergo negligenda inquisitio veritatis.

4. Cum igitur omnis rationabilis mens rerum creatarum veritatem agnoscere cupiat, illiusque veritatis agnitionem ad commoda sua convertere optet, & quod tacendo consequi non valet, quærendo ac disputando assequi velit, numquam increatæ rei verax cognitio negligenda est. Numquid quousque qui eam non capit intelligat, inquirendum, disputandum, examinan-

A dum non est? nonne longe acrioribus stimulis ingeri mens humana debet ad agnoscendam increatam essentiam, quam ad investigandam creatam naturam? Videatur quid de his duobus alteri præponderet, quid magis commodis humanis inserviat: hoc inquam videatur, & tunc cujus magis cognitioni animus humanus insistere debeat agnoscetur. Volo plane rerum ad præsens visibilium vim sive virtutem agnoscere, ut in aliquo mihi dum hic mortaliter vivo, ut aliquod huic meæ transitoriæ peregrinationi auxilium vel commodum ferant.
B Ad quid autem rem increatam & super omnia creantem, cunctaque creata regentem agnoscere quæro, nisi ut & hic viventi congrua vitæ huic subsidia donet, & post mortem hanc æternaliter ac feliciter vivere præstet? Quæ vero est natura hæc, quæ substantia vel essentia? nonne illa quæ communi universarum gentium more juxta proprietatem uniuscujusque linguæ Deus creditur, Deus dicitur? Est igitur illa natura Deus, illeque solus increatus est qui solus creator est, qui solus rector omnium, qui solus præsentium & æternorum bonorum auctor & largitor est. Videte igitur vos, **Sed maxime circa divina.**
C videte, inquam, vos quibus scribo, & juxta psalmum David, cui, ut credo, non discreditis: ***Juste judicate filii hominum***, utrum de *Psal. 57. 2.* creatura disputandum sit, de creatore tacendum; utrum libera loquendi facultas dari debeat quærenti de infimis & fugitivis bonis, & obstrui debeat os quærentis & agentis de summo & æterno bono. Liber ad cuncta mihi poterit esse discursus, loqui volenti de universis creatis, & statim ut de ipsorum creatore agere voluero, lex Mahumetica os obturabit, aut si quid forte contra eam dixero, vix primis verbis elapsis caput secabit. Estne hoc legis alicujus præ-
D terquam vestræ? vere nullius, plane nullius. Dirigite oculos huc illucque ab ortu solis usque ad occasum, ab austro usque ad aquilonem, universarum gentium leges, ritus ac mores scrutamini, & sicubi simile quid cautum vel traditum reperire potueritis, coram producite. Non sic, non sic, ut interim de aliis taceam, lex Christiana, non sic quidam de magnis Christi apostolis jubet. ***Parati***, ait, ***estote omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est fide & spe***. Quid *1. Pet. 3. 15.* certe, quid portendit mos hujusmodi?
E quid sibi vult lex talis, quæ prohibet audiri contra vos disputantem? quæ pati non potest ratione prævia contra vestros, ut creditur, errores agentem? Nonne videtur vobis hoc omni plenum pudore? non cernitis hoc omnimodo refertum dedecore? Liberam semper frontem virtus habet, non quærit angulos, velari dedignatur, obscura fugit, clara cunctisque patentia quærit. Sola falsitas agnosci timet, discuti

Sola falsitas quærit tenebras, ac proinde falsa lex Mahumetana.

veretur, latibulis gaudet, produci in publicum ut mortem formidat. Quare hoc? quare, inquam? veritas lumen, falsitas appetit tenebras. hæc plane causa est, & nulla alia prorsus, nisi ea quam Christus noster in evangelio suo, quod ei datum *Mahumeth* vester & dixit & scripsit, de bene agentibus & mala facientibus profert: *Omnis*, ait, *qui male agit, odit lucem; & non venit ad lucem, ne arguantur opera ejus; qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus quia in Deo sunt facta.* Certe verba hæc verba veritatis sunt, verba sunt plane illius, quem *Mahumeth* vester, de quo paulo ante scripsi, immensis laudibus effert; quem in diversis sui *Alchoran* locis, nuncium Dei, Verbum Dei, Spiritum Dei fatetur; quem sine peccato vixisse, quem majorem omni homine, etiam seipso, non negat. Qui si absque peccato, juxta illum, in terris conversatus est, mendax pro certo non est. nam si notam mendacii non cavisset, utique non parvus, sed magnus peccator fuisset. Ejus verba sunt illa quæ præmisi: *Omnis qui male agit odit lucem, & qui facit veritatem venit ad lucem.* Ad quid istud? contra morem reprobum, contra legem inauditam, quæ non licere vult quod omnibus licet, quæ agere contra se ex ratione volentibus auditum & aditum intercludit. Nam si mos ille, si lex illa veritatis est, quid timet ad lucem venire, ut manifestum fiat quia in Deo vel a Deo sunt facta? Sed quid frustra longos circuitus de re cunctis nota facerem? Idcirco plane absque dubio mos ille, lex illa totiens nominata odit lucem, diligit tenebras, non fert arguentem, non patitur contradictorem, ne arguatur falsitas ejus, ne nota fiat orbi terrarum doloso silentio tecta nequitia ejus.

Joh. 3. 20.

Et proinde ridicula.

5. Attendite jam & super his, & recolite verba illius vestri, ut putatis, prophetæ, quam frivola sint, quam enervia, quantum omni robore veritatis ac rationis carentia; » Si quis, ait ille, Deum sibi introducens loquentem, tecum disputare voluerit, dic te faciem tuam ejusque faciei sequaces ad Deum convertisse, quod agendo tam legum scientes, quam illitterati, bonam legem sequentur; sin autem: tuum est mea præcepta gentibus solummodo patefacere. Item, si quis tecum de lege certamen inire voluerit, dic ei anathema, & iram Dei talibus solummodo comminare. Et iterum: Nolite disputare cum legem habentibus; melior est enim cædes quam lis.» Quæ sunt, quæso, hujusmodi verba? Ergone rationalis animus in tantum asinina stoliditate sepelitur, ut more bruti animalis illius, quælibet vel quantalibet onera sibi imposita patienter ferat, disceptare de his non audeat, inquirere utrum bona an mala, utrum utilia an noxia sint non præsumat? si hoc

A concessero, necesse jam erit circumferri me omni vento doctrinæ, ac more arundinis flatu quolibet agitatæ, hac illacque inflecti, cedere omni errori, acquiescere cuilibet falsitati, nihil certi tenere, bona malis, vera falsis indiscrete confundere. Quid plane hoc concesso distabit inter hominem & pecus? Quid inter humanum animum & belluinum spiritum? plane nihil quantum ad stultam obedientiam: sed rursus multum quantum ad diversam naturam. non enim jam homo jumentis comparabitur, sed jure

B pecude stolidior judicabitur; non contradicit cujuslibet imperio pecus, quia caret rationabili animo, & acquiescit rationalis animus, contradicente rationis judicio; quia non est datum judicium pecori, indiscrete cunctis imperantibus cedit; cui inter bonum & malum, inter verum ac falsum discernere naturale est, his etiam quæ damnanda judicat, vilior pecude factus, obedit. Miror nec mirari sufficio, quomodo hoc a peritis & doctis hominibus extorqueri cujuslibet astu potuit, ut crederent verba quæ præmisi a Deo esse prolata, cum

C nihil prorsus in eis nisi stultum, nisi crudele, nisi insanum invenire vel negligens vel studiosus lector prævaleat.

6. Nam quid est hoc: Si quis tecum disceptare voluerit, dic te faciem tuam, ejusque faciei sequaces ad Deum convertisse? Si ergo, ut teipsum alloquar, ô *Mahumeth*, si certe mihi tecum de lege tua, utrum justa an injusta sit disceptare volenti, nihil aliud responderis, nisi te faciem tuam ejusque faciei sequaces ad Deum convertisse, credam te verà dixisse? credam te verum prophetam Dei fuisse? credam legem quam

D genti tuæ tradidisti a Deo tibi traditam esse? Vere me plus quam asinum si assensero, vere plus quam pecudem si adquievero. In quo enim mihi te veraciter aliquid dixisse vel in modico fidem facis, si te faciem tuam ad Deum convertisse, vel a Deo avertisse asseris? Sed & quod obsecro monstrum est, quod tibi dixisse Deum adjungis, quod « agendo tam legum scientes, quam illitterati bonam legem sequentur? quid agendo? « Si dixeris faciem tuam te ad Deum convertisse; propter hoc igitur tam legum scientes, quam illitterati legem tuam quam

E bonam dicis sequentur. Sed quid rem aperte ridiculosam persequor? Hunc præcedentem sequatur & alius versus. Scribis enim Deum adjecisse: Sin autem, tuum est « mea præcepta gentibus solummodo patefacere. Quid est hoc? Dixeras Deum dixisse: « Quod si ea quæ præmissa sunt, diceres, tam legum scientes quam illitterati bonam legem sequerentur. Quid est ergo quod addidisti: Sin autem, tuum est mea præcepta « gentibus solummodo patefacere? Facis « primo Deum loqui modo enuntiantis, &

nunc subinfers verba dubitantis. Enuntiantis enim modo locutus est, quando dixit, legem scientes vel sine litteris bonam legem secuturos. Dubitantis vero, quando dixit: Sin autem. Quod si enunciative locutus est, cur omnes tam scientes quam illitterati tuam legem non sequuntur? Quod si dubitabat tibi credituros, quare dixit: omnes legem tuam secuturos?

7. Sed sequitur & aliud quod præmisi capitulum. Si quis tecum de lege certamen » inire voluerit, dic ei anathema, & iram Dei » talibus solummodo comminare. Et hoc cui non liceat? cui plane hominum hoc non facillimum sit? Quod præceperis dicere mihi, hoc idem non prohibeor & ego dicere tibi. Sicut tibi leve est, ut mihi tecum de lege tua certamen inire volenti dicas anathema, ita mihi perfacile est, ut te mecum de lege mea agente, si adquiescere nolueris, dicam tibi anathema. Si leve tibi est iram Dei mihi, nisi tibi credidero, comminari; ita & mihi vel cuilibet facile est, eamdem iram Dei, nisi mihi acquieveris, comminari pariter & imprecari. Estne igitur justum, estne rationabile, ut nulla mihi auctoritate proposita, nulla ratione præostensa, credam tibi, acquiescam legi tuæ, si nihil mihi aliud, nisi anathema dixeris, si nihil aliud quam iram Dei comminatus fueris? Sed quia cujus ponderis hæc tua verba sint brutis etiam pectoribus patet, procedo.

Soli Judæi & Christiani legem proprie a Deo acceptam habuerunt.

8. Nolite, inquit, disputare cum legem habentibus, melior est enim cædes, quam lis. Et hoc infernale consilium quis non videat? Nolite, inquit, disputare cum legem habentibus. qui sunt legem habentes? Prout obscura illius hominis intelligere possumus, legem habentes nulli sunt alii, quam Judæi vel Christiani. Nam oculorum acie huc illucque diducta, nullos alios in orbe legem habentes, quando hæc ab illo dicta sunt, vel tunc fuisse, vel adhuc esse video, quam illos quos præmisi, Judæos scilicet aut Christianos. Hi plane, non alii, legem prius acceperant, acceptam juxta suos habitus vel intellectus tenebant. Judæi legem datam per Moysen, Christiani legem datam per Christum. Nam pagani, vel vestræ stirpis Saraceni, qui vestrum *Mahumeth* præcesserant, legem prius accepisse dicendi non sunt. Nulla enim vel paganis ab aliquo lex data fuerat, quos solus error falsis, nec nunc dicendis hominum opinionibus infecerat; nec Sarracenis, quia necdum legis vestræ lator, ne dicam auctor suprascriptus advenerat. quod si quis forte opposuerit quasdam legum sanctiones Græcis, aut Latinis, vel quibuslibet aliis gentibus traditas, sicut olim Solonis leges Græcis, sicut quorumdam Latinorum sapientium Romanis; respondeo legibus illis non

A esse cautum vel traditum, quid de Deo crederent, quo ritu vel modo eum colere deberent, sed tantum non mandato divino, sed hominum consilio provisum, qualiter suam rempublicam unaquæque gens regeret, quo ordine pacis vel belli tempore vitam transigeret; ne si absque alicujus certæ legis limite bestiali more vivere conarentur, mala bonis, justa injustis passim permiscendo, confunderent; ne ipsi vel eorum respublica in tanta rerum perturbatione diu persistere possent. De divinis vero nullus apud eos sermo, nisi qui omni auctoritate & ratione destitutus, & aut ex ridiculosis fabulis, aut ex stultis hominum deliramentis, aut fraudulentis dæmonum oraculis originem trahens, non ad veram Deitatis cognitionem vel cultum homines duceret, sed idolis, vel quibuslibet rebus creatis pro creatore ad colendum propositis, ab ipsa plenissime & omnino miserrime averteret. Ea de causa hujusmodi homines legem habentes dicendi non sunt, quam a Deo non acceperunt, sed ipsi sibi ritum vivendi, vel Deum colendi, prout libuit, confixerunt. Soli ergo Judæi vel Christiani ante *Mahumeth*, vel ejus tempore, legem habentes dicendi sunt, quam non a se inventam, sed a Deo traditam acceperunt. De his igitur mihi videtur dictum ab eo: nolite disputare cum legem habentibus. Cur hoc ab isto dictum? cur ne cum legem habentibus disputarent ab eo præceptum est? Si de veritate legis suæ confidebat, quare suos disputare prohibuit? Si diffidebat, cur ea quæ sui non possent deffendere scripsit? Sed noverat aut ipse, aut, quod pace vestra dictum sit, qui per eum loquebatur satanas, legis Judaïcæ vel Christianæ tantum esse robur, tam stabile fundamentum, ut non dicam humanis verbis, vel rationibus obrui, sed nec vi bellica, nec armorum fremitu, nec tormentis dirissimis, seu mortibus quibuslibet impulsu vel in modico posse mutari. Expertus fuerat illius primæ legis tempore Judæorum in Machabæis constantiam, evangelicæ gratiæ diebus in martyribus tolerantiam, non posse prævalere æternæ sapientiæ humanas rationes, invictæ virtuti non posse resistere mortalium languidos & enerves conatus. Ea propter qui mundanam sapientiam, qui humanam virtutem legibus divinis jam subtractam cernebat, quomodo sibi lite proposita de victoria suæ partis blandiri poterat, vel saltim primos disputationum ictus perferre? Destitutus itaque omni resistendi præsidio, confugit ad fugam, & qui nihil rationabile vel ponere vel objicere poterat, elegit silentium.

Cur Mahomet suos noluerit disputare cum legem habentibus.

Non ratione, sed gladio agi voluit.

9. Sed ne ex toto adversæ parti cedere videretur, pro ratione arma assumsit, & furiosorum more, nulli dans interroganti responsum

responsum, ad lapides, fustes, vel gladios A se convertit. Hiis armatus agentem contra se impetit, immo priusquam agit, pene priusquam agere incipiat, velut ex improviso irruens fera crudelis, extinguit. Talem tam justum tam rationalem disputationibus finem vester propheta *Mahumeth*, o Agareni, imponit, tam æqua sententia inter partes sibi adversas discernit; tale judicium usque ad sua vel vestra tempora sæculis inauditum laudabilis arbiter profert. Nam, ut præmisi, hæc ejus verba sunt: » postquam enim dixit: Nolite disputare cum » legem habentibus; subdit; melior est enim » cædes quam lis. Et quid dicam? Deficiunt verba ad tantam absurditatem, tam bestialem crudelitatem, tam nefandam nequitiam confutandam. Vere avida humani sanguinis bestia sathanas hoc invenit, per hunc, velut per organum sibi congruum, hoc efflavit, cujus lingua velut penna vel calamo usus, tam inhumanum & immane facinus & dixit & scripsit. Sciebat fabulosam & nugacissimam, ut in suo loco probabitur, sectam aliter diu stare non posse; non ignorabat erroneum dogma velut aranearum telam levi negotio dissolvendum, si libera contra illud agere volentibus via pateret, si prædicatoribus verbi divini more antiquo adversus eam disputare liceret. Non erat immemor olim in omnem terram eorum sonum exisse, & in fines orbis terræ eorum processisse verba, qui missi a Christo, verbum æternæ vitæ ubique disseminaverant, & totum fere mundum ad agnitionem veritatis perduxerant. Intelligebat nullum eorum, qui per eos crediderant, credere potuisse, nisi prius audiret quod credere deberet; nec audire hoc posse, si prædicatore careret. Nam sicut ait quidam magnus apostolus noster, *Fides ex auditu*, *auditus autem per verbum Christi*; non potuisset fides Christiana in hominum mentibus oriri, non audita prædicatione; nec audiri prædicatio potuisset absque prædicatore. Et quia subtilis ad fallendum & perdendum perditus angelus maximo se fraudandum lucro noverat, sicut olim se fraudatum dolebat, si aditus audiendi sermonis Dei daretur, nec dubitabat se a cordibus deceptorum expellendum, si ille admitteretur; interposuit ferreum, quem de profundo nequitiæ consilio hauserat, obicem quem nullus transgredi posset. Fecit hoc ut atrium suum, proh dolor! jam magnum, in pace custodiens, securius possideret, ut qui audito verbo salutis salvari poterat, tali arte auditu subtracto, in æternum periret.

Rom. 10. 17.

Lites & cædes damnat ecclesia, sed magis cædes.

10. Propter hæc omnia prolatum est ab illo vestro totiens nominato verbum tam solemniter execrabile: melior est cædes quam lis. Et lites quidem etiam Christiana lex improbat, juxta quod præmissus noster apostolus docet, *Servum*, ait, *Dei non oportet litigare*, damnat enim talium litium animosas contentiones, quæ fiunt non causa veritatis inveniendæ, sed procaci studio propriæ sententiæ defensandæ. Improbat plane, ut dixi, Christiana sobrietas superbas ac furiosas lites, docens discipulum sapienter & modeste, vel quæ proponenda sunt proponere, vel quæ objicienda sunt objicere. Non approbat tamen, ut ille vester propheta, cædes, nec dicit: melior est cædes quam lis. Utrumque enim malum esse docet, utrumque damnabile esse non tacet. Sed cum utrumque ipsius judicio improbetur, magis tamen horum alterum damnat. Non dicit: melior est cædes quam lis, vel melior est lis quam cædes, quia non recipit comparationem, quod omnino malum est adjunctum rei quæ omnino bona est, vel econverso. De duobus enim bonis vel de duobus malis comparatio fieri potest, non de altero bono & altero malo, vel de altero malo & altero bono. Non igitur, ut dictum est, apostolus noster dicit quod *Mahumeth* vester astruit, meliorem esse cædem quam litem, vel litem quam cædem, sed cædem longe pejorem. Et quæ mens parum, ne dicam multum rationabilis hoc verum esse non videat? disquirite universarum gentium judicia, & quidquid uspiam terrarum sol videt scrutamini. Utrum leges humanæ in aliis multis diversæ, in hoc uno non conveniant, quo longe majori pœna plectitur injustæ cædis reatus, quam injuriosæ litis excessus. Mirum si & leges vestræ, quos prudentes secundum carnem non ignoramus, in hac tam justissima causa non concordant, quod natura ipsa etiam verbis tacentibus prædicat, majorem injuriam majori pœna puniendam, majorem jacturam majori ultione damnandam. Quod si ita est; meliorem esse cædem quam litem, falsum est; sed litem malam, cædem longe pejorem, verum est. Quod si forte intellectus illius in eo quod dixit: Nolite disputare cum legem habentibus, nec antiquos paganos rerum quarumlibet inventores excepit, longe deformius & diffidentius hoc ab illo scriptum est, quando etiam cum illis, quorum leges nulla divinitatis auctoritate, nulla veritatis virtute subnixæ, coram processerant, disputare ausus non est. Quid igitur restat? Deponite tantum dedecus, neque vos tam turpi nota deinceps inuri patiamini, qua putatur in tantum vos diffidere de propria secta, in tantum eam omni rationis robore destitutam, ut ne dicam sponte, sed nec provocati in publicum prodire audeatis, aut cum quolibet vel minimo contradictore disputationum manum conserere.

2. Tim. 2. 24.

11. Et qualiter nobis vel orbi, partis

Ex caritate loquens hor-

tatur ut saltem audiatur.

vestræ, si qua esse posset, justitia vel veritas innotescet? qualiter vobis & vestris lux fidei Christianæ infulgebit, si nec vos vestra qualiacumque sint proponitis, nec nostra a nostris auditis? Et licet non ignoremus, quod vestra vobis sufficere videantur, quod plenam vos Deitatis notitiam habere credatis, quod tam nos quam omnes alios aliarum vel alienarum legum sectatores præter vos errare arbitremini; audite tamen quæ proponenda sunt, cum pace, nec in hoc ab universarum gentium vel legum more soli dissentiatis, maxime cum liberum vobis sit, disputationibus cunctis & allegationibus finitis, quæcumque dicta fuerint aut probare aut improbare, aut suscipere aut respuere. Et quia causa salutis vestræ me ad hæc scribenda impulit, nec quia ignotissimi & remotissimi eratis, caritas, quam, non ut erga Christianos, sed ut erga ethnicos, habeo, silere me permisit; debetis & vos hanc saltem huic caritati meæ vicem, ut si hiis quæ dicenda sunt nolueritis adquiescere, saltem non recusetis audire. Non deserat & illud tenax vestrorum ista legentium vel audientium memoria, ut quia in rebus dubiis non potest agnosci quod verum est, nisi prius destruatur quod falsum est; necesse mihi erit & contra vestrum legislatorem, & contra ipsius legislationem verbis materiei congruentibus agere, quia non parva veritati injuria fieret, si vel in sententiis vel in sermonibus contra justitiam relator parceret falsitati.

Christianorum exemplo qui Judæos etiam contraria prædicantes audiunt.

12. Non igitur statim moveamini, non statim, ut sic loquar, insaniatis, & ad lapides, ut supra dixi, aut gladios concurratis. Imitemini saltem in hoc nostros, qui cum frequentem cum Judæis, quorum inter ipsos plurima multitudo subjecta moratur, sermonem conserant, & multa ac pene universa fidei Christianæ contraria ab ipsis audiant, non in furiam commoventur, nec velut contra blasphemos in eorum necem insurgunt, sed audiunt patienter, respondent sapienter; neque hos ut hostes salutis suæ statim perimunt, sed æquanimiter, si forte aliquando convertantur, expectant. Hunc modum & erga innumeros ipsius vestri generis ac vestræ legis captivos, quos in præliis sæpe capere solent, conservant, & sola ad proprium solum redeundi facultate subtracta, linguæ libertatem non adimunt. Et ut ipsi nobis aliquid velut ex vestra parte opponamus, quod quia forte ignoratis, ipsi opponere non possetis, legitur in lege Judæorum quæ & Christianorum est, sed sic a nobis intellecta ut intelligenda est, Deum præcepisse occidi blasphemos, qui aliquid ad Deum pertinens verbis vel factis impiis temerare auderent. Sed non juvat in hoc vel in modico partem vestram, quia legis illius auctorem, præter paucos paganos; verum Deum esse nullus jam in orbe dubitat; quod vero secta vestra ex Deo non sit, omne præter vos universarum quæ sub cœlo sunt gentium genus affirmat. Justum igitur est, ut quos blasphemos creditis, interim occidere differatis, quousque indubio veritatis examine cognoscatur, prophetam vestrum a Deo missum, legem vestram a Deo datam fuisse, sicut ille qui blasphemos præcipit occidi, verus Deus probatur existere. Tali modo, tali consideratione, non furiosa sed sollicita, non præcipiti sed modesta, universæ gentes totius orbis, reges ac principes Christi nuntios susceperunt, susceptos audierunt, & licet diu multumque conati resistere, tandem rationi, tandem perspicuæ veritati, immo spiritui Dei illustranti cesserunt. Inter quos, ne nimius fiam, innumerabiles dimittens, regnum quoddam in ultimis occidentis partibus, ac pene extra orbem constitutum, vobis propono ac regem ipsius Ekelbertum nomine, qui pene vestro *Mahumeth* contemporaneus extitit, in exemplum produco.

Hac ratione reges & principes Christianæ veritati adhæserunt

Quomodo Angli fidem susceperunt.

13. Britannia prius ab antiquis Britonibus regnum illud dicebatur, sed ab Anglorum gente nomine derivato, nunc Anglia vocatur. Gens illa ante quingentos annos de partibus Saxoniæ egressa, magnas illius insulæ partes (nam insula est magno mari oceano circumsepta) in bellica obtinuit, atque in ea sibi regnum constituit. Erat hæc gens antiquis idolatriæ erroribus adhuc irretita, & cultum Creatoris creaturæ impendens, longe ab ipso sejuncta. Misertus est tandem benignus conditor erroneæ gentis, & per summum Christianorum magistrum, Romanum dico pontificem, qui Gregorius dicebatur, a morte eam eripuit, & sempiternæ vitæ adjunxit. Is enim divino tactus spiritu, ad evangelizandum illi genti Christi evangelium, electos misit discipulos, in quibus primus erat vir quidam sanctus nomine Augustinus, per quorum verba & insignia opera rex cum integra gente ad fidem Christi conversus, & Christianorum numero fideliter adjunctus est. Sed quomodo nuncios sibi missos susceperit, quid post causam adventus sui redditam eis responderit, quid egerit, qualiter se erga eos habuerit, quia ad causam de qua agitur multum, immo ex toto pertinet, audite: verba vero ipsa ex antiqua Anglorum historia excerpta hæc sunt. « Eo tempore rex Ethelbertus in Cantia potentissimus erat, qui ad confinium usque Humbri fluminis, quo meridiani & septemtriales populi Anglorum dirimuntur fines, imperium protenderat. Est autem ad orientalem Cantiæ plagam Thanetos insula non modica, id est magnitudinis, juxta consuetudinem æstimationis An-

» glorum, milliarium sexcentorum, quam a A » continenti terra secernit fluvius Wantsu» mii, qui est latitudinis circiter trium sta» diorum, & duobus tantum in locis est trans» meabilis. utrumque enim caput protendit » in mare. In hac ergo applicuit servus Do» mini AUGUSTINUS & socii ejus viri, ut » ferunt, fere quadraginta. Acceperunt au» tem præcipiente papa GREGORIO de gen» te Francorum interpretes centum, man» daveruntque regi se venisse de Roma ac » nuntium ferre optimum, qui sibi obtem« perantibus æterna in cœlis gaudia & reg« num sine fine cum Deo vivo & vero sine « ulla dubietate promitteret. Qui hæc au» diens, manere eos in illa quam audierant » insula, & eis necessaria ministrari, donec » videret quid eis faceret, jussit. Post dies » ergo venit ad insulam rex, & residens sub » divo, jussit AUGUSTINUM cum sociis ad » suum ibidem advenire colloquium. Cave« rat enim ne in aliquam domum ad se in» troirent, veteri usus augurio, ne superven» tu suo si quid maleficæ artis habuissent, » eum decipiendo superarent. At illi non » dæmonica sed divina virtute præditi ve» niebant, crucem pro vexillo portantes » argenteam, & imaginem domini Salvato» ris in tabula depictam, letaniasque ca» nentes, pro sua simul & eorum propter » quos venerant salute æterno Domino sup» plicabant. Cumque ad jussionem regis re» sidentes, verbum ei vitæ una cum omni» bus qui aderant ejus comitibus prædica» rent, respondit ille dicens. Pulchra sunt » quidem verba & promissa quæ affertis; sed » quia nova sunt & incerta, non hiis possum » assensum tribuere, relictis eis quæ tanto » tempore cum omni Anglorum gente ser» vavi. Verum quia de longe huc peregrini » venistis, & ut ego mihi videor perspexisse, » ea quæ vos vera & optima credebatis, no» bis quoque communicare desiderastis, no» lumus molesti esse vobis, quin potius hos» pitio vos benigne recipere, & quæ victui » vestro sunt necessaria ministrare curabimus. » Nec prohibemus quin omnes quos pote» stis fidei vestræ religionis prædicando so» cietis. Dedit ergo eis mansionem in civi» tate Dorobernensi, quæ imperii sui totius » erat metropolis, eisque ut promiserat cum » administratione victus temporalis, licen» tiam quæque prædicandi non abstulit. Sic rex iste, sic innumeri alii aliarum gentium reges nuncios Christi suscipiebant, susceptos omni humanitate & honore colebant. Decet vos hoc idem facere, aut si non ex toto illos imitari disponitis, saltem si quid commodi vel salutis vobis afferunt, audire pariter & probare.

Cum multa ex Judaicis & Christianorum scriptis

14. Jam ad proposita sermo festinet, & primo contra pessimum hostem Dei adjutus spiritu Dei ad prælium accingatur. Sed priusquam comminus manus conserere assueta ratio præliandi suadeat, præmitto quod præmittendum est, quæro quod quærendum est. Ex quo ab aliquot annis lex Mahumetica de lingua Arabica in patriam, id est Latinam meo studio translata est, mirari non desino, nec satis mirari sufficio, qua ratione propheta ille vester suo *Alchoran* quædam de Hebraica, quædam insuper de Christiana lege excerpta admiscuit, & cum magnum se pro viribus utrique genti hostem exhibeat, velut Judæus aut Christianus, plurima quæ scribit legis eorum auctoritate confirmat. Si enim hiis quæ no- B stra sunt credit, utique in quantum credit, nullo rationabiliter resistente, nobiscum sentit. Quod si ex parte nobiscum sentit, cur non omnibus quæ nostra sunt assentit? Si adquiescit Judaicis vel Christianis scriptis ex parte, cur non acquiescit ex toto? Cur monstruosum se exhibet recipiendo ex scripturis nostris quod vult, & rejiciendo quod non vult? Nam lego eum introducentem in illo suo libro nomina vel gesta illorum, quos litteræ Hebraicæ sonant; cerno eum nominantem, quos scripturæ C Christianæ memorant; de illis quasi excerptos video, Noë, Abraham, Loth, Jacob, Joseph, Moysen, Pharaonem, David & quosdam alios. De istis Zachariam, Elizabeth, Johannem Zachariæ filium, Mariam, JESUM vel Christum Mariæ filium, Gabrielem Zachariæ vel MARIÆ loquentem, Johannis exortum, Christi nativitatem ex Virgine, & quædam alia. Cum igitur, ut dixi, quædam ex jam dictis scripturis excerpserit, cur non aut Judæus factus est, cuncta Judaica suscipiendo; aut Christianus, Christiana ex integro volumina approbando? Cur bonam dixit legem D Judaicam quam non sequitur? cur Christianum evangelium prædicat, quod vituperat? aut enim pravæ sunt hæ scripturæ & abjiciendæ sunt, aut veraces & prædicandæ sunt. Nam longe alia lex est divinorum verborum quam humanorum; alia longe ratio legis divinæ quam traditionis humanæ. Nam si in quarumlibet gentium legibus quædam juste decreta sunt, sæpe tamen contigit, quod contra regulam æquitatis aliqua vel forte plurima sancita sunt. At non ita prorsus, non ita in lege E cœlesti, nec sic in supernis oraculis, quolibet tempore quibuslibet datis. Etsi enim ab humanis ingeniis rationabiliter ratione utentibus vera aliqua proferuntur, potest fieri, ut quia homines sunt, quandoque raro, quandoque sæpe fallantur. Unde in psalmis, quos jam dictus propheta vester David traditos asserit, legitur: *Omnis homo mendax*. Illa autem æterna majestas quæ Deus est, a quo omnis veritas, immo qui etiam essentialiter veritas est, sicut lux in

acceperit Mahumet miratur cur non omnia.

Lex Judaica & evangelica cum ex Deo sit tota sancta est & tenenda.

tenebras non potest mutari, sic vel sono audibili vel inspiratione intelligibili creaturis rationalibus loquens nescit mentiri. Inde constat quod cuncta mortalibus ab ipso tradita, & per eos scripturæ mandata vera sint, certa sint, indubia sint. Ex hiis colligitur quod si litteræ Judaicæ vel Christianæ, immo ut verius dicam, sensus earum a Deo ad homines processit, & ab illo ipsis traditus est, ut veraces, & velut rivus a fonte veritatis derivatus, non ex parte ut vester propheta facit, sed ex toto suscipiendæ sunt, honorandæ sunt. Cur ergo legislator vester partim has scripturas approbat, partim reprobat; partim suscipit, partim abjicit? Nam sicut dictum est, si divinæ sunt, non ex parte, sed ex toto suscipiendæ sunt; si divinæ non sunt, non ex parte, sed ex toto reprobandæ sunt. Aut ergo suscipiat has scripturas sicut divinas, aut servet *Alchoran* suum; aut si divinas esse negaverit, auferat ea quæ inde assumsit de *Alchoran* suo: immo justiore assumto consilio, auferendo falsa quæ de falsis scripturis assumserat, falsificet simul & auferat eorum causa ipsum totum *Alchoran* suum.

Veterem ac novam scripturam corruptam fuisse contendunt Mahumeti sectatores.

15. Ad hæc aliquis vestrum: Libros Judaicos vel Christianos divinos fuisse non nego; sed sicut a primis auctoribus conscripti sunt. Sed novi processu temporis diversis casibus illa prima volumina perisse, ac postmodum a quibusdam Judæis Judaicos, a quibusdam Christianis Christianos reparatos fuisse, qui primorum librorum velut originalem veritatem ignorantes, tam ex variis præcedentium relationibus, quam ex proprii cordis conjectura libros qui nunc a Judæis vel Christianis habentur, prout libuit condiderunt, ac vera falsis, falsa veris permiscentes, omnem eis veritatis constantiam abstulerunt. hac de causa libris hujusmodi, quibus utraque gens instante tempore utitur, fidem non adhibeo, hac de causa falsatos vel corruptos affirmo. Electa sunt tamen a Deo & tradita prophetæ nostro, quæ vera esse constabat; atque ab illo scripturæ legis nostræ admixta. Ista per illum legislatorem nostrum Deus inter verum falsumque discrevit, mittendo ei per thomos ea quæ ex ipsis scripturis vera esse noverat, non mittendo quæ falsa esse sciebat.

Refelluntur.

16. Et, ô prudentes juxta carnem viri! unde istud probatur? unde probatis, inquam, quod proponitis, unde ostenditis libros prius veraces a sequentibus vel Judæis vel Christianis corruptos? Et gratias quidem Deo, quod aliquando veraces fuisse asseritis; in hac enim parte nobiscum sentitis, in hac parte Judæis concordatis. Sed ad probandum, ut dictum est, quod falsati fuerint, quam auctoritatem, quam rationem, quibus cedere compellamur, affertis?

A Et certe juxta legem divinam & secundum illam quæ universarum gentium leges aut jura scripta superat, Romanam dico, agenti probatio semper incumbit. Creditis & proponitis libros divinos Judaïcos a Judæis, Christianos a Christianis processu temporis casibus variis esse corruptos; sed quia ut absentes scribenti respondere non potestis, proponam ipse mihi, nec segnius quam vos, vestra quibus innitimini volumina perscrutabor. Nullo vestrum, ut arbitror, resistente, universis scripturis vestris juxta vos sublimius & velut vertex omnium B supramemoratum *Alchoran* vestrum existere prædicatur. Illud enim est quod de cœlis a Deo missum, & non simul sed paulatim ac per partes mense qui apud vos *Ramazan* dicitur, prophetæ vestro a Gabriele traditum affirmatis. Ipsum igitur ab illo suo principio, quod est in nomine Domini pii & misericordis, te sanctificando omnium gentium Dominum, omnium regem, omnium Deum jugiter atque suppliciter exoro, ipsum, inquam, summæ legis vestræ ex integro librum revolvite, & si aliquid de falsatis libris Judaïcis aut Christianis vel a Deo vel a vestro propheta dictum eruere C inde poteritis, coram proferte. Scrutamini & alios, licet longe inferioris auctoritatis, qui apud vos leguntur aut habentur libros, & aut breve aliquod verbum, aut saltem iota unum, corruptas a quibuslibet quolibet tempore scripturas jam dictas significans nobis proponite. Sed non sumus adeo ignari aut expertes litterarum vestrarum, nec lingua Arabica adeo se subdere potuit cognitioni Latinæ, ut aliquid earum rerum quæ ad causam assumtam pertinent, nos latere potuerit, & utrum litteræ vestræ D in aliqua parte sui nostras falsatas esse contineant, nobis licuerit ignorare. Habet gens nostra plurimos in utraque lingua peritos, qui non tantum ea quæ ad religionem vel ritum vestrum pertinent, ex vestris litteris sollicite eruerunt; sed etiam quantum ad liberalia vel physica studia spectat, armariorum vestrorum intima penetrarunt. Ea de causa tam ex translatis litteris jamque Latinis, quam ex ipsis Arabicis cognoscimus, nec *Alchoran* vestrum, nec librum Abdiæ Judæi, nec genealogiam *Mahumeth*, E nec quælibet alia legem vel legislatorem vestrum sonantia volumina, scripturas Hebraïcas vel Christianas quolibet tempore aliquo casu falsatas esse, vel in modico memorare. Cum hæc ita se habeant, cum litteras nostras vel Judæorum, ut sæpe dictum est, aliquando falsatas esse libri vestri in nulla sui parte contineant, unde hæc opinio vobis? unde fama hæc? quo auctore traditio tam falsa, immo tam nulla processit? Mirum enim & supra quam dicere possim mirum est, homines, ut supra jam scripsi,

scripsi, quantum ad temporalia & humana prudentes, quantum ad æterna & divina tam hebetes, ut cernere non possint, non esse cuilibet traditioni credendum absque examine, non esse adquiescendum famæ vulgari absque certo & fide digno auctore. Et prorsus quidem stolidum est dubio auctori cedere; sed super omnia brutum est, absque ullo auctoris nomine inani tantum stultarum plebium fama vulgata tenere. Hæc enim jam sola superesse videtur, qua omnino insulse, immo imprudenter, opinamini divinos libros prius casu perditos, postmodum falsitate veritati admixta, prout novis scriptoribus libuit, reparatos.

17. Sed jam veniat traditio famosa in medium, & quibus casibus libri totiens nominati perierint indubia veritate ostendat. Ac primum qualiter Judæi legem a Deo sibi datam cum propheticis & aliis cohærentibus libris amiserint, ordine congruo servato declaret. Nam notum est orbi Judaïca volumina multo tempore Christiana præcessisse; evangelica vero sive apostolica longe post ab evangelistis & apostolis descripta. unde justum est ut eo ordine quo perierunt, perisse; eo ordine quo falsata dicuntur, falsata esse probentur.

Quibus ineptiis probent Mahumetani legem Judaïcam fuisse corruptam.

18. Dimissi, aiunt, regis Persarum indulgentia a captivitate Babylonica Judæi, atque ad Palæstinam suam redire permissi, libros divinos, quos secum dum captivi tenerentur habuerunt, asino imposuerunt, & sic cum promiscua multitudine iter aggressi sunt; & quia, ut mos est multitudinis iter agentis, quidam velocius, quidam tardius incedebant, diversisque itineris necessitatibus ad plurima distracti, nunc his, nunc illis occupabantur, asinum divinæ legis latorem incautius observaverunt; cumque primi ab ultimis longo viæ spatio discreti negligenter incederent, brutum illud animal rectore jam carens, utque hujusmodi animalia solent, lasciviens, relicto itinere, devia secutum est; quod paulatim procedens, & nunc per plana cursitando, nunc montana conscendendo, a suis segregatus, cum nemo sequeretur, disparuit, talique casu cum lege Dei quam ferebat, periit.

Refelluntur.

19. Hæccine est, ô viri, fama? hæccine est traditio qua constat apud vos legem Judaïcam perditam, libros propheticos amissos? Et qualiter, qualiter inquam persuaderi potuit circumspectis hominibus, Judæos a captivitate jam dicta redeuntes, tam incuriosos, tam desides, tam indevotos erga sacra sua, quæ sola, amissis aliis omnibus, eis supererant, existere potuisse? Jam enim ante septuaginta annos dum captivarentur, eversa urbe, succenso templo, arca Dei perdita, aureis, argenteis ac æreis multi ponderis vasis, quæ Deo sacrata fuerant, cum captivato populo in Babylonem translatis, nihil sacrorum suorum redeuntibus, præter legem & vasa regali dono sibi restituta supererat. Quomodo igitur aut verum aut verisimile videri potest, homines ardentissimis animis ad patriam festinantes, & erga religionem traditam toto nisu flagrantes, legem Dei, de qua tota spes eorum pendebat, & de qua sola apud alios vel proximos vel remotos mundi populos gloriabantur, sic neglexisse, sic animali vilissimo imposuisse, sic nec uno de tot millibus saltem sequente incustoditam dimisisse? & ubi erant vel quo declinaverant ministri? ubi levitæ? ubi qui de captivitate redierant sacerdotes? & si nobilium vel vulgarium multitudo mixtim vel sparsim incedens, cui servandæ legis cura imposita non fuerat, legiferum asinum, non attendens quo diverteret, subsecuta est, aut præcessit; videtur esse consequens, ut ad id electi universi pariter alias diverterent, nec saltem unum de multo custodum numero ad servandam legem, immo, ut sic dicam, totam spem suam reliquerint? Quis enim facile equum vel jumentum quodlibet suum sic absque omni custodiæ cura negligit?

Plura fuisse apud Judæos legis exemplaria.

20. Sed esto sit (quod non fuit) aberraverit asinus, & in via sequens disparuerit, amiserit stultus & iners populus asinino errore legem, perdiderit tali casu, immo tanto infortunio sacra illa, quæ jam dictum animal tunc ferebat volumina; numquid nusquam in toto orbe aliud ejusdem legis volumen, vel penes Judæos, vel penes alios aliquos remanserat? An inter tot millia Judæorum, vel qui de Chaldæa ad Syriam redibant, vel qui per plures ac diversas orbis partes vel captivati vel fugati fuerant, nullus erat qui eamdem legem in alio transcriptam volumine haberet? Et certe si aut divinis aut aliis veracibus historiis credere non refugitis, ante illam quæ a rege Chaldæorum, qui Nabuchodonosor dicebatur, de Judæis facta est, captivitatem, a regibus Assyriorum decem stirpis Judaïcæ tribus in Medos & Persas aliasque orientis gentes translatæ sunt. Numquid tanta gens, immo tot populi, quibus lex illa Dei communis erat, nullos legis tam famosæ libros secum, dum transferrentur, tulerunt? Et quæ gens qualibet lege scripta vivens, uno & solo volumine contenta est? Quomodo innumeris gentibus per multiplices urbes, per vicos, per castra, per villas diffuse manentibus, multamque terrarum partem occupantibus, unum tantum legis suæ volumen sufficere posset? An non omnes ubique gentes non solum in singulis civitatibus, sed pene in singulis & modicis villis, legis cui se devoverunt, singula aut forte plurima volumina retinent? Nonne

ipsi de quorum lege agitur Judæi, per totam Europam ac per alias mundi partes sub Christianis manentes, non solum milleni aut centeni, sed etiam sexageni aut quinquageni uno in loco simul habitantes, legem integram, prophetas omnes, aliosque Hebraïcæ linguæ libros nobis nostrisque in synagogis suis quotidie ostendunt, commodant, offerunt? Vix plane apud nos viginti simul morantes absque libris hujusmodi inveniuntur Judæi. Nonne simili modo & apud vos? Scrutamini in partibus illis, in quibus eos vestro dominio subjecistis, & me non falsa loqui, ut arbitror, agnoscetis.

Sacra volumina in omnibus urbibus conservabantur.

21. Fuerat & iste mos eorum, dum antequam a diversis gentium regibus captivarentur, adhuc quasdam partes Syriæ sibi a Deo concessas cum sua illa metropoli Jerusalem incolerent, ut non tantum in urbe illa, in qua sola eis Deo sacrificare licebat; sed etiam in cunctis aliis urbibus suis, & fere in universis ditionis suæ castellis & burgis, tam legis, quam aliorum librorum volumina conservarent. Nam nec aliter, ut ratio consulta declarat, tam profusæ legis doctrinam discere vel memoriæ tradere, maxime tanti numeri populi possent, nisi in multis ac diversis locis manentibus & multitudo librorum adesset, & multorum magistrorum solertia non deesset. Non enim fieri poterat, ut ter tantum in anno totus ille populus, Dei præcepto ad principalem urbem ad orandum & sacrificandum conveniens, paucissimis diebus, quibus ibi morabatur, lege Dei instrui, & quantalibet doctorum instantia, angustia temporis prohibente, plene posset doceri. Habebant igitur plurima loca, habebant plurimi in locis diversis manentes, integrum legis divinæ & aliorum voluminum corpus; sicque tam in illis Syriæ partibus, quam in aliis per orbem diffusis regionibus, lex Dei ab innumeris conservata perire non poterat.

Saraceni ipsi plura etiam sui Alchorani exemplaria habent.

22. Sed quid loquor de Hebræis? quid dico de aliis gentibus? quod leges quibus vivunt, sive a Deo traditas, sive ab ipsis inventas, non uno in loco contineant, sed per loca aut quibus dominantur, aut in quibus morantur, diffundant? Vos, vos inquam convenio, *Alchoran* vestrum traditum, ut dicitis, a Deo *Mahumeth* vestro, sola Meccha ubi jacet continet? Nulla hoc Arabiæ alia civitas, nulla Ægypti, nulla Africæ, nulla orientalium civitatum vobis subditarum, nullum earum castrum, nullus vicus, præter Meccham, *Alchoran* illud habet. Credo, nisi monstruose pertinaces esse velitis, & veritati notissimæ repugnare, tam vestro quam universarum gentium exemplo, concedetis Judæos nullo tempore fuisse contentos simplici scripturarum suarum

A volumine, nec pro fabuloso & mendoso, immo nullo bruti animalis errore, legem Dei in illo Judæorum a Babylone reditu potuisse perire. Affluebat enim ex diversis partibus orbis, unde resumi non deerat facultas, unde rescribi ex innumeris exemplaribus posset. Quod quia rationabiliter negari non potest, procedat sermo ad sequentia, & Judæos post illum suum a Babylone reditum libris legis divinæ caruisse demonstret. Sic enim in libro Esdræ, qui de numero judaïcorum voluminum est, legitur: *Congregatus est omnis populus quasi vir unus ad plateam, quæ est ante portam aquarum,* *Librum legis perditum non fuisse probatur ex Esdra. 2. Esd. 8. 1.*

B *& dixerunt Esdræ scribæ, ut afferret librum legis Moysi, quam præcepit Dominus Israheli. Attulit ergo Esdras sacerdos legem coram omni multitudine virorum & mulierum, cunctisque qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi, & legit in eo in platea quæ erat ante portam aquarum, a mane usque ad medium diem, in conspectu virorum ac mulierum & sapientium, & aures omnis populi erant intentæ ad librum*: Et versu interposito. *Et aperuit* *Ibid. 5.* *Ezras librum coram omni populo, & benedixit Ezras domino Deo voce magna, & respon-*

C *dit omnis populus amen.* Numquid Ezras qui de illorum numero captivorum erat, quorum, ut dictum est, incuria lex Dei juxta vestrorum opinionem perierat, legem falsam tam subito condiderat? cumque & ipse vir justus & sapiens in eodem volumine prædicetur, nullaque vel ipsi vel populo spes nisi in Domino tunc fuerit, quis sani capitis vel suspicari audeat, ab eo legem Dei corruptam, & in totius populi conspectu ad legendum productam? Sed quia apertissime falsis diu immorandum non est, actu producantur certa indicia, quibus le-

D gis divinæ liber vel ab Ezra, vel a quolibet alio falsatus probetur, aut ridicula & insulsa a patre mendacii procedens opinio reprobetur.

Si lex falsata fuisset, impossibile esset eam ab omnibus & semper recipi, nullo advertente.

23. Sed iterum & iterum ad mirandum commoveor, nec satis tam prodigiosa admirari sufficio, quo sathanæ astu hominibus ratione utentibus persuaderi potuit, ut aut crederent, aut putarent, libros tanto tantorum sæculorum testimonio veraces, tamque a plus quam duobus millibus annorum ubique per orbem diffusos, cujuslibet falsatoris arte potuisse corrumpi. Quid

E enim? numquid etsi constaret juxta vestram suspicionem ab aliquibus falsariis falsatos, constaret absque veritatis examine ab orbe susceptos? Itane aliquando sensus humanus obrutus? sic ratio sepulta fuit, ut non discerneret quod susciperet? immo quod longe amplius mirandum est, tantæ falsitati in universis præter vos linguis & gentibus assentiret? Qualiter per mille fere annos, dum adhuc lex illa Dei, ut creditis, incorrupta maneret, a nullis præter

Judæos suscepta est & falsata, usque ad ultimos mundi terminos per universos populos diffusa est? Sed quæ in voluminibus illis falsitas notari potuit? in quibus suis partibus? in quibus versibus primus legis illius liber qui Genesis vocatur, veritate mutata, falsitate admixta corruptus apparet? in quibus Exodus? in quibus Leviticus? in quibus liber Numeri? in quibus Deuteronomium? nam in his quinque summa Judaïcæ legis consistit. In quibus falsati apparent Jesu Nave, Judicum & Ruth libri, qui prioribus quinque adjuncti, græco sermone Eptaticus vocantur? An forte in historica relatione? an in legislatione? Si de historia, hoc est de rebus gestis ab ipsa cœli & terræ creatione usque ad eorumdem librorum finem quæstio est, nonne pene omnia, ut ibi leguntur, *Mahumeth* in Alchorano suo Deum sibi fingens loquentem fatetur? Hoc de cœli & terræ creatione, hoc de Adam & Eva, de paradiso, de nemore paradisi, de arbore prohibita & serpente, de expulsione a paradiso Adam & Evæ, de Chain & Abel, de Noë & arca, de diluvio, de Abraham & Jacob, de Joseph, de Moyse & Aaron, de Pharaone & Ægyptiis, de Israël & mari rubri transitu, de prolixa illius populi per deserta peregrinatione, de terra Chanaan Israëli promissa & tradita, ac, ut dictum est, pene de omnibus quæ libri illi referunt, licet multis subtractis, multis mutatis, multo insuper aggere mendaciorum admixto, illo suo barbarico & prodigioso loquendi more plurima narrat. Si de legislatione per Moysen, & inde similiter multa subtrahens quædam memorat. Cumque ex plurima parte hebraïcorum voluminum veritati attestetur, nec, ut supradixi, vel in modica sui parte falsata dicat, unde vobis hæc innasci potuit opinio, quam non accepistis a magistro? longe rectius, longe rationabilius hæc cogitare potuistis, hæc loqui debuistis. Etsi nobis notæ sunt hebraïcæ vel Christianæ scripturæ, tamen ex hoc conjicimus veraces esse, quia plurima, ut ibi scripta sunt, in lege nobis tradita propheta vester approbat, nulla vero vel ibi vel alibi improbat ex his omnibus quæ supra scripsi; nec perditos, nec falsatos hebraïcos libros fuisse, aut necessario aut probabili argumento concludo. Si quædam, ut apud Judæos scripta sunt, velut divino ad se facto responso, suæ vestræque legi *Mahumeth* inserit, nec reliqua vel perdita vel falsata astruit, nec vestrûm aliquis quod de perditis vel falsatis eisdem scripturis vel suspicamini vel proponitis, probare potest: constat eas absque quolibet vel minimo mendacii nævo, sicut a primis suis auctoribus editæ sunt, firmissimam summamque, ut divinas veritates, arcem tenere. Sed nec in *Alchoran* vestro, nec in aliis quibuslibet sectæ vestræ quidquam de his legitur; nihil aliunde a vobis unde probari possit Judaïcos libros aut perditos aut falsatos affertur.

Si lex falsa est, Alchoranum rejicere necesse est, plura ex lege continentem.

24. Clarum est ergo, falsis objectionibus ac suspicionibus longe rejectis, sæpedictas scripturas non partim, sed ex toto esse veraces. certum est, nullo jam resistere prævalente, esse divinas. Iis ita se habentibus, addo quod supra jam tetigi, necessario vos aut scripturas Hebraïcas ex integro suscipere, aut *Alchoran* abjicere. Cum enim, ut jam dixi, multa in illo volumine sicut in Judaïcis libris habeantur, si falsati dicuntur, quæ aut inde sumta, aut sicut ibi posita sunt, falsa omnino vel dubia esse probantur. Quod si falsa vel dubia in illa vestra lege scripta sunt, cuncta prorsus quæ liber ille continet, aut falsa aut dubia sunt: nam nec ex falsatis libris aliquid potuit sumi nisi falsum & dubium; nec sicut ibi aliquid poni nisi falsum aut dubium. Sed constat, ut sæpe dictum est, plurima aut inde sumta, aut quantum ad sensum pertinet, sicut ibi leguntur, in Alchorano posita. Constat igitur hac ratione legem illam, illam, inquam, legem vestram, quam de cœlis missam gloriari soletis, non solum ex parte, sed totam ex integro falsam vel dubiam. Quod si falsum vel dubium *Alchoran* vestrum vel dicere vel credere refugitis, urgente vos undique certa quæ nec fallit, nec fallitur veritate: fateri cogemini libros illos unde a *Mahumeth* vestro plurima vel sumta, vel quantum ad sententiam, sicut ibi leguntur, legi vestræ inserta sunt, non ex parte, sed ex toto veraces; non ex parte, sed ex toto divinas.

Christianorum libri etiam sunt admittendi.

25. Hoc concesso, non solum Judaïca volumina absque ulla mendacii nota ut divina suscipietis, sed hac eadem per omnia ratione etiam Christianos libros pariter admittetis; nam & de illis, ut supra memoravi, plurima eidem legi vestræ a jam dicto vestro legifero admixta sunt, & pene toti illius voluminis corpori ipsius inserta: quæ si, ut ex falsatis libris assumta, reprobanda sunt cum eis modo quo supra: & omnia illa quibus adjuncta fuerant, condemnanda sunt. Quod si & istud vitatis, simili immo eadem qua prius rationis connectione libris Christianis eamdem quam Judaïcis auctoritatem confertis. Et licet hoc negari non possit, licet brevi compendio Christianos libros veraces & divinos esse claruerit, veniat tamen & in medium procedat opinio, qua & ipsi perditi, qua falsati a vestris aut omnibus, aut quibusdam traduntur.

Mahumetanorum deliramenta de perditis & falsatis Christianorum libris.

26. Romanorum, inquiunt, principum tempore, qui acriter Christianos exsiliis, proscriptionibus, diversisque mortium generibus diutissime persecuti sunt; qui & ipsa eorum volumina edictis publicis exuri

ubique jusserunt, tam evangelia quam apostolorum actus vel epistolæ perierunt. Rescripti vero postmodum sunt ac reparati, ut Christianis libuit, qui longa annorum serie interposita illis succedentes, nec a primis librorum auctoribus utique quidquam acceperant, nec libros ab ipsis conditos, utpote prius, sicut dictum, succensos, viderant.

Refutantur, ac primo non perditos fuisse demonstratur.

28. Et hoc est totum? hoc est, inquam, totum quod prætenditis, hoc est totum ac solum unde evangelica vel apostolica scripta perisse, unde falsata esse asseritis? Si hoc est totum, eadem qua supra contra vos via incedo, eodem respondendi modo quæ proponitis nullarum virium, immo prorsus enervia esse ostendo. Fateor quidem Romanos principes, qui toti Europæ, qui toti Africæ, qui maximis Asiæ partibus cum adjacentibus, vel in Oceano vel in Tyrreno mari insulis dominabantur, trecentis annis pene continue Christianos ubique jam diffusos nunc acrius nunc remissius persecutos esse. Fateor quemdam ex ultimis persecutoribus, qui & Diocletianus vocabatur, qui & ferocius & diuturnius aliis eos aggressus est, publico sanxisse edicto, ut per universas sibi subditas regiones ipsa paschali sacratissima die Christianorum ecclesiæ subverterentur, librique incenderentur. Hoc certe, ut dixi, velut pro parte vestra favens fateor. Sed in quo istud pro vobis? Et si edictum hoc ab illo principe per imperii Romani amplitudinem promulgatum est, si ex parte vel fortassis ex toto, quantum ad ecclesiarum eversiones spectat impletum sit, & hi qui inventi sunt libri combusti sunt; numquid uno illo casu Christianorum universa volumina perierunt? An nemo in tot tantisque populis per maximum illud imperium diffusis extitit, qui audito regio edicto, aliquos ex tam innumeris libris absconderet, nemo qui igni subduceret, nemo qui servaret? Et certe, quod probari ex historiis veracibus potest, vix in tam famoso & diffuso regno, vix erat civitas, vix municipium, vix villæ aliquæ, quæ non haberent Christianorum multitudinem admixtam paganis. Inter quos per urbes singulas episcopi, presbyteri, diaconi, clerique non immodicus numerus Christianis populis præsidebant, & sacros Christianæ legis libros cum aliis sibi creditis cœlestibus sacris ac sacramentis summa & singulari cura servabant. Itane ergo omne propositum Christianæ religionis in eis perierat? Itane amor divinorum sacrorum in eis defecerat, ut cum corpora sua ignibus, gladiis, omnisque generis mortibus pro servanda lege Dei exponerent, ipsam legem Dei pro qua mori non differebant, sic universaliter negligerent? Et quid de Persis ac Medis? quid de Æthiopibus & Indis, quid de ipsa vestra Arabia, quid de aliis regnis quæ sibi Romana [respublica] subjugare non potuit dicitis? nam cum in omnem jam terram, discipulis Christi ubique clamantibus, sonus evangelicæ prædicationis exisset, nullumque pene orbis angulum Christianis per omnes gentium linguas diffusis lateret, perierunt vel perdita sunt etiam apud illos Christiana volumina? periit evangelium? perierunt apostolica scripta? nullusne populus, nullæ linguæ, nulla Christianorum regio Christianos libros sicut a primis suis prædicatoribus acceperat, ne possent perire, servavit? Sed servatum est, servatum est plane ab innumeris gentibus Christianis ut ab evangelistis traditum est evangelium, servata per successiones certissimas apostolica scripta, & usque ad tempora nostra transmissa. Et ut de remotioribus minusque nobis cognitis mundi partibus taceam, habet Latina ecclesia a Petro, habet Græca a Paulo, habet Europa tota ab utroque sibi tradita evangelia, sibi commissa apostolica scripta. Hi cum summi & præcipui in discipulis Christi fuerint, alter edoctus ab illo corporaliter, alter invisibiliter, incipientes a Jerosolymis usque ad ultimos Occidentis terminos, aliquando simul, aliquando separatim, nunc per se, nunc per suos evangelium Christi verbo prædicaverunt, scriptumque posteris tradiderunt. Petrus evangelium Marci quod ipse probaverat; Paulus evangelium Lucæ, quod ille in partibus Græciæ scripserat. Nec defuit Johannes, alter ex discipulis Christi, ab eo dum adhuc cum hominibus moraretur electus & doctus, suum quod scripserat evangelium minoris Asiæ Christianis populis tradens. Sed nec Matthæi quod prior scripserat evangelium cismarinis partibus & populis a jam dictis apostolis traditum perire potuit; quod festinanter ubique transcriptum atque diffusum, multorum populorum sollertia conservavit. Hæc sibi ab apostolis jam dictis mox & sicut scripta fuerant tradita, præter innumeras alias, omnium mundi ecclesiarum Romana ecclesia caput per succedentes nobisque ex scriptis notissimos apostolicos pontifices, a Petro incipiens usque ad hæc nostra tempora, custodivit, falsumque prorsus & inane esse, quod perisse a vestris aut creduntur aut dicuntur, ostendit. Sic & de apostolicis scriptis: a Luca jam dicto apostolorum Actus, a Petro epistolæ duæ, a Johanne tres cum Apocalypsi sua, a Paulo partim de Italia, partim de Græcia scribente, ecclesiisque per diversas urbes mittente epistolæ quatuordecim, primis in Christum credentibus traditæ sunt, & tam in Romana quam in ceteris urbibus per sibi succedentes fidelium generationes usque ad nos summo, ut dictum est, studio conservatæ.

conservatæ. Restant de novo Christianorum canone duorum apostolorum Jacobi & Judæ epistolæ duæ, hoc est una Jacobi & alia Judæ. Hæ licet in Asia majore scriptæ, cum oriente vestro nostrum quoque occidentem eodem pene tempore penetrarunt, aliisque statim adjunctæ ab eisdem quos nominavi, eo quo cetera studio sunt conservatæ. inde ad manus nostras cunctorumque fidelium nunc viventium devenerunt, servandæ a nobis ac posteris nostris, quamdiu cœlum imminet terræ.

Sed neque corruptos.

28. His ita præmissis, quid restat? quid restat plane nisi hoc? necesse est eos qui ex vestris credunt vel opinantur libros Christianos periisse, aut certa ratione ostendere perditos, aut cedentes præmissis tam probabilibus causis, fateri a Christianis esse servatos. Jam si constat quod non perierint, constat quod nec falsati fuerint. Cum enim sicut ipso frequenter quotidiano usu experimur, etiam a paucis condictum secreti cujuslibet mysterium, levitate humana impellente, diu tectum manere nequeat, verumque sit proverbium Gallorum nostrorum, Quod sciunt duo, sciunt omnes; qua arte, quomodo libri per orbem diffusi, tantaque tantorum, ut dictum est, solertia conservati, falsari potuerunt? An totus simul Christianus orbis tam prophanæ falsificationi assensit? An corrumpi sic universaliter libros suos Christiana ubique sapientia passa est? nullusne ex tantis Christicolarum populis, primis librorum suorum corruptoribus restitit? Si enim corrupti sunt, primo ab uno, sive a paucis, vel forte a multis sibi invicem consentientibus corrupti sunt. Nam quomodo id aliter fieri potuisset, nisi corruptio hæc a paucis cœpisset? Cœpit ergo corruptio hæc a paucis, quia nec aliter, ut dixi, subripere potuisset, vel fortassis a pluribus; sed numquid a totius orbis populis? Numquid simul universi, aut libros quos acceperunt corruperunt, aut corruptoribus primis cesserunt? Itane omnes aut per se falsando, aut falsatoribus subito vel paulatim cedendo, æternam salutem suam, quam soli illi libri prædicant, prodiderunt? An posset fama tam generalis falsitatis occultari, cum, ut præmissum est, vix aliqua secreta etiam a paucis, interpositis ipsis fidei sacramentis, possint celari? An forte & totus mundus tunc falsitati assensit, & totus nunc nec tenuem famam tam universalis falsificationis accepit? Omnia plane monstra, cuncta portenta exsuperat orbem terrarum libros suos corrupisse, & corruptos nescisse. Sed forte hoc ad solos Saracenos pervenit, & ad solos Christianos pervenire non potuit. Fortassis alienorum librorum vel perditio vel corruptio eis patuit, quæ tantis temporibus Christianos latuit. Aliena Saracenis nota sunt, propria Christianis ignota sunt. Sed quid ultra? quid ultra vel inanissimis nugis vel nugacibus hominibus respondendum est? Quod sine tegmine frivolum & falsum cernitur, quid tantopere stilus persequitur? Claudat modo quo supra ea quæ præmissa sunt ratio, nec enervia velut fortia diutius insectetur. Aut proba quicumque hoc adstruis vel opinaris, certis rationibus libros Christianos falsatos, aut si non habes quid e converso afferas, crede veraces, crede divinos. nam nec universaliter potuere falsari, Christianorum nemine reclamante, nec si falsati essent, latere potuisset Christianos omnes in orbe, quod, quantum ad infinitos Christiani nominis populos, factum esset ab orbe.

Saraceni non possunt evangelium falsificare, nisi falsificent & Alchoranum.

29. His quæ de Hebraicis libris jam dixi, adjungo non posse vos falsare evangelium nostrum, nisi pariter falsificetis & *Alchoran* vestrum. Nam si falsum est evangelium, illa quæ ut in evangelio leguntur, si in Alchorano habentur, falsa vel dubia sunt. Quod si illa falsa vel dubia sunt, & totus liber cui illa admiscentur falsus vel dubius est, clarum est enim quia de libro falsato nihil assumi potuit, nisi falsum aut dubium. Quod si legem illam vestram falsam aut dubiam credere vel dicere nefas putatis, evangelium vel evangelicas scripturas veraces esse & divinas, ratione cogente, inviti sive spontanei affirmatis. Affirmatis vero, si admixtas vestro Alchorano evangelicas sententias veras esse dicitis. Nam, ut sæpe jam dictum est, aut reprobatis ipsis, liber cui insertæ sunt reprobatur; aut approbatis, pariter approbatur. Hac ratione cogimur eos & credere & fateri, Hebraïcos, ut præmissum est, libros cum nostris, id est Christianis, esse veraces pariter & divinos. Veraces, quia jam claret eos nævo mendacii expurgatos; divinos, quia, teste legislatore vestro, & lex Hebraïca Moysi data est, & evangelium Christo a Deo traditum est. Hac consequentia necesse est vos, quantum ad divinum canonem spectat, prorsus ut Hebræos, hebraïcos libros suscipere, & ut Christianos evangelica sive apostolica volumina probare. Ea de causa vos præmonitos & præmunitos esse denuntio, quod ubi in processu propositi operis & sermonis opportunum fuerit, ex his quæ jam necessario ut divina tenetis vos aggrediar, & sicut ex concessis fieri ratio disputandi suadet, falsitatem, qua, exceptis Judæis, præ cunctis mortalibus irretiti & obruti estis, ut potero impugnabo, & scuto veritatis protectus, Deo juvante, pro viribus expugnabo. Sed quia evangelica & apostolica scripta nostra dixi: Judæorum vero volumina nostra esse non scripsi, nemo vestrûm æstimet Hebraïcos libros Christianos non esse, quia non minus suscipit Chri-

stianus legem Moysi vel prophetas, quam evangelium aut apostolorum gesta vel epistolas. Ab eodem enim Deo cunctarum rerum visibilium & invisibilium conditore utriusque gentis canonicas scripturas diversis temporibus utrisque populis traditas, Christianus & corde credit ad justitiam, & ore confitetur ad salutem. Et licet hi inter se valde dissideant, suscipit tamen Christiana universitas intellectu quo debet Judaïca scripta, & ea ut maximum robur, ac fidei nostræ fundamentum honorat. Hæc interim dicta sint, ad probandum, ô Saraceni, ex ipsa lege vestra cui creditis, litteras Hebraïcas aut Christianas veraces esse ac divinas, nec earum veritati obviare posse humana figmenta, quas non solum veritas invicta commendat, sed & ipse qualiscumque legislator vester sacras esse modo quem præmisi confirmat. Quod autem sæpedicta lex vestra omni prorsus veritate destituatur, ipseque ille, plane ille nec propheta fuerit, nec Dei nuncius, sed seductor & prophanus sequentia declarabunt.

Explicit liber primus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

Ismaëlitas hortatur ad audiendum quæ dicturus est.

1. Jam quia, o Ismaëlitæ, præmissis quæ præmittenda erant, contra summum religionis vestræ robur agendum est, continete, ut præmonui, gladios, seponite lapides, aperite aures, & si quid prudentiæ saltem humanæ in vobis est, deposito pertinaci ac puerili vincendi studio, intentis animis quæ sequuntur audite. Utile poterit hoc esse vobis, & si gratia Dei vestri misereri voluerit, summe necessarium, ut intente scrutemini, sollicite perquiratis, perquirendo advertatis, cui vos ipsos, cui salutem vestram, non dico tantum hanc fugacem & transitoriam, sed illam quæ huic succedit æternam; cui, inquam, corpora & animas vestras credideritis, nisi forte juxta famosum prophetam Isaïam, sit mendacium in manu vestra, ne forte pro veritate falsitatem, pro justitia iniquitatem, pro cultu divino diabolicum sacrilegium teneatis. Dicit ille loquens de idolatris: *Nescierunt, neque intellexerunt. Obliti sunt enim, ne videant oculi eorum, & ne intelligant corde suo. Non recogitant in mente sua, neque cognoscunt neque sentiunt, ut dicant. Medietatem ejus*, hoc est arboris, *combussi igni, & coxi super carbones ejus panes: coxi carnes & comedi, & de reliquo ejus idolum faciam? Ante truncum ligni procidam? Pars ejus cinis est. Cor insipiens adoravit illud, & non liberavit animam suam, neque dixit: Forte mendacium est in dextra mea. Memento horum, Jacob & Israël, quoniam servus meus es tu.* Potest hoc idem & vobis contigisse. Idolatræ quidem, ut audivi, non estis, nec ligna, vel lapides, aut hujusmodi talia adoratis, sed quid? quid, inquam? quid? Quid prodest vobis creaturam pro creatore non suscipere, si non datur Deum, ut se coli & vult & præcipit, colere? Scrutamini ergo, nec longævo jam errore imbuti scrutari dedignemini, utrum quod hactenus credidistis falsum sit, quod huc usque falsum putastis, verum sit. Sapientum est, etiam si pudeat, emendare errata; stultorum est fatuo pudore non corrigere etiam ab orbe damnata, & ut pertinacem & perdentem vos verecundiam, si datum fuerit, erroneæ saltem multitudinis contemplatione, a vestri cordibus abigatis, ne solos vos errasse suspicemini, propono tam de alienis quam de nostris exempla, qui multiplicibus errorum monstris, ut a via veritatis recederent, ab hoste pulsati non cesserunt, immo innumeris per devia errantibus & pereuntibus, soli a præostenso rectæ fidei tramite non recesserunt.

Isa. 44. 18.

Multis exemplis ostendit eos potuisse falli.

2. Videte, disquirite sollicite præterita sæcula, & quot, quantis, quam multiplicibus errorum laqueis ab ipso primo mortalium parente, angelo apostata, qui satanas dicitur, instigante, usque ad hæc vestra tempora genus humanum implicitum fuerit, si sapitis attendite. Ultus est Deus in sceleratos, qui tempore patriarchæ Noë fuerant, ut etiam *Alchoran* vestrum fatetur, & totam illam progeniem, quæ a cultu divino recesserat, terramque universam non toleranda iniquitate repleverat, ultricibus undis extinxit. Successit dehinc, exsiccatis terris, donoque divino securitate reddita, soboles priorum nequitia præcedentibus non inferior; & cultu divino abjecto, immo ut verius loquar, nec cognito, creatoris honorem creaturæ contulit, indeque ad idolatriam progressa, tam religione prophana, quam vita nefanda, iniquitatum cumulis terræ superficiem universam respersit. Excepti sunt paucissimi justi, sola Dei gratia ab universali perditorum massa discreti, & sic rara luce in densis & ubique diffusis impiorum tenebris lucente, princeps tenebrarum orbem totum juxta evangelium, quod Christo nostro datum *Mahumeth* vester scripsit, heu! usque ad Moysi tempora, ut atrium suum diuturna & mortifera pace possedit. Illustrata est dehinc lege divina per jam dictum prophetam Moysen, una & sola de cunctis gentibus a Deo electa gens, & omnibus aliis in erroris jam antiqui tenebris relictis, præceptis a Deo datis & per ipsum promulgatis, subjecta est & ab impiorum communi perditione sejuncta. Non destitit tamen prophanus & pertinax hostis, etiam post legem datam gentem illam a cultu divino avertere, & damnatæ ac relictæ idolatriæ

nequitiisque nefandis & actibus execrandis gentilium artibus dolosis tentando, illiciendo, seducendo rursum adjungere. Misertа est tandem pereuntis hominis benigna Deitas, & ad auxilium miserorum Veritas orta de terra, hoc est Christus de Virgine natus, processit, & cœlesti lumine suo tenebris paulatim discussis, orbem perfundens, evangelium regni æterni, cujus ipse, ut suo loco probabitur, rex erat, ubique diffudit. Cernitis in gentes universas diffusum evangelium ejus, & fidem Christi in cordibus universorum, Judæis ex toto & vobis ex parte exceptis, fervere. Non defuerunt tamen nomini Christiano multiplices exorti in cordibus Christianorum errores, quos verax & veritatis sequax ecclesia Dei statim ut sensit repulit, statim ut advertit damnavit. Ad quid istud in hoc hujus libri principio? ut sicut dicere cœperam, cogitetis & recogitetis non solum illos, quos præmisi, paganos, non solum Judæos, non solum Christianos hæreticos, sed etiam vos potuisse falli, potuisse decipi, potuisse tenebras pro luce, falsum pro vero, seductorem pro propheta, & ut Judæi circa mundi finem facturi sunt, antichristum pro Christo suscipere. Et ne ultra res differatur, jam non eminus jacula emittenda, sed cominus manus conserendæ sunt, cum pace tamen, ut supra dixi, non cum furore; cum ratione, non cum insania; cum æquitate, non cum iniquitate; ne forte non videamur veritatis amore investigare quod verum est, sed studio partium defensare quod falsum est.

3. Dixi superiori & proximo libro: Invito vos ad salutem non quæ transit, sed quæ permanet; non quæ finitur cum vita brevi, sed quæ permanet in vitam æternam. hanc consequi, hac tempore a Deo præstituto frui mortalibus quidem datum est, sed non nisi illis qui de Deo quod est, non quod non est sentiunt; qui eum non juxta cordis sui phantasmata, sed sicut ipse se coli & vult & præcipit, colunt. Ad ista vos respondistis: absit, ut aliter sentiat intellectus noster, absit, ut aliter se habeat professio nostra. Nos nihil de Deo somniavimus, nihil prorsus confinximus, sentimus de ipso, fatemur de ipso, non juxta figmenta cordis nostri, sed juxta quod tradidit nobis missus ab ipso propheta noster. Ille cum sit ordine ultimus in prophetis & velut signaculum omnium prophetarum, & legis divinæ non auctor sed lator, non Dominus sed nuntius; mandata cœlestia a Deo per Gabrielem sibi missa, nihil plus minusve continentia accepit, accepta patribus nostris nobisque servanda tradidit; hæc servamus, hæc custodimus, hiis animas, hiis corpora, hiis vitam mortemque nostram dicavimus.

Illorum somnia de modo acceptæ a Deo suæ legis.

4. Audite ergo, quia jam tempus est, cui animas vestras, cui corpora, cui mortemque vestram dicastis; attendite si tuto in loco spem vestram constituistis, si doctrinæ salubri, si vero prophetæ Dei & nuntio credidistis. Prophetam eum vocatis, nuntium Dei dicitis: concedimus quod vero Dei prophetæ credendum est, quod vero Dei nuncio adquiescendum est; sed videatur, ut dixi, utrum vere Dei propheta fuerit, utrum vere nuntius Dei sit. Ad quod advertendum, quid prophetia sit, quid dicatur videre. Ait primus & summus in apostolis Christi apostolus Petrus, cujus nomen cum toti orbi notum sit, vos ignorare non credimus, cujus ex parte vitam, cujus mortem, cujus in orbis capite quæ Roma vocatur sepulchrum, ut arbitror, non ignoratis; *Non voluntate*, inquit, *humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu-sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Ex hiis illius apostoli verbis sic recte vel describere vel definire prophetiam possumus. Prophetia est rerum ignotarum aut de præteritis aut de præsentibus aut de futuris non humana inventione; sed divina inspiratione facta prolatio. Sed nominis etymologia magis ad futura respicit, quam ad præterita vel præsentia; quia tamen eadem virtute divina qua revelantur futura, nota quandoque fiunt & præterita & præsentia, horum etiam duorum temporum revelatio vocatur prophetia. Ex prophetiæ definitione & prophetam possumus diffinire. Propheta est qui res ignotas aut præteriti temporis aut præsentis vel futuri, non humana cognitione edoctus, sed spiritu Dei inspiratus, mortalibus manifestat. Prophetiam præteriti temporis retexuit Moyses, quando dixit in principio creasse Deum cœlum & terram, creasse lumen, fecisse cœlum firmamentum, & illud medium posuisse inter aquas superiores & inferiores, produxisse ex terra herbam virentem, & proferentem semen, & lignum pomiferum faciens fructum; fecisse solem, lunam ac reliqua astra, tam ex aquis pisces & volatilia, quam ex terra quadrupedia & reptilia produxisse; creasse tandem hominem ad imaginem & similitudinem suam, ac dedisse ei comparem similem. Hæc verba prophetica fuerunt, non de præsenti vel futuro tempore, sed de præterito, quæ propter hoc maxime se probant esse prophetica, quia ut quidam magnus de nostris ait: De illo tempore locutus est homo, quando non erat homo. Probatur idem ex præsentis temporis prophetia esse propheta, sicut legitur in uno ex quinque libris Moysi qui *Numeri* dicitur. Absorptis enim ultione divina maximo hiatu terræ rebellibus Moysi, Chore, Dathan, & Abyron, cum tabernaculis suis & universa sub-

Mahumet non posse dici prophetam

2. Pet. 1. 21.

Prophetia quid sit.

Moysen vere fuisse prophetam.

stantia, eaque de causa murmurantibus contra ipsum Judæis, eumque occidere molientibus, fugit ille ad tabernaculum Domini. Cumque jaceret coram Deo prostratus in terra, dixit ad Aaron fratrem suum, summum tunc Dei pontificem: *Tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, ut roges pro eis. Jam enim egressa est ira a Domino, & plaga desævit.* Præsentis ergo temporis prophetia tunc ejus spiritus illustratus est, quando in tabernaculo Dei prostratus jacens, quid in remota & diffusa multitudine ageretur agnovit. Statimque sequitur eadem scriptura: *Quod cum fecisset Aaron, & cucurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit thimiama, & stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit, fuerunt autem qui percussi sunt quatuordecim millia hominum & septingenti absque hiis qui perierant in seditione Chore.* Hoc idem, ut dixi, de præsenti tempore est prophetia. De futuro autem tempore quis ex facili ejus prophetica verba enumeret? Præscivit & prædixit, indicante sibi Deo, decem famosis plagis Ægyptum percutiendam, non simul, sed separatim; non una die, sed pluribus & diversis diebus; nunc per aquas versas in sanguinem, nunc per ranas implentes omnia, nunc per sciniphes, nunc per muscas diversi generis, nunc per gravissimam animalium pestem, nunc per pulverem Ægyptum operientem, nunc per grandinem igni mixtam, nunc per locustam operientem superficiem terræ, nunc per tenebras horribiles & palpabiles, nunc per mortes primogenitorum, quando in tota terra Ægypti non erat domus, in qua non esset mortuus. Secuta est maxima & ultima, dans cunctis plagis præcedentibus finem, plaga, hoc est Pharaonis ipsius in mare submersio, & totius exercitus ejus, nullo evadente, perditio. Præscivit & prædixit jam dictorum rebellium terribilem interitum, præscivit & prædixit prophetam a Deo in Israël suscitandum, quem qui non audiret exterminaretur de populo suo; præscivit & prædixit quam plurima alia per totum Pentateuchum suum, hoc est per quinque quos supra nominavi libros suis in locis digesta. Hæc universa singillatim antequam fierent prophetico spiritu plenus Moyses jam dictus prædixit, seque vere prophetam Dei esse ipsis verborum effectibus declaravit. Hoc idem ante ipsum quidam, ut Enoch, Noë, Jacob & Joseph: post ipsum plurimi, ut Samuel, David, Isaïas, Helias, Eliseus, Jeremias, multique alii orbi notissimi.

Num. 16. 46.

Ibid. 47.

Mahumetum non posse dici prophetam

5. At *Mahumeth* vester, o Agareni, unde propheta a vobis probabitur? An quia quæ erant prius ignota mortalibus revelavit præterita? An quia quæ alios latebant indicavit præsentia? an quia quamlibet parva & vilia præsentit & prædixit futura? unde hoc, inquam, ei ut propheta dicatur? An quia ipse sæpe in Alchorano suo se prophetam nominat? Si prophetam se nominat, ostendat quid propheticum dixerit, quid propheticum fecerit. Ostendite & vos ipsi mihi, qui eum prophetam creditis, qui eum prophetam dicitis, unde propheta præteritorum, unde propheta præsentium, unde propheta rerum futurarum appareat. Revolvite sæpe nominatum *Alchoran* vestrum, scrutamini totum textum illius vestræ cœlestis, ut putatis, scripturæ. Relegite ac recensete ab illius libri prima *Azoara*, hoc est oraculo, quod intitulatur *de bove, octoginta quinque verborum*, ac transitum facientes per Azoaram *de gente Joachim, ducentorum verborum*, ac per alias per totum nefandi illius operis corpus diffusas usque ad Azoaram centesimam vigesimam tertiam, quæ in ultimo posita libro, illi finem imponit, cursum celerem continuate: probate ex jam dicta illa vestra sublimi scriptura, eum saltem unum & solum verbum propheticum protulisse. Et ubi magis, si propheta fuit, eum se ostendere prophetam decuit, quam in libro cælitus, ut scribit, per tomos allato, sibique a Deo per Gabrielem transmisso? Ubi se magis ostendere prophetam debuit, quam in libro cui super omnia inhæretis, cui totam fidei vestræ summam credidistis, cui salutem vestram, cui, ut supra scripsi, corpora vestra & animas devovistis? Quæ causa esse potest, ut Deus eum prophetam nominet, & a Deo, ut dicit, propheta vocatus, nulla prophetica prædicet? Quis umquam præcedentium prophetarum a Deo propheta dictus est, ipse tamen nulla prophetica locutus est? Non sic Moyses, ut supra dixi, noster; non sic Isaïas, cujus pene totus liber nil nisi propheticum sonat, nil nisi aut de proximo, aut de longinquo ventura prænuntiat.

6. De proximo, sicut illud quod regi Judæorum Ezechiæ ægrotanti, ac jam de vita desperanti ait: *Hæc*, inquit, *dicit Dominus, ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos, & de manu regis Assyriorum eruam te & civitatem istam, & protegam eam.* quod & factum est, nam & sospitati redditus, annis postea quindecim supervixit, & de manu regis Assyriorum erutus est, tam ipse quam regia civitas ejus Jerusalem, interficiente Deo sub unius nocturnæ horæ spatio de regis blasphemi exercitu centum octoginta quinque millia, & a Deo protectus est, nullo regum, nulla gentium adversus eum toto vitæ ipsius tempore prævalente. Sic & pro quibusdam aliis ab eo prædictis & proxime expletis, Dei propheta fuisse probatus est. De longinquo sicut Babylonis a Persis & Medis facta & ab ipso prædicta

Isaïas vere propheta fuit

Isa. 38. 5.

prædicta vastatio, sicut soluta a rege facta ante annos septuaginta a rege Chaldæo captivitas: cujus etiam Cyri nomen subtili prophetiæ oculo ante annos fere trecentos & præscivit & prædixit, sicut post multa tempora jam dictæ Babylonis omnimodam, ut nunc cernitur, destructionem, quam & in solitudinem redigendam, & pro hominibus monstruosorum animalium & venenatorum serpentium habitaculum futuram non tacuit. Rursum de longinquo Christi nativitatem, cum dixit: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium*, quod verum esse ipsi quoque affirmatis. Baptismum salutare quod ab ipso traditum est Judæis & gentibus, cum Deum introducens loquentem ait: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab universis idolis vestris mundabo vos*; Christi miracula cum ait: *tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum*. Christi passionem ubi dicit: *Sicut ovis ad occasionem ductus est*, & *tradidit in mortem animam suam*; & *cum sceleratis reputatus est*. Et quid hiis plura de tanto propheta eloquar? Quæcumque de Christo, quæcumque de Christianorum sacramentis, quæcumque de Judæorum reprobatione & gentium vocatione, quæcumque de statu post ipsum præsentis ecclesiæ & fide futuri provenisse cernitur, tam clare spiritu Dei illustratus prædixit, ut juxta cujusdam sapientis olim verba, magis videatur præterita texere, quam futura prædicere.

Isa. 7. 14. Ezech. 36. 25. Isa. 35. 6. Isa. 53. 7.

Jeremias. Jer. 1. 5.

7. Sic post Isaïam & Jeremias, cui postquam a Deo dictum est: *Prophetam in gentibus dedi te*; prophetam Dei se vere esse multis, non tantum post mortem, sed etiam dum adhuc viveret, indiciis declaravit. Post mortem ex septuaginta annorum numero, quo toto tempore, ut jam dictum est, Judæi Babylonica captivitate detenti sunt, cujus captivitatis relaxatio, ut supra scripsi, ab Isaïa prædicta est, sed numerus annorum ab eo expressus non est; quem quia a solo Jeremia expressum, ac post mortem ejus impletum, & legimus & scimus, prophetico cum hoc spiritu prædixisse, indeque vere eum prophetam Dei fuisse clarum est. Sic & quando ab Isaïa prædictam illam Babylonicam desolationem etiam ipse prædixit, sic & quando de Christo & ejus genitrice prælocutus est: *Faciet Dominus novum super terram, femina circumdabit virum*; & multa in hunc modum. Ante mortem, cum regem Chaldæorum ad Syriam venturum, cum per principes suos Jerusalem obsessurum, ac post annos paucissimos eam capturum, & Judaïcum populum legis divinæ contemtorem captivaturum & præconatus est, ut prædixerat, impleta contemplatus est. De quibus propheticis verbis & illud

Jer. 31. 22.

A fuit. nam universa recolligere & ad medium reducere refugio, ne forte ista lecturis plus nimio prolixus videar. Illud, inquam, de similibus extitit, quod regi Sedechiæ ab ipso ad secretum colloquium evocatus atque interrogatus: *Estne verbum a Domino?* respondit, *Est, in manu regis Babylonis traderis*, cumque ille subjunxisset, *Judæos qui transfugerunt ad Chaldæos, ne forte tradar in manibus eorum & illudant mihi*: Respondit ille jam secundo pro re simili evocatus: B *Non te tradent; Audi, quæso vocem Domini, quam ego loquor ad te, & bene tibi erit, & vivet anima tua. Quod si nolueris, iste est sermo quem ostendit mihi Dominus. Ecce omnes mulieres, quæ remanserunt in domo regis Juda, educentur ad principes regis Babylonis, & omnes uxores tuæ, & filii tui educentur ad Chaldæos, & non effugies manus eorum, sed manu regis Babylonis capieris, & civitatem hanc comburet igni*. Noluit rex vel timuit consilio prophetico adquiescere, & expertus est quicquid prædixerat illi propheta.

Jer. 37. 16. Jer. 38. 19. Ibid. 20.

Ezechiel.

8. Sic Ezechiel, ut multos & multa præteream de eadem Sedechiæ captivitate, licet longe positus in Chaldæa; quæ in Judæa futura erant, & quæ jam pene fiebant, C absens corpore, præsens spiritu prædicens ait: *Numquid qui dissolvit pactum effugiet? Vivo ego, aicit Dominus Deus, quoniam in loco regis qui constituit eum regem, cujus fecit irritum juramentum, & solvit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur*. Et in sequenti prophetiæ serie, *Et omnes*, inquit, *profugi ejus cum universo agmine gladio cadent, residui autem in omnem ventum dispergentur, & scietis quia ego Dominus locutus sum*. Hæc, ut propheta ille præfatus est, sic omnia contigerunt, rege Sedechia ab hostibus D capto & captivato, ac deinde in Babylone mortuo, cunctisque profugis ejus cum universo agmine gladio cadentibus, residuisque in omnem ventum dispersis.

Ezech. 17. 15. Ibid. 21.

Daniel.

9. Sic & Daniel ex toto libri sui textu tam de proximo quam de longinquo futura prædicens, se clare Dei prophetam indicat, de quo ipsius prolixo volumine hæc pauca excerpsi. Ait ille cuidam regi Chaldæo qui Nabuchodonosor dicebatur, & sub cujus ipse degebat imperio, somnium sibi proponenti, & interpretationem postulanti: *Domine mi, somnium his qui te oderunt, & interpretatio ejus hostibus tuis sit*. E *Arborem quam vidisti sublimem atque robustam, cujus altitudo pertingit ad cœlum, & aspectus illius in omnem terram, & rami ejus pulcherrimi, & fructus ejus nimius; & esca omnium in ea, subter eam habitantes bestiæ agri, & in ramis ejus commorantes aves cœli; tu es rex, qui magnificatus es, & invaluisti, & magnitudo tua crevit, & pervenit usque ad cœlum, & potestas tua in terminos universæ terræ. Quod autem vidit rex vigilem & sanctum descendere de*

Dan. 4. 16.

cælo, & dicere: succidite arborem & dissipate illam: attamen germen radicum ejus in terra dimittite, & vinciatur ferro & ære in herbis foris, & rore cæli conspergatur, & cum feris sit pabulum ejus, donec septem tempora commutentur super eum. Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ supervenit super dominum meum regem. Ejicient te ab hominibus, & cum bestiis & feris erit habitatio tua, & fœnum ut bos comedes, & rore cæli infunderis: septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit det illud. Quod autem præcepit ut relinqueretur germen radicum ejus, id est arboris, regnum tuum tibi manebit, postquam cognoveris potestatem esse cælestem. Quamobrem rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum, forsitan ignoscet delictis tuis. Cum hæc universa prophetico illustratus spiritu prædixisset, post unius tantum anni spatium impleta esse non tacet. *Omnia*, inquit, *hæc evenerunt super Nabuchodonosor regem. Post finem mensium duodecim in aula regis Babylonis deambulabat rex, & ait: Nonne hæc est Babylon magna quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cum adhuc sermo esset in ore regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor rex; regnum transiit a te, & ab hominibus te ejicient, & cum bestiis feris erit habitatio tua. Fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit det illud. Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, ex hominibus abjectus est, & fœnum ut bos comedit, & rore cæli corpus ejus infectum est, donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, & ungues ejus quasi avium. Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum levavi, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi, & viventem in sempiternum laudavi & glorificavi, quia potestas ejus potestas sempiterna, & regnum ejus in generatione & generationem, & omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt. Juxta voluntatem enim suam facit, tam in virtutibus cæli, quam in habitatoribus terræ, & non est qui resistat manui ejus, & dicat ei quare fecisti? In ipso tempore sensus meus reversus est ad me, & ad honorem regni mei decoremque perveni, & figura mea reversa est ad me, & optimates mei & magistratus mei requisierunt me, & in regno meo restitutus sum, & magnificentia amplior addita est mihi. Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico Regem cæli, quia omnia opera ejus vera, & viæ ejus judicia, & gradientes in superbia potest humiliare.* Sic & regi Balthasar jam dicti regis successori, cum ab eo de scriptura parietis consultus esset, respondit quod de instanti,

Ibid. 25.

A hoc est eadem qua loquebatur nocte futurum erat. Sic multa maxima & mira tam de proximo, quam de longinquo, ut dixi, tempore propheta ille prædicens, se vere Dei nuncium, se vere Dei prophetam rerum prædictarum effectibus declaravit.

10. Sic & tempore Roboam filii Salomonis regnantis super duas tribus Judaïci populi, veniens quidam vir vere propheta, cujus nomen reticetur, ad quemdum alium regem idolatram, decem ejusdem gentis tribubus imperantem, dum eum super altare sacrificantem idolis invenisset, ait:
B *Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum incendet super te. Deditque in die illa signum dicens: hoc erit signum quod locutus est Dominus: ecce altare scindetur, & effundetur cinis qui in eo est. Cumque audisset rex sermonem hominis Dei quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari dicens: apprehendite eum, & exaruit manus ejus quam extenderat contra eum, nec valuit rex* C *eam retrahere ad se. Altare quoque scissum est, & effusus est cinis de altari, juxta signum quod prædixerat vir Dei in sermone Domini, & ait rex ad virum Dei: deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, ut restituatur manus mea mihi. Oravit vir Dei faciem Domini. & reversa est manus regis ad eum, & facta est sicut prius fuerat.* Ecce quam magna propheta hic, & de longe post futuro tempore, & de instanti prædixit. De longe post futuro, cum post ducentos ad minus annos nasciturum regem etiam nominat dicens:
D *Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine.* De instanti cum dicit: *Hoc erit signum quod locutus est Dominus: ecce altare scindetur, & effundetur cinis qui in eo est*; altare enim statim ut loqui cessavit, scissum est, & effusus est cinis ejus.

3. Reg. 13. 2.

3. Reg. 13. 2.
Ibid. 3.

11. Sic Helias, sic Heliseus, sic innumeri alii, quos præ multitudine piget referre, plurima & magna prædixerunt, quorum veracem in omnibus prophetiam res absque diminutione, ut prædictum fuerat, implere docuerunt. Et ut aliqua etiam de his quos nominavi prophetica proferam,
E impletum est quod Helias idolatræ populo comminans prædixerat: *Vivit Dominus, si erit*, hoc est non erit, *ros aut pluvia, nisi juxta oris mei verbum.* nam triennio & sex mensibus, omni rore imbreque suspenso, tandem ad preces ejus & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum suum. Impletum est & illud quod cuidam regi Judæorum prophetice prædixerat: *Quia*, inquit, *misisti ad consulendum Beelsebut Deum Accharon, quasi non esset Deus in Israël, a quo posses interrogare sermonem; idcirco de lectulo super*

Elias & Eliseus.

4. Reg. 1. 6.

quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Impletum est & aliud quod quidem non ipse, sed filii prophetarum de ipso non semel tantum, sed bis de Heliseo ejus discipulo dixerunt: *Numquid nosti quia hodie Dominus tollet dominum tuum a te? quibus ille bis interrogatus*, bis respondit: *Et ego novi, silete.* quod impletum esse & currus igneus & equi ignei magistrum & discipulum dividentes, ipseque Helias per turbinem raptus in cœlum ostenderunt. Quid & de Helisæo? duplicem in se spiritum Heliæ fieri poposcerat, sed licet illa res, teste eodem propheta, ad impetrandum esset difficilis, quod postulaverat impetravit. Sed quando ejus propheticus spiritus & mens rerum tam præsentium quam futurarum sollicita indagatrix & veracissima pronuntiatrix explicabitur? Spoponderat ille leproso regis Syriæ principi purgationem a lepra, cumque ut curari posset Jordanicis fluentis intingui mandaverat, obedierat ille, licet prius de mandatis indignans, consilio servorum, & obedientia mandato prophetali exhibita, salutem concupitam meruerat. Tactus est pestifera & miseris mortalibus nimium assueta cupiditate Giezi puer ejus, & quod gratis a Deo per prophetam datum fuerat, multo argenti ac vestium pretio venumdare visus, lepram principis jam curati simul cum opibus illicite concupitis, leprosus ipse subito factus, sibi protinus vendicavit. Non latuit hoc licet absentem prophetam, nec se hoc latuisse reverso ad se puero indicavit. Ait enim illi: *Unde venis Giezi? qui respondit, non ivit servus tuus quoquam. Et ille: nonne, ait, cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum, & accepisti vestes, ut emas oliveta, & vineta, & oves, & boves, & servos, & ancillas; sed & lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo in sempiternum.* Subditque scriptura: *Egressus est ab eo leprosus quasi nix.* Ecce non fallax, sed verax propheta, non falsus, sed verus nuncius Dei, curandum leprosum & præsciit & prædixit, & factum est; avarum servum lepra curati hominis respergendum & præsciit & prædixit, & factum est.

4. Reg. 2. 3.

4. Reg. 5. 25.

Ibid.

Quam longe ab his fuit absimilis Mahumetes.

12. Quid simile, ô Agareni, tot tantisque tam maximis prophetis vester ille, ille plane ille vester propheta, saltem de re qualibet vili & modica aut præsciit aut prædixit? Proponatur liber ejus, revolvatur *Alchoran* ejus, sublimis illa & cœlestis juxta vos, ut dixi, scriptura, nulla azoara excepta, per verba singula replicetur, procedat ille ad publicum tantorum propheta populorum, & se aliquid, ut dictum est, vile vel modicum prophetice prædixisse, ex libro quem suis reliquit ostendat. Sed redeat adhuc Heliseus: Rex Syriæ, ait quædam Hebraica & Christiana scriptura, pugnabat contra Israël, consiliumque iniit cum servis suis dicens: *In loco illo ponamus insidias; misit itaque vir Dei Heliseus ad regem Israël dicens: cave ne transeas per locum illum, quia ibi Syri in insidiis sunt. Misit itaque rex Israel ad locum quem dixerat ei vir Dei, & præoccupavit eum, & observavit se ibi non semel neque bis, conturbatumque est cor regis Syriæ pro hac re, & convocatis servis suis ait: Quare non indicatis quis proditor mei sit apud regem Israël. Dixitque unus servorum ejus: nequaquam, domine mi rex, sed Heliseus propheta qui est in Israel, indicat regi Israel omnia verba quæcumque locutus fueris in conclavi tuo.* Audistis? præsciebat & prædicebat spiritu prophetico plenus propheta regi Israël Syrorum insidias, nec uspiam oculum illum invisibilem aliquo astu hostium acies effugere poterat. Penetrabat subtilis ille & perspicax prophetæ intuitus remota terrarum, profunda vallium, abdita silvarum; intererat secretis propheticus auditus consiliis; claustris vel portarum repagulis repelli non poterat, cubiculis regalibus non deerat, cuncta quæ hostiliter & callide longe positi adversarii machinabantur regi suo propheta, nunciis semper intercurrentibus, indicabat.

4. Reg. 6. 8.

Nihil unquam prædixit.

13. Quare ergo propheta juxta vos tam famosus, aliqua saltem modica prophetiæ scintilla in tam frequentibus suis contra hostes expeditionibus, sibi ne dicam alteri non consuluit? Quare cum sæpe victus de præliis fugerit, se vincendum ab hostibus non præscivit? quare non prævidit & præcavit in quodam suo procinctu, cui ipse interfuit, unum sibi de inferioribus dentibus dentem excutiendum, labrum præcidendum, vulnera fronti & faciei suæ ab hostibus inferenda? Sed quid expecto, ô Ismaëlitæ, aut a vobis aut ab ipso proferri ex jam dicto *Alchoran*, hoc est lege vestra, aliquid prophetam vestrum prophetice prædixisse, ne dicam aliqua ex prædictis, ut ab eo prædicta sunt contigisse. Quid enim ex prædictis ab eo provenire potuit, de quo clarum est quod nihil prædixerit? Sed forte opponet vestrûm aliquis, & producet ad medium, velut magnum quiddam, scripturam aliam genealogiam ejus, actus quosdam ipsius, & prælia continentem; in qua legitur eum prædixisse duodecim de gente propria vel familia, quæ *Chorais* dicebatur, singillatim sibi invicem succedentes, se mortuo principaturos, ex quibus tres primos nominasse scribitur, Eubecaram, Aornar, & Odmen: sed nec sic, nec sic prodesse poterit parti suæ diabolica fraus, nec pro splendore tenebras, pro lucis angelo satanam fuligineum ingerere prævalebit. Et quis nobis, ô Agareni, quos causa assumta cogente totiens nomino, ad probandum

hunc de quo agitur prophetam Dei non fuisse; quis, inquam, aptior ad hoc probandum inveniri poterit, quam ipse quem Dei prophetam dicitis? Si plane ipse se negaverit prophetam, numquid ipso resistente eum dicetis prophetam? hoc quomodo? audite; & si aliquis in vobis rationabilis intellectus superest, advertite. Et ne diutius vos protrahens plus nimio suspensos teneam, audite ipsum loquentem in *Alchoran* vestro, cui scripturæ ab aliquo contradici nefas putatis. « Quicquid, ait, inveneritis » pro me scriptum, conferte illud cum *Al-* » *choran*, & si ei non concordaverit, scitote » quia innocens sum ab illa scriptura, & non » est mea. » Conferatur ergo scriptura jam dicta cum isto *Alchoran*, & videatur utrum concors cum illa aut discors ab ipsa sit. Dicit illa, ut jam dictum est, eum prædixisse duodecim viros de stirpe vel gente sua, quæ *Chorais* vocabatur, principatui suo post se singillatim principaturos, quorum primos tres, ut præmissum est, nominat. Hoc quidem scriptura illa, ab alio quam ab ipso edita: ipse vero non alius e- » contra: quidquid inveneritis pro me scrip- » tum, conferte illud cum *Alchoran*, & si ei » non concordaverit, scitote quia innocens » sum ab illa scriptura, & non est mea. Non concordat autem cum *Alchoran*, quoniam totus ipsius libri textus, nihil ab eo prophetice dictum sonat, nihil de futuris eum prædixisse scribit; nulli ergo magis, ut judicia tam ecclesiastica quam Romana, immo tam divina quam humana fatentur, & ratio ipsa docet; nulli, inquam, magis quam de se confesso credendum est. Postponantur igitur ex tantæ dignitatis quantum ad vos libro, undecumque occurrentia scripta supponantur, quia teste *Mahumeth* vestro, si qua scriptura, ut ejus utar verbis, non concordaverit *Alchoran* suo, innocens ab illa, & non est ejus. Nonne ista, ô viri sufficiunt ad comprobandum eum non esse prophetam? Sed succedant his alia, & impium, immo perditissimum hominem ab omni prophetica gratia, etiam ipso fatente, procul exclusum declarent. Introducens enim velut poëtico figmento nequam & mendax homo Deum sibi loquentem, sic in *Alchoran* ait:

Alchoran continet falsa.

» 14. Tu quidem nequaquam ad eos cum » Dei miraculis manifestis venies, quoniam » ea velut odiosa atque contraria rejiciunt, » & veritati ad eos venienti contradixerunt. » Et rursum: Nisi sciremus eos tibi non credituros, daremus tibi signa & prodigia: Quid dicam? quis digne mirari? quis effari? quis congruis verbis irridere tantam hominis stultitiam immo insaniam potest? Et ut ad ipsum, de quo agitur, verba convertam: hæccine tota causa est o *Mahumeth*, qua sine miraculis missus a Deo ad homines venisti, quoniam ex velut odiosa atque contraria rejecturi erant, & veritati ad eos venienti contradicturi? Hæccine, inquam, causa est, qua signa & prodigia tibi data non sunt, quia præsciebat Deus eos tibi non credituros, sicut nec aliis crediderunt? Si hoc tibi a Deo, ut dicis, dictum est, falsa est plane, falsa est absque dubio præscientia Dei. Quomodo enim juxta hæc quæ proponis falsa non est præscientia Dei, si præsciunt homines tibi etiam cum signis & prodigiis misso non credituros, cum sine miraculis, signis, & prodigiis nugacissimis fabulis tuis populi multi crediderint, sectæ nefariæ adquieverint, infernali doctrinæ tuæ seipsos nil morati subdiderint? Et cui hoc commentum tuum, cui plane non appareat enerve, fragile, testeum? Elige certe, elige de duobus quod malueris, aut dic Deum in præscientia sua errasse, dic mentitum esse, quod tibi non credituros homines etiam cum signis & prodigiis dixerit, cum tibi Arabes, Persæ, Syri, Ægypti, multaque pars Afrorum etiam sine miraculis crediderit, aut si fateri vereris Deum errasse, Deum mentitum esse, aufer falsa, aufer blasphema de libro tuo, immo quod sanioris consilii est, damna ut erroribus, ut mendaciis, ut blasphemiis repersum totum *Alchoran* tuum.

15. Sed quid est & illud quod postquam Deum inducis tibi loquentem, quod præmisi: *Nisi sciremus eos tibi non credituros*, addis, *sicut nec aliis crediderunt*? qui sunt isti quibus homines non crediderunt? An forte Moyses? An forte ipse Christus? non occurrunt alii, non occurrunt plane alii, de quibus hoc te sensisse, de quibus hoc te dixisse conjicere possim. Sicut hii summi & soli legislatores in orbe, Moyses Judæorum, Christus universarum gentium. Moyses venit cum signis & prodigiis, Christus multo magis cum signis & prodigiis. Credidit Moysi visis signis & prodigiis Judæorum populus. Credidit Christo ejusque apostolis visis maximis & innumeris miraculis mundus. Qui sunt ergo de quibus dixisti: *Sicut nec aliis crediderunt*? Istis enim miracula facientibus crediderunt a Deo inspirati homines, tibi sine signis vana & falsa loquenti, a te decepti crediderunt homines. Falsum est ergo oraculum tuum, quo tibi a Deo dictum finxisti, nec illis credidisse, nec tibi credituros homines.

Signis & miraculis crediderunt a Deo inspirati homines.

16. Sed redeo ad illud quod probare proposui, tuo te testimonio prophetam non esse. Quando enim signa tibi a Deo data non esse affirmas, utique te prophetam negas. Quid enim insignius prophetia, quod signum majus prophetia? quid enim rectius signum, quid prodigium, quid miraculum vocatur, quam aut præterita quantum ad homines ignorata referre, aut præsentia

Mahumeth testimonio probat eum non fuisse prophetam.

sentia reserare, aut futura prædicere? Cum ergo de præclaris quæ a Deo dantur signis prophetia sit, cum tibi signa a Deo data non esse prædicas, prophetam utique te esse negas: Aut igitur profitere signa tibi a Deo data esse, & propheta permane; aut si tibi signa data non sunt, propheta esse desine. Urget enim undique te coarctans ratio, ut si, sicut dictum est, signa tibi data esse negaveris, prophetam te pariter diffitearis; si data tibi dixeris, necesse est ut Deum mendacii arguas, necesse est, ut quod mendaciter scripsisti corrigas, & quia monstruosa verba tua & hactenus inaudita pene obstupescere me cogunt, quis, o miser, ex universorum collegio prophetarum sic se dixit prophetam, ut tu; sic se voluit credi prophetam, ut tu? Vitabant illi ut veri & humiles servi Dei gloriam magni nominis, & cum vere Dei prophetæ essent, prophetas se dicere, salva quantum poterant veritate, se dicere refugiebant. Unde quidam ex ipsis qui Amos vocabatur, dicentibus sibi: *Noli prophetare in Bethel, neque stilles super domum idoli*, respondit: *non sum propheta, & non sum filius prophetæ, sed puer armentarius ego sum, vellicans sicomoros.* Et Johannes, quem propheta vester Baptistam nominare refugit, sed Zachariæ filium, dicit multa quæ tam ipsum, quam parentes ejus in *Alchoran* suo laude extollit, dicentibus sibi invidis Judæorum sacerdotibus & levitis: *Propheta es tu? respondit non sum:* qui tamen vere prophetæ Dei erant, sed prophetas se non esse, alio qui ad vos nunc non pertinet, quamdiu infideles estis, intellectu, salva veritatis suæ professione, dicebant. reliquerunt tamen in libris suis, de quibus dubitari non posset, signa prophetica, ut quæ prædicebant, aut impleta ipso suo tempore demonstrabant, aut implenda, ut apud posteros postmodum claruit, declarabant. At vester ille, & quod satis admirando frequentare non possum, ille prophetam se dicit, Deum in scriptis suis se vocantem prophetam introducit, & cum pene usque ad nauseam se Dei prophetam dicat, affirmet & replicet, nihil de futuris loquitur, nihil propheticum sonat, nihil a se non solum prædictum vel impletum ostendit, sed nec implendum prædicit. Taceo illa quæ de paradiso voluptuosa, vel de inferno phantastica promittit, in quibus ante non potest apparere propheta, quam ab illis qui in paradiso vel in inferno fuerint probentur impleta. Non fuit ipsi, nec esset mihi, si vellem, difficile, me vocare prophetam; non esset difficile scribere & scripto inducere Deum me vocare prophetam; non esset difficile prædicare me hominibus Dei prophetam. Possem fingere quæ vellem de hiis quæ post finem mundi, & post rerum occasum, aut futura sunt aut non; nec possem de mendacio argui in hac vita, prædicendo ea quæ futura sunt, aut non, post hanc vitam.

Amos 8. 13.

17. Sileat ergo commentum diabolicum, &, sicut supra dixi, fragile, enerve, ac testeum, quia propheta credi non potest prædicendo ea quæ post mundi hujus finem futura sunt, nisi se probet prophetam in hiis & ex hiis quæ ante mundi finem sunt. Assumat, si vult propheta credi, testes prophetiæ suæ, non ex mortuis, sed ex viventibus; non ex hiis quæ post mortem implenda promittat, sed ex hiis quæ ante mortem impleta ostendat. Hoc modo, hoc tali tamque evidenti argumento, credit Christianus populis suis, non quia tantum prophetas se dixerunt, sed quia prophetas se esse evidentibus signis, claris miraculis, ipsisque ab eis rerum prædictarum effectibus, absque aliquo dubietatis vestigio comprobarunt. Aut ergo talibus indiciis te, ô *Mahumeth*, ostende prophetam; aut si hoc non potueris, desine te, o damnate atque damnande, vocare prophetam. Et licet quæ præmisi sufficere possint ad demonstrandum longe te esse a prophetica gratia; aggrediar tamen velut ab altero exordio ista legentibus ostendere te non esse prophetam.

18. Prophetarum vel qui fuerunt, vel qui dicuntur, alii boni, alii mali. Bonorum alii prædicentes universalia, alii particularia. Malorum alii fallaces, alii veraces. Sunt præter hos qui non prophetæ, sed vulgari nomine divini dicuntur, ut augures, arioli, aruspices, magi, sortilegi. Prosequatur ergo stilus eo ordine singulorum distinctiones, ut propositæ sunt. Boni sunt, quorum vita laudabilis, quorum prophetia vel prædicatio verax, de quorum numero sunt, quos supra scripsi, Moyses, Isaïas, Jeremias, Ezechiel, Daniel, multique alii. De hiis & ipse Christus, qui quamvis cunctorum prophetarum Dominus ubi Deus sit, tamen quia multa prophetica dixit, propheta vocatus est. Testatur hoc evangelium, quod ei datum, o Sarraceni, fatemini, sicut ibi de illo a turbis dictum legitur; *Propheta magnus surrexit in nobis*, & sicut ipse de seipso: *non capit perire prophetam extra urbem.* Qui tam vitæ quam prædicationi suæ verax, ut decebat, testimonium ferens, in eodem evangelio Judæis secum altercantibus ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nullus enim eum de peccato arguere poterat, qui sine peccato erat. Istud quidem de vita; sed & de prædicatione quid? *Si veritatem dico; quare vos non creditis mihi?* Nam nihil nisi quod verum erat, Veritas proferre poterat. Est igitur ipse cum aliis bonis prophetis, & etiam super alios bonus propheta.

Prophetarum alii boni, alii mali dicuntur.

Qui boni.

Luc. 7. 16.

Jon. 8. 46.

Ibid.

Qui mali.

19. Sed mali prophetæ qui sunt? quorũ vita reproba, quorum prophetia vel prædicatio falsa. Tales erant tempore Heliæ illi, qui in libro Regum Israël & Juda leguntur quadringenti quinquaginta prophetæ Baal, & item quadringenti Lucorum, quos idem Helias oblatum Deo sacrificium ignique cœlesti absumtum, suo jussu a populo comprehensos, ad torrentem Cyson multo zeli divini ignitus fervore pertrahi fecit, ut pessimos idolatras interfecit.

Bonorum alii universalia prædicunt

20. Bonorum prophetarum, ut dixi, qui universalia, hoc est ad universos pertinentia prædixerunt, hii sunt ex parte, quos supra nominavi, cum cunctis pene aliis qui boni prophetæ dicuntur, quorum, ut præmisi, vita laudabilis est & prædicatio verax. Ad universos enim pertinet, quod ab illis de Christo prædictum est, qui, ut ait in evangelio magnus quidam justus, *Positus est in ruinam & in resurrectionem multorum*: (Luc. 2. 34.) cujus vita, cujus prædicatio, cujus mors, cujus resurrectio, cujus a cœlis egressio, & ad ipsos regressio, credentibus ad vitam, incredulis ad mortem facta sunt. Ipsius tandem in fine sæculi universale & ultimum judicium, perpetuas sedes toti mortalium massæ, ante tremendam majestatem ejus vi divina collectæ, distribuet pro meritis singulorum, unumquemque aut igni perpetuo tradens, aut vitæ secum sempiternæ restituens. Hoc modo & cuncta reliqua quæ in verbis illis vel libris propheticis leguntur, ad omnes non ad quosdam pertinentia, sive in bono sive in malo accepta, illos respiciunt, quos universales prophetas nomino.

Alii particularia.

21. Particulares illos dico, qui non illa quæ ad universos pertinent prædixerũt, sed qui ea quæ ad quosdam populos, vel quæ ad quasdam nominatim expressas personas pertinebant, prophetico spiritu prælocuti sunt. De quibus est Jonas, qui ad gentilem tantum Ninivitarum populum a Deo missus est, licet illa ejus missio universarum gentium vocationem præsignaverit, licet quod mersus in mare, quod voratus a pisce, quod in ejus ventre manens illæsus, quod incolumis & a bellua & a mari evadens, actu non verbo salvatricem Christi mortem, eique a morte cunctis miraculis perferendam resurrectionem prophetaverit. De istis est & Samuel, qui non universalia, sed quædam ad quosdam specialiter pertinentia prædixit, ut Heli sacerdoti de his quæ pertinentia erant posteris domus ejus, ut Saüli primo regi Hebræorum, prius de asinabus Cis patris sui perditis & inventis, post de regno ejus ad proximum & æmulum transferendo, ac de quibusdam aliis, vel ad solam gentem Judaïcam, vel ad quasdam certas personas pertinentibus causis. De his & ille ejusdem temporis propheta, qui ejus a scriptura sacra non expresso proprio nomine vocatur Vir Dei, & qui post multa quæ jam dicto Heli ventura prædixerat, id etiam addidit: *Hoc*, inquit, *erit tibi signum quod venturum est duobus filiis tuis Osni & Phinee; in die una morientur ambo*: (1. Reg. 2. 34.) quod & factum est. De his est & ille quem eadem scriptura tacito nomine Prophetam nominat, & quem cuidam regi Israël de rege Syriæ victoriam consecuto inducit loquentem. *Vade & confortare, & scito & vide quid facias, sequenti enim anno rex Syriæ ascendet contra te.* (3. Reg. 20. 22.) Rursus eidem regi alter sine nomine propheta: *Hæc*, ait, *dicit Dominus, quia dixerunt Syri, Deus montium est dominus & non Deus vallium, dabo omnem multitudinem grandem hanc in manu tua, & scietis quia ego sum Dominus*: (Ibid. 28.) quod & sicut prædictum fuerat, septima statim die impletum est. Nam inito Hebræi contra Syros prælio, percusserunt de ipsis centum millia peditum in die una, fugeruntque qui reliqui erant in civitatem, & cecidit murus super viginti quinque millia hominum qui remanserant. Hæc a jam dictis prophetis prædicta, non fuerunt universalia, sed aut de singulis gentibus, aut de certis personis, & de propriis ipsarum proventibus præostensa. De his est & magnus Helias, de his ipso, quantum ad miracula spectat, non inferior Heliseus, quorum alter, ut supra dixi, regi Ochosiæ mortem minatus est, illeque, ut prædictum fuerat, mortuus est; alter alteri regi, qui Joas dicebatur, frequentes de rege Syriæ triumphos prædixit, quod & sic contigit; & quædam similia ab ipsis quibusdam prædicta, & ut dictum fuerat adimpleta.

Post Christum non fuere universales prophetæ.

22. Sunt igitur hii, quos præmisi, multique quos reticui, de illorum numero, quos quia non ea quæ ad omnes, sed quæ ad quosdam spectant, prophetico prædixerunt spiritu, particulares dico prophetas. Sed distinguendum est inter hos & illos, & caute ac sollicite advertendum universales, hoc est ad universos pertinentia prædicentes, jam a Christi tempore nec potuisse nec deinceps usque ad mundi finem esse posse prophetas. Nam quidquid ad commune mortalium vel ipsius mundi statum aut defectum, quicquid ad religionem veracem aut fallacem, quidquid ad debitos & universales bonorum aut malorum fines spectat, totum a jam dictis, qui universales dicuntur prophetæ, prædictum est, & ab ipsis ad doctrinam & memoriam posterorum litteris traditum est. Quod ex maxima jam parte impletum, ex toto in sæculi fine implendum servatur. Unde cessantibus, & in Johanne, quem nos Baptistam, vos filium Zachariæ dicitis; nec nos ejus filium esse negamus, omnino, inquam, apud gentem Judaïcam deficientibus prophetis, quæ sola usque ad Christum divinæ legis cultrix exstiterat, illud tantum prophetiæ genus cessavit, quod ad statum universalem perti-

nebat, quia universis ad id spectantibus plene præmissis necessarium jam non erat. Non fuit igitur *Mahumeth* vester, ut dicitis, signaculum prophetarum, hoc est ultimus in prophetis; sed Johannes Baptista, de quo Christus in evangelio juxta vos sibi dato ait: *Lex & prophetæ usque ad Johannem.* (Luc. 16. 16.) Prophetæ plane illi qui ad omnes pertinentia prædicerent, non illi qui aliqua personalia prophetarent. (Plures vero fuere particulares.) Illos enim qui personarum aut temporum varios eventus post Johannem Baptistam prophetico spiritu prædixerunt, in diversis temporibus ac diversis mundi partibus, frequenter habuit & experta est ecclesia Christi, sicut Paulum apostolum, qui multa de futuris & impleta & implenda prædixit. Impleta, ut in nobis & in Judæis, quando dixit: *Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt*; (2. Tim. 4. 3.) & in eodem versu: *A veritate auditum avertent, ab fabulas autem convertentur.* Nam claret orbi præter vos & ipsos, quod tam vos quam ipsi, ut suo loco probabitur, a veritate auditum avertistis, & ad fabulas hunc convertistis, a veritate Christiana vos ad fabulas *Mahumeth*, Judæi ad fabulas *Talmuth*. Implenda vero prædixit, quando revelandum hominem peccati: *Filius perditionis qui adversatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur*, (2. Thess. 2. 3.) eumque in templo Dei sessurum, quem nos antichristum dicimus, scripsit. Sic & alios ex apostolis, sic plurimos ex aliis eorum discipulis, qui & prophetæ dicti sunt, & prophetas se esse rerum prædictarum effectibus ostenderunt. De talibus & ille fuit qui Agabus vocabatur, qui zona Pauli Jerusalem euntis, suos pedes alligans, ait: *Virum cujus hæc zona est, sic alligabunt in Jerusalem.* (Act. 21. 11.) Qui brevi tempore elapso, cum urbem illam adiisset, captus a Judæis, alligatus a tribuno, flagellatus à Romanis, veridicum fuisse prophetam illum ostendit. Et quis hujusmodi prophetarum numerum, qui post Christum inter Christianos tam vita quam prophetia splenduerunt explicet?

23. Si loquerer fidelibus & Christo credentibus, pateret campus immensus. (Quidam universales & particulares fuere prophetæ.) Quando enim vel a me vel a quolibet explicari posset tanta prophetarum; non universalia, ut præmisi; sed singularia, ut dixi, a Christo usque ad nostra tempora prædicentium numerositas? Si eorum singillatim nomina vel numerum qui in parte hujus propheticæ gratiæ claruerunt, ex veracibus gestis collecta retexere vellem, fidem dictis, ut arbitror, adhibere refugeretis. Quomodo enim prophetis Dei credere possetis, qui necdum Deo ipsi creditis? Sed scio hunc esse intellectum vestrum, hanc esse professionem vestram, vos vero Deo & in verum Deum credere. Sed utrum hoc verum sit, subsequens & vos per Dei spiritum devincens ratio declarabit. Interim rem propositam sermo rationi famulans prosequatur. Erat autem sermo ille, erat ratio illa, qua de universalis prophetiæ modo, distinctione præmissa, de sequenti, hoc est singulari vel personali prophetiæ modo juxta propositam partitionem agebatur. De illo, inquam, plane prophetiæ modo, quo singularia, ut dixi, prædicuntur, non quo universalia prophetantur. Nam ille, ut sic loquar, universalis prophetiæ modus ab ipsa pene primi hominis creatione exortus est; sed in Johanne, ut dixi, consummatus est. Particularis vero aut personalis & ante Johannem & post multis datus est, & adhuc fortassis pluribus dandus. Hac gemina discretione propheticæ gratiæ descripta, ad universales simul & particulares prophetas sermo redeat, & qui sint ex scriptis declaret.

24. De istorum numero rursus Isaiam produco, (Ut Isaias.) qui sicut universalia prædixisse præostensus est, sic quod etiam singularia ad quasdam gentes, vel personalia ad quasdam personas pertinentia prædixerit probandum est. Ad quasdam gentes: ut illud quod contra Babylonem, quod contra Moab, quod contra Damascum, quod contra Ægyptum, quod contra Idumæos, quod contra Arabiam, quod contra Tyrum, ut lectio libri ejus indicat, prophetavit. Ad quasdam personas: ut illud quod de rege Assyriorum Sennacherib, quod de rege Judæorum Ezechia, quod de quibusdam aliis, sicut ibi diffusius legitur, prophetavit.

25. Sequitur hunc & suprascriptus Jeremias, (Jeremias.) qui modo eodem sicut multa ad universos pertinentia prædixit, ita & singularia vel personalia pleraque non tacuit. Singularia quarumdam gentium, ut ea quæ contra Palæstinos, ut ea quæ contra Moab, ut ea quæ contra filios Ammon, ut ea quæ contra regna Azor, ut ea quæ contra Elam, ut ea quæ contra Babylonem prophetico plenus spiritu prophetavit. Personalia: sicut quando regem Sedechiam a Chaldæis capiendum & captivandum prædixit, sicut quando Ananiæ cuidam falso prophetæ sic minatus est. *Non*, inquit, *misit te Dominus*, (Jer. 28. 15.) *& tu confidere fecisti populum istum in mendacio; idcirco hæc dicit Dominus: ecce mittam te a facie terræ, hoc anno morieris; adversus Dominum enim locutus es.* Sic & quando quibusdam duobus ait: *Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel, ad Ahab filium Culiæ, &* (Jer. 27. 15.) *ad Sedechiam filium Amasiæ, qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter. Ecce ego tradam eos in manu Nabuchodonosor regis Babylonis, & percutiet eos in oculis vestris.*

26. De his universalibus simul & personalibus est Daniel, (Daniel.) qui ut longe supra præmisi, utroque carismate plenus, & quæ ad omnes & quæ ad quosdam solùmodo pertinebant, sæpe præfatus est. Ad omnes, ut quando

somnium regis Chaldæi, cujus idem rex immemor factus fuerat recitans, quid præsignaret prædixit. Viderat ille statuam cujus caput aureum, cujus pectus & brachia argentea, cujus venter & femora ærea, cujus crura ferrea, cujus pedes partim ferrei partim fictiles, præsignabant maxima mundi regna sibi invicem successura, varios habitura processus pariter & proventus, quæ per mutuas successiones in tantum sui diuturnitatem portenderent; donec percussa lapide absciso de monte sine manibus, deficiente mundo, finirentur & ipsa. Rursus ea quæ ad omnes, ut ultima pars prophetiæ ejus indicat; quæ si quis vestrûm legerit inveniet. Quæ vero ad quosdam, ut ea quæ ab ipso prædicta sunt regi Nabuchodonosor, ut & illa quæ regi Balthasar. Est igitur Daniel, ut duo supramemorati, non universalis tantum vel personalis, sed simul universalis & personalis propheta.

Hebræorum prophetas audire debent Ismaëlitæ.

27. Sed quia Hebræos prophetas vobis sicut Judæis propono, mirabitur forsitan aliquis vestrûm. Sed ut desinat mirari, audiat sequentia. Hebræi quidem jam dicti prophetæ sunt, sed licet Hebræi sint, etiam vestri sunt. Sed dicetis: Nostri quomodo? Quid enim Arabs ad Hebræum? Quid Hismahelita ad Judæum? Et multum plane: primo quod Ismahel & Isaac fratres fuere, licet ille de Agar ancilla, iste de libera Sara. Secundo quod præter consanguinitatis lineam & linguam tam in notis litterarum quam in eloquio pene communem, etiam singulari & antiquo circumcisionis signo velut ab utriusque gentis patre Abram derivato, vos ipsos ab universarum gentium aut innatis usibus, aut traditis legibus secrevistis. Tertio quod Hebræos aut Christianos de quibus agitur, prophetas ut divino Spiritu inspiratos, & prophetica gratia plenos, a vobis suscipi debere evidentibus & invictis in suprascripto libro rationibus monstratum est, quas ad integrum reconsignare, & velut de novo litteris tradere, si præcedentibus aurem sollicitam adhibuistis, superfluum est. Quod si forte aut ut rerum de quibus agitur instantium contemtores negligenter audistis, aut communi quæ pene omnes præter studiosos occupat desidia, lecta vel audita oblivioni letargicæ tradidistis, replico breviter quæ supra diffusius dicta, si tanta vobis salutis vestræ cura est, recolligere poteritis. Ex quibus prophetas Judaicos aut Christianos, de quibus longus sermo præcessit, vestros etiam esse, vosque eisdem ut vestris credere debere, si remota, ut suprascripsi, perspicuæ veritati renitens obstinatio fuerit, omni fugata nubium caligine ratio indubia declarabit. Et quid dico declarabit? immo jam declaravit, & nisi infidelibus loquerer, & his qui a Deo prorsus alieni sunt, sæpedicta iterare refugerem. Sed ferat stylus omnia patienter, & hæreticis aut ethnicis hominibus, salva fidei & veritatis constantia, morem gerat.

Aut ex eis nihil debent inserere Alchorano suo.

28. Quid exigis a me, Ismahelita? unde prophetas meos, tuos esse comprobem? unde ex verbis ipsorum velut a te concessis contra te pugnem? habeo plane, habeo multa. quæ? audi. Cur accipis aliquid de libris meis, qui longe tuis antiquiores sunt, cum ego Christianus, tu hæreticus, ut dixi, aut ethnicus sis? Quid mihi & tibi? nihil ego assumo de libris tuis, quare tu furaris aliquid de libris meis? an æmularis mea? an forte Christianus vis fieri? & ô utinam! ô utinam plane, utinam relicto errore stulto, mortifero, carente omni ratione, destituto omni veritate, evanescente per inania phantasmatum & inaudita nugarum, ad Deum verum convertaris, Christum Dei virtutem & sapientiam agnoscas, & a nefandi & turpissimi hominis laqueis erutus, possis cantare cum David rege & propheta, cui psalmos a Deo datos nequam ille scripsit, *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Ps. 123. 7. Hoc si dissimulas, dimitte mea, serva tibi tua. Nihil meis libris intersero de *Alchoran* tuo, nihil scriptis tuis admisceas de evangelio meo. Relinque mihi Moysen meum, dimitte prophetas meos, noli mixturam prodigiosam & a nullo rationabili animo ferendam conficere, ut vel infernalibus scriptis cœlestis oraculi verba interseras, vel ea nefandarum admixtione fabularum, & undique circumposito aggere mendaciorum deturpes; & qua ratione, immo qua insania, de falsis, ut credis & prædicas, Hebraïcis aut Christianis libris quædam illi tuo, ut existimas, de cœlis misso *Alchoran* miscuisti? qua mente Judaica, ut putas, vel Christiana mendacia veraci scripturæ tuæ inseruisti? nam si libri nostri mendaces sunt, & quæ inde excerpta sunt falsa sunt, quod si excerpta falsa sunt, & scripta quibus inserta sunt falsa sunt. Sed verum est quia inserta sunt *Alchoran* tuo; certum est igitur quia falsitate illi admixta, falsum est & ipsum *Alchoran* tuum, nec in parte tantum, sed in toto falsum; nam etsi forte aliqua ibi vera sunt, falsorum admixtione corrupta sunt, nec jam fide digna sunt. Numquid non ita se habent universarum gentium judicia? ubique per orbem lex ista viget, si vel in verbo uno falsus testis inventus fuero, nec in veris audiar, nec in veris fidem merebor. Hac justitia reprobo *Alchoran* tuum, hoc æquitatis judicio non ejus aliquas partes, sed ex integro condemno totum *Alchoran* tuum. Elige tibi, ut longe supra posui, de duobus alterum. Aut propter falsa quæ ex libris, ut dicis, falsis assumta & libro tuo inserta sunt, *Alchoran* abjice; aut si nolueris, Hebraïcos

&

& Christianos libros ex quibus illa sumta sunt veraces fatere. Et quia non patet uspiam via qua has angustias evadere aliter possis, credo te magis eligere nostros libros fateri veraces; ne quæ hactenus lege paterna servasti, cum ipso ipsius legis auctore simul universa exspirent. Quod si hanc partem elegeris, libris sæpe jam nominatis, hoc est Hebraicis & Christianis, ut scripturis propriis fidem dabis. His de causis Hebræos tibi prophetas proposui & proponam, sicut Hebræo Christum, & Christi discipulos ut Christiano; unde cum probare aliquid intendo, sicut ex concessis, sicut ex his quibus jam adquiescis, ut ratio docet, exempla produco.

Mahumeth neque universalem neque personalem, fuisse prophetam.

33. Et quoniam jam communes nobis vobisque, ô Agareni, libri jam dicti facti sunt, ad cœpta sermo recurrat, & qua de causa tot prophetarum exempla coram produxerit, indicet. *Mahumeth* legislatorem vestrum prophetam vel Dei nuncium non fuisse ex superioribus plene quidem probatum est; sed adhuc ob majorem evidentiam ista lecturis conferendam juxta præmissas divisiones probandum est. nam, ut supra scripsi, prophetarum vel qui fuerunt vel qui dicti sunt, alii boni, alii mali: bonorum alii prædicentes universalia, alii particularia; alii de eisdem simul universalia & particularia vel personalia, quos nominatim ad medium deduxi, & quæ de tripertita propheticæ gratiæ distributione gratia quemque contigerit, sigillatim expressi. Hoc ea de causa, ut tu quicumque *Mahumeth* prophetam nominas, quicumque eum prophetam affirmas, ostendas & aut auctoritate aut ratione probes eum, aut de universalibus esse prophetis universale aliquid, aut de particularibus particulare aliquid, aut de personalibus personale aliquid prædicendo fuisse prophetam. Sed quid frustra laborem insumerem? quid in vanum certarem? Invitavi & invito, provocavi & provoco, ut respondeas qua vi, qua ratione, quo figmento, veraci vel fallaci, hominem hunc, o tu Arabs, prophetam esse credis, prophetam esse dicis. Prædixitne aliqua, unde particularis, ad quosdam non ad omnes pertinentia prædicens, possit dici propheta? Prædixit aliqua unde non ad quosdam pluraliter, sed ad quosdam personaliter, vera aliqua priusquam fierent prophetizans possit probari propheta? Sed quid errori tuo pertinacius militans, & saluti tuæ contrarius, quæ salutis sunt refugis, quæ perniciosa sequeris? Dic, dic, jam si quid habes, ostende *Mahumeth* tuum ex aliqua prædictarum divisionum parte aut prophetam esse universalem aut particularem, aut simul utrumque, aut personalem, hoc est non ad universos, vel ad multos, sed ad quosdam pertinentia prophetantem. Sed quid agis? quid me suspensum tenes? dic si quid habes, ut justificeris. Hæc quidem verba Dei sunt, sed & post ipsum & cum ipso etiam mea sunt; si quid magnum, si quid saltem vile vel modicum prophetico spiritu dictum vel scriptum ex *Alchoran* tuo totiens & usque ad tædium nominato proferre potes, profer, enarra. Invenisne, ut supra jam dictum est, in toto illo libro tuo juxta te sacro, juxta nos exsecrando, aliquid ab illo tuo propheta prophetice dictum de præteritis, aliquid de præsentibus, aliquid de futuris? Nam in hac, ut præmissum est, trina distinctione totius propheticæ gratiæ summa consistit. Nam quæcumque prophetice prædicuntur, aut sunt, ut dictum est, de præteritis, aut de præsentibus, aut de futuris; sive sint illa quæ dicuntur universalia, particularia, vel personalia, vel de instanti tempore, vel prope vel longe post futuro prædicta. In quibus ergo propheticæ gratiæ divisionibus tam subtiliter & diligenter exquisitis prophetam tuum, ô Arabs, contra quem ago, invenire poteris? Sed refugio objicere quæ jam objeci; nam nec universalem, nec particularem, nec personalem eum esse prophetam probavi, nec de præteritis aliqua revelasse, nec de præsentibus aliqua demonstrasse, nec de futuris aliqua prophetasse ostendi. Si hæc ita se habent, non est hic tuus vel alicujus, ut dicebas propheta, sed ut ex præmissis colligitur, nihil prorsus propheticum dixisse vel scripsisse legitur, non est igitur propheta.

Desunt duo libri quos invenire non potui.

Explicit liber secundus domni Petri Cluniacensis abbatis contra sectam Saracenorum.





TRACTATUS DE MEMORIA,

COMPLECTENS TRES LIBROS IN LAUDEM MEMORIÆ

AUCTORE HUGONE ROTHOMAGENSI ARCHIEPISCOPO.

Ex manuscripto codice reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

OBSERVATIO PRÆVIA.

DE Hugone Rothomagensi archiepiscopo jam plura disseruimus tomo V. *anecdotorum in observatione prævia ad septem ejus dialogorum seu quæstionum theologicarum libros, ubi eum nobili genere ortum diximus, ab ineunte ætate Christo sub sancti Benedicti instituto nomen dedisse in percelebri Cluniacensi monasterio, in quo, teste Petro Venerabili,* inter antiquos illos reipublicæ *monasticæ* senatores *insignis apparuit. Eum vero Lemovicensis S. Martialis cœnobii priorem fuisse anno* 1115. *nec multo post, jubente Pontio abbate, in Angliam transmigrasse, ut ibi subjectum Cluniaco insignem S. Pancratii prioratum administraret; atque inde ad regimen Radingensis monasterii, cujus primus abbas fuit, assumtum, demum anno* 1130. *Rothomagensem archiepiscopum fuisse creatum. Eum etiam, nec immerito, laudari ab Innocentio papa II. S. Bernardo Clarevallensi, Petro Venerabili, Orderico Vitali, Alberico, & aliis.*

Quantæ autem fuerit eruditionis Hugo noster, probant varia ab eo edita opuscula, theologica fere omnia, ex quibus prodierunt jam in lucem in appendice ad Guiberti opera ab Acherio vulgata tres de Hæresibus libri, Alberico Ostiensi episcopo nuncupati; Dialogorum seu quæstionum theologicarum libri VII. *quos una cum vita S. Adjutoris ab eo composita, & fragmento operis ejus in Genesim insuerimus tomo* V. *Thesauri nostri Anecdotorum. Utinam lucubrationem ejus in Genesim, quam olim tribus libris distinctam vidimus in bibliotheca Clarevalensi, hic subjicere possemus! Ejus defectu duo non spernenda Hugonis nostri opuscula, tenebris hactenus obvoluta, in lucem proferimus. Tractatum scilicet de memoria, qui totus theologicus est, constatque libris omnino tribus; & Expositionem in Symbolum apostolorum orationemque dominicam. Primum opus, quod jam senex Hugo composuit, eruit Mabillonius ex manuscripto reginæ Sueciæ, secundum ex pervetusto codice bibliothecæ regiæ descripsimus, cui epistolam ad Innocentium papam de Stephani regis obitu, inter schedas Mabillonii repertam, adjicere visum est. Utinam aliam ejusdem Hugonis epistolam ad Theodericum episcopum Ambianensem haberemus, de constructione ecclesiæ B. Mariæ Carnotensis, cujus meninit Robertus de Monte ad annum* 1144.

EPISTOLA HUGONIS Rothomagensis episcopi carissimo suo Philippo.

SCripturis sacris, Philippe, libenter intendis, totus in illis. quia vero non statim omnia simul quæ requiris invenis in eis, exturbaris, & aliquo te nostro relevari solatio suppliciter quæris. Ego quidem æstate præsenti caloribus admodum teneor anxiatus, senio fessus, pede collisus, morbo gravatus, sollicitudinem tuam nolo offendere, quam proposui semper honorare. Arta quidem sunt & brevia quæ tibi mandamus, & stilo contracta porrigimus; sed permaxima, sed cœlesti dogmate sublimia, quæ caritate debita tibi præsentamus. Ea quidem fide catholica non ratione humana pie perquirenda cognovimus. hæc itaque studiosius attendas, gratanter relegas, præ memoria teneas. Fidelia sunt ista, sancta, divina, Spiritu-sancto revelante tibi proposita. memoranda sunt ista, quia *memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus*: super memoria loqui proponimus, quam in nobis sanam efficiat Dei.

Psal. 110. 4.

PRÆFATIO HUGONIS Rothomagensis archiepiscopi in libro sanæ memoriæ dedicato.

OMne quod intellectus invenit, quod studium attingit, quod pius amor appetit, totum simul sapiens memoria colligit, prudenter attendit, provide custodit. Talibus inveniendis & percipiendis atque retinendis quisquis ire festinas, non præsumtione vana, sed humilitate subdita, mentem puram & expeditam, propitiante divina gratia, sollerter tibi præpara, & tuæ vasa memoriæ ad suscipiendam Dei sapientiam pie præsenta. Quomodo autem eam obtinere valeas Jacobus apostolus ostendit dicens ita: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Hac suscepta, scientiam quoque tenet memoria. Est, inquit, clavis scientiæ memoria, hæc scalam Jacob a terris ad cœlum elevat, quia viator optimus valenter incedit, & certo gressu proficit, Deum ex toto corde seque & proximum in Deo diligit. Funiculus triplex difficile rumpitur, textura caritatis firma religatur. Nexu tertiario qui Deum diligit, a Deo ad seipsum, a seipso descendit ad proximum, ne funis abrumpatur, a proximo secum assumto recurrit ad Deum. hæc via perpetuo trita assiduam in se Trinitatem manifestat, quam præfata caritas ubique præsentat, fidelis memoria

Jac. 1. 5.

A hic invigilat, ista tenet, & hæc amat summam Trinitatem, Patrem, Filium, Spiritum-sanctum, essentialiter unum Deum, assignat dilectionem Dei, & sui ipsius qui diligit, & proximi quem secum ad amandum Deum pertrahit, Trinitatis summæ referre satagit. In hujus sanctæ commendatione memoriæ intendimus aliqua dicere, pro gloria Dei, caritatis unitate, & nostra omnium utilitate.

B HUGO ROTHOMAGENSIS archiepiscopus in laudem memoriæ.

LIBER PRIMUS.

1. INter omnis rationis humanæ valetudines, memoriæ virtus viget uberius: sola hæc præterita reddit præsentia, instantia ligat, sapientia reportat, futura prospectat. hæc prudentiam ornat, justitiam firmat, fortitudinem roborat, temperantiam illustrat. hæc fidem astruit, spem erigit, caritatem producit. hæc fide citata, spe levata, caritate corusca miratur Deum C in Trinitate unum, in unitate trinum, non Trinitate divisum, non unitate collectum, non inchoatum, non novum, non ab aliquo præscitum; sed provisorem omnium; non de omnibus unum, sed singulariter bonum, perfecte beatum; non qualem, non quantum, non per tempora motum, non per loca paratum, non gradibus alteratum, non plures, sed unum, semper eumdem, semper idipsum.

2. Tres equidem sunt personæ, Pater & Filius & Spiritus-sanctus, una Deitatis essentia permanente, inseparata voluntate, D eadem potestate. Sed dicis si tres personæ sunt in Deitate, tria sunt individua divinæ essentiæ: dum igitur tres personas Deitatis asseris, tres Deos esse necessario fateris. Qui hoc dicis, personam quæ Deus est, ineruditus attendis, ea enim nomina seu quælibet vocalia, ut Deum significent assumta, non morem nostrum, sed divinum significando proponunt. Non substantiam cum qualitate, non verbum cum actione vel passione, non aliquid cum aliqua varietate Patrem & Filium & Spiritum-sanctum tres personas dicimus, nec Deum di- E vidimus, nec determinamus, nec deffinimus, qui veritatem fidei, non regulas vel argumenta sapientiæ hujus mundi contuemur. Trinitas summa quæ Deus est, nec potest augeri nec minui, sed inseparabiliter habet adorari. Igitur persona quæ more nostro individuum rationale nominat, Deum non significat.

De Trinitate

3. Si quæris quid Pater & Filius & Spiritus-sanctus, respondet tibi catholicus Christianus, non ut vaniloquus, non ut philo-

Quid Pater & Filius & Spiritus-sanctus.

sophus, qui ne videatur inscius, verbosa loquacitate vagatur. Respondetur cum humilitate dicens, pro fidei unitate Pater & Filius & Spiritus-sanctus est Deus, ex se Trinitas in unitate adoranda proponitur.

Quid Deus. 4. Item si quæris quid Deus? Non evagaris, non effunderis, sed ut catholicus, vere fateris Deus est Pater & Filius & Spiritus-sanctus. Ecce unitas in Trinitate veneranda semper adoratur, mirabile dictu, incomprehensibile nostro sensu, quod ignorare non possumus, & manifestare nequimus. Simplex unitas Deus in Trinitate est. Simplex Trinitas Deus in unitate est, unitas in Trinitate non inchoat numerum, Trinitas in unitate non præsentat numerum. Unitas Trinitatem non augmentat, Trinitas unitatem non separat, non adoratur unitas sine Trinitate, nec Trinitas sine unitate. Profundum hoc & ineffabile Deitatis mysterium non attingitur ab his, qui in oculis suis alta sapiunt, qui sapientiam suam non Deo, sed sibi referunt. hi teste apostolo: *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt & evanuerunt.* Super hoc Veritas in evangelio dicit: *Confiteor tibi, Domine, Pater cœli & terræ, qui abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Ita pater quia sic placitum fuit ante te.*

Rom. 1. 21. Matt. 11. 25.

Deus creator 5. Lætatur memoria humilis, quia hæc a Deo sibi revelata suscipit: attendit Deum creatorem summum & singularem, quia scit universa, habet singula, potest omnia, nihil ejus scientiam evadit, ejus abundantiam nemo supplebit, ejus omnipotentiam nullus adjuvit, creavit omnia simul & singula pro voluntate sua. Nullus eum docuit ut faceret, a nullo suscepit ut facta compleret; nusquam & numquam invenit unde crearet. Operator mirabilis qui operatus est, & operari non cœpit, non inchoavit facere, & simul omnia fecit, quia unde crearet, unde inciperet nihil extitit. Fecit ergo qui facere non incœpit, quia unde inciperet non fuit. Initium habent quæ facta sunt, quia nisi cœpissent non fierent, & motu inceptionis suæ mutabilia sunt, & mutabilitate sua sub accidentali varietate delitescunt.

Immobilis. 6. Auctor iste immobilis movet mobilia per temporum intervalla, per locorum spatia. mobilia ista mutabilitate sua labendo defluunt, sed virtute creatoris ubique per essentiam existente subsistunt. In nihilum redire non possunt: *Statuit ea enim in sæculum & in sæculum sæculi, præceptum posuit & non præteribit.*

Psal. 148. 11.

Ubique totus. 7. Creator Deus ubique totus est, continens non contentus, nullo fine clauditur, quæ vero creata sunt debito fine suo certoque tenentur. Tenet, regit, conservat ea Deus, qui attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Fortiter, quia omnipotens; suaviter quia clemens.

Exaltat humiles deprimit superbos. 8. Omnipotens deponit potentes, clemens exaltat humiles. sathanam illum tumentem ab initio suæ actionis mendacem illico præcipitem ruere fecit. *Videbam sathanam quasi fulgur de cœlo cadentem*, cadentes cum eo angeli Deum humiliter videre neglexerunt, diligere noluerunt, & miseri remanserunt. Stantes vero angeli pro humilitate sua Deum jugiter aspiciunt, ardenter diligunt, & beati persistunt: *Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* Curre per singulas mundi ætates, & ita eum facere semper invenies. a loco voluptatis patres nostros inobedientes & culpam suam defendentes ejecit, & a ligno vitæ separavit. Sed Abel pro humilitatis gratia cum muneribus suis quæ devotus obtulit acceptavit, & pereuntibus ceteris, Noë & quos ejus arca tenuit, in diluvio servavit. Ægyptiis multa clade percussis, cæde nimia peremptis, Israël evasit, sub columna nubis per diem & ignis per noctem. Beata columna nubis Spiritus-sancti obumbrantis contra incentiva libidinis, contra æstus concupiscentiæ mundi in maligno positi. Beata columna ignis Spiritus-sancti contra tenebras mendaciorum, contra turbines scandalorum, contra tempestates hæresum. Israël itaque protectus columna virtutis, mare sicco vestigio transmeavit, vastas eremi solitudines peragravit, Jordane transmisso, terram promissionis meliorem, ceteris hostibus triumphatis, possidendam intravit. In ea judices, reges seu duces super quammultos habuit, in ea Deum per sæpe graviter offendit & sub ira Dei creberrime mala substinuit; sed pœnitendo quandoque sub Dei misericordia respiravit.

Luc. 10. 18. 1. Pet. 5. 5.

9. Non est ablatum sceptrum de Juda & dux de fœmore ejus, donec advenit qui mittendus erat. Ipse est expectatio gentium, singulare & summum contra omnia mala remedium, vera salus & vita omnium: *quem Deus pater constituit heredem universorum, per quem fecit & sæcula.* Hic Dei Patris Filius, patriarcharum oraculis præsignatus, prophetarum præconiis nuntiatus, evangelica manifestatione præsentatus. Ipse & illa sapientia, quæ ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, superborumque & sublimium colla propria virtute calcavit. Ejecit enim sathanam qui dicitur princeps mundi hujus, mundi scelerati & caliginosi. Elatus corruit, & insipiens remansit. Econtra ædificavit sapientia domum suam sanctam ecclesiam, septem Sancti-spiritus columnis exaltatam, in ea ovis centesima & dragma decima quæ perierant pie quæruntur, & cum gaudio reparantur. In ea enim pœnitentes admittuntur, sacramentis innovantur, virtute ex alto perornantur

Heb. 1. 2.

ornantur. In ea panem vitæ comedunt, & Christi vita vivunt; vita non terrena, sed cœlesti, vita quæ est verbum Dei.

De Dei Filio homine facto.

10. Deus est Verbum, Deus apud Deum. Apud Patrem Filius unus cum Patre semper. Deus ipse est, lux hominum, Verbum caro factum, factum caro, factum homo ex Adam, ex Abraham, ex David, & ceteris patribus processit de Virgine sine viri semine, Spiritu-sancto cooperante. Filius Dei, Deus pro nobis homo factus, non hominis personam, sed hominis naturam veram & perfectam suscepit, sine concupiscentia carnis, absque radice peccati. Novus homo, non novus Deus. homo Deus, non duo, sed unus; non duæ personæ, sed una; una non nova, sed Deo Patri coæterna. *Ego*, inquit, *& Pater unum sumus.* (*Joh. 10. 30.*) Unum vero quia Pater in Filio, Filius in Patre una est essentia, sed non una persona; una essentiá in unitate Sancti Spiritus, qui est Patris & Filii essentialiter unus. Pater quidem Deus solius Filii Pater est, Filius Deus solius Patris Filius est; Spiritus vero sanctus non solius Patris, non solius Filii Spiritus est, sed amborum unus est, licet alius in persona, sed idem prorsus cum utroque in essentia.

Oramus Patrem per Filium.

11. Super hac ineffabili summæ Trinitatis unitate, quam proferimus, sed disserere non valemus, tibi, Pater Deus, orantes ut tribuas quæ petimus, complendo dicimus: *Per Dominum nostrum* JESUM CHRISTUM *Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus-sancti Deus.* Pater per Filium bona distribuit. Filius nos a malis liberat & reconciliat Patri in unitate Spiritus-sancti. hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi, occisus ab origine mundi. Dicit hoc Johannes apostolus in Apocalypsi. Ab origine mundi signatum est mysterium Dominicæ passionis in morte Abel justi, qui est membrum Christi, cujus sanguis de terra ad Deum clamavit. Hunc Caïn occidit, quia Deus non ad Caïn, sed ad Abel & ad ejus munera respexit. typum quoque passionis Christi Isaac oblatus expressit, ubi non filius a patre immolatus est, sed agnus occisus est. Hic immolatus in morte fuit, sed mors eum non attigit. Consimili more & ille paschalis agnus, Domino mandante, per domos & familias Israël oblatus est, in utroque poste, & in superliminari sanguis ejus propositus est. Ejus sanguine defensi sunt Hebræi, angelo percutiente primogenita Ægypti. Hic mysterium veri Agni nostri JESU CHRISTI fuit, quo fideles qui in ecclesia catholica redemti salvantur, & ceteris sub morte remanentibus, vita quæ Christus est perfruuntur. De hac vita quæ veritas est ita testatur: *Sicut*, inquit, *Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso*; (*Joh. 5. 26.*) in semetipso, ut es-

Cujus passionis typum habemus in veteri testamento.

A sentialem, ut divinam, non extra quæsitam, non mutuatam. una & eadem est Patris & Filii vita, quia Patris & Filii una est essentia.

Filii æternitati non præjudicat incarnatio.

12. Est ergo Filius Patri coæternus; æternitati Filii Dei & Domini nostri JESU CHRISTI non præjudicat tempus assumtæ humanitatis, non passio carnis, non susceptio mortis. Profecto in morte Christi anima a corpore, corpus ab anima habuere sejungi, ut mors esse potuerit; sed persona Dei & hominis, quæ nec incœpit & finem nescit, integer permansit; procul dubio in morte Christi anima ejus in inferno descendit, & suos inde liberos eduxit. B Interim corpus ejus in sepulcro jacuit, & Latronem sanctum, confessorem suum, sicut ei promiserat, paradisi gloria donavit. Ista pro tempore sunt divisa, indivisa permanente Dei & hominis JESU CHRISTI persona. Ne mireris pro integritatis hujus mysterio. Prædixerat ipse Nicodemo: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit Filius hominis, qui est in cælo.* (*Joh. 3. 13.*) Vide quia dum præsens præsentibus in terra loquitur, in cœlo se esse testatur, ut persona Dei & hominis una cognoscatur. Nec tamen Trinitas quæ Deus est, ut multa ut convulsa cogitatur, C sed simplex, sed immota fideliter adoratur, palmo concludens omnia, tribus digitis portans universa. Attende quia in palmo Deitatis unitas, in tribus digitis pensatur Trinitas. Palmo & digitis constat manus una. In Trinitate quæ Deus est, Filius Dei Patris Christus; tertia persona, non tertius Deus ante sæcula permanens, non est Deus recens, sed perfectus, sed omnipotens, temporum tenet perfluida, locorum prætendit spatia, continet universa.

13. Igitur ab æterno Christus est, ubique Christus est, super omnia Christus est. D *Omnia*, inquit, *per ipsum facta sunt*, (*Joh. 1. 3.*) sine illo nulla esse possunt. Bona distribuit, distributa custodit; nisi dixisset, ea non fierent; nisi teneret facta, desinerent: bonus bona omnia fecit, nos boni facti fecimus nos malos. Ipse misertus nostri gratuito descendit ad nos, mala nostra tulit, & liberavit nos pro sua bonitate; bonos restituit nos: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine* JESU *omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis* E *lingua confiteatur, quia Dominus* JESUS CHRISTUS *in gloria est Dei Patris.* (*Phil. 2. 9.*) Gloriam hanc ex Patre & cum Patre tenet in essentia. Suscepit eam ex assumtæ humanitatis obedientia.

Quantum nobis Christus contulerit.

14. In hac sua obedientia, qui peccato nihil omnino debebat, tulit omnium nostrum omnia peccata, dedit nobis sacramentorum remedia, dedit nobis mirifica Spiritus-sancti carismata. Dedit nobis su-

per cœleste convivium, corpus & sanguinem suum. Donat in tempore præsenti sicut ipse fecit in cœna paschali, & fieri mandavit usque in finem sæculi, hoc est verum sacrificium, quod dat nobis ex officio ministri ad hoc consecrati. Sed extra ecclesiam catholicam non est locus veri sacrificii: *Exod. 12. 46.* *Non efferetis*, inquit, *de carnibus ejus extra.* Totum se donat in ore & corde fideliter accedentis; qui totus permanet in dextera Dei Patris. Esca hæc redemtionis est & salutis, esca vitæ & pacis, esca æternitatis & beatitudinis. In præsenti datur nobis sub veritate fidei, nondum sub luce manifestæ visionis. Interim pro modo sumendi imperfectioni nostræ convenienti, datur sub specie panis & vini, cum tamen neque panis neque vinum ibi sit, sed corpus & sanguis Domini nostri JESU CHRISTI, idipsum quod de Virgine natum est, quod in cruce passum est, quod a morte surrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei Patris, unum Spiritum-sanctum copiose diffudit. Semper adest suis: *Matt. 28. 20.* *Ecce*, inquit, *ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*; qui ubique est per essentiam, & suis adest per gratiam: per gratiam benedictionis, per gratiam ineffabilis illius unitatis, de qua ad Patrem *Joh. 17. 21.* super electis suis ita dicit: *Ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis & tu in me, ut sint consummati in unum.* O beata unitas, quo Pater & Filius unum sunt, qua claritatem quam Pater dedit Filio absque inchoatione sine termino isti suscipiunt munere gratuito, non natura, non merito. Isti renascuntur Deo in uno Spiritu-sancto, Apostolus testis est, *Quoniam qui adhæret Deo, unus spiritus est.*

De Spiritu-sancto.

15. Itaque Spiritus-sanctus Patris & Filii & istorum est. In hac unitate Sancti Spiritus quicumque renascitur, fit de veteri novus, de servo filius, de peccatore sanctus. In hac unitate Sancti Spiritus, unitas fidelium uni viro desponsatur, Christo sponso consecratur, una uni Deo in unum consummatur; una ex Judæis & gentilibus; una ex *Joh. 1. 12.* angelis & hominibus. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, qui factus est hominis filius, uniens seipsum nobis, uniens & nos sibi. Hæc admiranda unitas tenet bona omnia, nulla penitus mala. unitatem hanc, unitatem perfectam pater mendacii mendax ille satanas non attigit; sed suo cum suis mendacio defluxit. At vero humiles & Deo subditi spiritus angelici, unitatem caritatis æternæ cum Deo tenuerunt, & malis cadentibus boni permanserunt. Beata societas illa quæ peccatum non habuit, culpam non incurrit, sed statim condita statim conditori suo inhærere constanter assumsit. Bene ei convenit quod scriptum est: *Psal. 72. 28.* *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in do-* A *mino Deo spem meam*, spem confusione carentem, spem caritate perfecta completam. Isti sunt spiritus boni, spiritus administratorii, qui jussa Dei ubique peragunt, missi decurrunt, & ei semper assistunt, quem semper diligunt. hi manifeste vident Patrem & Filium, & ex utroque procedentem Spiritum-sanctum, Patris & Filii donum. Donum hoc ab utroque diffunditur, nec ab utroque separatur; palam proponitur, bonæ voluntati commodatur; qui vult accipiat, nemo se avertat, nullus excusetur, nemo refugiat, currat unusquisque, ut tamen teneat. *A Patre & Filio ad homines diffunditur.* *Spiritus enim Domini replevit orbem terrarum*, *Sap. 1. 7.* B & *Misericordia Domini plena est terra.* *Psal. 32.* Misericordia igitur peccatores vocat, pœnitentibus veniam præstat, intra sinum ecclesiæ matris eos aggregat, in unitate Sancti Spiritus eos sanctificat. Hanc unitatem sanctam Adam primus tenere noluit; sed per inobedientiam ab ea cecidit, quia peccatum suum excusando sibi retinuit. hanc quoque Caïn ille primus ex hominibus natus minime tenuit, qui Dominum audire noluit, sed primus homicidio sese cruentavit: hic fratris sanguine de terra clamante convictus, nec tunc misericordiam Domini quæsivit. *Caïn peccavit in Spiritum-sanctum.* C dixit verbum contra Spiritum-sanctum: *Major est*, inquit, *iniquitas mea, quam ut veniam merear*, quasi dicat, misericordia Dei minor est & invalida, non est qui peccatum tollat. *Gen. 4. 13.* hic sibi suum retinuit peccatum, non a Spiritu-sancto quæsivit remedium. hoc remedium tanto est largifluum, quod etiam hominibus est commissum. Remittunt homines peccata, quibus hoc datum est ex gratia. hanc potestatem dedit JESUS suis ex officio consecratis: *Accipite*, inquit, *Spiritum-sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* *Joh. 20. 22.*

D 16. Datus est ergo Spiritus-sanctus ad remissionem peccatorum, & ad retentionem eorum. *Datus est Spiritus-sanctus ad remissionem & retentionem peccatorum.* ad remissionem, his qui pœnitendo redeunt, & intra unitatem ecclesiæ sanari deposcunt: ad retentionem peccatorum, his qui peccare semper appetunt, & in peccatis perseverare volunt. Hi claves Petro commissas minime requirunt, hi ecclesiam Dei quæ peccata solvit ex dono Spiritus-sancti negligendo contemnunt; hi E peccant in Spiritum-sanctum, quod non remittitur neque in hoc sæculo, neque in futuro. Ad remittenda peccata suscepit Spiritum-sanctum mater ecclesia, pertinaces in peccatis, obdurati, desperati contemnunt ecclesiam Dei, volunt se perpetuare in peccatis suis. *Est*, inquit, *peccatum ad mortem, pro quo non dico ut roget quis.* *1. Joh. 5. 16.* Super hoc Spiritus-sanctus *arguet mundum de peccato*, cum debuerat remitti male retento: *De justitia* proposita, sed contemta; *de judicio* non evitato, & ideo super eis & satana jam facto,

arguentem Spiritum-sanctum contemnit, qui intra unitatem Spiritus-sancti vitam non suscipit. Non suscipit vitam, qui contemnit ecclesiam; ecclesiam contemnit, qui Spiritum-sanctum eam habere non credit; non credit eam habere Spiritum-sanctum, qui dicit eam non posse dimittere peccatum. Hæc est blasphemia, hæc est verbum contra Spiritum-sanctum. blasphemi, schismatici, hæretici contra ecclesiam Dei sæviunt, nulla esse peccatorum remedia dicunt, unitatem ecclesiæ pro posse suo scindunt. *Hæc est*, inquit, *hora eorum & potestas tenebrarum.* (Luc. 22. 53.) Inter hujusmodi, ecclesia Dei in Spiritu-sancto convalescit. Sicut arca Noë superferebatur in diluvio, sic ecclesiam Dei in hujus sæculi labentis exilio insurgentes aquæ arcam elevare poterant, sed mergere non valebant: sic insurgentes malorum tempestates ecclesiam possunt exaltare, non valent destruere. De malis eorum ecclesia proficit, de bonis ecclesiæ malitia cadit; tandem malis exclusis, ecclesia universa possidebit, una cum Patre & Filio & Spiritu-sancto. His intuendis sela faciamus, ut resumto Spiritus-sancti pneumate, loqui fideliter valeamus.

Explicit liber primus.

INCIPIT SECUNDUS

in laudem Memoriæ.

1. IGitur pia memoria profitetur, quia Pater & Filius in unitate Spiritus-sancti Deus est unus; quia CHRISTUS JESUS in eodem Spiritu Deus & homo verus permanet unus; quia fidelium unitas in eodem Spiritu cum Deo permanet una. Propter hujus unitatis plenum & perfectum gaudium in suis omnino complendum, dicit ille qui nobis redimendis dedit seipsum: *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum.* (Joh. 12. 32.) Omnia in hac singulari unitate, in caritate Spiritus-sancti, quæ est una Patris & Filii, & omnium quos ecclesiæ unitas in unum collegit. Intra hanc unitatem omnes feliciter vivunt: extra hanc omnes sub morte pereunt.

2. (De David pœnitentia.) Interim autem dum in præsenti versamur, quosdam, de quorum periculo timebamus, persæpe videmus supernæ respectu gratiæ ad unitatem ecclesiæ redire, sanari & convalescere. Rex propheta David peccavit adulterio, peccavit homicidio, proditionis astu peracto; sed Dominus per prophetam eum commonuit, quem rex humiliter audivit, & ad unitatem Sancti-Spiritus rediit, & pœnitendo dixit: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam,* &c. (Psal. 50. 3.) Postmodum orando dixit: *Cor mundum crea in me, Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis: Ne projicias me a facie tua, & Spiritum-sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* (Ibid. 12.) Audis in oratione pœnitentis spiritum rectum, spiritum sanctum, spiritum principalem nominari. Rectus est spiritus in condemnatione peccati; sanctus est spiritus in effusione divini muneris, principalis est spiritus in perceptione beatitudinis perfectæ cum Deo simplicis unitatis. Ecce peccator humilis sententiam judicis antecedit, quam pœnitendo mutat, avertit; quem extimuerat judicem, pœnitentia & humilitate nimia facit sibi patrem, prævalente pœnitentia mutatur sententia, peccato depulso intrat justitia, quæ spiritu recto, spiritu sancto, spiritu principali pœnitentem exaltat. *Qui exaltas*, inquit, *me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.* (Psal. 9. 14.) Quisquis vero spiritum rectum, spiritum sanctum, spiritum principalem induit, mandata Dei suscipit, & suscepta custodit, & custodita diligit. Super hoc Veritas ipsa dicit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* (Joh. 8. 51.) Et quod gloriosius est, superapponit dicens: *Et Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Itaque ad David de pœnitentia rectum, de percepta venia sanctum, de unitate Sancti Spiritus principalem factum, eo maxime principalem, quia JESU CHRISTI Patrem pie respicimus, per eum a Filio suo Domino nostro veniam, gratiam, benedictionem, dari nobis obnixe precamur. his taliter inspectis utique lætamur.

3. (Judæ impœnitentia.) E contra Judas ille fur, proditor Domini sui & magistri, immo nostri, cupidus venditor, conscientia accusante, ratione judicante, veritate damnante, se peccasse cognovit, & peccatum suum celare non potuit, qui dixit: *Peccavi tradens sanguinem justum*; (Matt. 27. 4.) sed Spiritum-sanctum minime requisivit, immo desperatus laqueo se peremit. Judas iste unus ex duodecim, unus numero non gaudet merito; avaritia, furto, proditione periit, & celsitudinem apostolici culminis amisit. De hoc pessimo Dominus prædixerat eis: *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est?* (Joh. 6. 70.) Quid est hoc? teste Veritate, & malus iste cum bonis a Deo pariter electus est, sortem nominis apostolici a Domino suscepit, sed malitia sua cecidit.

4. (Deus bonos & malos eligit.) Sciendum itaque, quia bonos & malos Deus omnipotens elegit. Omnipotenter agit, quia nec bonis bonorum adjuvatur, nec malis malorum præpeditur; sed de bonis & malis bene semper operatur. Ipse quidem satanas & malorum omnium impietas serviunt ecclesiæ Dei, quæ ex eorum malitia criminibus exercitata, assidue proficit, augmentatur, crescit. Mali isti ser-

viunt Deo, sed fracti, sed subditi; Dei enim A magnificentia per eos nobis mirabilior innotescit. dum enim sua nequitia semper nituntur obesse, coguntur divina virtute prodesse; mala quæ faciunt eis utique mala sunt, sed Dei magnificentia ea ipsa mala habent fieri bona, quia bonis utilia. Sic & iste Judas, per quem sanguis redemtoris nostri venditus est, & pro nobis in cruce fusus est; malus sibi pro nequitia sua, utilis nobis factus est, operante superna gratia, tradidit eum in mortem suam, quem & Pater tradidit in vitam nostram. Ecce malum Judæ factum est bonum sanctæ ecclesiæ. factus est iste diabolus, sicut & illi quibus & Veritas dixit: *Vos ex patre diabolo estis.* ex patre diabolo, non natura, sed malitia filii, dum istos & hujusmodi peccatores & unitate Spiritus-sancti refugas & extorres, & in malis suis & criminibus pertinaces respicimus, Petrum peccatorem vere, sed nostrum ipse Dominum tantum negavit, sed anxie pœnitendo, sed amare flendo Spiritus-sancti gratiam quæsivit. hic est Petrus, qui antea, Domino interrogante: *Vos autem quem me esse dicitis?* unus pro omnibus respondit: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Cui Dominus ait: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Ibi Petrus petra factus supereminuit, sed in passione Domini negando fractus corruit: mox vero, respiciente Domino, pœnituit, & Petrus fieri iterum reformatus lacrymando promeruit, & in Spiritu-sancto surrexit, qui ter negaverat, tertio est interrogatus Domino dicente: *Petre amas me? Domine*, inquit, *tu scis quia amo te*, & amoris merito qui est ex Spiritu-sancto, dixit ei cujus sunt omnia: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Ecce iterum Petrus ecclesiæ Christi præficitur. In uno Petro præsens ecclesia tota colligitur. Ea propter Petri successores Romani pontifices potestate præeminenti ex virtute Christi in unitate Spiritus-sancti catholicam tenent ecclesiam, docent, & ordinant. tenent sub obedientiæ disciplina, docent sub unitate evangelica, ordinant sub officiorum providentia. fiunt ista sub Petri firma fide. Super quo dixit ei Veritas: *Petre ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ex hoc fides Petri firmamentum est ecclesiæ præsentis.

Sed bonis mali sunt utiles. — *Petri peccatum & pœnitentia.* — *Joh. 8. 44.* — *Matt. 16. 18.* — *Joh. 21. 15.* — *Luc. 22. 32.*

5. Igitur ecclesia ei Christo mandante Petro est unita, Petrum sequitur, super mare graditur dum ad Christum tendit, intus fluctus sæculi super undas procellosi mundi fideliter vadit. Interim occurrit ei ventus validus malitia plenus, & timore labitur, lapsu timoris incipit mergi, sed imitando Petrum clamat ad Christum, clamanti Christus manum extendit, & apprehensam ad stabilitatem pacis & beatitudinis perducit; ibi nullum veritas exagitat, nulla malorum tempestas aliquem inquietat, hoc significavit navicula Petri in qua de mari Christo ingrediente cessavit ventus, *Et facta est tranquillitas magna*: per hanc pax plena illa præfigurabatur, quia Deus erit omnia in omnibus. Ecce quam læto, ecce quam beato fine clauditur labor ecclesiæ, in præsenti gravis, & nisi vincenti Christo totus intolerabilis. Sed sequuntur Christum, qui dicit suis: *Confidite ego vici mundum.* Per eum itaque una in Spiritu-B sancto mater ecclesia mala vincit omnia, tempestates maris, hoc est malorum omnium cum Petro superat. Manens itaque ecclesia Christi una cum Christo unita Petro, in unitate Spiritus-sancti intrat pacem æternæ beatitudinis. Videt Deum Deorum in Syon, quod credidit patenter aspicit, quod speravit idipsum invenit, quod dilexit in plenitudine totum apprehendit. caritas omnia colligit. Ceteris enim evacuatis, prætereuntibus, expletis, caritas numquam excidet, solus caritatis oculus C Deum videbit, ceterarum merita virtutum intra se sola complebit.

Ecclesia Petro unita. — *Matt. 8. 26.* — *Joh. 16. 33.*

6. Hæc est: *Caritas Dei diffusa in cordibus nostris, per Spiritum-sanctum qui datus est nobis*, hic est Spiritus-sanctus qui per omnes ætates præsentis sæculi salvandis hominibus sacramenta vitæ proposuit, nulli umquam defuit, nisi ei qui numquam a peccatis exire nec pœnitere voluit. proposita sunt vitæ sacramenta, diversa quidem pro diversis temporibus, sed eisdem non diversis effectibus, eisdem pro fide Jesu Christi, eisdem in unitate Spiritus-sancti, siquidem in paradiso terrestri datum D erat primis parentibus nostris sacramentum vitæ, quæ Christus est; arbor scilicet quæ lignum vitæ dicta est; sed primi nostri transierunt a ligno vitæ ad lignum concupiscentiæ, ad lignum scientiæ boni & mali, a quo ne illud tangerent erant prohibiti. At illi nec ignorantia præpediti, nec debilitatis necessitate coacti, immo mandatum scientes & servare valentes, tracti sua concupiscentia, facti transgressores, inconcessum tenuerunt, & ex eo comederunt; statimque sub mole peccati, sub lege mortis E ceciderunt, & scientiam boni & mali oculis antea sanis modo male apertis susceperunt. Cum ligno vitæ bonum simpliciter noverant & tenebant, cum ligno concupiscentiæ noverunt mala, adjectionem & malum. Senserunt se bonum innocentiæ transgrediendo perdidisse. Senserunt se vestem justitiæ per inobedientiam amisisse; nuditatem suam cognoverunt erubescentes & confusi in oculis suis, non ad Deum pœnitendo confugerunt, sed ad ficum transierunt, & foliis ficus sua membra tegere præsumserunt

Rom. 5. 5. Spiritus-sanctus nulli deest nisi pœnitere nolenti. — *Primi hominis peccatum.*

præsumserunt, hypocritarum morem tenuerunt, dum non culpam suam humiliter confiteri, sed excusare & falsa insimulatione contegere voluerunt. Denuo convicti, damnati, expulsi sunt, & per similitudinem Deorum quam male affectaverant, sathana dicente: *Eritis sicut Dii*, facti sunt similes pecorum, contecti veste pellium. Ejectis illis, cherubin & flammeus gladius obstiterunt, ne redire possent ad lignum vitæ, quod superbiendo perdiderunt. Gravis est ista jactura, sed justo judicio eis imposita. Damnum mirabile perdere lignum vitæ. Lignum vitæ præstabat alimentum, præsentabat sacramentum; alimentum vitæ præsenti conservandæ; præstitum sacramentum, quo per obedientiæ meritum de terreno transirent ad divinum, victuri postmodum feliciter in æternum. Non per lignum vitæ terrenum, sed per vitam quæ Christus est, qui est vita cœlestis, vita perennis omnium vere viventium. Hoc alimentum vitæ terrenæ pro evitanda corporis morte; hoc sacramentum vitæ supercœlestis & divinæ cum Deo permansuræ. utrumque per inobedientiam perditum est, utroque amisso, peccati necessitas pervagata est, peccati stipendium mors ingressa est.

Gen. 3. 5.

Amissa per peccatum homo per fidem recuperat.

7. Sed miserator qui misereri non desinit, misertus nostri, pro amisso sacramento visibili ligni vitæ paradisi, etiam in hoc nostro exilio peccati & mortis, sacramentum fidei præparavit. fides hæc sana & vera per Spiritum-sanctum inspirata reducitur ad Christum, qui essentialiter veritas est, in quem credimus fideliter, ut fidei merito tandem uniti ei in Spiritu-sancto, perenni passu vivamus. Fides hæc in Abel justo primum nobis apparuit, qui fide succensus Deo de suis humiliter obtulit, & pro fide sua Deus ad eum respexit, & oblata suscepit. pro hac fide invidia contra eum exarsit, & primus omnium martyrii coronam a Deo promeruit. In hac ejusdem fidei unitate Enos cœpit invocare nomen Domini. nomen Domini invocare, est & se & omnia Deo assignare. hæc assignatio vere nominis Domini est invocatio; quæ semper benedicit Domino. hæc benedictio fide inchoatur, spe sublimatur, caritate consummatur. In hac unitate fidei, quæ prima procedit, septimus ab Adam Enoch cum Deo ambulavit, & non apparuit, deambulatio talis fideliter credendo, firmiter sperando, singulariter amando, semper Deo assistit. In hac unitate fidei Noë reparator mundi arcam in diluvio gubernavit, omnia intra eam suscepta salvavit, quidquid extra unitatem arcæ remansit, vasta diluvii inundatio peremit. Denique represso diluvio, libere cum suis egressus, orbem terræ in sua potestate, probatus fide, possessurus acce-

A pit, & Deo sacrificium obtulit in odorem suavitatis perfectæ fidei. Obtulit de volatilibus & pecoribus omnibus, de mundis non de communibus. In hac fide, Spiritu-sancto illuminante, audivit Abraham Dominum dicentem sibi: *Exi de terra tua & de cognatione tua*, &c. *Credidit*, inquit, *Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam*. Hic accepit signum circumcisionis signaculum fidei in se & in posteris suis. Adjectum est itaque fidei Abrahæ sacramentum visibile, circumcisio in carne, ut & in carne sanctus appareat, qui in Spiritu-sancto suo per fidem Domino placebat. hæc Abrahæ fides B accepit promissiones. *In semine*, inquit, *tuo benedicentur omnes gentes*. Primo Abraham a Deo dictus est, quia pater multarum gentium propter fidem factus est. Hic Domino præcipiente dilectum filium suum Isaac indubitanter immolandum obtulit, sed fide probatus, & filium suum illæsum recepit, & benedictiones magnificas & præcellentes á Domino jurante, in se & in semine suo complendas audivit. In hac fide Isaac filio suo Jacob benedictionem dedit de rore cœli & de pinguedine terræ, & super fratres suos dominatione, & super inimi- C cos potestate, sublimem eum statuit. hæc benedictio a patre licet caligante data, per fidem rata permansit. hanc Esaü primogenitus coram patre flens & ejulans, evacuare non potuit. Esau stultitia sua eam perdidit, quam Jacob simplicitate sua credens matri suæ devotus tenuit, læta super his memoria fidem in Abraham, spem in Isaac, caritatem in Jacob speciali prærogativa miratur. Tria ista in tribus patriarchis istis gratiosa videntur. Qui enim Deus est omnium, D Deus dici voluit horum trium: *Ego*, inquit, *ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob*. Deus eorum, quia in tribus eis fides, spes, caritas, suis temporibus clariora fuerunt: *Non est*, inquit, *Deus mortuorum sed viventium*. viventes isti sunt, quia in eum qui vita est crediderunt, speraverunt, dilexerunt. Tria ista fides, spes, caritas, in præsenti vita simul sunt habenda. Servus Dei Abraham, dilectus Dei Isaac, sanctus Dei Jacob simul habuerunt ea, licet distincta signentur in singulis eorum, præcellenti quorumdam operum efficacia.

Gen. 12. 1.

Gen. 22. 18.

Matt. 22. 32.

E 8. Igitur antiquorum & istorum fides, spes & caritas, in uno Spiritu-sancto simul habita. Deinde in carne eorum circumcisio manifesta, & postmodum lex per Moysen data, sacra quoque prophetarum eloquia, & præcedentia quoque sancta mysteria, in CHRISTO JESU domino nostro integra & vera in unum pariter sunt impleta, ut sua persona apostolus dicit: *Quia in Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. hoc est non sub umbra, non sub figura, sed essentialiter. Ipse est corpus um-

Col. 2. 9.

brarum, veritas figurarum præcedentium, simul in se qui dat vitam mundo convenientium. Ipse est qui novam creaturam, novum creat mundum. Usque ad Christum omnes homines ex carne carnaliter geniti, omnes Adæ filii veteres, Christus novus de carne, sed non carnaliter, de Spiritu-sancto & Virgine natus est, novus homo, nova hominis conditio. Ipse est qui respondit Nicodemo: *Amen, amen, dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.* Et iterum: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Audis spiritum cum aqua. Unde scriptum est: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Ex aqua & Spiritu-sancto renascuntur homines & novi sunt: ex aqua visibili, ex Spiritu-sancto invisibili. Utrumque in baptismate renascitur, anima scilicet & corpus. corpus visibile anima invisibilis utrumque purificatur, in utroque fides operatur, in utroque peccata solvuntur. Antiqui patres nostri fideles & sancti regenerationem istam actualiter minime susceperunt, sed in Christo per fidem & sacramenta ea quæsierunt. Ad infernum descendebant, quia renati non fuerant, Christus ad eos descendit, & quos in sacramento fidei manifeste cognovit, secum eduxit, & ad cœlestia levavit. hi vero qui in præsenti unum facti sunt cum Christo, renati in Spiritu-sancto, si perseveraverint in hoc uno, ad inferna minime descendunt, sed obeuntes non morte gravantur, immo eam prætereunt, & ad cœlestia libere conscendunt: *Sic*, inquit, *Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ecce novus mundus, nova creatura ejus. *Deus*, ait Jacobus apostolus, *voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus*, mira & ineffabilis virtus Spiritus-sancti, quo vetustas mundi veteris aboletur, quo novus in Christo mundus vere creatur & aqua perenni sanctificatur.

Joh. 3. 3.

Gen. 1. 2.

Homo baptismate renascitur.

Joh. 3. 16.

Jac. 1. 18.

9. Ab origine peccati tenebræ erant super faciem abyssi; ab insurgente gratia Spiritus Domini ferebatur super aquas. *Quod natum est*, inquit, *ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est; spiritus ubi vult spirat, & nescis unde veniat aut quo vadat; sic est omnis qui natus est ex spiritu.* Carnalis homo non renatus in Spiritu qui Deus est, totus caro est. tenebræ super faciem ejus sunt, abyssus est; nescit eum qui renatus est ex Spiritu, quia Spiritus est. Ille tenebrosus est, ille illuminatus est. Dicit Apostolus: *Spiritualis omnia judicat, & a nemine judicatur; animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei.* Homines itaque renati, cœlestes sunt, non terreni. Talibus loquitur Christus, & dicit: *Ego sum via, veritas & vita.* Via, quæ depulsis tenebris &

Peccati tenebræ.

Joh. 3. 8.

1. Cor. 2. 15.

Joh. 14. 6.

A erroribus universis, ad veritatem ducit: veritas, super sole clarior, omni virtute corusca ad vitam perducit, vitam beatitudine plenam, fine carentem, in Deo consummatam & perfectam. hic est Deus & Dei Filius, a Patre missus, in Patre totus, venit ad nos homo factus, Virginis filius, personaliter unus, totus homo, totus Deus, inseparabilis, integer, indivisus. hic baptismum sanctificaturus, quo salvatur omnis mundus, fide & gratia renovatus, venit ad Johannem, descendit in Jordanem, Johannes prohibuit, & ait: *Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me?* & Dominus ei: *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam.*

Matt. 3. 15.

B

10. Igitur Christo baptizato & orante, apertum est ei cœlum, & *Descendit Spiritus-sanctus sicut columba in* Jesum, *mansitque super eum, & vox Patris audita est: hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Ecce notitia summæ Trinitatis quæ Deus est, oculata fide nobis manifestata est. Pater delapsa voce Filio attestatur, oranti Filio cœli aperiuntur, super Filium Spiritus-sanctus in columba requiescens aspicitur; hæc est summa Trinitatis notitia, implet omnem justitiam, omnium virtutum magnificentiam. Intra hanc Trinitatem medius assistit, qui renatus fonte salutari, eam assidue meditatur, adorat, diligit. Qui hanc Trinitatem scire negligit, manifestam contemnit, omni justitia vacuus, reus & iniquus remanet in peccatis: qui vero in Spiritu-sancto renascitur in baptismo, filius Dei est cum Domino nostro Jesu Christo, ei oranti desuper aperiuntur cœli, vox paterna ad eum loquitur: *Tu es Filius meus dilectus.* Super eum apparet Spiritus-sanctus, hic omni justitia supervestitur, factus est nova creatura in unitate, sacrata cum Deo in gloria.

Trinitas in Christi baptismate manifestata.

C

D

11. Lætatur itaque sancta memoria, videns emanantem fluvium in præsenti ecclesia spiritali efficacia, sicut scriptum est: *Egrediebatur fluvius de loco voluptatis ad irrigandum paradisum.* Super hoc Zacharias propheta: *In die illa erit fons patens domui David & habitantibus Jerusalem, in ablutione peccatorum & menstruatæ.* Attestatur ei propheta Ezechiel, per quem Dominus ejus quos educit ita loquitur: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab universis idolis vestris mundabo vos.* Hæc est aqua munda, quam præfiguravit aqua expiationis data per Moysen, jubente Domino, filiis Israël in deserto. Ecce nova gratia baptismi, abluenda omnium omnia peccata. Ex ista nova surgit creatura, adoptio filiorum Dei copiosa. Vocant isti Deum patrem suum, persequuntur Jesum Christum fratrem suum, tenent sibi Spiritum-sanctum peren-

In baptismate abluuntur peccata.

Gen. 2. 10.

Zach. 13. 1.

E

Ezech. 36. 25

niter datum. Ecce regnum Dei intra vos est, & assidue perficit. antiquus ille thesaurus in agro præcedentium patrum absconditus, figuris & ænigmatibus mysticis involutus, palam exponitur. pretiosa margarita emtori manifesta proponitur. hanc humilis caritas quantulocumque suo comparat, hanc elata cupiditas nullis suis magnificentiis comparare potuit, nec etiam contingere valuit amodo sagena in mari missa, omni genere piscium adimpleta, ecclesia scilicet, quæ neminem aspernatur, sed omnia congregat, ad littus applicanda perducitur. Ibi mali foras ejicientur, boni vero in vasa cœlestia recipientur: vasa bonis omnibus exuberantia, vasa plena Dei præsentia, dicit Apostolus hanc consummationem ecclesiæ præsentis intuitus, quod principaliter & ex Christo omnium sanctorum resurgendo ad vitam primus ascensione . . . . in gloria Deo Patri coæternus, in unitate Sancti Spiritus cum eodem Patre Deo, cum ipso Spiritu Deo semper unus Deus, dicit, quia expletis omnibus novæ creationis effectibus, peractis obedientiæ Christi cunctis operibus, deinde finis, finis præsentium operum, emolumenti terreni finis, consummans bona in bonum omnia finis, cum tradidit Deo Patri regnum, sed quod ipse creavit novum. Deus a Deo Patre missus, factus homo novus, cum tradiderit regnum, non dicimus regnum creationis antiquæ, rerum omnium universale, quod ex peccato corruit, quod sub morte remansit; sed regnum mundi novi, creaturæ novæ, regenerationis sanctæ, adoptionis divinæ. Regnum hoc Spiritus-sanctus qui super aquas ferebatur, emundavit, sanctificavit, inhabitavit. regnum hoc Deus Dei Filius, homo factus, præsentabit Deo Patri, ut sit consummatum, in uno Spiritu-sancto perenniter unum, claritate divina perspicuum, cum Deo sine fine beatum. Ibi non hujus vitæ præsentis erunt opera, bonorum operum merita, sed meritorum præmia, sed præmiorum gloria; merita, gratia cooperante; præmia, Domino largiente; gloria, fruendo Dei visione. Dies visionis Dei felix & beata persistit. *In illa*, inquit, *die cognoscetis, quia ego sum in Patre, & vos in me, & ego in vobis.* (Joh. 14. 20.) Sum in Patre una essentia, vos in me suscepti gratia; ego in vobis salus & vita. Die illa requiescent isti, in die septima sine mane & absque vespera, qui omnia fecit & facere non incœpit, quia unde inciperet utique non fuit, nec quare quies esset causam habuit, non assumsit unde inciperet, non laboravit unde quiesceret, agendo quiescit, quiescendo facit. Igitur operator ille quietus, quiescens operarius admonet nos, ut ex ipso, & per ipsum, & in ipso opera nostra faciamus, nihil extra quæramus. nec in nobis, nec in operibus nostris quiescere velimus, sed ex ipso, & per ipsum, & in ipso læti quiescamus, quem non in opere suo, sed ab opere in seipso, hoc est in die septima, sine initio, sine fine, sine vespera, absque mane quiescere novimus. Intra hanc inæstimabilem quietis beatitudinem assumti, quiescentes Dei filii benedicunt summæ Trinitati in unitate persistenti, voce jocunda, laude continua, concinentes alleluia, osanna, amen, notum cœlicolis carmen.

Explicit liber secundus.

INCIPIT TERTIUS
in laudem Memoriæ.

1. Laudabilis & prædicanda fidelis memoria per omnia currit, omnia conspicit, hæc humiliter ad Deum usque videndum sublimata, videt Deum actorem omnium spiritalium & corporalium; videt ea in mente divina, in ipsa sapientia, quæ æternaliter deposita sunt, videt ea in actu proprio quæ facta subsistunt, non eam præterita fugiunt, non eam præsentia deserunt, non eam futura suspendunt: videt Deum per omnia præsentem, in omnibus existentem, non contentum, sed continentem; non aliquo indigentem, sed omnia locupletantem. Hæc a superna sapientia semper illustrata in agendis omnibus rectum profert eloquium, sanum præstat consilium, verum promittit judicium, videt Deum essentialiter bonum, videt ejus opera, pro conditione, pro natura indifferenter bona, videt quædam inter cetera rationali intelligentia prædita, multimoda virtutum differentia perornata. Pro divinitus collata gratia bonus est qui condidit ea, ea bona sunt a bono bene condita, feliciter cum Deo & sub Deo currentia.

2. His taliter inspectis lætatur sancta memoria: sed ex adverso respiciens, subito turbatur, & admiratur insolita non naturalia, non a Deo condita, quæ in Deo nulla noverat nisi bona, quam cito contuetur mala ex insperato præcedentia, tumultuoso strepitu pervagantia, fere per omnia cum furore, cum pertinacia, cum blasphemia. Quæ sunt ista? nec ex Deo, nec per Deum, nec in Deo novimus esse talia. nec ex Deo, quia nec condita; nec per Deum, quia nec informia; nec in Deo, quia nociva. Quid igitur ea? ea esse substantiam si quæro non invenio; ea esse rem aliquam quo magis intueor, minus agnosco; sed ut verum fatear, sentio ea unitati contraria, pacem evertentia, pro nequitia sua confundunt omnia, turbant universos, & quod valde dolendum est, fere per ubique sunt ea in toto mundo, sine eis vix invenio aliqua. Quid ad hæc dicimus? fecit ea vel non fecit

(Mala nec ex Deo, nec per Deum, nec in Deo.)

Deus, siquidem Deus fecit universa, unus omnia, bonus bona: quare si ista sunt quæ bona sunt, non omnia creavit, qui bonus bona omnia fecit; quod si mala creavit, non sunt omnia bona quæ condidit; sed Deus omnia bene fecit, sed bonus mala nulla condidit. Si pie quæris apud Deum, omnia invenis, absque Deo nulla invenire poteris. Eapropter ista quæ mala dicuntur, cum inter omnia quæ sunt subsistere non inveniuntur, deprehensa sunt & cognita, decernente sana memoria, a privatione boni, a defectu virtutis utcumque nominari. Defectus quippe virtutis, & privatio boni conferunt eis nomina, quæ dicuntur pessima, nociva, damnabilia: quæ sic dicuntur, non quia sunt, sed quia bona non sunt, inhonestant corpora, maculant animas, inficiunt mores, hebetant mentes. Si ut sunt investigare niteris, invenire ea poteris in mente rationali angeli & hominis a veritate labentis, a Deo cadentis.

De peccato primi hominis. 3. Spiritus quidem illi qui dicuntur signaculum similitudinis Dei, & homines ad imaginem & similitudinem Dei conditi, debuerunt & potuerunt eum, a quo boni facti sunt, & gratiam perceperunt, super omnia videre, sequi & diligere, sicque merito caritatis supra se ad Deum elevari, poterant pro virtutibus supra naturam bonam meliores esse, feliciter vivere, boni permanere; sed abusi libertate rationalis arbitrii, prolapsi sunt ab uno ad infinita, ab immutabili ad mutabilia, a stabili ad inania, cupiditate perversi, ambitione sua profusi, prætulerunt creaturam creatori, mendacium veritati; tenuerunt pro justitia iniquitatem; incurrerunt pro vita mortem; creatura mendax, prævaricatione non natura, talia tam pessima concepit, tam enormia, tam exsecrabilia in mundo propinavit.

Sententia lata in peccantes. 4. Super illo leviathan tortuoso deceptore a Deo sententia data est: *Quia hac fecisti, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ, super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* *Gen. 2. 14.* Dixit omnibus diebus vitæ suæ, omnibus pro mala sua æternitate, vitæ suæ semper infelicis, miseræ sine fine. Super hoc dixit & mulieri male viro suo suadenti: *In dolore paries & subjecta eris.* Viro quoque pro inobedientia sententiam dedit, dicens: *Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* *Gen. 3. 17.* Vide ergo quid invenerit defectus a Deo, quid inobedientiæ prævaricatio. Defecit sathan a Deo, maledictus remanet, vescens terræ edulio, qui debuerat frui Deo. Inobediens primus homo, maledicta terra in opere suo, datus est in cibum ei qui terram comedit. Ipse enim terra remansit, cum ei prævaricatori dictum est: *Terra es, & in terram ibis.* Hic primus homo dignitatem perdidit quam acceperat, factus ad imaginem & similitudinem Dei; transgressus mandatum, maledictionem accepit; comedens inconcessum, mortem incurrit.

5. Ecce quid aversio a Deo, quid mandati transgressio in suis omnibus efficit, palam intueris. Vides qualiter creatura rationalis, quæ a Deo recedit, & se & omnia sua maledictioni subjicit, & mortis legibus intolerabilibus sese supponit; his malis obruti, his compedibus colligati, nullatenus possunt exire, nec ad pristinam libertatem redire, nec bona perdita recuperare. Habent quidem rationis arbitrium, sed minime liberum, quia bona quæ cum Deo agere poterant, sine Deo non possunt, quem transgrediendo reliquerunt. *De libero arbitrio.* Non habent libertatem arbitrii, quia non sunt liberi, servi facti sub lege peccati. Ab hac misera servitute solus potest eos liberare, qui solus libere potest omnia Filius ex Deo Patre; de hoc ipse dicit: *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis*; *Joh. 8. 36.* siquidem non possunt esse liberi nisi filii; nec possunt esse filii, nisi per Deum Filium in unitate Spiritus-sancti summo Patri pariter assignati. Extra hanc unitatem matris ecclesiæ nemo potuit bona facere, per gratiam potest quis operari bonum, sine gratia nihil nisi malum. Apostolus ait: *Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei;* *Rom. 9. 16.* quantumcumque velis, quantumcumque currere intendis, sine Deo, bene agere non poteris. Igitur liberum arbitrium angeli vel hominis, nisi cum Deo steterit, evitare mala, operari bona minime poterit. Isaïas ait: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum.* *Isa. 7. 14.* Butyrum de lacte animalis manus industria conficit, mel de rore cœlesti apis argumentosa sine fœtu integra colligit. In his duobus animales & spiritales solent intelligi, hos utrosque Virginis filius nobiscum Deus in ecclesia præsenti comedit, hoc est incorporat sibi, ut sciat, scire faciat reprobare malum & eligere bonum. Hoc est opus liberi arbitrii cum Deo judicandi, justitiam conservantis. Recte ergo judicat qui in se & in aliis malum reprobat, & bonum eligit. Si aliter judicat, seipsum condemnat. Super hujusmodi Apostolus ait: *Volentes suam constituere justitiam, justitiæ Dei non sunt subjecti.* *Rom. 10. 3.* sic deperit libertas arbitrii rationalis, sic gratiam perdidit, & amissa virtute summi boni, cum satana delitescit in lateribus aquilonis, in his regnat satanas, de cœlesti factus abyssus, de luminoso tenebrosus.

Satanæ regnum destruxit Christus. 6. Ejus regnum virtutibus vacuum, vitiis sordidum, immunditia fœdat, intemperantia dissipat, destruit discordia, mors obruit, *Mors*, inquit, *peccatorum pessima*, *Psal. 33. 22.* quia

quia in resurrectione tenebuntur sub morte perpetua; sed *pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*, quia resurgent a morte viventes cum Deo in æternitate. Ibi absorpta erit mors in victoria Christi, quia Christus, qui nihil morti debuit, mortem nobis debitam, sibi indebitam suscepit, & vitam quæ ipse est, quam non meruimus, nobis gratuito dedit. O admiranda Dei clementia! ô infinita misericordia! singulari virtute regnum satanæ potuit in nobis destruere, qui descendens a sede Patris, contra superbiam humilis advenit, & peccata destruens, satanæ regnum evertit. *Nunc*, inquit, *judicium est mundi, nunc princeps mundi hujus ejicietur foras*; ejicitur a cœtu fidelium, a sorte bonorum, & remanent super eum peccata sanctorum: qui peccatorum inventor ipse primus existit, qui peccatorum incentor idem usque permansit. ipse est profundum maris, in quo omnia flumina descendunt, in quo omnium omnia mala confluunt, *Et projiciet*, inquit, *omnia peccata nostra in profundum maris*. Mulier conterit caput ipsius, & ipse insidiatur calcaneo ejus, mordet ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro; calcaneo ejus insidiatur, qui finem boni operis elatione quantula inficere conatur, mordet ungulas equi qui principium boni operis elidit, & ascensorem retro redire facit. Pars stellarum eum sequitur, & expectat quod influat Jordanis in os ejus. tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, circuit terram & perambulat eam, nec ipsum Dominum dimisit intentatum, apostolos cribravit ut triticum, & absorbuit Judam furem suum; sed Deo gratias Latronem in cruce perdidit, & in inferno, triumphante Christo, victus cecidit. Ibi prædam bonorum, quam violenter tulerat, deprædatus amisit, fractusque remansit. Ibi apparente Domino fidelibus suis tunc habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Ibi Dominus fortis & potens in prælio, diabolum fecit debilem, stravit impotentem. Ibi Dominus virtutum ipse est rex gloriæ, leviathan vetustum dominum vitiorum, regem miseriæ, posuit sub æterna calamitate, solus in brachio virtutis suæ descendit & triumphavit, innumeros fidelium suorum a captivitate solvit, & liberos secum eduxit. Egrediente Domino & a mortuis resurgente, *Monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt*; scissum est velum templi, revelata sunt sacramenta temporis antiqui, apparuerunt sancta sanctorum, aperti sunt coeli cœlorum, ascendit triumphator cum innumero cœtu fidelium, & admirando miraculo homines puros ab inferis eductos, & de terris undecumque collectos, sua gratia perornatos, fecit in cœlestibus incolas novos, supernorum civium consortes & socios.

Psal. 115. 15. — Joh. 12. 31. — Mich. 7. 19. — Matth. 27. 52.

7. Ecce novum regnum, nova gloria firmatur in cœlis. Intrantibus nemo resistit, intrant meretrices, intrant publicani ea via, eo transitu quo & camelus deposito gibbo intrat per foramen acus. Hic deponenda est superbia, hic assumenda pœnitentia cum humilitate ferenda. Acus vera Christus propter scelera nostra vulneratus, omnia penetrat, omnia scrutatur, attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Hic est via sine quo nemo venit ad Patrem, hæc via filios perditionis, hæc & vasa iræ facit filios Dei, & vasa reconciliationis, & ad regnum, quod in cœlestibus ædificat novum, violenta manu misericordiæ perducit. In evangelio legis *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Idem ipse triumphator mirificus in hoc vitæ præsentis exilio facit quotidie de veteribus novos, de peccatoribus sanctos, solvit eos de compedibus Ægypti, educit eos de captivitate Babylonis, ex istis in Spiritusancto regeneratis, novis & sanctificatis, novum regnum facit in terris, uniendum novo illi regno, quod ipse novus ascendens super alta cœlorum felicitate perpetua sublimavit. De regno autem novo in terris Petrus apostolus ita sanctos alloquitur, dicens eis: *Vobis igitur honor credentibus*. Et in sequenti: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*. Et prophetam induxit dicentem sic: *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti*. Ecce novum regnum, novam ecclesiam ædificavit Christus, novus homo, non novus Deus, semper idem, semper totus: non duo, sed unus, unus in unitate personæ, salva utriusque naturæ proprietate: semper vere unus, catholice semper adorandus. Super maria eam fundavit, super flumina præparavit, super maria, super varietates & defectus nostræ mutabilitatis, super flumina, super æstus humanæ cupiditatis, super impetus hæreticæ pravitatis. Sed miserationes ejus super omnia opera ejus. Omnipotentis est simul omnia creare, ejus est & creata formare, ejus est & formata servare semper & ubique. Divinum est hoc & singulare, sed admiranda ejus misericordia, magna est super omnia ipsius opera. *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* pro nobis redimendis hominem factum, redemit nos de laqueis tenebrarum, eduxit nos de Ur Chaldæorum, traxit nos de luteo opere Ægyptiorum, quæsivit sceleratos, facinorosos, criminosos, quibuslibet sordibus involutos, nullos invenit nisi malos, lavit eos in sanguine suo, & dealbavit

Novum Christi regnum. — Matt. 11. 12. — 1. Pet. 2. 7. — 1. Pet. 2. 9. — Ibid. 10. — Admiranda Christi misericordia. — Joh. 3. 16.

eos, nova regeneratione fecit eos novos in Spiritu-sancto. in Jericho respexit Zachæum, in theloneo residentem vidit Matthæum, utrumque vocavit, ad eos intravit ipse & discipuli ejus in talium domibus. manducavit cum publicanis & peccatoribus, murmurant Pharisæi, & JESUS respondet eis, *Quia non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Euntes autem discite quid est, misericordiam volo, & non sacrificium. non enim veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam.* Qui se justos faciunt, eum non inveniunt. Si te peccatorem vere pœnitendo fateris, mox eum invenis. quæ erat in civitate peccatrix quæsivit eum in domo Simonis, festinavit ejus pedes osculari, lacrymis rigavit, capillis tersit, unguento unxit, dimissa sunt ei peccata multa, quoniam multum dilexit, & ait illi: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace.* hæc ab intemperantia peccandi transivit ad pacem Spiritus-sancti, & in ea permansit, quia caritatem Christi tenuit.

Matt. 9. 12.

Luc. 7. 50.

8. Assurgant igitur peccatores cum pœnitentia venientes, quærant sibi peccata dimitti ab eo qui sine peccato venit, & solus peccata dimittit, qui modo ineffabili, teste Apostolo, *peccatum se fecit*, ubi seipsum pro peccato hostiam dedit; mortem suscepit qui vita est; qui morte teneri non poterat, mortuus est, redemit nos a morte quam meruimus, dedit nobis vitam quam non merito, sed gratia suscepimus. O præcelsa sanctorum memoria, quæ talia recolis, quæ tam alta perpendis. Vides Deum hominem non permixtionem passum, sed persona unum. Ecce magnificentia salutaris, mala destruxit, & bona contulit, opus inæstimabile fecit, qui hominem eousque provexit, ut homo Deus fieret, in unitate Spiritus-sancti, quo unus est Pater Filio, & Filius Patri.

Quantum sublimaverit hominem.

Joh. 1. 12.

9. Igitur Deus homo Christus permanet unus ea majestate qua facta sunt omnia, qua permanent facta, qua videntur bona, sed opere supereminenti *dedit Deus hominibus potestatem filios Dei fieri*, non quia ex carne nati sunt, sed quia ex Deo in opere Spiritus-sancti per CHRISTUM JESUM renati sunt, & nova creatura, novus mundus, novum Christi regnum facti sunt. Ecce vides quia super omnia sublimantur homines; qui eos sublimavit, eis ita dixit: *Ego dixi, dii estis, & filii Excelsi omnes.* Hæc tanta, hæc præminentissima Deus Dei Filius homo factus contulit hominibus. Ipse est sapientia, *cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum* humilium & sanctorum, *Et cum simplicibus sermocinatio ejus.* Hæc sapientia pro septiformi gratia in principio septem dies primarios assignavit, secundum quos in tempore septem dies currere facit, & septem planetis harmoniam cœli decoravit; hæc in ecclesia præsenti septem columnas erigit, quæ sunt septem gradus honoris, per manum pontificis in promotione clericali. Hi sunt ostiarii, lectores, exorcistæ, acolyti, subdiaconi, levitæ, presbyteri. Hos episcopus Christi sapientia plenus, Christi vicarius, canonice consecrat manus impositione, cum oratione septiformem Spiritum-sanctum donat. his septem columnis ecclesiam sanctam valenter exaltat. In ea datæ sunt fidelibus septem preces, quæ Dominicæ dicuntur, quibus ad Patrem humiliter missis, septem dona Sancti Spiritus acquirunt; quibus donis copiose diffusis, septem beatitudines conferuntur: in precibus humilitas Deo loquitur, in donis magnificentia Dei humilibus prorogatur, in beatitudinibus pax hominibus bonæ voluntatis cum Deo perpetua firmatur.

Psal. 81. 6.

Prov. 8. 31.

Prov. 3. 32.

10. His ita progredientibus, memoria Deum aspiciendo lætatur, septiformis Sancti Spiritus oculum in uno angulari lapide CHRISTO JESU contemplatur, videt quia opus Sancti Spiritus est, quod ecclesiæ catholicæ hortus conclusus est, quod in horto concluso fons signatus est. Hortus conclusus est, ne serpens, qui in antiquo paradiso prævaluerat, in horto novo virtute Sancti Spiritus concluso, ingredi valeat. fons signatus est, ut omnis in eo renatus vitam æternam semper obtineat. Ecce sapientiæ thesauri reserantur, inestimabiles deliciæ proponuntur, in horto sapientiæ concluso herbæ salubres oriuntur, innocentiæ flores egrediuntur, arbores gratia prominentes multiplicato fructu maturescunt, balsama caritate pereffluentia, odore salutari universa perfundunt, perit qui bono odore moritur, vivit qui bono odore jocundatur, odor vitæ in vitam diligentibus, inseparabilem sanctæ Trinitatis unitatem profitentibus, JESUM CHRISTUM, Deum & hominem semper unum benedicentibus, ecclesiam catholicam in unitate Sancti Spiritus cum Deo unam, perpetuam, beatam, omnia possidentem, pace fruentem.

Ecclesia hortus conclusus


11. Ecce terra viventium, patria beatorum. in ea contuetur præcelsa memoria hominum corpora ex resurrectione procedentia, a malorum consortio sublimata: corpora sane, quibus singulis singulæ rationales animæ concreatæ fuerunt in unitate personæ; sed quæ non in Christo resurgent, non immutabuntur, quia sub peccato remanent. hinc ait apostolus: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Deinde mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Resurgent corpora humana, suis quorum fuerant spiritibus reparanda, in ea quantitate, in ea qualitate, quas absque vitio corruptionis debuerant accepisse processu naturali secundum mensuram ætatis plenitudinis Christi. Omnes

De resurrectione mortuorum.

1. Cor. 15. 51.

quidem resurgent, homines integri corpore, generati resurrectione. hanc profecto resurrectionem vocat Dominus ipse regenerationem cum dicit: *Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos judicantes.* (Matt. 19.28.) sunt equidem ad imaginem & similitudinem Dei homines facti, ut pro imagine cum Deo teneant æternitatem, pro similitudine Deo præsentent caritatem, quæ semper aspicit Trinitatem indivisam & simplicem. habent ideo resuscitari & astare suo plasmatori, omnium dominatori, ut palam appareat utrum similitudinem summæ Trinitatis tenuerint in exhibitione caritatis.

(Et extremo judicio.) 12. Ibi libri aperti erunt, conscientiæ singulorum revelatæ patebunt, manifesta erunt abscondita tenebrarum & occulta cordium, conscientiis accusantibus vel defendentibus coram omnibus cunctis videntibus. Ibi judicium erit, ibi finis. Tunc Angeli *Separabunt malos de medio justorum.* (Matt. 13.49.) mali namque quam multi in cœtu fidelium, sed occulti aliquando vixerant in communione sacramentorum, in participatione beneficiorum exteriorum. His exclusis & ad sinistram positis, dicetur: tollatur impius ne videat gloriam Dei: justis vero ad dexteram collocatis, de morte ad vitam, de ignominia ad gloriam, de miseria ad beatitudinem sublimatis, dabitur stola divinæ claritatis. hinc apostolus dum in præsenti laborabat, consolatus dicebat: *Salvatorem expectamus dominum nostrum* JESUM CHRISTUM *qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* (Phil. 3.20.) Et alibi: *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad superventuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* (Rom. 8.18.) talibus non intendunt, sed contradicunt, qui sola quæ carnis sunt sapiunt, qui eloquia divina non suscipiunt. Viderunt hominum corpora modis variis scissa & perdita, ventis propellentibus, aquis & aëri perefusa. Dicunt non posse recompaginari ea. Non est, inquiunt resurrectio mortuorum. amant vitam temporaneam, non quærunt æternam. Non attendunt evangelia, non prophetias, non legem, non agiographa: non considerant summi manum artificis, quæ sicut fecit omnia, sic tenet singula, sic colligit universa: manus illa in omnibus est potentissima, in reparatione corporum efficacissima: *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba.* (1. Cor. 15.52.) undecumque revocat ea, revocata reformat ea, reformata & ab impiis separata glorificat ea: *Nunc*, inquit Apostolus, *abscondita est vita vestra cum Christo in Deo. Cum autem apparuerit vita vestra Christus, tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria.* (Col. 3.4.) Ibi veritatem corporis non evacuabit gloria claritatis, sicut in CHRISTO JESU domino nostro naturam hominis assumti non depressit Deitas assumentis, sed perfectus Deus perfectus homo divina majestate consistit, qui potestatem dedit hominibus ex Deo renatis filios Dei fieri; ut quod ipse Filius Dei obtinet, cum Deo Patre per essentiam habeant, & isti cum Deo Filio facti filii per gratiam in unitate Spiritus-sancti, qua unitas universalis ecclesiæ semper una consistit beatitudine super eminenti per infinita sine labe temporum sæcula sæculorum feliciter. Amen.



HUGO
ROTHOMAGENSIS ARCHIEPISCOPUS.
SUPER FIDE CATHOLICA, ET ORATIONE DOMINICA.

Ex manuscripto codice bibliothecæ regiæ.

CArissime fili, EGIDI, archidiaconus appellaris, utinam esse merearis. gavisus sum gaudio magno, quia divinos codices inquiris, passim agiographa colligis. Si pie quæris, Deum in eis invenis. Quod si Deum in eis quærere negligis, legere poteris, perficere non valebis. Sic itaque in eis quæratur Deus, ut inveniatur. Invenies quidem Deum, si crediderís in eum. Qui credit & profitetur, & dicit: *Credo in Deum*, &c. attende quia credere Deum rationis

est, credere Deo industriæ, credere in Deum vita est. Scire debes quia credere fides est. Quia vero Deus invisibilis est, fide quærendus est. Fides eum quærit, spes invenit, caritas apprehendit. Itaque in præsenti fides in Deum tenenda est. Qui vere Deum quærit, & se & omnia refert ad eum, non quærit aliquid extra Deum: *Quid*, inquit, *mihi est in cælo, & a te quid volui super terram?* Et paulo post: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in domino Deo spem meam.* Iste fide vivit, qui nihil alicubi, sed solum Deum quærit, dicens: *Credo in Deum Patrem*, &c. Credo in Deum Patrem. Ecce per fidem meretur Deum habere patrem, non qualemcumque, sed omnipotentem. Probat omnipotentem esse, qui eum confitetur creatorem cœli & terræ. Intellige cœli & terræ, cum omnibus quæ ex eis & cum eis creata novimus esse. *Et in* JESUM CHRISTUM *Filium ejus.* Conjunge superiori & dic: credo in Deum Patrem omnipotentem, credo & in JESUM CHRISTUM filium ejus. Dicit ipse Jesus: *Creditis in Deum? Et in me credite.* Hoc vere consequitur, quia Christus est Deus. Filium, inquit, ejus, non quomodocumque Filium, sed unicum Dominum nostrum. Iste Patris omnipotentis filius, noster est Dominus. non ut illi qui positive dicuntur domini, sed unicus naturaliter Dominus, quia unus omnipotentis Patris essentialiter omnipotens Filius. Hic autem qui ex Patre Deus & Dominus est, nobis datus est, nobis homo factus est. *Qui conceptus est de Spiritu-sancto, natus ex* MARIA *Virgine.* Pro hoc adorando miraculo memorandum censeo, quia Deus Adam primum de terra virgine plasmavit, idem ipse Adam secundum de Virgine creavit. De hoc angelus Virgini respondit: *Spiritus-sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Attende, sicut terra nescivit, quando Adam primus ex ea factus est; sic nec sensit caro Virginis, quando Christum, operante Spiritu-sancto, concepit. Vide superexcellentissimam divini operis magnificentiam. Qui Deus de Patre est, Deus homo de Virgine una persona natus est. Homo factus *sub Pontio Pilato passus est*, judex omnium sub judice homine damnatus est. Sed qui nihil habuerat culpæ, nihil debuit pœnæ. Quid igitur pœnam suscepit, qui peccatum non fecit? Propter injuriam hanc, *Quæ non rapui*, inquit, *tunc exsolvebam.* Ecce mysterium redemtionis nostræ: Impassibilis passus est indebite, ut a nobis auferat debitum prævaricationis antiquæ. Crucifixus suspensus est in ligno, ut nos liberet a gustu mortifero in ligno scientiæ boni & mali olim usurpato. Mortuus, qui vita est, pro nobis in cruce moritur,

Ps. 72. 25.
ibid. 28.
Joh. 14. 1.
Luc. 1. 35.
Psal. 68. 5.

A ut in nobis mors nostra moriatur, & vita quæ Christus est, absorpta morte, vivamus. *Et sepultus.* Sepulcro conditus est, qui nullo clauditur loco, ut eruat nos ab angusto carcere nostræ damnationis, & elevet in libertatem gloriæ filiorum Dei. descendit ad inferna reis & captivis debita, ut inde suos eruat; & ne ibi descendant qui sui sunt, perpetuo claudat. *Ero*, inquit, *mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne.* Pensa ergo quia in morte Christi separata sunt anima ejus a corpore, corpus ejus ab anima; ut mors esse potuerit, ab invicem fuere separata. Attamen persona Dei & hominis B ab utroque disjuncto inseparata fuit. Persona enim Verbi Dei naturam hominis, non personam assumsit. Non est persona facta nova, dum unitus est Deus homini. Duæ namque personæ non possunt una fieri. duæ naturæ una persona utique solent uniri. Si persona Verbi assumsisset personam hominis, Christus non posset unus, sed duo prædicari. At vero unus est Christus, non permixtione naturæ confusus, sed unitate personæ perpetualiter indivisus. *Omnis*, ait, *qui solverit Dominum* JESUM, *anathema sit.* C Nec in morte est solutus, qui semper est unus. Homo quidem assumtus est a Verbo Dei sub tempore, sed persona Dei & hominis manet in æternitate. nec præjudicat tempus æternitati; sed æternitas præeminet tempori. Actus sane nullus imputatur naturæ, sed solummodo personæ. Igitur Christus non est recens Deus, sed ab æterno plenus & perfectus. Æternitate sua disponit universa, dispositione sua creat & ordinat. Inter ista valde bona satanas impius & homo devius sua sibi pessima insD equere mala. his satanas involutus malis miser remansit & perditus; sed miseratione motus noster Samaritanus, hominem qui ab Jerusalem descendebat in Jericho, & incidit in latrones, quem plagis impositis semivivum reliquerunt, sua liberare descendit gratia, curam ejus egit, pro quo pati, crucifigi, mori, sepeliri voluit, quem ab inferno liberavit. His igitur pro nobis in seipso perpessis, sua magnificentia superapposuit. Inde sequitur: *Tertia die resurrexit ab inferis.* Ex nostra pro nobis assumta pasE sus est infirmitate, ex sua, quam divinitus habet, resurrexit potestate. *Potestatem*, inquit, *habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Tertia die resurrexit*, tertia quidem pro tempore. Possumus & attendere hic, quia dum homo a tenebris peccatorum eruitur, & in baptismo renovatur fidei lumine, in diem agnitionis divinæ levatur. A prima ista die in secundam promovetur, dum auctoritate pontificali virtute ex alto superinduitur, & septiformi gratia confirmatur. Ad tertiam usque conscendit, quando ab omnibus iniquitatibus

Osee 13. 14.
1. Joh. 4. 3.
Joh. 10. 18.

&

& ab omnibus infirmitatibus in resurrectione JESU CHRISTI liberatur, & vita æterna donatur. De hac liberatione hominis in resurrectione Christi liberato illi propheta de Christo dicit: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* Primo iniquitates remittuntur, postea infirmitates ex iniquitatibus contractæ sanantur, non quandocumque, sed in resurrectione beata, qui filii ab omnibus debitis absolvuntur, qua ab omni malo nostro, qua & a satana malo per omnia nobis infesto liberabimur, informati precibus Dominicis, pleni virtutibus Spiritus-sancti, beatitudine Christi cum Christo glorificandi in dies æternitatis quietis Domini; qui non alicubi, sed in seipso semper quiescit, & consortes resurrectionis CHRISTI secum quiescere facit. *Resurrexit a mortuis.* Mortuis sub lege peccati, sub debito mortis: quæ Christus Dei Filius, qui peccatum non habuit, qui stipendium peccati mortem solvit indebite, in seipso & in suis omnibus victor fortissimus, & triumphator eminentissimus, omnino destruit. *Ascendit ad cælos,* a quibus numquam recedit, sed ad nos humanitatem nostram descendit suscipiendo, & peracta obedientia nostræ salvationis, ad confessionem dexteræ Dei Patris ascendit, & nomen quod est super omne nomen, & nomen cui omne genu flectitur, gloriam scilicet quam semper habuit, secundum humanitatem nostram exaltatus accepit. *Inde venturus est judicare vivos & mortuos,* qui pro nobis judicari venit in humilitate, venturus est judicare omnes in majestate. Vivos, tunc corpore viventes inventos; mortuos, ante corporis vita solutos; vel vivos in bonis aliquos nondum manifestos, mortuos in malis, sed adhuc occultos. *Credo in Spiritum-sanctum.* Recollige, simul totum tene. Dic: Credo in Deum Patrem omnipotentem. Credo in Deum JESUM CHRISTUM Filium ejus. Credo in Deum Spiritum-sanctum. Ecce fides tua Trinitatem confitetur, dum in professione tua Pater & Filius & Spiritus-sanctus nominatur. quia vero Patrem & Filium & Spiritum-sanctum non Deos, sed Deum prædicas, Trinitatem in unitate, unitatem in Trinitate nobis adorandam pie præsentas. Siquidem Pater & Filius & Spiritus-sanctus tres dicuntur personæ, non temporis emolumento discretæ, non locorum spatiis ab invicem semotæ, sed inseparabiliter persistentes in una & eadem Dei & Domini majestate. Non accidit Deo ut Pater fieret, non accessit Verbo ut Filius esset, non assumsit Spiritus-sanctus, ut ex utroque unus procederet. Etenim absque motu temporis, absque dimensionis termino, sine omni variatione vicissitudinis, dum principium non habet & fine caret, vera professio est. Deus

Psal. 102. 3.

A est Pater, & Pater est Deus. Deus est Filius, & Filius est Deus. Deus est Spiritus-sanctus, & Spiritus-sanctus est Deus. In hac beata & immutabili veritate nec Trinitas dividit unitatem, nec unitas abigit Trinitatem. Nosse debes quia homini facto ad imaginem & similitudinem Dei, hoc ineffabile mysterium catholicæ fidei dominus Deus revelavit. Unde ait: *Nemo novit Filium nisi Pater, & nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Revelatio hæc ex Spiritu-sancto est. Sapientia donat hunc Spiritum-sanctum, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum. Ausus est quidam aliquando dicere: hanc propositionem non concedo: Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus-sanctus. Hanc, inquit, rejicio, sed istam suscipio: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus-sanctus est Deus. Iste ponit in prædicato Deus, non vult poni in subjecto Deus. Dementatus iste ex sua prædicamentali constitutione, & more partium sæcularis doctrinæ nostræ. nescit quia Deus est Pater & Filius & Spiritus-sanctus; & e converso Pater & Filius & Spiritus-sanctus Deus semper est. Veritas ista non est humanæ rationi subdita, nec temporalis potest intelligentia videre divina. non enim sunt ei circumscripta, unde nec definiri, nec determinari ea possunt. Nomina & verba & dictiones quælibet inventionis humanæ, non possunt vobis ea incomprehensibilia sicut sunt assignare. Deus quidem, si more nostro dixeris, significat substantiam cum qualitate, sic Pater & Filius & Spiritus-sanctus pro nostra consuetudine. Hoc modo proposita aliena sunt a significatione divina. Deus enim non est substantia cum qualitate; non dicit, non agit aliquid apud se cum actione vel passione. nihil est ibi dissonum, nihil varium. Etpropter ratum tenet fides catholica, quia Pater & Filius & Spiritus-sanctus non significant cum accidentali differentia seu contingenti proprietate. Deus non potest non esse Pater & Filius & Spiritus-sanctus. Pater & Filius & Spiritus-sanctus non possunt non esse Deus. Ista dicimus, quia plures esse deos omnino negamus. Si enim essent plures, essent utique differentes; si essent differentes, alius alio plus minus haberet, sic & imperfecti remanerent & insufficientes. Audemus itaque, & contra leges disputationis philosophicæ, cum de Deo loquimur, hoc inferimus: si plures, & nullus. Idipsum Deus est simplex, & perfectum donum essentialiter est. nihil ibi ex prædicato refunditur in subjecto, nihil in subjecto crescit in prædicato. Divina quidem essentia non est susceptibilis contrariorum. Nihil ibi simile nostrorum prædicamentorum. Tandem ad apostolicum fidei symbolum redeamus. Ibi fides in Deum

Matt. 11. 27.

Patrem & Filium & Spiritum-sanctum, tantæ confessionis jugiter intuendum proponit effectum. Hæc Trinitatis quæ Deus est indivisa confessio ædificat in nobis sanctam ecclesiam catholicam. Intra istam catholicam suscipimus & amamus sanctorum communionem. In ea percipimus peccatorum remissionem. Ex remissione peccatorum speramus cum sanctis carnis nostræ resurrectionem in vitam æternam sine fine beatam. Amen. Deo propitio suscepimus fidem catholicam. A fide videamus orationem Dominicam. Ab oratione septiformem suscepimus gratiam: a gratia surgamus ad beatitudines complendas in die æternitatis, in præsentia summæ Trinitatis quæ Deus est, qui omnia novit, & potest, & habet.

Psal. 88. 2. MIsericordias Domini in æternum cantabo. Psalmista propheticus miseros homines nos inspexit, & misericordem Deum desuper attendit. Videt misericordias, & gratias agit. Lætatur & cantat, qui prius dolebat & flebat. Solerter intuebatur, quia quotquot sub motu temporalium, sub casu mutabilium nascimur, temporali vertigine rapimur, mutabilitatis voragine concludimur. His impliciti, cuncta quæ trahimus, & perdendo colligimus, & colligendo perdimus. Hæc autem dum anxie toleramus, altiori dolore concutimur, quia hæc tam gravia, tam importabilia jure debito sustinemus, tum pro culpis nostris originalibus, tum pro voluntariis & actualibus; pro susceptis ex traduce, pro completis ex opere; ex delicto propaginis, ex superfluo criminis. Duo ista, originalia scilicet & actualia, reos nos damnationi addicunt, morti subjiciunt. Sed, proh dolor! nec viribus nostris, nec opibus propriis nostra potest aboleri culpa, vel amoveri pœna. dum ista patimur, persæpe dolendo quærimus & dicimus: Mala ista nostra unde proveniunt? Summus & solus Deus creavit singula omnipotenter omnia, & ea bona pro bonitate sua, intra quæ nulla mala sunt condita, nec extra sunt aliqua. Nihil igitur sunt quæ dicimus mala. Attamen ista malitia, qua dicimur mali, quam non ponendo, sed removendo appellamus malum, sic dicitur non quia est, sed quia bonum non est. Nihil est itaque malum, quia non est a Deo conditum, qui conditor est universorum. Non invenis malum quid sit, sed mirum in modum, contra omnem rationis intuitum, in mente rationali angeli & hominis frequenter invenis ipsum; præter in illis, malum nusquam & numquam reperire poteris. Quid igitur est? Scito tum investigatione subtili, quia malum hoc dicitur, a defectu boni seu privatione caritatis. Caritatem sane tam homo, quam angelus erga Deum habere debuit, ut eum, a quo bonus factus est, pie cognosceret, sequeretur, amaret; & amoris merito se ipsum supra se humiliter elevans, & libero arbitrio universa transgrediens, Deum invisibilem, summum & omnipotentem oculo caritatis aspiceret; & sic exuta omni mutabilitate sua, ex ipso, & per ipsum & in ipso sine fine beatus maneret. De hoc tanto ac præcellenti bono theologus ille locutus est dicens: *Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Ab hoc intuitu tam 1. Joh. 3. 2. sancto, tam supereminenti vetustus ille satanas statim defecit, qui nec bonum aliquod umquam agere cœpit. *Ille*, inquit Joh. 8. 44. Dominus, *ab initio mendax.* mendax ab initio, non suæ conditionis, quia eum bonus conditor bonum sicut cetera omnia fecit; sed ab initio sui mendacii, quo statim cecidit, ubi ait: *Ponam sedem meam ad aquilonem, & ero similis Altissimo. Ponam sedem* Isa. 14. 13. *meam* elatio superbiæ est. *Ad aquilonem* præsumtio rapinæ est. *Ero similis Altissimo* idololatriæ prodigium est. Satanas elatus, præoccupator avarus, posuit in cœlum os suum, falso se efferens tamquam Deum. Iste non Dominum sibi, sed se ipsum superbiendo prætulit Domino. Suo mendacio sedem sibi ponere voluit aquilonem; quem non creaverat occupare præsumsit; quod non erat, Deum se facere invalidus & insipiens assumsit. Econtra Dominus dicit: *Ego sum Deus & non est alter, & præter* Gen. 41. 13. *me non est alius.* Igitur satanas origo schismatis, fons avaritiæ, puteus hæresis, contra liberum arbitrium stans, quod habuisse debuerat, sed nusquam habuit, recte cecidit suo mendacio collisus, cum suis sequacibus a cœtu beatorum penitus est exclusus. Hic ejus a Deo defectus, hic ejus a debitæ caritatis arbitrio recessus, hic a naturali intelligentia casus: malum est ipsi, malum exsecrabile, malum inexpiabile, malum satanæ proprium. Sic enim de eo Dominus in evangelio dicit: *Cum loquitur* Joh. 8. 44. *mendacium, de propriis loquitur, mendax enim est & pater ejus*, mendacii scilicet quod invenit. Ecce malum satanæ quo cecidit. Vide tamdem malum hominis, quo a Deo recessit. Adam maximus nostræ prævaricationis auctor primus, & iste rationali intelligentia claruit, qua liberi viribus arbitrii, quod ei contulit Deus, tantorum largitorem munerum benedicere semper & amare debuit: sed beneficiis ingratus, a ligno vitæ, quod ei Deus edere concesserat, prævaricando recessit; & ad lignum scientiæ boni & mali, quod ei Deus interdixerat, inobedienter accessit, falso audiente: *Eritis sicut dii, scientes bonum & ma-* Gen. 3. 5. *lum.* Mandato Dei transgresso, primi illi masculus & femina, qui Adam vocati sunt, ambo ceciderunt. Similitudinem deorum

male quidem affectaverant, & similes fieri pecorum meruerunt, & animales facti, animalium pellibus induti sunt. Qui ad imaginem Dei facti fuerant, Dei similitudinem amiserunt, a loco voluptatis expulsi sunt, & ad loca dolorum in vallem miseriæ corruerunt. Ecce malum hominis qui a Deo recessit, qui a caritate defecit, qui libertatem arbitrii rationalis obduxit, & cupiditatibus suis colligatus, in manu satanæ, cui male credidit, miser & indigus remansit. Ecce casus hominis, ecce ruina generis humani, ecce perditio universæ carnis; sed miseratio divina incomprehensibili & ineffabili bonitate sua miserum istum respexit; qui licet peccator fuerit, peccatum tamen non invenit, sed ab inventore, satana scilicet, perniciose suscepit. Ad hunc de manu satanæ misericorditer eruendum, missus a Deo Patre Dei Filius, Patri coomnipotens & coæternus, contra superbiam humilis descendit. Qui Deus est, homo fieri voluit: idem quod fuerat persistens, assumsit hominem, utraque essentia Dei & hominis permanente in unitate personæ. Misericordiam & miserationem induit, peccata nostra in corpore suo tulit, regnum satanæ in nobis destruxit, & regnum humilitatis, everso regno superbiæ, in nobis virtutibus ex alto collatis, Sapientia qui Christus est ædificavit. Super hoc propheta confortatus psallebat in Spiritu-sancto:
Psal. 88. 2. *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Nunc itaque in regno Christi renascuntur homines in Spiritu-sancto, & novi sunt; induuntur virtute ex alto, & sancti sunt. Regnum hoc non est de facultatibus terrenis, fallacibus & caducis; sed ex virtutibus septiformis gratiæ Spiritus-sancti, æternis & beatis. Stat Apostoli sententia,
Rom. 5. 20. quæ clamat: *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Septem quidem sunt Spiritus-sancti charismata, intra quæ sunt omnia bona, extra quæ nulla penitus nisi mala. Sunt igitur ista charismata requirenda, & per JESUM CHRISTUM obtinenda
Joh. 16. 13. precibus: *Ego*, inquit, *mittam Spiritum Patris mei in vos. Cum autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Hunc Spiritum veritatis mendax ab initio satanas non attigit, hunc Adam parens noster prævaricando perdidit; sed in regno humili, pacifico, spirituali, in ecclesia Catholica, de qua princeps vi ejectus est, dantur septiformis Spiritus-sancti dona mirifica. Ad hæc impetranda JESUS CHRISTUS septem vobis preces instituit, ut dona precibus impetrentur, & donis septem beatitudines acquirantur, & intra septem dies visionis divinæ perenniter habeantur.

1. Sic, inquit, orabitis: *Pater noster, &c.* Preces istas renati in baptismo, sanctificati in Spiritu-sancto, sancti filii Dei cum Chri-
A sto orantes dicunt, audiuntur, & dona percipiunt. Preces istas mandavit Filius Dei dicendas Patri, ut ex nomine ejus sanctificentur filii, ut regnum ejus adveniat in sanctificatis, ut in regno ejus fiat voluntas ipsius in filiis obedientibus, ut voluntati ejus obsequentibus panis vitæ detur quotidianus, ut filiis summi Patris mensæ participantibus, adhuc sub ignorantia & debilitate versantibus, debita dimittantur. *Scimus*, inquit, *quia in multis offendimus omnes.* & his dimissis, in tentationibus non in- Jac. 3. 2.
B ducantur, quibus in præsenti etiam sancti vexantur: unde bene precantur, ut a malo quantocius liberentur. Sed verba ista vel quælibet alia cur dicantur ei qui omnia novit? Scit quidem ipse omnia, quæ nobis sunt necessaria, & ipsi cura est de nobis. *Si*, inquit, *vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit Spiritum bonum petentibus se?* Petamus igitur, & audiamus Patrem Luc. 11. 13.
dicentem nobis: *Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit* Ibid. 9.
C *invenit, & pulsanti aperietur.* Nobis itaque utilia sunt verba quæ Patri dicimus, qui debilitate premimur, qui ignorantia retardamur, dum in præsenti sub mutabilitate versamur. Verbis quidem sanctis edocemur, & ad petendum excitamur, & orantes ab Omnipotente dona suscipimus. Dicamus itaque confidenter, dicamus *Pater noster.* Qui filii non sunt, hoc dicere non possunt. Humilis filius, qui Deum suum patrem fideliter orat, omnia se impetraturum certissime sperat. *Pater noster*, inquit.
D bene *noster* apponit, qui caritate trahitur, & ad tanti Patris bonitatem undecumque filios adventare lætatur. Sic Filius essentialiter in sinu Patris genitus, noluit esse solus, sed humilis descendit, & humiles quosque filios summi Patris fieri voluit. *Quotquot*, inquit, *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Joh. 1. 12.

2. *Pater noster qui es in cœlis.* Quid est quod dicitur in cœlis, cum ubique idem ipse omnipotens gloriosus habet persistere? Apostolus ait: *Ex ipso & per ipsum & in ipso sunt*
E *omnia.* Attende quia cum ubique est Deus, non tamen ubique cognoscitur. Sed & ubi agnoscitur, non tamen ab omnibus amatur. At vero in cœlis in quibus cum Deo feliciter vivitur, in quibus malum penitus non invenitur, in quibus sola caritas collætatur, in illis specialiter Deus est, Deus agnoscitur, Deus amatur.

3. *Sanctificetur nomen tuum.* Nomine summi Patris nihil sanctius, nihil beatius. Sanctificatio ejus nec incipit, nec desinit; nec augeri potest, nec minui. Sanctificatio siquidem nominis Patris magis pensatur in filiis.

In lamina aurea nomen tetragrammaton sanctum Domino scriptum ferebat Aaron in fronte sua, & sic coram filiis Israël sanctificatus apparebat. Ibi sanctificatio filiorum præfigurabatur, quæ per Spiritum-sanctum in nobis edita præsentabatur. E contra filii qui similitudinem patris sui nec vita tenent, nec moribus, nomen patris sui non sanctificant in semetipsis, sed dissimiles facti cadunt a nomine tanto, & jure filiorum privantur hereditario. *Quia*, inquit, *non sanctificastis me coram filiis Israël, non introducetis populum istum in terram, quam repromisi patribus vestris.* Deinde filii qui nomen patris sanctificant in semetipsis humiliter ei dicunt.

Deut. 32.51.

4. *Adveniat regnum tuum.* Super hoc propheta dicit: *Regnum tuum, Domine, regnum omnium sæculorum.* Regnum ejus manet indissolubile, perseverat immotum & stabile. Vide igitur quia regnum Dei quod in præsenti ecclesia jam caritas facit, unde dicit regnum Dei intra vos est, in nobis quam multis deficit, & iniquitas nostra Spiritu-sancto sæpissime resistit. Econtra filius humilis precatur & orat, ut in se & in quibuslibet debilibus filiis regnum Dei veniat, confortetur, & proficiat. Regnum Dei ædificat Christus, non incrementis corporalibus, sed virtutum profectibus. Regnum hoc humilitas custodit, ne superbia irrepere possit. Unde bene sequitur:

Psal. 144.13.

5. *Fiat voluntas tua.* Quid petit? Nonne ipse est qui omnia quæcumque voluit fecit? Non est certe qui ejus resistere possit voluntati. Sciendum autem quia in nobis, in nostris scilicet affectibus spontaneis, tam cogitationum quam locutionum simul & actuum eam fieri deposcit, ut quæramus quæ sunt ea quæ nobis imperat, & servemus quæ fieri mandat. *Sicut in cœlo & in terra.* Dicit psalmista: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* In illo cœlo cœli Dominum & agnoscunt & diligunt. Sic & in terra fieri peroptat, ut eum & hic agnoscamus, & agnitum diligamus. Vide quia ista tria quæ præmissa sunt, nomen, regnum voluntas, Trinitatis summæ nobis notitiam faciunt. Recte enim nomen patris prænotatur, adoratur, cujus paternitas in cœlis & in terra nominatur. Regnum Patris est Filius, qui vetusti diaboli regnum destruxit in nobis, & novum de novitate Spiritus-sancti de nobis effecit; regnum non hujus terrenæ mutabilitatis & caducæ volubilitatis, sed regnum virtutibus consitum in cœlestibus permansurum. *Non est*, inquit Dominus Pilato, *regnum meum de hoc mundo.* De his autem quos Dominus sibi regnum fecit, Petrus apostolus dicit: *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis; ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vocavit vos in* A *admirabile lumen suum.* Sunt itaque regnum summi Patris isti in Christo, & Christus in istis. De hoc novo rege novi regni fundatore Patriarcha prædixit: *Veniet qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium, in ipso gentes sperabunt.* Sperantes in eo regnum ejus erunt. Quod proposuimus prosequamur. Voluntas Dei Patris & Filii est Spiritus-sanctus, qui est summa caritas, quo Deus omnia fieri voluit & facta sunt: quæ Deus facta vidit ut maneant, & bona sunt. bona quidem pro auctore, pro natura, pro conditione; licet quædam mala dicantur B pro defectu boni, pro abusione liberi arbitrii, pro privatione caritatis. His omissis fidelis anima venerare semper & adora ineffabile nomen Patris tetragrammaton, sanctum Domino, præmonstratum in fronte summi pontificis. Adora omnipotentiam regni, quo ascribuntur filii perpetuo regnaturi. Adora unitatem voluntatis, qua nomen Patris & regnum filii stabilitate persistunt indissolubili: *Ego*, inquit Filius, *ego & pater unum sumus:* unum, quia Spiritus-sanctus semper est Patris & Filii essentialiter unus. Summa vere Trinitas Pater C & Filius & Spiritus-sanctus, non tres dii, sed unus singulariter adorandus, non pro Trinitate divisus, sed pro unitate collectus, non intervallis temporum effusus, non locorum partitione distractus, non graduum promotione sejunctus, regnat & imperat per infinita sæcula sæculorum.

Psal. 113.16.

Joh. 18.36.

1. Pet. 2.9.

Gen. 47.10.

Joh. 10.30.

6. Adorato Domino, jam nunc sequentia videamus, & in præsenti, quia necessaria, requiramus nobis. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* quis iste panis? Dominus ita dicit: *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi.* Et, *Panis quem ego dabo, caro mea est pro sæculi vita.* Qui hoc pane vivit, cuncta bona proveniunt ei. *Panem*, inquit, D *nostrum* audet dicere fides filiorum *quotidianum*, hunc Matthæus evangelista *substantialem* appellat. Super morem namque nostri panis terreni, vivus est & cœlestis panis cotidianus & supersubstantialis. Noster namque panis dum comeditur ipse consumitur. At ille supersubstantialis & cotidianus assidue comeditur, sed non consumitur, totus & integer vivus & verus permanet. Totus est in ore singulorum qui eo pascuntur, totum sumunt & non minuitur. *Da nobis.* Noster est, sed non a nobis. Habere non possumus, nisi dederit, datum E non tenebimus, nisi servaverit. *Da nobis hodie.* Hodie continua largitione. Audi requirentem: Domine, semper da nobis panem hunc. Panis iste datur filiis & vivificantur. Isto vivunt & deificantur. Ipsum vere jam tenemus per fidem, vivificati postmodum non in ænigmate, sed per speciem. Ipsum vero jam in præsenti comedimus, & ipsi qui vita est conformamur, & in futuro

Joh. 6.33.

Joh. 6.51.

turo

turo cum angelis & omnibus sanctis, nec fructu ligni vitæ in paradiso terrestri, sed vita ipsa perquam subsistunt omnia perfruemur in paradiso cœlesti.

7. Interim autem ut quietius panem supersubstantialem comedamus, supplicamus Patri: *Dimitte nobis debita nostra.* qui pascimur de mensa dominica, ne debitis astricti, retardemur a tanti jocunditate convivii: *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Qui immunem se esse desiderat, debitores suos immunes tamquam seipsum faciat.

8. *Et ne nos inducas in tentationem.* Videtur quia debuerat dixisse rectius: defende nos, ne inducamur in tentationem. Deus enim neminem ad malum trahit, neminem tentat, ut ad malum inducat. Ipse est enim qui vult omnes homines salvos facere. Nostris nos potius malitiis tentamur, & ad malum trahimur; sed si forte consideras, recte petit *ne nos inducas.* Non est enim cujuscumque diaboli vel hominis posse aliquod malum facere, nisi Domino faciente. Extra Deum mali mala facere semper intendunt; sed sine Deo, qui per eos mala bene jugiter operatur, operari non possunt. Super hoc propheta dicit: *Non est malum in civitate quod Dominus non fecerit.* (Amos 3. 6.) *Induravit*, inquit, *Dominus cor Pharaonis.* (Exod. 10. 1.) Et ad Pharaonem Dominus ipse: *In hoc ipsum excitavi te.* (Rom. 9. 17.) Et propheta super maledicente sibi respondit: *Dominus præcepit ei, ut malediceret David.* Idem quoque Domino dicit: *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris, & cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.* (Psal. 17. 26.) Pervertitur Dominus, quotiescumque malis cooperatur. Pervertitur Dominus, ubi ad satan super Job ita loquitur: *Tu autem commovisti me, ut affligerem eum frustra.* (Job. 2. 3.) Et adjecit tradens eum in manu satan: *Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva.* (Job. 2. 6.) Denique mendax spiritu a Deo mittitur, ut rex Achab decipiatur. *Decipies, ait Dominus, & prævalebis. Egredere & fac ita.* (3. Reg. 20. 22.) Et ad proditorem suum: *Quod facis*, inquit, *fac citius.* (Joh. 13. 27.) Summa quidem dictante justitia, licet nobis occulta, Dominus inducit malos ad agenda mala, quæ numquam in aliis aliquis agere potuit, nisi cum eum Dominus induxit. Ecce impotentia malorum tantum patitur omnino defectum, ut mala quæ eorum sunt, ipsi nequeunt facere, donec a Domino agendi potestatem accipiant.

9. *Ne nos inducas in tentationem.* hic est summopere timendum, & humili deprecatione dicendum, *Pater misericordiarum & Deus totius consolationis*, (2. Cor. 1. 3.) qui consolaris & misereri non desinis, ne peccatis nostris exigentibus, nobis male perversis, ipse nobiscum juste contra nos pervertaris. Si in tentationem videris perducendus, da pœnitentiam, muta judicium, da cum tentatione provectum. Non abjicias nos, sed audi supplicantes filios, audi pœnitentes reos, miserere nostri. Libera nos a malo, nostro pariter & a satana malo, malorum inventore malo, & omnium malorum suggestore pessimo.

10. Auditis a Domino septem precibus, audiamus & septem dona Spiritus-sancti, quæ septem precibus habent promereri. Ipse qui septem preces docuit, ipse idem septem dona Spiritus-sancti nobis in se ipso quærenda simul & invenienda proposuit, teste Isaïa qui ait: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* (Isa. 11. 1.) Ecce dona in ipso inventa, ab ipso requirenda, Patre largiente suscipienda. Septem dona septiformis Sancti Spiritus sunt gratia. Audis eum septiformem, ne sentias esse multiplicem. *Divisiones*, inquit, *gratiarum sunt, idem autem spiritus.* (1. Cor. 12. 4.) Adoramus quidem Spiritum-sanctum cum Patre & Filio essentialiter unum, sed effundit nobis largitione gratuita VII. dona carismatum. Spiritus-sanctus in precibus ipso aspirante quæritur, in donis suscipitur, in effectu cognoscitur. Igitur Domino mandante prætaxatas preces humiliter offeramus, ut a summo largitore, a clementissimo patre carismatum dona capiamus. Oremus igitur, ut in nobis nomen Dei sanctificetur, quo sanctificati spiritum sapientiæ suscipiemus in nobis, quo sapientes facti agnoscemus patrem essentialiter sapientem, adorabimus omnipotentem, diligemus omnia filiis largientem. Ea propter regnum patris omnipotentis omnia largientis supplices in nobis advenire quæramus. Ibi datur spiritus intellectus, quo filios in patre, & patrem in filiis conregnare in præsenti credimus, in futuro videbimus. *Nunc abscondita est*, inquit, *vita vestra cum Christo in Deo, cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & nos apparebimus cum ipso in gloria.* (Colloss. 3. 3.) Ad hoc consequendum voluntatem patris in nobis fieri deposcimus, & spiritum consilii a patre suscipimus. Præcipuum namque consilium a filio patris unigenito nos supplices adoptati audivimus. *Non veni*, inquit, *voluntatem meam facere, verum ejus qui misit me Patris.* (Joh. 5. 30.) Noluit satanas voluntatem Dei sequi, sed suam tenuit: unde & dignitatem gloriæ cœlestis perdidit; quia spiritum consilii numquam attigit. Sic & primi parentes nostri lignum vitæ perdiderunt, quia spiritum consilii non tenuerunt. Proinde filii tenentes voluntatem patris, panem quotidianum & supersubstantialem, panem qui de cœlo descendit orant sibi dari. Hunc ut comedant necesse est eos habere spiritum fortitudinis, ne satanas ille

panem vivum in præsenti tempore eis valeat auferre, qui parentes nostros olim separavit a ligno vitæ, qui etiam discipulos Christi ab esca dominica separavit. Ubi enim Dominus dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, quidam dixerunt: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Et multi nequitia spiritus obcœcati abierunt retrorsum, & jam non cum JESU ambulabant. Reliquis autem ait: numquid & vos vultis abire? At Petrus spiritu fortitudinis indutus, ait: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes*. Sumendus est itaque iste cibus in spiritu fortitudinis, quem non habuit qui ad cœnam hanc vocatus excusavit, qui villam elatus emit, qui juga boum quinque probare avarus intendit, qui uxorem duxit, & carnis illecebris deserviens, his exclusis illi fortes convivæ filii fiunt summi patris.

Joh. 6. 53. Ibid. 60. Ibid. 68.

11. Sed quia dum in præsenti vivimus, ad multa debiles & ignorantes sumus, orandum est ut debita dimittantur nobis, dum caro repugnat spiritui, & spiritus carni. Ad hoc datur nobis spiritus scientiæ a patre bonorum omnium largitore, ut sciamus dimittere, sicut dimitti deposcimus nobis. *Dimittite*, inquit, *& dimittetur vobis*. Et *si non dimiseritis, nec pater vester cœlestis dimittet vobis*. Propter hoc recurrimus ad patrem, supplicantes ei, ne nos inducat in tentationem, sed præbeat Spiritum-sanctum pietatis. Hic habemus intelligere pietatem, non ad quoslibet fusam misericordiam, sed assiduam divini obsequii singulariter debitam servitutem. *Qui adhæret Deo*, inquit, *unus spiritus est cum ipso*. Non potest igitur tentatione dejici, qui ad Deum spiritu pietatis jugiter intendit. *Orate*, inquit, *ne intretis in tentationem*, quam nemo evadit, nisi cum Domino tenuerit pietatem. Antiquus tentator, teste Domino, expetivit apostolos ut cribraret, scilicet tentatione, & tentati sunt, ita quod relicto Domino fugerunt. Petrus autem non solum fugit, sed & negavit: Judam vero proditorem factum furem pessimum ab apostolatu prolapsum absorbuit totum. Nemo itaque præsumat, nemo de se confidat. Qui stat videat ne cadat, sed in spiritu timoris deprecetur Dominum, & dicat: *Libera nos a malo*. Non potest homo omnino liberari, nisi maneat in spiritu timoris Domini, & protegatur a sanguine Agni, paschali angelo percutiente omnia primogenita Ægypti. Sub hoc timore spiritus Domini, esis agni paschalis carnibus cum azymis, cum lactucis, angelus transivit, Israël profunda rubri maris, vastam eremum pertransiit, Domini mandata suscepit, hostes superavit, terram promissionis præcellentem in bonis possidendam intravit, & ubique triumphator extitit, quamdiu sub timore Domini militavit. Timor iste non est peccati, sed Domini; non timor. quem foras caritas mittit; sed quem caritas elevat. Timor est filialis, qui semper timet offendere Deum Patrem, semper intendit evitare peccatum. Timor iste initium est sapientiæ, timor est qui permanet in sæculum sæculi. Permanet in domino JESU & in omnibus ecclesiæ catholicæ filiis. *Replebit*, inquit, *eum spiritu timoris Domini*. Ipse Deus ex Deo & cum Deo Patre unus Spiritum timoris sicut & cetera carismata donat & infundit. Factus homo nobiscum ea suscepit: similis nobis pro conditione nostræ naturæ; dissimilis nobis pro libertate justitiæ suæ. Ad hunc suspirabat, qui olim clamabat. *Rorate cæli desuper & nubes pluant justum; aperiatur terra & germinet salvatorem, & justitia oriatur simul*. Nos miseri cum peccatis nascimur, iste sine peccato natus nostra peccata tulit non sua, quia nulla habuit. Cum justitia exortus est, quia de Spiritu-sancto ex MARIA Virgine natus est. Ego, inquit Dominus, creavi eum sine carnis concupiscentia ex virginea integritate. *Verbum enim caro factum est & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis*.

Matt. 6. 15. 1. Cor. 6. 17. Isa. 11. 3. Isa. 45. 8. Joh. 1. 14.

12. Iste ad imaginem & similitudinem Dei secundum hominem factus est, perfectus Deus, perfectus homo; non duo, sed unus in unitate personæ nobis redimendis est datus. In eo non repugnavit caro spiritui, nec spiritus carni; sed sanctus & sanctificans semper est. A peccatis nos redemit, & redemtis gratiam præstitit. Septem precibus nos informavit. Septem donis Sancti Spiritus nos ditavit, septem beatitudinum gloriam præparavit percipiendam in dies plenos visionis Dei, perfectos in æternitate similitudinis beatæ Trinitatis, quæ in singulis oculo caritatis tota cognoscitur, & una in omnibus adoratur. Igitur qui preces, eo docente, cognovimus, qui ipso largiente dona suscepimus, beatitudines quas nobis præparat requiramus, & ad dies visionis Dei suspiremus: *Melior est*, inquit, *dies unus in atriis tuis super millia*. Dies Domini in atriis ecclesiæ præsentis melior est ceteris; sed dies Domini in æternitate beatitudinis indeficientibus exuberat bonis. Ipse in evangelio nobis beatitudines proposuit dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*.

Psal. 83. 11. Matt. 5. 3.

13. His ex ore Domini auditis, pensare de-

bemus, & septem preces Dominicas, & septem Sancti Spiritus dona, & septem beatitudines superappositas pia consideratione recolendas, & dies Domini sole justitiæ præclaras. Scimus enim quia fides in precibus operatur, quia in donis spes certa levatur, quia in beatitudinibus caritas gloriatur, quia in diebus Domini sancta Trinitas omnia in omnibus operatur. His quatuor intenti, quicumque filii nullo tentationum turbine superantur. Hostes enim suos orationibus repellunt, armis carismatum conterunt, beatitudinibus transcendunt, in diebus Domini perenni gaudio conquiescunt. Felix est iste progressus, qui ab humilitate precum scandit ad honorem donorum, sublimandus ad gloriam beatitudinum, permansurus intra dies æternæ felicitatis, in præsentia divinæ majestatis. In his agnoscitur noster dux ille mirificus, qui Via, Veritas & Vita nominatur, adoratur, amatur. qui dies æternitatis tenet in dextra Dei Patris. Ipse quidem via nobis est in precibus, veritas in donis, vita in beatitudinibus, gloria in diebus septem permanentibus. De eo Psalmista dicit: *Scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum, Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.* Ipse quidem dicit: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Trahit dum sanctificat nomen Patris in nos, & sapientiæ Spiritum nobis infundit, & pacificos facit & beatos, quia vocabuntur filii Dei in dies æternæ visionis Dei. Ipse quoque qui omnia trahit ad seipsum in vobis sanctificatis ex nomine Patris regnum constituit, & Spiritum intellectus infundit, quo mundicordes facit visione beatos Dei, intra dies divinæ contemplationis. Sed & in quibus regnum ædificat, his voluntatem patris tenendam mandat, & spiritu consilii perornat, ut misericordes facti, pro misericordia beati permaneant in claritate dierum Domini. His voluntatem Patris servantibus pro misericordiæ sanctis operibus panem præparat, & spiritu fortitudinis eos roborat, ut esuriendo justitiam, eos tandem plena saturitate beatos efficiat, ad dies refectionis æternæ perducat. Hic absolutos a debitis, sicut ipsi dimiserunt debitoribus suis, per Spiritum scientiæ ab omni luctu consolatos efficiet beatos in æterno dierum Domini gaudio. Iste ne inducantur in tentationem, labentibus filiis præstat auxilium, largitur in tentatione provectum, quibus dicit: *Confidite, quia ego vici mundum.* Hos in Spiritu pietatis mites facit, ut in terram beatitudinis æternæ possessores beatos ascribat in diebus pacis plenitudinis Dei. Postremo mirificatus iste filios liberat a malo, sub Spiritu timoris eductos, facitque beatos, dans eis pro paupertate præsentium, regnum cœlorum in sæcula dierum æternorum.

Psal. 4. 4. — Joh. 12. 32. — Joh. 16. 33.

14. Agnosce igitur quia petitiones orationum, & merita donorum spiritualium, acquirunt præmia beatitudinis & gloriam dierum fine carentium. Quia vero quosque bonos in præsenti vita degentes, insequuntur persecutiones, odia, maledictiones, & his similia, recte superapposuit post septem præcedentia, dicens: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, &c.* Dicit Apostolus: *Omnes qui volunt in Christo pie vivere, persecutionem patientur.* Caro siquidem quam de Adam trahimus, contra spiritum movet concupiscentiam, concupiscentia oculorum vanam suggerit gloriam, ambitio sæculi fert avaritiam. Vetustus satanas effundit nebulas errorum, ut præpediat iter electorum, sæva manus principum pie viventes persæpe tormentis afficit. Sed audiunt isti eum qui dicit: *Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigium ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in vita ejus.* Confortat Apostolus eos qui in Christo patiuntur. *Si*, inquit, *compatimur, & conregnabimus.* Et ne quis desperet in tribulationibus, proclamat Apostolus dicens: *Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit: quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum qui datus est nobis.*

Matt. 5. 10. — 2. Tim. 3. 12. — 1. Pet. 2. 21. — 2. Tim. 2. 12. — Rom. 5. 3.

15. Sed nec præterire debemus quin humiliter attendamus, quia Jesus Christus descendens a sede majestatis, nos miseros & abjectos quæsivit, & septem precum remedia nobis contulit, quæ ab altitudine sua usque ad infima nostra septem gradus proposuit. Etenim a sanctificatione nominis summi Patris incipiens, usque ad malum nostræ, confusionis a quo nos liberat, ordine septenario descendit. Sic & forma pari septem dona Spiritus-sancti a primo usque ad ultimum septempliciter nobis dignatus est impertiri. Qui a Spiritu sapientiæ usque ad spiritum timoris Domini septem carismata digessit. Beatitudines vero quas præparat in futuro, ab infimo usque ad summum ordinat, sicut nos ab inferiori nostro usque ad superiora sua divina & beata clementer elevat, qui Deus essentialiter permanens, homo fieri voluit, & homines sibi per gratiam adoptavit, & participatione gratuita deos facit. Hi per gratiam deificati, jam non intelligent invisibilia Dei per ea quæ creavit, per ea quæ fecit, sed in ipso creatore cognoscent omnia stabilia & immota, ut in arte ipsa. *Quod factum est in ipso vita erat.* Ibi cognoscuntur omnium mutabilium rationes immutabiles, & causæ mutabilium immutabiliter persistentes. Omnipotentis consilium manet immotum

Joh. 1. 4.

A super universa multipliciter fluida & labentia, super bona pariter & mala. operatur enim Deus per bonos pariter & malos, per bonos bonis in bonum; per malos malis in malum. Sapientia quidem ludit in orbe terrarum. hanc sancti vident & diligunt, & diligentes persistunt beati in die Domini, quæ clara & manifesta perenniter est. Joh. 14. 20. *In die illa*, inquit, *cognoscetis quia ego in Patre, & Pater in me est.* Hæc est illa septima dies, in qua Dei requies ab omni opere suo commendata est. Moyse narrante didicimus, quod creator Deus sex diebus omnia opera sua fecit, formavit, complevit; simul fecit, distincte formavit, perfecte complevit. Simul pro substantia, distincte pro forma, perfecte pro natura. Ista pro tempore seriatim dicimus, quia Deum sine tempore in principio pariter edidisse sentimus. Super his Moyses scripsit, nobisque mandavit:

Gen. 1. 3. 16. *Dixit Dominus, fiat lux, & facta est lux,* & sic de ceteris omnibus senaria narratione prosequitur, quibus ea quæ in ecclesia Dei fieri condiximus, attente coaptanda referimus, ait: preces & dona & beatitudines diebus primariis assignemus. Videamus itaque quia dixit Deus, *Fiat lux.* hoc verbum in mente divina manet æternum. *Et facta est lux.* siquidem est facta cum accepit esse suum cum proprietate sua. Ibid. 4. *Et vidit Deus lucem quia bona est.* Ecce respectus divinæ clementiæ super id quod conditum est. *Et divisit Deus lucem a tenebris*, dum rationalis intelligentia, veri luminis amore succensa, ruinæ superborum minime consensit, quæ nox tenebrosa remansit. Ibid. 2. *Et tenebræ*, inquit, *erant super faciem abyssi.* Sed quæ cum Deo stetit perfecta caritate in diem formari, diesque vocari meruit, & cum Deo beata perenniter vivit. Huic luci confirmantur, qui sub nomine Patris sanctificantur, & lux bona videntur, qui spiritu sapientiæ perlustrantur, & a refugis qui non sanctificant in se nomen Patris, tenebrosis & cœcis separantur. pacifici & beati, quia filii facti dies in gloria summi Patris.

Gen. 1. 6. 17. In Moyse quoque legimus: *Dixit Dominus: Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.* Hoc verbum stat in mente divina perpetuum, manet immotum. *Et fecit Dominus firmamentum.* Prout disposuit factum in actu processit. Gen. 1. 8. *Vocavitque Deus firmamentum cœlum.* Attende firmamentum, quia significat regnum, quod filii advenire deposcunt. Regnum hoc dicitur firmamentum, recte spiritu intellectus præmunitum, quod mundicordes custodiunt, beati videndo Deum, & aquas ab aquis dividunt, aquas scilicet quæ super cœlos sunt, laudant nomen Domini, ab aquis sub firmamento cœli, quæ comprimuntur & maria appellantur pro infidelitatis amaritudine & iniquitatum colluvione. Et bene dicitur firmamentum, cœlum, quia regnum Christi in manu summi Patris ex virtute Spiritus sancti a terrenis & mutabilibus exaltatum, factum est cœlum. De hoc cœlo Dominus dicit: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*: multæ pro diversis meritis caritatis unione conjunctis. Joh. 14. 2. Domus ista regnum est summi Patris, regnum vitæ & pacis. In die secunda; secunda non sub elogio temporis, sed sub gratia iteratæ considerationis.

B 18. *Dixitque Deus, congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in unum locum, & appareat arida.* Gen. 1. 9. Et in consequenti ait: *Germinet terra herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum.* Ibid. 11. Dicta sunt hæc in æternitate. *Et factum est ita*, apparuerunt facta cum tempore. Hæc terra mater est ecclesia. Deus fundavit eam super maria, præparavit super flumina, super maria, super instabilia mutabilium, super flumina malorum impugnantium. Inter ista filii, quia suis viribus nequeunt expediri, petunt in seipsis voluntatem Patris fieri. Unde & datur eis a Patre spiritus consilii, fiuntque misericordes aliis, qui misericordiam volunt sibi a Patre præstari, C ut producant herbas sementinas, bonorum operum fructibus excrescendas, & ligna pomifera virtutum promotione proferenda. Ista sine voluntate Patris, sine ope Filii, sine consilio Spiritus-sancti non valent in ecclesia præsenti crescere seu multiplicari. Ista sub obtentu summæ Trinitatis faciunt filii, nomen Patris sanctificantes, regnum ejus ædificantes, voluntatem ejus prosequentes, in libertate arbitrii, fidei, spei & caritatis, præsentantes in semetipsis notitiam Trinitatis, D & misericordiæ fructibus insigniti, manebunt beati in diem tertiam; tertiam non sub tempore colligatam, sed in præsentia Trinitatis, quæ Deus est, præstantissimam.

Gen. 1. 14. 19. *Dixit autem Deus, fiant luminaria in firmamento cœli, ut dividant diem ac noctem, ut sint in signa & tempora, & dies & annos, ut luceant & illuminent terram.* Ista & quæcumque facta sunt universa antequam fiant, manent in mente divina. *Et factum est ita.* Prodeunt cum temporibus & locis exhibita. E Vide mundum positum sub consideratione trium dierum, uno pro luce primaria in diem formatam; duobus, pro cœlo & terra aptata & posita. Deinde tribus qui sequuntur diebus ornatur mundus. Primo cœlum sole, luna, stellis. Dehinc aquæ piscibus & volatilibus suis, cum omni aquatico reptili. Postremo terra cum animalibus & quibusque suis motabilibus, cum homine inter ea quæ facta sunt præcellente. Itaque consideremus ornatum cœli, ejus scilicet luminaria mundum illuminantia, ordine

ordine suo currentia; signa temporalibus judicantia, non necessitate fatali, sed obsequio contingenti. Vident filii quia non est vita in varietatibus istis. Petunt ideo a summo Patre panem de cœlo qui dat vitam mundo; ad hoc suscipiunt Spiritum fortitudinis, quo esuriunt justitiam, quæ contra, ut dicunt, mendacia fatalia, & contra quælibet adversantia præstat victoriam. Hi stant in ecclesia facientes signa, virtutes scilicet & miracula. Vera sunt enim luminaria cœli. Isti in æterna vita saturati justitia plena & perfecta, erunt beati claritate luminariorum cœlestium in splendoribus sanctorum. Die quarta non sub tempore posita, sed virtutum splendore perenni corusca, apud nos quater considerationis ordine repetita.

Gen. 1. 20. 20. *DixitqueDeus, Producant aquæ reptile animæ viventis super terram, sub firmamento cœli.* Pensatur & hic auctoris potestas prævidens omnia. *Et produxerunt aquæ*, &c. Sicut erant prævisa, sic apparuerunt exhibita. His itaque cognitis, attendunt filii adhuc commorantes in aquis hujus vitæ fluctuantis, se inoffense omnino non posse progredi. Orant ergo sibi debita dimitti, & hoc jure quasi debito, quia dimittunt aliis. unde dicunt, *sicut dimittimus debitoribus nostris.* Hoc quia dimittitur eis, ex debito superappositæ conditionis accipiunt Spiritum scientiæ, ut quod sibi petunt fieri, faciant aliis. Hoc faciunt qui se a debitis absolvi volunt, tam illi qui in mundanæ conversationis fluctibus remorantur, piis viventes moribus & sanctis operibus, ne absorbeantur, quam etiam illi qui pennis virtutum ab aquis elevati, relictis omnibus, in cœlestibus conversantur. De hujusmodi est Apostolus dicens: *Conversatio nostra in cœlis est.* Conversatione degebat in terra, desiderio caritatis vivebat in cœlo. Utrique tamdem egressi de aquis malitiæ & iniquitatis hujus temporaneæ conversationis, evadunt luctum sæcularis commemorationis, beati in die æternæ consolationis, quam hic quintam nominamus. Quintam pro numero repetitionis absque varietate beatitudinis.

Phil. 3. 20.

Gen. 1. 14. Ibid. 26. 21. *Dixit quoque Deus, Producat terra animam viventem, &c.* Adjecit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Nota ista & singula quæque æternitatis verbo prævisa, dicta, prædestinata, immutabili stabilitate præfixa, sed cum facta sunt operi temporaneo mancipata, sed locali distinctione remota, inter ista intervallis temporum disparata, spatiis locorum ordinata, fecit Deus hominem præ ceteris elegantem. Et dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Vide & considera, quia hic non dixit Deus *Fiat*, sed *Faciamus*. Et *nostram imaginem*, ad imaginem suam & similitudinem exprimendam. Ceteris quæ aquæ produxerunt, quæ terra produxit, quia ratione carentibus, non dixit *Fiat*, nec *Faciamus*; sed dixit; *Congregentur aquæ, appareat arida, producant aquæ, producat terra animam viventem*, &c. Etiam primariæ luci & cœlo pariter instituendis, *Fiat* solummodo, non *faciamus* dixit: facturus vero hominem, non *Fiat*, sed *faciamus* dicere voluit, quia rationali, non irrationali mysterium Trinitatis revelare signavit. Produxerunt aquæ, produxit terra animam viventem, viribus animalis industriæ præditam; sed rationali intelligentia carentem, terrena solummodo non divina quærentem: hominem vero quem rationalem fecit, quem ad cognoscendam ineffabilem suæ majestatis Trinitatem instituit, plurali voce faciendum, scriptura revelante, nobis Deus innotuit dicens: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, ut pro imagine ad quam factus est, & pro similitudine quam ei integram servare debet, a quo est, Trinitatem creatricem diligat, & in omnibus eam esse, non solum fide, sed & intuitu rationis ostendat. Super quo manifeste videndo in septimo Dialogi *(a)* nostri libro egimus, quem venerabili MATTHÆO Albanensi episcopo destinavimus. Itaque filii ad imaginem & similitudinem Dei, sicut Adam primus, conformati, orant Patrem ne inducantur in tentationem, sicut ille qui tentatus cecidit, & similitudine Dei privari meruit. Orant & accipiunt Spiritum pietatis, quo mites & humiles facti, evadunt laqueos tentationis, quos nullus evadit, nisi pius erga Deum, mitis & humilis fuerit. Omnis enim coram Deo pius & mitis, terram beatitudinis possidebit. Die sexta: Sexta vero pro tempore fluida, sed pro senarii perfectione quieta. Senarius namque numerus perfectus est & completus, nec diminutus, nec superfluus, qui partibus suis, quæ quotæ sunt, intra senarium dici possunt, recollectis, perfectionem sui, cujus partes sunt, reportant senarii. Partes quippe senarii, quibus habet ipse metiri, sunt ista, unum, duo, tria, cum operibus sex dierum distributa: unum cum luce primaria creata & formata: duo, quibus mundus conditus est, cœlum scilicet & terra: tria, pro ornatu mundi; cœli primo, aquarum secundo, terræ tertio. Aspice trigonum, tria, duo, unum: collige in unum, comples senarium. Perfecit siquidem Deus omnia opera sua, scilicet ratione senaria apud se permanente rata atque perpetua. unde cognoscimus universa ejus opera non posse non esse perfecta. Sequitur.

22. *Et requievit Deus die septimo ab omni* Gen. 2. 2.

(a) Hos dialogorum libros habes in tomo quinto nostrorum Anecdotorum.

opere suo quod patrarat, & benedixit diei septimo, & sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo. Ad hanc Domini quietem, nisi extra se quæsitam, non aliunde susceptam, aspirant filii; ut possint eam assequi, orant a malo liberari, id est Spiritu timoris Domini, qui permanet in sæculum sæculi. Hoc suscepto, fiunt pauperes spiritu; & sic abjectis omnibus, beati sunt, quia ipsorum est regnum cœlorum, videntes quiescentem Dominum. Vident eum non pro opere suo fatigatum, non in opere completo delectatum. Nemo vidit eum operantem, sed novit operatum tam dies operum, quam opera dierum. Non a requie descendit ad laborem, nec a labore surrexit ad requiem. Quiescens agit, & agens quiescit. Nulla quies extra Deum, in illo quies est omnium. Quies ista completur in die septima, septem beatitudinum plena, septiformi virtute sancti Spiritus impetrata, septem dominicis precibus perquisita. Septima, non ut sex præfatis diebus numerando, superapposita; sed pro rationali intelligentia illis qui facti sunt, quæ facta non est prorogata. Illi namque qui facti sunt, vespera & mane concluduntur, finibus suis astringuntur. Ista sine vespera & mane, sine initio & absque fine præsentatur, in mente divina cognoscitur, in sinu sapientiæ inseparata versatur, in pace in idipsum Deo essentialiter coaptatur. Hæc est dies quietis Domini, qua in seipso requiescit, in qua requiescunt filii benedicti, sanctificati, beati. Igitur senario super sex opera dierum, super sex dies operum, inspecto, procedimus, & ad septenarium usque conscendimus, quo Deum in die septima ab omni opere suo requievisse, scriptura sacra narrante, didicimus. Senarius infra decem solus est perfectus numerus, inter perfectos primus; sed in die septima consummatur, dum quidquid intra ipsum agitur, tam dies quam opera, institutione primaria completur in septima. Hinc Moyses ait: *Complevitque Deus die septimo opus suum quod patrarat.* (Gen. 1. 2.) Quia vero senarium usque ad septenarium, quo completus est, elevari conspicimus, ipsum etiam septenarium usque ad perfectum numerum, qui intra centum secundus perfectus invenitur, incunctanter elevemus. Siquidem septenario quater accepto, dum summam colligimus, numerum, qui viginti octo dicitur, invenimus. Eo proposito, ejus perfectionem exquiramus. Partes ejus quæ infra ipsum quotæ dicuntur, cumque arithmetica ratione metiuntur, divisas & recollectas strenue videamus. Unum procul dubio ipsum viginti octo, sicut ceteros numeros, prima sui positione metitur, & quatuordecim bis acceptus, idem operatur. Septem quoque quater assumtus, ad hoc idem progreditur. Recollige itaque partes istas, quatuordecim sunt, septem, quatuor, duo, unum, congesta simul viginti octo reponunt integrum & totum. Videndum insuper, quia septenarius infra decem positus, numerum generat nullum ab unitate usque ad denarium. Unitas quippe totius numeri limes est, primus decem, secundus centum, tertius mille, quartus.... Sed ne computando supereffluas, pone tibi modum ne rapiaris, & corruas infra immensum interminatum: multitudo enim, si numerando non deficit, crescit in infinitum: magnitudo vero decrescit distracta per numerum. His occupandis curiosus aptet ingenium. Redeamus ad septenarium: non habet sui metientem, nisi solam unitatem, unitas hæc sola eum constituit, sola metiendo custodit. His de causis septenarius unice simplex & simpliciter unus speciali prærogativa virgo numerus appellatur, recteque septenario virgini monas integra jungitur, dum eum quem sola genuit, sola metitur. Senex David manu fortis, visu desiderabilis, in gremio virginis refovetur. Felix quies intra sacrarium virginitatis septenarii Spiritus-sancti. Interea spiritualis oculus gratia Dei sublimiter exaltatur; videt, quia senarius prætaxatus terreni mundi hujus præsentat opera Deo dicente condita, Deo agente formata, Deo servante integra. At vero septenarius virgo jure nuncupatus, regni cœlestis, ecclesiæ spiritualis jure permanentis pandit insignia. assignat nobis intuendos rationalis intelligentiæ septem dies, filiorum summi Patris septem beatitudines, collata filiis septem dona Sancti Spiritus, quærenda septem precibus Dominicis, Filii cum necdum meritis valeant, precibus exquirunt gratiam, adjuti gratia, sumunt carismata spiritualia divina. His perornati quærunt beatitudines, quas inveniunt apud dies intra quietis Domini beatitudinem permanentes. In his quadrifarie numeratis septenarius virgo numerus quater invenitur, & quater invento septenario, simulque collecto, ratione perfectus, numero secundus, numerus XXVIII. præsentatur. Ista pro septuagenarii commendatione collegimus, qui quater, hoc est omni tempore semper est adorandus, nec multiplex, sed unus cum Patre & Filio Deus. In hac fide, gratia cooperante, spe certa levati, caritate ad similitudinem Dei reformati, offeramus sanctificatas Patri nostro preces, impetremus a Patre nostro virtutes, teneamus virtutibus cum Patre nostro beatitudines, faciamus apud Patrem nostrum felicitatis dies, non temporaneos, sed æternales; dies visionis divinæ, qua Pater in Filio, Filius in Patre, Spiritus-sanctus in utroque semper aspicitur, feliciter amatur, perpetua laude glo-

rificatur, non plures dii; sed essentialiter unus plenus & perfectus. Hæc ineffabilia fide quærenda, spe contingenda, caritate possidenda, diebus Domini plena & perfecta videmus aliquando tempore præsenti mirando signaculo, mystico mysterio, ecclesiæ catholicæ proposita. Facta est enim in monte sancto hujus septenarii sancti sancta denuntiatio, ubi attestatur Filio vox Patris de nube, ubi Filius apparet glorificata facie, ubi Moyses & Elias visi sunt in majestate, ubi Petrus & Jacobus & Johannes insolita lætantur admiratione. Tres isti pro Trininitatis mysterio, duo illi pro legis & prophetiæ documento assistunt Christo gloria & honore decorato. Suscipiunt Patris mandatum de Filio semper audiendo:
Luc. 6. 35. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Ecce vides sancti Spiritus septenarium præcipue commendatum. In hac manifestatione Patris & Filii pensatur æqualitas, in Moyse & Elia præsto sunt lex & prophetia, in Petro & Jacobo & Johanne signatur Trinitas semper adoranda, in omnibus essentialiter una, in diebus æternitatis manifesta.

23. Tandem in calce operis, aspirante Domino terminandi, recolamus ecclesiæ præsentis exordium orientis, provectum provectæ, complementum perenni gloria consummandum. Exorta est siquidem per fidem præsens ecclesia, patriarcharum & antiquorum fide progenita, legis censura, & prophetarum doctrinis educata, apostolorum & evangelistarum atque doctorum ubique terrarum virtutibus dilatata, cum CHRISTO JESU universorum Deo & Domino sponso suo, stola beatitudinis perornanda. Nos denique tantæ matris filii ab Ægyptia servitute, digito, signis & prodigiis liberati, dum sub angustia temporis agno paschali pascimur, septem dies azymorum observare jubemur, qui cum Apostolo protestamur, quia *Pascha nostrum immolatus est Christus;* unde idem sequitur di-
1. Cor. 5. 8. cens: *Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ;* malitiæ, in perpetratione peccatorum; nequitiæ, in pertinaci defensione malorum; A *sed in azymis sinceritatis & veritatis;* sinceritatis pro concupiscentia carnali semota; & veritatis pro perseverantia in fide catholica. Eapropter Deo Patri septemplici precum devotione suppleamus, & impetrata precibus gratia, septem donis Sancti Spiritus superinduamur, & ad septem beatitudines suspiremus, quas intra septem dies beata visione summæ & individuæ Trinitatis, unius & simplicis Deitatis, adipisci deposcimus in unitate sanctorum omnium, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

B

EPISTOLA HUGONIS archiepiscopi Rothomagensis, ad Innocentium papam II.

De obitu Stephani regis Anglorum.

DOmino & patri suo INNOCENTIO papæ, servus HUGO Rothomagensis sacerdos, obedientiæ debitum.

De domino meo rege, non sine dolore memorando, piæ paternitati vestræ notificandum duximus; quia subita præventus ægritudine, nos, missis quam citissime legatis, ægritudinis suæ solatiis voluit interesse. Venimus ad ipsum, & cum ipso plenum C mœroribus confecimus triduum: prout ei dicebamus ipse ore proprio sua fatebatur peccata, & manu propria pectus suum percutiebat, & malam voluntatem dimittebat. Consilio Dei & nostro & episcoporum emendationem vitæ suæ observaturum sese promittebat. Sub ista promissione pro nostro officio tertio eum & per triduum absolvimus. Crucem Domini adoravit, corpus & sanguinem Domini devote suscepit, eleemosynam suam disposuit ita dicendo: Solvantur debita mea, reddantur liberationes & solidatæ quæ debeo; reliqua in- D digentibus distribuantur. Utinam sic fecissent qui thesauros ejus tenebant & tenent. Tandem illi auctoritatem de unctione infirmorum, quam ecclesia a beato Jacobo apostolo suscepit, studiose proposuimus: & ipsius pia petitione, oleo sancto eum unximus; sic in pace quievit. Pacem det ei Deus, quia pacem dilexit.



MAGISTRI HILDEBRANDI
LIBELLUS DE CONTEMPLATIONE.

Ex manuſcripto codice Himerodenſis monaſterii annorum circiter 500.

1. EX lectione evangelica Matthæi, quæ A incipit, *Cum natus eſſet* JESUS, &c. ubi beatorum trium Regum commendatur Domini JESU fidelis & devota viſitatio, ſubtiliter, duce gratia, inveſtiganti tria occurrunt, in quibus recte & ordinate diſtinctis, & ſingulis per tria membra diviſis, quæ collecta in novem creſcunt, inveniri poterit, ſed nonniſi ab eo qui vere dilecti JESU languet amore, ſtatus & modus veræ contemplationis. Primum eſt trium Regum fidelis & devota pueri JESU inquiſitio. neque enim inquiri poterat, niſi a fidelibus & de- B votis. Unde habes : *Magi venerunt ab Oriente Jeroſolymam dicentes : Ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum?* Secundum eſt ejuſdem Domini JESU læta & grata inventio, quia revera plenum prorſus omni gaudio invenire & videre Hominem hominis conditorem, de quo habetur : *Videntes ſtellam gaviſi ſunt gaudio magno valde, & intrantes domum invenerunt puerum.* Tertium etiam ipſius humilis & diſcreta adoratio. non enim Deo accepta ſunt vota, niſi humilium & diſcre- C tarum animarum. Unde ſequitur : *Et procidentes adoraverunt eum, & apertis theſauris ſuis, &c.*

2. Notandum igitur quia inquiſitio habet deſiderium, inventio gaudium, adoratio cum oblatione miniſterium. Ex deſiderio inquiſitionis cauſatur gaudium inventionis, & gaudium inventionis conſequitur miniſterium adorationis. Et quod deſiderium eſt motus quidam animæ rationalis, quem habet in virtute concupiſcibili : qui motus cauſatur a deſiderato, ſicut dicit philoſophus, quod deſideratum movet deſiderium, & noſtri deſiderii ob- D jectum non eſſe debeat niſi ille qui totus eſt deſiderabilis, quod etiam in ipſum deſiderant angeli proſpicere, & de quo propheta : *Ecce veniet deſideratus cunctis gentibus*, & Pſalmiſta : *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Si bene & recte ex deſiderato, ſcilicet Deo, noſtræ mentis cauſatum & motum fuerit deſiderium, tota in ſe videbitur continere.

3. Primum eſt ſpei fervida & devota præſumtio. Nihil enim inquiritur cum deſiderio, niſi vere ſperatum, & quidquid ſperatur, deſideratur & inquiritur, & ſpes in ipſum ſuſpenſa, quia non eſt præſentium, ſed futurorum, certam ſui habere debeat, ſi vera eſt, expectationem, cum fiducia adipiſcendi ipſum. aliter enim vera non eſſet. Habeat etiam ipſa de adipiſcendo ſpei præſumtio extenſionem in interius : quæ extenſio ſpei in ſperatum, quia differtur, affligit animam, & ipſam donec deſideratum inveniat, reddit circa inquiſitionis negotium inquietam, ſicut dicit Auguſtinus : Domine, feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.

4. Recte ſequitur ſecundum, quod eſt ſollicita & inquieta in inquirendo mentis exercitatio. Quo enim amplius a deſiderato vel ſperato movetur deſiderium, eo amplius exercitatur ſpiritus circa inquiſitionis negotium : unde Pſalmiſta : *Renuit conſolari anima mea*, quia videlicet præſentem quem inquiro & deſidero, non habeo : *Memor fui Dei & delectatus ſum*, in ſpe ſcilicet inventionis, ſicut dicit beatus Bernardus : Interim dum differtur præſentia, ſuavis eſt memoria. *Et exercitatus ſum* officio inquiſitionis, *& defecit* nimirum *ſpiritus meus*, ſuſtinere non valens moram tam diuturnæ expectationis. Revera namque animo deſideranti nihil ſatis feſtinatur, numquam nimis feſtine deſideratum præſentatur. Quæ ſtudioſa ſpiritus Deum inquirentis exercitatio commendatur in Canticis, ubi dicitur : *Surgam & circuibo civitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.* Videns enim ſponſa in lectulo corporis & negligentiæ ſponſum nullatenus invenri poſſe, ſe ferventer in exercitium expandebat ſtudioſæ & operoſæ inquiſitionis. Ceterum quia iſta animæ inquietudo non circa plurima, ſed circa unum, quod ſolum neceſſarium, eſt ſollicita, & dedignatur exterioribus & tranſitoriis occupari, quæ plerumque impedire ſolent & retrahere animum ad æterna & permanentia bona ſuſpirantis, congrue ponitur tertium, quod eſt mundi & omnium mundanorum contemtus & oblivio.

5. Non enim ſimul poſſunt tranſitoria & æterna diligi. Cum ergo ſit Deus bonum tam

tam æternum quam summum, tam incomprehensibile quam incommutabile, quomodo se ad diligendum aliquid commutabile inclinat, qui ipsum comprehendere festinat? Unus enim ipse, non uni, sed omnibus sufficit. Satis unus ipse tibi sit, sine quo omnia nihil sunt. Sine ipso nihil tibi non solum satis, sed nec aliquid sit. Quis mihi det omnibus quæ ab ipso sunt privari, & ipso solo æternaliter donari? Non est, domine JESU, quod habere velim vel debeam, si te non habeam, nihil mihi sine te jucundum, nihil abundum. Magis mihi bonum non esse, quam sine te esse. Velim quid velis, nolim quod nolis. Vis me te solum velle, nihil umquam amplius possim velle. Velle meum ad te liberum sit, nulli a te extraneo obnoxium. Si tamen te veraciter & efficaciter voluero, nihil extra te velle potero. Dulciscime JESU, dulcescat mihi dulcedo tua suavis & vera. Influat animæ meæ deitatis tuæ sapor mellifluus, extricet a præcordiis meis omne quod temporaliter sapit. Præ dulcedine tuæ desiderantissimæ visionis, vilescat mihi omnis affectus transitoriæ delectationis. Concupivit anima desiderare te, si satis non fuerit secundum te, concupiscat amplius sicut libuerit de te. Suspendium a temporalium ambitu vel amore, o dilecte JESU, elegit anima mea, & mortem ossa mea. Trahe me post te, non me relinquas circa me. Si me derelinquis, delinquam; & certe scio, si delinquero relinquis. Noli ergo derelinquere me, ne delinquam; sed meum est si deliquero, non tuum. Sin autem, tuum est non meum. Age, benigne JESU, totum me in sinum tuæ misericordiæ depono. A te bono, si dederis, bonus esse potero. Bonum depositum custodi. Scio enim cui credidi, & certus sum quia potens es depositum meum servare in illum diem. Inquirenti igitur Dominum necessarius est hujus mundi, & omnium quæ in ipso & ad ipsum sunt, contemtus, sicut dicit Johannes: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in ipso sunt.* Et Paulus: *Posteriora oblitus, ad anteriora me extendo.* Quisquis ergo es, qui Deum spe fervida & sollicita exercitatione inquiris, si te terrenis actibus & terrenorum affectibus minus implicaveris, sicut nec usquequaque verum in inquirendo desiderium habere convinceris: ita nec de inveniendo plenum consequi poteris.

1. Joh. 2. 15.
Phil. 3. 13.

3. Convertamus igitur mentis oculos ad tria posita, quæ ex motu veri desiderii procedunt, & facile patebit quia quodlibet eorum recte alterum consequar. Spes enim amore sperati se extendit ferventer ad inquirendum; sollicita mentis exercitatio perseverantiam præstat in inquirendo; discreta temporalium oblivio impedimentum tollit in inquirendo. Primum, scilicet spes, excludit diffidentiam; secundum, id est studiosa exercitatio propellit negligentiam; tertium, videlicet mundi contemtus omnem exterminat resistentiam. Eia benedicite JESU, spes mea, expectatio mea, amor meus, verbum mihi ad te, verbum de te, verbum plenum doloris & miseriæ. Tu qui Verbum es, unigenitum Patris ingeniti, propter me factum caro, Verbum de corde patris eructuatum, Verbum quod semel loquutus est Deus, Verbum quo mihi his novissimis diebus locutus est pater tuus cœlestis, dignanter audi mei cordis verbum ad te Dei Verbum plenis desideriis eructuatum. Audi & vide quia tristis est anima mea & conturbat me, dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus? Non est quod respondeam, absentem te esse timeo, præsentem non sentio. Ardens est cor meum, desidero videre Dominum meum. Ubi enim est præstolatio mea & patientia? Tu es domine Deus meus. & quid faciam? Quæro, & non invenio; concupisco, & non video; sequor, & non apprehendo. Quæ est fortitudo mea ut sustineam, aut quis finis meus ut patienter agam? Quid animæ meæ tristius? quid miserius? quid molestius? Putas, dilecte, tristitia mea vertetur in tuæ visionis gaudium? Miseria in tuæ cohabitationis contubernium? Molestia in tuæ comprehensionis colludium? Loquere ad cor animæ meæ. Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Audiam quid loquaris in me, domine Deus meus. Dic animæ meæ: Salus tua ego sum. Dic amplius, Domine, & sic dic ut audiam: *Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* Eia verbum Dei Patris, hoc est quod audire volui. Lætatus sum in his quæ dicta, sunt mihi. Sonet hæc vox tua in auribus meis. Vere enim ista vox dulcis, immo dulcior omni voce citharœdorum citharizantium in citharis suis. Convalescat hæc beata vox in intimis animæ meæ, nec foris erit quod audire libeat. Sufficiet enim mihi, si te de me dicturum scivero beatis illis ministris & internunciis gaudii mei: Ite & adducite ad me. Optabo tamen & sperabo illud tuum verbum omni desiderio plenum circa me implendum: quod dixisti sanctis apostolis tuis: veniam & accipiam vos ad me ipsum. Ego ipse qui loquebar: Ecce assum, ego veniam, ego accipiam, ut ubi ego sum & vos sitis. Hæ jocundæ promissiones & consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Interim, dum moram feceris, expectabo te, licet, si, ut sentio, loquar, vere incolatus meus nimis sit prolongatus, nimirum habitantis cum habitantibus Cedar, sciens & frequentissime recolens, quia sicut lætantium habitatio est in te, ita vallis me premit lacrymarum, locus me cruciat afflictionis, umbra

Luc. 15. 31.

me occupat mortis. Multæ mihi causæ doloris & tristitiæ, sola vero causa consolationis & lætitiæ, si suaviter & dulciter verbum illud, verbum bonum & suave crebrius animæ meæ repetieris. *Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* Interim quia scire non possum, nec forte debeo, quando veniam & apparebo ante faciem tuam, quod utique accelerari opto, licet tu mihi Christe vivere sis, & mori lucrum, consolabor in his tuis promissionibus, quæ omne desiderium superant, & te lætus inquiram, lætior inveniam, lætissimus apprehendam. Est enim in hac vita quædam apprehensio tui plena gratiæ, quam nimirum sequitur illa quæ erit plena gloriæ. Quia igitur ego non arbitror me adhuc comprehendisse, sequar si quomodo comprehendam. Totam ergo spem meam, domine Deus meus, in te reposui, inquietæ mentis meæ desiderium in te suspendi, regnum mundi & omnem ornatum sæculi propter amorem tuum contemsi. Non igitur me confundas ab expectatione mea, sed da quod peto accipere, quod quæro invenire, & tandem pulsanti Deitatis tuæ desiderantissima penetralia aperiri. Denique super tribus quæ de desiderio inquisitionis commemoravi, licet posuisse multas auctoritates & exempla potuissem; tamen quia intentionis meæ non fuit multa dicere, hæc pauca sufficiant. Sequitur ergo videre de secundo membro divisionis, quod est de gaudio inventionis.

Luc. 15. 31.

4. Sed quoniam gaudium proprie loquendo una est quatuor affectionum animæ, quæ secundum Augustinum, Bernardum & Boëtium, semina sunt vitiorum & virtutum; & secundum nomen suum nomen prædicabile sit communiter de statu vel differentia triplicis gaudii, ejus videlicet quod est hujus mundi & hominis tantum exterioris, & ejus quod est spiritus in Domino gaudentis & hominis tantum interioris; ejus etiam quod est gloriæ & patriæ superioris. De primo habes in evangelio Johannis ex verbis Domini, *Mundus quidem gaudebit*, &c. de tertio etiam ibidem, *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum.* De secundo autem in Proverbiis sic: *Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus.* Et in Ecclesiastico: *Non est oblectatio super cordis gaudium*, nec præsentis materiæ vel propositi mei est prosequi de primo, quia hoc quantum ad præsens superfluum, nec de tertio, quia nimis arduum; tamen circa secundum negotiari intendo, quia hoc quantum ad contemplationem æstimativam necessarium.

Joh. 16. 20. Ibid. 22. Prov. 14. 10. Eccli. 30. 16.

5. Æstimativam contemplationem voco cum B. Bernardo, eam quæ media est inter dispensativam & speculativam. Dispensativa est qua dispensat quis diligens Deum sensus exteriores circa contemplationis negotium, & bene utitur eis ad promerendum Deum. Æstimativa est, qua potentiæ animæ absolutæ a corpore, & affixæ organis corporalibus, nec obnubilitæ phantasiis, prorsus se elevant in Dei agnitionem & dilectionem. De qua nobis ad præsens sermo. Speculativa est qua quis Deum in se & per speciem speculari, quantum datur, & totus ipsi conjungi, quantum possibile est, annehelat, quæ rarissime & non nisi perfectis simul datur, potius est patriæ quam viæ, nec umquam esse poterit, nisi in excessu vero.

6. Prima est motiva, secunda cognitiva, tertia affectiva. Prima secundum beatum Bernardum laborat, secunda adorat, tertia gustat. Prima incipientium, secunda proficientium, tertia quasi jam pervenientium & omnino placentium. Prima Deum invenit, secunda cognoscit, tertia apprehendit. Verumtamen nec sine prima secunda, nec sine prima & secunda tertia. Nam prima mentem ad dilectum erigit, secunda ad ipsum dirigitur, tertia ad ipsum intromittit. Sed licet mediam, scilicet æstimativam, secundum quod de ea prosequi propono, diffiniverim; posset tamen propter simpliciores commodius & simplicius dici secundum vim ipsius nominis, eam esse quæ habetur in exercitio virium apprehensivarum & motivarum animæ rationalis, scilicet rationis & voluntatis & liberii arbitrii & aliarum, secundum quod sunt proportionatæ & affixæ organis corporalibus. Speculativam vero esse eam, quæ est potentiarum animæ, quæ nullam habent obligationem ad corpus, quæ sunt intellectus impermixtus phantasiis & synderesis. Nam istam quandoque possunt habere viatores; aliam vero raro, sed tantum comprehensores. Signa autem & proprietates istarum contemplationum, forsitan si Deus annuerit, inferius & lucidius exponemus.

7. Revertamur igitur ad propositum. Et certæ quia tres sunt motivæ vires animæ, scilicet rationalis, concupiscibilis, & irascibilis, secundum quas nimirum dotabitur anima & præmiabitur, & secunda & tertia a philosophis attribuentur animæ sensibili. Johannes vero Damascenus & alii plerique animæ rationali loco concupiscibilis ponant voluntatem, & loco irascibilis animum, ratio etiam sæpe supponat pro intellectu, & utique gaudium interioris hominis sit affectio quædam jocunda, causata ab iis tribus potentiis, recte dicere possumus ad istud tale gaudium tria exigi, videlicet intellectus Deiformem illuminationem, voluntatis boniformem devotionem, animi luciformem & jocundam exhilaratio-

nem. In intellectu Deiformitas, in voluntate boniformitas, in animo quieta & tranquilla luciformitas. Quomodo enim gaudere poteris de dilecto JESU invento, vel signa inventionis ejus habere, nisi ipso, prout desuper tibi datum fuerit, Deiformiter intellecto, & boniformiter volito, & luciformiter gustato. Si enim ipsum perspicaciter intellexeris & cognoveris, nihil aliud quam ipsum velle poteris; & si ipsum boniformiter volueris, nihil aliud quam ipsum gustare luciformiter libebit. Intellectum Deiformem voco, qui nullo obscuratur rerum sensatarum nubilo; boniformem voluntatem, quæ nullo delectatur commutabili bono; luciformem animum, qui nullo inquietatur vel disturbatur accidentali malo. Talis est Dei & ipse fruentium intellectus & voluntas & animus. Hæc tria invenies commendari per diversa loca, si bene intellexeris, in Hierarchia Dionysii, & in libro de Divinis nominibus. Si igitur gaudere cum ipso & de ipso volueris, ad solum ipsum te vacare, solum ipsum videre, solum ipsum gustare & sapere debebit: vacare ad cognoscendum, videre ad volendum, gustare ad placendum. unde psalmista: *Vacate & videte, &c.* Et iterum: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* Quando igitur vera est contemplatio in Deum suspensa, solum ipsum cognoscis & intelligis, vis & concupiscis, gustas & sapis. Nihil intueris transitorium, nihil amplecteris perfunctorium, nihil vereris contrarium. Omnem fugis mundi fictam gloriam, omnem spernis fallacis boni memoriam, omnem oblivisceris factam injuriam. Quippe hæc sunt signa & multa alia veræ inventionis Domini JESU, & jocundæ de ipso invento exultationis. Adhuc tamen plura ponam circa istam materiam.

Psal. 33. 9.

8. Quoniam igitur, sicut ex parte supra probatum est, contemplatio est mentis perspicacia in sapientiæ spectaculo cum admiratione suspensa, recte primum membrum istius divisionis ponitur intelligentia illuminata, & cum ex tali intelligentia merito sequatur bonæ voluntatis devotio, quæ est suavis affectus in Deum porrectus; secundum erit non incongrue voluntatis boniformitas, exigunt enim nimirum hæc duo tranquillam erga omne quod Dei est & placidam affectionem: ordinata ponitur tertium, quod est animi serena & luciformis exhilaratio. Intellectus Deiformiter illuminatus, quia est inspectionis veri boni in se, te rapit & trahit in Deum, & ipsum facit cognoscere. Voluntas boniformiter affecta te facit ipsum diligere. nam dilectio actus voluntatis est. animi pacata exhilaratio, omne quod cognitioni & dilectioni Dei contrariatur, facit abnuere. *Beati* enim *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et statim sequitur: *Beati pacifici.* Neque enim Deus sine proximo, nec proximus sine Deo vere cognosci poterit & amari.

Matt. 5. 9.

9. Revertamur itaque ad primam partem istius dilectionis, & in ea contemplari studeamus Deum, secundum quod ipse donaverit. *Quis mihi det*, dulcis JESU, *te fratrem meum & sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris & deosculer, & jam nemo me despiciat?* te foris inveniam per veram cognitionem, te deosculer per plenam dilectionem, nemo me despiciat propter communicativam cum omnibus piam affectionem. Foris sum, Domine, foris te, prout dare dignaberis, inveniam. Ecce sto ad ostium & pulso. Domine, Domine, aperi mihi, gloriosa mihi dicta sunt de te. Sicut audivi, cupio videre. Intus apud te est, quod foris postulo. Nondum intravi, heu! heu! in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Conabor interim, te propitio, prout fas & possibile mihi fuerit in excubiis extrinsecis manens, intelligere & cognoscere te. Emitte, Domine, sapientiam de sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit & mecum laboret, ut sciam te, & quid acceptum sit coram te. Scio namque, quia te comprehendere ad plenum nullus valet intellectus. Te certe quis sis in natura, qualis in gratia, quantus in gloria. Natura incomprehensibilis, gratia inæstimabilis, gloria incogitabilis. Natura speciosus, gratia copiosus, gloria pretiosus. Natura albus & rubicundus, gratia amabilis & jocundus, gloria supereffluens & abundus. Natura albus candore divinitatis, rubicundus rubore assumtæ & passæ humanitatis, gratia amabilis & jocundus. Diffusa est enim gratia in labiis tuis, immo effusa de labiis tuis, & oleum scilicet gratiæ & lætitiæ effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te. Gloria pretiosus, quia si dederit homo omnem substantiam domus suæ, pro acquisitione gloriæ tuæ, quasi nihil despiciet eam. Dixerim te recte incomprehensibiliter speciosum, cujus pulcritudinem sol & luna mirantur. Pulcra scilicet opera tua, sed non ut tu. Miratur autem & tota illa supercœlestis & felix familia tua, tuæ illi indicibili pulcritudini cum desiderio, oculis insatiabilibus intenta. clamans cum admiratione: Vere enim, Domine mi, admirabilis es, & facies tua plena gratiarum. Nimirum autem & illa nimis beata genitrix tua voce gratulabunda: Ecce, inquit, tu pulcher es, dilecte mi fili, & decorus: immo etiam conversa ad consortes suæ gloriæ, talis ac tanti filii matrem fore se reverenter gloriatur, inquiens: *Ego mater pulcra dilectionis, &c.* Non solum autem, sed & Pater tuus cœlestis in te quasi in imagine suæ divinissimæ

Cant. 8. 1.

gloriæ jocundissime delectatus, suavissime intonat: *Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.* O pulcritudo supereminens, in qua resultat nimirum splendor paternæ gloriæ, quæ est candor lucis æternæ, & speculum sine macula majestatis divinæ; in cujus contuitu delectantur Pater & mater, quorum medius resides, nec utrique dissides Deus & homo, Deus ex Deo Patre, homo ex homine matre: idem cum Deo & ex Deo Patre Filius Deus, Verbum Patris Deus, ars Patris Deus, Sapientia Patris Deus, imago Patris Deus, virtus Patris Deus. Talis ac tantus, tam pulcher & tam decorus, angelos & cives curiæ cœlestis tuæ pascis & reficis delectabiliter pulcritudinis gloria; terrigenas & filios hominum, reos & miseros, tuæ pietatis gratia & misericordia. Quis te, ô pulcherrime filiorum, tam delectabilem, tam desiderabilem intueri non delectetur? Quomodo non gaudebo cum te talem, sed & nescio dicere qualem videbo? Quis det desideratum illum diem venire, ut videre contingat? Quis mihi det, ut ego moriar pro te quovis mortis genere, ut te aliquo modo tam dilectum & tam electum lucrifaciam? Omnis mihi dolor, omnis miseria, omnis tristitia, pro te solo promerendo lætitia. Interim, ô pie JESU, mei cordis intima tuæ claritatis splendor illuminet, omnis infidelitatis & impietatis tenebras effuget. Nihil te me irradiante in me sordidum, nihil obscurum remaneat. Perspicaciter te speculari & contemplari, quantum mortali possibile est, mihi liceat & libeat: quia non est lumen aliud nisi tu, quo illuminari valeam ut videam te, & te viso gaudeam. Optimum enim videndi genus erit, ut te viso, nullius eguerim ad omne quod libuerit te contentus. In te quicquid est a te, videre dabitur per te. Claritas refulgens in te, resplendebit mihi totum quod es, & omne quod est ex te. Non, inquam, sicut me satiare non possum de me; sic illuminare me non possum de me, quia in lumine tuo videbimus lumen, in tuo lumine, Fili Dei, videbimus lumen Patris Dei; videbimus & lumen Spiritus-sancti Dei. Non autem tria videbimus lumina Dei, sed tuum Patrem lumen Deum, te Patris Filium lumen Deum, & Spiritum-sanctum ex eodem Patre Deo & te naturaliter æqualiterque procedentem lumen Deum, videbimus in tribus discretis personis unum indiscretum lumen Deum. Non solum quippe in tuo lumine deiformiter illuminati, videbimus te divinum increatum lumen; sed etiam videbimus & nunc & tunc, quantum illuminatio vultus tui super nos, & pro quanto nos fecerit creata lumina lucentia, ante te Dominum. Quia igitur spero, ut pace tua dixerim, quod signatum sit lumen vultus tui super nos, dedisti lætitiam in corde meo; hæc tam de divinæ, quam humanæ naturæ tuæ pulcritudine, JESU CHRISTE, decor & pulcritudo animæ meæ, licet non ex condigno & debito & pro desiderio meo dixerim. dicam autem, te propitio, coram throno gloriæ tuæ, contemplator & comprehensor tuæ divinitatis positus tanto plenius & jocundius, quanto nunc viderim perspicacius & felicius. Intuebor etiam te Dei Verbum plenum gratia & veritate, de cujus nimirum plenitudine nos omnes accepimus, & delectabor in recordatione innumerabilium gratiarum & beneficiorum tuorum, ingratus tibi existere nec volens nec debens. sciens beneficium indignum accipienti, quod ipsum gratum non reddiderit largienti. O, o, o, quam inæstimabilis gratiæ illud, JESU misericordissime, quod tu cum Patre & Spiritu-sancto unus existens, vivus & verus Deus, me, cum nihil essem, ad imaginem unius & summæ divinitatis tuæ excellentissime condidisti, concivem angelorum, incolam cœlorum, municipem ineffabilium tuorum gaudiorum decrevisti. Proh dolor! factus a te & ad te & secundum te, non manebam apud te; sed recessi abs te, dimittens & amittens te, & justitiam tuam injuste deserentem me, eadem justitia judicante projectum de te, non nisi culpa & pœna manebat me. Et non immerito, ut pote primorum illorum parentum interdicto & vere maledicto edulio natura deformatum, gratia vacuatum, gloria spoliatum; & non solum tanta felicitate infeliciter privatum, verumetiam miserabiliter exiliatum, & perpetuis suppliciis deputatum. Heu me miserum! non erat qui redimeret, non erat qui cognosceret, non erat qui requireret animam meam. Tu autem demum Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, non valens in ira tua continere misericordias tuas, quia revera dives & copiosus in misericordia, non es passus me tantis passionibus æternaliter subjacere; sed creatorem te cognoscens, & redemtorem non abnuens, manens quod eras Deus Dei Filius, factus es quod non eras, homo hominis filius, ut me filium perditorum hominum meritis primorum prævaricatorum hominum, socium effectum dæmoniorum, servum vitiorum, æternorum materia incendiorum, tuæ crucis & mortis improperio, paternæ gloriæ restituens imperio. O dignam, mi JESU, mea morte mortem, qua ne tibi morerer, mori voluisti. Moriturus omnino fueram, nisi mihi morereris. Culpa meæ mortis tibi causam intulit mortis, quomodo tu mihi non eris causa amoris, qui tibi tam amari occasio fui doloris? Amor meus tibi irrogavit causas doloris, quomodo dolor tuus mihi non ministrabit causas

Matt. 17. 5.

causas amoris? Si me amando mihi non doluisses, pro te dolendo amare te non potuissem, nec tuus dolor sine amore, nec meus amor sine dolore. Quanto tuus dolor in cruce pro me morientis erat vehementior, tanto nimirum meus amor tuum dolorem recolentis erit ardentior. Aqua de latere dilecti mei me in cruce fortissimis & vehementissimis amplexibus constringentis fluens, sanguis de corde exiliens, spiritus de corpore exiens, facta sunt mihi ut sciam quia non est dolor & amor sicut dolor & amor tuus. Hæreant semper, amantissime JESU, illi tuæ sanctissimæ passionis dolores, illi tuorum venerandissimorum vulnerum rosei livores affectibus meis. Repræsententur sensibus meis, sint mihi materia continui doloris & amoris, provocent ad diligendum te, excitent ad laudandum te, adjuvent ad promerendum te. O mira, inquam, circa me tuæ pietatis dignatio! nihil eram, & me fecisti; & non solum aliquod, sed tuam imaginem; malus eram, & me refecisti, & non solum ad bonum aliquid, sed ad contemplandam cum sanctis angelis tuæ divinitatis summæ jocundam speciem. Nec his contentus, ut totum te refunderes in me, & nihil tibi retineres de te, factus propter me, dedisti mihi te in exsilio peregrinationis meæ amicissimum socium, in cruce redemtionis efficacissimum pretium, in altari spiritualis refectionis dulcissimum edulium, futurus etiam nimirum mihi in exitu desideratissimum viaticum, in conductu tutissimum præsidium, in cœlo felicissimum præmium. Summa illa & divina potestas, qua in cœlis præsides & imperas angelis, tu mihi condescendens, te intendis in fratrem & socium, appendis in pretium, impendis in poculum. Et ut de abundantissimæ bonitatis tuæ dispensatione adhuc, prout mihi sentire & intelligere tua gratia datur, aliquid plenius loquar, tanta me dignaris miseratione, ut mirabiliter & ineffabiliter in ipsa immolationis tuæ suavissimæ hora, ad vocem tui sacerdotis pro me fias & mihi sacerdos & sacrificium, conviva & convivium, cibus & cibans, munus & munerans. O redemtionis meæ vere venerandum sacrificium, quo Dei unigenitus animæ meæ mira unione copulatur, Pater conciliatur, Spiritus-sanctus propitiatur, cœli reserantur, angeli mihi sociantur, sanctorum vota & merita communicantur, crimina relaxantur, hostes salutis meæ exterminantur, virtutes donantur, dona cumulantur, præmia multiplicantur, & omnium denique bonorum copiæ plenissime ministrantur. O panis vive de cœlo descendens, utique manu Sancti Spiritus in utero gloriosæ Virginis formatus, in ara crucis igne passionis decoctus, quem in mensa sancti altaris tui paras in

A dulcedine tua pauper; Deus in delicatissimum convivium, habentem omne delectamentum, & omnem saporem suavitatis, quem cum amaverit anima mea, non esse poterit nisi gratiosa; cum tetigerit, speciosa; cum gustaverit, deliciosa; cum acceperit, gloriosa. O vere felicem talis convivii dignum degustatorem, in cujus beata administratione & perceptione tota Trinitas gloriatur, felix illa supercœlestis familia cum admiratione & reverentia famulatur, triumphantium in cœlo animæ honorantur, militantium adhuc in terris adjuvantur, patientium in tormentis purgatoriis
B liberantur. Hoc pascha meum, bone JESU, quod desiderio desideravi manducare tecum donec moriar, & jam conviva mensæ cœlestis effectus, manducem illud novum in regno Patris tui, videlicet non jam in velamine sacramenti, sed sine omnis pallio velamenti. Et ô sanguis pretiosissime de lilioso corpore dilecti mei in cruce pro me morientis, roseo colore largissime fluens, qui ne nulla mihi esset utilitas illius effusionis tuæ, si descenderem in corruptionem, nec in perfectione simul accepta beneficio redemtionis stare valeam, quia quotidie
C pecco, quotidie ministerio sacerdotum in remissionem peccatorum meorum effunderis; sed & cum te sumere mihi dederis, cum tanta plenitudine divinorum carismatum animæ meæ illaberis, ut jam scire non possim, quid desit mihi ad id quod satis est: quia nimirum de torrente voluptatis divinæ potatum ita multiplicasti divitiis, deliciis, & gaudiis cœlestibus locupletare me, ut jam evectus super me, videar mihi quandoque intromitti in quemdam inusitatum affectum, conversus nescio ad quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit quod vita ista non erit, in cujus
D dulcedinis interim suspensus desiderio, totus pene deficio dilationis fastidio. O mira suavitas calicis pretiosi! ô sancta fœcunditas poculi deliciosi! ô superexcellens dulcedo sanguinis generosi! Vere sitivit in te anima mea, quem quanto biberit decentius & reverentius, tanto sitiet ardentius. Cum enim influis ipsi, mundas eam ut te deceat, ornas ut placeat, munis ne pereat, inebrias ne deficiat, sustentas ut proficiat,
E oblectas ut tibi hæreat, donec introducta in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, dilectum facie ad faciem videat, & ipso suavitate plena & mirifica perfruatur. Gratias tibi, dilecte JESU, qui te dignatus creatorem & redemtorem, non abnuis talis convivii largitorem. Felix certe convivium, in quo te totum & nihil aliud nisi te mihi das; & in me intrans transfers & mutas, & tam mira & dulci unione me tibi connectis & copulas, ut unum tecum spiritum efficias. Quid igitur? *Quare*

tristis es anima mea, & quare conturbas me? Quid causaris sponsi tui absentiam? Quid si tibimet præsens fueris, ipso præsentius? Tecum certe est, intra te est, infra te est, circa te est, supra te est. Inanis non venit, plenus quippe est gratia & veritate. Gratiam affert, quæ tuam culpam evacuet; veritatem, qua ignorantiam illuminet. Quid igitur ultra tibi debuit facere & non fecit? Jam non est dicere? *Ut quid, Domine, recessisti longe, quare faciem tuam avertis?* Ecce tecum est, non recedit a te, nisi tu forte recesseris; non se avertit, si te non averteris. Dic, dic anima mea, gratulare & dic: Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi. Amplexare dulcissimis & fortissimis affectibus, & tene quem habes, utere eo ut libet. conare, festina, ascende, intra in amatum, & ostendet tibi naturæ suæ inæstimabilem pulchritudinem, gratiæ dulcedinem, gloriæ plenitudinem, & videbis & afflues, & miraberis & dilataberis. Videbis nempe ipsum Deiformiter illuminata, afflues ipso dulciter affectata; miraberis te ex ipso sublimiter exaltata, dilataberis in ipso multipliciter locupletata. Beatam itaque, ô anima mea, te dixeris, si dilectissimo sponso tuo pro his omnibus grata extiteris, & ab acceptis gratiis non excideris, nec accipiendis indignam te reddideris. Exulta interim & lætare in sponso quem habes in terris in sacramento, habitura & visura ipsum in cœlis sine velamento. Age nunc, piissime Jesu, quid tuis his beneficiis dignum rependam? Quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi? Scio certe quod sicut nihil sum sine te, sic nec te mereri possum sine te. Debitum non est, sed gratuitum quodcumque mihi impenderis


A beneficium. Indignum dignari non est justitiæ, sed gratiæ. Potenti tibi cedit ad gloriam, injustum punire nolle cum potueris. Pium te magis ostendis impio parcendo, quam plectendo. Dederas te beneficium munerando immeritum, misericordius mecum egeris, quando debitum a me servitium exegeris. Si salvare me decreveris, judicio mecum non contendis. nam si in judicium sederis, & locum misericordiæ non dederis, miserias in perpetuum clamabo; sin autem, misericordias tuas in æternum cantabo. Ecce nunc animam meam tibi colligo vinculo tui sacramenti, securum me æstimans, si me muniveris novi &

B æterni sanguine testamenti. Amplectere tibi fidei fœdere copulatum, tuere sacratissimo corpore tuo cibatum, confortatum & sanctificatum. Intuere prædulcissimo sanguine tuo potatum, ornatum & signatum. Non sit quod propellat te sequentem, non sit quod avellat tibi hærentem, & nomini gloriæ tuæ plenissime confidentem, quod est benedictum in sæcula sæculorum. Amen.

10. Ceterum ad commendationem gra-

C tiæ Dei tantisper dixerim, ut habeas, diligens lector, verba monentia te & promoventia ad gaudium interioris hominis. Hæc enim quæ posui attente prolata, & intente meditata, & alia his similia, quæ studium & usus invenient, & unctio suggeret, esse tibi debent in exercitio contemplationis æstimativæ. Quod enim perfectioribus facit interior imaginatio, hoc in minus perfectis facere solet exterior pronuntiatio; quia quod facit flatus carboni, hoc facit pronuntiatio devotioni.





ANONYMI LIBELLUS ADVERSUS ERRORES ALBERONIS SACERDOTIS MERKENSIS.

Ex ms. codice Altenbergensis monasterii ante annos 500. exarato.

OBSERVATIO PRÆVIA.

Circa medium sæculum duodecimum prodierunt Coloniæ circumviciniſque in locis hæreticorum duo genera, de quibus agit Evervinus præpositus Steinfeldensis, ordinis Præmonstratensis, in diœcesi Coloniensi, epistola ad S. Bernardum a Mabillonio primum vulgata tomo 3. Analectorum, deinde inter opera S. Bernardi, ac post eum ab erudito viro Carolo Plessio Argentreo episcopo Tutelensi tomo 1. Collectionis judiciorum de novis erroribus. Horum primi qui se Apostolicos nuncupabant, Catharorum seu Manichæorum erroribus infecti, quotiescumque cœnabant, cibum suum & potum in corpus Christi & sanguinem per orationem Dominicam *consecrare* se dicebant, ut inde se & membra & corpus Christi nutriant, *inquit Evervinus.* Nos vero dicunt in sacramentis non tenere veritatem, sed quamdam umbram & hominum traditionem. *Alii ab istis prorsus diversi* negabant in altari fieri corpus Christi, eo quod omnes sacerdotes ecclesiæ non sunt consecrati; apostolica enim dignitas, *inquiebant*, corrupta est. *Istos Tutelensis episcopus fuisse censet Arnaldistas, qui* pro malitia clericorum sacramenta ecclesiæ dicebant esse vitanda; *& quia* ecclesiam Dei corruptam esse jactitabant, nec a malis sacerdotibus & episcopis sacramenta confici posse, præter baptismum *censebant. Hujusmodi sectæ surculum fuisse Alberonem sacerdotem in* Mercke, *ex solo hoc opusculo nobis notum, nulli dubium esse poterit, qui sequentem errorum ejus refutationem legerit. Est autem* Mercke *rusticus vicus una aut altera leuca a Colonia dissitus, & ab Altenbergensi, seu Veteris-montis abbatia dependens, cujus parochus fuisse videtur Albero sacerdos hic refutatus, & quidem ab aliquo Altenbergensi, uti conjicimus, monacho, in cujus uno monasterio libellum hunc reperimus. Tametsi extat & in pago Juliacensi, haud procul ab urbe Deurena, altera ecclesia etiam* Mercken *dicta, ut me suis litteris monuit reverendissimus ac piissimus abbas Dusselthallensis.*

CAPITULA SUPER QUIBUS DOMNUS ALBERO SACERDOS CONVICTUS EST ERRASSE.

I. *Sacerdotem malum sacramentum non perficere.*

II. *Si conficit, scienti crimina ejus non proficere, sed ignoranti dumtaxat.*

A III. *Fideles defunctos oblatione sacerdotis criminosi non juvari.*

IV. *Inter hæc sacrum mysterium semper dæmonum, raro bonorum angelorum præsentiam haberi.*

V. *Utrum in sacrificio altaris omnes sacerdotes pares sint.*

VI. *An talia docens & per ignem examinari cupiens exaudiendus sit.*

VII. *Utrum pro implendo missæ officio flagitandus sit sacerdos, qui criminibus irretitus agnoscitur.*

1. PRophetata dudum tempora finalia, tempora periculosa, qualia non fuerunt a principio, in nos pervenisse certis rerum argumentis experimur. Siquidem præter abundantem in ecclesia carnalium multitudinem, præter prædicatam in evangelio bellorum tempestatem, præter inveterati schismatis (*a*) perversitatem, prorumpunt de foveis suis vulpes dolosæ, ut demoliantur vineam Domini. Egredientes enim e latebris suis hæretici perfidiam erroris sui publice disseminare non metuunt. Inter quos Albero quidam sacerdos in *Mercke* diebus nostris emersit, qui æstimata religione & austera sua conversatione venerationem magnam in populo celebremque famam adeptus est. Posletque vulgi rumoribus dignus haberi, si lucentem ad oculum vitæ nitorem doctrina prava, quæ velut cancer serpit, non offuscasset. Ipse enim contra ortodoxorum patrum auctoritatem, contra imitatione dignam magistrorum traditionem, a sacerdote criminoso corpus Domini non confici docere præsumsit. qui ut errorem hunc probabilitate aliqua coloraret, sacræ ad hoc scripturæ testimonia detorsit, talia prætendens: *Sacerdotes*, inquit propheta, *mali ruina sunt populi*. Et alibi: *Laqueus ruinæ facti sunt super viam*. Si ruina, si laqueus sunt, placationes non afferent. Verum hæc non pro sacramentorum penuria, sed pro vita atque doctrina perversa dicta sunt. Sacerdos enim malus, quamquam verbo sacramenta præbeat, de taciturnitate & pravis actibus grave in populo scandalum operatur. Sub eodem sensu idem Gregorius in Registro dicit: » Necesse est ut munda sit manus quæ » diluere sordes curat, ne tacta quæque de» terius inquinet, si sordida sequens lutum » tenet. Non hoc ideo dicit quod sacramenta Dei, quæ in se veneranda semper, ex indignitate contractantis polluantur, sed is qui sordide sancta pertractat, per hoc deterius sordescat. Item beatus Gregorius: » Si his qui displicet, ad intercedendum mit» titur, irati animus in deteriora provoca» tur. Cum ergo sacerdos inter Deum & po» pulum legatione fungatur; provocat, non » placat, si scienter ingratus aditur. Sed hæc auctoritas in electionibus locum habet, ne viduata pastore suo ecclesia, in mediatorem & intercessorem eligatur, qui criminibus irretitus agnoscitur: quia si hoc, irati Dei indignatio augetur. Potest autem generalius accipi sic, ut habita bonorum copia sacerdotum pro faciendo missæ officio, criminosus sacerdos non interpelletur, quia in judicium suum ire postulatur, qui lutulentis manibus & obscœnis affectibus tantum sacramentum præsumit.

[*a*]

Quibus scripturæ testimoniis Albero contendit sacerdotes malos non confice re sacramentum.

Osee 1. 9.

2. Inducit etiam quod Dominus de malis sacerdotibus per Osee (*b*) dicit: *Ego*, inquit, *benedictionibus vestris maledicam, & maledictionibus maledicam*. Sed hoc ad hæreticos, qui ab ecclesia præcisi sunt, & ad excommunicatos populi referunt, quorum benedictiones maledictiones fiunt his qui eorum sectantur errorem. Beatus Gregorius hoc de decimis & oblationibus ecclesiæ nomine possessis interpretatur sub hoc sensu: Benedictionibus vestris, id est quæ a meis benedictionibus possidetis, & pro quibus populariter benedicimini & benedicere deberetis, maledicam id est in futurum in maledictionem cedere, & præsenter sæpe decrescere faciam. Vel secundum eumdem beatum Gregorium, benedictionibus vestris maledicam, id est quod a vobis benedicitur, a me erit maledictum, quia benedicitis iniqua agentibus & adulamini peccantibus divitibus, propter munera donata & expectata. Ipse quoque actus benedictionis sacerdotalis in ambitiosis peccatum est, quia etsi dignis benedicant, non hoc ex vero & sincero corde faciunt, & ideo talium benedictiones maledictiones fiunt sibimet. Potest denique hoc verbum ad illum sensum prophetæ converti, quo ait: *Væ his qui vivificant animas quæ non vivunt, mortificant eas quæ non moriuntur*. Quod » beatus Gregorius exponens ait: Non mo» rientem mortificat qui innocentem dam» nat; & non viventem vivificat qui noxium reconciliat.

[*b*] Mal. 2. 2.

Ezech. 13. 19.

3. Hieronymus in Sophonia quædam dicit, quæ superficiali consideratione hunc errorem munire videntur: Sacerdotes qui » Eucharistiæ serviunt, impie agunt in lege » Christi, putantes Eucharistiam imprecan» tis, id est male precantis, verba facere non » vitam, & necessariam esse solemnem orationem, non etiam sacerdotum merita, de quibus dicitur: *Sacerdos in quacumque macula fuerit, non accedat oblationes offerre Domino*. Ecce hic dicit ad conficiendam Eucharistiam necessariam esse vitam. Sed intelligendum est non ut fit, sed ut prosit ei qui conficit. Siquidem absque sacerdotali vita conficere potest; sed absque ea, qui conficit sibi proficere non potest. Verbum quoque Hesitii hic prætereundum non est, quia prædicto errori astipulari videtur, si clausis oculis inspiciatur. Sacer» dotes

Patrum auctoritates quibus errorem suum tuetur explicantur.

Levit. 21. 21.

(*a*) Hic videtur auctor intelligere suscitatum in ecclesia schisma per Fridericum imperatorem, intruso in sedem Alexandri papæ III. Octaviano antipapa, Victore IV. vulgo nuncupato.

(*b*) Immo per Malachiam in cujus prophetiæ cap. 2. hæc lego: *Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egestatem & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis, quoniam non posuistis super cor.*

» dotes, inquit, non propria virtute benedicunt, sed quia figuram Christi gerunt, & propter eum qui in ipsis est, benedictionis plenitudinem tribuunt. Unde concludet: Si Dominus in sacerdote non est, benedictionem non esse quod confert. Ad quod respondentes dicimus: Advertendum quod non ait benedictionem, sed benedictionis plenitudinem. Hæc enim est benedictionis plenitudo, ut tam sibi quam subditis proficiat quod agitur; quod utique non propter se; sed propter eum, id est per eum est, qui in ipsis est. Simili modo illud Gelasii interpretandum est. » Sacrosancta religio tantam sibi reverentiam vindicat, ut ad eam quilibet, nisi pura conscientia, pervenire non audeat. Nam quomodo ad divini mysterii consecrationem cœlestis Spiritus invocatus adveniet, si sacerdos, qui Spiritum adesse deprecatur, criminosis actibus plenus est? Hæc negatio quia negationem valet, dicere videtur, quod per malum ministrum Spiritus invocatus non veniat, quod de interpellante verum est, non de his pro quibus interpellat. Item Augustinus: Sicut eunuchus fuit qui Joseph comparavit: ita qui gratiam mercatur, vivum semen non habet, siccis genitalibus. Sic quoque ignis sacrificii, qui per LXX. annos Babylonicæ captivitatis sub aqua vixerat, exstinctus est, Antiocho Jasone sacerdotium vendente: quod significavit ignem Spiritus-sancti in simoniacis sacramentis non lucere. Sed hoc de confessis & convictis & per hæc notatis accipiendum est. Eodem modo intelligendum est illud Leonis: Simoniaci quia gratis non accipiunt, gratiam non accipiunt; unde nec habent, nec dant. Quid ergo habent? quid dant? spiritum mendacii, id est, vitium & pravitatis suæ contagium; vel spiritum mendacii, id est quæ mentitur se esse gratiam, cum non sit. Tale est illud Augustini: Si Deus maledixerit, & simoniacus benedixerit, uter eorum prævalebit? numquid benedictio maledicti ad nihilum redigere potest verba comminantis Dei: *Ego,* inquit, *benedictionibus vestris maledicam*, quod profecto de damnatis accipiendum est? Item Augustinus in libro de Baptismo parvulorum, quædam tradere videtur, quæ huic errori magnas vires ministrant, nisi sane exponantur. Sacramentum, inquit, gratiæ etiam Deus dat per malos, ipsam vero gratiam non nisi per seipsum, vel per sanctos suos; & ideo remissionem peccatorum vel per seipsum, vel per columbæ suæ membra operatur, quibus ait: *Si cui dimiseritis, dimittetur.* quod hoc sensu verum est, quia per Deum tantum & per sanctos, in quibus habitat Spiritus ejus, digne recteque semper remissio & retentio peccatorum fit; per indignos tamen dat Deus digne poscenti, sed in judicium ministri. Vel per se, id est per gratiam suam tantum, & per sanctos suos, id est pro sanctorum meritis, quia licet malorum ministerio detur. Similia super Exodum ex dictis Augustini reperiuntur, ubi de lamina aurea agitur: *Erit*, inquit, *lamina semper in fronte pontificis.* hæc, ut ait Augustinus, significat fiduciam bonæ vitæ in animo sacerdotis, quam qui vere perfecteque non significatione, sed veritate sacerdos habet, solus peccata potest auferre. Hic innuere videtur, quod alius sit sacerdos veritate, alius significatione. Veritate sacerdotem intelligit, qui sicut oleo materiali exterius, sic unctione Spiritus intus perfusus est: significatione vero sacerdotem eum qui sacramentalem & non spiritualem unctionem accepit, non quin verus sacerdos dicendus & ab intus sit; sed quia ejus habet significationem, cujus non exhibet veritatem. Quod vero addit, solum eum qui vere sacerdos est, peccata posse auferre, intelligendum est ex meritorum suorum dignitate. Simile huic est illud Gregorii: Illi soli habent in hac carne positi ligandi atque solvendi potestatem, sicut apostoli sancti, qui illorum exempla simul cum doctrina tenent; id est illi soli potestate digni sunt, qui apostolorum vestigia vita atque doctrina pro modulo suo imitantur. Item Origenes: Hæc potestas soli Petro & ejus imitatoribus concessa est, id est hi soli ad hoc digni, ut hæc his concedatur. Possunt etiam imitatores intelligi non pro vitæ merito, sed pro ordinis dignitate. gradus enim dignitatis & usus clavium etiam indignis refertur: quod Hieronymus super illum locum testatur, ubi Dominus dixit Petro: *Tibi dabo claves regni cælorum.* habent, inquit, eamdem judiciariam potestatem, habet omnis ecclesia in episcopis atque presbyteris suis; sed ideo Petrus eam specialiter accepisse memoratur, ut omnes intelligant, quod quicumque se ab unitate fidei & societate sanctæ ecclesiæ separaverit, nec a peccatis solvi, nec cœlum ingredi potest.

Malach. 2. 2. — Joan. 20. 23. — Matt. 16. 19.

Patrum auctoritates contra ejus errores pugnantes.

4. Determinatis auctoritatibus quæ prædictum errorem superficietenus roborare videntur, jam nunc testimonia sanctorum ad perimendam hæresim istam inducamus. Augustinus in libro contra epistolam Parmeniani: Sacrificia, inquit, impiorum eis oberunt, qui impie offerunt; nam unum atque idem est sacrificium propter nomen Domini, quod apud eos invocatur, & semper sanctum est, & tale est cuique, quali corde ad accipiendum accesserit: *Qui enim manducat indigne, judicium sibi manducat & sumit.* Ecce hic aperte dicit idem sacrificium altaris apud bonos & malos sacerdotes. Ad quod elegantem idem Augustinus

1. Cor. 11. 27.

inducens similitudinem, ait: Aurum æque est in arca furis, sicut in thesauris regis; sed quia a fure illicite contractatur, juste damnatur. Idem: Hoc pene in omnibus talibus quæstionibus intelligendum movemus, quod sacramenta divina cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus. Idem: Mementote sacramentis Dei malorum mores non obesse, quo illa vel non sint, vel minus sancta sint. Idem: Si non habebat Saul sacramenti dignitatem, quid in eo David venerabatur? Si autem habebat innocentiam, quare innocentem persequebatur? Revera propter sacramenti unctionem & honoravit vivum, & vindicavit occisum. Item Fabianus papa orientalibus episcopis: Significastis plerosque attendere, multos in ipsis honoribus ecclesiasticis non congruenter vivere sermonibus & sacramentis, quæ per eos populo ministrantur. O miseros homines, qui hos intuendo, Christum obliviscuntur, qui multo ante prædixit, ut legi Dei potius obtemperetur, quam imitandi videantur illi, qui ea dicunt quæ non faciunt! Unde etiam traditorem suum Dominus cum aliis discipulis ad prædicandum misit, ut monstraret Dei dona pervenire ad eos qui cum fide accipiunt, etiamsi talis sit ille per quem accipiunt, qualis Judas fuit. Augustinus de eodem: Sic Deus adest sacramentis & verbis suis, per quoscumque administrentur, quorum sacramenta & verba recta sunt, sicut malis hominibus nihil prosunt ubicumque perversi sunt. Idem ad Demetrium: Sacramenta quæ non mutastis, sicut habetis approbantur a nobis, ne forte cum vestram pravitatem corrigere volumus, sacramentis quæ vestris ministeriis depravata non sunt, sacrilegam injuriam faciamus. Item Nicolaus papa: Non quales sacerdotes Domini sint, sed quid de Domino loquantur vobis est magnopere prævidendum, nec in vicariis beati Petri vobis attendendum quid sint; sed quid pro correctione ecclesiarum satagant. nec enim illos inferiores dicetis Scribis & Pharisæis sedentibus super cathedram Moysi, de quibus præcepit Dominus dicens: *Quæcumque dixerint vobis, facite.* [Matt. 23. 3.] Unde beatus Gregorius: Multi dum plus vitam sacerdotum quam suam discutiunt, in erroris foveam dilabuntur, minus considerantes, quod non eos sacerdotum vita læderet, si humiliter bonis sacerdotum ammonitionibus aurem commodarent. Item Augustinus: Sacramentum ecclesiæ tam magnum est, ut nec homicida amministrante polluatur. Idem: Si justus est minister, computo eum cum Paulo; si superbus, cum diabolo. Sit malus, si vult, sed non contaminatur donum Christi. Purus per illum fluvius transit & venit ad fertilem terram: per lapideos canales transit aqua ad areolas in canali lapideo, nihil vulneratur, hortus plurimum fructum affert. Idem: Quanta sit dignitas sacerdotalis officii hinc animadvertas. Dictum est de nequissimo Caïpha: *hoc a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius prophetavit.* [Joh. 11. 51.] per quod ostenditur spiritum gratiarum non personam digni vel indigni, sed ordinis traditionem attendere, ut quamvis boni meriti sit aliquis, benedicere tamen non possit, nisi ad hoc fuerit ordinatus, ut talis officii ministerium exhibeat. Dei autem est effectum benedictionis tribuere. Idem in libro de Corpore Domini: Intra Catholicam ecclesiam in mysterio corporis & sanguinis Domini, nihil a bono majus, nihil a malo minus conficitur sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed verbo conficitur Creatoris & virtute Spiritus-sancti. Item Gregorius: Putant quidam communionem corporis Domini minus esse significatam, si illorum fiat officio, quorum vita eorum oculis videtur ignobilis. Heu! in quam magnum laqueum incidunt, ut divina & occulta mysteria plus ab aliis sanctificata posse fieri credant, cum unus idemque Spiritus-sanctus in tota ecclesia invisibiliter ea mysteria & operando sanctificet, & sanctificando benedicat. Mysterium ideo dicitur, quod sacratam & reconditam habeat dispensationem; sacrificium vero, quasi sacrum factum, quia prece mystica pro nobis consecratur in memoriam dominicæ passionis. Sacramentum a secretis vel a sacris virtutibus dicitur, sive ergo per bonos, sive per malos ministros intra ecclesiam dispensetur, sacramentum est, quia Spiritus-sanctus vivificat, nec bonorum dispensatorum meritis approbatur, nec malorum attenuatur. Hoc de corpore Domini, hoc etiam de baptismate & chrismate sciendum est & tenendum, quia virtus divina secretius operatur in illis, & divina solummodo hæc est virtus, non humanæ efficaciæ. Plurima in hunc modum in scriptis orthodoxorum patrum habentur, quæ si omnia prosequi voluerimus, prius tempus quam materia deficiet.

[Ratione etiam refelluntur.]

5. Addantur auctoritatibus invictæ rationes. Si a criminoso sacerdote corpus Domini non conficitur, cum in crimine quis sit, quis non, ignoretur, nulla de hoc sacramento certitudo est, nullumque certum præsidium. Item, si malus sacerdos non conficit, plebs devota expectata subsidia non percipit. Summo & finali solatio, viatico videlicet, hinc migrantes privantur, quod inde, sicut dicitur, abeuntes in viam æternitatis, hac spirituali alimonia sustentantur, donec ad visionem pacis perveniant. His rationibus & auctoritatibus evidenter ostenditur, crimen sacerdotis non

obstare sacramento altaris, quominus vel majus sanctum & de manu ejus accipienti cuique minus proficiat, si digne accedat. Sicut enim ejusdem efficaciæ baptismus a bono & malo ministro confertur, sic idem efficit eucharistia, quæ a bono & quæ a malo conficitur. Omnes enim sacerdotes sicut in baptismo, sic in officio missæ pares sunt.

Quomodo sacerdotes omnes sint in sacrificio pares.

6. Sed quia plerique vitia dum fugiunt, in contraria incidunt. Nam in vitium culpæ ducit culpa, si caret arte. Perscrutandum est quomodo verum sit quod dicimus. Siquidem in officio præter jubilum quatuor sunt, lectio, oratio, consecratio & consecrati muneris perceptio. Sane ergo dici potest & catholice credi, quod secundum differentiam scientiæ & vitæ, in aliis sint dispares, in consecratione pares. Nam & inter consecrandum alius alio sublimius contemplatur, sanctius orat, plus seipsum immolat, ideoque efficacius pro causa populi allegat & potest præter generalem eucharistiæ effectum sanctæ devotionis holocaustum populo speciale aliquid adjicere. Tales ergo sunt in missa omnes quoad consecrandum, non ad impetrandum. Unde Alexander papa: » Sacerdotes » pro populo interpellant, & peccata populi » comedunt, quia precibus suis ea delent at» que consumunt, quia quanto digniores » fuerint, tanto facilius in necessitatibus pro » quibus clamant exaudiuntur.

7. Augustinus tamen in libro Numeri super illum locum: *Vos ponite nomen meum super filios Israël, ego Dominus benedicam eos*, dicit, quod voluntas sacerdotis nec obesse nec prodesse possit; sed meritum benedictionem poscentis. Sed intelligendum est non prodesse vel obesse, quo minus vel magis sacramenta in se vera & integra sint, sed quo magis proficiant. vel non obest voluntas sacerdotis cum ligat innoxium, nec prodest cum reum absolvit. Cum ergo missa, id est quæ mittitur hostia, apud bonos & malos sacerdotes eadem sit missio, tamen eadem non est, quia devotius alius alio legationem adimplet. Hostia semper eadem est, & effectus ejus secundum devotionem semper idem: efficacius tamen alius alio pro populo interpellat. proinde si quæratur utrum unius sacerdotis quam alterius missa melior, vel interesse unius quam alterius missæ melius; fraudulentæ quæstioni per determinationem reddenda responsio est, quia missa ad hostiam & legationem, ad sacrificium & officium æquivocantur.

Num. 6. 27.

II. Sacramenta a malis sacerdotibus confecta omnibus prodesse posse.

8. Superioribus rationibus & auctoritatibus velut Davidicæ fundæ lapidibus Golias noster prostratus succubuit. Vincimur, inquit, quia criminosos sacerdotes verum corpus Christi conficere fateri compellimur; sed rursus ad alia fidei bella reparatur, ad novas & prophanas contradictiones erigitur, dicens: Sacramenta a criminoso sacerdote confecta, nec defunctis nec vivis crimina sacerdotis scientibus, sed ignorantibus dumtaxat prodesse. Ad quam falsitatem perimendam anteposita sufficiunt; supra enim Augustinus astantibus omnibus pro meritis & devotione sua proficere asseruit: « Sacrificium, inquit, impiorum tale fit cuique, quali corde ad accipiendum accesserit. Idem alibi: Nos diximus tale cuique fieri sacrificium, qualis accedit ut offerat, vel qualis accedit ut sumat; itaque si offerat Deo malus, & sumat inde bonus, tale est cuique qualis ipse fuerit, quia scriptum est: *Omnia munda mundis*. Idem contra hæreticum: Gratias ago Deo, quia nunc tandem confessus est posse valere invocatum nomen Christi ad aliorum salutem, etiamsi a peccatoribus invocetur. Idem: Nullius crimen maculat innocentem. Idem: Nemini alterius iniquitas nocet, nisi cum placet. Dominus etiam in evangelio dicit: quod *filius non portabit iniquitatem patris*: hic autem filius patris spiritualis iniquitatem portaret, si propter ejus crimina summi illius sacramenti fructu privaretur.

Tit. 1. 15.

9. Distinguit inter scientes & ignorantes, quasi scientia condemnet quem voluntas liberat, cum econtra non scire, sed consentire damnabile sit. Scientia cujusque rei a patre luminum; conniventia criminum a suggestione dæmonum est; ideo scire mala bonum, velle malum. Item: potest esse quod qui crimina sacerdotis norunt, filii sint gratiæ; qui ignorant, filii sint iræ. Hac ergo ratione non prodest devotis, & prodest his qui vitiis obsessi sunt. Sic quoque si omnes sciunt, nullis prosunt hæc salutis nostræ sacramenta, & ita vane Christus in hoc altari immolatur. Item: si non prodest scienti sacerdotis sui criminosi immolatio, prodest autem alterius qui sine crimine est, suum ergo dimittere, & alium adire tenetur, cum econtra Dominus in evangelio dicat, ut *Nemo in alienam messem falcem mittat*. Unde Calixtus papa: « Nullus alterius terminos usurpet, nec alterius parochianum judicare vel ordinare vel excommunicare præsumat. Item ex Constantinopolitana synodo, episcopi extra terminos suos non excedant, nec confundant, aut permisceant ecclesias; sed regulas servent constitutas. Item ex Antiocheno concilio, episcopus extra diœcesim suam nihil agere permittitur.

Etiam non ignorantibus eos esse malos.

10. Sufficiunt hæc ad ammonendum docilem, non ad convincendum pertinacem, qui contra fidem sine fœdere bellat: quia enim inter veri assertionem & placiti defensionem pertinax pugna est, ideo talibus auditis, bellator noster non cedere, sed re-

Patrum auctoritates ab Alberone allatæ explicantur.

bellare parat. Et nos, inquit, argumenta habemus. Nicolaus omnibus episcopis scribens ait: Nullus audiat missam sacerdotis quem indubitanter habere concubinam novit. Alexander secundus similiter: Sancta, inquit, synodus sub excommunicatione statuit, ut quicumque sacerdotum, diaconorum, vel subdiaconorum, concubinam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte Dei & auctoritate beati Petri prohibitus, missam non cantet, nec evangelium vel epistolam ad missam legat. Si, inquit, sacerdos concubinam habens, eo ipso quod missam cantat, excommunicatus est, sacramentum communionis nec sibi nec populo in salutem conficere potest. Gregorius Bertolfo & Ruotolpho comitibus similiter: Officium, inquit, simoniacorum & in fornicatione jacentium, scienter nullo modo recipiatis, immo, quantum potestis, tales a ministeriis prohibeatis. De scientibus, inquit Augustinus, non de ignorantibus, & quod de simoniacis & fornicariis dicit, Golias noster a parte totum accipiens, de criminosis omnibus vult intelligi, cum hoc decreta non exprimant. Potius si diligens perscrutator scripturarum existeret, validiora quæ ad tenendum dicta sunt, perspecta & cognita haberet, & de his quæ ad exponendum auctores prodiderunt, perfidiæ sectam nec gignendam nec firmandam putaret. Siquidem e contra ex concilio Gangrensi ita legitur: Si quis discernit presbyterum conjugatum occasione nuptiarum, tamquam offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideo abstinet, anathema sit. Nicolaus ad consulta Bulgarorum similiter: Consulendum decernitis utrum presbyterum conjugatum debeatis sustinere, an a vobis projicere. Ad quod respondemus, quod licet valde reprehensibiles sint, vos tamen Deum convenit imitari, qui solem suum facit oriri super bonos & malos. Dejicere autem a vobis non debetis, quoniam nec Judam Dominus quem furem novit, ab apostolorum numero dejecit; vobis enim qui laïci estis, de presbyteris judicandum non est, sed episcoporum judicio, quicquid illud est reservandum. Ex pœnitentiali Bedæ: Sprevisti ministerium conjugati presbyteri, ita ut nolles ei peccata confiteri, vel ab eo corpus Domini percipere, ob hoc quod peccator tibi videretur? Si fecisti, annum per legitimas ferias pœniteas. Item Nicolaus ad consulta Bulgarorum: Sciscitantibus vobis si a sacerdote qui fuerit in adulterio deprehensus, sive de hoc sola infamia respersus, debeatis communionem recipere necne. Respondemus, non potest aliquis, quantumcumque pollutus sit, sacramentum divinum polluere. Idcirco ab eo, quousque episcoporum judicio reprobetur, communio percipienda est: quia mali bona ministrando se tantum lædunt, & cerea fax unde aliis lumen, inde sibi detrimentum præbet.

Auctoritates contrarium afferentes.

A

B

C

D

E

11. His accedunt Augustini, Hieronymi & aliorum explanatorum auctoritates, qui in superioribus copiose protestati sunt, virtuti sacramentorum enormitate ministrorum nihil deperire. Et quia canonum per canones interpretatio authentica & irrefragabilis est; ideo sciri volumus quod Urbanus papa in epistola ad populum (a) S. Vincentii, determinans ait: Si adulteri, vel alias criminosi, hæresi vel schismate, id est præcisione vel depositione ab ecclesia non separantur, sacramenta eorum sancta non negamus, sic Augustinum sequentes: Sed prædecessores nostri Gregorius (b) & Nicolaus a missis talium abstinere præceperunt, ut hoc terrore & peccandi licentiam ceteris auferrent, & ipsos rubore sui contemtus ad digna pœnitentiæ lamenta revocarent. [a] [b]

12. Tanta ergo freti auctoritate, audemus dicere, canonem illum Nicolai, dandæ non datæ fore sententiæ, vel quod indubitanter nosce, per sententiæ nominationem nosce sit. Est enim scientia naturalis, ut quæ per sensum est; & civilis, ut quæ per confessionem in jure factam vel convictionem. Hæc indubitabilis est, circa sensum autem rectitudo & peccatum est. Cum Alexandro autem fatemur omnino inhibendum criminosis sacramenta Dei lutulentis suis manibus contrectare: si tamen in ordine donec tolerantur, tractaverint, vera & veneranda fatemur. Siquidem explorati juris est pleraque extra debitum fieri, facta tamen perseverare. proinde quod Gregorius scribens comitibus, ne scienter missas talium audire præcepit, non ideo fecit ut legem posteris præscriberet, sed sacerdotes sui temporis ad percipiendum decretum sacerdotalis continentiæ tunc novellum, pœna saltem extraordinaria coërceret. Sic enim & qui tortuosa lignorum dirigunt, nimis in contrarium flectunt, dum reflexum metuunt.

13. Superest auctoritas quædam ejusdem Urbani, quæ nisi scienter perspecta sit, aliquod huic impietati amminiculum præbere videbitur. Proprias, inquit, habent criminosorum sacramenta virtutis dignitates, ut beatus Augustinus super Johannem contra Donatistas ait; sed agentibus & suscipientibus eadem sacramenta contra sanctorum pontificum instituta, nisi forte sola morte interveniente, utpote ne sine baptismate vel communione quilibet humanis rebus excedat, eis, inquam, in

Locus Urbani papæ objectus explicatur.

(a) Id est ad populum qui subest jurisdictioni quasi episcopali abbatis S. Vincentii de Vulturno.

(b) Gregorius scilicet VII. & Nicolaus II.

tantum

» tantum obsunt, ut veri idolatræ sint, cum » talibus & ordinationum & sacramentorum » confectio, & aliter quam præmissum susceptio vehementer a sacris ordinibus prohibeantur. Ecce hic expresse dicit quod sacramenta a criminoso sacerdote scienter suscepta, nisi sola mortis causa, vehementer officiant. Et ne quis hanc secundum præmissa determinationem de præcisis accipiat, advertat quod sequitur: hæc de malis catholicis qui intra ecclesiam sunt. Ceterum schismaticorum & hæreticorum sacramenta quoniam extra sunt, juxta sanctorum patrum traditiones, Pelagii scilicet, Gregorii, Cypriani, Augustini, Hieronymi, formam quidem sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur, nisi cum ipsi vel eorum sacramentis initiati per manus impositionem ad catholicam veritatem redierint.

13. Ecce quod inter hæreticos & sacerdotes catholicos sed criminosos discernit, dicens illos imaginem sacramentorum exhibere, istorum sacramenta vera esse; scienter tamen de manibus eorum suscipientibus inutilia, nisi suprema necessitas perurgeat. Quæ sententia ad prædictam impietatem vehementer perurgere videtur, in cujus determinatione auditoris quam doctoris vicem sustinere mallem: sine præjudicio tamen melioris sententiæ, de convictis & ob hoc interdictis sacerdotibus malis accipiendum mihi videtur, quos licet ecclesia in sua communione sustineat, in officii tamen executione supportare non debet. Suspensis enim sacerdotibus conficere non licet, si tamen donec nudati non sunt conficiant, sacramenta quidem vera sunt, sed non de eorum manibus accipienda, nisi metus imminentis mortalitatis compellat. Potest etiam de his intelligi, qui habitis probationibus nota sacerdotum suorum scelera arguere, & ad judicis notitiam perferre dissimulant, quia, ut ait auctoritas, nolle cum possis perturbare perversos, non aliud quam consentire est, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.

III. Mortuis non obesse sacerdotum crimina.

14. Deinde quod defunctis criminosorum sacerdotum sacramenta non prodesse dicit, rationi & auctoritati inimicum est. Ad defunctos enim vivorum crimina quid attinent? Illa magis est sequenda sententia, ut vivorum opera bona defunctis prodesse, sed mala eorum eis non obesse possint, propter judicis nostri sententiam, qui tardus ad pœnas, ad præmia promtus est. Item, si nescientibus vivis talia sacramenta prosunt, mortuis quibus magis misereri pium est, quare non proficiunt? Ita hoc dicit tamquam defunctis omnia vivorum opera innotescunt. In commentariis super finem Isaiæ econtra legitur, quod sancti

A humana sorte exemti, quid vivi illorum filii faciant ignorant.

15. Augustinus super psalmum 108. de talibus ambigere magis quam asserere docet. Quæret, inquit, aliquis an ullus dolor « tangat mortuos de his quæ post mortem « in suis contingunt; vel quomodo ea quæ « circa nos aguntur spiritus defunctorum no- « verint? Cui respondeo, magnam quæstio- « nem esse, nec in præsenti disserendam. Ve- « rumtamen dici potest, quod est cura mor- « tuis de suis caris, ut de divite legitur; sed « non ideo consequens est eos scire læta vel « B tristia, quæ hic circa suos aguntur. Si ergo « Augustinus non audet asserere defunctos nosse læta vel tristia circa suos; quis asserere præsumet crimina eos nosse extraneorum? Augustinus enim in Enchiridion hanc falsitatem expugnat dicens: Negandum « non est defunctorum animas pietate « viventium relevari, cum pro illis media- « tori sacrificium offertur, vel eleemosynæ « in ecclesia fiunt; sed hæc eis prosunt, qui « cum viverent, ut hæc in posterum sibi pro- « desse possent meruerunt. Est enim quidam « C vivendi modus, non tam bonus, ut non « requirat ista post mortem; nec tam malus « ut non prosint ei ista post mortem. Est vero « talis in bono, ut his non egeat. Est rursus « talis in malo, ut his juvari non valeat. Cum « ergo sacrificium altaris pro baptizatis om- « nibus offertur, quare quibusdam prodest « & quibusdam non, nisi propter differen- « tiam vitæ quam quisque gessit in corpore? « Hic dicit propter solam differentiam vitæ propriæ defunctis non prodesse. Si ergo propter solum vitæ propriæ modum, tunc non propter crimina sacerdotum. Item: D transivit aliquis qui spiritalibus suffragiis juvari promeruit: fiunt hic hæc sæpius per sacerdotes malos quam bonos. ubi ergo fiunt, per malos fiunt; ubi per malos fiunt, non prosunt. Itaque ubi fiunt, non prosunt. Liquet etiam quod non prosunt, ubi non fiunt. Hac ergo ratione multi de hoc sæculo transeuntes meritis suis privantur, cum contra scriptum sit quod nullum bonum irremuneratum.

An agnoscant ea quæ circa suos aguntur.

IV. Refellitur quartus Alberonis error.

16. Addit denique somniator noster, quod non mentibus solum, verumetiam auribus Christianis onerosum est, videlicet E inter hoc sacrum mysterium semper dæmonum, raro sanctorum angelorum præsentiam haberi. Cum enim Christus in altari totus & integer corporali habitatione sit, præposterum valde atque horrendum est, quod contubernium ejus sanctis ibi angelis adimit, dæmonibus concedit.

17. Apostolus econtra dicit: *Quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ societas lucis cum tenebris?* Audiamus firmum ex ore inimici testimonium. *Quid*, inquiunt in evangelio, *nobis & tibi, Fili Dei?* Ac si aperte 2. Cor. 6. 15. Luc. 4. 34.

dicerent, nulla communio, nulla cohabitatio. Rursus cum ipse sit Dominus Sabaoth, id est exercituum, angelorum videlicet eorum satellitio privari nusquam credendus est. In laudibus puerperæ, obstetricum vice angelos affuisse ut ministrarent ei, ecclesia commemorat. Cum exprobrasset tentatori, continuo angelos affuisse ut ministrarent ei, evangelium commemorat. Cum Petrus humano pro ejus defensione zelo inflammatus esset, ipse magister patientiæ compescens ait: *An non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plus quam* XII. *millia angelorum?* Matt. 26. 53.

18. Beatus Gregorius in homilia paschali hæresim istam apertissimis verbis exterminans ait: » Quis fidelium dubium habere possit in ipsa immolationis hora ad » sacerdotum vocem cœlos aperiri, in illo- » rum ministerio angelorum choros adesse, » summa & ima sociari, unum quid ex invisi- » bilibus & visibilibus fieri. Idem alibi: Eo- » dem momento in cœlum rapitur ministe- » rio angelorum consociandum corpori Chri- » sti, & ante oculos sacerdotis in altari vi- » detur; sicut Divinitas Verbi totum mun- » dum implet, ita multis in locis corpus con- » secratur.

19. Item Augustinus: Recolite nomen, » & advertite veritatem. Missa dicitur eo » quod cœlestis missus ad consecrandum vi- » vificum corpus Domini adveniat, juxta di- » ctum sacerdotis: Omnipotens Deus, jube » hoc perferri per manus sancti angeli tui in » sublime altare tuum; idcirco nisi angelus » advenerit, missa nequaquam pure vocari » potest. Ex his perspicuum est sacrificium altaris numquam sine bonorum angelorum præsentiali ministerio consummari. Opinio ista magis est absurda, magisque fatua, quam ut contra eam multis conari necesse sit, quia ut quidam sapiens ait, quolibet contraria opinionibus proferente, sollicitum esse non oportet.

VI. Non audiendum esse Albertonem, dum per ignem probare suum errorem proponit.

20. His & similibus hæreticus noster convictus, triumphante adversus eum veritate, adversus eum valitura in perpetuum, quia scriptum est similia similibus gaudere, sicut intus male inflammatus fuit, sic foris flammas petiit, per ignem examinari deposcens, ut hoc visibili argumento veritas assertionis suæ omnibus innotesceret, si per ignem sine incendio pertransiret, tamquam si elementum per quodcumque maleficium vim suam omitteret. Ideo fides illa prophana & impia habenda foret, quam Unigenitus qui est in sinu Patris enarravit, & pro qua millia sanctorum sanguinem suum fuderunt; quam cum insuperabili facundia & argumentosa loquacitate expugnaret Arius, crepuit medius, & effusa sunt viscera ejus. Non hoc docuit Dominus, non ita fecerunt apostoli. Potius, inquit, A *Si persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Matt. 10. 23. unde & ipse rabiem persecutorum antequam venisset dies ejus declinans, sæpe latuit, sæpe se abscondit, sæpe transiens per medium illorum ibat, Christus cujus omnis actio Christianorum est lectio, hoc docuit verbo, hoc consecravit exemplo, ut nemo sibi manum injicere, nemo se inconsiderate periculis offerre debeat. *Non tentabis*, inquit, *Dominum Deum tuum.* Matt. 4. 7. Laurentius flammas non petiit, sed admotus patienter sustinuit. Gregorius Brunichildæ Francorum reginæ inter cetera ita scribit: Vulgarem nulla canonica san- « B ctione fultam legem, ferventis sive frigidæ « aquæ ignitique ferri contactum, quia fa- « bricante invidia reperta sunt, nec clericum » exhibere, nec te aliquo modo postulare » volumus, immo apostolica auctoritate fir- » missime prohibemus. »

21. Illud denique quomodo ferendum est, quod deficientibus scripturis ad revelationes venit, tamquam per visiones & somnia instructus sit, vel angelus de cœlo novum evangelium ei locutus sit, cum e- C contra Apostolus: *Etiamsi angelus*, inquit, Gal. 1. 8. *de cœlo aliud annuntiaverit, ne crediderìtis.* Non prophetica, sed fanatica esse visio, vel magis phrenetica illusio, ex ore suo judicatur, qui semper dæmones, raro bonos angelos sibi apparere confitetur.

22. Libet post hæc in admiratione præsumtionis tuæ, ô propheta noster, paulisper occupari. Albertonis præsumtio arguitur. quibus gradibus in hanc cordis altitudinem ascenderis, ut universali ecclesiæ bella ingerenda putaveris, invenire vix possumus, utrumne cupido gloriæ, an simplicitas animi tui, an præsumtio sensus errare te fecit. hæresum enim omnium D causæ tres sunt. Omnes siquidem qui ab utero matris ecclesiæ erraverunt, aut ultra sobrietatem sentientes, in scrutiniis suis defecerunt, aut scienter veritatem impugnantes, novitatibus suis singulariter videri voluerunt, aut seductibili corde aliorum impietatibus adhæserunt: tu vero gloriandi causa impia scienter jactari videris. nam sagacior appares, quam ut seductus sis; simplicior quoque, quam ut seducere potueris: unde & insania tua majori admiratione digna est. Omnes Christi contradicto- E res, qui ante te in cœlum ascendentes, sedem suam ad aquilonem posuerunt, gigantes erant statura magna, scientes bellum, mens eorum erudita, & lingua magniloqua, magnitudine ingenii & torrente eloquii mirabiles. Mantica eorum plena scripturis, & memoria copiosa argumentis: tu vero, homo pusille & inermis, corde nanus, & lingua balbus, qui nec magistrorum limina trivisti, nec per studium lectionis scripturas nosti, unde præsumis? quidve moliris? Si bella quæris, hæc tan-

to agonistæ non inferre, sed referre fides catholica parata est. Tu qui in conflictum nos evocas, ordire prior, litis tuæ argumenta profer, rationibus & auctoritatibus urge, ut ita demum pro defensione veritatis ex adverso assurgere debeamus. Sed te nec ratio nec scriptura, sed gloria excitavit. Facere tibi nomen juxta nomen magnorum, qui sunt in terra, decrevisti. Exulta satis, gloriosus es in omni climate nostro, magister erroris prædicaris. Sin apostolum veritatis te facis, quomodo post adventum Salvatoris tot annorum curriculis dilatus es? Invidisse videtur scientiarum Dominus prioribus sæculis veritatem, qui tam serum ad hæc præconem misit. Donatistarum tamen inveteratus error idem fuit, quem pater Augustinus tractatu super Johannem multis & convenientibus scripturarum testimoniis peremit. Tunc ante arcam Domini muri Jericho corruerunt: *Maledictus qui reparat ruinas ejus.* Fides tua non solum nova, sed solitaria est: ideoque fides catholica non est. Si Catholicus esses, id est universalis, in fide communis, in vita singularis fieri studeres. Vox tua ab universali harmonia dissonat, ideoque in tanta fidei nostræ consonantia vox solius, vox nullius est. Singulariter audiri voluisti, & singulariter audieris, quia indicto tibi silentio lingua capulaberis, ut ceteri exemplo tui pertimescant, & a doctrinis novis & profanis abstineant.

23. Ad summam aut tecum est fides, aut nos universi matris ecclesiæ filii, qui una tibi voce contradicimus, erramus; aut si nobiscum est Christus veritas, tecum est antichristi impietas. qui enim non est Christi, est antichristi. Et profecto mirum & miserabile est, si mater sancta & fœcunda, & usquemodo numerosa filiorum plebe beata, in numerum singularem redacta est, ut ecclesia super firmam petram ædificata, in te solo consistat.

Invehitur in malos sacerdotes.

24. In conclusione sacerdotes nostri temporis, qui soluta zona pudicitiæ, animas suas desideriis & inertiæ tradiderunt, commonere necessarium duximus, ne in hac disputatione nostra subrideant, suamque hic agi causam arbitrentur; quia non ita hæreses compescimus, ut sceleribus sacerdotum nefarium ausum præbeamus, quibus necesse est, ut non de sacramentorum veritate confidant, sed de sua indignitate gravissime pertimescant; quia in tremendo illo examine melius eis fieret, nulla quam vera esse sacramenta, quæ negligenter & abjecte contrectant. Nimirum juxta præfatam beati Gregorii sententiam, qui sordide sancta contingunt, deterius inde sordescunt. Attendant potius se in superioribus propter infructuosam cordis sui duritiem, lapideo canali comparatos. Animadvertant ipsi qui dicunt & non faciunt, se ab Apostolo æs sonans & cymbalum tinniens dictos, sibi surdi, aliis vocales sunt. Metuant ipsi canes muti, duces cœci, doctores insulsi, sal infatuatum, juxta dominicam illam sententiam: *Ad nihilum*, inquit, *utile est, nisi ut foras projiciatur, & conculcetur ab hominibus.* Et alibi: *Si cæcus cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadunt.* Sacerdotes mali caligo sunt populi, ipsi duces cœci ductos cœcant, & se & imitatores credulos in erroris foveam præcipitant. Recogitent ipsi qui amant primas cathedras in synagogis, primos recubitus in cœnis, & primas salutationes in foro, quod quanto gradus altior, tanto casus gravior; quia gravior fit reatus criminum ex sublimitate delinquentium, & majoribus suppliciis mancipantur quibus plurimum honoris tribuitur, si pravis moribus implicentur. Pertimescant ipsi, qui sub officio sanctitatis operarii sunt iniquitatis, sub figura lucis principes tenebrarum, sub stipendio Christi satellites antichristi, quod durissimum fiet judicium his qui præsunt, & fortioribus fortior instabit cruciatus; quia cui plus committitur, ab eo plus exigitur. Ingemiscant ipsi medullitus, qui sceleratis suis actibus non suas solum, sed & subditorum animas perdiderunt, & quod gravius est, zelatores virtutis hæreticos se fecerunt, dum sacramentis sanctitatem & contractantium perversitatem compararent, reputantes tam opposita in eodem simul non debere esse nec posse. Vobis ergo, sacerdotes mali, erroris præfati omne pondus incumbit, quia profecto sceleratior est errante qui errorem parit.

Matt. 5. 13.
Matt. 15. 14.

VII. An pro adimplendo missæ officio flagitandus sit malus sacerdos.

25. Vestram denique præsumptionem ut ex proposita materia reprimamus, hanc in fine quæstionem adjicimus, an peccatum sit, si sacerdos qui vitiis obsessus agnoscitur, pro implendo missæ officio flagitetur. Explicatius dicamus. Est aliquis suo pastori quem criminibus irretitum agnoscit, per obedientiam addictus, cari sui memoria recolitur, tricesimus forte dies aut anniversarius dies ejus agitur, alienum adire, an proprium pastorem manifeste criminosum interpellare, an officium hoc pietatis prorsus intermittere? Quid horum satius? suum pastorem postponere, & extraneum adire obedientia vetat, ad hoc enim parochiarum limites discreti sunt, ne quis propter ecclesiæ sacramenta, ad arbitrium sacerdotem eligere præsumat, anathemate firmatum est, ut unusquisque suum præsepe agnoscat, ubi doctrinæ & sacramentorum pabulo reficiatur. Omittere vero hæc animarum solatia, hæc sanctæ religionis suffragia, contra officium pietatis & justitiæ est, quia cari nostri rebus humanis exemti, sua virtute suisque bene-

ficiis ita nos sibi debitores fecerunt, ut hæc eis & jure debeamus, & inique abnegemus. Restat ergo ut proprius sacerdos licet impius sciatur, propter immolationem altaris interpelletur. Sed his adversatur, quod in judicium suum scienter exigitur, quia *qui indigne sumit, mortem sibi manducat & bibit*. Scimus etiam hanc altaris immolationem offerenti plus obesse, quam eis pro quibus offertur prodesse. Cum enim ad gehennam ædificat, illos forte a gehenna non liberat. Si absque indumentis angelicis, & absque vasis mysticis quempiam celebraturum agnosceres, nequaquam eum ad hoc officium invitares. Si manibus materiali luto plenis ad hæc vivifica sacramenta accederet, prudentius eum amoveres quam acciperes. Fæx animi gravior est, & interior inquinatio ulterius attaminat, plus quam offendat, Altissimum illotis affectibus quam non lotis manibus & absque veste nuptiali, quam sine hac veste materiali consecrare. Apostoli cum primum confecerunt, putas stolis utebantur aut casulis? Martinus nudis brachiis obtulit & globus igneus super caput ejus apparuit. Prima sacramenti hujus institutio non in auro, sed in catino facta est. Ad hæc si sacerdotibus interdictis celebrationem exigere non licet, ergo nec a sacerdotibus qui criminibus irretiti sciuntur, quia his ex ore omnium sanctorum, donec tales sunt celebrare prohibentur. Denique cum omnem proximum præcipue spiritualem patrem nostrum tamquam nos, id est ad vitam diligere jubemur, cum ergo per salutaria monita ab his revocare, per quæ sibi mortem meretur, oportet. Itaque non ad hæc sacramenta indigne tractantem flagitari, sed instanter suggerere & attentius persuadere opus est, ut modis omnibus nisi prius per digna Deo lamenta satisfaciat: *Probet*, inquit Apostolus, *seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*. Ex præcepto legis paschalis agnus nisi cum lactucis agrestibus comedendus non est, satagat ergo devotus Christi minister ante introitum altaris in lacrymis suis baptizari, recogitet annos suos in amaritudine animæ suæ, lavet per singulas noctes, id est per singula peccata, stratum conscientiæ suæ, quia lacrymæ levant delictum, quod pudor est voce confiteri. Statuat se ante tribunal mentis suæ, ut ibi reatum conscientiæ accuset, ratio judicet, timor liget, dolor excruciet. Si nosmetipsos ita judicamus, a Domino non judicamur. Quid autem in proposita quæstione definiri oporteat, a doctoribus audire non piget, quia veritas sine periculo auditur, sed sine periculo non docetur. Mihi quoque cum Cananæa non opprobrium micas edere sub mensa dominorum.

1. Cor. 11. 27. — Ibid. 28.

Ambigue dicta circa proposita orthodoxorum patrum testimonia ideo diligentius adunavimus, ne quis a modo occasione talium in erroris labyrinthum intricando impingat. propter electos enim Dominus in arcu suo vasa mortis paravit, ut scripturis invigilent & excludantur qui argento probati sunt.



LIBER

LIBER MAGISTRI NICOLAI[a] ORESME EPISCOPI DE ANTICHRISTO ET EJUS MINISTRIS ac de ejusdem adventu signis propinquis simul & remotis. Ex diversis sacrarum scripturarum testimoniis elegantissime compilatus.

QUATUOR CONTINENS PARTICULAS.

Ex manuscripto S. Victoris.

OBSERVATIO PRÆVIA.

NICOLAI Oresmii Lexoviensis episcopi tractatum de Antichristo debemus pio ac erudito ejusdem diœcesis clerico beneficiario, qui eum debitæ luci reddere susceperat ex antiquo codice insignis bibliothecæ S. Victoris, ubi & quamplurima alia Oresmii opera majorem partem inedita asservantur. Nam præter ejus de mutatione monetæ librum, quem perperam attribuit Gesnerus Guillelmo Oresmio ejus fratri seu ex fratre nepoti, & sermonem Avenione coram Urbano & cardinalibus habitum, anno reparatæ salutis tertio & sexagesimo supra millesimum & trigesimum, vix quidquam hactenus de tanto viro prodiit. Quod quidem mirari satis non possumus tam veneranda excellentissimi ingenii monimenta in tam celebri loco tenebris premi ac pene negligi. Ut enim taceamus quod prædicat Launoius, eum primum Navarræ regiæ intulisse scientiarum pene omnium splendorem, ejus maxime opera Carolus V. Francorum rex illustris, cujus præceptor fuit & custos, sapientiæ nomen est adeptus. Sed & tantam de se admirationem, suscepto collegii sui regimine, excitavit, ut infinitis deinceps honorum titulis auctus ac cumulatus, præfectus denique sit ecclesiæ Lexoviensi: quam cum sapientissime rexisset annis omnino septem, humanis rebus exemtus est, magno sui desiderio relicto. Tractatum ejus adversus astronomos non sine laude recensent Thomas Lexoviensis & Picus Mirandulanus. Nostrum vero quod attinet, melius ex ejus lectione quam ex cujusquam oratione & testimonio quanti sit pretii cognosci poterit.

(a) In codice Victorino titulus hoc modo effertur, *Liber Bonaventuræ secundum aliquos, secundum alios magistri Nicolai Oresme.*

QUoniam quidam in tantam audaciam sunt prolapsi, ut sanctæ ecclesiæ, cui in hoc sæculo non nisi persecutiones restant, tempora pacifica cum adventu Spiritu-sancti promittant, & de medio duorum montium nobis prophetent tertium exiturum testamentum, evangeliumque Filii Dei asserant cessaturum; sub quo, ut dogmatisant, homines simpliciter spirituales erunt illud recipientes & defferentes, cum sub testamento evangelico partim fuerint animales, partim spirituales: sicut abbas Joachim in libris quos scripsit de concordia, dogmatizat contra expressam apostoli authoritatem dicentis; novum testamentum in morte testatoris sic confirmatum, ut illi aliud non succedat: cum Christi sacerdotium sit æternum, sicut dicitur ex persona Patris in psalmo:
Psal. 109. 5. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*; & non translato sacerdotio, legis secundum apostolum non possit fieri translatio.

1. Alii vero præmissis faventes, pariterque concordantes, propter mala quæ in ecclesia multiplicantur, abundantiam iniquitatis, teporem ac refrigescentiam caritatis, cumulum infidelitatis, in fine ecclesiæ adventum nobis promittunt prædicatorum
Matth. 24. 24 bonorum: cum tamen ipsa in evangelio veritas ecclesiam præmunierit de adventu pseudochristi & pseudoprophetarum,
Ibid. 12. ne ab ipsis incauta deciperetur. Quorum adventum ex abundantia iniquitatis, refrigescentia caritatis, augmento infidelitatis, teste ipsa evangelica veritate, manifeste probatur.

2. Alii vero pacis longa tempora & securitatis promittunt ecclesiæ in suis scriptis, ejusque ætatem ultimam, quantum ceteræ insimul duraverunt ætates, asserunt duraturam. Quia, ut dicunt secundum Augustinum, senectus tantum temporis continet, quantum omnes ceteræ ætates, quibusdam signis evangelicis & apostolicis de approximatione ultimæ persecutionis obdurato capite resistentes; in quo se esse pseudo manifeste ostendunt, & de semetipsis concludunt quod vitare intendunt. Qui tot mala contra Dominum in ecclesia pullulare videntes, cordis sui visionem loquuntur, non de ore Domini di-
Jerem. 23. 17 cunt. *Iis*, inquit Dominus, *qui blasphemant me, locutus est Dominus: pax erit vobis*, & omnes qui ambulant, *in pravitate cordis dixerunt: non veniet super vos malum.* Similitudinem Ananiæ filii Azur de Gabaon pseudoprophetæ, referentes, qui Jeremiæ ex mandato Domini synagogæ captivitatem prophetantis, de collo catenam, pacem prædicando confregit: cui in auribus po-
A puli universi verus Christi propheta respondit: *Propheta*, inquit, *qui fuerunt ante me & ante te*, non falsi, sed veri prophetæ *ab initio prædicaverunt multa, & super regna multa*: non de pace. Ut speudo, sed *de prælio, & de afflictione, & de fame.* Ideo, inquit, *non te misit*, Anania, *Dominus*; *& tu fecisti populum istum confidere in mendacio.* Et in hoc maxime illa tempora propinquare concludunt, quia securitatem promittunt, ipso teste Apostolo, qui de illis ait: *Cum dixerint pax & securitas, repentinus superveniet interitus, sicut dolor parturientis, & non effugient*, sicut juvante Domino magis declarabitur in sequenti. Ibid. 28. 8. Ibid. 15. 1. Thess. 5. 3.

4. Ideo ad cautelam electorum filiorum lucis non tenebrarum: ne super illos dormientes & torpore marcentes illa veniat persecutionis ultimæ, quæ pluribus signis ac prodigiis imminere videtur, repentina tempestas, & tamquam fur illos comprehendat insperate, dignum duximus aliquid scribere, dum operari licet & facultas se offert operandi, de ultima ecclesiæ persecutione, & adventu filii perditionis cum ministris & prædicatoribus suis, non novo genere exponendi, sicut abbas Joachim facere se promittit in prologo libri prædicti; sed potius profanas novitates secundum præceptum Apostoli devitantes, opusculum ex testimoniis scripturarum sacrarum cum divino adjutorio compilare; in quibus, teste apostolo Petro ecclesiæ firmamento: « Sancti Dei prophetæ & apostoli, non voluntate humana sunt locuti, sed Sancto Spiritu inspirati. « Quas scripturas divinas ne « credamur, quod absit, ad nostrum trahere sensum, præcedentium nos patrum expositionibus muniemus: quia secundum B. Augustinum: « Eodem spiritu quo conditæ, expositæ sunt scripturæ. «

5. Quod si forsan, quod absit, aliquid dicamus, qui parvæ experientiæ, exiguæ sapientiæ, parvique temporis sumus, quod scripturæ sacræ aut ejus expositoribus absque dubio contradicat; illud, si cognoverimus, nec tenere volumus, & tamquam falsum reprobamus, correptorem liberum peroptantes in tanta pervagatione secreti, in quo stupet vir desideriorum & conqueritur, eo quod non sit qui interpretetur, Dan. 10. 8. quia clausi signatique sunt sermones usque ad præfinitum tempus. Nec arrogantiæ imputetur quod tam sapiens propheta ignoravit, pro nostro modulo indagare; cum & eidem angelus dixerit: *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit intelligentia.* Et, *Impie*, inquit, *agent impii, nec intelligent impii: porro docti intelligent.* In quo nobis angelus præmonstravit, quia per inspectionem scripturarum pervenietur ad cognitionem illorum temporum. Et Dominus cum de illis temporibus ecclesiam præmu- Ibid. 10. 14. Ibid. 10.

niret, ait: *qui legit intelligat*: quia intelligentia opus est in visione, nec ad præmissorum intelligentiam monuisset, si illorum intelligentia a suis exquiri non valeret.

6. Ideo ipsum humiliter & affectuose rogamus, ut intellectum præbeat, qui nos illa tempora investigare monet: quoniam per ipsum sanctæ ecclesiæ multa sunt de futuris aperte revelanda, quæ in retroactis temporibus sub quibusdam figurarum velaminibus sunt abscondita, sicut dicit B. Gregorius libro nono Moralium: Urgente, inquit, mundi fine, superna scientia proficit, & largius cum tempore excrescit: hinc namque per Danielem dicitur: Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia. Hinc Johanni in priori parte revelationis angelus dicit: *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua.* Qui tamen in ejusdem revelationis termino præcepit, *Ne signaveris verba prophetiæ hujus*: pars quippe revelationis anterior signari præcipitur, terminus prohibetur; quia quidquid in sanctæ ecclesiæ initiis latuit, quotidie finis ostendit. hinc & B. Augustinus libro vigesimo de Civitate Dei capite ult. de illis ultimis loquens temporibus, ait: Quoniam rerum experientia magis tunc sanctos docebit, quam suo tempore hominum intelligentia ad profectum valeret consequi.

Apoc. 10. 3.

Apoc. 22. 10.

7. Non quod tempora persecutionis ultimæ dicere, vel horam signare velimus, aut adventum Domini, qui illam persecutionem statim sequitur, sub annorum seu dierum aliquorum curriculo terminare, cum de temporibus sit quæ Pater posuit & reservavit in sua potestate, sicut apostolis ipse Dominus de his quærentibus Act. 1. legitur respondisse: *Non est vestrum scire tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate; sed accipietis virtutem Spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in omni Judæa & Samaria, & usque ad ultimum terræ.* in quibus verbis secundum beatum Augustinum, omnem resecavit dierum computationem vel annorum. Sed tamen qui diem vel horam, ut sui continue vigilarent, ad hæc suspensi, non præfixit, de illorum cognitione temporum plurima in scripturis sacris signa dedit. quia, ut glossa dicit Apoc. 6. si de tribulationibus taceret, deficere possent fideles, si de improviso tribulatio insurgeret.

Act. 1. 7.

Apoc. 6.

8. Ideo adventus illorum temporum consideratione, suos sollicite vigilare præcepit, ut cum illa impleri videremus, non deciperemur incauti, sed sciremus quia prope est in januis. *Ab arbore*, inquit, *fici, discite parabolam: cum ramus ejus tener fuerit & folia nata, dicitis quia prope est æstas; ita & vos cum videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis.*

Matt. 24. 32.

9. De quibus signis aliquid dicere volumus, & illa Christi fidelibus imminentia, tamquam vexillum elevare, ut fugiant a facie arcus: malentes propter detractores & veritati improbe resistentes, in hac parte silere, ne de talento abscondito in occupatione terrenorum argueremur a Domino, & inter servos nequam computaremur ab ipso, & ne nobis improperaret, quomodo improperavit Judæis, dicens: *Hypocritæ, faciem cœli dijudicare nostis, signa autem temporum non potestis scire*; & secundum Rabanum libro 5. super Matthæum: Signa temporum, dixit, non solum de adventu suo vel passione, cui simile est cœlum roseum vespere, sed & de tribulatione ante adventum suum futurum, cui simile est mane roseum cum tristitia cœlum; & ne insuper gladium super terram venire prævidentes, buccinaque non canentes, ut devitetur, sanguis proximi requiratur a nobis. Quod si sonitum buccinæ audierint, nec se a gladio servaverint, non super nos, sed super illos sit sanguis illorum.

Luc. 12. 56.

10. Quando ergo de prædictis dicemus, legentes in Domino obsecramus, ne credant, quod absit, nos inservire aliquorum detractioni, sed propter prædicta ad ista scribenda quadam necessitate compelli; nec trepidamus ad proferendam sententiam scripturarum, in quo magis diligimus cum beato Augustino inspici a rectis, quam timeamus morderi a perversis. Nec nostri detractores de nobis conquerantur, quod in hac parte loquimur obscure, quia ut glossa dicit Ezech. 38. multa consideratione & confirmatione multis opus est, ut quæ de Gog & Magog dicuntur, revelata facie possimus agnoscere. Et beatus Augustinus in epist. ad Ezichium dicit: Scrutandæ sunt scripturæ, nec earum superficie debemus esse contenti, quæ ad exercitationem nostram ita modificatæ sunt, ut altius se penetrari velint. Ideo a detractione mundent oculum mentis, quia non cum detractoribus, sed cum simplicibus est sermocinatio ejus; & nobis permittatur, qui primitias Spiritus prægustare non meruimus, nec corporali præsentia ad mensam sedere, saltem micas de mensa dominorum nostrorum colligere, & exinde cum ceteris ecclesiæ filiis saturari.

11. Sic autem in isto opusculo procedemus, ut primitus per signa scripturarum infallibilia persecutionem ultimam propinquare ostendamus; deinde de ingressu ipsius persecutionis & adventu filii perditionis agemus; tamdem de ipso perditionis filio & ejus progressu tractabimus. Sed de consummatione & exitu illius ultimæ tribulationis hunc tractatum concludemus; consummationis hujus operis spem ponentes in illo in cujus manu sumus, nos & sermones nostri; a quo, si fideliter laborave-

rimus, & mercedem laboris speramus.

INDEX CAPITULORUM
primæ partis.

CAPUT I. *De persecutionibus quas ecclesia ante generale judicium sustinebit.*
CAPUT II. *De signis remotis adventus antichristi & consummationis sæculi.*
CAPUT III. *De signis propinquis. Primo de cessatione Romani imperii.*
CAPUT IV. *De consummatione in omnibus gentibus prædicationis evangelii.*
CAPUT V. *De adventu pseudoprædicatorum & domos penetrantium.*
CAPUT VI. *De imbecillitate & ignavia prælatorum & ecclesiæ doctorum.*
CAPUT VII. *De translatione officii prædicatoris & excæcatione pastorum.*
CAPUT VIII. *De pace & securitate ecclesiæ in diebus illis.*
CAPUT IX. *De prædicatione ipsius securitatis.*
CAPUT X. *De cessatione signorum & miraculorum in ecclesia.*
CAPUT XI. *De augmento infidelitatis & raritate rectæ fidei.*
CAPUT XII. *De refrigescentia caritatis.*
CAPUT XIII. *De introductione alterius legis.*
CAPUT XIV. *Invectio contra abbatem Joachim, quod novum testamentum non cessabit.*

CAPUT I. *De persecutionibus quas ecclesia ante generale judicium sustinebit.*

1. CIvitas Dei per Christi sanguinem redemta & de potestate diaboli liberata, sancto purgata baptismate, regnumque Dei facta, quamdiu peregrinatur in terris, continue quatitur diversis tribulationibus
Joh. 16. 33. & pressuris, dicente illi Domino: *In mundo pressuram habebitis, in me* autem *pacem*; donec, sicut prophetatum est in Apocalypsi,
Apoc. 10. 7. in voce septimi angeli, *consummetur mysterium fidei*, & ventilabro judicii area ventilata, igne inextinguibili palea comburatur, grana vero in Patris horreo recondantur, ac per Christum prædestinatorum ecclesia, quæ Dei regnum, & Deo & Patri peracto judicio offeratur, & ad beatam Dei visionem pacemque perpetuam per-
1. Thess. 3. 3. ducatur; quoniam, teste Apostolo, in hoc Christiani positi sunt in hoc mundo, ut tribulationes patiantur.

2. Inde Augustinus in sermone 21. de verbis Domini, ait: « Scire, inquit, & intelligere debemus, fratres carissimi, quoniam Christianis, dum in hoc sæculo vivent, tribulatio deesse non poterit: Sic enim nos, sicut audistis, contestatur Aposto-
2. Tim. 3. 12. lus dicens: *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* Et iterum: *Per multas tribulationes oportet nos intrare* Act. 14. 21.
in regnum cælorum. Venturi, inquam, sunt dies tribulationis & majorum tribulationum venturi sunt, sicut dicit scriptura, & quantum accedunt dies, augentur tribulationes: nemo sibi promittat quod evangelium non promittit; quomodo enim appropinquante fine mundi, sicut dicit evangelium, *abundabit iniquitas, refrigescet caritas* Matt. 24. 12.
multorum. Sic propter ipsas iniquitates numquam deerunt adversitates.

3. Ideo opus est ut animum nostrum non solum ad pœnitentiam, sed & ad patientiam præparemus: Fratres mei, inquit, obsecro vos, attendite scripturas sacras si aliquid fefellerunt; si aliquid dixerunt, & aliter accidit quam dixerunt: necesse est ut usque in finem sic fiat quemadmodum dixerunt; non nobis promittunt scripturæ nostræ nisi tribulationes, pressuras & angustias, augmenta dolorum, abundantiam tentationum: sicut & ipse Dominus in evangelio dicit: *In mundo pressuram habebitis.* Joh. 16. 33.

4. Ad ista nos præcipue paremus, ne imparati deficiamus. Domino igitur mare hujus sæculi cum suis discipulis transeunte, cum quibus est usque ad consummationem sæculi, navicula ecclesiæ diversis tentationum fluctibus quatitur, donec ille magnus motus in mari contra illam insurgat, ut ipse Dominus dormire videatur: sicut Psalmista de illo tempore loquens, ait: *Exsurge, Domine, quare obdormis? exsurge, & ne* Psal. 43. 23.
repellas in finem. Unde quantum ecclesia aliquantulum pacis temporalis habere videtur, malorum majore amaritudine premitur, dicente in ejus persona propheta: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*; sicut Isa. 38. 17.
enim *oportuit Christum pati, & ita intrare* Act. 17. 3.
in gloriam suam; non suam propriam, sed a Deo sibi promissam.

5. Sicut Glossa dicit Matth. 2. super illud: *Et mittens occidit omnes pueros*: Quam Matt. 2. 16.
cito, inquit, Christus apparuit in mundo, incœpit in eum persecutio, quæ figuravit persecutionem sanctorum: Christus vero Dominus apparens in mundo, in primordiis infantiæ suæ ab Herode persecutus est cum populo Judæorum: qui cum ipsum natum audisset, teste evangelica veritate, *Contur-* Matt. 2. 16.
batus est, & omnis Jerosolyma cum illo: mittensque occidit omnes pueros qui erant in Bethleem Juda & in omnibus finibus ejus a bimatu & infra, secundum tempus quod exquisierat a magis, in illis Christum persequens ac perimere cupiens; propter quod fugit in Ægyptum.

6. Qua persecutione cessante, iis defunctis *qui quærebant animam pueri*, in Galilæam Ibid. 20.
reversus, in Nazareth adolevit; & cum juvenis factus, a baptismo regressus, & a diabolo in deserto tentatus, cœpisset devicta tentatione prædicare, secundam persecutionem

tionem sustinuit a legis doctoribus & scribis, cum remitteret peccata, illum accusantibus de blasphemia & dicentibus: *Hic homo a Deo non est, qui non custodit sabbatum.* (Joh. 9. 16.) Unde ipsum arguebant, quod male interpretaretur legem & prophetas.

6. Sed cum ejus prædicatio esset in potestate signorum & prodigiorum, quibus resistere non poterant adversarii; illi quodammodo cedentes, licet semper invidentes legisperiti, contra ipsum insurrexerunt hypocritæ pharisæi cum aliis sectis Judæorum, qui erant & scribæ, ejus vitam dente venenoso mordentes, quod ejus discipuli non jejunarent, quod cum publicanis & peccatoribus manducaret, quod in suo consortio peccatores reciperet. Hinc ille pharisæus dicebat: *Hic si vir propheta esset, sciret utique quæ & qualis mulier esset quæ tangit illum, quoniam peccatrix est.* (Luc. 7. 39.) Contra quorum hypocrisim usque in finem constanter & rigide prædicavit, eisdem prædicens & improperans: væ multiplicis pro illorum conversatione corrupta damnationis.

7. Quo sermone finito, statim discipulos docuit de ultima Christi persecutione, sæculique hujus consummatione. Qui pharisæi hypocritæ tantam in illum postmodum persecutionem concitaverunt, ut sibi Herodianos sociarent, pontifices atque populum in ejus persecutionem concitarent; & omnes in unum collecti quarta & ultima persecutione persecuti sunt, quæ nonnisi morte valuit pertransiri. Unde pontifices, scribæ & pharisæi in mortem ejus conspirantes, illum tradiderunt Pilato, & Pilatus Herodi, quos compulerunt in mortem ejus consentire, seducto ab illis populo, clamante: *Crucifige, crucifige eum,* (Ibid. 23. 21.) sicut omnia ista leguntur in evangelio.

8. Si igitur, ut supradicta glossa dicit, persecutio Christi persecutionem ecclesiæ figuravit, oportet similes persecutiones ipsam ecclesiam pati, ut membra conformentur capiti. Quarum quasdam jam passa est, quasdam vero adhuc passura est. Sicut enim infantiam Christi persecutus est Herodes rex cum populo suo, ita infantiam ecclesiæ cœperunt cum populis infidelibus infideles terræ principes debellare, & ejus pueros adhuc in fide teneros & novellos ubique occidere, Christo domino in quibusdam, ne fides periret, fugiente in hujus mundi Ægypto ac latente. Unde *Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus,* (Matt. 2. 18.) sub figura Rachelis ecclesia plorante filios suos, & consolari nolente, *quia non sunt,* sed ei per atrocissimas passiones subtrahebantur: quæ persecutio duravit usque ad tempora Constantini imperatoris. tunc enim mortuis illis, qui mortem ejus quæsierant, & ab impietate ad fidem pietatis terræ principibus cum multitudine populorum conversis, ecclesia quasi de Ægypto reversa, diversis afflictionibus & abstinentiis in hujusmodi deserto probata, jam juvenescens, cœpit aperte permissu principum, & in publico fidem secure prædicare, & episcoporum concilia ad statum ecclesiæ disponendum in unum, quod ante non licuerat, convocare.

9. Sed bello exteriori cessante, bellum contra eam surrexit intestinum: nam cum prædicandæ evangelicæ veritati instaret, contra ipsam insurrexerunt legis-periti & falsi doctores; atque illi legem spiritualiter exponenti cœperunt contradicere, & in suis membris illam vehementer affligere. Inde Arius Alexandrinus presbyter contra illum Christum, Dei filium verum, non per omnia Patri æqualem & coæternum prædicans surrexit. Inde Sabellius & Photinus, ceterique hæreticorum magistri caput extulerunt, & fere ubique terrarum contra ecclesiam rebellare cœperunt, & terræ principes non jam idolis, sed Christo capita submittentes, contra illam dolose commoverunt, sicut imperatorem Constantinum, & postmodum Valentem & Valentinianum. Inde sanctis ecclesiæ doctoribus, id est Athanasio Alexandrino, Dionysio Mediolanensi, Hilario Pictaviensi, pluribusque aliis exilia procurarunt; inde acerbas tribulationes horrendasque passiones aliis intulerunt. Sed attestantibus signis & prodigiis, sancti doctores eisdem viriliter restiterunt, & post multa fidei vacillantis pericula, tandem signis & virtutibus devicti hæretici, ac per sanctos doctores, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, ceterosque coadjutores eorum jaculis veritatis percussi, capita demiserunt, se in abditis & delubris abscondentes, de victoria desperati: unde ne capita denuo elevarent, multa fidelium principum statuta contra eos manaverunt.

10. Cessantibus vero hæresiarchis, Domini ecclesiam falsa doctrina aperte impugnare, periculosius contra illam hypocritæ cœperunt bellare, & sub falso nomine fictæ sanctitatis, mores ecclesiæ corrumpere, & traditionibus humanis fœdare. Hinc Bernardus de suis temporibus sermone 33. super Cantic. dicit: Serpit, inquit, hodie hypocrisis putrida labes per omne corpus ecclesiæ; & quo latius, eo desperatius, eoque periculosius quo interius. Nam si insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras & aresceret; si violentus inimicus, absconderet se forsitan ab eo; nunc vero quo ejiciet, aut a quo abscondet se: omnes amici, & omnes inimici; omnes necessarii, & omnes adversarii; omnes domestici, & nulli pacifici; omnes proximi & omnes quæ sua sunt quærunt; ministri Christi sunt,

» & serviunt antichristo; honorati incedunt
» de bonis Domini, cui honorem non de-
» ferunt. Et cum mores ministrorum ecclesiæ
in perverso usu ecclesiasticorum bonorum
» descripsisset, intulit: Olim, inquit, prædi-
» ctum est, & nunc tempus impletionis ad-
Isai. 38. 11. » venit: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima;*
» amara, inquit, in nece martyrum, amarior
» in conflictu hæreticorum, sed nunc ama-
» rissima in moribus domesticorum.

11. Hinc nostris temporibus quidam hypocritæ domestici ipsius ecclesiæ, vitam ejus arguunt de imperfectione, eo quod possessiones ecclesiasticas administrat: hinc reprehendunt quod ejus discipuli non jejunant; inde quia cum publicanis & peccatoribus comedens, illorum cibis vescitur, accusare non cessant ministros ecclesiæ, vini potatores & ebriosos vocantes, & non solum piscium, sed carnium voratores. Quid ergo videtur restare, nisi ut hypocritæ Herodianis se conjungant, doctores seductibiles sibi alligent, pontificesque plures seducant, ac secum trahant; ut persecutionem ultimam, caput sibi statuentes, sanctæ ecclesiæ inferant, maxime cum hoc jam ex parte quidam incœpisse videantur, quosdam persequendo doctores per falsos Christianos & hypocritas, imminere ultima ecclesiæ pericula prædicantes. Quorum signa plura jam manifeste apparent, sicut qui scripturas sollicite inspiciunt clare & aperte cognoscere putant: sed quia illas pluribus inspicere non vacat, ad alia ecclesiæ negotia intenti, & quibus forsitan vacat aut libros non habent, aut si habent, de nimia obscuritate & perplexitate scripturarum conqueruntur; ideo illa quæ ex scripturis colligere potuimus, in libello præsenti ad cautelam fidelium subjungemus.

CAPUT II. *De signis remotis adventus antichristi & consummationis sæculi.*

1. DOminus noster JESUS CHRISTUS cum interrogaretur a discipulis de consummatione sæculi, & de tempore adventus sui, quædam signa dedit magis remota, quædam vero magis propinqua ipsi consummationi. Hinc in evangelio Matthæi dicitur: *Videte ne quis vos seducat: multi venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent.* Quod temporibus apostolorum glossa dicit fuisse impletum, excidio imminente terrestris Jerusalem: *Audituri*, inquit, *estis prælia & opiniones præliorum. Videte ne conturbemini: oportet enim hæc fieri, sed nondum statim finis; consurget enim gens contra gentem, & regnum in regnum; & erunt pestilentiæ, & fames, & terræ motus per loca: hæc autem*, inquit, *initia sunt dolorum*; glossa, non consummationis, sed quasi præconia antichristi.

(Matt. 24. 14. — Ibid. 6.)

Et eamdem sententiam, licet aliquantulum per alia verba, Marcus & Lucas posuerunt. Quæ ex hoc, quia initia dolorum dicuntur, non signa proxima, sed quodammodo longinqua esse probantur.

2. Hinc Augustinus quædam suo tempore fuisse impleta testatur, quædam vero suis temporibus beatus Gregorius. Unde Augustinus in epistola quam ad Esichium episcopum scripsit de fine sæculi, dicit. « Novissima esse ista tempora, multis rerum « signis apparentibus, quæ Dominum prædixisse credimus omnes qui ea credimus, « cernimus. Et post. Quod autem de signis « evangelicis & propheticis quæ fieri cernimus, propinquum Domini adventum sperare debemus; quis negaverit? Quotidie « quippe magis, magisque fit proximus. Sed « quanto intervallo propinquat hoc est dictum: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ pater posuit in sua potestate.* Et post. Quanto magis nunc dicendum est « propinquare Domini adventum, quum tantus est ad finem factus accessus. Apostolus « dicit: *Spiritus autem manifeste dicit quia in novissimis diebus recedent quidam a fide*: nondum itaque erant eadem tempora hæreticorum, scilicet & talium quales eodem sermone describit: sed jam, inquit Augustinus venerunt: ac per hoc in novissimis « temporibus videmur, & per ipsos de fine « sæculorum commoneri. Jam ergo suis temporibus quædam signa consummationis sæculi tamquam dolorum initia Augustinus fatetur impleta, cum ab incarnatione Dominica usque ad mortem ejus, tantum elapsi sunt CCCC. XL. anni.

(Act. 1. 16. — 1. Tim. 4. 1.)

3. Quædam & beatus Gregorius suis temporibus post quingentos nonaginta & parum amplius annos ab incarnatione Domini, fuisse testatur impleta in libro Dialogorum III. ubi dicit quia beatus martyr Inditus Redempto Ferentino episcopo apparens, trina repetitione dixit: finis venit universæ carni. Mox, inquit Gregorius, « illa terribilia in cœlo signa secuta sunt, ut « hastæ atque acies igneæ ab aquilonis parte « viderentur; mox effera Longobardorum « gens de vagina suæ habitationis educta, « in nostram, inquit cervicem grassata est, « atque humanum genus, quod in hac terra « præ multitudine nimia quasi spicæ segetis « more surrexerant, succisum aruit. Nam « depopulatæ urbes, subversa castra, concrematæ ecclesiæ, destructa sunt monasteria, deserta ab hominibus prædia atque ab « omni cultore destituta. Et quid, inquit, « in aliis mundi partibus agatur ignoro. Nam « hac in terra in qua vivimus, finem suum « mundus non jam nuntiat sed ostendit. «

4. Viderat ergo Augustinus, viderat & Gregorius gentem contra gentem insurgere, & regnum in regnum, pestilentias,

fames & terræ motus, signa in sole, & luna & stellis, & in terris pressuras gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum; unde arescebant ipsi cum ceteris justis hominibus, præ confusione & expectatione eorum quæ superventura erant universo orbi, illa aspicientes tamquam initia futurorum dolorum. Sed nondum statim finis; quia & alia signa data sunt a Domino per semetipsum, apostolos, & prophetas, quæ ante consummationem sæculi necesse est adimpleri; ad quæ, istis omissis, consideranda, transeamus.

CAPUT III. *De signis propinquis, & primo de cessatione Romani imperii.*

1. INdagantibus nobis sollicita consideratione signa propinqua consummationis sæculi, & adventum persecutoris ultimi ecclesiæ antichristi, & circa hæc jubente veritate vigilantibus, ne deffensioni imparatos nos reperiat illa repentina tempestas, primum nobis occurrit destructio ac defectus, seu cessatio imperii Romani, cujus cessatio futura circa finem temporum prophetata est, & in antiquis litteris & in novis.

2. Unde Balaam Num. 24. cum usque ad adventum Christi prophetiam suam extendisset, & multa de gloria Christi ecclesiæ prophetasset, usque ad novissima tempora sæculi prophetiam extendens & dirigens, ait: *Heu quis victurus est quando ista faciet Dominus? Venient*, inquit, *in trieribus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, & ad ultimum & ipsi peribunt*: & unde ad ultimum? quia circa finem sæculi erunt Itali, sive Romani imperium amissuri: unde ibidem glossa videtur signare, quod juxta incarnationem Domini, veniant Romani Assyrios, Hebræosque, & omnes orientales superaturi, & tandem regnum perdituri. Unde Balaam tamquam a longinquo tempora & regna describens, tantum duo magna descripsit, scilicet Assyriorum, quod a Nino incipiens, qui omni Assyriæ incepit primitus dominari, cum quibusdam ceteris regnis, sicut Medorum, Persarum, & Macedonum, quæ sub illo concludit, usque ad Julium Cæsarem, qui primus Romanorum monarchiam tenuit, per duo fere annorum millia perduravit; & Romanorum, quod a Julio Cæsare incipiens, fere per mille trecentum annos, secundum fidem chronicorum, usque ad Frederici quondam Romani imperatoris condemnationem se extendit, in quo Romanum cessasse videtur imperium; aliis regnis, ut duximus, sub istis comprehensis; quia & respectu istorum duorum pauca fuerunt, nec per longa tempora duraverunt. Unde Romani in trieribus contra

Num. 24. 23.

Dan. 11. 30.

orientalia regna venientes, Assyrios non invenerunt regnantes, sed potius ipsis Assyriis Macedones, quorum regnum, ut dictum est, propheta Balaam sub regno Assyriorum comprehendit. quia regnum Assyriorum fuerat per Macedones in regnum translatum Macedonum.

3. Daniel vero propheta, qui post Balaam per multa tempora prophetavit, tamquam propinquius ad finem temporum accedens, & in illum limpidius oculos dirigens, tempora per quatuor regna transcurrit, ut descendat ad breve imperium antichristi, id est, visionem extendat usque ad clausulam sæculi, ut judicio sedente, regnum & potestas detur populo sanctorum Altissimi, sicut & legitur in Daniele 7. *Videbam*, inquit, *in visione mea nocte, & ecce quatuor venti pugnabant*; id est secundum glossam, quatuor angelicæ potestates, quæ regnis in quadripartito mundo positis præsunt; *Et quatuor*, inquit, *bestiæ grandes ascendebant de mari*; id est quatuor regna, quorum ferocitas nomine bestiarum designatur. Ibid. 7. 2.

4. *Prima*, inquit, *quasi leæna, & habebat alas aquilæ*; per quam secundum glossam, regnum Assyriorum sive Babylonensium propter sævitiam & luxuriam designatur; *Et alas*, inquit, *habebat aquilæ*, quibus subjecta regna deprædanda tamquam aquila per superbiam volitabat. *Aspiciebam*, inquit, *donec avulsæ sunt alæ ejus*; amisit, fracta superbia, potestatem per Arbatum, occiso Sardanapallo, qui tantæ fuit luxuriæ, ut inter virgines, habitu muliebri colo purpura nentes, pensa divideret; *& sublata est*, inquit, *de terra*, amisso imperio, & per Arbatum in Medos translato. Ibid. 4.

5. *Et ecce*, inquit, *bestia alia similis urso in parte stetit, & tres ordines erant in ore ejus, & in dentibus ejus, & sic dicebant ei, surge comede carnes plurimas.* Per hanc bestiam ob ferocitatem & duritiam, secundum glossam, figuratur regnum Persarum, quod in parte stetit, quia totam præmissi regni potestatem non habuit: in cujus ore fuerunt tres ordines, quia in illo regno tria regna insimul adunata, sicut dicit glossa, scilicet Medorum, Persarum, & Chaldæorum, diversos regum ordines habuerunt; qui crudelitate feroces, & gulositate furentes prædicto regno dicebant *surge, comede carnes plurimas.* Ibid. 5.

6. *Post hæc*, inquit Propheta, *aspiciebam, & ecce alia quasi pardus, & alas habebat quasi avis quatuor, & quatuor capita erant in bestia, & potestas data est ei.* Per istam bestiam tertiam, quæ figuram gerebat pardi, regnum Macedonum designatur, quod ad modum pardi in rege Alexandrino præceps ferebatur in sanguinem, & saltu ruebat in mortem, sicut manifeste cognoscere possunt Ibid. 6.

qui Orosii presbyteri, & Justini abbreviatoris Trogi Pompeii historias legunt. Quod vero alas avis super se habere perhibetur, hoc significat, quia Alexandri victoria velocius nihil fuit, qui ab Illyrico & Adriatico mari usque ad Indicum oceanum, & Phison fluvium, non tam bellis, quam victoriis cucurrit. Sed quia non ejus potestas, sed Dei ordinatio fuit, propheta subjunxit: *Et data est ei potestas*; quasi diceret, hæc fortitudo Alexandri non fuit, sed Dei voluntas hæc fecit.

Ibid. 7. 7. *Post hæc*, inquit Propheta, *aspiciebam in visione noctis, & ecce bestia quarta terribilis atque mirabilis, dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans; dissimilis autem ceteris bestiis, quas videram ante eam.* Per hanc quartam bestiam Romanum imperium figuratur, quod post regnum Macedonum de mari hujus mundi ascedit. Quod nulli bestiæ comparatur, credo quia bestia ultra prædictas non potuit inveniri, cui regni Romanorum ferocitas & crudelitas valeret comparari. Unde glossa dicit: Quidquid in bestiis ferocius cogitamus, hoc Romanos intelligamus. Ideo propheta dicit, *terribilis atque mirabilis* & fortis nimis. Unde fere regnum in mundo non fuit, quod ejus fortitudinem & dominium evadere potuerit. *Dentes*, inquit, *habebat ferreos magnos*, scilicet principes fortissimos & divulgatissimos, qui sicut ferrum cetera metalla domat, ita regna cetera domaverunt, & suæ jurisdictioni subegerunt, nec ab aliquo domari potuerunt. Idcirco subdit: *Comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans*; omnia enim conculcavit, quia tributum omnibus imposuit: *Dissimilis*, inquit, *ceteris bestiis quas videram ante eam*: Dissimilis ferocitate, crudelitate & superba potestate, sicut de facili cognoscere poterit, qui Orosii presbyteri & Pompeii Trogi, ejusque abbreviatoris Justini historias inspexerit. *Et habebat*, inquit propheta, *hæc bestia cornua decem. Considerabam,* Ibid. 8. *& ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, & tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus, & ecce quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia. Aspiciebam*, inquit, *& ecce throni positi sunt, & antiquus dierum sedit*, &c.

8. Cujus quartæ bestiæ cum sanctus Daniel interpretationem quæsisset ab angelo, Ibid. 23. ita angelus eidem exposuit. *Bestia*, inquit, *quarta regnum quartum erit in terra, quod majus erit omnibus regnis, & devorabit universam terram, & conculcabit, & comminuet eam*; Ibid. 24. scilicet imperium Romanorum. *Porro*, inquit, *cornua decem ipsius regni decem reges erunt*, quia in fine temporum Romanum imperium in diversas scissurum erat regnorum minutias: *Et alius*, inquit, *exurget post eos, & ipse potentior erit prioribus & tres reges humiliabit. Et sermones contra excelsum loquetur, & sanctos Altissimi conteret, & putabit quod possit mutare tempora & leges, &* Ibid. 25. *tradentur in manus ejus usque ad tempus, & tempora & dimidium temporis.* Nec dubium est, quin per istum impium regem, qui contra excelsum sermones loquetur, & sanctos Altissimi conteret, secundum glossæ expositionem intelligatur antichristus.

9. Cum igitur jamdiu & tria regna destructa sint, & illorum potestates per bestiam quartam de medio sublata, & hujus quartæ bestiæ imperium in tot jam nunc regnorum minutias sit divisum, nil restare videtur, nisi ut illud modicum cornu surgat, qui contra Excelsum blasphemias loquatur, sanctosque Altissimi conterat. Ex quo manifeste convincitur, quod illi persecutioni ultimæ valde propinquamus. Idcirco torporem excutiamus, nec promittentes nobis securitatem incaute recipiamus, sed solerti consideratione vigilemus, ut si temporibus nostris illud modicum cornu surrexerit, ejus insidias vitare mereamur, eidemque resistere viriliter valeamus.

10. Nec solum de hoc in antiquis litteris legis & prophetarum testimonia habemus, sed idem per testamentum novum manifeste probamus: Johannes enim evangelista, qui tamquam aquila limpidius in solem oculos figit, & ecclesiæ tribulationes, maxime ultimam, clarius aspexit, tractavitque prolixius, de hoc ita ait in Apoc. 13. *Et vidi*, inquit, *de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem & cornua decem, & super cornua ejus decem diademata, & super capita ejus nomina blasphemiæ.* Apoc. 13. 1. Quam bestiam ut apertius cognosceret, se sublatum in spiritu dicit c. 17. *Et abstulit*, inquit, Ibid. 17. 3. *me in spiritu, & vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem & cornua decem*: Deinde angelus hujus mulieris sacramentum exponens, ac bestiæ illam deferentis, sic intulit: *Bestia*, inquit, *quam vidisti fuit & non est, & ascensura est de abyssis, & in interitum* Ibid. 8. *ibit.* Et post: *Et hic*, inquit, *sensus est qui* Ibid. 9. *habet sapientiam. Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedit, & septem reges sunt qui ceciderunt. Unus est, & alius nondum venit; & cum venerit, oportet eum breve tempus manere. Et bestia quæ erat & non est, & ipsa octava est & de septem est, & in interitum vadet. Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt. Sed potestatem tamquam reges accipient una hora post* Ibid. 13. *bestiam. Hi unum consilium habent, & potestatem, & virtutem suam bestiæ tradent. Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos*, &c.

11. Johannes enim, ut dictum est, limpidius in consummatione temporum, more aquilæ oculos dirigens, tempora per septem

tem regna describit, quæ supra Daniel per quatuor transcurrit, ut deveniret ad tempora antichristi. Quia scriptura Apocalypsis, propter numerum sacrum, valde diligit numerum septenarium, maxime quia omnes ecclesiæ tribulationes scriptura illa continet, quas in septenario præsentis temporis sustinet. ait ergo : *Vidi*, inquit, *bestiam ascendentem de mari*. Ista bestia diabolus est, qui ut appareat, ascendit de iniquorum cordibus turbulentis ; *Habentem*, inquit, *capita septem & cornua decem*. Secundum angeli expositionem, *septem capita, septem sunt montes, super quos mulier* coccinea *sedet*. Id est malorum civitas, justorum sanguine cruenta. *Et septem*, inquit, *reges sunt*, scilicet septem principalia regna ; quæ regna, sic enumerat Radulphus super Leviticum lib. 8. cap. 1. quia a principio usque ad finem, ampliorem in hoc mundo potestatem sortita sunt.

Apoc. 13. 1.

Ibid. 17. 8.

12. Bestia hæc in regno Assyriorum primum caput erexit, quod per mille ter centum annos per reges discurrens iniquos, usque ad Sardanapallum duravit. quo mortuo & igne concremato, per Arbatum Medorum præpositum, in Medis translatum est regnum Assyriorum, & prædicta bellua secundum caput erexit. Cucurritque postmodum Medorum regnum usque ad Astiagem avunculum Cyri, per annos fere trecentos quinquaginta. Tertium vero hujus bestiæ caput, id est societatis omnium iniquorum, agnoscitur in regno Persarum, postquam Cyrus prædicti Astiagis nepos, congregata Persarum manu, avunculo certamen indixit, & capto eo, dignitatem Medorum in Persas transtulit, Babyloniamque postea obsedit & cepit, & Balthazar regem illius interfecit. Quartum hujus bestiæ caput in Græcis invenitur, postquam Dario a magno Alexandro semel & iterum victo, Persarum regnum cessit in potestate Macedonum. Eisdem fere temporibus quintum in Africa bestia ista caput extulit, cum Annibal Amilcaris filius Africanorum imperator est constitutus ; qui sæpe de Romanis principibus triumphavit, novissime a Scipione Africano devictus, deleta Carthagine, Roma convaluit, & ita sextum hujus bestiæ caput Romanorum imperium fuit, quod quartam bestiam Daniel nominavit, qui tantum quatuor regna descripsit. Septimum vero hujus caput, regnum antichristi erit, quod inter decem cornua quartæ bestiæ parvulum orietur. Inter minutias quippe Romani imperii, quod jam per multa divisum est, antichristus consurget, & primo tribus regibus sibi sociatis & a Christi fide evulsis, deinde totum mundum occupabit, & potentior ceteris regibus apparebit.

13. Unde secundum beatum Ambrosium super secundam epistolam ad Thessalonic. Romanum imperium sub suo nomine reformare tentabit. Merito ergo Johanni, qui sub Romano scripsit imperio, de septem regnis istis ab angelo dictum est : *Quinque ceciderunt, unus est, & alius nondum venit* : quinque etenim ex iis regnis, quæ supra commemoravimus, jam transierant, Romani tunc regnabant, antichristus nondum venerat. qui cum venerit, oportet illum breve tempus manere, quia solum tribus annis & dimidio durabit in plenitudine potestatis, sanctos ultima persecutione affligendo, principum terræ universitate, quæ forsitan per decem significatur, illi se tradente, qui pro antichristo pugnabunt cum Agno, sed Agnus vincet illos. quia etenim necesse non erat ut certus regum numerus exprimeretur, pluralitas tantum per denarium designata est.

Apoc. 17. 10.

14. Inde Augustinus lib. 20. de Civitate Dei cap. 23. cum de eis decem regibus loqueretur, sic intulit : Vereri, inquit, sane « me fateor, ne in decem regibus, quos tam- « quam decem homines videtur inventurus « antichristus, forte fallamur, atque ita ille « inopinatus adveniat, non exeuntibus tot « regibus in orbe Romano. quædam enim in « numero isto denario universitas regum de- « signata est, post quos ille venturus est, si- « cut millenario, centenario, septenario si- « gnatur plurimum universitas. inde habetur « in psalmo : *Cadent a latere tuo mille, & decem* « *millia a dextris tuis*. Cum igitur sextum hu- « jus bestiæ caput in decem, id est in plura « cornua divisum esse videamus, solliciti ex- « pectemus quando de medio horum cor- « nuum illud cornu modicum oriatur, & eo- « rum expergiscatur incauta securitas, qui « de possessa jam diu quiete sibi blandiuntur, « & in hujus pacis securitate longa sibi tem- « pora pollicentur. «

Psal. 90. 7.

15. Sed ne quis de prædictis conqueratur, quia dicta sunt sub quibusdam ænigmatibus & figuris, ut illa capere nec intelligere possint, apertum de hoc Apostoli testimonium, qui ut secreta Dei cognosceret, cœlum tertium penetravit, in medium producamus : ita enim de adventu antichristi loquitur in epistola ad Thessalon. *Rogamus*, inquit, *vos fratres, per adventum Domini nostri* Jesu Christi *& nostræ congregationis in ipsum, ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam, tamquam per nos missam, quasi instet dies Domini. ne quis vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c.* quasi diceret : tunc moveamini, & non ante ; tunc terreamini de adventu antichristi, cum discessio venerit a Romano imperio.

2. Thess. 2. 1.

16. Unde Ambrosius super eamdem epi-

stolam dicit: Hoc ideo dixit Apostolus, ne ipsas per tribulationes, dum incauti invenirentur, possent seduci ad adorandum diabolum; qui idcirco hoc jactabit, ut sub Salvatoris nomine apparens, ac fallens sanctos, velit se adorari, ut decipiat credentes in Christum: sed ut locum aut occasionem fallendi, quam se putat habere, non habeat impudentissimus satanas, tempus & signa adventus Domini designavit: quia non prius veniet Dominus, quam regni Romani defectio fiat, & appareat antichristus, qui interficiet sanctos, reddita Romanis libertate, sub suo tamen nomine; & hoc est quod Apostolus dicit, *nisi venerit discessio primum.* glossa ibid. id est, nisi prius gentes a Romano discedant imperio; non quod statim veniat Dominus, ecclesiæ enim loquitur de destructione Romani imperii, ne forte si aperte hoc diceret, excitaret eos ad persecutionem ecclesiæ.

17. Sane utrumque alia glossa exponit, quæ magistralis esse videtur, ante adventum antichristi discessio fiat ab obedientia spirituali Romanæ ecclesiæ, & discessio a fide: Vel fiat ipso ingrediente, qui secundum prophetiam Danielis tres reges primo humiliabit, & avertet a fide Christi, ut tunc per apertam dominationem reveletur, incertum esse videtur. Sed hoc, juvante Domino, in sequenti magis declarabitur.

Dan.

18. Deinde discessum a Romano imperio Apostolus prolixius prosequens, subjungit: *Nonne*, inquit, *retinetis quod cum essem apud vos, hæc dicebam vobis*; glossa, de adventu antichristi & de die judicii, *& quid nunc detineat*, glossa, antichristum, *quid sit in mora* dilationis ejus, quare nondum veniat *scitis*, scilicet quia nondum est discessio, *ut reveletur in suo tempore*, glossa, sibi congruo, & a Deo disposito postquam facta fuerit discessio. completa enim accessione ad Romanum imperium & Romanæ ecclesiæ obedientiam, aderit discessio ab utroque imperio, qua impleta, aderit ille iniquus, id est antichristus. Deinde Apostolus de hoc eodem subjungit, *jam enim mysterium iniquitatis operatur*: glossa, id est secreta iniquitas. *tantum ut qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat, & tunc revelabitur ille iniquus.* Glossa ex Augustino sumta de libro 20. de Civit. Dei cap. 19. non absurde de imperio Romano hoc creditur dictum, tamquam dictum sit: tantum qui modo imperat, imperet, donec de medio fiat, id est, donec de medio mundi tollatur illa potestas, quia omnes undique Romam quasi ad caput confluebant, & tunc, inquit, revelabitur ille iniquus, per quem significari antichristum nullus ambigit. unde Ambrosius in originali super secundam epistolam ad Thessalonic. præmissa verba exponens, sic ait: Post defectum Romani

2. Thess. 2. 5.

Ibid. 7.

A imperii appariturum antichristum dicit, sicut supra memoratum est. Novissimo enim tempore sciens diabolus sibi imminere interitum, deficiente regno Romano, & ille de cœlo mittetur deorsum, projectus in terram, sicut dictum est in Apocalypsi Johannis apostoli, subornabitque sibi iniquos, & per quos quædam signa virtutis permissu Dei faciens, se commendet ut adoretur quasi sit Deus. Ista verba de cessatione Romani imperii in adventu suo, ante proximum adventum antichristi, tam clara, tam aperta sunt, ut nullus tam insipiens sit, qui juste de verborum obscuritate conqueri possit.

B

19. Quod si tam stolidus aliquis & insipiens est, ut de intelligentia conqueratur, manifestissimum de hoc proferimus testimonium Tertulliani viri doctissimi, qui de primoribus ecclesiæ fuit, & primitias Spiritus prægustavit in Apologetico, quem religionem Christianam defendendo contra paganos & gentes idololatras scripsit, cujus libri auctoritatibus & testimoniis beatus Augustinus utitur cum ceteris doctoribus sacris. Cum enim in eodem libro cap. 31. Christianos per litteras apostolicas tuetur, quod nihil mali contra salutem imperatoris remque publicam Romanam ab ipsis machinaretur, sed per orationes salutem Cæsarum, reipublicæque fortunam juvarent, pacemque & tranquillitatem quærerent, secundum quod Apostolus præcipit orare pro regibus & principibus & potestatibus, ut omnia sint tranquilla nobiscum, sic intulit cap. 32. Est & alia major necessitas nobis orandi pro imperatoribus, & pro omni statu imperii rebusque Romanis, qui vim maximam universo orbi imminentem, ipsamque clausulam sæculi acerbitates horrendas comminantem, Romani imperii commeatu scimus retardari. Itaque nolumus experiri, & dum precamur differri, Romanæ diuturnitati favemus.

C

D

20. Inde B. Effrem in lib. 1. de compunctione ait: Scripturæ etenim completæ sunt, & non est quod relinquatur nisi adversarii nostri adventus horribilis: in expletione enim Romani imperii necesse est sæculum consummari.

21. Cum ergo jam Romanum imperium commeaverit, & de medio sit sublatum, timeamus ne super nos veniant illæ acerbitates horrendæ, quæ per antichristum ejusque ministros in mundo venturæ sunt; si ista vera sunt, immo quia indubitanter vera sunt, quomodo non sunt pseudo, qui nobis pacem diuturnam promittunt, & ætatem ultimam quantum omnes præcedentes ætates extendunt. Hoc est adventus antichristi & consummationis sæculi signum primum.

E

CAPUT IV. *De consummatione in omnibus gentibus prædicationis evangelii.*

1 SEcundum signum quod nobis occurrit de adventu antichristi & fine sæculi, est consummatio prædicationis evangelicæ in omnibus gentibus: sic enim cum de præmissis Dominus in evangelio loqueretur, de hoc in Matthæo 24. dicit: *Et prædicabitur hoc evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus*; damnationis, si hoc evangelium repulerint, vel loco ejus aliud receperint, *& tunc veniet consummatio.* Glossa, non quod statim veniat, sed non prius, & ut nobis significaret, quia post prædicationem evangelii completam in universo orbe & ante sæculi consummationem ultimus ecclesiæ inimicus insurgeret antichristus, statim subjungit: *Cum ergo videritis abominationem desolationis quæ dicta est a Daniele*; Glossa, id est hominem peccati qui adversatur & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, *stantem in loco sancto, qui legit intelligat*, quasi diceret: quando in loco sancto stabit, difficile est ad intelligendum: *Sed tunc*, inquit, *qui in Judæa sunt*, id est in confessione veræ fidei, *fugiant ad montes*, id est, ad dicta prophetarum & sanctorum apostolorum, eorum vitam sollicite indagantes, & illa considerantes quæ de temporibus illis dixerunt, ut antichristi seductionem evadere mereantur.

Matt. 24. 14.

2. In quo dat intelligere Dominus, quod sancti illius temporis si sollicite sacras scripturas inspexerint, ac vitam præcedentium patrum, iniquitatem agnoscere poterunt seductoris.

3. De hoc Johannes Damascenus lib. 4. c. 18. ita ait: Verum, inquit, proprie & præcipue antichristus dicitur, qui in consummatione sæculi veniet: oportet igitur primum prædicatum esse evangelium Dei in omnibus gentibus, sicut dixit Dominus, & tunc veniet in redargutionem adversariorum Christi Judæorum. Dixit enim eis Dominus: *Ego veni in nomine Patris mei, & non suscepistis me, alius in nomine proprio veniet, & illum suscipietis*; & post.

Joh. 5. 43.

4. Oportet igitur primum prædicatum esse evangelium in omnibus gentibus, & tunc revelabitur iniquus, cujus est potentia secundum satanæ actum in omni virtute, signis & prodigiis mendacii, & omni seductione iniquitatis iis qui pereunt. Hinc est quod Apostolus ad Rom. 11. dicit: *Nolo vos ignorare, fratres, mysterium hoc*, id est secretum, *ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel*, contigit dico, *donec plenitudo gentium intraverit.* Glossa, id est ut intraret, & donec intraret, ut notetur causa & terminus. Et sic postquam intraverit, omnis Israël salvus fiet. Glossa, prædicante Elia & Enoch, sicut scriptum est in Isaia, *Veniet ex Sion qui eripiat & avertat impietatem a Jacob.*

Rom. 11. 25.

Isa. 59. 20.

5. Sed cum Judæi, teste ipsa Veritate, sicut juvante Domino ostendetur, recepturi sint antichristum, ille iniquus se ingeret inter consummationem evangelicæ prædicationis in gentibus, & futuram per Enoch & Eliam salutem Judæorum. Unde Apostolus in secunda epistola ad Thessalonic. cap. 2. dicit: *Et quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore.* Glossa, impleto misericordiæ tempore, quo plenitudo gentium intraverit ad fidem, revelabitur discessio a fide, quando refrigescet caritas multorum, & abundabit iniquitas, & tunc veniet antichristus: *Jam enim*, inquit Apostolus, *mysterium operatur iniquitatis tantum ut qui tenet, hoc teneat, donec de medio fiat.* Glossa, tantum hoc restat, ut qui tenet nunc, hoc est, detinet illum, scilicet accessio ad fidem, teneat, id est detineat, donec de medio fiat, id est, donec ipsa accessio fidei tollatur de medio, & ita in omnibus gentibus prædicato evangelio, & completa gentium accessione ad fidem, revelabitur ille iniquus.

2. Thess. 2. 7.

6. Gui sententiæ magister Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis parte 17. c. primo, in hæc verba concordat: « Opportunitas, inquit, illius temporis profecto « non erit antequam prædicetur evangelium « universo orbi in testimonium omnibus gen- « tibus. apertissima enim de hac re legitur « sententia Salvatoris dicentis: *Et prædicabitur hoc evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus; tunc veniet finis.* Tunc veniet, inquit, quid est? nisi ante non veniet. Quando ergo post veniat incertum est nobis; ante tantum non esse venturum, dubitare utique non debemus. Si ergo latet quando, ecclesia fructificante atque crescente, universus a mari usque ad mare orbis implebitur, procul dubio latet quando finis erit; ante quippe non erit. Tunc revelabitur, inquit, ille iniquus, id est antichristus, quem Dominus interficiet spiritu oris sui. Nec magister Hugo de impletione prædicationis evangelicæ in gentibus sic quod latet dixerit, ut hoc semper latere intelligat: alioquin de adventu antichristi, consummationis sæculi frustra hoc signum nobis dedisset Dominus, cujus intelligentiam penetrare non possemus: sed hoc dicere voluit, quod sæculi finis & adventus antichristi certis annorum vel dierum terminis præfigi non possit, sed tantum post impletionem prædicationis evangelicæ in gentibus, satis tempestive veniet seductor ille, Christi adversarius antichristus.

Matt. 24. 14.

7. Nec sic intelligitur evangelica prædicatio in gentibus compleri, ut omnes

homines de gentibus convertantur ad Christum: sed ut prædicationis ejus audiant sonitum, & de qualibet gente aliqui convertantur ad Christum. Sicut in hæc verba dicit Augustinus in epistola ad Ezichium episcopum de fine sæculi. Oportet, inquit, ut in omnibus gentibus sit ecclesia, non ut omnes qui ibi fuerint credant, omnes enim gentes promissæ sunt, non omnes homines omnium gentium, non enim omnium est fides: Hoc dicit Augustinus suis temporibus non adhuc fuisse completum: cum multæ barbaræ gentes essent quibus non fuerat Christi evangelium prædicatum. Hoc signum nec temporibus B. papæ Gregorii fuerat consummatum, qui ad convertendum Anglicos misit cum quibusdam aliis Augustinum monachum, quo prædicante Christi receperunt evangelium. Nec modo consimili impletum fuerat temporibus præcedentium patrum: sed nostris temporibus prope videtur impletum, quia & sonus evangelicæ prædicationis in omnem terram exiisse videtur, nec gentes accedunt ad fidem; immo proh dolor! recedunt a fide, loca fidelium occupante infidelitate.

8. Quod & ipsi prædicatores nostri temporis, qui nobis securitatem promittunt, & operibus & dictis ostendunt, quia cum plebem propriam non habeant, in dispersionem tamen gentium non prædicant, sed potius in plebibus aliorum; quibus cum improperatur quod contra apostolum ædificare nituntur super alienum fundamentum, respondent se non posse nec debere in gentibus prædicare, quia jam obstinatæ in malitia, non valent Christi evangelium recipere, sed nec audire, qui statuta fecerunt, ne illud audirent, conspirantes in mortem prædicatorum; quasi hoc non fecerint temporibus apostolorum & sequentium prædicatorum, qui mundum converterunt ad fidem. Ex dictis igitur & operibus suis convincantur hoc signum mundi procul dubio vel impletum, vel saltem in proximo fore implendum. Idcirco pacem nobis prædicare erubescant, contra id quod arguunt vel dogmatisant.

CAPUT V. *De adventu pseudoprædicatorum & domos penetrantium.*

1. TErtium signum adventus antichristi & consummationis sæculi, est adventus pseudoprædicatorum & domos penetrantium. Qui licet a principio in ecclesia non defuerint, in fine ecclesiæ in maxima multitudine apparebunt. Hoc signum nobis Dominus dedit in evangelio Matth. 24. cum nos instrueret de temporibus antichristi. *Et multi*, inquit, *pseudoprophetæ surgent & seducent multos*: prophetæ enim in novo testamento dicuntur scripturarum interpretes sive earumdem explanatores, sicut Glos. dicit super illud Ephes. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas*, Glos. scripturarum interpretes, in novo enim testamento dicuntur prophetæ explanatores scripturarum. Multi ergo, inquit Dominus, circa illud tempus pseudoprophetæ surgent; in multitudine magna venient & seducent multos. Glossa hoc tempore Judaïcæ vastitatis plenæ, tempore antichristi: unde sicut appropinquante tempore Judaïcæ vastitatis, diversas sectas prophetarum synagoga sustinuit & in plurimas se divisit, sicut in Pharisæos, Saducæos, Essæos & plures alios, ut Josephus testatur in libris quos scripsit de Judaïco bello & vastatione Judæorum, ita diversas sectas pseudoprædicatorum in fine ecclesia sustinebit, juxta concupiscentias ambulantium, quamvis ipsi fingant contrarium.

2. Hinc Petrus in secunda Canonica cap. 2. 1. dicit: *Fuerunt & pseudoprophetæ in populo*. Gloss. in veteri populo Israëlitico, sicut & in nobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, mandata scilicet Dei per traditiones humanas corrumpentes, sicut & in veteri populo, cui omnia in figura nostri, Apostolo teste, fiebant; Saducæi fecerunt & Pharisæi, quos super hoc Dominus aspere arguit in evangelio: *Cum Christum*, inquit beatus Petrus, *qui emit nos, Deum negant*, negant, dicit, quia tempore Apostoli aliqui tales erant, sed timore comprimebantur, sicut dicit Glossa, sed in fine manifestabuntur. Unde sicut Pharisæi cum aliis sectis tunc palliate Deum negabant factis, vivendo perverse, & Dei legem corrumpendo, sic & circa finem temporum multi venientes, christi-pseudo sunt futuri; *Superducentes*, inquit, *sibi celerem perditionem, & multi sequentur eorum luxurias*. Gloss. a quibus grave est caveri, quia multi sunt, inquit, per quos via veritatis blasphemabitur; quia sicut in antiquo populo, annuntiare videbuntur Christi evangelium non propter Deum, sed propter lucrum. unde statim subjungit, *Et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur*. Glos. non causa religionis, sed avaritiæ, ut aliquid lucrentur fingunt novas doctrinas, nec vos emunt Domino, sed de vobis aliquid sibi commodi acquirunt; unde faventes divitibus concupiscentias prædicant, quibus carnales facile consentiunt.

12. Horum in fine adventum & mores Judas apostolus in sua canonica epistola sic describit: *Ii sunt*, inquit, *murmurantes, queruli, secundum desideria sua ambulantes*. murmurantes contra Dominum & ejus ecclesiam a Domino sic dispositam, & queruli, aliorum

aliorum invidentes, & detrahentes felicitati; secundum desideria sua ambulantes, non præcedentium patrum vitæ formam sequentes; sed pro suis desideriis sibi vivendi modum statuentes: *& os*, inquit, *illorum loquitur superbiam*. Glos. jactant se nullo timore dimissuros quæ agunt, & se solos Dominum cognoscere. *Mirantes*, inquit, *personas quæstus causa*. Gl. honorantes personas divitum non causa dilectionis, sed causa quæstus. tales enim jam erant aliqui temporibus apostolorum.

4. Et quia dictus apostolus Judas, Sancto Spiritu revelante, prævidit illos in magna multitudine in fine temporum ad ecclesiam venturos, de talibus non recipiendis, sed cavendis statim ecclesiam subjungendo munivit: *Vos autem*, inquit, *carissimi, memores estote verborum quæ dicta sunt vobis ab apostolis domini nostri* Jesu Christi. Gl. quibus credendum est, quia nuncii Domini, & præteritorum prophetæ & futurorum qui dicebant vobis. Gl. illuminati a Spiritu-sancto, *quoniam in novissimis temporibus venient illusores*. Gl. tempore antichristi, cujus jam isti sunt præambuli. *Secundum sua*, inquit, *desideria ambulantes*, & non in pietate, licet sint pietatis speciem prætendentes; alioquin non dicerentur illusores, quorum est aliud tenere, aliud exterius prætendere.

5. De quorum adventu in fine temporum apertius habemus beati Pauli apostoli testimonium in secunda epistola quam scripsit ad Timotheum germanum discipulum. [2. Tim. 3. 1.] *Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa*. alia littera habet *sæva*, pro *periculosa*; & quare? quoniam, inquit, *homines seipsos amantes erunt, cupidi, elati, superbi, blasphemi*, & ceteris vitiis quæ enumerat pleni. Sed si tales in aperto sint, quomodo erunt sanctis ad cavendum periculosi? non enim in aperto erunt tales; sed hypocritæ erunt & ficti, & idcirco periculosi: unde subjungit, *habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*. Quos enim Judas apostolus illusores nominaverat, non ambulantes in pietate; hos apostolus Paulus speciem pietatis habentes prædicit, [Ibid. 5.] & pietatis virtutem abnegare, *& hos*, inquit, *devita*. Et quasi Timothæus in persona futurorum sanctorum Apostolo responderet: Quomodo possum tales, qui speciem pietatis habent, & nostris sacramentis communicant, ut devitem, cognoscere? intulit [Ibid. 6.] eidem Apostolus, *ex iis sunt qui penetrant domos*, quasi diceret: vides nunc penetrantes domos, tales in novissimis temporibus venient in magna multitudine. unde Glossa ibid. bene dico ut tales devites, quia jam horum prænuncii quidam sunt, multo autem plures in fine futuri sunt.

6. Idem quoque Rabanus dicit lib. 7. supra Matthæum cap. 43. prædicta Apostoli verba exponens: Hæc autem, inquit, non ita dicta sunt, quasi tunc solummodo fiant, cum numquam post peccatum primi hominis in orbe defuerint; sed quia ultra omnia anteriora tempora abundantiores tunc erunt. Quare ergo discipulum tales Apostolus, nisi quia jam aliqui erant, devitare docebat? *penetrant* dixit, & *ducunt*, non penetrabunt & ducent, quamvis penetrantes domos in fine abundantissime venturi sunt. Et tunc esse debent sæva tempora & periculosa.

7. Unde Augustinus ecclesiæ doctor egregius, & verborum Apostoli expositor summus, illa tractans Apostoli verba in epistola quam scripsit ad Ezichium episcopum de fine sæculi, ita ait: Mirum, inquit, si tales homines defuerunt aliquando. denique quia & tunc erant, adjungit & dicit, & hos devita, ex iis enim sunt qui penetrant domos. non ait penetrabunt, tamquam & hoc futurum prænuntians, sicut supra dixerat, instabunt tempora periculosa, & captivas ducunt mulierculas; non ait ducent: nec putandus est hoc loco pro temporis futuri verbis, præsentis temporis verba posuisse, quando quidem illos ab eo, cui scribit, evitari admonebat. nec tamen frustra dixerit, in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & hinc ea periculosa demonstrans, tales homines futuros esse prædixit; nisi quia tanto plures erunt, magisque abundabunt, quanto magis propinquatur ad finem. Videmus igitur, inquit, tales non abundare. Sed quid si abundantiores erunt post nos, & omnino abundantissimi quando jamjam finis instabit, qui quamdiu aberit, ignoratur. In fine ergo temporum, & secundum Apostolum, & secundum Augustinum & Rabanum, homines se ipsos amantes, speciem pietatis habentes, & domorum penetratores, in magna abundantia venturi sunt.

8. Sed qui sint penetratores domorum Glossa ad litteram sic exponit super illud: Ex iis sunt qui penetrant domos. Ad litteram, inquit Glossa, ingrediebantur in domos mulierum & decipiebant eas; unde subdit & captivas ducunt: Gl. id est, subdolis & astutis verbis seducunt mulierculas, sicut serpens seduxit Evam, & per eam Adam. Allegorice vero sic exponit. Ex iis sunt qui penetrant domos, id est, rimantur proprietates cujusque, & quos idoneos inveniunt, ducunt captivos; unde subdit, *& captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis*. [2. Tim. 3. 6.] Gl. id est viros seductibiles quasi mulieres seducunt, *semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis pervenientes*; firmos enim seducere non possunt. Unde prolixius eos describens, ait: quia tales exemplo magorum, qui Moysi contradixerunt, *resistunt* [Ibid. 8.]

veritati, *homines reprobi*, id est, corrupti circa fidem; mente, non in aperto, sed in insidiis occultorum.

9. Circa istorum adventum Apostolus ecclesiam Christi sollicite vigilare voluit, & hoc signum finis sæculi frequenter prædicari, sicut super hoc statim Timotheum
2. Tim. 4. 1. admonuit dicens: *Testificor coram Deo, & Christo Jesu, prædica verbum, insta opportune, importune; argue, obsecra, in omni patientia & doctrina.* Et quare? Erit enim, inquit, *tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt*, Gl. id est, non ferent saltem audire, quasi onus sit eis: Prophetia est enim sancti apostoli, qui præscius futurorum, in doctrina præcepit esse instandum, ut contra hoc quod futurum erat præparetur ecclesia. *Sed secundum sua desideria*, inquit, *coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Gl. Tales enim dicit esse futuros qui pro desideriis doceri velint, ut a magistris constantibus & veracibus ad hoc convertantur, qui hoc illos doceant, qui libenter audiunt, quia veritas illis aspera videbitur, ut relicta vera doctrina, fabulis vacent. Isti sunt de quibus prædixerat, quia homines erunt seipsos amantes, speciem pietatis habentes, teste B. papa Gregorio qui in pastorali ait: Qui » & prava studet agere, & tamen ad hæc » ceteros vult tacere, ipse sibi testis est, quia » plus veritate se appetit diligi, quam contra » se patitur defendi.

10. Contra hanc pseudoprædicatorum in diversitate habituum venturam multitudinem; & sub pietatis hypocrisi occultantem, quondam sollicite provisum fuerat ab ecclesia in concilio generali, extra de religiosis domibus, ut episcopis sint subjectæ, *Ne nimia.* ubi dicitur: Ne nimia religionum diversitas gravem in ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus ne quis de cetero novam religionem inveniat: sed quicumque ad religionem transire voluerit, unam de approbatis assumat.

11. Sed quia omnia oportet impleri quæ prophetæ & apostoli prædixerunt de temporibus ultimis, istud salubre statutum a tantis patribus in concilio generali elaboratum, diu in ecclesia non potuit observari. Cum igitur tot pseudoprædicatores ecclesiam jam intraverint, in tot sectas & diversitates se diviserint, ut jam præ multitudine numerari vix possint, non in hoc reprehendentes, quod absit, statuta sanctorum, sed quasdam præsumtas adinventiones novas hominum, cum jam tot appareant subvertendo mulieres, tot rimantes proprietates hominum, tot penetrantes secreta conscientiarum, ut correctioni & veritati resistentes, & omni postposita pietate, sub pietatis simulatione acerbe prædicantes, ista pericula prosequentes, qui legit intelligat, & ab exercitu Jerusalem circumdari videat, ut per ultimam tribulationem ejus desolatio appropinquet; atque ut evadere mereatur, de Judæa confugiat ad montes.

Caput. VI. *De imbecillitate & ignavia prælatorum & ecclesiæ doctorum.*

1. Quartum signum est imbecillitas & ignavia ipsorum prælatorum ecclesiæ & doctorum, quibus cingitur ipsa ecclesia tamquam muro defensionis, & frenum sunt maxillas diaboli refrenantes, ne contra ecclesiam per Gog & Magog in apertam persecutionem erumpat: sed hoc freno laxato, & dirupto dissensionis muro, contra illam permittuntur venire cum exercitu suo & illorum capite antichristo, sicut in Apocalypsi scriptum est: *Solvetur satanas de carcere suo, & seducet gentes Gog & Magog super quatuor angulos terræ, & congregabit eos in prælium.* 20. 7.

2. Hoc signum in Ezechiele cap. 38. ponitur, ubi in persona Domini propheta loquitur dicens: *Ecce ego ad te Gog principem capitis Mosoch & circumagam te*, id est, te vagantem meo exercitu cingam, *& ponam frenum in maxillis tuis.* in maxillis enim Gog frenum Dominus posuit, quando prælatos ecclesiæ ac doctores Sancto Spiritu solidatos, tanta fortitudine & docendi libertate munivit, ut hujus immanis hostis ecclesiæ maxillas, ne in apertam persecutionem erumperet, fortiter constringerent, & diabolum vigore fortitudinis illorum magno terrore percussum, in Gog, qui interpretatur tectum, id est, in cordibus reproborum, tamquam in carcerem intrare compellerent, & in illis concluderent, hoc freno in maxillis ejus durante, semetipsos murum, ne inde exiret, fortiter opponentes. Sed de illo maximo ecclesiæ inimico propheta subjungit: *Post multos dies visitaberis, in novissimo annorum venies ad terram quæ reversa est a gladio*, id est ad ecclesiam quæ per mortem Christi ab infidelitate tamquam a gladio diaboli reversa est ad præcedentium patrum fidem, *& congregata est*, inquit, *de populis multis*, & opportunitatem adventus ejus ostendens subdit: In *illa die*, Gl. in novissimis temporibus *ascendent sermones super cor tuum, & cogitabis cogitationes pessimas, & dices, ascendam ad terram absque muro, veniam ad quiescentes habitantes, qui secure omnes habitant sine muro, vectes & portæ non sunt in eis, ut diripias spolia, & invadas prædam.* Murus vero ecclesiæ est fortitudo & audacia prælatorum, teste ipso Ezechiele, per quem Dominus de torpore & ignavia prælatorum conqueritur dicens: *Non ascen-* Ezech. 13. 5 Ibid. 10.

dictis vos ex adverso, nec opposuistis murum pro domo Israel.

3. Portæ & vectes doctores intelliguntur ecclesiæ, qui clavem scientiæ & fidei habentes, dignis ingressum præbent in ecclesia, & repellunt indignos. Illo ergo tempore novissimi annorum erunt, in quibus Dominus Gog & Magog venturos prædicit, cum tanta erit ignavia prælatorum, ut ecclesia murum non habeat defensionis; tanta doctorum infirmitas, ut portis & vectibus careat, nec sit qui aperte veritatem prædicando, contra prædictos hostes se opponere audeat, & maxillas ipsius Gog refrenare, nec eorum ingressui se opponere tamquam porta; aut intra ostium ecclesiæ Dei populum retinere, licet tunc temporis aliqui sancti hoc velint & tentent facere, sicut legitur in Daniele de adventu antichristi cum suo exercitu contra ecclesiam, sub figura regis aquilonis pugnantis contra regem austri: *Et veniet*, inquit, *rex aquilonis, & comportabit aggerem, & capiet urbes munitissimas, & brachia austri non sustinebunt, & consurgent electi ejus ad resistendum, & non erit fortitudo.* Dan. 11. 15.

4. Et ideo B. apostolus Paulus, qui manifestius tempora illa descripsit, torporem prælatorum stupore vehementi excutit, & circa gregem Dominicum custodiendum contra illa tempora prælatos sollicite vigilare præcepit, sciens quia quamdiu vigilarent, diabolus frenum haberet in maxillis, ne lupi de ejus maxillis egredientes, ad gregem devorandum Dominicum laxarentur. Sicut enim Act. 20. prælatis ecclesiarum Christi legitur Apostolum dixisse: *Contestor enim*, inquit, *vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium: non enim subterfugi quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei. Attendite vobis & universo gregi.* Loquitur enim, inquit Glossa, majoribus natu, id est, vos & universum gregem vobis commissum custodite ab hæreticis: *In quo*, inquit, *vos*, Glos. speculatores, *posuit Spiritus-sanctus episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Gl. non paruo pretio; sed quare attendendum sit, prophetando subjungit: *Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos*; Glos. hæretici callidi, fortes in disputatione, crudeles in occisione: nec tamen erunt extranei, *sed ex vobis ipsis insurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* Gl. in superbiæ elatione abducant, id est a Christo ad se ducant: *propter quod*, inquit, *vigilate*, Gl. quia intrabunt & exsurgent, sed non quamdiu vigilaveris, quia repelli timerent.

5. Unde Isaïas 61. cum ecclesiæ tempora descripsisset, quibus dispersi Israëlitæ congregarentur ad Christum, ultimos ecclesiæ doctores & prælatos sub figura doctorum synagogæ cui in figura ecclesiæ omnia contingebant, de torpore & ignavia ultimam ecclesiæ persecutionem tangendo, cui dabit ingressum ignavia prælatorum, vehementer arguit in persona Domini dicens. *Omnes*, inquit, *bestiæ agri*, postquam scilicet congregavero dispersionem gentium ad Christum, *venite ad devorandum universæ bestiæ saltus*, per quas bestias antichristi figuratur exercitus. Tempus instat; venire ut devoretis. quare? *quia*, inquit, *speculatores ejus omnes sunt cæci, nescierunt*, prædicta scilicet tempora considerare. *Universi*, inquit, *canes muti, non valentes latrare, videntes vana*, tantummodo aspicientes terrena, & *amantes somnia*, libenter recipientes nova mendacia, quia non possunt loqui veritatem, sed mendacium dicit Glossa. *Canes*, inquit, *impudentissimi, nescientes saturitatem*: nunquam saturati terrenis, semper illis inhiantes. *Et ideo*, inquit, *ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam; omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam a summo usque ad novissimum.* Et eorumdem gulositatem arguens, subdit in persona illorum: *Venite sumamus vinum & impleamur ebrietate, & heri sicut hodie ita & cras, & multo amplius*; & quod malum inde accidet, subdit: *Justus perit.* Gl. Christus. tunc enim peribit cum antichristus nomen ejus de terra delere tentabit: & quare perit? *Quia*, inquit, *non est qui recogitet in corde suo*, omnes enim mali dormiunt in terrenis & boni subtrahuntur de mundo, ut totius malitiæ auctor ad ecclesiam debellandam insurgat, & sic ingrediatur ad terram absque muro. Unde addit: *Et viri misericordiæ colliguntur.* Glos. ut mala sæculi non videant, *quia non est qui intelligat*, non est qui illorum intelligentiæ vacet; & ideo muro destructo, laxato fræno, lapidibus fundamenti sublatis, ingrediantur qui conculcent ecclesiam. Isa. 56. 9. Ibid. 57. 1.

6. Inde Jeremias sub figura terræ Chaldæorum contra ecclesiam, idem loquitur dicens: *Venite*, inquit, *ad eam ab extremis finibus*, quia Gog & Magog consurgent super quatuor angulos terræ: *aperite ut exeant qui conculcent eam*, portas destruite quæ illos detinebant, & illis habenas laxate; & ne sit obstaculum, *tollite*, inquit, *lapides*, destruite murum: sanctos & fortes viros de mundo auferentes; *Et redigite*, inquit, *in acervos*; ceteris sanctis in æterna renumeratione annumerate, & sic *interficite illam*, quia illis in mundo manentibus, nec vobis locus præberetur intrandi, ne potestas conculcandi aut interficiendi daretur. Jerem. 50. 26

7. Et ne quis credat verba prædicta prophetarum ad nostrum sensum nos trahere aut proprio sensu exponere, audiat papam Gregorium huic sententiæ concordantem in libro 3. Dialogorum. Malitia,

» inquit, remanentium meretur, ut ii qui » prodesse poterant festine subtrahantur, » & cum mundi finis appropinquat, electi » tolluntur ne deteriora videant: hinc etenim propheta ait: Justus perit & non est » qui recogitet in corde suo, & viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat: hinc rursum scriptum est *aperite » ut exeant qui conculcent eam; tollite de via » lapides*: Cum igitur murus ecclesiæ videatur in terrenorum occupatione dejectus & » humiliatus, Isaïa ecclesiæ pro prælatis di-
Isa. 29. 4. » cente, *humiliaberis, de terra loqueris, & de » humo eloquium tuum mussitabit*; ut prælati » ad nihil aliud quam ad terrena ecclesiæ » videantur intenti, torpentes & dormientes » in terrenis.

8. Cum igitur vectes & portæ ecclesiæ jam videantur dejectæ, ipsis nostri temporis ecclesiæ doctoribus de semetipsis profitentibus, quia jam non audeant dicere veritatem: qui legit, intelligat, quia non est longe ut ingrediantur qui conculcent eam, sed illud terribile audiant verbum papæ Gregorii doctoris ecclesiæ & prælati qui in 29. libro Moralium ita » ait: Video, inquit, quosdam quibus per » locum magisterii exhortandi sunt officia, » arguendique commissa, qui vident aliquid » illicitum admitti, & tamen dum quorumdam potentum offendere gratiam metuunt, » arguere non præsumunt. Quisquis iste est, » quid aliud, nisi videt lupum venientem » & fugit, quia tacuit, tacuit quia despectat æterna, gloriam temporalem plus amavit: non ergo desunt vel in pace ecclesiæ antichristi tentamenta.

9. Nemo itaque illa persecutionis extrema tempora quasi sola perhorrescat: apud iniquos namque quotidie res antichristi agitur, qui in eorum cordibus mysterium suum jam nunc occultus operatur. pensent itaque verba ista, qui doctores ecclesiæ a Domino ordinati sunt, & timore hominum aut intuitu commodi temporalis veritatem dicere refugiunt, atque iniquos corrigere pertimescunt: quia secundum beatum Gregorium, jam etsi occulti, tamen antichristi ministri sunt.

Caput VII. *De translatione officii prædicationis & excæcatione pastorum.*

1. Quintum signum est quia habentes ab antiquis patribus ex divina ordinatione prædicationis officium, a prædicatione circa tempora antichristi pro majori parte cessabunt, & prædicatio transibit ad alios, qui a principio ecclesiæ prædicationis officium non habuerunt. hoc signum in Apocalypsi habetur cap. 10. ubi Johanni sub figura prædicatorum ab angelo dicitur: *Cum locuta fuissent septem tonitrua voces suas*, id est omnes ecclesiæ præcedentes prædicatores, & doctores temporibus antichristi tribulationem talem futuram annuntiassent, quæ omnes ecclesiæ tribulationes in se comprehenderet; quod per septenarium figuratur, quo tota hujus sæculi vita volvitur. *Et ego*, inquit Johannes, *scripturus eram*, id est illo tempore, sive circa illud tempus prædicaturus: unde ibidem Glossa, hic fert personam eorum qui antichristi tempore volent prædicare ex præcedentium patrum imitatione. *Et audivi*, inquit, *vocem de cœlo dicentem mihi: signa quæ locuta sunt septem tonitrua & noli ea scribere*, id est occulta & noli prædicare. Unde Glossa quia, inquit tanta erit destructio tempore antichristi: prohibetur illis, qui erunt tempore ipsius, prædicatio, quamvis prædicare velint, cum ex antecessoribus suis habeant officium prædicandi. illi autem ideo prædicaverunt, quia a Christo ad hoc instituti sunt. Sed modo, inquit, vide destructionem temporis antichristi, contrariam constructioni quam Christus fecit & ex hoc perpende prædicationem merito subtrahi. Et post in alia Glossa tanta desolatio erit in ecclesia, quod & prædicatio erit sublata ab eis, scilicet qui ex auctoritate & imitatione præcedentium patrum habent officium prædicandi.

2. Et quia hoc futurum sit circa tempora antichristi ante ejus ingressum, alia Glossa & textus manifeste ostendunt, quia statim Johanni sub persona sanctorum, qui erunt tempore antichristi, dicitur: *Vade, accipe librum apertum de manu angeli stantis super mare.* Gloss. ne terrearis prædicare pro tribulatione aliqua, quia non tanta patieris quanta patientur qui perseverabunt in prædicatione, scilicet tempore antichristi. Inde alia Glossa ibidem dicit: dum minor est tribulatio, non debetis cessare, quia tempore illius, cum gravior erit, faciam illos prædicare, sicut in Daniele legitur, quia data abominatione & desolatione, docti in populo docebunt plurimos, & ruent in gladio & in flamma, & in rapina dierum: ex quo colligitur quod circa adventum antichristi prædicatio auferetur ab illis qui ex imitatione præcedentium patrum habebant officium prædicandi, maxime ne prædicent de temporibus antichristi.

3. Sed qui in ecclesia sint a Domino missi & instituti videamus. scimus enim teste evangelica veritate, quia duos ordines discipulorum Dominus misit ad prædicandum: primo apostolos XII. principales & ad hoc officium prælectos, sed crescente messe, in auxilium eorum elegit septuaginta duos discipulos, quos & misit ad evangelium prædicandum, apostolis subdidit, & minoris esse voluit gradus & dignitatis: sed ut Glossa super id Lucæ 10. dicit in apostolis

apostolis est forma episcoporum, & in septuaginta duobus discipulis forma est presbyterorum secundi ordinis, scilicet illorum qui in diversis parochiis præficiuntur. Inde Anacletus papa, quem beatus Petrus in presbyterum ordinavit, dicit in illa epistola quam ad omnes episcopos mittit; sacerdotum, fratres, ordo bipartitus est, & sicut illum Dominus constituit, a nullo debet perturbari. Scitis autem a Domino apostolos esse electos & constitutos, & postea per diversas provincias ad prædicandum dispersos. Cum vero messis cœpisset crescere, videns paucos esse operarios, ad eorum adjumentum septuaginta eligi præcepit discipulos. Episcopi, inquit, apostolorum Domini, presbyteri quoque septuaginta discipulorum locum tenent. Et cum dixisset episcopos in magnis civitatibus & famosis locis debere constitui, presbyteros vero in castellis atque in modicis villis debere ordinari & poni, sic intulit: Amplius quam isti duo ordines sacerdotum, nec nobis a Deo collati sunt, nec apostoli docuerunt.

4. Hinc Leo papa primus & sanctus, in epist. ad Julianum episcopum ait: Auctoritatis est sacerdotalis monachis prædicandi aliquam, quæ ad fidem, licentiam non præbere, & omni virtute resistere ne ea quæ ad sacerdotes pertinent sibi audeant vindicare. Et iterum idem in epistola ad Theodoricum episcopum: Specialiter, inquit, statuimus ut præter Domini sacerdotes nullus audeat prædicare, sive monachus sit ille, sive laïcus, cujuslibet scientiæ nomine glorietur.

5. Certum est igitur ex præmissis quod episcopi & sacerdotes qui regunt populum, illi sunt qui & a Christo & ab immutatione præcedentium patrum habent prædicandi officium: qui circa tempora antichristi veniente multitudine magna pseudoprædicatorum, a prædicatione pro majori parte cessaturi sunt, aliis locum occupantibus prædicandi. Et justo Dei judicio fiet ut plurimi doctores ecclesiæ, qui gloriam quæ a solo Deo est non quærunt, sed ab hominibus propriam gloriam expetunt, excæcentur, & ab eorum oculis prophetiæ de illis temporibus abscondantur.

6. Hinc Isaïas 29. sub figura synagogæ, quantum ad illius ultima tempora, de ipsa prædicit ecclesia. *Va Ariel, Ariel civitas quam expugnavit David.* (Isa. 29. 1.) Ariel civitas quam David noster expugnavit est ecclesia, quam de fortitudine & ferocitate gentium, expulso diabolo idolatriæ principe, congregavit. *Additus est*, inquit, *annus ad annum, solemnitates evoluta sunt;* præteritum ponit pro futuro. dicit Glossa: *Et circumvallabo Ariel, & erit tristis & marens, circumdabo* exercitu Chaldæorum, dicit Glossa qui figurat exercitum antichristi quia post multos, annos & multimodam pacem ecclesiæ contra illam insurget princeps spiritualium Chaldæorum cum suo exercitu antichristus. *Et circumdabo*, inquit, *quasi spheram in circuitu tuo, & jaciam contra te aggerem, & munimenta ponam in obsidionem tuam.*

7. Hoc est quod apertius dicitur in Apocal. de Gog & Magog exercitu antichristi, quia insurgent super quatuor angulos terræ. *Et ascenderunt*, inquit, *super terra latitudinem, & cinxerunt castra sanctorum & dilectam civitatem*, id est ascendent & cingent; præteritum pro futuro prophetica certitudine. (Apoc. 20. 8.)

8. Et tempus idoneum, quando hæc fient Isaïas subjungit, dicens: *Humiliaberis, de terra loqueris*: Gloss. quæ ante de cœlestibus loquebaris: *Et de humo*, inquit, *eloquium* mussitabit: tunc enim tempus erit, quando, cœlestibus prætermissis, tantum de temporalibus ecclesia pro majori parte curabit. Et prophetata destructione exercitus antichristi, & omnium gentium quæ dimicaverunt contra montem Sion, super quam Christus a Deo est rex æternaliter constitutus. Cum recapitulando revertitur ad ostendendum unde istud acciderit: *Obstupescite*, inquit, *& admiramini* vos scribæ ecclesiæ & pharisæi *vacillate, & inebriamini & non a vino, moveamini & non ab ebrietate, quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis: claudet oculos vestros, prophetas & principes vestros qui vident visiones operiet, & erit vobis visio omnis sicut umbra libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicentes lege istum; & respondebit: Non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti litteras, dicetur que ei: lege; & respondebit; nescio litteras.* Et unde tantum malum? *Eo*, inquit, *quod appropinquat populus iste ore suo & labiis suis glorificat me, cor autem eorum longe est a me. Et timuerunt me*, inquit, *mandato hominum & doctrinis.* (Isa. 29. 4.; Ibid. 9.)

9. Quare ut ostensum est supra, sicut fuit in fine synagogæ, ita futurum est in fine ecclesiæ, ut dividatur per multas sectas; mandata divina humanis præsumptionibus corrumpentes. Ideo, inquit Dominus per prophetam: *Ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo: peribit sapientia a sapientibus ejus, & intellectus prudentium abscondetur*: Et quamvis prædicta verba prophetæ exponant glossæ de statu ultimo synagogæ, possunt, ut visum est, congruenter exponi de fine ecclesiæ, immo & debent, quia secundum apostolum in figura nostri illis omnia contingebant. (Ibid. 14.)

10. Quod manifestius cap. 6. in Apocalypsi Johannis habetur, ubi in apertione sexti sigilli, cum terræ motus magnus fiet tempore antichristi, dicitur: *Et cœlum recessit ut liber plicatus.* Quid enim per cœlum, nisi scriptura sacra significatur, in qua firma-

mentum stat limpidissimæ veritatis diversis vallata patrum sententiis, & intellectibus mysticis ornata quasi fulgentibus stellis; quæ tunc ut liber plicatus recessura dicitur, quia oculi doctorum illius temporis, ne intelligant occultantur. Ut parum quasi per somnium intelligant signum occultatur de adventu antichristi & ejus tempore. Nec sic abscondi intelligitur quod illis omnibus occultetur, sed quod majoribus, & pro majori parte.

11. Hinc Gregorius libro 34. Moral. dicit, illud sancti Job exponens, *& faciem ejus præcedet egestas:* Terribili, inquit, ordine dispositionis occultæ, priusquam Leviathan ille in illo damnato homine quem assumet, appareat: a sancta ecclesia virtutum signa subtrahuntur. nam prophetia absconditur, curationum gratia aufertur, doctrinæ verba conticescunt: quæ quidem, inquit, superna dispensatio nequaquam funditus subtrahit; sed non hæc sicut prioribus temporibus aperte ac multipliciter ostendit.

12. Apparet igitur quoniam circa tempora antichristi, ad alios ab illis qui habuerint a Christo & ab immutatione præcedentium patrum officium prædicandi & docendi, doctrina & prædicatio pro majori parte transibit. quod etiam temporis illius doctores pro majori parte excœcabuntur, ne per prophetias possint illa tempora prævidere, & cessabunt a periculosorum temporum illorum prædicatione.

13. Quod etiam doctores boni qui præmissa intelligent, conticescent; quia homines illius temporis sanam doctrinam non ferentes, ab illis ad fabulas convertentur, sicut beatus Apostolus in epistola secunda ad Timotheum aperte prophetavit: *Erit*, inquit, *tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed concervabunt sibi magistros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Gl. a magistris constantibus & veracibus, ad hos convertentur qui hæc illos doceant, quæ libenter audiant, quia veritas illis aspera videbitur, ut relicta vera doctrina, fabulis vacent. Idcirco magistri super hæc forsitan hac intentione tacebunt, quia nec erunt qui audiant, & se nihil proficere posse videbunt, videntes tempora præparari ad ultimam destructionem, sicut expresse in Apoc. dicitur, in textu & in Glossa, sicut dictum est supra.

14. Sed qui legit, intelligat, elevet mentis oculos, & clare aspiciat; ne forte hoc signo instante, ultima ecclesiæ desolatio appropinquet. unde pastores Dominus per Jeremiam prophetam, cum de illa loqueretur 25. cap. persecutione, ad ululatum & planctum terribiliter vocat, dicens: *Egredietur afflictio de gente in gentem.* Glos. (Jer. 25. 32.) juxta prophetiam in consummatione sæculi ista futura sunt, *& turbo*, inquit, *magnus egredietur a summitatibus terræ, & erunt interfecti Domini in die illa a summo terræ, usque ad summum ejus; non plangentur, neque colligentur, neque sepelientur, & in sterquilinium super faciem terræ jacebunt.* quia perturbatio magna a terrenis potestatibus egrediens, ubique sanctos Christi trucidabit, nec illis honor sepulturæ, sicut fiebat antiquitus, tribuetur. Ideo, inquit, *ululate pastores & clamate. aspergite vos cinere optimates gregis: quia completi sunt dies vestri, ut interficiamini* per infidelitatem antichristi a diabolo seducti, *& cadetis quasi vasa pretiosa.* Stellæ enim cadent de cœlo, *& peribit*, inquit, *fuga a pastoribus, & salvatio ab optimatibus gregis.* Quare? quia excœcati non cognoverunt tempus visitationis suæ. *Vastavit* enim *Dominus*, propter illorum insipientiam, *pascua eorum, & conticuerunt arva pacis a facie iræ furoris Domini.*

CAPUT VIII. *De pace & securitate ecclesiæ in diebus illis.*

1. Sextum signum adventus antichristi & consummationis sæculi, est pax & securitas ecclesiæ, quia non considerans quæ ventura sunt sibi, tunc torpebit in terrenorum pace. Hoc signum expresse legitur in Ezechiele capite 38. ubi de Gog & Magog dicitur: *In novissimo annorum venies ad terram quæ reversa est a gladio, & quæ congregata est de populis multis ad montes Israel qui fuerunt deserti jugiter. hæc de populis educta est*, id est ad ecclesiam, quæ a gladio diaboli reversa, ante a Deo diu deserta, de populis multis est congregata, *& habitaverunt*, inquit, *in ea confidenter universi*, id est, tunc venies, quando secure habitabunt Christiani, nec de tuo adventu cogitabunt. unde subjungit: *Ascendens autem quasi tempestas venies*, quia repente resurget, *& quasi nubes*, inquit, *ut operias terram tu, & omnia agmina tua, & populi multi. Hæc dicit Dominus: In die illa ascendent sermones super cor tuum, & cogitabis cogitationes pessimas, & dices: veniam ad quiescentes habitantesque secure.* & post: *Numquid non in die illo, cum habitaverit populus meus*, non carnalis *Israel*, sed spiritualis, sicut infra juvante Domino ostendetur magis, *habitaverit*, inquit, *confidenter, scies? & venies de loco tuo a lateribus aquilonis tu & populi multi tecum, ascensores equorum universi, cœtus magnus, & exercitus vehemens.* (Ezech. 38. 8. — Ibid. 9. — Ibid. 14.)

2. Habitabit ergo tunc ecclesia confidenter, de ejus adventu non providens; sed securitate torpens, quando repente veniet, & insurget ille maximus ejus & ultimus adversarius cum suo exercitu antichristus, cujus adventum cum suo exercitu prophe-

Joël. 2. 3. ta Joël 2. cap. describens, ait: *Quasi hortus voluptatis terra coram eo*, quia magna pace terrena & securitate & quiete potietur ecclesia, antequam ille ingrediatur iniquus, qui idcirco repente super improvisos & inerti quiete torpentes insurget; quia hoc tempus ad expandendam suam nequitiam magis valere suspicatur.

3. Quod bene in libro Judicum 18. figuratur, ubi dicitur, *In diebus illis non erat rex in Israël.* quod defectum præsignat Romani imperii; *Et tribus Dan quærebat possessionem sibi, ut habitaret in ea.* Nullus Catholicus dubitare potest vel debet, quin antichristus de tribu Dan sit venturus, secundum prophetiam sancti Jacob Gen. 49. *Et tu Dan colubris in via, cerastes in semita*, &c. quod, Deo juvante, in sequentibus plenius ostendetur. Tribus ergo Dan, id est, hypocritæ & ficti, qui ad partem pertinent antichristi, in ecclesia post defectum Romani imperii possessionem sibi quærent in qua habitent: quia locum & possessionem adhuc nondum acceperant, ut possent in ea dominari, licet sine ipsis non esset. unde sequitur: *Usque ad illum enim diem possessionem non acceperat inter ceteras tribus.*

Jud. 18. 1.

Ibid. 2. 4. *Miserunt* autem, inquit, *filii Dan exploratores, qui explorarent terram, & diligenter inspicerent.* Qui sunt isti exploratores, nisi pseudo-prædicatores & domos penetrantes, conscientias uniuscujusque rimantes, qui in illis temporibus ad ecclesiam venient, ut ejus libertatem explorent, & ejus indagent fortitudinem vel infirmitatem. *Euntes ergo venerunt Lachis, videruntque populum habitantem in ea absque ullo timore, juxta Sidoniorum consuetudinem, securi & quieti; nullo ei penitus resistente, magnarumque opum, & procul a Sidone & a cunctis hominibus separatum Reversique ad fratres suos, & quid egissent sciscitantibus responderunt: Surgite & ascendamus ad eos: vidimus enim terram valde opulentam & uberem; nolite negligere, nolite cessare; eamus & possideamus eam, nullus erit labor; intrabimus enim ad securos in regionem latissimam. Venerunt* ergo filii Dan *in Lachis ad populum quiescentem atque securum, & percusserunt eum in ore gladii, urbemque incendio tradiderunt, nullo penitus ferente præsidium, eo quod procul habitarent a Sidoniis, & cum nullo hominum haberent quidquam societatis ac negotii.*

Ibid. 7.

Ibid. 27.

Ibid. 28. 5. *Erat autem civitas sita in regione Rohob, quam rursus exstruentes habitaverunt in ea, vocato nomine civitatis Dan, juxta vocabulum patris sui.* Ista verba sic exponit Radulfus super Leviticum lib. 18. cap. 1. Lachis, inquit, civitas, quæ leo interpretatur, ecclesiam significat propter fortitudinem: quia sæpius ab hostibus pressa, vinci non potuit: hanc exploratores Dan, prædicatores videlicet antichristi, qui faciem ejus præcedent, securam & quietam invenient, futuros casus minime prævidentem, habitantesque in ea sine Dei timore, sine sollicitudine animarum suarum viventes, juxta consuetudinem Sidoniorum, id est, juxta mores illorum qui carnis suæ voluptates sectantur. Sidon quippe interpretatur venatio inutilis: unde & divino auxilio destitutos, persuasionis malignæ gladio ferient & perfidiæ igne succendent, nullo penitus ferente præsidium, eo quod procul sint ab arce sapientiæ & a mœnibus civitatis illius, cum nullo sanctorum, nec secum invicem fœderis societatem habentes, sicut per Apostolum de talibus dicitur: *sine affectione, absque fœdere, sine misericordia.*

6. Erit autem tunc civitas hæc nostra sita in regione Rohob, quæ latitudinem sonat, quia latam & spatiosam viam magna ex parte tenebit ecclesia. unde & fornicaria in Apocal. vocatur. *Hi*, inquit, *odient fornicariam* de decem * gregibus agens, & *desolatam reddent eam & nudam*: latum hostibus ad se præbebit ingressum. Qui postquam veræ fidei in illa ædificationem destruxerint, extruent rursus eam in peregrini cultûs superstitione, privantes eam nomine quo nunc benedicitur super terram, & nomen patris sui imponentes ei, ut jam non Christi civitas dicatur, sed antichristi. Apoc. 17. 16. * f. regibus.

7. Secundum hoc tamen ecclesia torpens habitabit secure & in pace terrena, comedens & bibens, & ceteris carnalibus operibus operam dans, illud ultimum diluvium repente insurget contra eam. Unde Radulfus super Leviticum ubi supra. Post diuturnam, inquit, ecclesiæ pacem, quasi tempestas irruens, dum repentinam se ingerit, eo magis valere insidias suas suspicatur, quo securis & quiescentibus præsentatur. Talis, inquit, est hodie status ecclesiæ; videas homines fidem quidem integram profitentes, cum quibus, si de illa ultima persecutione & antichristi adventu sermonem habeas, pene videntur hoc futurum non credere; aut si credunt, quasi per somnium id cogitantes, post multa sæcula futurum conantur astruere. nulla autem, inquit, æstimo, istis manifestiora adventus illius indicia.

8. Cum igitur de adventu illius ecclesia non sollicitetur, sed terrenis inhians habitet confidenter: qui legit intelligat, & hoc signo cognoscat, quia adventus illius seductoris valde appropinquat, & sollicite caveat ne more Sidoniorum in deliciis carnis vivens, super illum veniat illa repentina tempestas: de quo monet in evangelio Lucæ 21. ipsa per semetipsam Veritas. Cum enim tempora antichristi per signa infallibilia descripsisset, ita illum sermonem discipulos hortando concludit. *Attendite*, inquit, *vobis ne graventur corda vestra cra-*

pula & ebrietate & curis hujus vitæ, & superveniat in vos repentina dies illa; tamquam laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem terræ. Gl. quibus placent illecebræ hujus mundi: in quo signatur quia terrenis desideriis pro majori parte servient homines illius temporis. Quod jam nunc videtur impleri. *Vigilate*, inquit, *igitur*; non certis diebus, vel horis, sed *omni tempore*, ut digni habeamini fugere omnia ista quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.

CAPUT IX. *De prædicatione ipsius securitatis.*

1. Septimum signum approximationis illius temporis, est non tantum securitas, sed prædicatio securitatis. Tunc enim pseudochristi, ne ministri credantur antichristi, pacem & securitatem ecclesiæ promittent, & illa pericula futura post multa tempora afferent, de hoc signa dare nitentes, ac prodigia ad seducendos, si fieri possit electos, sicut Marc. 13. Veritas in evangelio dicit.

2. Hoc signum beatus apostolus Petrus princeps pastorum, & fide firma ecclesiæ fundamentum in secunda canonica ponit in hæc verba: *Vestram*, inquit, *excito in commonitione sinceram mentem, ut memores sitis eorum quæ prædixi verborum a sanctis prophetis & apostolorum vestrorum & præceptorum Domini & Salvatoris: hoc primum scientes quod venient in novissimis diebus.* Glos. tempore antichristi, cujus jam isti sunt præcursores. *Venient*, inquit, *illusores*, aliud extra fingentes, aliud intra gerentes, *in deceptione juxta proprias concupiscentias ambulantes.* Apparebunt enim exterius sancti, cum secundum veritatem sint carnales, hoc est in deceptione juxta concupiscentias ambulare, *dicentes, ubi est promissio aut adventus ejus?* quasi dicant: securi sitis, non est prope promissio de adventu antichristi vel ipsius dominii. quod hoc signo, dicent, manifeste probamus. *Ex quo antiqui patres dormierunt, sic omnia perseverant ab initio creaturæ*, scilicet ab initio ecclesiæ, quæ per Christum dominum assumta est, ut per adoptionem propria sit creatura Dei. Unde Glossa ibid. Ex quo antiqui patres mortui sunt, nihil videmus mutatum in mundo, nec aliquid immutabitur, nisi sicut modo est. Omnia enim scripturarum signa, per quæ magistri veraces propinquare & in januis esse ultima tempora periculosa & sæva ostendent, promittentes securitatem, dicent ita fuisse ab initio ecclesiæ, & nihil mutari nec mutatum esse, ex quo sancti apostoli dormierunt. *Sed non tardat*, inquit B. Petrus, *Dominus promissionem suam*: sicut enim promisit, ita quotidie implet, & usque in tempora congrua & disposita differens, *patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti: adveniet autem dies Domini sicut fur*, scilicet quando adventurus non sperabitur a malis, quando a pseudo prædicabitur securitas. Et post: *Sicut*, inquit, *carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus epistolis suis loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti atque instabiles depravant, sicut & ceteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.*

Margin notes: 2. Pet. 3. 1. — Ibid. 9. — Ibid. 15.

3. Per epistolas igitur Pauli probemus quod prædictorum verborum convenientem dedimus intellectum: licet alio modo exponatur a glossis; nec potest esse reprehensibile, si datæ a Spiritu-sancto scripturæ diversis modis, dum tamen catholice, exponantur. Multa de adventu istorum seductorum B. apostolus Paulus in diversis epistolis scribit: sicut in epistolis duabus ad Thessalonicenses, & in duabus sequentibus ad germane dilectum discipulum Timotheum.

4. In prima enim epistola ad Thessalonicenses, cum de adventu Domini qui satis tempestive post adventum antichristi expectatur venturus, loqueretur; per omnia apostolo Petro concordans ait: *De temporibus autem & momentis non indigetis, fratres, ut scribamus vobis; ipsi enim scitis quia dies Domini sicut fur in nocte veniet.* Sed quod temporis adventus ejus signum erit, subdit: *Cum enim* pseudoprædicatores *dixerint, pax & securitas, tunc repentinus superveniet eis interitus, sicut dolor in utero habenti, & non effugient.* Iste repentinus superventurus interitus potest intelligi de adventu Domini ad judicium, mortuo antichristo, secundum Glossæ expositionem, potest & non incongrue de adventu antichristi exponi, qui repentinus insurget, cum pseudoprædicatores dixerint pax & securitas, sicut B. Augustinus expresse dicit in epist. ad Ezichium episcopum, quam de fine sæculi scripsit. Utraque, inquit, pars « erit in omnibus gentibus; una quæ premat, « altera quæ prematur; una quæ dicat pax « & securitas; altera in qua sol obscuretur & « luna non det lumen suum, & de qua stellæ « cadant, & in qua virtutes cœlorum moveantur: « de quibus nullus fidelis debet dubitare « quin ventura sint tempore antichristi « adventus, unde & diem Domini « prophetæ nuncupant adventum antichristi. « Inde Joël 2. legitur: *Conturbentur omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini; quia prope est dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis, quasi mane expansum super montes, populus multus & fortis, similis illi a principio non fuit*, &c. Quod de adventu antichristi cum suo exercitu intelligitur, secundum expositionem præcedentium patrum.

Margin notes: 1. Thess. 5. 1. — Joël. 2. 1.

Adventus

5. Adventus igitur antichristi dicitur dies Domini, tum quia venturus est secundum dispositionem & ordinationem Domini, tum quia post ejus adventum venire Dominus non tardabit. Quoniam, ipso teste Apostolo, illum interficiet Dominus JESUS spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui eum.

6. Cum ergo pseudoChristi præcursores antichristi dixerint pax & securitas, ille repentinus interitus veniet super malos, & non effugient, quia a fide Christi illos avertet, & ad suam infidelitatem trahet. Hinc expresse Radulfus super Levit. lib. 18. dicit: Nulla æstimo manifestiora adventus illius indicia, quam cum pacem & securitatem prædicaverint, juxta illud Apostoli: *Quia cum dixerint pax & securitas, superveniet illis interitus, & dies Domini sicut fur in nocte ita veniet.* Ante nos, inquit, sancti patres de hujus adversarii immanitate sollicitabantur, jam jamque affuturum suspicabantur, sicut in dialogo papæ Gregorii, sicut & beati Cypriani, aliorumque martyrum legimus scriptis. Nos vero qui post multas generationes hic nati sumus, & fini appropinquamus, in tanta securitate torpemus: unde hoc signum temporibus Augustini nondum erat impletum; sicut ipse in prædicta epistola de fine sæculi: Quantumlibet, inquit, intervallum sit spatiumque temporis, nisi cum dixerint *pax & securitas*: quibus, inquit, verbis videtur Apostolus hujus novissimi diei spem vel timorem ab hoc novissimo tempore removisse. non enim videmus amatores sæculi hujus, quibus subitaneus apparebit interitus, jam dicere *pax & securitas*; & post: Ipsi enim mali dicturi sunt *pax & securitas*, ut *repentinus illis superveniat interitus*, & eos *adventus Domini sicut fur in nocte comprehendat*, quando e contrario gaudebunt & exultabunt qui diligunt manifestationem Domini.

1. Thes. 5. 2.

7. Temporibus ergo præcedentium patrum, qui in excubiis Domini erant, & ad adventum antichristi suspensi, hoc non fuerat signum impletum: sed cum istis nostris temporibus jam securitas promittatur, quibusdam dicentibus, & in suis libellis scribentibus, quia ista ultima ætas tantum durare debet, quantum præcedentium ætates duraverunt insimul aggregatæ, nitentes etiam ostendere nihil immutatum in ecclesia, sed dicentes quia omnia quæ de adventu illius dicuntur, ab initio sicut modo in ecclesia perseverant; qui ergo legit intelligat, & hujus signi impletione cognoscat, quia valde ultima ecclesiæ desolatio appropinquat, cum jam homines dicant pax & securitas. Tamquam ergo lucis filius quilibet electus circa hoc vigilans, torporem excutiat, & peccatorum suorum tenebras expellat, ne dies illa tamquam fur illum comprehendat, & tamquam Dei filius vigilet & sobrius fiat.

CAPUT X. *De cessatione miraculorum in ecclesia.*

1. Octavum signum adventus antichristi & illius ultimæ tribulationis, est ablatio signorum & miraculorum ab ecclesia Christi, quibus in præcedentibus temporibus claruerunt viri perfecti; quia enim primitus congreganda fuerat ecclesia, Christus in viris perfectis clarere debuit signis & miraculis, per quæ & auctoritatem conciliaret, & fidem acquireret, conterreretque multitudinem: conterrita multitudine obtineret vetustatem, & vetustate roboraret religionem, sicut beatus Augustinus dicit in libro de utilitate credendi: sed cum ultima tribulatione sit jam probanda ecclesia, illi subtrahuntur miracula, & mira Dei dispensatione potestas miraculorum, Deo juste permittente, ad adversarios illius transibit.

2. Hinc B. Job. 12. cap. de adventu antichristi loquitur dicens: *Ante faciem ejus præcedet egestas*: Scilicet, erit in ecclesia miraculorum egestas, diversorumque Spiritus-sancti donorum ante antichristi adventum, quibus claruerat in præcedentibus temporibus: sicut verba præmissa exponit B. Gregor. lib. 34. Moral. ita dicens: Terribili, inquit, ordine dispositionis occultæ, priusquam leviatan iste in illo damnato homine quem assumit appareat, a sancta ecclesia virtutum signa subtrahuntur. Nam prophetia absconditur, curationum gratia aufertur, prolixioris abstinentiæ virtus imminuitur, doctrinæ verba conticescunt, miraculorum prodigia tolluntur. Quod quidem nequaquam superna dispensatio funditus subtrahit; sed non hoc sicut prioribus temporibus aperte ac multipliciter ostendit. Quod tamen, inquit, mira dispensatione agitur, ut una ex re divina scilicet pietas & justitia compleatur. Dum enim subtractis signorum virtutibus sancta ecclesia velut abjectior apparet, & bonorum præmium crescit, qui illam pro spe cœlestium & non propter signa præsentia venerantur; & malorum mens contra illam citius ostenditur, qui sequi quæ promittit invisibilia negligunt, dum signis visibilibus non tenentur.

Job. 41. 13.

3. Et post: Quia ergo leviatan iste priusquam manifestus & conspicuus veniat, ex magna parte in sancta ecclesia signa virtutum cessant, recte nunc dicitur: *faciem ejus præcedet egestas*. Ante enim a fidelibus miraculorum divitiæ subtrahuntur, & tunc contra eos antiquus ille per aperta prodigia hostis ostendetur, ut quo ipse per si-

gna extollitur, eo fidelibus sine signis robustius laudabiliusque vincatur. Quamvis tamen fidelibus in ejus certamine signa non deerunt, sed tanta erunt illius, ut nostrorum aut pauca aut nulla videantur: & ideo B. Johannes in Apocalypsi, in apertione sexti sigilli, sub quo manifeste prædicatur persecutio antichristi, ait: *Et factus est terræ motus magnus, & factus est sol tamquam saccus cilicinus*, quia sanctorum vita, deficientibus miraculis, apparebit despicabilis, & doctrina evangelica contemptibilis, sole justitiæ Christo non coruscante miraculis. Unde Glossa ibid. sol factus est tamquam saccus cilicinus, id est illi in quibus Deus lucet reputabuntur rei & peccatores, claritatem suam in se retinentes, vel Christus sol verus & modo clarus, tempore antichristi erit obscurus, id est nullis miraculis coruscans.

Apoc. 6. 12.

4. Miraculis ergo coruscare in hoc ultimo tempore non erit sanctorum Christi, sed ministrorum antichristi. Quid est ergo quod abbas Joachim in libris de concordia tertium testamentum pseudoprophetisat, in quo oportet Spiritum-sanctum majoribus signis & miraculis coruscare in viris illud recipientibus, quam sub novo testamento in Apostolis ac sanctis ceteris claruerit Christus dominus, nisi quia antichristus cum suis ministris, qui facturi sunt miracula in deceptionem, Spiritui-sancto ascribent, ut callidius decipiant, illaque facient operatione satanæ, & ideo Christi servos despicabiles & contemptibiles reddent.

5. Inde Augustinus dicit super illud psalmi 9. in originali *inclinabitur & cadet cum dominatus fuerit pauperum*. Cum enim, inquit, illa signa facere cœperit, quanto mirabiliora videbuntur hominibus, tanto illi sancti qui tunc erunt contemnentur, & quasi pro nihilo habebuntur, quos ille cui per justitiam & innocentiam resistent, mirificis factis superare videbitur. Cum igitur ab ecclesia pro majori parte & fere omnino jam sint substractæ miraculorum divitiæ, quid restat, nisi ut antichristi ministri clarescant miraculis, illa persecutione ingrediente, & ipso miraculorum omnium capite adventante. qui ergo legit intelligat, & hoc signo cognoscat quia illa pessima tempora non videntur a longe distare.

CAPUT XI. *De augmento infidelitatis & raritate rectæ fidei.*

1. NOnum signum approximationis illorum temporum est veræ fidei raritas, & infidelitatis augmentum. hinc veritas in evangelio Lucæ 18. dicit: *Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra?* Glossa de perfecta fide dicit, quam in paucis inveniet. Unde secundum Glossam in verbo dubitationis infidelitas interpretatur, qua jam sit totius mundi acceleranda ruina. ecclesia enim gentium pro majori parte circa finem mundi & adventum antichristi puritatem fidei amissura est. Ideo in psalmo dicitur *synagoga populorum circumdabit te*, id est te amplectetur vera fide & sincera caritate; *& propter hanc in altum regredere.* Glossa id est rursus desine intelligi, quia & ista te offensura est in fine & a fide recessura. Unde ait Dominus in evangelio: *cum filius hominis venerit putas inveniet fidem in terra?* tunc enim Dominus iniquitate dominante in altum regredietur, ut a paucis sincera fides, & ab omni pravarum opinionum labe purgata teneatur.

Luc. 18. 8.

2. Hoc est quod illis temporibus Apostolus prophetizat in ep. 1. Timoth. cap. 4. *Spiritus*, inquit, *manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discendent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium*, id est in simulata religione, ut magis decipiant, & cauteriatam habentium suam conscientiam Gloss. id est corruptam prava cogitatione & adustam igne malæ concupiscentiæ: prophetia est enim sancti apostoli, cui Spiritus-sanctus futura revelavit ad cautelam ecclesiæ. 1. Tim. 4. 1.

3. Qui sanctus apostolus de hoc eodem prophetisans in 2. epist. ad Thessalonicenses ait: *Jam enim mysterium operatur iniquitatis, tantum ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat.* Gloss. Ut qui tenet nunc fidem teneat, donec ipsa de medio fiat; id est refrigescat, scilicet ante adventum antichristi, de quo statim subjungit: *Et tunc revelabitur ille iniquus.* 2. Thess. 2. 7.

4. Inde propheta Jeremias sub figura synagogæ ultimam ecclesiæ persecutionem præsignans; antequam illam describat, defectum fidei signat dicens: *Circuite vias Jerusalem, & aspicite: considerate & quærite in plateis ejus an inveniatis virum facientem judicium & quærentem fidem, & propitius ero ei*, illam ultimam persecutionem retardando. Virum in singulari pro recte credentium raritate nominavit. Et quia ex defectu fidei ad perjurium tunc erunt homines proclivi, subdit: *Quod si etiam Vivit Dominus dixerint, & hoc falso jurabunt.* Nec hoc propheta solum reperit in populo, sed & in majoribus: unde subdit: *Forsitan pauperes sunt & stulti ignorantes viam Domini & judicium Dei sui: Ibo igitur ad optimates, & loquar eis, ipsi enim non cognoverunt & judicium Dei sui, & ecce magis ii simul confregerunt jugum* legis, & fidei *ruperunt vincula.* Gloss. magistri pejores sunt discipulis: & quanto est in divitibus major auctoritas, tanto major est insolentia peccatorum. *Idcirco*, inquit, *percussit eos leo de silva*, id Jerem. 5. 1. Ibid. 4. Ibid. 6.

est percutiet, præteritum pro futuro certitudine prophetica ponens. *Lupus ad vesperam*, id est in fine sæculorum, *vastavit eos, pardus vigilans super civitates eorum.* Quid per leonem, lupum ad vesperam venientem & pardum figuratur, nisi ille iniquus, qui insidiabitur ut leo absconditus in spelunca hypocrisis suæ, qui in fine sæculorum veniet rapere pauperes, & ut lupus oves Christi mactare, qui ut pardus vigilans diversis erroribus variatus, civitates Christianorum vastabit, & ut infidelitatem ostendat, subdit: *Et dixerunt non est ipse, nec veniet super nos malum, gladium & famem non videbimus, propheta locuti fuerunt in ventum, responsum non fuit in eis.* Hoc est infidelitatis argumentum, quia non credent dictis prophetarum, qui de illis temporibus sunt locuti, sed sibi promittentes bona, illos fuisse mendaces causabuntur, negantes illa tempora tunc imminere quemadmodum prophetaverunt; & quia fidem amittent, domus illorum plenæ infidelitate, quia mala facient absque retinaculo fidei, & idcirco addit: *Sicut decipula plena avibus, ita domus illorum plena sunt dolo. Ideo*, inquit, *magnificati sunt & ditati, incrassati sunt & impinguati, præterierunt sermones meos pessime: Causam viduæ non judicaverunt*, &c. præteritum ut dixi prophetica certitudine. ex defectu enim fidei omnia prædicta mala illis evenient: *Sed numquid super iis non visitabo, dicit Dominus, & super gentem hanc non ulciscetur anima mea? stupor*, inquit, *& mirabilia facta sunt in terra, prophetæ prophetabant mendacium*, quia pseudoprædicatores talibus pacem promittebant, *& sacerdotes* dictis illorum faventes & gaudentes, *applaudebant manibus, & populus meus dilexit talia: Quid ergo fiet in novissimo ejus.* Et statim sub figura Chaldæorum de persecutione antichristi subjungit: *Levate vexillum quia malum visum est ab aquilone, & contritio magna*, & cetera quæ ibi dicuntur de adventu illius, qui crudelis erit & non miserebitur: quia ergo sicut frigidam facit cisterna aquam suam, ita frigidam sine temperamento & calore fidei fecit malitiam suam. idcirco contra eam antiquus ille Christi adversarius relaxabitur.

Ibid. 6. | Ibid. 12. | Ibid. 27. | Ibid. 29.

5. Unde Origenes homilia 14. super Jeremiam: Primum propter peccata reliqui Israël, & dimisi eam in commigrationem. Juda autem audiens quæ acciderant Israëli, voluit converti ad me. De nostris autem loquitur peccatis, qui propter Christum qui de tribu Juda fuit, Juda vocamur, qui legentes ea quæ passus fuit populus Judæorum, non timemus, neque dicimus: si naturalibus ramis non pepercit, quanto magis nec nobis parcetur: tanta enim incredulitas in universo humano genere futura est ut salvator noster, qui omnia quæ ventura sunt cognoverat, loqueretur: *putas veniens filius hominis inveniet fidem super terram?*

Luc. 18. 8.

6. Inde est quod sub figura Antiochi de antichristo dicitur Daniel 8. *Robur autem datum est ei contra juge sacrificium propter peccata, & prosternetur veritas in terra, & prosperabitur & faciet.* Quod exponens Gregor. lib. 32. Moral. dicit: Veritas in terra prosternetur, quia tunc fides rerum cœlestium ad desiderium vitæ temporalis inclinatur: De quo per Micheam prophetam 7. cap. filius Dei conqueritur dicens: *Væ mihi quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ*: Gloss. hoc quidam referunt ad consummationem sæculi, quando abundante iniquitate & refrigescente caritate, filius hominis raram fidem inveniet super terram; tunc enim quasi post vindemiam racemi vix in aliquibus poterunt inveniri qui fidem in tanta vastitate servaverint. Et ideo subdit: *Non est botrus ad comedendum præcoquas ficus, desiderabit anima mea, periit sanctus de terra, & rectus in hominibus non est. Vir fratrem suum venatur ad mortem*: Gl. ubique insidiæ, ubique fraudulentia; propter avaritiam & libidinem germanitas ignoratur: *Malum*, inquit, *manuum suarum dicunt bonum: princeps postulat & judex in reddendo est, & magnus* Gloss. quicumque in lege peritus *locutus est desiderium animæ*, Glossa suæ non Dei, sed secundum suam voluntatem loquitur. *Qui optimus*, inquit, *in eis est quasi paliurus.* Gl. pungens appropinquantem, *& qui rectus est*, inquit, *quasi spina de sepe.* Gl. ab unico dente retinens comprehensum. Idcirco, inquit, quia sic est *dies speculationis tua, visitatio tua venit: nunc*, id est in brevi, *erit vastitas eorum*; istorum enim infidelium in brevi vastitas quæ nunc latet veniet per antichristum, quia fide Christi illos manifeste dejiciet & avertet.

Dan. 8. 12. | Mich. 7. 1. | Ibid. 3. | Ibid. 4.

7. Ideo fideles propheta hortatur ne credant *amico*, ne confidant *in duce*, *quia filius contumeliam faciet patri, filia consurget in matrem suam, nurus in socrum suam, & inimici hominis domestici ejus.* Et in persona fidelium illius temporis subdit. *Ego autem ad Dominum aspiciam.* Alii recipiant antichristum, sed aspiciam ad Dominum, *& expectabo Deum salvatorem meum*, non perditorem hominum infidelium antichristum, de cujus adventu sequitur: *In die illa longe fiet lex, in die illa & usque ad te veniet Assur*: cum mentes hominum occupaverit cæcus & obscurus legis intellectus, ut nihil intelligant aut credant de adventu illius, & veniet, inquit, *usque ad civitates munitas* ad dejiciendas cogitationes & mentes firmas, *& a civitatibus munitis usque ad flumen, & ad mare de mari, & ad montem de monte.* Quia dejectis quibusdam majoribus, & ut crede-

Ibid. 5. | Ibid. 7. | Ibid. 12.

batur munitis virtutibus, per illos populum fluitantem occupabit, & per infideles propter peccatorum amaritudinem mari comparatos, alios dejiciet infideles amaros, & per illos qui ut mons videbantur virtutibus imminere consimiles suum trajiciet in errorem, ut pauci valeant manus ejus evadere: *& sic terra* ecclesiæ *erit in desolationem propter habitores suos.* Ibid. 13.

8. Cum ergo jugum fidei jam confregisse videantur populi, furto, mendacio, perjurio inundantibus: cum fides majorum jam sit inclinata ad desiderium terrenorum, & vix rectus reperiatur in terra qui fide recta vivat & per dilectionem operante sincera, qui legit intelligat, & hoc signo agnoscat quia non longe esse videtur vastatio per antichristum futura, ut omnia promissa fere videantur impleta.

CAPUT XII. *De refrigescentia caritatis.*

1. Decimum signum est ut prope ventura sit abominatio desolationis, refrigescentia caritatis. hinc veritas in evangelio Matthæi 24. cap. cum de fine sæculi loqueretur ait, *& quoniam abundabit iniquitas*, id est infidelitas, *refrigescet caritas multorum.* Hinc & Apostolus in 2. epist. ad Timoth. cap. 3. dicit: *Quod in novissimis diebus erunt homines seipsos amantes*, non quæ Jesu Christi, sed quæ sua sunt quærentes, *cupidi, superbi, elati, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, cæci, voluptatum magis amatores quam Dei.* Omnia enim prædicta mala tamquam ex radice orientur ex amore suo privato, qui vere opponitur caritati. Et ideo subdit: *Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes*; quia omnia vitia prædicta sub quadam occultabunt pietatis seu caritatis palliatione, cum valde longe sint a caritatis calore, ipsa in eis refrigescente.

Matt. 24.12.

2.Tim. 3.2.

Ibid. 5.

2. Hinc & Isaïas ad statum ultimum ecclesiæ oculos dirigens, & caritate deficiente tempus idoneum ut antichristus ingrediatur prævidens, nuntios ejus ad veniendum excitat dicens: *ite angeli* ejus, id est nuntii antichristi, *veloces ad gentem convulsam* a radice caritatis, *& dilaceratam* per diversas sectas divisam, *ad populum terribilem* quamdiu in caritate perdurans Deum habuit protectorem: *Post quem*, inquit, *non est alius.* Gloss. ejus potentiæ comparandus. *Gentem*, inquit, *expectantem.* Gloss. Dei auxilium, *& conculcatam* a diversis gentibus; *Cujus diruperunt flumina terram ejus.* Gloss. reges & principes. Et quæ sit ista gens ad quam nuncios mittit antichristi, statim exponit dicens: *Ad montem nominis Domini exercituum, montem Sion.* Id est ad ecclesiam, quæ mons Sion in psalmo vocatur. de quo ad Patrem filius loquitur dicens: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Psal. 2.

Isa. 18.2.

Ibid. 7.

3. Et quod de tempore antichristi prædicta verba exponi possint & debeant, probatur per Gregorium lib. 13. Moral. ubi verba quæ immediate præcedunt de antichristo & ejus ministris exponit, scilicet: *Væ terræ cimbalo alarum quæ est trans flumen Æthiopiæ*, &c. Isai. 18. 1

4. Cum ergo per diversas sectas divisa fuerit ecclesia, & a caritate divulsa, tempus est idoneum, ut ingrediatur ad conculcandum eam cum suo exercitu ille ultimus eidem inimicus. Et idcirco idem propheta verba dirigens contra vallem visionis, id est ecclesiam humilem, in qua Deus videtur per fidem, adventum antichristi, quando diabolus ascendet in tecta contra eam, Gog. enim tecum interpretatur, prænuntians, & destructionem quam facturus est describens in persona fidelium tunc temporis, subdit: *Recedite a me, amare flebo, nolite incumbere ut consolemini me super vastitatem filiæ populi mei. dies enim interfectionis & conculcationis & fletuum a domino Deo exercituum in valle visionis. Et erunt*, inquit, *tecta valles tuæ electæ, plenæque quadrigarum, & equites ponent sedes suas in porta, & revelabitur operimentum Judæ.* Et quasi quis quæreret, quando hæc ventura sunt, respondet propheta. *Et videbis*, inquit, *in die illa armamentarium domus saltus*, scilicet quando nudabitur armis suis ecclesia fidei & caritatis, & privabitur fortitudine, muro caritatis destructo. Ideo subdit, & scissuras civitatis David videbis quia multiplicatæ sunt; quia civitas David nostri cujus debet esse participatio in idipsum, per vinculum caritatis, soluto hoc vinculo, multas patietur scissuras, ut ingrediendi locus detur antichristo. Isai. 22.4.

5. Hinc est quod propheta Abacuch 3. cap. in persona ecclesiæ dicit; *Maledixisti*, inquit, *sceptris ejus*, id est regnorum principibus, qui per infidelitatem erunt illius; *capiti bellatorum ejus*, id est antichristo qui omnium malorum est caput, *venientibus ut turbo ad dispergendum me*, & repente insurgent & turbulenter, *exultatio eorum sicut ejus qui devorat pauperem in abscondito*, non in aperto, quia sedet in insidiis cum divitibus in occultis. dicit Gloss. *Viam*, inquit, *fecisti in mari equis tuis*, id est in populo peccatis amaro, predicatoribus tuis; *in luto aquarum multarum*, multorum scilicet populorum qui pleni sunt luto & sordibus vitiorum: verba enim dirigit ad antichristum, caput bellatorum: & quia tanta mala facere permittetur, expavescens ait in persona electorum mori desiderantium ante adventum Habac. 3. 14. Ibid. 15.

Ibid. 16. adventum illorum temporum: *Ingrediatur putredo in ossibus meis & subter me scateat, & requiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrum.* Et quod signum sancte propheta nobis das illorum temporum, *Ficus*, inquit, *non florebit*, non emittet odorem & dulcedinem caritatis, & *germen* sanctitatis *non erit in vineis*, id est in diversis ecclesiis, quæ vinum ferre (debent) ad lætificandum. Denique *mentietur opus olivæ.* Viri contemplativi licet habere videantur, carebunt tamen caritatis dulcedine; & *arva* populorum, quæ a prælatis coluntur, *non afferent cibum*, ut ex illorum bonis operibus prælati cibentur: *Abscindetur de ovili pecus, & non erit armentum in præsepibus*, in quo raritas figuratur tunc futura bonorum; ovili quod videbatur esse Christi ab ipso abscisso, & transeunte in partem antichristi. Et in persona subdit paucorum electorum illius temporis: *Ego autem in Domino gaudebo*, non in antichristo, *sed exultabo in Deo* JESU *meo.* Gloss. in fine mundi, quando refrigescet caritas, & non dabit fructus operum: tunc justus lætus dicet: ego autem in Domino gaudebo.

Ibid. 17.

Ibid. 18.

6. Hinc Origenes ait in homilia 14. super Jeremiam: « Nos qui in scripturis Judæi vocamur, propter tribum Juda, ex cujus salvator stirpe descendit, conversi sumus ad Dominum, & novissima nostra, quæ utinam saltem in hoc tempore non complerentur, similia futura sunt peccatis Juda, immo pejora, sicut salvator in evangelio prædicavit, quia refrigescet caritas multorum. »

7. Unde & angelus de antichristo sub figura Antiochi visionem exponens Danielis 8. dicit: *Cum creverint iniquitates, consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones, & roborabitur fortitudo ejus, sed non in viribus suis, & plus quam credi potest universa vastabit*, &c. Cum creverint, inquit, iniquitates, tunc consurget: quando scilicet homines non erubescent peccare, sicut nec ambulare, vel loqui.

Dan. 8. 23.

8. Inde Apostolus in secunda epistola ad Thessalonicenses ait: *Jam mysterium operatur iniquitatis, tantum ut qui tenet teneat, donec de medio fiat.* Gl. tantum hoc restat, ut qui tenet nunc, hoc est detinet illum, scilicet iniquitas quæ nunc est occulta, teneat, hoc est detineat, *donec* ipsa iniquitas quæ modo est mystica, *fiat de medio*, id est quasi aliquid de communibus, ut non erubescat homo adulterari, furari, & alia hujusmodi, sicut nec ambulare vel loqui. *Et tunc*, inquit, *revelabitur ille iniquus*, jam revelata discessione a Domino vero, & refrigerata multorum caritate ex abundantia iniquitatis, quasi sibi parata sede *revelabitur*, id est manifestabitur *ille iniquus*, scilicet antichristus.

2. Thess. 2. 7.

9. Hinc beatus Effrem in libro tertio de Compunctione ait: « Veniunt enim tempora periculosa, timore & perturbatione plena, & infidelitate & resolutione atque duritia cumulata, quæ non sinant mentem de melioribus cogitare propter suæ confusionis caliginem. Considerate, inquit, fratres, quomodo omnia mala crescunt, & quotidie in pejus proficiunt; nam magnitudo nequitiæ, imminente confusione, significat tribulationem magnam, quæ universo orbi propter nostra peccata ventura est. »

10. Cum igitur jam caritas tantum refrigeverit, ut qui tempora primitivæ ecclesiæ ad memoriam revocaverit, fervorem caritatis præcedentium patrum ad mentem reduxerit; magis flere quam de his loqui libeat & graviter dolere, cum ecclesia in tot partes jam sic dilacerata, & tot in illa scissuræ appareant & schismata, tantumque iniquitates creverint, ut fere, immo pro multis vere homines peccare non erubescant, furari, adulterari, ac dejerare. Qui legit, intelligat, & hoc decimo signo cognoscat, quia tempus prope esse videtur, ut seductor ille appareat.

CAPUT XIII. *De introductione alterius legis.*

1. DEcem signis suppositis tamquam decem cornibus adventus antichristi elevatis in undecimo signo, tamquam in cornu undecimo, hunc de signis adventus antichristi tractatum terminemus, quia illi undenarius transgressionis juste debetur, qui omnium præcedentium malorum iniquitates simulata hypocrisi superabit. Jam igitur decem signis prædictis sibi quasi sede paratis, undecimum signum est introductio alterius legis, & inventa successio alterius testamenti.

2. Quare circa adventum antichristi, & in novissimis diebus secundum prophetiam Apostoli, *quidam discedentes a fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium*, ut elevent caput suum antichristum, contra Christum aliud disponent testamentum. 1. Tim. 4. 1.

3. Hinc in Psalmo 82. dicitur ecclesiæ: *Inimici tui sonuerunt* membra antichristi, dicit Glossa; sonuerunt, id est sonabunt, præteritum pro futuro certitudine prophetica, *& qui oderunt te*, inquit, *extulerunt caput*, scilicet antichristum qui caput est omnium malorum; sed extollere non poterunt nisi prius sanctos deprimant, & aliam legem introducant: idcirco modum extollendi ostendens subdit: *Super populum tuum malignaverunt consilium*, occulte primitus disponendo qualiter caute possint decipere minores, & non tantum disposuerunt consilium contra infirmiores & juniores, sed & callidius *cogitaverunt adversus sanctos* Psal. 82. 3.

Ibid. 4.

tuos decipiendos, & consilium malignum ac perversas cogitationes nobis exprimit
Ibid. 5. dicens : *Dixerunt* scilicet inter se : *Venite & disperdamus eos de gente* : nomen Christianum deleamus de mundo, ut gens Dei & ejus templum amodo esse credamur, non ipsi. Ideo subdit : *Et non memoretur nomen Israël ultra*, id est, illorum qui se dicunt esse vere Israël, Deum videntes per fidem, ad hoc purificati fide passionis
Act. 15. 9. Christi : *fide*, inquit Petrus, *purificans corda eorum*.

4. Sed quomodo de terra memoriam
Psal. 82. 6. extinguere poterunt nominis? *Quoniam*, inquit, *cogitaverunt unanimiter* cum studio, *simul omnes adversus te testamentum disposuerunt*, scilicet ut delerent testamentum tuum, & alia lege & sacramentis signarent populum, & sic extinguere tentabunt nomen tuum.

5. Et tunc propheta describit inimicos nominis Christiani sub figura quorumdam populorum, qui antiquo populo Israël fue-
Ibid. 7. rant inimici, scilicet *Tabernacula Idumaeorum & Ismahelitae, Moab & Agareni, Gebal & Ammon, & Amalech*, &c. Quorum nominum interpretationes conveniunt inimicis populi Dei & ecclesiae Christi. Qui omnes illud recipientes testamentum, & in illo concordantes, per pactum delere ten-
Ibid. 5. tabunt de terra nomen Christianum, *ut non memoretur nomen Israel ultra*.

6. In cujus rei figura legitur 1. Machabaeorum 1. de Antiocho, qui secundum expositiones sanctorum figuram gerit antichristi, & de impiis Judaeis figuram gerentibus inimicorum ecclesiae, qui fraudulen-
1. Machab. 1. 12. ter simulant in testamentum : *In diebus illis*, inquit, *exierunt ex Israël filii iniqui, & suaserunt multis dicentes : Eamus & disponamus testamentum cum gentibus quae circa nos sunt, quia ex quo recessimus ab eis, invenerunt nos mala multa : & bonus visus est sermo in oculis eorum ; & destinaverunt aliquos de populo, & abierunt ad regem Antiochum, & dedit illis potestatem, ut facerent justitiam gentium ; & aedificaverunt gymnasium in Jerosolymis secundum leges nationum, & fecerunt sibi praeputium ; & recesserunt a testamento sancto, & juncti sunt nationibus ; & venumdati sunt ut facerent malum, & paratum est regnum in conspectu Antiochi, & coepit regnare in terra Aegypti*. Sic impii de Israël spirituali, id est ecclesia, testamentum aliud cum gentibus disponent, & cum illo caput suum antichristum adibunt, qui potestatem illud publicandi dabit illis ; & sic parabitur regnum in conspectu antichristi, & regnare incipiet in Aegyptiis hujus mundi.

Psal. 9. 21. 7. Hinc in psalmo 9. dicitur : *Constitue, Domine, legislatorem super eos*. Gl. quia te & tuam legem noluerunt, constitue antichristum legis pravae latorem super eos, id

A est in ruinam eorum.

8. Hinc & Daniel propheta de illo iniquo cap. 7. dicit : *Sermones contra Excelsum* Dan. 7. 25.
loquetur, & sanctos Altissimi conteret, & putabit quod possit mutare tempora & leges. Gl. Superabit enim sanctos in tanta elatus superbia, ut leges & caeremonias mutare conetur, extollens se super omne quod dicitur aut colitur Deus. Unde ubi vera littera habet, *Sermones contra Excelsum loquetur* ; alia translatio habet : *Sermones quasi Deus loquetur* : quia finget se legem Dei tradere, & tamquam a Deo alias caeremonias & alia sacramenta nitetur imponere, ut sicut in
B Apocalypsi Johannis scribitur, nullus pos- Apoc. 14. 9.
sit emere vel vendere, qui non habuerit caracterem bestiae : facient enim ministri omnes habere caracterem bestiae in manu dextra vel in frontibus suis, quia illos quos seducere poterunt, ut a Christo plane avertant, signabunt aliis sacramentis, & alio nomine nuncupabunt.

9. Hinc per Ezechielem 38. Levi de Gog capite malorum dicitur : *Praepara, & instrue* Ezech. 38. 7.
te, & omnem multitudinem quae coacervata est ad te, & esto illis in praeceptum ; illis da legem novam & praecepta, & falso legem ab
C illis inventam confirma, quam a Spiritusancto arrogabunt forsitan sibi datam, ut per illam facilius seducant, & seducti homines gratius recipiant, & ita caput cum corpore in templo Dei sedeant, id est, templum Dei fore se dicant, & nulli alii ; sicut in psalmo legitur : *Omnes principes eorum di-* Psal. 82. 13.
xerunt, hereditate possideamus sanctuarium Dei. Glos. Hereditatem Dei invadunt, ut suam, quod facere non possent, nisi legem perfectiorem a Spiritu-sancto datam se tradere promitterent & jactarent.

10. Idcirco in Apocalypsi Johannis 13. Apoc. 13. 13.
D dicitur, quia pseudo antichristi ignem facient descendere de coelo in terram in conspectu hominum. Glossa : Ut apostolis datus est Spiritus-sanctus in specie ignis, sic & illi dabunt spiritum malignum in specie ignis, & se dare mentientur Spiritum-sanctum. Unde *datum est illis, ut darent spiri-* Ibid. 15.
tum imagini bestiae. Gl. id est conformibus antichristi. Sic enim ibidem dicitur : *duo* Ibid. 11.
cornua habebunt *similia Agni*, quia ut Glossa ibidem dicit, simulabunt se habere puram vitam, & veram doctrinam, atque sibi duo
E testamenta usurpabunt, dicentes doctrinam suam procedere de medio duorum testamentorum, & inde legem quam praedicabunt exire tamquam de medio rotarum, in qua sit spiritus vitae ; tabernaculum Dei, id est Christi ecclesiam blasphemantes, quod recte scripturas non intelligat aut intellexerit, & eos qui in coelo sanctos doctores arguentes quod male intellexerint vel exposuerint, nec intellectum eorum spiritualem penetrare valuerint, quod sibi

deberi spiritualiter arrogabunt. Ideo super A sanctos praecedentes se extollent, & spirituales se dicent, magnaque calliditate hoc fingent, cum sint carnales & animales juxta proprias concupiscentias ambulantes.

11. Cum igitur quidam jam aliud testamentum quod magna calliditate legem nuncupant Spiritus-sancti, sive evangelium aeternum, ut fingunt, melius, spiritualius, & gloriosius, quam testamentum Christi disposuerint, ut si possit fieri, non tantum reprobos, sed electos seducant, & in ecclesia visa sit manus scribens *Mane*, quod interpretatur: *Numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud*; cum Christi, ut dicunt, B evangelium finem sit habiturum, ut illi succedat lex, quam vocant Spiritus-sancti, sive evangelium quod nuncupant aeternum. *Tecel*, quod interpretatur: *Appensum est in statera, & inventum est minus habens*, quia illud asserunt futurum spirituale & perfectum, cum, ut dicunt, Christi evangelium litterale sit & infirmum, quia spirituales homines non potuit generare, sed tantum partim spirituales, partim animales, cum idem evangelium quod dicunt aeternum, homines faciat simpliciter spirituales. *Phares*, quod interpretatur: *Divisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis*, quia, ut dogmatisant, ecclesiae regnum dabitur recipientibus illud testamentum. Sed vere Medi erunt & Persae, cum non Spiritus-sancti, sed ministri sint antichristi, cum dicant sacramenta nova cessatura, & a Spiritu devorari. sed revera non a Spiritu-sancto, sed potius illorum cessatio procreabitur, quantum possibile erit, ut infra ostendetur, a spiritu maligno, sicut praedicta reperiuntur in libris Joachim, quos scripsit de concordia, & in Apocalypsi nova, & in Psalterio decachordo.

Dan. 5. 26.

12. Quae doctrina pestifera hactenus plures habuit defensores, & adhuc multos creditur habere fautores in delubris & occultis, non in aperto, quia adhuc non vident plene regnum paratum in conspectu spiritualis Antiochi, cum quidam sint jam in tantum elati, ut dicant a viris spiritualibus non esse imitanda opera Christi, sed contrarium quorumdam a perfectis debeat imitari, & melius & perfectius fieri. Qui legit intelligat, & hoc signo cognoscat quia non longe distare videtur adventus antichristi, & revelatio illius iniqui.

Caput XIV. *Invectio contra abbatem Joachim, quod novum testamentum non cessabit.*

1. Sed, Joachim, cum fautoribus tuis, non per concordias frivolas, neque per inanes genealogias, ac secundum doctrinam apostolicam devitandas, sed per doctrinam propheticam, evangelicam & apostolicam nos doceas aliud a novo testamento Dei electis fuisse promissum. Dicis enim quia Dominus illud nobis promiserit cum dixit: *Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos*. Sed qui hoc dicit, intelligat, quibus hoc promittebatur. Nonne apostolis, qui statim Domino responderunt: *Ecce nunc palam loqueris, & nullum proverbium dicis*, hoc promisit; unde statim subdit: *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato & de justitia & de judicio. De peccato quidem, quia non credunt in me: de justitia vero, quia ad Patrem vado, & non videbitis me: de judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus est.*

Joh. 16. 7. Ibid. 29. Ibid. 8.

2. Nonne ista in apostolis sunt impleta, Spiritu-sancto super eos in linguis igneis descendente, sicut in Actibus apostolorum legitur, quia Spiritus-sanctus in ipsis mundum de peccato arguebat, quia non credebant in Christum; de justitia, quia ut crederent eum ascendisse monstrabant, ut non videretur, quia fides est eorum quae non videntur; de judicio, ostendentes per crucem Christi principem hujus mundi diabolum jam devictum & judicatum, & ideo C non timendum.

3. Cum insuper alibi in Johanne XIV. adventum promitteret Spiritus-sancti apostolis, & per eos credentibus, dicens: *Ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis, ut maneat vobiscum in aeternum, quem mundus non potest capere, quia non videt eum nec scit eum; vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit & vobiscum erit.* Tempora adventus ejus signans subdit: *In illo die vos cognoscetis, quia ego in Patre meo, & Pater in me.*

Joh. 14. 16. Ibid. 20.

D 4. Cum ergo & apostoli hoc accepto Spiritu-sancto cognoverint, & per ipsos per eumdem Spiritum id tota ecclesia cognoscit & confitetur, quomodo non est in nobis impletum quod de adventu Spiritus-sancti Dominus promisit: *Nisi ego abiero, paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum vobis.* Praeterea de ejusdem adventu tempore ascensionis Dominicae in Actibus apostolorum legitur: *Et convescens praecepit eis ne discederent ab Jerosolymis, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis, inquit, per os meum, quia Johannes baptizavit aqua, vos autem baptizabimini in Spiritu-E sancto non post multos hos dies*; quod ut ibidem dicitur, in diebus Pentecostes implevit.

Joh. 16. 7. Act. 1. 4.

5. Quomodo ergo Joachim cum suis complicibus, post tot dies nobis promittit adventum Spiritus-sancti, cum Veritas quae mentiri non potest nec potuit, non post multos dies venturum promittit. An non multi sunt dies mille ducenti triginta vel quadraginta anni, qui jam fluxerunt a tem-

pore illius promissionis Domini. Item & Johannes evangelista dicit, quia ante Christi passionem & resurrectionem *Nondum erat Spiritus datus, quia nondum erat* JESUS *clarificatus.* Cum ergo Dominus JESUS sedens ad Patris dexteram sit clarificatus, & in omni gente cognitus, certum est quod Spiritus-sanctus est datus, nec apostoli, quod absit, mentiti sunt, qui se accepisse primitias Spiritus-sancti gloriantur, *Quia caritas Dei diffusa est in cordibus suis per Spiritum-sanctum qui datus est eis*, & omnibus per ipsos recte in Christum credentibus.

Joh. 7. 39.

Rom. 5. 5.

6. Unde contra hanc hæresim sancti patres non omiserunt ecclesiam præmunire, sicut in concilio Sardicensi, quod post quatuor concilia principalia excellentis est auctoritatis, sic legitur definitum, ut in quarto libro tripartitæ historiæ recitatur. » Credimus & percepimus paraclitum Spiritum-sanctum, quem nobis ipse Dominus promisit & destinavit, & eum credimus missum.

7. Et contra tantam testimonii auctoritatem Joachim cum suis fautoribus adhuc somniat & expectat mittendum. Cum ergo Spiritus veritatis super apostolos venerit, &, ipsa teste Veritate, omnem veritatem eos docuerit, atque quæ ventura erant illis annuntiaverit, quomodo illis tacuit, quod in fine temporum nobis aliud deberet tradere testamentum. An forte cognoverunt & tacuerunt? sed si hoc, rei fuerunt, quod absit, sanguinis subditorum. Sic enim Paulus apostolus in Actibus cap. 20. dicit: *Contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium; non enim subterfugi quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei.* Quomodo ergo mundi fuerunt a sanguine omnium, si hoc illis Dei futurum consilium tacuerunt.

Act. 20. 26.

8. Sed de hoc, ait magister erroris, prophetica & apostolica habemus testimonia. In propheta Joël 2. ait: *Et erit post hac effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ.* Et post: *Sed & super servos meos & ancillas meas in diebus illis effundam spiritum meum, & dabo prodigia in cœlo sursum & in terra.* Unde Joachim dicit, quia oportet glorificari Spiritum-sanctum majoribus signis & prodigiis quam Christus glorificatus fuerit. Sed ipse cum fautoribus suis intelligat, quia hoc propheticum promissum in adventu Spiritus-sancti super apostolos ceterosque credentes in Christum princeps apostolorum Petrus fuisse dicat impletum. Sic enim in Actibus apost. 2. legitur: *Non enim,* inquit Petrus, *sicut vos æstimatis, hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia, sed hoc est quod dictum est per prophetam Joël: Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem,* &c. Suis ergo temporibus post Christi ascensionem Petrus apostolus Spiritu-sancto accepto cum magno sonitu in linguis igneis illud propheticum fatetur impletum, sequentibus prodigiis in cœlo sursum & in terra deorsum. Quomodo ergo abbas Joachim post tanta tempora illud nobis promittet implendum, maxime cum signa & prodigia, ut dictum est supra, in fine ab ecclesia subtrahantur, & illi facere permittentur, cujus est adventus secundum operationem satanæ in omni virtute signorum & prodigiorum mendacium.

Joël. 2. 28.

Ibid. 29.

Act. 2. 15.

9. Sed magister erroris de evangelio aliud excogitat testimonium in sui erroris fundamentum. sicut inquit, filius de veteri testamento Johan. 5. dicit: *Pater meus usque modo operatur & ego operor* in novo, ita Spiritus-sanctus dicturus est, filius usque modo operatur & ego operor, cessante filii testamento. Sed numquam Spiritus-sanctus incarnandus est, ut hoc dicat, absit, sed forsitan per alios dicet quos replebit. Sed vere non Spiritus-sanctus, sed spiritus malignus, non spiritus Christi, sed spiritus antichristi, qui in simulatione & hypocrisi loquetur & jam loquitur in perversis. Nec Christus dominus dicit: Pater meus usque modo operatus est, sed operatur, inquit. qui & alibi dicit: *Pater in me manens ipse facit opera.* Non ergo Pater in novo testamento cessat operari cujus opera miraculosa filius attribuit Patri, attribuit & sibi dicens: *Opera quæ ego facio, illa perhibent testimonium de me*, attribuit & Spiritui sancto. *Si ego*, inquit, *in spiritu Dei ejicio dæmonia, igitur pervenit in vos regnum Dei.* Præmissis ergo verbis suam æqualitatem cum Patre ostendere voluit per operum indivisibilitatem: unde statim evangelista subjunxit. *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Operatus est igitur filius in veteri testamento. *Scrutamini*, inquit, *scripturas in quibus putatis vitam æternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Si crederetis Moysi, forsitan crederetis & mihi: de me enim ille scripsit.* Operatus est in eodem Spiritus-sanctus sicut sancta ecclesia confitetur: *Qui locutus est per prophetas.*

Joh. 5. 17.

Joh. 14. 10.

Joh. 5. 36.

Matt. 12. 28.

Ibid. 18.

Joh. 5. 39.

Ibid. 46.

10. Auferat igitur Joachim cum suis fautoribus suas adinventiones prophanas & apparitiones vanas, quia & filius sibi appropriat doctrinam veteris testamenti, & doctrinam novi attribuit Patri, & utriusque sapientiam inspirationi Spiritus-sancti; sed perversitas ut cancer serpit: dicit enim quia de his loquens Apostolus ait: *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*, quia, inquit testamentum Spiritus-sancti erit perfectum, quo veniente, cessabit;

1. Cor. 13. 10.

sabit novum testamentum, quod infirmum fuit & ex parte & tenendum fuit, donec occurramus sub testamento Spiritus-sancti in virum perfectum, sub quo homines simpliciter spirituales debent esse, cum sub veteri testamento fuerint carnales, sub novo vero partim spirituales, partim animales.

11. Sed audiat caritas vestra, & intelligat qualiter usurpat scripturarum testimonia: loquens enim beatus apostolus de laude & præeminentia caritatis, ita ait: *Caritas numquam excidit*, quia nec in hoc sæculo, nec in futuro finietur: *Sive*, inquit, *prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur*, quæ modo est *per speculum in ænigmate*, quia res in futuro aperte videbitur. *Ex parte*, inquit, *cognoscimus*, scilicet in hoc sæculo, *& ex parte prophetamus; cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* (1. Cor. 13. 8.)

12. Sed numquid in hoc sæculo in adventu tertii testamenti quod promittit Joachim, evacuabitur prophetia, linguæ cessabunt & destruetur scientia. Si sic, ubi est illud quod dicit Joël, & tunc Joachim falso impleri promittit: *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt, & seniores vestri somnia somniabunt.* (Joël. 2. 28.) Deinde quando venturum dicat quod perfectum est, & quod ex parte est & imperfectum evacuari apertius subsequenter ostendit dicens: *Nunc videmus per speculum in ænigmate.* (1. Cor. 13. 12.) Nunc id est in præsenti vita. *Sed tunc*, inquit, *facie ad faciem*, id est manifeste. Sed numquid Deum facie ad faciem in hac mortali vita visuri sunt illi spirituales homines, quos Joachim sub tertio testamento promittit? Si sic, quomodo verum erit quod Dominus Moysi dicit: *Non videbit me homo & vivet?* (Exod. 33. 20.) Et vere non Deum visuri sunt, sed eum qui se esse mentietur Deum, immo se extollet supra Deum, ab illo seducti, forsitan videbunt facie ad faciem.

13. Præterea apostolus subjungit: *Nunc manent fides, spes, caritas*: (1. Cor. 13. 3.) sed numquid veniente illo testamento fides, spes & caritas evacuabuntur? vere in recipientibus illud fides evacuabitur, abundante infidelitate, spes deficiet, & caritas refrigescet. Sed tamen tunc in electis Dei & discipulis Christi, recta erit fides, spes firma, caritasque sincera, quia donec corpus corruptibile immortalitatem & incorruptionem induerit, fides & spes non deerunt cum caritate, quo impleto fides & spes transibunt, caritate & hic & in futuro permanente. Tunc enim cessante omnium prælatione, de qua apostolus Ephes. 4. dicit, quia *quosdam dedit Deus apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pa-* (Eph. 4. 11.)

A *stores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitate fidei & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Nec enim in testamento, quod Joachim promittit, cessaturos dicit pastores & doctores, immo futuros promittit; quos cessare dicit apostolus, quando omnes occurremus in virum perfectum & in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Quia secundum beatum Augustinum in illa ætate resurgent, in qua Christus mortuus est & resurrexit, quod in hac vita impleri non potest. Certum est ergo quod perfectionem illam apostolus non promittit in hac vita mortali B sub tertio testamento, sed facta generali resurrectione, in sæculo futuro. Et idcirco abbas Joachim testimonia usurpat apostolica & violenter trahit ad suum sensum.

14. Præterea quod aliud post novum non debeat succedere testamentum, per eumdem apostolum manifeste probamus, qui de Christo dicit in epistola ad Hebræos cap. 7. *Hic enim Melchisedech rex Salem, qui est rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ* C *habens, assimilatus autem filio Dei manet sacerdos in æternum.* (Hebr. 7. 1.) Ubi dicit Gloss. sacerdotium Aaron & initium habuit & finem, sed ecclesiæ sacerdotium & in præteritum & in futurum æternum fit, quia nec aliud præcessit ante Melchisedech, nec post Christum succedet, vel post Christum nec olim successit, nec in futuro succedet aliud. Et secundum eumdem apostolum si translatio legis sequitur translationem sacerdotii, ubi sacerdotium est æternum, nec potest transferri. (Ibid. 11.) D Certum est quod nec translatio legis fieri. Idcirco novo testamento aliud non succedet, cujus sacerdotium secundum apostolum non potest transferri. maxime quia immobili Dei consilio firmatum est in perpetuum stare interposito juramento.

15. Unde idem apostolus dicit Hebr. 6. *In quo*, inquit, *abundantius volens Deus ostendere immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, contestatur enim* & dicit: *Juravit Dominus & non pænitebit eum; Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* (Hebr. 6. 17. Ibid. 7.) E Gloss. Ecce distat inter sacerdotium vetus & novum, illud carnale, hoc spirituale, illud temporale, hoc est æternum. Unde de novo testamento dicitur Isaïæ LIX. *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, a modo & usque in sempiternum.* (Isa. 59. 21.) Gl. Evangelium meum, cui non succedit alia lex. Quod Johannes vocat *evangelium æternum.* evangelium ergo Christi, evangelium est æternum, non aliud quod Joachim falso

promittit venturum.

Isa. 61. 8. 16. Unde Isaïæ LXI. dicit Dominus, *Fœdus perpetuum feriam eis & scient in gentibus semen eorum.* Gl. Fœdus perpetuum, id est evangelium æternum, non ut vetus cui succedat evangelium. Non ergo novo testamento succedit aliud testamentum. Alioquin si in morte Christi, qui resurgens ex mortuis jam non moritur, nec mors illi ultra dominabitur, non est novum testamentum confirmatum, ut maneat in perpetuum, quomodo verum est quod apo-
Hebr. 9. 17. stolus dicit Hebr. 9. *Testamentum in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet dum vivit qui testatus est*, quare? quia ut Glossa dicit, dum vivit potest mutare si vult. Morte enim sua, ut ibidem dicitur, nobis evangelium confirmavit. Et ideo huic evangelio nullum aliud succedere potest vel debet, nec recipietur a bonis, quamvis aliud antichristus introducere tentabit cum suis ministris, quod recipietur a perversis hominibus & seductis.

17. Præterea si aliud testamentum novo testamento succedere debeat, quomodo verum est quod Dominus per prophetam Jeremiam dicit, & apostolus ad Hebr. 8. ponit.
Hebr. 8. 8. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consum-*
Jer. 31. 31. *mabo super domum Israël & super domum Juda testamentum novum.* Consummabo, dicit Gloss. id est confirmans dabo & implebo. Quomodo ergo consummasset, si aliud testamentum succedere deberet? Spiritus-sanctus, qui per prophetas locutus est, in novo testamento consummationem facere promittit, & Joachim ipsum mentientem ostendere nititur dicens, quod in testamento Spiritus-sancti, quod novo succedet, consummatio erit. Absit quod mentiatur spiritus veritatis. Et ideo certum est quod ad hoc dicendum ipsum Joachim spiritus mendacii inspiravit.

18. Sed & ipse dominus JESUS CHRIS-
Joh. 19. 30. TUS in morte sua dixit, *consummatum est*, id est indissolubiliter in morte testatoris confirmatum, & Joachim dicit adhuc est per aliud testamentum nominandum. præterea si novo aliud succedat testamentum, jam non appellabitur novum, sed vetus; quia quod prope interitum est, jam senuit, & antiquatum est. Sed quis sanæ mentis dixerit, quod testamentum in morte testatoris confirmatum, deberet amittere nomen suum?

19. Item rationem assignans apostolus quare vetus testamentum finem habuit, He-
Hebr. 7. 18. br. 7. dicit: *Reprobatio*, inquit, *fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex*, id est neminem in justificationem perfecit,
Ibid. 8. 7. dicit Gloss. *Nam si illud prius*, inquit Apostolus, *culpa vacasset*, id est perfecte hominem mundaret, *non utique secundi locus in-*
A *quireretur*. Gl. prius enim instruxit per legem & ædificavit per prophetas, ut post daret perfectum testamentum, quod confirmaret scilicet novum. in quo *una oblatione* *Ibid. 10. 14.*
ut idem apostolus Hebr. 10. dicit, Christus sanctificavit electos a peccato, & *sanctificatos consummavit* in omnibus virtutibus, & hoc *in sempiternum*: id est quamdiu durabit hoc sæculum, dicit Gloss. *Contestatur*, *Ibid. 15.*
inquit, *& hoc nobis Spiritus sanctus*; postquam enim dixit, *hoc est testamentum quod testabor ad illos post dies illos dicit Dominus, dando leges meas in cordibus eorum, & in mente eorum superscribam eas, & peccatorum, &*
B *iniquitatum eorum jam non recordabor amplius.*

20. Si ergo secundum apostolum per novum testamentum fit plena remissio peccatorum, & confertur plenitudo virtutum, quod & Spiritus-sanctus contestatur, ad quid succederet aliud testamentum, cum prioris testamenti reprobatio fiat propter sui imperfectionem & inutilitatem, & plena perfectio reperiatur in novo testamento.

21. Inde est quod sacramenta novi testamenti plene consumunt morbum peccati, & ideo illis alia non succedent, sicut magister Hugo dicit parte VIII. libri primi
C de sacramentis cap. 12. Sacramenta, inquit, legis naturæ tempore expleto, cessaverunt, & alia pro illis ad eamdem sanitatem perficiendam successerunt: sed tempore legis scriptæ, & rursum post illa, alia quasi novissima adinventa sunt, quibus alia succedere non debuerunt, velut medicamenta perfecta, quæ morbum ipsum consumerent, perfectam sanitatem plene restaurarent. Si ergo plene morbum peccati consumunt, si plenam sanitatem restituunt, si virtutum perfectionem conferunt, quomodo Joachim ausus est dicere, quod sub novo testamento non sunt homines spiri-
D tuales, sed partim animales? An ipsos dicit animales propter corpora animalia quæ gestant? Sed numquid homines quos sub tertio testamento promittit, corpora habebunt spiritualia & immortalia? Sed hoc nequit fieri in hac vita, donec venerit omnium resurrectio generalis. Aut illos vocat animales, quia ut dicit, ad spiritualem intellectum & perfectum non devenerunt? Sed tantum circa litteram conversati sunt,
E *animalis* enim inquit 1. Corinth. 2. Apostolus: *Non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. stultitia enim est illi, & non potest intelligere quoniam spiritualiter examinatur.* *1. Cor. 2. 14.*

22. Sed* hoc verum est, quomodo dicit **f. Si hoc.*
apostolus pro se & pro aliis credentibus: *Ibid. 12.*
Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes? Absit enim ut mentiatur doctor gentium

Ibid. 16. in fide & veritate qui & subjungit. *Nos autem Christi sensum habemus.* Si foventes doctrinam Joachim audeant dicere Christum sensum habuisse animalem in cognoscendis quæ Dei sunt, non spiritualem, dicant & hoc de apostolis, qui se dicunt sensum Christi percepisse. Unde & alibi apostolus
2. Cor. 3. 18. ait: *Nos autem revelata facie Dei gloriam speculamur.* Qui Dei gloriam revelata facie speculatur, spiritualis est non animalis. qui quæ Dei sunt capere non potest, forsitan, ad ignominiam Joachim dico, animalis debet dici Paulus, qui ad intelligenda Dei arcana spiritualia raptus est *usque ad tertium*
2. Cor. 12. 2. *cælum* sive trinitaris intellectualem conspectum, & *arcana verba audivit, quæ non licet homini loqui.*

23. Sed forsitan Joachim patres novi testamenti vocat animales propter carnis concupiscentiam, quæ post peccatorum purgationem baptismalem manet in sanctis, ut in illa exerceantur & gloriosius vincant. De qua alibi apostolus Rom. 7. dicit: *Ego*
Rom. 7. 14. *autem sum carnalis, venumdatus sub peccato.* Sed numquid illi spirituales quos Joachim promittit, absque concupiscentia carnis erunt, quæ non transit donec mors absorbeatur in victoria? Adhuc enim quicumque sancti & spirituales in hac vita ingemiscunt, propter corpus corruptibile quod aggravat, & expectant redemptionem sui corporis, nunc enim renovatur de die in diem, donec perficiatur ipsa innovatio in resurrectione generali, resumpto corpore immortali.

24. Numquid sub illo testamento erunt spirituales ut peccatum non habeant, certe non spirituales erunt sed animales & mendaces, si hoc dicant, teste apostolo Johan.
1. Joh. 1. 8. 1. epist. 1. *Si dixerimus*, inquit, *quia peccatum non habemus, mendaces sumus & veritas Christi in nobis non est*, sed potius mendacium antichristi.

25. Præterea cum ipse Dominus dicat
Joh. 15. 15. apostolis: *Omnia quæ audivi a patre meo nota feci vobis*; quomodo apostolis homines venturos spirituales celavit, cum tamen venturos promittant in fine ecclesiæ & diebus novissimis, in quibus signis evidentibus sumus carnales & animales, atque juxta proprias concupiscentias ambulantes. Hinc apostolus dicit in prima epist. ad Timoth.
1. Tim. 4. 1. *Spiritus manifeste dicit quia in novissimis diebus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium.* Hinc in secunda ad eumdem. *Hoc autem scito, quia in no-*
2. Tim. 3. 1. *vissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines se ipsos amantes, cupidi, superbi, elati, speciem*, inquit, *pietatis habentes*, domorum penetratores.

26. Hinc & princeps apostolorum ait,
2. Pet. 2. 1. *Fuerunt & pseudoprophetæ in populo, sicut &* A *in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis*: Et ibidem. *Hoc pri-* Ibid. 3. 3.
mum scientes, quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes.

27. Sed forsitan ut B. Hilarius in lib. 6. de Trinitate dicit: Invidit hic Petro Deus, ut in posteriora dissimulans, hoc nunc novis prædicatoribus hujus temporis reservaret. Sit, inquit, plane alia fides, si aliæ « claves regni cœlorum sunt, sit fides alia, si « ecclesia est futura, adversum quam portæ « inferi non prævalebunt. Sit fides alia, si « erit alius apostolatus, ligata & soluta per « B se in terra ligans in cœlo atque solvens. Sit « fides alia, si Christus alius Dei filius præ- « terquam qui est prædicabitur.

28. Hinc & Judas apostolus dicit: *Me-* Jud. 17.
mores estote verborum quæ prædicta sunt ab apostolis domini nostri Jesu Christi, *qui dicebant vobis quoniam in novissimis temporibus venient illusores secundum sua desideria ambulantes, non in pietate.* Sed & ipsa per se Veritas cum de ultimis ecclesiæ temporibus loqueretur, ait: *Videte ne quis vos sedu-* Matt. 24. 4.
cat, surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa & prodigia suæ sanctitatis, ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam C *electi.* Sed forsitan Dominus, quod spirituales homines in fine venirent, audivit a patre, sed non fuit necesse illos apostolis revelare, nec per ipsos fideles in Christo de adventu illorum præmunire, sicut de adventu malorum, ne subverterentur ab illis, & ideo non omnia simpliciter quæ audivit a patre, sed illa quæ audivit, & necessaria ecclesiæ manifestari ipsis apostolis revelavit.

29. Sed qui hoc dicit, intelligat, quia sicut periculosum est malos, ut caveantur, non præcognoscere, ita peccatum est, immo forsitan deterius, bonos repellere, & D tamquam seductores & pseudo refutare. Inde est quod Veritas discipulis ait Matt. 10.
Qui non receperint vos: amen dico vobis to- Matt. 10. 14.
lerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die judicii, quam illi civitati. Et ideo si boni in novissimis temporibus venturi forent, credentes & electos de illorum adventu per se & apostolos suos præmunisset Dominus, ut cum gaudio reciperentur: sicut fecit de malis, ut cum magno & solerti studio caverentur. Si vero, ut Joachim ait, E venturus erat ordo, quem Dominus præ ceteris diligeret, quomodo Dominus suis electis hoc tacuit, nec suis apostolis revelavit, quibus omnia quæ audivit a patre nota fecit, ut credentes in ipsum illos devote reciperent, & sanctis eorum monitis fruerentur & in Domino gauderent atque a pressuris mundi ad ipsos tamquam ad fortissimum solatium recurrerent? Sed vere non dixerit, quia nec a patre audivit,

sed contra venturos in ultimis temporibus seductores ecclesiam suam præmunivit.

30. Præterea cum B. Apostolus dicat 1. Corinth. 11. de sacramento altaris: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & bibetis calicem, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Gl. donec veniat Dominus ad judicium, quia hoc non mutabitur usque tunc, sicut sacramenta Judæorum. Si hoc verum est, immo quia certissime & ineffabiliter verum est, in libro v. de concordia falsum dicit abbas Joachim, quod caro Christi, quam sumimus in specie panis, & sanguis quem potamus sub specie vini, devorabitur a Spiritu, ut non res ipsæ transeant, sed imagines rerum, & ita secundum ipsum cessabunt ecclesiastica sacramenta. Et in secundo libro dicit: quia Spiritus evangelicam doctrinam consumet & commutabit. Sed quis est Christianus & non exhorreat hoc audire? Scriptum est enim in Daniele, quia antichristus legem tentabit mutare, & juge sacrificium auferre.

1. Cor. 11. 26.

31. Sed quid mirum si Joachim male sentit de doctrina evangelica & sacramentis ecclesiæ, qui & male sensit de beatissima Trinitate, cujus libellus quem contra magistrum Petrum Lombardum edidit, supernalem unitatem summe simplicem negans in divinis personis, quamdam collectivam in illis introducens & asserens, juste reprobatus est ab ecclesia & damnatus. qui & in secundo de concordia dicit: Quia regula sancti Benedicti secundum litteram spiritus est & vita, secundum evangelium Christi non est vita, sed littera. Contra quod Veritas in Johanne dicit: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Nec reveritus est pharisæus iste, traditiones humanas evangelio & Dei mandato præferre. Sed nimia prolixitas esset, & tempus enarrandi deficeret, quæ male in omnibus libris suis de Christo & ecclesia, evangelica & apostolica doctrina sentit atque ecclesiasticis sacramentis, quæ causa vitandæ prolixitatis oportet sub silentio præterire.

Joh. 6. 64.

32. Sed id tantum prætermittendum non est, quod quadragesima secunda agnitione, a Christi incarnatione computatis generationibus triginta annorum, id est, circa millesimum ducentesimum annum Dominicæ incarnationis, præmissa dicit impleri in libro iv. de concordia, in qua inquit, diligenter purgato tritico ab universis zizaniis, ascendet quasi dux novus de Babylone, universalis scilicet pontifex novæ Jerusalem, id est ecclesiæ tertii status, in cujus typo scriptum est in Apocalypsi: *Vidi angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi*, & cum eo reliquiæ excusorum, &c. Sed cum jam post tempus quo præmissa promisit impleri, sexaginta anni & amplius sint elapsi, nec quæ promisit sint impleta, Dei ecclesia in suo statu manente, convincitur pseudopropheta fuisse.

Apoc. 7.

33. Sed quid de tali propheta scriptura præcipit audiamus; ita enim Dominus de hoc Deuteron. 18. per Moysen loquitur: *Qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo quæ ego non præcepi illi ut diceret, interficietur. Quod si tacita cogitatione responderis: quomodo possum intelligere verbum quod non est locutus Dominus?* hoc habebis signum: *quod in nomine meo propheta ille prædixerit & non evenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit.* Cum ergo abbas Joachim tempus quo implerentur prædicta, promiserit & præfixerit, quo jam impleto non eveniunt, certum est quod arrogantia depravatus illa confinxit, & per superbiam animi sui adinvenit. Quare ergo ejus doctrina non interficitur, quare memoria de Christi ecclesia non tollitur, quare ab ecclesiæ rationali, in quo falsitatis judicium cum veritate inscribitur, injustitia & falsitas non aufertur?

Deut. 18. 20.

34. Sed forsitan aliqui dicunt, non est qui accusat: audeo dicere quia & fuit & est, sed non est qui audiat. omnes dicunt: silete, quia ecclesia mori diligeret in nidulo suo, in ista pace scilicet & quiete. Sed hoc absit, quia Veritas non mentitur, quæ persecutiones illi promittit, & in diebus novissimis venturas prædixit. Sed hujus doctrinæ fautores nobis improperant, quod mortuos cineres suscitare velimus, cum magis extinguere & cineres dispergere ac penitus de cordibus electorum auferre conemur. Numquid ipsi hæreses Arii, Sabellii aut Photini suscitant, contra quas quotidie disputare non cessant? Numquid quia defensor illarum non apparet, & ipsi non desistunt impugnatores? Certe non: quare? quia timent & juste, ne iterum diabolus illas damnatas hæreses contra ecclesiam suscitet, & caput depressum elevet. Sic nec illis debet displicere, si hanc doctrinam falsam & erroneam non foveant, si contra eam disputetur. quod tanto magis faciendum est, quanto adhuc ab ecclesia in palam condemnata non est, ut tamquam falsa & hæretica ab ipsa ecclesia caveatur. Quia ut in libro de synodis beatus Hilarius dicit: « Quæ recte scripta sunt, taceri non debuerunt. Si autem quia non recte scripta sunt nec tacentur, cavendum est ne aliquando dicantur, maxime ne in nos culpa redundet, si silentio faveamus errori; timemus enim ne tacere (innuere fit) hanc doctrinam & fovere. » Quia in talibus non caret suspicione taciturnitas, quia ut papa Cælestinus dicit: « Cito occurreret veritas, si displiceret falsitas. »

35. Timemus ergo & juste trepidamus, ne

ne taciturnitas doctorum hujus sit doctrinæ fomentum, ut sicut Isaias propheta c. 59.
Isa. 59. 5. dicit: *Quod confotum est cito erumpat in regulum.* Glos. antichristum regem omnium malorum, cujus adventus pro majori parte signa in scripturis sacris expressa, nostris de quibus dictum est temporibus fere videntur impleta; non quia, ut prædiximus, adventus ejus signare tempora velimus, sed signis præmissis scripturarum ecclesiam excitare ut vigilet, & præmunire ne incauta & improvisa decipiatur ab illo seductore,
Act. 1. 7. quia ut Dominus dicit: *Non est vestrum scire tempora quæ Pater posuit in sua potestate.*

36. Alia signa adventus sui ad judicium Dominus dedit, quæ implenda sunt tempore illius ultimæ persecutionis, scilicet
Matt. 24. 15. quia abominatio desolationis exaltabitur, & in loco sancto ponetur, quod stellæ cadent de cœlo, sol obtenebrabitur, virtutes cœlorum movebuntur, & cetera hujusmodi, quæ Dominus futura prædixit, & in veritate evangelica continentur; de qua persecutione secundum quod Dominus misericorditer intelligere dederit, in sequentibus agemus. In hoc ergo libri hujus sit finis, ut a stilo scribendi paululum quiescamus, & post interpositam quietem alacriores revertamur ad laborem.

INDEX CAPITULORUM secundæ partis.

CAPUT I. *De persecutionibus ecclesiæ in generali, quas passa est, aut passura usque in finem sæculi.*

CAPUT II. *De triplici Væ contento sub ultima persecutione.*

CAPUT III. *De præcursoribus antichristi missis ad explorandum statum ecclesiæ.*

CAPUT IV. *De illorum ficta & apparenti sanctitate.*

CAPUT V. *De astuta sapientia eorumdem qua videbuntur pollere.*

CAPUT VI. *De illorum in malo unitate & conglomeratione.*

CAPUT VII. *De futura per illos multorum seductione.*

CAPUT VIII. *De eorumdem moribus & perversa conversatione.*

CAPUT IX. *De persecutione quam facturi sunt ecclesiæ.*

CAPUT X. *De exitu illorum ab ecclesia cum seductis ab eisdem.*

CAPUT XI. *Quod antichristum elevabunt, & sibi constituent regem.*

CAPUT I. *De persecutionibus ecclesiæ in generali quas passa est, aut passura usque in finem sæculi.*

1. Diabolus qui in superna Jerusalem matre nostra, Filii Dei similitudinem appetiit, & quod ejus erat usurpare voluit, in nostra Jerusalem adhuc peregrinante in terris, signis & operibus Filii Dei incarnati sua signa & opera assimilare contendit. Hinc est quod sicut ante adventum suum Filius Dei prophetas sanctitate fulgentes præmisit, ut ad ipsum recipiendum disponerent populum, ita diabolus pseudoprophetas præmittet in apparentia magnæ sanctitatis, ut seducant populum, & seductum præparent ad recipiendum illum damnatum hominem antichristum, qui caput est omnium malorum, sicut Christus caput est bonorum omnium.

2. Unde in psalmo dicitur: *Qui oderunt te extulerunt caput*, id est antichristum, in Psal. 82. 3.
quo diabolus non tantum Filii Dei similitudinem appetet, sed teste Apostolo super omne quod colitur aut Deus dicitur se extollet, ut in templo Dei sedeat tamquam Deus.

3. Hinc Veritas in evangelio Matth. 24. dicit, cum de adventu illius iniqui loqueretur, *Et multi pseudoprophetæ surgent & seducent multos.* Matt. 24. 11.

4. Positis igitur signis infallibilis veritatis approximationis illius temporis in opusculo præcedenti, nunc agendum est de ingressu illius persecutionis, & præcursoribus antichristi: sed quia illa persecutio ex omnibus præcedentibus ecclesiæ persecutionibus glomerabitur, quia insimul & vi curret & dolo, sicut Gl. dicit super Psal. 9. super illud: *Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua.* Duæ, inquit, sunt persecutiones ante persecutionem antichristi. Prior fuit violenta in martyribus, secunda fraudulenta in hæreticis & falsis fratribus, sed tertia erit ex vi & dolo compacta, quia & violenta erit & fraudulenta. Psal. 9. 30.

5. Ut ergo istam tertiam & ultimam ex ceteris compactam plenius cognoscamus, primitus ab aliis persecutionibus ecclesiæ ordiamur, quas Johannes in Apocalypsi Apoc. 5. 1.
describit: ita enim cum librum intus & foris scriptum vidisset septem signaculis munitum, cujus signacula solvere nullus poterat, nisi Leo de tribu Juda, radix David, quem omnis creatura benedicit, de signaculorum & libri apertione, subjungit: *Vidi,* Ibid. 6. 1.
inquit, *quod aperuisset Agnus unum de septem signaculis, & audivi unum de quatuor animalibus*, scilicet ecclesiæ primitios prædicatores, ut Johannem evangelistam, invitans sequentes prædicatores *dicens: Veni, & vide: & vidi, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, habebat arcum, & data est ei corona, & exivit vincens ut vinceret.* Equus albus est ecclesia in baptismo, secundum Glossam, dealbata, super cujus primitios prædicatores Christus sedet, habens arcum ad impios ubique interficiendos, ut de impiis pios faciat & justos: cui a Domino data est corona, quia in sanctis suis fuerat co-

ronandus, in quibus mundum vincere debebat. Unde in apostolis exiit a Judæa, ut vinceret in gentibus, & per ipsos idololatras debellaret. Sic enim apostolus Judæis dicit: *Quia vos verbum Dei repulistis & indignos fecistis, ecce nos convertimur ad gentes; sic enim mandavit nobis Dominus.* Sed cum verbum Dei cum gaudio gentes reciperent, & in gentibus apostoli prædicarent, diabolus contra ecclesiam primam persecutionem excitavit per terrenos principes, & violentam, ut homines revocaret ad idololatriam.

Act. 13. 46.

6. Et ideo de apertione secundi sigilli Johannes subjungit: *Et cum aperuisset secundum sigillum, audivi secundum animal*, Paulum apostolum cum prædicatoribus similibus, qui cœperunt ecclesiæ prædicare, quia in hoc mundo Christianis non manebunt nisi persecutiones, sequentes doctores & catholicos super hoc instruentes; unde dicebat: *Veni & vide.* Et ecce *equus rufus, & qui sedebat super eum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, & ut invicem se interficerent, & datus est ei gladius magnus*; per rufum enim equum aperti ecclesiæ persecutores & sanguinolenti figurantur, quibus tempore martyrum datum est pacem sumere de terra, ubique persequentes fideles, & morte diversisque tormentis interficientes, ut ad idololatriam revocarent. Unde datus est illis gladius magnus, unde & ecclesiæ principes Petrum & Paulum interficerent & majores. Sed subjugatis terræ principibus Christo, & signis ac prodigiis constantiaque martyrum CHRISTI JESU superatis, videns diabolus se non posse per tyrannidem proficere contra catholicam ecclesiam, immisit apertos hæreticos, qui falsis rationibus, arte dialectica, & humana philosophia contenderent, & fidem quam habent in Christo evacuarent. Idcirco B. Johannes eorum persecutionem describens subjungit.

Apoc. 6. 3.

7. *Et cum aperuisset sigillum tertium*, id est secretum quod continebatur in scriptura sacra occultum: *Audivi tertium animal*, id est, tertium ordinem prædicatorum, qui de illa persecutione ecclesiam præmunierunt, *dicens, Veni & vide. Et ecce equus niger, & qui sedebat super eum habebat stateram in manu sua, & audivi tamquam vocem in medio quatuor animalium dicentium: bilibris tritici denario uno, & tres bilibres hordei denario uno, & vinum & oleum ne læseris.* Per equum nigrum illi hæretici designantur, qui numquam fidei sacramentum susceperunt, sed in tenebris ignorantiæ remanserunt; sicut illi de quibus Apostolus dicit: *Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt*; mundana enim sapientia stultitia est apud Deum; nigra & tenebrosa, super quam philosophi sedentes, stateram habuisse dicuntur in manu sua,

Ibid. 5.

Rom. 1. 22.

A volentes fidem nostram ponderare secundum rationem humanæ sapientiæ, & cœperunt dialecticis rationibus fatui impugnare, ut ille magnus philosophus Porphyrius cum ceteris Platonicis. Sed sanguine Christi redemtos, nec majores qui per vinum, nec minores qui figurantur per oleum, permissi sunt lædere, licet eos diu fatigaverint & conturbaverint dialectica arte. unde ista persecutio fuit fraudulenta. Qualiter vero fides ecclesiæ sit a philosophis per apertas hæreses male de ipsa sentiendo impugnata, qui voluerit cognoscere,

B re, Affricani & Tertulliani libros contra Porphyrium quærat, & ecclesiasticam Eusebii historiam legat, & libros Augustini de Civitate Dei, in quibus contra Porphyrium ceterosque Platonicos philosophos prolixe de fide disputat.

8. Sed per doctores veraces superbo philosophorum collo humiliato, & jugo fidei supposito, contra ecclesiam bellum falsorum fratrum surrexit, quanto magis periculosum tanto magis intestinum, de quo B. Johannes subjungit: *Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis, veni & vide, & ecce equus pallidus,*

Ibid. 7.

C *& qui sedebat super eum, nomen illi Mors & infernus, sequebatur eum, & data est ei potestas super quatuor partes terræ interficere gladio, fame & morte, & bestiis*, sicut Glossa dicit: Videns diabolus per apertas tribulationes, nec per apertas hæreses se posse proficere, præmittit falsos fratres, qui sub habitu religionis, obtinent naturam nigri & rufi equi, prætendendo fidem. Per pallidum ergo equum signati sunt hypocritæ se affligentes, qui mores ecclesiæ & fidem nisi sunt corrumpere, fidei sacramentis participantes, & speciem pietatis habentes: super quos sedebat diabolus princeps mortis, & in inferno

D damnandi sequebantur eos. Hinc Manichæi contra ecclesiam surrexerunt pallida facie, & maxima abstinentia mores sanctæ ecclesiæ corrumpentes, & de fide tenebrosis mentibus male sentientes. Hinc & contra eam surrexit Arius presbyter Alexandrinus, sub pietatis palliatione, Patrem majorem prædicans, & Filio inæqualem. Hinc Macedonius episcopus male de Spiritu-sancto sentiens. Hinc Nestorius episcopus fi-

E dem incarnationis Filii Dei corrumpens. Hinc Eutyches, hinc Dioscorus, & ceteri falsi fratres qui sub habitu christianæ religionis naturam habuerunt equi nigri, per tenebrositatem, & rufi per crudelitatem, nitentes pervertere fidem.

9. Unde data est illi potestas super quatuor partes terræ interficere gladio, fame & morte & bestiis terræ; quia in omni parte ecclesiæ mortem & exilia doctorum veracium fidem defendentium procuraverunt. Quod qui ignorat, ecclesiasticam hi-

storiam legat, & inveniet quia imperator Constantinus ab Ariana hæresi depravatus, Athanasium sæpius exsulavit, Hilarium Pictaviensem in exsilium misit, Dionysium Mediolanensem & alios innumeros episcopos, plurimosque morte corporali afflixit, sed constantia doctorum illis viriliter resistentium per scripturas, tandem pestilentia ista quievit; quæ quia per fraudulentiam & dolum magis quam per vim nocuit, sub persecutione fraudulenta reponitur, & in glossa psalmi 9. cum persecutione præcedenti una computatur.

10. Qua cessante, ecclesia pacem in apertione quinti sigilli recuperavit. de quo Johannes subdit: *Et cum aperuisset quintum sigillum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, & clamabant voce magna dicentes: Usquequo Domine, verus & sanctus, usquequo non judicas sanguinem nostrum, & non vindicas de iis qui habitant in terra?* Quid est animas interfectorum propter testimonium sub altari videre, & voce magna sui sanguinis vindictam clamare, nisi quia ecclesia, cessantibus dictis persecutionibus, triumphos martyrum sub persona illorum cœpit recitare, & Dei auribus eorum mortem injustam inclamare, ac crudelitatem persequentium accusare, & Dei judicium implorare, & ad æterna magnis desideriis suspirare? *Apoc. 6. 9.*

11. *Et datæ sunt*, inquit Johannes, *illis singulæ stolæ albæ*, scilicet hoc ecclesia non cessat prædicare, quia jam acceperunt beatitudinem animarum, expectantes adhuc redemtionem corporum: *Et dictum est illis, ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec compleatur numerus conservorum eorum & fratrum qui interficiendi sunt sicut & illi*, scilicet in tempore antichristi, sicut apparet in apertione sexti sigilli, de quo post, Domino concedente, tractabimus, & de apertione septimi, sub quo consummabitur mysterium Dei. *Ibid. 11.*

12. In ista igitur pace ecclesiæ, in qua nunc in laude Dei & triumphis sanctorum memorandis, ecclesia modicum requiescit; rege aquilonis diabolo ab exercitu regis austri semel & iterum victo, ad terram suam revertitur, & in perversorum cordibus se includit, præparando multo majorem multitudinem quam prius, ut in fine temporum annorumque veniat *properans cum exercitu maximo & opibus nimiis*, ut dicitur Danielis 11. *Dan. 11. 13.*

» 13. In hac pace enim, ut Radulphus » super Leviticum dicit, ecclesiam diu du» rare permittit, non immittens tribulatio» nem, ut post diuturnam ecclesiæ pacem, » quasi tempestas irruens, dum repentinum » se ingeret, eo magis insidias suas valere » suspicatur, quo securis & quiescentibus præ» sentatur. » Hoc enim antiquus hostis & » serpens callidissimus facit, ut Gregorius » lib. 3. Moralium dicit, non ut malitiæ fi» nem præbeat, sed ut corda quæ per quie» tem secura reddidit, repente rediens faci» lius inopinatus irrumpat.

14. In hac ergo sigilli quinti apertione præcursores præmittit in fine scilicet hujus pacis ecclesiæ, qui exercitum ejus congregent, & vias antichristi in perversorum cordibus præparent. Unde Johannes in septimo describens statum bonorum sub mysterio septem tubarum, correspondentem casum describit malorum, & quinto angelo tuba canente, annuntiatur damnatio eorum, quos diabolus præmittit ad præparandas vias ante faciem antichristi, sicut dicit Glos. Apocal. 9. super illud: *Et quintus angelus tubâ cecinit*; de quibus præcursoribus tractandum est in hoc secundo libello. *Apoc. 8.* *Ibid. 9. 1.*

CAPUT II. *De triplici Va contento sub ultima persecutione.*

1. SEcundum prophetiam Johannis apostoli Apoc. 8. persecutio ultima triplex Væ continebit, quia in eadem triplici seductione seducentur habitantes in terra. Sic enim Johannes ait ex apertione quatuor sigillorum & tubis canentibus quatuor angelorum, annunciata multifaria deceptione & damnatione malorum. *Et vidi*, inquit, *& audivi vocem aquilæ unius volantis per medium cœli*, id est ecclesiæ: vocem unius aquilæ, sicut Pauli & aliorum prædicatorum, qui more aquilæ pericula ultima clarius perspexerunt, ac limpidius descripserunt, *dicentis magna voce*, magna scilicet constantia prædicantis: *Væ, væ, væ habitantibus in terra de ceteris vocibus trium angelorum qui erant tuba canituri.* Quorum primus præcursores describit antichristi, secundus ipsos antichristi principes & ministros, tertius pseudo ejus prædicatores, qui post illum in mundum discurrentes, ab omnibus facient bestiam adorari, & accipere illos caracterem ejus, signa magna & mirabilia facientes in conspectu bestiæ. unde quidam seducentur ab ejus præcursoribus, ut illum iniquum recipiant; quidam ab eodem & suis principibus, quos a fide Christi manifeste avellent; quidam ab ejus pseudoprædicatoribus, ut illum tamquam Deum adorent. *Apoc. 8. 13.*

2. De suis præcursoribus Apoc. 9. dicitur: *Et quintus angelus tuba cecinit.* Glossa, quintus ordine narrationis & ordine temporis, hic est enim annunciata damnatio eorum, quos diabolus præmittit ad præparandas vias antichristi ante faciem. *Et vidi*, inquit, *stellam de cœlo cecidisse in terram*, id est diabolum de cœlo cadentem, vel de ecclesia aliquos, qui stellæ credebantur. *Et* *Apoc. 9. 1.*

data est illi clavis putei abyssi, id est profundioris & ad cognoscendum difficilioris doctrinæ hæreticæ, quia calliditate maxima inventæ & palliatæ, super quam potestatem dicitur accepisse, quia tunc non refrenabitur a Deo sicut præcedenti tempore.

3. Unde solvi incipit satanas, ut seducat gentes super quatuor angulos terræ. *Et aperuit*, inquit, *abyssi puteum*, id est hæreticam doctrinam magna profunditate obscuram, ut hæretica de facili judicari non possit. *Et ascendit*, inquit, *fumus putei sicut fumus fornacis magnæ*, quia secundum Glossam, ista doctrina excœcans multos subvertet, videlicet se dilatabit, & similis est doctrinæ antichristi, qui fornax magna erit purgans bonos, & in cinerem redigens malos. *Et obscuratus est sol & aër de fumo putei*, quia ista doctrina, & secundum hujus doctrinam fictæ sanctitatis vita in conspectu hominum, vitam & doctrinam obscurabit sanctorum, tam magnorum & majorum, qui sicut sol alios illuminant, quam minorum, qui ab aliis tamquam a sole lumen recipiunt; in tantum ut comparatione illius, doctrina sanctorum præcedentium despecta & obscura videatur. *Et de fumo*, inquit, *putei*, id est de illa excœcante doctrina exierunt per totum mundum discipuli antichristi & hæreticorum, qui secundum Glossam rite comparantur locustis, quia nec volant in altum per cognitionem vel contemplationem, nec firmiter gradiuntur per bonam operationem; sed secundum superbiam saliunt, quia esse videntur contemplativi, & in cœlo mente habitare; sed ista elatio sive saltus non durat diu, sed cito decidit, & in pejus recidunt; quod ex hoc manifeste cognoscitur, quia sunt corrosores bonorum.

Apoc. 9. 1.

Ibid.

Ibid. 3.

CAPUT III. *De præcursoribus antichristi missis ad explorandum statum ecclesiæ.*

1. ISti ergo præcursores, & præcurrens germen antichristi, sub ficta sanctitate veniens, a diabolo seducti mittuntur ad explorandum statum ecclesiæ, sicut sub manifesta figura legitur Judicum 18. *Quia miserunt filii Dan*, qui hactenus possessionem inter filios Israël non acceperant, exploratores *qui explorarent terram & diligenter inspicerent: Euntes ergo venerunt Lachis, videruntque populum habitantem in ea absque ullo timore, securum & quietum, nullo ei penitus resistente* Lachis enim quæ leo interpretatur, signat ecclesiam, quia super eam leo regnat de tribu Juda, qui propter fortitudinem leo dicitur, quia ab hostibus sæpius pressa vinci non potuit.

Jud. 18. 2.

Ibid. 7.

2. Ad hanc exploratores filii Dan, id est antichristi, qui de tribu Dan venturus est, veniunt prædicatores, faciem ejus præcedentes, quam securam inveniunt & quietam, futuros casus minime prævidentem, & in mundo resistente dominantem, unde de requie secura illos cum gaudio inconsiderate recipit, qui ad hoc veniunt, ut ejus libertatem explorent, ut immunita considerent, & ejus infirmora, & sic cognoscant ex qua parte illam subvertere queant: unde sub figura ecclesiæ de illis B. Job conquiritur: *Et pedes ejus subverterunt*, id est infirma ejus & infirmiora membra a soliditate fidei dejecerunt. firmos enim & stabiles a fide dejicere non poterunt. & bene exploratores dicuntur, quia more exploratorum ecclesiæ quam explorant sacramenta suscipiunt, & vestibus ovium ne cognoscantur lupi, rapaces se contegunt atque in castris ecclesiæ numerantur.

Job. 30. 12.

3. Hinc veritas in evangelio dicit, quia circa adventum antichristi, *surgent pseudoprophetæ & pseudochristi*, quia fingent se esse ex parte Christi, cum sint exploratores antichristi. Hinc princeps apostolorum dicit, *Quod in novissimis diebus venient in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes*. Inde etiam Paulus apostolus ait: *Quia in novissimis diebus erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, speciem pietatis habentes*. Gloss. id est religionis, quia eadem sacramenta habent cum piis; & idcirco periculosi sunt, sed pietatis virtutem abnegantes, sicut Judas apostolus dicit. *In novissimis*, inquit, *temporibus venient illusores secundum desideria sua ambulantes, & non in pietate, sed in pietatis simulatione*. Hinc Dan. 11. legitur: *Quia impii fraudulenter simulabunt* in testamentum; inde de præcursoribus antichristi sub figura locustarum dicitur Apocal. 9. *Quia facies locustarum sicut facies hominum*. Gloss. qui exterius se ostendunt homines, & pios, cum intus sint feri. Unde de præcursoribus antichristi Job 39. dicitur; *Penna strutionis similis est pennis herodii, & ancipitris*. Quid per strutionem, quæ absque pietate ova sua derelinquit in terra, figuratur, nisi ille iniquus antichristus, de quo Zacharias propheta dicit. *O pastor & idolum derelinquens gregem*? Quid per pennas strutionis, nisi ejus exploratores figurantur, qui ipsum antichristum quasi pennæ sublevant, ut caput extollant? Quid per pennas herodii & ancipitris figuratur, qui ceteris avibus altius volant, nisi vita signatur patrum præcedentium, qui ad cœlestia desiderio volantes, in cœlo conversationem habuerunt? penna ergo strutiotionis similis est pennæ herodii & ancipitris, quia vita exploratorum antichristi patribus præcedentibus videbitur exterius conformari, cum tamen intra valde sit dissimilis, quia & exterius sit dealbata, intra pleni sunt omni spurcitia, iniquitate &

Matt. 24. 24.

2. Pet. 3. 3.

2. Tim. 3. 2.

Jud. 17.

Dan. 11. 32.

Job. 39. 13.

Zach. 11. 17.

& rapina. Sic ergo apparet quia præcursores antichristi in numero computabuntur fidelium communione sacramentorum, vitamque simulabunt justorum: de quorum ficta sanctitate nunc aliquid est dicendum.

CAPUT IV. *De illorum ficta & apparenti sanctitate.*

1. DE apparenti sanctitate exploratorum antichristi, qui ejus faciem præcedent, dicitur Apocal. 9. sub figura locustarum: *Super capita earum tamquam corona aurea similes auro.* Gl. super capita, id est in mentibus, ubi in se & coram aliis superbiunt, etiam super doctores, tamquam coronæ aureæ non veræ, sed apparentes, coronæ non auratæ sed auro similes; quia illorum vita super alios apparebit digna corona & remuneratione æterna, propter simulationem & hypocrisim sanctitatis. Unde sibi arrogabunt vitam apostolicam mysterio iniquitatis operante sicut apostolus dicit 2. Thessal. 2. ut per sanctitatis fictionem velint haberi ministri Christi, cum sint pseudo & antichristi ministri in tantum apparentiam sanctitatis imitantes, ut nullus sit arguere illos ausus. Unde Job 21. de illo damnato dicitur. *Quis arguet coram eo vias ejus.* viæ enim illius damnati hominis sunt ejus præcursores, qui ad præparandas illi vias præmittuntur, & per quos in ecclesiam ingredientur, qui tantis signis & prodigiis apparentis sanctitatis se elevant, ut argui ab homine in palam eorum facta non valeant. Sicut de illorum capite dicit Gregorius lib. 15. Moralium. Quia cum potestate terroris qua armantur conjuncti principibus terrenis, adjunguntur etiam signa ostensæ sanctitatis.

Apoc. 9. 7.

2. Thess. 2. 7.

Job. 21. 31.

2. Unde & de illis Job 41. dicitur: *Quis revelavit faciem indumenti ejus?* Portas vultus ejus quis aperiet? Indumentum enim leviatan sunt antichristi præcursores, quia illis tamquam indumento tegitur per hypocrisim sanctitatis, ne facies malitiæ ejus aperta videatur quia enim aperta nequitia nocere non possent, sicut Gregor. lib. 33. Moralium dicit: » Bonæ actionis habitum » sumunt, & pravos quidem se opere exhi- » bent, sed sanctos specie mentiuntur: Si » enim aperte mali essent, a bonis recipi om- » nino non possent, sed sumunt aliquid de » visione bonorum, ut dum boni viri reci- » piunt in eis speciem quam amant, permix- » tim sumant & virus quod vitant.

Job. 41. 4. Ibid. 5.

3. Sed, *quis* hujus *indumenti faciem revelabit?* certe difficile erit ipsorum hypocrisim in palam detegere, aut quis *in medium oris intrabit?* scilicet quis verba sug- » gestionum illorum poterit discutere: Quia » bonum, inquit Gregorius, videntur pro- » mittere, sed ad perditum finem trahunt. « In medium igitur oris eorum intrare, est « calliditatis eorum verba penetrare, ut ne- « quaquam pensetur quid resonant, sed quo « intendant. *Portas*, inquit, *vultus ejus quis aperuit?* quid per portas vultus ejus signatur, nisi ejus perversi præcursores, qui adventum ejus præcedunt, & portæ antichristi sunt, quia per ipsos ingredietur, ut in reprobis aperte dominetur. Sicut dicit Gregorius ubi supra, « Hæ portæ ad introducendum in perditionem apertæ sunt, sed « ad deprehendum sunt clausæ, quia ne in- « trinsecus cognosci valeant exteriori simu- « latione muniuntur. *Portas* ergo *vultus ejus quis aperiet?* id est hypocrisim sanctitatis exterioris præcursorum antichristi quis deteget? Sub audis, inquit Dominus, nisi ego, qui electis meis magistros errorum sub specie sanctitatis absconditos, perspicua cognitione manifesto. Unde quamvis illorum opera primitus propter simulationem pietatis mala judicari non possint, tamen sancti bene prævident per scripturas, quia ad explorandam ecclesiam veniunt, & illius diripienda spolia sicut de exercitu Gog dicitur Ezech. 38. *Sabba & Dedan, omnes negotiatores Tharsis, & omnes leones ejus dicent tibi: Numquid ad sumenda spolia tu venis? ecce ad diripiendum prædicta congregasti multitudinem tuam, ut tollas aurum & argentum, & auferas supellectilem atque substantiam, & diripias manubias infinitas.* Quid enim per sabba, quod interpretatur clamans vel convertens, nisi priores ecclesiæ doctores signantur, in quibus Dominus magna voce clamavit, & de temporibus illis ecclesiam præmunivit, ne hypocrisi deciperetur præcursorum antichristi, sed ad verum Christum dominum nostrum converteretur. Unde ibidem subditur: *Tu ergo ille es de quo locutus sum in diebus antiquis, in manu servorum meorum prophetarum Israël, qui prophetaverunt in diebus illorum temporum, ut adducerent te super eos.*

Job. 41. 4.

Ibid.

Ezech. 38. 13.

Ibid. 17.

4. Quid per Dedan, quod interpretatur generatio eorum, nisi illi succedentes prædicatores, quos vitæ verbo genuerunt in Christo? Quid per negotiatores Tharsis, quod interpretatur explorans gaudium, nisi illi qui de talento dominico negotiantur in nundinis scripturarum, & explorant gaudium æternorum? Quid per leones ejus, nisi temporum illorum constantes doctores, qui animi fortitudine nihil timentes, audent præcursoribus antichristi dicere sicut præcedentes patres prædixerunt, *numquid ad sumenda spolia tu venis?* Quidquid enim sanctitatis prætendas, non venis cum multitudine tua, nisi ut spolia ecclesiæ diripias, ut eos qui aurum videntur in ecclesia per sapientiam, & argentum per eloquentiam, ab ecclesia tollas, & populum, ecclesiæ supellectilem, auferas atque substan-

tiam; scilicet illos qui sub majoribus stant, A & diripias manubias infinitas?

5. Sed cum istorum hypocrisis aliquantulum cœperit detegi, super ecclesiam, cujus mores & vitam primitus simulabant, se per superbiam elati erigent, & ejus vitam & mores deridebunt. Hinc B. Job sub persona ejus, cum ejus vitam & mores descripsisset, quam tenuit usque ad novissimum tempus, ingressum persecutionis antichristi describens, & pace interrupta in illud ultimum bellum interiores oculos dirigens
Job. 30. 1. cap. 30. ait. *Nunc derident me juniores tempore.* Gl. contraria prædictis in tempore novissimo deinceps ostendit: *quorum*, inquit, B *dedignabar patres ponere cum canibus gregis mei, quorum virtus manuum erat mihi pro nihilo, & vita ipsa putabantur indigni.* Præcursores enim antichristi, qui sacramenta ecclesiæ suscipiunt, & in fine temporum & annorum veniunt, qui ab ecclesia cœperunt, non ipsa ab illis, minores tempore sunt: quorum patres, scilicet hypocritas & hæreticos præcedentes, non dignabatur computare inter canes, id est prædicatores gregis sui; sed virtus manuum illorum illi pro nihilo, & vita putabantur indigni, quia C ipsam ecclesiam ingrediuntur, ut inermes,
Job. 30. 3. viles & abjecti, *egestate & fame steriles, qui* exteriora scripturæ *rodebant, squallentes calamitate & miseria*, unde *mandebant herbas*, dicta planiora scripturarum intelligentes, & *arborum cortices*, scripturarum intelligentiam profundam penetrare non valen-
Ibid. 4. tes. *Et radix*, inquit, *impiorum erat cibus illorum*, quia, ut Gloss. dicit, in erroribus & doctrina sua lucrum quærunt terrena: unde
2. Pet. 2. 3. *in avaritia fictis verbis de hominibus negotiantur*, sicut dicit B. Petrus: *Qui de convallibus ista rapientes*, inquit, id est de dictis D humilibus patrum, cum singula reperissent,
Job. 30. 5. *ad ea cum clamore currebant*, quia secundum Gregor. lib. 20. Moralium. Omne quod sentiunt ad aures hominum diffamare conantur.

Ibid. 8. 6. Et post, *Filii*, inquit, *stultorum & ignobilium, & in terra penitus non parentes*, isti tales postmodum crescentes, & ab hominibus recepti, & propter hypocrisim sanctitatis in magna reverentia habiti, eccle-
Ibid. 9. siam deridebunt: Unde subdit: *Nunc in eorum canticum versus sum, & factus sum illis opprobrium.* Gl. qui prius quasi venerabantur, dum specie tenus essent in ecclesia, E nunc in eorum canticum versus sum, abominantur me; mores & vitam meam in superbiam elati contemnunt. Unde de structione per quam designantur hypocritæ an-
Job. 39. 18. tichristi Job 39. dicitur: *Cum tempus fuerit in altum alas erigit, deridet equitem & ascensorem ejus.* Quod exponens Gregorius 31. Moral. dicit: Quid enim alas hujus strutionis accipimus, nisi pressas hoc tempore quasi complicatas hypocritæ cogitationes, quas « cum tempus fuerit, in altum elevat, quia « opportunitate conspecta, eas superbiendo « manifestat. Cum ergo in altum illas ere- « xerit, deridet equitem, quia cum ipse in aperto iniquitatis eruperit, electorum despicit sanctitatem, & elatus fatuos appellat quos pace pressus fidei callida arte simulabat. deridet & ascensorem equitis, quia prosilit usque ad injuriam creatoris, sicut de præcursoribus antichristi, Domino dante, postmodum ostendetur: sed restat nunc dicere de illorum astutia & præsumpta scientia.

CAPUT V. *De astuta sapientia eorumdem quæ videbuntur pollere.*

1. DE simulata sapientia præcursorum antichristi sub figura locustarum dicitur Apocal. 9. quia habebant super capita tamquam coronas similes auro, quia Apoc. 9. 7. non vera sapientia fulgent, sed veræ sapientiæ assimilata, unde divinam sapientiam sibi arrogant, cum tamen mundana magis calleant. Hinc est sicut in Isaïa 18. dicitur, quod legati antichristi mittuntur *in vasis* Isa. 18. 2. *papyri super aquas*; quod exponens Gregor. lib. 13. Moral. dicit: Ex papyro quippe carta est. Quid itaque per papyrum nisi sæcularis scientia designatur? vasa ergo papyri sunt corda doctorum sæcularium. In vasis ergo papyri super aquas mittere est prædicationem suam in sapientium carnalium sensibus ponere & defluentes ad culpam populos vocare.

2. Quid enim sunt illius hominis damnati legati, nisi præcursores ejus ante faciem ejus missi, quorum corda diabolus mundana replet, ut mundanos homines peccatores dignosque decipi per illam cognoscentes attrahant, & in errorem inducant. Qui a B. Gregorio sæculares doctores vocantur, non propter sæculi habitum, sed propter actus mundanos. Hinc est quod sæcularia negotia ducent, quasi intuitu pietatis; & propter mundanos ubique discurrent in curiis terrenorum principum, inter quos maxime mundi sapientia viget, se ingerunt, & illorum consilio utuntur. alioquin exploratores non essent, nisi callida mundi sapientia singulorum conscientias explorarent.

3. Unde Apostolus illos describit futuros penetratores, rimantes proprietates cujusque, & quos dignos inveniunt seducentes, *captivas ducentes mulierculas oneratas* 2. Tim. 3. 6. *peccatis*, id est homines carnales & seductibiles, mores muliebres & fluxos habentes. unde Apocal. 9. dicitur: *Quia capillos* Apoc. 9. 8. *habent sicut capillos mulierum*, quia in illis adhærent sicut capilli capiti, molles sunt & flexibiles in omne vitium, sicut dicit Gl.

non enim firmos seducere possunt.

4. Hinc est quod curiosi erunt & otiosi discurrunt, & ideo sicut Ambrosius dicit super secundam epistolam ad Thessalonic. Id agunt quatenus occasio nascatur, quo introitum suum desiderabilem faciant domibus divitum, adulantes gesta, & opiniones verborum subtiliter colligunt; scientes quid, de quo velint audiri, ut libenter & requisiti pascantur: quod factum abhorret doctrina dominica, & ideo illorum sapientia est mundana, unde & philosophias humanas & artes dialecticas exquirunt, ut parati sint verborum calliditate omnibus respondere, sicut illos describit Johannes Apoc. 9. (Apoc. 9.) quia similes erunt equis paratis in prælium. Glossa, quia veloces sunt ad discurrendum & feroces ad impugnandum, & tamen corda habent obstinata, quoniam sagitta veritatis non penetrat ea. Inde ibidem dicitur, (Ibid.) quod *habebant loricas ferreas*, quia ut Glossa dicit, per sententias deceptionibus munitas se deffendunt, ne illorum sapientia deprehendatur humana, quia videtur pietatis nomine palliata.

5. Unde ad sanctum Job 41. c. Dominus de illis exploratoribus sic loquitur: (Job. 41. 9.) *Oculi ejus quasi palpebra diluculi.* Oculi enim ejus illi, viam per quam ingrediatur prævidentes, ejus sunt exploratores, qui in sapientia carnali superbiunt, & scientiæ lumen sibi ascribunt: sed palpebris diluculi comparantur, quia suam mundanam & tenebrosam scientiam contegunt, ut veræ sapientiæ credatur diluculum, & sui comparationem ut noctem fugant, ut refutent veram sapientiam præcedentium patrum. Inde & Dominus iterum de ipsis ad sanctum Job loquitur, (Job. 40. 12.) *Nervi testiculorum ejus perplexi sunt.* Quid enim per testiculos designatur, per quos generationis semen infunditur, nisi illius hominis damnati præcursores, qui semen perversæ doctrinæ in mundo infundunt, ut illi magnum præparent populum? Nervi vero qui testiculos contegunt, dolosæ assertiones, ne deprehendantur, illorum astutia & doctrina perversa illos protegentes. Unde Gregorius lib. 32. Moralium: Apte, inquit, dicitur quod testiculorum ejus nervi perplexi sunt, quia videlicet prædicatorum illius argumenta dolosis assertionibus innodantur, ut rectæ esse similent quæ perversa persuadent; ut allegationum implicatio, quasi nervorum perplexitas, etsi videri possit, tamen solvi non possit. Nervos ejus testiculi perplexos habent, quia acumina prædicatorum illius sub argumentis duplicibus latent. Plerumque, inquit, cum verbis corda inficiunt, in opere innocentiam ostendunt; neque enim ad se bonos persuasione sua traherent, si se & in actibus perversos exhiberent. Sed quia testes hujus sunt belluæ, & perplexis

A nervis illigantur, & rectos se ostentant ut lateant, & perversa prædicant ut corrumpant; ipsum nimirum caput imitantes, qui quasi in insidiis, & sævit per potentiam terreni culminis, & blanditur per speciem sanctitatis.

6. Et de illorum calliditate subjungit: Ii nonnumquam, inquit, decipiendis auditoribus exhibent linguæ dulcedines, quia & spinæ proferunt flores, & apparet quidem in eis quod oleat, sed latet quod pungat. Amaris dulcia, noxiis blanda permiscent, & potestate quidem admirandi videri appetunt, sed fallendi arte per remissa B colloquia quasi humiliter substernuntur.

7. Hinc est quod in Apocalypsi capite nono dicitur, (Apoc. 9. 10.) quia data est illi potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ; Glossa, scorpio blandus facie, cauda pungit occulte. Sic arte callida & astutia simulata locustæ, id est antichristi præcursores in facie blandiuntur, sed in occulto pungunt & bonis detrahunt, *sedentes in insidiis cum divitibus in occultis.* (Psal. 9. 8.)

CAPUT VI. *De illorum in malo unitate & glomeratione.*

C

1. SEd isti præcursores antichristi tanto sunt ecclesiæ periculosiores, quanto sunt in simili perversitate unanimes, ita inter se glomerati, ut ab invicem nequeant separari: unde qui illorum aliquos reprehendit, statim omnes alios inimicos sentit. Hinc Johannes apostolus de præcursoribus antichristi sub figura locustarum in Apocalypsi dicit: (Apoc. 9. 9.) *Et vox alarum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum.* vox enim alarum tumultus sunt sententiarum ratione carentium, quibus sicut diversi D currus diversis viis & diversis equis ad idem bellum rapiuntur; sic, licet diversis hæresibus, unanimiter ecclesiam impugnant; sicut in idem Glossa dicit.

2. Hinc princeps apostolorum prophetat in 2. epist. de illis magistris ultimis, (1. Pet. 2. 1.) *qui introducent sectas perditionis*, quia *multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur.* Ideo ab illis, ut dicit Gl. grave est caveri, quia multi sunt, vel multi eorum luxurias sequuntur.

3. De iis penetrantibus domos est pro- E phetia beati Pauli apostoli 2. Timoth. 4. (2. Tim. 4. 3.) *Quia sanam doctrinam non sustinentes, sibi coacervabunt magistros auribus prurientes, & a veritate auditum avertentes*, qui in unum conglobati, resistent unanimiter veritati, (Ibid. 3. 8.) *sicut Jannes & Mambres* cum populo Ægyptiorum *restiterunt Moysi.*

4. Hinc beatus Job capite 41. cum adventum antichristi, Domini spiritu revelante, signasset, ante cujus faciem præcedet virtutum egestas, de ejus membris sta-

Job. 41. 14. tim subjunxit: *Membra carnium ejus cohærentia sibi.* Quid enim per membra, quibus carnes adhærent & subsistunt, signatur, nisi majores quique in antichristi corpore præcursores, quibus adhærent subsequentes, & eorum virtute subsistunt? Quod exponens Gregorius libro 34. Moral. dicit: « Sic, inquit, perversa unanimiter sentiunt, ut nulla contra se vicissim disputatione dividantur: nulla, inquit, tunc eos diversitatis altercatio scindet; & idcirco contra bonos vehementer prævalent, quia in malo se concorditer tenent. Sicut enim, inquit, perniciosum est si unitas desit bonis, ita perniciosius si non desit malis. Reproborum quippe unitas bonorum vitam tanto durius præpedit, quanto se ei per collectionem durius opponit.

5. Unde ut idem beatus Job dicit: *Corpus quasi scuta fusilia, compactum squamis sese prementibus*; sicut enim Gregor. lib. 33. Moralium dicit: « Corpus ejus quasi scuta fusilia, quia nulla correptionis jacula se penetrare permittunt; sed in omni peccato quod faciunt, scutum superbæ deffensionis opponunt. nam cum quisque talium de reatu suæ iniquitatis arguitur, non mox cogitat quomodo culpam corrigat, sed quid in adjutorium suæ deffensionis opponat: nulla igitur veritatis sagitta penetratur, quia verba sanctæ correptionis in scuto excipit superbæ deffensionis. Ideo bene subditur, *compactum squamis sese prementibus*: squamæ enim sese prementes, defensiones sunt & tergiversationes se invicem contingentes, mentemque hypocritarum antichristi prementes. Unde Gregor. lib. 33. Moralium: « Istæ, inquit, defensionum squamæ, quamvis pene omne humanum genus contegunt, hypocritarum tamen specialiter & callidorum hominum mentes premunt: ipsi etenim culpas suas tanto vehementius confiteri refugiunt, quanto & stultius videri ab hominibus peccatores erubescunt. quod maxime erit in præcursoribus antichristi, qui ad similitudinem & imitationem capitis sui, supercilium hypocrisis obtinebunt.

Ibid. 7. 6. De quibus squamis sanctus Job iterum subdit: *Una uni conjungitur, sed nec spiraculum incedit per eas.* quia ut ibidem dicit Gregorius, « Hypocritæ antichristi, quos similis reatus sociat concordia, pertinacia, & defensio perversa constipat, ut de facinoribus suis alterna se defensione tueantur. sibi enim quisque metuit, dum admoneri vel corrigi alterum cernit; & ideo contra corripientium verba unanimiter assurgit, quia se in altero protegit. » Quorum pestiferam concordiam adhuc apertius subdit dicens:

Ibid. 8. « *Una alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.* Qui enim divisi corrigi poterant, in iniquitatum suarum pertinacia uniti perdurant. nam sicut esse noxium solet, si unitas desit bonis, ita perniciosum est si non desit malis; perversos quippe unitas corroborat dum concordat; sed tanto magis incorrigibiles quanto unanimiores fiunt. » Et post: « Tenentes enim sese separari nequeunt, quia & ad defensionem suam vicissim constricti sunt, quo se sibi per omnia similes esse meminerint. & ideo, sicut prædictum est, qui unum vel aliquos illorum impetit, ab omnibus aliis impetitur, quia vitiis consimilibus irretiti, vehementer timent ne aliquando usque ad impetitionem ipsorum veniatur.

7. Hinc rursum B. Job: *Umbra protegit umbram*, quia, inquit Gregorius ubi supra, « peccatores quique in quo sibi male sunt conscii, in eo & alium peccantem defendunt; umbræ umbram protegunt, dum nequissimorum facta nequiores perversis patrociniis tuentur: quod hoc nimirum studio faciunt, ne dum culpa in qua & ipsi obligati sunt, in aliis corrigitur, ad ipsos quoque veniatur: Se igitur tegunt, dum alios protegunt, quia suam vitam prævident impeti unde alios considerant aperta correptione confundi, sicque fit ut in summa criminum dum defenditur augeatur, & uniuscujusque nequitia sit ad perpetrandum facilior quo difficilior ad puniendum; scelera quippe peccantium tanto majora incrementa percipiunt, quanto per defensionem potentium diu inulta tolerantur. Sic igitur umbræ umbram protegent, quia culpas suas ne in eis deprehendantur, præcursores antichristi invicem concordi unitate defendent, contra seipsos arguentes, concorditer in bellum concurrent, & ideo illorum vitam perversam pauci aut nulli redarguent. unde illorum perversitas dilatabitur, & hypocrisis plurimum extendetur. Job. 40. 17.

CAPUT VII. *De futura per illos multorum seductione.*

1. Isti igitur antichristi exploratores ejusdemque præcursores mundana astutia præditi, simulatione eximiæ sanctitatis exterius dealbati, & ad invicem unanimiter in suis erroribus constipati, multos seducent, & a consilio prælatorum suorum qui in ecclesia funguntur legatione pro Christo ad se trahent.

2. Hinc Veritas in evangelio dicit Matth. 24. *Multi venient in nomine meo*, se veros Christianos per apparentiam sanctitatis fingentes; unde Glossa, antichristum pro Christo dantes; *Ego sum Christus*; vere a Deo sumus inducti & veri Christiani, *& multos*, inquit, *seducent*, id est, a Christo ad se ducent. Matt. 24. 5.

3. Unde in Apocal. 20. cap. dicitur, quia in diebus novissimis *satanas solvetur de carcere* Apoc. 20. 7.

carcere suo, & exiet, & per hypocrisim sanctitatis seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ. Glos. seducet, id est, a Christo ad se ducet, quia illas a veris prælatis, qui legatione funguntur pro Christo, avertet, & ad se convertet, ut post illas congreget in prælium ad expugnanda castra sanctorum & civitatem dilectam.

4. Hinc est quod Apostolus illos domorum describit penetratores, qui in novissimis venient antichristi præcursores, & exploratores singulorum domum intrantes & discurrentes, uniuscujusque conscientiam explorantes, & ex his in pejus proficientes, & in errorem mittentes. Ex iis, inquit 2. Timoth. 3. *sunt qui penetrant domos,* Gl. id est rimantur proprietatem cujusque, *& captivas ducent mulierculas oneratas peccatis;* id est, per conscientiarum & secretorum notitiam ad se trahunt; non quoslibet, sed qui peccatis exigentibus fluxos mores habentes, digni sunt seduci. (2. Tim. 3. 6.)

5. Unde Apocal. 9. sub figura locustarum de præcursoribus dicitur antichristi, *quia capillos habebunt sicut capillos mulierum.* Capilli, inquit Glossa, minores sunt, quos adhibentes sibi decipiunt, mores effrenatos habentes. (Apoc. 9. 8.)

6. Nec solum decipient minores, sed & de majoribus maximam multitudinem ad se trahent. Hinc Danielis 11. dicitur quod in fine temporum rex aquilonis diabolus in præcursoribus antichristi magnam multitudinem congregabit, & comportans aggerem sapientiæ fictæ & hypocrisis sanctitatis, *capiet urbes munitissimas*, quia non tantum populares, sed magnos & munitos multimoda sapientia ad se trahet. Unde sicut Radulphus super Leviticum lib. 18. dicit cap. 1. » Ex fidei professoribus maximam multitudinis suæ partem congregabit, sicut ad sanctum Job dictum est: *Sternet sibi aurum quasi lutum, & sub ipso erunt radii solares.* (Dan. 11. 15.) (Job. 41. 11.)

7. Quod ut facilius peragatur, majoribus principibus se conjungent, ut per illorum potestatem illorum prædicatio exaltetur. Unde Gregorius lib. 33. Moralium, » Horum, inquit, prædicatio facile despici ab auditoribus poterat; sed hunc ante humana judicia adjunctus potestatum sæcularium terror exaltat. Recte ergo, inquit, dicitur per gyrum dentium ejus formido, id est iniquos prædicatores antichristi, perversi hujus sæculi protegunt potestates: nam quos appetunt loquendo seducere, multi potentum student sæviendo terrere; nec terrendo per principes, sed & attrahent per magnatum familiaritates.

8. Unde ipsis tamquam cauda sua draco stellarum ecclesiæ multitudinem ad se trahet, in terramque mittet: « Stellas enim, inquit Gregorius 32. Moral. in terram ca-

A dere est; derelicta nonnullos spe cœlestium ad ambitum gloriæ sæcularis inhiare. »

9. Inde de ipsis Apocal. 9. dicitur, quod habent potestatem sicut scorpiones terræ. Gl. quia sicut scorpio cauda, ita ipsi decipiunt per temporalia. (Apoc. 9. 10.)

10. Unde de illorum capite dicitur Danielis 8. quod *in copia rerum occidet plurimos.* Gl. sanctorum, quia quosdam qui in ecclesia sancti videntur, dejiciet per collationem temporalium a vita fidei, & infidelitatis morte astringet. Hinc & de illo 11. Danielis dicitur, quia suis *potestatem dabit in multis, & terram dividet gratuito.* Glos. quia multos avaritia subjugabit, unde dominabitur thesaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti, id est mundi, Quod non tantum intelligitur de antichristo, sed & de præcursoribus suis, qui terrenis principibus conjuncti, plurimos ad se trahent per collationem temporalium dignitatum & mundi divitiarum, quæ a principibus terrenorum consiliis conferentur; quia ut dictum est, *cauda homines percutient*, id est per temporalia, & terrenos principes deceptione dignos seducent. (Dan. 8. 25.) (Ibid. 11. 39.)

B

C

Caput VIII. *De eorum moribus & perversa conversatione.*

1. Sed nunc paululum secundum scripturas mores illorum describamus, ut a fidelibus Christi eorum valeat astuta perversitas devitari; quia speciem pietatis in suis operibus prætendentes, diligentius oportet inquirere & perspicacius indagare; ut illorum perversitas cognoscatur. Quia secundum B. Gregorium, vitia frequenter virtutes se esse mentiuntur.

D

2. Radicem igitur perversitatis morum eorum nobis insinuans B. Apostolus 2. ad Tim. 3. ait: Quia *in novissimis diebus instabunt tempora periculosa*, & mores describens per quos instabunt, subjungit: *quia homines erunt seipsos amantes*, & ideo non quæ Jesu Christi, sed quæ sua sunt quærunt. Ex qua radice, sicut dicit glossa, mala cetera quæ ibidem Apostolus enumerat, oriuntur. (2. Tim. 3. 1.)

3. Primo, quia *erunt cupidi*, Gl. pecuniæ, unde prædicatores erunt quæstuarii, *existimantes*, ut idem Apostolus dicit 1. Tim. 6. *quæstum esse pietatem.* Gl. quia ideo opus pietatis faciunt, id est, prædicant, ut lucrum temporale ab auditoribus accipiant. pro quæstu enim prædicant, non pro futuris, licet pro æternis se prædicare mentiantur & fingant. (1. Tim. 6. 5.)

E

4. Hinc princeps apostolorum secundæ Petri 2. c. dicit de illis mendacibus magistris: quia in fine temporum exsurgent de vobis, *sectas introducentes perditionis*, quia *in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.* Glos. non causa religionis, sed avaritiæ, (2. Pet. 2. 1.)

ut aliquid lucrentur, fingunt novas doctrinas, nec vos emunt Deo, sed de vobis sibi aliquid commodi acquirunt.

5. Hinc Judas apostolus illos describens ait: *Quia in novissimis temporibus*, Gl. tempore antichristi, *venient illusores mirantes* & honorantes *personas* divitum, non causa dilectionis, sed *quæstus causa*, quamvis salutem se fingant quærere animarum. Unde sub prætextu zeli animarum in superbiam elati, sibi aliorum officia usurpabunt, & singulorum conscientias explorabunt, indicantes ad illa in ecclesia a Domino & apostolis ordinatos minus esse sufficientes. — *Jud. 18.*

6. Hinc in Apocalypsi c. 9. dicitur, quia *super capita eorum tamquam coronæ similes auro*. Glos. quia in se & coram aliis superbiunt, etiam super doctores. Hinc Paulus apostolus dicit quia erunt *elati*; & Judas apostolus, quia *os eorum loquitur superbiam*, dicentes, sicut Glossa dicit, se solos Dominum cognoscere. — *Apoc. 9. 7.* *2. Tim. 3. 2.*

7. Hinc apostolus 2. Timoth. 3. ipsos describit domorum penetratores, quia non mittentur, nec ex officio habebunt, sed se ingerent ad conscientias explorandas, sicut de illorum capite Veritas dicit. quia veniet in nomine suo & recipietur, sic & membra illius current cum a Deo non mittantur, prophetabunt & prædicabunt, cum ad ipsos Dominus de hoc non loquatur. — *2. Tim. 3. 6.*

8. Hinc & otiosi, & gyrovagi erunt: unde Johannes apost. Apocal. 9. de præcursoribus dicit antichristi, quia *similes erunt equis paratis in prælium*; semper scilicet prompti ad discurrendum & impugnandum. Unde Gl. ibid. similes erunt, equis, quia veloces ad discurrendum, atque feroces ad impugnandum. hinc de Abimelech sub figura antichristi dicitur: *Quia conduxit sibi viros inopes & vagos, secutique sunt eum.* Nam licet fingant se primitus discurrere propter Christum & ejus evangelium, in fine manifeste sequentur antichristum, sicut post dante Domino declarabitur. Si enim secundum doctrinam apostolicam pio manuum labori insisterent, otiosi & vagi ubique non discurrerent, nec ita sollicite hominum conscientias explorarent. — *Apoc. 9. 7.* *Jud. 9. 4.*

9. Hinc & delatores erunt rumorum, proditores secretorum sicut apost. illos describit 2. Timoth. *Erunt*, inquit, *proditores.* Gl. secretorum alterius, dum indicant inimicis piorum quæ occultanda noverint; quod tamen palliabunt se facere sub nomine pietatis, ut scilicet aut corrigantur illi quorum secreta detegent, vel illi ab illis caveant quibus revelabunt. Unde in omnibus terrenis negotiis sub zelo pietatis se ingerent, & quælibet divitibus placita exquirent. Hinc Ambrosius super epist. 2. ad Thessalon. dicit: « Quia qui otiosi esse desiderant id agunt quatenus occasio nascatur, « qua introitum suum desiderabilem faciant, « domibus divitum adulantes, gesta, inquit, « & opiniones subtiliter colligunt, scientes, « quid de quo velint audire, ut libenter & « requisiti pascantur. — *2. Tim. 3. 4.*

10. Inde erit quod apparentiæ & quæstiunculis vacabunt: *Languentes*, inquit apostolus, *circa quæstiones & pugnas verborum*, ut sciant de singulis respondere, & cum aliis contendere, & sagaciter disputare. Unde Apocal. 9. de illis dicitur, quia *vox alarum*, id est sententiarum, *sicut vox curruum multorum*, quia protervierunt disputatores, clamosi, de quibus loquuntur non intelligentes. Hinc apostolus dicit 2. Timoth. 3. quia *protervi* erunt sive procaces. Gl. habitu vel verbis pudorem non servantes, sed humanam verecundiam inverecunde agitantes; *tumidi*, inquit, glossa, inflato corde; cæci, Gl. non intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus agunt. — *1. Tim. 6. 4.* *Apoc. 9. 9.* *2. Tim. 3. 4.*

11. Inde erit quod laudis humanæ cupidi, quæ auditoribus placeant semper exquirent. Unde Gregor. 8. lib. Moral. dicit de hypocritis, nec proferre, inquit, alia noverunt nisi quæ auditorum corda & rependendas laudes excutiant, non autem ad lacrymas accendant.

12. Inde etiam erunt impatientes, infirmis compati nescientes. unde apostolus illos describens 2. Timoth. 3. dicit, quia *sine affectione* erunt, Gl. ad aliquem sive quæ sunt non compatiendo infirmis. *sine pace*. Gl. inquietantes alios. *sine benignitate*; Gl. id est largitate, dum nesciunt aliis subvenire; sicut S. Judas apostol. illos describit cap. ultimo *semetipsos*, inquit, *pascentes*. Gl. non pauperes Christi, ab omnibus enim accipient, & parum aut nihil inde tribuent. — *Ibid. 3.* *Jud. 12.*

13. Nec solum erunt sine benignitate erga infirmos, sed feroces erunt ad impugnandum constantes vel bonos. Hinc Apocal. 9. dicitur, quia *similes erunt equis paratis in prælium*. Gl. quia feroces erunt ad impugnandum. — *Apoc. 9. 7.*

14. Inde apost. dicit 2. Timoth. 3. quia erunt *immites*. Gl. crudeles exercendo lites; nec solum feroces erunt ad impugnandum, sed & veloces ad detrahendum. Hinc de ipsis Apocal. 9. dicitur, quia *dentes eorum*, quibus scilicet per detractionem bonos laniant, *sicut dentes leonum erant*, qui, ut dicit Gloss. laniant & habent fœtorem. — *2. Tim. 3. 3.* *Apoc. 9. 8.*

15. Hinc & rursus Apost. de illis ait, quia erunt *criminatores*. Gl. id est crimen aliis imponentes, vel detractores, famam sanctorum maculare conantes; & inde dicit maculare conantes? quia etsi aliqua bona illorum ne publice mali videantur aliquando laudant, statim sinistra deteriora subjungunt, unde deterius famam illorum maculant. Unde Greg. lib. 5. Moral. Iniqui « — *2. Tim. 3. 3.*

etenim, inquit, ne publice videantur, loquuntur aliquando bona de justis; quæ esse jam cognita & alii noverunt; sed hæc ipsa protinus ad cumulum reatus pertrahunt; & credendum sibi in contrariis ex eo quod & prospera loquebantur ostendunt; tantoque mala verius insinuant, quanto & bona quasi devote laudabant. Ad usum igitur intorquent criminis voces favoris, dum justorum vitam inde post gravius vulnerant, unde hanc paulo ante specie tenus deffendebant. Inde ut idem Gregor. 26. Moral. dicit magna sanctorum opera parva reputant, & sua parva tamquam magna mirantur & prædicant. Sancti, inquit, viri aliena opera etiam parva mirantur, sua vero etiam magna despiciunt; at contra arrogantes aliena etiam magna despiciunt, sua quæ parva sunt admirantur, & plurimum de suis malis bona æstimant, de alienis autem bonis male sentire non cessant. nam dum propriam gloriam quærunt, perniciose student, ut quidquid virtutis ab aliis agitur, iniquitatis nota laceretur, & bonæ pondus actionis vertunt in maculam criminis.

16. Sed tamen quidquid fingant hypocritæ præcursores antichristi, in occultis suis gulæ erunt & luxuriæ dediti. Hinc
Apocal. 9. 8. Apocal. 9. de ipsis dicitur sub figura locustarum, & *habebant capillos sicut capillos mulierum*. Gloss. id est mores lapsos & effeminatos qui eis adhærent & ab eis ad deceptionem aliorum dependent. Hinc &
2. Tim. 3. 4. apostolus 2. Timoth. 3. de illis dicens quia *voluptatum amatores erunt magis quam Dei*: Gl. id est carnales lætitias spiritualibus præponentes. Sed & Petrus apostolorum prin-
2. Pet. 3. 3. ceps. de illis 2. ep. c. 3. dicit: quia *in novissimis diebus*. Gl. tempore antichristi, *venient illusores in deceptione juxta proprias concupiscentias ambulantes*; quia se fingent exterius abstinentes & austeri, cum sint voluptatum magis amatores quam Dei. Hinc & Judas sanctus apostolus Domini dicit,
Jud. 18. *in novissimis temporibus*. Gl. tempore antichristi *venient illusores secundum desideria sua ambulantes*, non in pietate, sed in pietatis simulatione. *Ii*, inquit, *sunt qui segregant semetipsos*, vitam scilicet suam aliis dissimilem prætendunt, sed tamen *animales* sunt. Gl. ait concupiscentias sequentes & *Spiritum sanctum non habentes*.

2. Tim. 3. 2. 17. Et ideo sicut apostolus *scelesti* erunt. Gl. in criminibus perpetrandis peccandi modum transcendentes, suas & aliorum animas interficientes.

Ibid. 2. 18. Unde & *blasphemi* erunt, sicut dicit idem apostolus, in Dominum per hæreses.
Apoc. 9. 2. Hinc de ipsis Apocal. 9. dicitur, quia *ascendit fumus putei unde locusta*. id est præcursores antichristi exierunt *sicut fumus fornacis magnæ*, id est similes doctrinæ antichristi.

19. Sed ultra hæc omnia mala, impatientes erunt correctionis. Inde in Apocal. 9. dicitur, quod *loricas habebant ferreas*. Gl. Apoc. 9. 9.
id est corda obstinata quæ sagitta veritatis non penetrat. Hinc de ipsis Apostolus dicit, quia *parentibus erunt inobedientes*, sive 2. Tim. 3. 2.
carnalibus sive spiritualibus. inde & sanctus Judas apostolus dicit de iis, *qui in via Cain* Ibid. 11.
abierunt, *& errore Balaam mercede effusi sunt*, *& in contradictione Core perierunt*. Secundum glossam gladio malæ doctrinæ armantur in fratres ut Cain, malo consilio decipiunt ut Balaam, contra doctores se erigunt ut Core. Et alia glossa ibid. Viam Cain abeunt, qui propter invidiam meliorum nomen sibi doctorum, ut honorificentur, assumunt. Errore Balaam pereunt qui pro amore terrestrium commodorum veritatem quam noverunt impugnant. Contradictione Core pereunt qui increpatione sanctæ ecclesiæ nolunt emendari: sed appetitu indebiti primatus ab unitate ecclesiæ se dividunt. Immo sicut dicit Gregorius de hypocritis 8. lib. Moral. Paratiores erunt mori quam corrigi, quia ab imperitis æstimabuntur ut sancti. Qualis, inquit, imperitis innotuit, talis vult ab omnibus æstimari & paratior mori quam corripi, redargutione deterior redditur, quasi diræ percussionis æstimat jaculum pietatis verbum. Unde exasperatus protinus in contumelias surgit, & quæ mala exagerentur contra vitam correctoris inquirit. Demonstrare longe incomparabiliter reum reprehensorem suum desiderat, ut innocentem se non suis actibus, sed alienis criminibus ostendat. Hinc carecto, quod acutis angulis surgens sine læsione non carpitur, hypocrita comparatur, ut ibidem Gregorius dicit: Acutis, inquit, angulis surgens carectum manu non carpitur, quia exasperatis per arrogantiam sensibus, de pravitate sua hypocrita corripi dedignatur. In flore suo manum carpentis incidit, quia in laude hypocrita positus, si hunc quisquam corripere audeat, asperitate sua protinus vitam corripientis secat, sanctus quippe non esse appetit sed videri. Et cum fortasse corripitur, quasi in opinionis gloria detruncatur, deprehensum se in pravitate irascitur, loqui sibi redarguentem prohibet, quia velut in occulto vulnere tactus dolet. Impatientes igitur correctionis erunt hypocritæ pseudochristi, præcursores antichristi.

20. Nec hoc solum, sed cum vitiis aliis erunt ingrati. hinc apostol. dicit 2. Tim. 2. Tim. 3. 2.
3. quia erunt *ingrati*. Gl. de bonis, ut qui corrigentibus mala pro bonis reddunt. Sed quia prædicta vitia sub specie virtutum occultant, solerti vigilia indaganda sunt ad hoc, ut valeant deprehendi. Hinc apostolus cum enumerasset vitia supradicta, ait, *habentes speciem pietatis*. Gl. id est religionis, Ibid. 5.

quia eadem sacramenta habent cum piis, & ideo sunt periculosi, quia vix a paucis sapientibus potest eorum palliata hypocrisis deprehendi. Hinc de ipsis Apocal. 9. dicitur, quia *super capita eorum*, id est in eminentia vitæ exterioris, *tamquam coronæ similes auro*, quia prædicta vitia auro virtutum similia erunt, quibus virtutibus debetur corona. Apoc. 9. 7.

21. Quia ut Gregor. lib. 8. Moral. dicit: Per omne quod hypocritæ faciunt vel loquuntur, simplicitatem exterius exhibent: sed subtilitate interius duplicitatis callent: puritatem superficie simulant, sed semper malitiam sub specie pietatis occultant. Ad quod agendum, non tantum simulatores, sed & callidi erunt, quia nisi callidi & astuti forent, sub specie virtutum tam enormia vitia occultare non possent, sicut Gregor. dicit lib. 26. Moral. Nisi, inquit ingenio calleat, quod videri appetunt, congrue simulare non possunt; simulationis, inquit falsitatem exequi, nisi qui subtilioris ingenii fuerit non potest.

22. *Attendite* ergo vos fideles Christi, sicut evangelica veritas monet, *a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium*, Attendite, ut Rabanus dicit lib. 10. super Matth. diligentius, observate cautius, ut non seducamini, ut non circumveniamini, ut non fallamini: Attendite ergo, id est considerate quia non sunt oves, sed lupi in vestimentis ovium, quia non sunt religiosi, sed irreligiosi sub figura religiositatis, quia non sunt Christiani, sed veritate vacui, Christianorum persecutores. Nolite vestimentum considerare, sed inspicite figuram fallaciæ: apostolos prædicant, sed apostolis contraria annunciant; martyres magnificant, sed martyrum persecutores probant. Apostoli & martyres sancti non persecutionem fecerunt, sed persecutionem pertulerunt, non maledixerunt, sed maledicta sustinuerunt. Isti autem iniquissimi omnia irreligiosa implere curabunt, sanctos persecuntur, fideles opprimunt, Deum etiamsi non verbis moribus tamen blasphemant; & ideo ut diximus, in illis cognoscendis sollicite insistendum est, quia nec nisi a sapientibus & divinis hominibus simulatio illorum callida deprehendi potest; & hoc sufficiat de perversis moribus eorumdem. Matt. 7. 15.

Caput IX. *De persecutione quam facturi sunt ecclesiæ.*

1. Sane cum præcursorum antichristi hypocrisis per doctores ecclesiæ veraces cœperit detegi, & supradicta vitia amoto virtutum simulato pallio denudari, ipsi sanam doctrinam secundum apostolicam prophetiam non sustinentes, contra magistros ecclesiæ persecutionem suscitabunt, non in aperto ne mali deprehendantur; sed in occulto, per principes terræ quos in ecclesiæ odium incitabunt astutia fraudulenta. Inde in psalm. 9. de illorum capite cum suo corpore dicitur: *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem*, scilicet per ipsos divites & terræ principes. Psal. 9. 29.

2. Quod non tamen de capite dicitur quantum & de ejus membris, quæ ubique discurrendo terræ principes seducent, & illis astabunt cum eorum caput antichristus in una mundi parte sit moraturus. Hinc Apocal. 9. de præcursoribus dicitur antichristi, quia *locustæ exierunt in terram*, discipuli scilicet antichristi per totum mundum, dicit Gloss. *Et data est illis potestas sicut habent potestatem scorpiones terræ*. Gloss. scorpio blandus facie cauda pungit occulte. Unde post sequitur, quia *cruciatus eorum, ut cruciatus scorpionum cum percutit hominem*. Gloss. cum data sit potestas cruciandi, non aperte tormentant, sed apud principes sæculi accusant. Quorum persecutio semper ingravescet, quia illorum hypocrisis continue detegi non cessabit sicut ibidem sequitur, quia *vox alarum*. Gloss. id est tumultus sententiarum, *sicut vox curruum, equorum multorum currentium in bellum*. Gloss. quomodo faciunt postquam ratione deficiunt. Unde licet diversis sectis & hæresibus unanimiter ecclesiam impugnaturi sint, sicut dicit Gloss. tamen postquam illorum ratio non valet vel tumultus, quærunt auxilium principum. Idcirco sequitur, quia *habebant caudas similes scorpionum & aculei erant in caudis eorum*, principes enim, ut dicit glossa, caudæ illorum dicuntur, quia ut astringant blandiuntur & terrent. unde secundum apostolum per ipsos principes *coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus*, & hoc *secundum desideria sua*, id est qui ea doceant quæ volunt, dicit glossa, & libenter audiant; quia illis veritas aspera videbitur. Unde *a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*. Apoc. 9. 3. Ibid. 9. Ibid. 10. 2. Tim. 4. 3. Ibid. 4.

3. Sed quanto magis persequentur, tanto suas confusiones denudabunt. Inde Judas apostolus dicit, quia *fluctus feri maris sunt, despumantes suas confusiones*. Gl. semper inquieti, tumidi, & tenebrosi stabilitatem ecclesiæ impugnantes, & quanto, inquit, altius se extollunt, tanto amplius confusi quasi in spumas levissimas dissolvuntur & pereunt; & ad præmissa agenda *habent super se regem angelum abyssi, cui nomen latine exterminans*, ut dicitur Apocalypsi 9. quia per illos diabolus multos exterminabit a spirituali, & quæ in Christo est, vera vita. Jud. 13. Apoc. 9. 11.

4. Sed in hoc a Domino eorum persecutio & malitia refrenabitur, quia ut Apocal. 9.

Apoc. 9. 4. 9. dicitur, lædere non potuerunt, *nisi qui non habent signum Dei in frontibus suis*, id est, qui non audent veritatem in aperto confiteri. In hoc etiam quod corporaliter non permittuntur occidere, sed sanctos vel justos per sensus corporis cruciare, unde & terrena auferent unde vivebant, & in exsilium per principes mittent, & verberibus forsitan coërcere eos tentabunt, sed tamen corporaliter non occident. In Apocal. 9. dicitur, quia
Ibid 5. *datum est illis ne occiderent eos, sed ut cruciarent eos mensibus quinque*, id est per quinque sensus corporis.

5. Sed tamen sancti illius temporis timentes lapsum, & pejora tempora venire videntes, ac palmam martyrii appetentes,
Ibid. 6. ut ibidem dicitur, *mortem quærent & non invenient eam*, ut probatiores reddantur, & non qualitercumque quærent, sed *desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis*. Gl. quia cura gregis illos astringet labori.

6. In hoc quod dicit, quia cruciabunt sanctos *mensibus quinque*, videtur persecutionem brevitate temporis temperare. unde illis seductoribus ultimis mente circa fidem reprobis dicit B. Apostolus 2. ad Ti-
2. Tim. 3. 9. moth. 3. quia *ultra non proficient*. Gl. seducendo; sed in brevi deficient superati a catholicis: *Insipientia enim illorum erit omnibus manifesta* per prophetias evangelistæ Johannis, sicut magorum Pharaonis insipientia per Moïsen manifesta fuit.

Caput X. *De exitu illorum ab ecclesia cum seductis ab eisdem.*

1. Cum ergo illorum hypocrisis per constantes doctores detecta clare fuerit, & omnibus in palam declarata, sanam doctrinam non sustinentes, sed facti incorrigibiles, alas in altum erigent, & ipsam quam prius venerabantur ecclesiam, manifeste despicient & contemnent, & ut dicit Gregorius lib. 31. Moralium de hypocritis:
„ Elati fatuos appellabunt quos pa-
„ ce pressi ecclesiæ callida arte simulabant,
„ & sic de malo in pejus proficient, quia prius
„ bonum per sanctitatis hypocrisim ostenta-
„ bant, sed post vitam sanctorum despicient.

2. Hinc de ipsis B. Job. c. 30. sub figura
Job. 30. 1. ecclesiæ graviter conqueritur, dicens: *Nunc derident me juniores, tempore quorum dedignabar ponere cum canibus gregis mei*, id est, inter doctores gregis mei computare, quorum virtus mihi erat pro nihilo, & vita ipsi putabantur indigni. *Faciem* vero *meam con-*
Ibid. 10. *spuere non verentur*, quia non tantum in occulto, sicut ante faciebant, detrahent, sed in præsenti & in aperto ipsam ecclesiam in suis membris eiectis diversis opprobriis con-
Ibid. 10. futabunt: *Abominantur*, inquit, *me, & longe fugiunt a me*, quia & ejus vitam contemnent, & ab ejus societate recedent, qui ejus

A membra electissima antea videbantur. Unde subjungit: *Ad dexteram Orientis calami-* Ibid. 12.
tates meæ illico surrexerunt. Ad sinistram, enim, inquit Gregorius lib. 20. Moral. calamitates insurgerent, si a quibuslibet extra religionem positis, & aperte Christum negantibus persecutionum adversa sustineret. Cum vero ab aliquibus quasi fidelibus tentationem cruciamentorum patitur, quasi ad dexteram illi calamitates oriuntur, quia ii qui sub Christi nomine militant, Christi in ea nomen impugnant. Et post: Ad Orientis ergo dexteram calami-
B tates insurgunt, quia ii quodammodo ad persecutionem prosiliunt, qui electa membra redemtoris nostri esse credebantur.

3. Quas videlicet calamitates recte illico asserit surgere, quia dum non erunt extranei, qui persequuntur ab eis, repente mala & illico fiunt. Et quæ mala subjungit, Ibid.
Pedes, inquit, *meos subverterunt*, quia extrema ecclesiæ membra, quæ per pedes figurantur, ad sui dogmatis errorem trahent, & sibi conglutinatis cum magna illorum multitudine ab ipsa ecclesia a parte ipsi præcursores hypocritæ antichristi re-
C cedent. Inde ipsa ecclesia per eundem sanctum Job conqueritur, *qui in eorum multi-* Ibid. 18.
tudine vestimentum ejus *consumitur* & attenuatur. Vestimentum enim ecclesiæ fideles sunt animæ, quæ illam fidem inhærendo circumdant, ut in Isaïa ipsi ecclesiæ pro-
mittitur. *Iis omnibus velut ornamento ve-* Isai. 49. 18.
stieris. In multitudine ergo illorum ecclesiæ vestimentum consumitur, quia per præcursores antichristi, plurimi qui ecclesiæ amore adhærere videbantur, ab ipsa ecclesia separantur.

4. Hinc Judas apostolus fideles admonet dicens: *Vos autem, carissimi, memores estote* Juda 17.
D *verborum quæ prædicta sunt vobis ab apostolis Domini nostri* Jesu Christi, *qui dicebant vobis quoniam in novissimis temporibus*, Gl. tempore antichristi, *venient illusores secundum desideria sua ambulantes, non in pietate*. Sed quid erit cum eorum illusio cœperit detegi & in palam manifestari, tunc enim ab ecclesia cum seductis ab eisdem sunt
recessuri. Unde addit: *Ii sunt*, inquit, *qui* Ibid. 19.
segregant seipsos, ex quo apparet, quod sunt *animales*, unitatis *spiritum non habentes*.

5. Hinc Johannes apostolus 1. ep. c. 2.
dicit: *Nunc multi antichristi facti sunt*, quia Joh. 2. 18.
E jam suo tempore multi erant Christo & ecclesiæ contrarii, qui in corpore ecclesiæ se continere non poterant, sed inde per hæreses & schimata exierunt. *Ex quo*, inquit, Ibid.
scimus quia novissima hora est. Gl. id est similis novissimæ. Unde hoc scimus? *Quia*, inquit, *ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis;* non erant ex prædestinatis, quorum nullus extra ecclesiam finaliter exibit. *Si enim ex nobis* prædestinatis *fuissent, utique*

nobiscum permansissent. Quia igitur Johannes multos exire ab ecclesia vidit, illam horam similem novissimæ manifeste cognovit, quando iniquitatis mysterio detecto, ficti & mali de ecclesia aperte exibunt, qui ad illum antichristum novissimum pertinebunt.

6. Hinc Apostolus 2. Thessal. 2. hortatur fideles ne a fide recedunt, sed in ipsa perseveranter maneant. *Nam*, inquit, *mysterium jam operatur iniquitatis, tantum ut qui tenet teneat, donec de medio fiat*. Gl. ex Augustino sumta de libro 20. de Civit. Dei cap. 19. Quidam putant hoc dictum de malis & fictis qui sunt in ecclesia, donec perveniant ad tantum numerum, qui antichristo magnum populum faciat, & hoc esse mysterium iniquitatis, quia videtur occultum. tantum ergo *qui modo tenet teneat, donec de medio fiat*, hoc est donec exeat de medio ecclesiæ mysterium iniquitatis, quod nunc occultum est. ad quod myсterium pertinet quod Johannes ait evangelista: *Pueri novissima hora est, & sicut audistis quia antichristus sit venturus, nunc autem antichristi multi facti sunt, unde cognoscimus quia novissima hora est ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*.

2. Thess. 2. 7.

1. Joh. 2. 19.

7. Sicut ergo ante finem mundi multi exierunt hæretici de medio ecclesiæ, ita nunc aperte inde exibunt, quia non ad Christum, sed ad illum novissimum antichristum pertinebunt. Et tunc revelabitur ille iniquus. Quod congruenter figuratum fuit per Moysen & Johannem apostolum, quia in principio canonis tribus Dan a Moyse in excubiis tabernaculi locum sortitur, atque in castris ecclesiæ computatur, novissimaque omnium tribuum proficiscitur secundum dispositionem castrorum. Sed in fine Canonis, scilicet in Apocalypsi Johannis, a sanctorum numero excluditur, nec inter signatos signo Dei in apertione sexti sigilli, sub quo describitur persecutio antichristi, tribus Dan computatur, sed a sanctorum forte sequestratur; quia ministri antichristi, qui de tribu Dan orientur, primo de societate fidelium erunt, & in castris ecclesiæ locum obtinebunt; sed in fine ab ipsa se segregabunt, signoque abjecto ecclesiastico, & veste amissa nuptiali, se schimate dividentes, ipsius ecclesiæ adversarii erunt.

Num. 10. 25.

Apoc. 7. 4.

Caput XI. *Quod antichristum elevabunt, & constituent sibi regem.*

1. Sane pro exitu istorum antichristi præcursorum cum suo exercitu, dicitur Apoc. 9. *Væ unum abiit*, ab ecclesia recessit seductio locustarum, id est antichristi exploratorum; sed ob hoc non est pax, quia ecclesiæ *duo væ veniunt*; unum per ipsum

Apoc. 9. 12.

A omnium malorum caput antichristum; aliud per ejus prædicatores, quos post adventum suum & manifestationem missurus est in mundum. Et ideo ipsi exploratores ejus, ad regem Aquilonis revertuntur, ut sibi caput constituant: quo constituto, contra ecclesiam, cum suo capite revertuntur, cujus secreta cognoscentes, & munimenta infirmiora per illa irruant, & caput illud malorum omnium in ecclesiam introducant.

2. Hinc in psalmo dicitur: *Ecce Domine, inimici tui sonuerunt*, id est qui modo
B premuntur metu, in liberam vocem prorumpent. Novissima, inquit Glossa, antichristi tempora designat, *Et qui oderunt te*, odio manifesto per recessum a te *extulerunt caput*, id est *extollent*; sive levabunt non capita, sed *caput* illud quod extollitur super omne quod colitur aut nominatus Deus, id est antichristum.

Psal. 82. 2.

3. Quod apertius dicit Apost. 2. Thess. 2. quia cum *discessio* illorum manifeste a fide apparuerit, tunc, inquit. *revelabitur ille iniquus*, id est antichristus, quia illi
C extollent caput, ut quod consotum tamdiu fuerat & celatum, tamdem erumpat in regulum; in manifesto elevet antichristum, sicut dicit Glossa.

2. Thess. 2. 3.

4. Quod bene figuratum fuit in veteri testamento, sicut dicitur Judic. 9. *Ierunt*, inquit, *ligna ut ungerent super se regem, dixeruntque olivæ: Impera nobis quæ respondit, Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua dii utuntur & homines, & venire ut inter ligna promovear?* Idem dixerunt ad ficum, quæ respondit eis: *Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, & ire ut inter cetera ligna promovear? Locutaque sunt ligna ad vitem: Impera nobis. quæ res-*
D *pondit: Numquid possum deserere vinum meum, quod Deum lætificat & homines, & inter cetera ligna promoveri?* Tandem *omnia ligna ad rhamnum dixerunt: Veni & impera nobis, quæ respondit eis: Si vere me regem constituistis, venite, & sub umbra mea requiescite*. ligna enim infructuosa, homines scilicet vagi & infructuosi, cum adhuc essent in corpore ecclesiæ, celati sub hypocrisi sanctitatis, primo olivam videntur petere ut dominetur in eis, id est gratiam Spiritus-sancti;
E fingent enim se a Spiritu-sancto regi, sed pinguedinem caritatis quam habent, in electis sive angelis sive hominibus non deserit, ut inter fictos & hypocritas dominetur, quia *Spiritus-sanctus disciplina effugiet fictum*. Dicunt postmodum ut illis imperet ad arborem ficum, id est legem divinam, quia in iis quæ agent, scripturæ sacræ testimoniis se munire desiderabunt, ut ab illa videantur regi; sed ut illis simulatis & amaritudine peccatorum repletis imperet, dulcedinem suam, quam in electorum ha-

Judic. 9. 8.

Sap. 1. 5.

bent cordibus, non relinquit, fructusque bonorum operum dulcissimos refutat deserere, ut inter ligna infructuosa videatur regnare in peccatorum amaritudine. Sed cum a ficu repelluntur, dicunt ad vitem, id est Christum, dicit Glossa, qui de se ait, *Ego sum vitis vera*, Impera nobis, quia sub palliata hypocrisi videbuntur opera Christi pro aliis imitari, & quasi ab illo spiritaliter regi: sed vinum suum quod Deum lætificat, & electos homines non deserit, semper delectabiles propinando uvas, ut inter ligna infructuosa dominetur, & faciat labruscas. Isti ergo secundum Glossam in reprobum sensum dati, ut credant mendacio, a gratia, quod secundum Spiritum non ambulant, dejecti, & a ficu, id est lege divina abjecti, atque a vite vera Christo reprobati, ut non sint, sicut quod apparebant, ejus discipuli, iis relictis se convertent ad rhamnum asperum nimis & spinosum, per quod antichristus figuratur, sicut dicit Glossa, qui cum omni asperitate & feritate humanum genus vastabit; quos homines infructuosos & vagos, ut illis dominetur, sed umbra sua requiescere precatur, id est sub simulata hypocrisi, quæ illi umbram præbet, ne valeat ejus perversa malitia deprehendi, quousque ignis de rhamno exeat, id est iniquitas de antichristo aperta, quæ per hypocrisim erit primitus simulata, qua omnes qui in illo confidunt, pariter cum illo devorabit, sicut dicit Glossa.

5. Inde est quod tunc illud in veritate implebitur, quod in Antiocho rege figuratur, qui fere in omnibus figuram gessit antichristi, de cujus tempore, id est Machabæorum, legitur, quod *in diebus illis exierunt ex Israël viri iniqui & suaserunt multis dicentes: Eamus, & disponamus testamentum cum gentibus quæ circa nos sunt, & bonus visus est sermo in oculis eorum, & destinaverunt aliquos de populo, & abierunt ad regem* Antiochum, *& dedit potestatem ut facerent secundum justitiam gentium*, &c. Sicut ergo sub Antiocho factum est, ut iniqui qui recesserunt a lege, irent ad regem impium & ejus imperio se subderent, ut sic paratum esset regnum in conspectu Antiochi, & regnaret, & post ascenderet in Jerusalem *in multitudine gravi*, sanctificationemque intrando pollueret, & vasa ejus auferret; sic fiet tempore antichristi: quia multi recedentes a fide ecclesiæ, antichristum adibunt, ejus imperio se subjicient, & ab ipso magnam potestatem destruendi fidem accipient, & incipiet ipse regnare, ut contra ecclesiam ipse ascendat, plurimos, qui ejus vasa erant, auferat, & ad suam infidelitatem trahat, & ita sanctificationem ejus polluat, & sic sicut Danielis 11 scribitur, *abominationem dabunt in desolationem*.

1. Machab. 1. 11.

Ibid. 21.

Dan. 11. 31.

6. Qui ergo, ut veritas evangelica monet, qui legit, intelligat, & de Juda, id est confessione veræ fidei, ad montes, id est ad sanctorum præcedentium sublimia dicta ascendat, & inde illius ultimæ persecutionis vibrantem gladium prævideat, ut evadere mereatur, ne in curis hujus sæculi dormitans & habitans super terram peccantium in delubris voluptatis, super eum veniat illa repentina dies, quæ, teste Veritate, superveniet in omnes qui sedent super faciem terræ, id est, quiescunt in illecebris hujus mundi, & ita infideliratis laqueis, ne fugere valcat, involvatur. De qua seductoria persecutione plurima in sacris litteris sub ænigmatibus & occultis allegoriis prædicuntur. Ideo huic secundo libro finem damus, ut in alio libro illi futuræ per antichristum ultimæ persecutioni prolixius intendamus, & eam prout Dominus, qui de hac scribere inspiravit, misericorditer dederit, plenius describamus.

INDEX CAPITUM

tertiæ Partis.

CAPUT I. *Quod antichristus contra ecclesiam veniet, & quare contra eam venire permittetur.*
CAPUT II. *Quod veniet de Judæis, & ubi nascetur aut nutrietur.*
CAPUT III. *De hypocrisi & ejus simulata sanctitate.*
CAPUT IV. *Quod aliam legem multa sanctitate palliatam nitetur introducere.*
CAPUT V. *De ejus pseudoprædicatoribus quos sparget in mundum ad illam publicandam.*
CAPUT VI. *Quod per iniquos principes terræ recipietur tempestive.*
CAPUT VII. *De trifario modo illius deceptionis futuræ.*
CAPUT VIII. *Quod per principes terræ majores doctores occidet ecclesiæ.*
CAPUT IX. *De cessatione prædicationis evangelicæ, & quod recipietur a Judæis.*
CAPUT X. *Quod interdicet celebrari in palam sacramenta legis novæ.*
CAPUT XI. *De adventu Enoch & Eliæ in redargutionem illius & Judæorum, & illorum ad Christum Dominum conversione.*
CAPUT XII. *Quod antichristus vincet illos, & mulctabit corporali morte.*

CAPUT I. *Quod antichristus contra ecclesiam veniet, & quare contra eam venire permittetur.*

1. Dominus noster JESUS CHRISTUS de suo adventu signa in evangelio dans ecclesiæ, ne pro ipso reciperet antie

christum, adoraretque diabolum cum sua imagine ante adventum suum, evangelio in omibus mundi partibus prædicato, impletoque tempore nationum, adventum promisit antichristi dicens: *Cum videritis abominationem desolationis quæ dicta est a Daniele, stantem in loco sancto, qui legit intelligat*, in quo & prophetias sollicite considerare monuit, & maxime prophetiam sancti prophetæ Daniel, & quæ de illa abomi natione in scripturis sacris dicuntur, magnis obscuritatibus involvi & sub mysticis figuris occulte celari signavit, cum dicit: *Qui legit*, inquit, *intelligat*, quasi diceret ad intelligendum magna solertia & consideratio acuta requiritur, ut quæ de illa abominatione dicuntur, altius penetrentur.

Matth. 24. 15.

2. Neque enim de aliquo dolo per manus hominis figurato in templo Dei posito, difficile est intellectu quod abominatio posita sit in loco sancto, ut Dominus tam sollicite hoc moneret scrutari; sed de illo damnato dicit homine, qui super Deum se efferet, ut purus homo tamquam Deus se expetat adorari, & velut idolum stabit in loco sancto, dicente de illo prophera Zacharia: *O pastor & idolum dispergens gregem*. Inde psalmista ad ipsum omnium malorum caput mentis oculos dirigens, ait: *Exurge Domine ne confortetur homo*, purus: dicit Glossa non Deus, sicut finget: *Judicentur*, inquit, *gentes*, id est gentiliter vi ventes in pecatum per ipsum præcipitentur. Et hoc quod dicitur de antichristo est; *in conspectu tuo*, id est in occulto & pauci sancti & justi vident & intelligunt. Quod idem Daniel 12. dicitur, quia *non intelligent omnes. Porro*, inquit, *docti intelligent*.

Zach. 11. 17. Psal. 9. 20. Ibid. Dan. 12. 10.

3. Qui ergo ista scripta legit, si alicubi, quod absit, erramus, humanæ infirmitati indulgeat, quod & vir desideriorum Daniel in hac visione cogitationibus conturbatur, & ad visionem post interpretationem angelicam stupet & conqueritur quod non sit qui interpretetur.

Dan. 10. 15.

4. Quæ ergo de illis temporibus a prophetis sunt prædicta a Domino & prophetis predicata & a sanctis exposita, pro aliquanta parte fidelium in unum colligemus, & ordinabimus: quo autem ordine eveniant illius temporis sanctos magis docebit experientia, quam attingere nostra intelligentiæ parvitas possit: eo tamen modo magis secundum scripturarum seriem ventura sine præjudicio credimus, quo enumerabuntur a nobis.

5. Cum igitur, ut in libro perstrinximus præcedenti, de medio ecclesiæ ficti exierint & hypocritæ præcursores antichristi, qui sibi sede parata, ut incipiat regnare teste apostolo, ille revelabitur antichristus, qui singulariter nuncupatur iniquus, & ad ecclesiam debellandam veniet ex gentibus

A congregatam, & in omnibus mundi partibus dilatatam.

6. Inde Ezechiel. 38. dicitur ad Gog principem exercitus, malorum principem omnium, *In novissimo annorum venies ad terram quæ reversa est a gladio, & congregata est de populis multis, ad montes Israël qui fuerunt deserti jugiter. Hæc de populis educta est & habitaverunt in ea confidenter universi*. Illa quæ de populis multis congregata dicitur, ecclesia agnoscitur, cujus montes ii sunt, qui in ea vel sanctitate vel sapientia ceteros excedunt, prius deserti postea restituti.

Ezech. 38. 8

B Scimus enim quod ante fidem gentilitas diserta fuerit, & per ejus fidem in Dei gratiam sit restituta, quæ prius abjecta fuerat & hostibus exposita, ut per Christi conjunctionem diversis turrita montibus & terribilis hostibus redderetur. Ad hanc igitur, ut Radulphus 18. lib. sup. Levitic. dicit, » ascensurus est Gog cum exercitu suo in » novissimo annorum, id est in fine tempo- » rum, ut diripiat spolia & prædam invadat.

7. Hujus maligni per prophetam arguitur cogitatio. quia post diuturnam ecclesiæ pacem quasi tempestas veniens, dum

C repentinum se ingerit, eo magis insidias suas valere suspicatur, in quo securis & quiescentibus præsentatur.

Ibid. 11.

8. Hinc Johannes Apocal. 20. dicit, quia *cum consummati fuerint mille anni*, id est, totum illud tempus quo plenitudo gentium intrat ad fidem videlicet per millenarium qui perfectus est numerus figuratum, solvetur satanas, ut in gentibus pristinam recipiat potestatem, & exiet de carcere suo, de cordibus scilicet reproborum infidelium in quibus inclusus est, ne sæviat quantum velit aut possit; & ad hoc exiet, ut sedu-

Apoc. 20. 3.

D cat, id est a Christo ad se ducat gentes quæ super quatuor angulos terræ Gog & Magog. Et cum illas per pseudoprophetas seduxerit, sicut infra ostendetur, congregabit eas in prælium contra ecclesiam Christi, unde ascendentes super latitudinem latam ingredientes quæ ducit ad mortem, castrum sanctorum cingent, & dilectam civitatem, id est Christi ecclesiam in omnibus mundi partibus diffusam & ex gentibus congregatam, ut enim ait Augustin. lib. 20. de Civit. Dei cap. 11. Hæc »

E erit novissima persecutio, novissimo immi- » nente judicio, quam sancta ecclesia toto or- » be terrarum patietur, universa scilicet civi- » tas Christi ab universa civitate diaboli, » qnantacumque erit utraque super terram. » Gentes quippe, quas Johannes appellat Gog a Magog, non sic sunt accipiendæ tanquam sint aliqui in aliqua parte terrarum barbari constituti, sicut quos quidam suspicantur Getas & Messagetas, propter horum nominum litteras, primas, sicut ali- qui

quos alios & alienigenas & a Romano jure sejunctos. Toto namque orbe terrarum signati sunt isti esse, cum dictum est nationes quæ sunt in quatuor angulis terræ, easque subjecit, esse Gog & Magog. quorum interpretationem nominum comperimus Gog tectum & Magog detectum tamquam domus, & ipse qui procedit de domo, quia & ipsa sunt tectum diaboli, & ille de tecto tamquam de latebris odiorum erumpet in apertam persecutionem per illos in quibus antea tegebatur.

9. Et quam seductionem implendam, sicut dicit B. Ambrosius super epist. 2. ad Thess. Romano deficiente imperio, sciens diabolus sibi imminere, subornabit sibi, in quo, & per quem signa quædam virtutis permissu justi Dei faciens, se commendet, ut adoretur quasi sit Deus, & illis seductis gentibus illum constituet caput, qui sibi hypocrisi sanctitatis singularis erit iniquus.

10. Sed quare contra suum, ut & jam prævaleat illi, talem adversarium & tantum Deus venire permittet? Quare misericors & pius, qui mortem non vult peccatorum, sed conversionem, permittet illum venire in omni virtute signorum & prodigiorum? ut seducat homines, sicut divus Augustinus dicit lib. de Civit. Dei 20. c. 8. Si numquam satanas solveretur, minus appareret hujus maligni potentia, minus sanctæ civitatis fidelissima patientia probaretur, minus denique prospiceretur quam magno ejus malo tam bene fuerit usus omnipotens, ut eum nec omnino abstulerit a tentatione sanctorum, ut ejus forinsecus impugnationem profiteretur.

11. Unde psalmista quasi conquierens de tanta tribulatione sanctorum, ut ab eorum auxilio Dominus recessisse videatur, ait: *Ut quid Domine recessisti longe*; sed statim ex hoc sanctorum profectum intellexit, *despicis*, inquit, *in opportunitatibus, in tribulatione*, id est opportune tribulari permittis. Quare? quia *dum superbit impius, inceditur pauper*, id est in Dei amore pauper spiritu inflammatur, & inde purificatur. tentatione, inquit Glossa: Nam & peccantium boni magno, studio magnæ spei accenduntur ad recte vivendum. nec solum hoc promittet, ut ipsa tribulatione boni purgentur, & inflammentur ad bene vivendum, sed ut de tanti adversarii victoria in Domino glorientur.

Psal. 10. 1.

Ibid. 2.

12. Unde August. lib. de Civit. Dei 20. cap. 8. Solvetur, inquit, in fine, ut quam fortem adversarium Dei civitas superaverit, cum ingenti gloria sui redemptoris, adjutoris, liberatoris aspiciat. Veniet ergo in omni virtute signorum & prodigiorum mendacium, ut & in illis cavendis ecclesiæ sanctæ examinetur sapientia & ejus probetur erga Christum amicitia, quæ nec minis & terroribus; nec signis & virtutibus ab ejus potuit amplexibus separari, nec ut loco ejus alium reciperet abstrahi, nec ab ejus lege & mandatis avelli. veniet, ut Apostolus dicit: *in omni seductione iniquitatis*, non omnibus, sed *iis qui pereunt*, quia & digni sunt, *eo quod caritatem veritatis non receperunt*, id est Christum, qui legem attulit veritatis & caritatis: non receperunt, dicit, quia intelliguntur non recepisse, vel qui factis negant vel qui usque ad finem in confessione fidei non durabunt, aut qui fidem Christi, nec saltem specie tenus receperunt, isti a diabolo seducentur, ut pro Christo recipiant antichristum, & in ejus seductione peribunt. De illa enim prædestinatorum civitate nullus peribit, quia qui æterna electione a patre Christo dati sunt, de manibus ejus nullus rapit, nec diabolus, nec ejus imago antichristus.

2. Thess. 2. 10.

13. Hinc in Apocal. dicitur: *Surge & metire templum Dei & altare, & adorantes in eo: atrium autem quod est foris templum Dei, ejice foras & ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus & civitatem sanctam calcabunt mensibus* 42. Templum Dei ecclesia est prædestinatorum, altare Christus est, in quo & per quem Deus a sanctis adoratur in spiritu & veritate, qui metiri & signari præcipiuntur, ut nullus a diabolo seducatur, qui ad hoc altare pertineat prædestinatione æterna.

Apoc. 11. 1.

14. Atrium vero exterius secundum Glossam, falsi sunt Christiani, qui se esse de ecclesia simulant, sed factis negant. Ii vero non metiuntur, quoniam dati sunt gentibus, conformes facti sunt gentiliter viventibus, & ipsi cum capite suo antichristo civitatem sanctam, id est electorum, calcabunt, id est corporaliter prævalebunt, & affligent mensibus 42. id est tribus annis & dimidio. tantum enim durabit illa extrema persecutio. Absit enim, ut August. dicit lib. 20. de Civit. Dei, cap. 8. Quod ab illo ecclesia seducatur prædestinata & electa ante mundi constitutionem de qua dictum est: *Novit Dominus qui sunt ejus*. idcirco eleganter Veritas dixit, quia si fieri posset, in illa seductione electi deviarent. non affirmavit simpliciter quod deviarent, sed si fieri potest, inquit: quod fieri non potest, quia æterna Dei electio non frustratur.

Mat. 24. 24.

15. Duo igitur in solutione satanæ beatus Johannes futura prædicit, scilicet seductionem hominum perditorum; & *seducet*, inquit, *gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ*, & seductorum concordi voluntate adversus sanctos *in prælium congregabit*, inquit Glossa, non localiter sed mente. Prius ergo præcurret seductio, ut bellum illud ultimum sequatur & maximum: unde ut Glossa dicit super Psal. 9.

Apoc. 20. 7.

ista persecutio fraudulenta pariter erit & violenta. Idcirco primo est consideranda fraus unde seductio sequitur, ut ad illud bellum ordinate considerandum veniatur, & de persona illius est agendum, per quem fraus & dolus parabitur, & supra quam credi potest, ut sanctus Daniel propheta dicit, *prosperabitur & universa vastabit.* Dan. 8. 24.

Caput II. *Quod veniet de Judaeis; & ubi nascetur aut nutrietur.*

1. Sicut dicit B. Ambrosius super secundam epistol. ad Thessalonic. Sciens diabolus novissimo tempore sibi imminere interitum, de coelo projectus in terram, ut in Apocal. dicitur, atque ad totam malitiam exercendam solutus, subornabit sibi perditum hominem, in quo & per quem signa quaedam virtutis permissu Dei faciens, se commendet, ut adoretur quasi sit Deus. imitabitur inquit illum, ut sicut filius Dei divinitatem suam homo natus vel factus signis ac virtutibus demonstravit, ita & satanas in homine apparebit, ut virtutibus mendacii ostendat se Deum. Apparebit dicit, non quia hominem assumat in unitate personae, sicut filius Dei, sed quia in omnibus ejus actibus virtus operabitur diaboli, qui illum totum possidebit. hinc 32. lib. Moral. Gregor. dicit. Quia parvulum cornu oritur, eo quod purus homo generatur.

2. Hinc & Damasc. lib. 4. cap. 8. dicit: Non igitur ipse diabolus fit homo secundum divinam humanationem, absit: sed homo ex fornicatione generatur, ut suscipiat omnem actum satanae. praesciens enim Deus iniquitatem ejus futurae voluntatis; concedit habitare in eo diabolum. Homo ergo purus erit ex peccatoribus in fornicatione conceptus, & ex Judaeis creditur esse venturus. Inde prophetia est sancti Jacob, quod de tribu Dan nascatur. Et tu *Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro.* quod de antichristo papa exposuit Gregorius lib. 31. Moral. in hunc modum. Gen. 49. 17.

3. Nonnulli, inquit, de tribu Dan & coluber asseritur & mordens de equo; & per prophetam Jeremiam dicitur: *a Dan auditus est fremitus equorum ejus.* qui non solum coluber, sed cerastes vocatur, qui serpens cornutus esse perhibetur, per quem digne antichristi adventus asseritur, qui contra vitam fidelium cum morsu pestiferae praedicationis armatur, etiam cornibus potestatis. Jer. 8. 16.

4. Hinc est quod per Abimelech figuratur, qui natus est de ancilla, quia & ipse nativitatem sortietur de synagoga, sicut Gl. dicit Judicum 9. Concubina synagoga est, de qua in novissimis diebus filius nequam, id est antichristus generandus est filius ancillae, id est synagogae peccatricis. Hinc & propheta Isaias cap. 40. de Judaeis dicit: *Qui comederit de ovis eorum morietur, & quod confotum est.* Gl. nutritum ex ovis, id est ex Judaeis, *erumpet in regulum.* Gl. antichristum regem omnium malorum. quia inquit Gloss. sicut ex ovibus aspidum regulus oritur, qui & basiliscus dicitur, ita ex Judaeis antichristus, qui flatu suo, id est venenoso sermone multos occidet volantes ad patriam coelestem, sicut basiliscus flatu suo occidit aves per aëra volantes. Judic. 9. 18. Isa. 59. 5.

5. Unde & Ambrosius super secundam epistolam ad Thessalonicenses dicit. Quamobrem, inquit, ex circumcisione atque circumcisum illum venire sperandum est, ut sit Judaeis credendi illi fiducia. Sed tamen ita nativitas primitus erit occulta, ut comprehendi non possit. quia & de tribu Dan generari creditur ex parte tantummodo matris, patrem habens ex peccatoribus & fictis Christianis; & quia mater ejus per susceptionem sacramentorum ex ecclesia forsitan erit.

6. Unde secundum Radulphum super Levitic. lib. 18. Per illum figuratur filius mulieris Israëlitis quem peperit de viro Aegyptio, qui jurgatus in castris cum viro Israëlita, Dominum maledixerit, cujus mater erat Salimuth filia Dambri de tribu Dan. Ille ergo, ut Radulphus dicit, qui dum ecclesia solemnia disponet, & Dei servitio erit intenta, arcanum ejus irrumpens in castris Christianae militiae, jurgia excitabit, antichristus est. Nam quod mulieris Israëlitis dicitur filius, hoc praesignare videtur, quod iniquus ille de ecclesiasticis parentibus nasciturus sit, & inter filios matris ecclesiae fidei sacramenta primo suscepturus, unde & inter filios Israël natus perhibetur; alioquin fieri non posset quod testatur apostolus, ut ad homines ecclesiasticos perveniret, & in templo Dei, videlicet in fidelium societate, cathedram dignitatis acciperet, nisi eos a quibus ordinandus est, affectata primitus fidelium forma deciperet.

7. Mater ergo ejus de tribu Dan erit, & per susceptionem sacramentorum ecclesiasticorum inter Israëlitas Christianos secundum Radulphum computatur, sed pater Aegyptius dicitur, propter nigredinem peccatorum, ut ejus fornicatione homo peccati nascatur super omnes peccator & Aegyptius, quia totus a diabolo possidebitur, ut ejus instinctu peccatores omnes scelerum immanitate transcendens, homo peccati specialiter per apostolum nominetur, & appropriate filius perditionis dicatur.

8. In quo vero loco nascatur Nahum propheta videtur dicere, quod nasciturus sit in capite regni Assyriorum Babylone.

Hinc Nahum propheta capiti regni Assyriorum loquitur dicens, secundum aliquos. Nah. 1. 11. *Ex te*, inquit, *exibit cogitans contra Deum malitiam, mente pertractans prævaricationem*, quia ille iniquus, qui de Babylone est nasciturus, in Apocalypsi dicitur: Deum blasphemabit & ab ejus lege secum prævaricari faciet alios legem Dei.

9. Inde & Glossa dicit Danielis 11. super illud, *& Deum patrum suorum non reputabit*. Dan. 11. 37. Gl. Abraham, Isaac & Jacob de quorum progenie nascetur in Babylone antichristus, sicut aiunt, de tribu Dan. Sed quia nec in illa Assyriorum Babylone modo conversantur Judæi, nec Christiani nisi in captivitate, & illi secundum B. Augustinum, secunda Babylon successit, de qua Petrus scribit ad Romanos, *salutat vos ecclesia quæ est in Babylone*, 1. Pet. 5. 13. sollicite indagandum est, ne forsitan de ista secunda oriatur Babylone, quæ successit primæ, maxime quia propheta Daniel dicit, quod de medio decem cornuum imperii Romanorum cornu illud parvulum orietur. Dan. 7. 8.

10. Et Ambrosius dicit super 2. epist. ad Thessalon. quod tentabit ille iniquus in fortitudine Romanum imperium, sed sub suo nomine. de hoc tamen nihil est temere asserendum, quia forsitan nativitatis ejus locus erit ignotus, alibi quam in Babylone nutritus, sicut Dominus Christus propter conversationem & nutritionem de Nazareth Galileæ, non de Bethleem Judæ natus a pluribus credebatur.

11. Ubi vero educetur non videtur per scripturas posse probari, quamquam aliqui catholici dixerint, quia in Corosaim & Bethsaida conversabitur, quia iis civitatibus Salvator spiritualiter væ improbat damnationis æternæ. Sed cum illud improperavit Salvator, quia multis in illis factis virtutibus, ad ejus prædicationem pænitere noluerunt, ex hoc nihil videtur sufficienter ostendi, cum & illæ civitates diu & forsitan perierint, aut nomina alia sortitæ sint. Verisimile tamen videtur quia Judæos decepturus est, & se Christum fore mentietur, quia in illis partibus conversabitur. Ubicumque tamen conversetur, certum est quia secundum Damascenum totus a diabolo possidebitur, & in omni fallacia & arte magica, unde possit eludere homines, instruetur, atque in omni ficta sanctitate veniet, & Christianorum amicum primitus se finget. De cujus simulatione & hypocrisi aliquid nunc annectendum est.

CAPUT III. *De hypocrisi & ejus simulata sanctitate.*

1. DE hypocrisi & simulata sanctitate antichristi, non credat aliquis, quomodo a nobis valeat explicari, cum ut B. Augustinus dicit super psalmum 9. totam nequitiam & impietatem, quam sub palliata pietate omnes pseudoprophetæ inchoaverunt, impleturus sit, & tanta fictæ sanctitatis signa facturus, ut decipiat si fieri potest etiam electos.

2. Unde Job. 40. dicitur: *stringit caudam suam quasi cedrum*: Job. 40. 12. quia ut Gregorius lib. 32. Moral. dicit, tantis signis & prodigiis fictæ sanctitatis illum diabolus elevabit, ut aliorum mensuras hominum & honoris culmine & signorum potestate transcendat. Ideo sicut ejus possessor diabolus, qui ad omnem implendam seductionem illum assumit, in paradiso Dei omnes naturæ nobilitate transcendit, ut a propheta dicatur, quia cedri non fuerint altiores illo in paradiso Dei, nec abietes adæquarent summitatem ejus, & omnis lapis pretiosus operimentum ejus fuerit, id est omnes angelicas virtutes, quæ nomine cedri & abietis sunt figuratæ, naturæ suæ nobilitate superaverit, & comparatione illorum clarior fuerit, propter quod dicuntur ejus operimentum: ita ille damnatus homo per simulationem sanctitatis, in Dei ecclesia omnes superabit; alioquin ipsum venturum apostolus non diceret in omni virtute signorum & prodigiorum mendacium; alioquin nec Dei filius credi posset aut Deus, de quo unicuique certum est, quod nihil a Deo melius cogitari potest.

3. Inde August. super psalm. 9. dicit, quia hominibus talia locutus est, ut bonus & justus, ac Dei filius videatur. Hinc Hilarius lib. 9. de Trinitate dicit, quia in nomine Patris se venisse fallet, & mendacio primi nominis gloriabitur quem homines honorabunt atque ab eo honorabuntur; & sic spiritum erroris excipient, honoremque ejus qui est solus Deus, non quærent.

4. Unde Johannes in Apocalypsi in apertione sexti sigilli, ubi adventus ejus declaratur, ait: *Cum aperuisset sextum sigillum, terræ motus factus est magnus*, Apoc. 6. 12. quia terreni homines in illum admiratione movebuntur; *& factus est*, inquit, *sol niger tamquam saccus cilicinus*. Gl. illi in quibus Deus lucet reputabuntur rei & peccatores, claritatem suam in se retinentes; *& luna facta est sanguis*, quia ecclesia in ejus comparatione peccatrix & sanguinolenta apparebit: nec solum super ecclesiam magnificabitur, sed etiam *usque ad* Christum *fortitudinis principem*, Dan. 8. 11. ut Daniel 8. dicitur; *magnificatus est*.

5. Cum ergo, ut Daniel. 7. dicitur, Imperium Romanum in diversas minutias, quæ per decem reges signantur, divisum fuerit, illud cornu parvum & modicum orietur, quod postmodum virtute diaboli tantum crescet, ut grande fiat contra meridiem & contra orientem, & contra ec-

clesiæ fortitudinem. Primo enim inter alios primus reputabitur, nec illi honor regius tribuetur: Unde Dan. 11. *Non tribuetur ei honor regius & veniet clam.* Gl. clementiam simulans; *& obtinebit regnum in fraudulentia.* Gloss. in fine mundi antichristus surget de gente modica, id est populo Judæorum, tam humilis atque despectus, ut ei non detur honor regius, sed fraudulenter obtineat principatum: & hoc, quia simulabit se esse ducem fœderis, id est legis & testamenti Dei. Et bene fraudulenter, quia ut Augustinus dicit super psalm. 9. per nefarias artes ad id vanum & inane gloriæ culmen venturus est.

Dan. 11. 21.

6. Hinc & Danielis 8. dicitur, quia *dirigetur dolus in manu ejus*, sicut & lib. 32. Moral. Gregor. dicit: Dolus in manu ejus dirigetur, quia in illo fraus per opus adjuvatur: nam quidquid mendax lingua simulat, hoc quasi verum esse manus operis ostentat. Unde sicut idem Daniel dicit, *cum creverint iniquitates, consurget rex impudens* facie, id est mente exterius pudicitiam simulabit, cum summus hypocritarum futurus sit; *& intelligens propositiones*, doctus in omni mundana sapientia, ut divinam sibi arroget, quia ut glossa præmissa dicit, utriusque testamenti primitus ducem se finget, in quibus omnis hypocrisis consummatur, ut ad manum scripturas habeat, & secundum illas bona opera exterius, cum intus sit dolus, ostendat; & hac fraudulentia inter Christianos culmen dominationis usurpabit, qui post modum illorum maximus adversarius erit.

Dan. 8. 25. Ibid. 23.

7. Et hoc non sine causa a Deo permittitur, sed propter peccata populi: Hinc Job. 34. Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi: Quod exponens Greg. lib. 36. Moral. ait: in eo quod dicitur qui regnare facit hominem hypocritam propter populi peccata, potest ipsum omnium malorum caput antichristus designari. Seductor quippe ille tunc sanctitatem simulat, ut ad iniquitatem trahat. Sed propter populi peccata regnare permittitur, quia nimirum tunc ipsi sub illius regimine præordinantur, qui digni ejus dominio ante sæcula præsciuntur; qui peccatis subsequentibus exigunt, ut sub illo indiciis præcurrentibus disponantur. Ille, inquit, principaliter hypocrisim sumit, qui cum sit damnatus homo & nequam spiritus, Deum se esse mentitur, sicut non in principio, sed in fine suæ tyrannidis ostentabit, ut postea Domino juvante dicetur.

Job. 34. 30.

8. Inter catholicos vero primitus formam sacramentorum suscipiens, & fidei Chistianæ justitiam simulans, ut Radulphus super Levitic. dicit, tantam hypocrisim simulabit, ut vita illius non valeat ab hominibus quantumcumque sapienti- bus reprehendi.

9. Hinc B. Job. 21. de illo dicit: *Quis arguet coram eo viam ejus.* Quod exponens Gregor. lib. 15. Moral. ait: Cum B. Job de omnium malorum corpore loqueretur, subito omnium ad caput iniquorum verba convertit. Vidit enim quod in fine satan hominem ingrediens, quem sacra scriptura antichristum appellat, tanta elatione extollitur, tanta virtute principatur, tantis signis & prodigiis in sanctitatis ostensione se elevat, ut argui ab homine ejus facta non valeant, quia cum potestate terroris adjunguntur etiam signa ostensæ sanctitatis. Quis ergo arguet coram eo viam ejus? Quis videlicet hominum illum increpare audebit, cujus visum ferre pertimescet. Per hypocrisim igitur omnimodo ostensæ sanctitatis inter Christianos primitus numeratus, latibulum diaboli erit.

Job. 21. 31.

10. Hinc est quod tribus Dan per sanctum Moïsen in castris Domini computatur, & ultima proficiscitur, atque ad aquilonem locum excubandi sortitur: Quia ut Radulphus super Levitic. lib. 18. cap. 1. dicit; ille cum magna sui exercitus portione, qui de tribu Dan venturus promittitur, primum castris fidelium consociabitur. Sed B. Johannes in Apocal. cum persecutionem ultimam describeret, in apertione sexti sigilli tribum Dan a numero fidelium sequestrat; quia ille qui de prole Dan ad illam persecutionem consummandam futurus expectatur, post infidelitatem fidelium societatem cum fictis, quos secum trahet, qui cauda est diaboli, fidelium erit adversarius. Hinc Damascenus dicit lib. 4. cap. 18. Repente, inquit, insurgit & elevat se, & imperat, & in primordiis quidem regni sui, magis autem tyrannidis, dissimulat justitiam; cum autem fuerit dominator factus, persequitur ecclesiam Dei, & manifestat omnem iniquitatem suam. De cujus manifestatione paululum differendum est.

Caput IV. *Quod aliam legem multa sanctitate palliatam, nitetur introducere.*

1. Sicut B. apostolus Paulus dicit: *In novissimis diebus quidam discedent a fide*, sicut ei Spiritus-sanctus revelavit, *attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, cauteriatam habentium suam conscientiam*, hoc est, sicut Ambrosius dicit, corruptam. Sicut enim, inquit, cauterium corium corrumpit & notam infligit, ita & fallacia conscientiarum. Jam enim immutari negat, ut salventur, quia sicut cauteriis immutari non potest, ita nec illorum animus emendari.

1. Tim. 4. 1.

2. Cum ergo illorum hypocritarum discessio a fide impleta fuerit, secundum apostolicam doctrinam, 2. Thessal. 2. refrigescente

gescente caritate, quasi jam sibi parata sede *revelabitur ille iniquus*, inventa occasione, ut suam nequitiam possit manifestare. Unde sollicite considerandum est, quod dicit Apostolus Dei spiritu plenus, & in quo loquebatur Christus: *Revelabitur ille iniquus*. Non dixit: veniet ille iniquus, sed revelabitur, inquit, quia jam in mundo erat, sed occultus non apparebat, quia sub hypocrisi inter catholicos se celabit, ut tempus expectans idoneum suæ revelationis.

2. Thess. 2. 8.

3. Inventa ergo occasione per recessum hypocritarum a fide, revelabitur & *extolletur* sicut in Psalmo 82. dicitur, quia qui modo premuntur metu, in liberam vocem contra ecclesiam erumpent, ut Glossa dicit; quæ locutio quia irrationabilis erit, licet rationis simulatione pallietur, sonitus nuncupatur. *Et qui*, inquit, *oderunt te, exiülerunt caput*. Glos. id est, antichristum.

4. Hoc est quod Apostolus dicit, quia per discessionem a fide *revelabitur ille iniquus*, cujus nequitiam cum corpore suo propheta exprimit dicens: *Super populum tuum malignaverunt consilium*, id est, ad hoc caput elevabunt, ut populum tuum deprimant, & consilia occulta contra illum ineant. Nec tamen consilium malignum inierunt contra mediocres, sed contra viros sanctos & cœlestes, qualiter scilicet illos seducerent. *Dixerunt enim, venite & disperdamus eos de gente*, id est, nomina Christianorum; qui una propter fidei unitatem & sacramentorum communionem dicunt deleamus de terra, ut *non memoretur nomen Israël ultra*, id est, Christianorum nomen, qui se dicunt & vere sunt Israël. Sed illorum malignum & seductorium consilium, quo prædicta consummare intendunt, nobis propheta innuit subdens: *Quoniam cogitaverunt unanimiter* simul caput cum membris, antichristus cum suo corpore. Quid cogitaverunt, ut nomen Christianum delerent, ut *adversus te* disponerent *testamentum*, aliud scilicet a testamento novo. *Adversus te*, inquit, *disposuerunt*, id est, disponent *testamentum*; & unde disponent, quia magna astutia & calliditate illud ordinabunt & fulcient, perverse intellectis auctoritatibus scripturarum, ut ita videatur rationabiliter inventum, atque tanta sanctitate palliatum, ut apud iniquos obfuscare videatur Christi Domini evangelicum testamentum. alioquin per illud non posset ad se ille iniquus trahere Christianos, aut multitudinem doctorum Christianorum, sicut post ostendetur. Quod simulabunt propter apparentiam sanctitatis & fictæ caritatis, a Spiritu-sancto datum, cum, spiritu mendacii instigante, inventum fuerit per ejus ministrum antichristum, sicut propheta: *Constitue, Domine, legislatorem super eos*, Gl. id est antichristum, super quo Augusti-

Psal. 82. 4.

Ibid. 5.

Ibid. 6.

Psal. 9. 21.

nus dicit in originali: Videtur, inquit, mihi antichristum significare, de quo Apostolus dicit: *cum revelabitur homo peccati*. hoc enim, scilicet promulgatio alterius legis, initium erit revelationis ejusdem. 2. Thess. 3. 2.

5. Hinc Daniel de ejus apparitione dicit: *Ecce*, inquit, *oculi quasi hominis erant in cornu isto*, id est, in antichristo, quia videtur rationalis in hoc testamento promulgando, *Et os loquens ingentia*, magna scilicet mysteria discutiens. Unde & idem Daniel alibi dicit, quia *cum creverint iniquitates, rex impudens facie consurget, & intelligens propositiones*. Et ideo caute, id est, ut angelus Danieli exposuit, tentabit mutare tempora & leges, in tantam elatus superbiam, ut Glossa dicit, ut leges & cæremonias mutare conetur. Hinc & Antiochus rex nequissimus, qui populum Dei sub synagoga persecutus est, præsignavit antichristum, quia sicut ille iniquus impiis qui ex Israël exierunt, *potestatem dedit* in principio suæ tyrannidis, *ut in Jerusalem facerent justitiam gentium*, ita ille singularis impius antichristus & hypocrita summus, fictis & hypocritis, qui ab ecclesia exibunt, in principio suæ dominationis, legem novam tradet, ut introducatur in Christi ecclesia.

Dan. 7. 8.

Dan. 8. 23.

Mach. 1. 14.

6. De ista lege quidam arbitrati sunt, quod revocet ad cultum idololatriæ & sacrificia gentium idololatrarum; quidam dicunt quod nitatur introducere, primo ad statum pristinum revocare sacrificia Judæorum, quia illi sunt eum recepturi pro Christo, ut dicetur. Sed quia majores de ecclesia, & qui in ea per sapientiam ut aurum lucere videbantur, secum trahet, ut sicut scriptum est, sub ipso & ejus invento fallaciter testamento, sint radii solis, non videtur verisimile quod idolorum sacrificia introducat ac cæremonias Judæorum: maxime cum Apostolus dicat, quia venturus sit in omni seductione iniquitatis. Unde videtur credibile quod novam doctrinam afferet in mundo, quam scripturis sacris palliabit, quia & in illis super alios doctus videbitur; alioquin non sibi scripturas usurparet, ad id devenire non posset ut filius Dei crederetur.

7. Legem ergo novam introducet tanta sanctitate palliatam, ut non ab homine, sed a Deo credatur esse inventam & traditam. Unde ipse qui malorum omnium caput, omnem malorum præcedentium astutiam est impleturus, signis fictæ sanctitatis illam palliabit, & ut misericors & benignus videatur instabit, quia signa sua, quantum possibile erit, summo Deo simulabit, pariterque novit quia per communionem temporalium fides catholica valde crevit, sicut de ejus membro legitur apostata Juliano in historia tripartita, quia volens homines ad idololatriam revocare, benignus erat in

pauperes, & quia compererat fidem catholicam misericordiæ operibus plurimum excrevisse, sacerdotibus idolorum constituit, ut & ipsi in suos pauperes essent benigni & misericordes, & de suis facultatibus præcepit ministrari. nisi enim ejus lex sanctior appareret, non posset recipi, derelicta lege Christi.

8. Hanc legem signis & miraculis mendacibus, quia ad mendacium trahent, virtute diaboli & magica arte sublimabit, ut sicut B. Augustinus dicit super psal. 9. quanto signa illa videbuntur hominibus mirabiliora, tanto Christi evangelium & sancti qui illud observabunt contemnantur, & quasi pro nihilo habeantur. Ideo & Apostolus dicit, quia *adventus ejus est secundum operationem satanæ, in omni virtute signorum & prodigiorum mendacium.* (2. Thess. 2. 9.) Et secundum Ambrosium, portenta mendacii, dicit Apostolus, quia per illa se credi vult quomodo non est, & ita ad mendacium trahunt. Antea secundum Augustinum diabolus tunc mortales sensus per phantasmata decepturus est, ut quod non facit, facere videatur; & credibile est quod & vera miracula Dei permissione faciet, & aliquando delusione fantastica per magicam artem ad hanc legem subdolam publicandam per mundum universum pseudo mittet, de quibus tractandum est.

CAPUT V. *De pseudoprædicatoribus quos sparget in mundum ad illam publicandam.*

1. DIsposito ab illo seductore alio testamento, ante faciem suam pseudoprædicatores mittet in mundum, ad illud cum dæmonum auxilio publicandum, cum virtute signorum & prodigiorum mendacium, unde ultima mundi ætas sive senium multis phantasmatibus deludetur.

2. Sicut ergo persecutionem & adventum Antiochi viri ex Israël impii, ab impio rege missi, qui figuram gestat antichristi, cum novo ritu venerunt in Jerusalem, *Statuentes gymnasium, ut facerent secundum justitias gentium*, (1. Mach. 1. 12.) ita ille damnatus homo impios viros, inopes & vagos, cum nova lege & novo ritu colendi sparsurus est in mundum, antequam ad persequendum ingrediatur ecclesiæ regnum.

3. Hinc per Isaïam dicitur: *Væ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ, qui mittit in mari legatos* suos, *& in vasis papyri super aquas.* (Isa. 18. 1.) Quod exponens Gregorius lib. 13. Moralium, dicit: » Terra quippe cui benedicitur, ille principaliter damnatus homo est, qui alarum cymbalum vocatur, quia ii qui per superbiam in altitudine cognitionis evolant, eumdem perversum hominem prædicando sonant, quæ scilicet terra trans flumina Æthiopiæ, quæ

A nigrum populum mittit, esse perhibetur, & damnatus ille homo tanta immensitate iniquus est, ut omnium peccantium peccata transcendat, qui mittit in mari legatos, quia prædicatores in sæculo spargit: de quibus recte subditur, qualiter mittantur, cum dicitur, in vasis papyri super aquas. Ex papyro quippe carta est. Quid itaque per papyrum nisi sæcularis scientia designatur? vasa ergo papyri sunt corda doctorum sæcularium. In vasis ergo papyri super aquas mittere legatos, est prædicationem suam in sapientium carnalium sensibus po-
B nere, & defluentes ad culpam populos vocare. quia ut ibidem idem Gregorius ait: Sicut incarnata Veritas in prædicationem suam pauperes idiotas & simplices elegit, sic e contra ille damnatus homo, quem in fine mundi apostata angelus assumet ad prædicandam falsitatem suam, astutos ac duplices, atque hujus mundi scientiam habentes electurus est.

4. Isti igitur qui & ante statum ecclesiæ exploraverant, & singulorum conscientias cognoverant, ac majoribus mundi principibus se per callidas artes conjunxerant, ad publicandam novam antichristi doctri-
C nam in mundum universum cum dæmonum potestate sparguntur: hinc in Apocal. 9. cap. angelo tuba canenti præcipitur: *Solve quatuor angelos*, id est, solutos prædica, ut caveant electi *qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.* (Apoc. 9. 14.) Euphrates enim fluvius est circuiens Babylonem. quatuor angeli qui circuierunt Babylonem, id est in mundi quatuor partibus mala confusione dignis, qui spiritualiter nuncupantur Babylon, principantur, ac ligati sunt in eis, id est, refrenati per passionem Domini, ne no-
D cerent fidelibus Christi, solvi præcipiuntur, ut reprobos homines per pseudo antichristi prædicatores seducant in quatuor climatibus mundi.

5. *Et soluti*, inquit, *sunt angeli, qui parati erant inter horam & diem, & mensem & annum, ut occiderent tertiam partem hominum.* (Ibid. 15.) Isti exercitui præsunt pseudoprophetarum, qui equestris exercitus dicuntur propter velocem discursum. *Numerus*, inquit, *equestris exercitus*, (Ibid. 16.) Glossa, qui a diabolo præcipitati, ad alios excæcandos mittuntur, *vicies millies dena millia, audivi nu-*
E *merum eorum*: per quem numerum multitudo exprimitur major malorum quam bonorum. *Et vidi*, inquit, *equos in visione* ad discurrendum per vicos, *& qui sedebant super eos*, in eorum doctrina quiescentes & fundati, quos decipiunt sanctitatis fictione & miraculorum ostentatione, *loricas habebant igneas & hiacinthinas & sulphureas*, quia illos muniebant sententiis alios inflammantibus ad malum, quæ tamen cœlestem colorem per fictam simulationem prætendunt,

cum sint fœtentes in conspectu sanctorum. A *Et capita*, inquit, *equorum*, scilicet prædicatorum antichristi ubique discurrentium, *tamquam capita leonum*, feroces scilicet ad impugnandum, quia ore laniant & fœtent.

Apoc. 9. 17.

6. Unde nihil habent pietatis, quamvis pietatem ostendant. *Insidiatur enim*, ut propheta ait, *in abscondito, quasi leo in spelunca sua*, quia dolositate fictæ sanctitatis homines trajiciunt in sectam illam extremæ perditionis. Unde Johannes ait, *quia de ore eorum*, id est prædicatione, *procedit ignis* cupiditatis, *fumus* superbiæ, *& sulphur*, id est fœtor malorum operum, quia per cupiditatem terrenorum & superbiam fictæ sanctitatis, ac terrore principum & crudelitate, quibus consilia dabunt interficiendi sanctos, multos interficient, ut a fide Christi, qui vere vita est, avellant, & ad antichristi perversitatem trahant, ut suo loco dicetur; *ab his enim tribus plagis tertia pars hominum*, inquit B. Johannes, *occisa est, & de igne, & de fumo, & de sulphure quæ procedebant de ore ipsorum.*

Psal. 81. 3.

Apoc. 9. 18.

7. Hinc & de ipsis sub figura Chaldæorum Abacuch propheta, ait: *Ecce ego suscitabo Chaldæos, dicit Dominus*, quia Dei permissu venient antichristi prædicatores in mundum, qui propter insolitam novitatem doctrinæ quam deferent, suscitari dicuntur; *Gentem*, inquit, *amaram & velocem ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua.* quorum velocitatem describens, subdit: *leviores pardis equi ejus.* Illi qui propter prædicationem discurrunt & antichristi legem deferunt, *& velociores lupis vespertinis* qui seniores sunt lupi, & diffundentur inquit equites ejus per universum mundum, spargentur decepti ab illis. *Equites*, inquit; *ejus de longe venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum* quia in brevi mundum illa perversa doctrina replebunt. *Omnes*, inquit, *ad prædam venient.* Gl. non ad pugnam, quia vix invenitur qui resistat.

Abac. 1. 6.

Ibid. 8.

Ibid.

8. Sed isti prædicatores respectu illorum quos seducent, primitus pauci erunt, in brevi tempore supra quam credi possit multiplicabuntur. Hinc Daniel 11. ubi sub figura regis Aquilonis & Austri pugna ecclesiæ Christi & illius regis impii antichristi describitur, ita habetur: *Ascendet*, inquit, *& superabit* in modico populo, & abundantes & uberes urbes ingredietur; quia ut propheta Joël de adventu ejus dicit: *Terra coram eo quasi hortus voluptatis. uberes* enim *& abundantes urbes ingredietur*, quia secum trahet illos qui in ecclesia abundare virtutibus videbantur. Unde *faciet quod non fecerunt patres ejus & patres patrum ejus*, quia nec apostoli neque prophetæ aut patriarchæ tot potuerunt ad fidem Christi convertere, quot ab illa avellet & in suam perversitatem trahet, qui patres ejus dicuntur & patres patrum, quia ex Judæis venturus est. Unde dicit: *rapinas & prædam & divitias eorum dissipabit, & contra firmissimas cogitationes inibit consilium, & hoc usque ad tempus*, quia ista non est adhuc ejus persecutio generalis; adhuc enim dolose homines in suam partem aggreget, sed in aliud tempus erit.

Dan. 11. 23.

Joël. 2. 3.

Dan. 11. 24.

Ibid.

CAPUT VI. *Quod per iniquos principes terræ recipietur tempestive.*

B

1. NUnc consideratione dignum est quomodo tantum proficient, ut tam pauci, & in tam tempore brevi doctrinæ hujus novitate mundum repleant, fidemque catholicam tantis martyrum triumphis firmatam, tantis signis & prodigiis veracibus roboratam, & tantis patrum scriptis contra ista tempora præmunitam, in tot & tantis corrumpant.

2. Sed sicut dictum est prædicatores antichristi astuti erunt, & scioli, sapientiamque hujus mundi habentes. Inde erit quod terræ principibus primo vere tyrannis primitus se conjungent, & illos cum astutia C ficta sanctitatis, cum falsis miraculis atque ostentatione divinæ sapientiæ seducent, & & de illis triumphum acquirent.

3. Inde est quod propheta Abacuch postquam velocitatem ministrorum ejus descripsit dicens: *volabunt quasi aquila festinans ad comedendum omnes, ad prædam venient, facies eorum ventus urens*, fontem gratiæ ante se in multis desiccantes: *Et congregabunt*, inquit, *quasi arenam captivitatem*, quia maximam mundi partem, vere captivabunt D a libertate vera, quæ est in Christo, avertentes, & laqueis illos infidelitatis vincientes. Unde sicut Gl. dicit, tantus erit numerus captivorum & prædæ, ut hyperbolice arenæ possit æquari.

Hab. 1. 9.

4. Hinc est quod in Apocalypsi dicit Johannes quia satanas solutus, *de carcere exibit, & seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog & Magog, quorum numerus est sicut arena maris.* Sed quomodo tantum ille iniquus prosperabitur, Abacuch propheta subdit, *& ipse*, inquit, *de regibus* E *triumphabit*, id est ita tempestive malitia ejus prosperabitur, quia terrenos sibi principes per suos pseudoprædicatores subjugabit, *& tyranni ridiculi ejus erunt.* Ideo, inquit, *super omnem munitionem ridebit & comportabit aggerem & capiet eam*, quia per terrorem & potestatem atque attractionem principum terrenorum, corda plurimorum, quæ a fide recta credebantur munita, aggere cupidorum terrenorum dejiciet & capiet, ac dejectis illis, super illorum munitionem ridebit, quia ut Gregorius lib. 33.

Apoc. 20. 10.

Hab. 1. 10.

Moral. dicit, ministrorum ejus prædicatio facile ab auditoribus despici poterat, sed hanc ante humana judicia adjunctus potestatum sæcularium terror exaltat & ideo
Job. 41. 5. per sanctum Job 41. dicitur, *per gyrum dentium ejus formido*, id est iniquos prædicatores antichristi perversæ hujus sæculi protegunt potestates. nam quos illi appetunt loquendo seducere, multi potentium student sæviendo terrere, & ideo, ut Danie-
Dan. 11. 16. lis 11. dicitur: *Non erit qui stet contra faciem ejus.* fere enim omnes prælati ecclesiarum, qui se debent pro Israël opponere murum, velut mercenarii sola terrena quærentes in ecclesia, principibus terrenis faventes, se abscondent, videntes lupum venientem, quia ad illos non pertinet de ovibus, sed tantum curabunt de ovium velleribus. ideo absque contradictione illi lupi vespertini oves rapient & dispergent.

5. Unde ante faciem illius cornu primitus modici & parvi, quod orietur de medio cornuum decem quartæ bestiæ, id est
Dan. 7. 9. imperii Romani, sic legitur Daniel. 7. *Unde tria de cornibus primis evulsa sunt a facie ejus.* Sed quomodo, dicit Glossa ex Hieronymo, dicamus, inquit, quod in consummatione mundi, quando regnum Romanorum destruetur, futuri sunt decem reges qui inter se divident regnum Romanorum, undecimum surrecturum regem parvulum, & tres reges de decem superaturum, id est Ægyptium, Africanum, Æthiopum. quibus interfectis, id est a fide Christi, qui vere vita est, avulsis, si illam teneant vel illius infidelitate noviter dejectis.

6. Unde alii victori colla submittent; sed secundum Augustin. de Civitate Dei libro 20. & Radulphum super Leviticum 18. libro. per decem non intelligitur numerus definitus, sed universitas principum terrenorum, quæ tunc erit, signatur, ut dictum fuit supra.

7. Utrum vero antichristi nuntii primitus illa regna tria prædicta adeant, & sua falsa doctrina corrumpant & dejiciant, non omnino clarum esse videtur, sed certum est, quod omnes terræ principes sibi in pauco tempore, operante diabolo, per suos hypocritas subjugabit, ut de illo scriptura
Psal. 9. 5. psalmi 9. impleatur: *Omnium inimicorum suorum dominabitur*, ubi Glossa dicit: dicitur enim omnes reges superaturus, ut solus regnet & sedeat in templo Dei, extollens se supra omne quod colitur, aut quod dicitur Deus. ad quod culmen per malas artes & nefarias deveniet, per hypocritas & pseudoprophetas apud sæculi principes exaltatus.

8. Hoc est quod Joël propheta dicens
Joël. 2. 1. de ejus adventu testatur: *Canite*, inquit, *tuba in Sion, conturbentur omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini, quia prope est dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis quasi mane expansum super montes.* Ecce diem tenebrarum & caliginis quasi mane futurum prædicit, quia tenebrosus error veritatis speciem usurpabit: quod mane superexpanditur super montes, quia primitus terrenos principes apprehendet, & per illos nova hæc doctrina in subjectos propagabitur, qui principes terræ per montes propter superbiæ altitudinem figurantur.

9. Hinc est quod Apocal. 17. dicitur: *Septem capita, septem montes sunt super quos* Apoc. 17. 10.
mulier sedet & septem reges sunt, & de præmissis decem regibus sequitur: *Decem cor-*
nua quæ vidisti, decem reges sunt qui regnum Ibid. 12.
nondum acceperunt, sed potestatem tamquam reges accipient una hora post bestiam. Ii unum consilium habent. Gl. negandi Christum & credendi in antichristum, & virtutem & potestatem bestiæ tradent. Principes ergo hujus mundi, sicut scriptura manifeste tradit, in mundum universum tempestive doctrinam publicabunt antichristi.

10. Unde Johannis Apocalypsis 9. cum sub figura equorum velociter discurrentium ministros antichristi descripsisset, subjunxit quia *potestas equorum in ore ipsorum* Apocal. 9. 19.
est & in caudis eorum. Quod exponens Gregor. lib. 33. Moral. dicit. Istis, inquit, equis, id est nequissimis antichristi prædicatoribus, ubique carnali impulsu currentibus, in ore & in cauda potestas est, quia ipsi quidem perversa suadendo prædicant, sed temporalibus potestatibus fulti, per ea quæ retro sunt exaltant, quia ipsi apparere despicabiles possent ab iniquis auditoribus suis, per eos sibi reverentiam exigunt, quorum patrociniis fulciuntur, & multis terroribus malorum principum agitur, ut in perversis eorum prædicationibus & si non veritatis sententia, certe temporalis potentia timeatur. Et sic patet, scripturis sacris testantibus, quia in brevi ubique doctrinam seu legem antichristi pseudo seminabunt per auxilium & virtutem terrenorum principum.

CAPUT VII. *De trifario modo illius deceptionis futuræ.*

1. Sed tempus expetit, ut de modo deceptionis aliquid scripturis testantibus astruamus: cum enim per hypocritas pseudo novam Christi doctrinam receperint terræ principes, immo vere tyranni, se & sua subjicient antichristo, ejusque ministris ad illam peragendam seductionem.

2. Hinc sub figura Abimelech dicitur Judic. 9. de ipso malorum capite antichristo, quia postquam *viri Sichem cor inclina-* Judic. 9. 3.
verunt post Abimelech, illum recipientes in Dominum tamquam fratrem, *dederunt illi*

illi 70. pondo argenti de fano Baalberith conduxitque cum eo viros inopes & vagos, secutique sunt eum. Gl. sic antichristus multos adducet muneribus, ut faveant sibi.

3. Hinc & impius rex Antiochus, qui secundum expositiones sanctorum & in Daniele & in libro Machabæorum figuram gestat antichristi, multos avertit a lege per collationem munerum & gloriam temporalem, sic illi glorioso martyri minori Machabæo fratribus interemptis superstiti, *Non solum verbis hortabatur, sed cum juramento affirmabat, divitem se & beatum facturum, & translatum a patriis legibus amicum habiturum & res necessarias præbiturum.* Quod antichristus tunc facturus est tam per se quam per sua membra, hujus mundi terrenos principes. (2. Machab. 7. 24.)

4. Sicut Danielis 11. legitur: *Et dominabitur*, inquit, *thesaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti.* id est mundi. Et ibid. *Et multiplicabit*, inquit, *gloriam & dabit eis*, id est suis, *potestatem in multis.* Gl. super bonos. *Et terram dividet gratuito.* Gl. satellibus suis. Unde multos, sicut dicit Glossa, avaritia subjugabit, sicut ibid. 8. cap. dicitur: *Et cor suum magnificabit in copia rerum omnium occidet plurimos*, a fide scilicet Christi qua justus vivit, ad mortem trahendo infidelitatis per caudam temporalium. (Dan. 11. 43. — Ibid. 39. — Dan. 8. 25.)

5. Hinc Apocalypsis 9. de ministris antichristi dicitur, quia *potestas equorum*, id est antichristi prædicatorum, quia carnales eidem subjiciunt, *est in caudis eorum*, id est in dominatione temporalium, quæ retro sunt tamquam cauda. Quæ *cauda* Apocal. 12. *tertiam partem stellarum cæli.* Gloss. id est reprobos, qui lucere per doctrinam in ecclesia videbantur, non tamen lucebant per vitam, *trahebat.* Gloss. de fide ad infidelitatem, *& misit eas in terram.* Gloss. illos tractos amore terrenorum illexit. (Apoc. 9. 19. — Ibid. 12. 4.)

6. Inde est quod de isto omnium singulari iniquo in psalmo dicitur: *Sedet in insidiis cum divitibus in occultis ut interficiat innocentem.* Sedet super suos ministros, quasi cum mora in insidiis cum divitibus Gloss. hujus sæculi, quos ditabit & muneribus cumulabit, quorum falsam felicitatem ad alios decipiendos ostentabit, sed in insidiis positis in occultis, id est in ambiguis, ubi non facile intelligitur quid appetendum sit, vel quid non: sed ad quid ibi sedet, ut interficiat innocentem Gloss. ex innocenti faciendo nocentem. Unde *insidiatur, ut rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum.* Gloss. dolo, dum blanditiis attrahit eum ad se, quod tamen est rapere. ad hoc enim veniet ille lupus, ut rapiat oves Christi, & quos rapere non poterit, disperdat & mactet. (Psal. 10. 5.)

7. Sic enim diligentibus terrena, coluber fiet in via, sicut sanctus propheta Jacob de illo prophetavit Genes. 49. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi.* Per Dan enim secundum expositionem papæ Gregorii lib. 31. Moral. « Ille damnatus homo antichristus exprimitur, qui de tribu Dan, teste scriptura, speratur: qui mordebit ungulas equi, quia apprehendet extrema mundi, & feriendo infidelitate constringet; sed coluber erit in via diligentibus terrena, quia in præsentis vitæ latitudinem eos ambulare provocat, quibus quasi parcendo blanditur: sed in via mordet, quia eos quibus libertatem utendi terrenis tribuit, erroris sui veneno consumit. » (Gen. 49. 17.)

8. Hinc ipsa per se Veritas Math. 24. ait: *Væ prægnantibus*, Glos. ambitiosis periturorum, & *nutrientibus in illis diebus*, divitias quas adepti sunt fovendo; quia laqueus ille diaboli, Glos. laqueus insperatus, & perpetuo retinens quos semel ceperit, superveniet in omnes qui sedent super faciem universæ terræ, Gl. id est quibus placent illecebræ hujus mundi. Et idcirco electos suos Dominus monet, ut cum viderint *abominationem desolationis stantem in loco sancto, qui in agro laborat* ecclesiæ, *non revertatur tollere tunicam suam*, id est non quærat temporalia etiam sibi necessaria, ne revertens ad temporalia, laqueo illius seductoris, qui temporalibus dominabitur, involvatur, unde se eripere non possit. Sed quos per temporalia seducere non poterit, qui sequi Christum videbuntur in abjectione terrenorum, judicio Dei occulto, sed justo, dejiciet terrore tormentorum per sæculi hujus potestates. Hinc est quod cerastes dicitur in semita. sicut papa Gregorius ubi supra dicit: « Fit, inquit, cerastes in semita, quia quos fideles reperit, & sese ad præcepti cœlestis angusta itinera constringentes, non solum callidæ persuasionis nequitia impetit, sed etiam terrore potestatis premit, & in persecutionis angore post beneficia fictæ dulcedinis, exercet & cornua potestatis. » (Matt. 24. 19. — Matt. 24. 15.)

9. Hinc & sanctus Job cap. 41. de illo dicit, *per gyrum dentium ejus formido*; dentes enim antichristi sunt ejus pseudoprædicatores, qui eos quos in errore capiunt, a veritatis soliditate constringunt. in quorum gyrum formido est sæcularium potestatum, ut qui ab illis non capiuntur blandimentis temporalium, formidine dejiciantur tormentorum. (Job. 41. 5.)

10. Unde impius rex Antiochus, qui figuram gerit antichristi, præposuit populo principes, qui populum Israël cogerent facere contra legem, & sacrificare dæmonibus, *& multi de populo iis terroribus victi, dereliquerunt legem Domini, & fecerunt mala super terram.* unde quicumque observabat le- (1. Mach. 1. 55.)

gem Domini, secundum edictum regis, iniqui principes *trucidabant eum in virtute sua*, sicut legitur 1. Machab. 1. Quod secundum rei veritatem in universo mundo per hujus sæculi principes malos faciet antichristus, & ideo per formidinem tormentorum multos etiam qui in ecclesia lucere videntur, ad suam trahet infidelitatem. Draco enim rufus crudelitate principum secum trahit tertiam partem stellarum, id est illorum plurimos qui illuminare ecclesiam videbantur.

11. Hinc de illo Danielis 8. dicitur, quia *interficiet robustos & populum sanctorum secundum voluntatem suam.* Cum eos, inquit Gregorius lib. 32. Moral. qui robusti ac sancti videbantur, ad nutum suæ voluntatis trahit. Quia, ut Job 41. dicitur, *sub ipso erunt radii solares:* Multi enim, ut ait Gregorius lib. 34. Moral. qui in sancta ecclesia luce resplendere sapientiæ videbantur, tunc vel persuasionibus capti, vel minis territi, vel cruciatibus fracti, leviathan istius se ditioni subjicient; & ideo recte dicitur quia sub ipso erunt radii solis illi subsequendo perverse.

Dan. 8. 25. Job. 41. 21.

12. Qua de causa electos suos Veritas in evangelio monet, ut visa abominatione desolationis, qui in tecto est, id est jam domavit carnem, & illi ut superior principatur, non descendat aliquid tollere de domo sua, id est non redeat ad opera diligenda carnalia, ne capiatur laqueo cruento istius rufi draconis. Sane quos nec per blanditias terrenorum poterit attrahere, nec per tormentorum formidinem dejicere, seducet miraculorum ostentatione & apparentia sanctimoniæ. Hinc de ipso & ipsius membris in psalmo dicitur: *insidiatur ut leo in spelunca sua.* Recte, inquit Gregorius lib. 32. Moral. leo & insidians dicitur; insidians per miraculorum speciem, leo per fortitudinem sæcularem. Ut enim eos qui aperte iniqui sunt pertrahat, sæcularem potestatem ostentat; ut vero justos fallat, signis sanctitatem simulat; illis enim suadet elationem magnitudinis, istos decipit ostentatione sanctitatis. unde *oculi ejus in pauperem respiciunt*, Gl. quasi misericordia ex affectu, quod ejus ministri cum suo capite misericordes in pauperes videbuntur, ut sic rapiant pauperes spiritu, qui perfecti in sanctimonia videbuntur, ut attrahant ad antichristum. sicut de illo Danielis 8. dicitur, quia in decipiendo *prosperabitur & faciet* eo quod *dolus in manu ejus dirigetur.* Glos. Gregorii, quia in illo fraus per opus adjuvatur: nam quidquid lingua mendax simulat, hoc quasi verum manus operis ostentat. unde per hanc *de fortitudine dejiciet & de stellis*, ut sanctus Daniel dicit. de fortitudine enim & de stellis, secundum Gregor. ubi supra, dejicit, cum nonnullos etiam luce justitiæ resplendentes & virtute operis robustos frangit.

Psal. 9. 9. Psal. 10. 8. Dan. 8. 24. Dan. 8. 11.

13. Tunc enim implebitur quod de illis temporibus Job 37. dicitur: *Restituetur ut lutum signaculum*, quoniam ut Gregor. lib. 38. Moral. dicit: Ii qui nunc videntur in sinu ecclesiæ signaculum, tunc ante oculos omnium restituentur in lutum. Quos enim, inquit, nunc fideles credimus, ipsos tunc fieri hostes invenimus; & quamvis appareant non tentati signaculum, erunt procul dubio tentati lutum, sicut ab eodem sancto Job 41. de illo omnium malorum capite dicitur, *sternet sibi aurum quasi lutum*; quia ut Gregorius 34. lib. Moral. Multos qui intra sanctam ecclesiam fulgore justitiæ resplendere videbantur, tunc vel terrenarum rerum concupiscentia, vel errantis doctrinæ contagio, vel carnalibus sibi voluptatibus subjicit. Hoc est enim, inquit, aurum sternere in quibusdam, mente munditiam per illicita desideria conculcare, ut ii etiam sordidis ejus vestigiis serviant, qui contra illum prius virtutum splendore rutilabant.

Job. 38. 14. Job. 41. 21.

14. Antiquus itaque hostis alios tunc sub specie sanctitatis illudet, alios per fœda vitia vitæ carnis intercipit, & sic apparet quod illius deceptio curret tribus modis; quia aut per terrena carnalesque delicias subjugabit populos, aut per tormentorum formidinem dejiciet per apparentiam multos in fide robustos, aut per miraculorum speciem & fictam sanctitatem attrahet ad se quosdam perfectos, qui auro caritatis credebantur fulgere, & tamquam stellæ in cœlo ecclesiastico clare rutilare, ut impleatur quod in evangelio & in Apoc. 10. dicitur, quia tunc *stella cadent de cœlo.* Stellas enim, inquit Gregorius lib. 32. Moralium, de cœlo in terram cadere, est relicta nonnullos spe cœlestium, illo duce ad ambitum gloriæ sæcularis inhiare. Et ideo contra hanc deceptionem electos suos Veritas monet, ut visa desolationis abominatione, qui in Judæa sunt, id est veræ & perfectæ fidei confessione, fugiant ad montes, non descendant ad valles fictæ & ostentatæ sanctitatis, sed ad eminentiam fidei ac vitæ præcedentium patrum aspiciant, & in illis morentur & permaneant, ne descendendo ad valles spinosas filiorum Emnon, antichristi laqueis capiantur.

CAPUT VIII. *Quod per principes terræ majores doctores occidet ecclesia.*

1. CUm igitur prædicta seductio per regem aquilonis antichristum & ministros ac satellites ejus cœperit prosperare, & plures in sectam perditionis dejicere, illius seductoris legem per hypocrisim palliatam suscipientes, illius temporis electi ad

resistendum provocabuntur, & ideo fortitudo regis aquilonis adversus illos concitabitur. Hoc est quod Danielis 11. legitur, quia *in temporibus illis multi consurgent adversus regem Austri*, id est, adversus Christum Dominum ejusque exercitum, qui rex Austri dicitur, quia in flagrantibus fervore caritatis dominatur. Sed contra eos, inquit, *veniet rex Aquilonis*, antichristus princeps frigidæ infidelitatis, in exercitu suo, *& comportabit aggerem* terrenorum, & per temporalia ac deceptionem illorum *capiet urbes munitissimas*, id est, illos qui pro rege Austri contra illum videbantur valde virtutibus muniti; *& brachia*, inquit, *Austri non sustinebunt*, adversus illum seductorem stare non poterunt, *& consurgent*, inquit, *electi ejus ad resistendum*, *& non erit fortitudo*, *& ideo veniens faciet super exercitum* regis Austri *juxta placitum suum*, quia pro voluntate sua *interficiet robustos sanctorum*, sicut dicitur Danielis 7. *Sanctos Altissimi conteret*. Quare; quia resistent ei volenti *mutare tempora & leges*. Et ideo, ut idem Daniel dicit, interficiet robustos sanctorum secundum suam voluntatem, eo quod dirigetur dolus in manu ejus; simulabit enim dolose ex zelo Dei hoc facere, ut omnis qui Christi fideles occiderit, teste ipsa in evangelio Veritate, arbitretur se obsequium præstare Deo.

Dan 11. 14.
Dan. 8. 24.
Dan. 7. 25.
Ibid.

2. Et ideo Gregorius lib. 32. Moralium, » Robustos, inquit, sanctorum interficit, cum » eos qui mente victi sunt corporaliter vin- » cit, & hoc dolose facit, quia in manu ejus » dolus dirigetur, cum in illo fraus per opus » adjuvatur, zelo Dei per exteriora opera » hoc facere se simulans & ostentans, novit » enim quia ejus seductio proficere non vale- » ret, nisi primitus robustos ecclesiæ pere- » misset.

3. Hinc est quod Abimelech, qui figuram gerit antichristi, cum de auro sibi tradito conduxisset *viros inopes & vagos*, cum illis *venit in domum patris sui in Ephra*. Et antequam regnum sibi usurparet, *occidit fratres suos filios Jeroboal* LXX. *viros super lapidem unum*. Judic. 9. Quia secundum expositionem Glossæ, ille singularis iniquus non possit secure regnare, qui, ut supra dictum est, primitus sacramentis nostræ fidei imbuetur, quos ante fratres habuerat per sacramentorum communionem, veniens in domum ecclesiæ, filios Jeroboal, id est credentes, quos Christus in fide genuit, cujus figuram Gedeon portavit, occisurus est per suos ubique de LXX. linguis, unico fere Joathan remanente, & se præ timore abscondente; quia ab illo majoribus & robustis occisis, juniores se abscondent præ timore exterriti. Et ideo non vacat a mysterio, quia ille qui se abscondit, dicitur filius Jeroboal minimus; magnos enim primitus persequetur & occidet, quos aliis posse proficere ad resistendum sibi prævidet.

Judic. 9. 4.

4. Hoc est quod de illo Gregorius lib. 13. Moral. dicit: « Sciendum est quia illos « præcipue in sancta ecclesia antichristi mi- « nistri persequentur, quos multis conspi- « ciunt esse profuturos, quia vitam carna- « lium verbo correptionis conterunt, eosque « in ecclesiæ corpus spiritaliter vertunt. «

5. Et ideo in persona ecclesiæ sanctus Job de illis conqueritur dicens: *Percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis*: maxilla enim ecclesiæ sancti prædicatores sunt, per quos sancta ecclesia iniquos a vitiis conterit, & quasi glutiens in sua membra convertit. Hanc maxillam primitus antichristi satellites ferient, quia robustos ecclesiæ doctores sibi resistentes occident; & quia in hoc aliquid magnum fecisse existimabunt, recte sequitur quia de pœnis illorum saturati sunt.

Job.

6. Hinc est quod Antiochus rex impius, qui signum fere in omnibus gestat antichristi, *misit principem tributorum in civitatem Juda, & venit in Jerusalem cum turba magna, & locutus est ad eos verba pacifica in dolo, & crediderunt ei, & irruit super civitatem repente, & percussit eam plaga, & perdidit populum multum ex Israël*. Et ideo percussit illos qui poterant resistere, ut acciperet spolia civitatis; *Et accepit*, inquit, *spolia civitatis, & succendit eam igni, & destruxit domos ejus*, &c. quæ omnia spiritualiter facturi sunt in ecclesia satellites antichristi. *Et effuderunt*, inquit, *sanguinem per circuitum sanctificationis, & contaminaverunt sanctificationem* occidendo viros sanctos, alios sanctificantes, & per præeminentiam innocentiam præferentes. *Et ideo*, inquit, *fugerunt habitatores Jerusalem propter eos*, quia Christi fideles residui, se videntes non posse proficere, se abscondent, & fiet ecclesia habitatio exterorum, *& sanctificatio* erit *desolata sicut solitudo*.

1. Machab. 1. 30.
Ibid. 33.
Ibid. 39.
Ibid. 40.

7. Tunc implebitur illud quod in apertione sexti sigilli Apocal. 6. dicitur: *Et factus est terræ motus magnus*. Glos. in persecutione antichristi; *Et sol factus est niger tamquam saccus cilicinus*, quia ut Glos. dicit, lux in sacco posita est, ecclesia numquam lucem prædicationis effundens. Inde Gregorius dicit lib. 9. Moralium, « In extremo, « inquit, tempore, sol quasi saccus cilicinus « ostenditur, quia fulgens vita prædicantium « ante oculos reproborum aspera & despecta « monstratur. *Et luna facta est ut sanguis*, quia ecclesia in suis præcipuis membris ubique patietur. *Et stellæ ceciderunt de cælo super terram, sicut ficus emittit grossos suos*, cum a vento magno movetur; quia multi qui in ecclesia virtutibus radiare videbantur, de eadem, quæ cœlum nuncupatur, in infidelitatis noctem corruent illo magno motu

Apoc. 6. 12.
Ibid.
Ibid. 13.

Ibid. 14. impulsi. *Et cœlum*, inquit, *recessit sicut liber involutus*, id est, celantes prædicationem impiis, & scriptura recessit ab impiis involuta, ut non agnoscant quæ in ea dicuntur de illis temporibus. *Et omnes montes & insulæ de locis suis motæ sunt*, id est, virtutibus eminentes sancti, & a mundi turbulentia separati valde timuerunt. *Et reges terræ, & principes, & tribuni, & divites, & fortes, servus & liber*; per quos, secundum expositionem glossarum, multiplex sanctorum illius temporis status figuratur. *Absconderunt se in speluncis & petris montium*, id est, non erunt ausi stare ante faciem antichristi, sed territi confugient ad auxilium sanctorum præcedentium; unde dicent montibus: *Cadite super nos, & abscondite nos a facie sedentis super thronum, & ab ira Agni: quoniam veniet dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare?* ubi Glos. dicit: Rogant boni sanctorum intercessionibus se protegi a facie Dei irati, tunc enim percipient, quia super illos deteriora tempora sunt ventura, quia non in hoc tempore finis erit malorum, sed adhuc secundum prophetam Danielem finis expectatur in aliud tempus.

(Marginal notes: Ibid. — Ibid. 15. — Ibid. 16.)

8. Hinc est quod Veritas in evangelio dicit de illis temporibus: *Erunt signa in sole & luna & stellis*, quia tunc sol ecclesiæ convertetur in tenebras, & *luna in sanguinem*, & *stellæ de cœlo cadent* antequam dies ille Domini persecutionis ultimæ magnus & terribilis veniat. *Et in terris*, inquit, *pressura gentium*, id est gentiliter viventium, bonos comprimentium, *præ confusione sonitus maris & fluctuum*, id est hominum peccatis amarorum, & in terrenorum cupiditate & amore debacchantium; sed quantum ad bonos, subdit: *arescentibus hominibus præ timore*, expectatione tribulationum quæ supervenient universo orbi; quia, ut dictum est, non adhuc finis, sed in aliud tempus erit.

(Marginal notes: Luc. 21. 25. — Ibid. 26.)

9. Ut enim Augustinus in epistola ad Ezichium ait: « Utraque pars in gentibus erit, » una quæ premat, altera quæ prematur; » una quæ dicat pax & securitas, altera in » qua sol obscuretur, & luna non det lumen » suum, & de qua cadant stellæ, & in qua » virtutes cœlorum moveantur; » sicut dicitur Matth. 24. ubi dicit Glossa, quia idcirco præcedet tribulatio, ut sequatur quorumdam defectio, non quia adhuc tota tribulatio transierit; adhuc enim per hanc primam tribulationem diabolus homines in partem antichristi congregat & traducit, ut postmodum ecclesiam totis viribus persequatur.



CAPUT IX. *De cessatione prædicationis evangelicæ, & quod recipietur a Judæis.*

1. Occisis igitur sanctæ ecclesiæ robustis doctoribus, qui perversitati ejus poterant resistere, non erit qui stet contra faciem ejus, sicut legitur Daniel. 11. sed stabit in terra inclytæ ecclesiæ, *& consumetur in manu ejus*, ut a suis filiis timore se abscondentibus deseratur, & ejus sanctificatio desolata remaneat sicut solitudo, diesque festi ejus convertentur in luctum, sabbata in opprobrium, homines in nihilum, sicut in antiquo populo factum sub Antiocho, 1. Machab. 1. legitur in figura antichristi. tunc enim sanctam ecclesiam dierum patrum præcedentium, quibus tanta pace & gloria potiti sunt, recordabitur, & ad illa tempora aspirabit, sicut legitur Job. 29. ubi assumta parabola sub persona ecclesiæ Job dicit: *Quis mihi det ut sim juxta menses pristinos, secundum dies quibus me custodiebat Deus*, &c.

(Marginal notes: Dan. 11. 16. — 1. Machab. 1. 41. — Job. 29. 2.)

2. Quod exponens Gregorius lib. 19. Moralium, dicit: « Multa enim talia ultimis « temporibus sancta ecclesia doloribus pressa « dictura est; tantis quippe illam futurum « est tribulationibus angustari, ut hæc tem- « pora cum magno suspirio desideret, quæ nos « cum magno dolore toleramus. » Unde ne deficiat, & a spe sua evellatur, bona quæ in antiquis patribus temporibus præcedentibus egit, sollicite recordatur, & de malis quæ sustinet tempore antichristi vehementer conqueritur dicens: *Nunc derident me juniores, tempore quorum dedignabar patres ponere cum canibus gregis mei; nunc in eorum canticum*, inquit, *versa sum, pharetram suam aperuit & afflixit me*. Pharetram aperuit, cum contra illam antichristi satellites venire permittit, & illam, fideles suos & robustos occidendo, affligit. Et quia videt suam prædicationem non proficere, se suspendit a prædicatione. unde subdit: *Posuit frenum in os meum*; unde majoribus morte mulctatis cessabit prædicatio evangelii.

(Marginal notes: Ibid. 30. 1. — Ibid. 9. 11.)

3. Inde est quod in apertione sexti sigilli, ubi persecutio manifeste prophetatur antichristi, postquam sancti se absconderunt a facie iræ Agni, Johannes statim vidit *quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ tenentes quatuor ventos ne flarent super terram*. ubi Gloss. dicit: in tempore tribulationis nihil magis necessarium erit quam prædicatio; & ideo nititur diabolus eam detinere in omni loco: hinc Gloss. dicit super illud 24. *venient Romani*, &c. In tempore antichristi cessabit prædicatio evangelii; & in Gloss. Apocal. 10. Quia tanta erit destructio, prohibetur illis qui erunt tempore illius prædicatio. Et ita muro prædicationis destructo, aperta janua irruent

(Marginal notes: Apoc. 7. 1. — Joh. 11. 48.)

A irruent contra ecclesiam satellites antichristi, & ad ejus miserias devolventur ejus membra, ad infidelitatem absque retardatione trahendo.

4. Et ideo de illo iniquo Danielis 8. dicitur, quia tunc *roborabitur fortitudo ejus, sed non in viribus suis, & supra quam credi potest*, cessante evangelii prædicatione, *universa vastabit*: Hinc Judic. 9. legitur quia occisis LXX. filiis Jerobaal, Abimelech elevatus est in regem: quia peremptis doctoribus ecclesiæ filiis Christi domini, multum magnificabitur ille singularis iniquus, quia non erit qui coram eo sit ausus arguere vias ejus. Inde Gregor. lib. 15. Moral. Tanta, inquit, elatione extollitur, tanta virtute principatur, tantis signis & prodigiis ostensione se elevat, ut argui ab homine ejus facta non valeant, quia cum potestate terroris adjunguntur etiam signa ostensæ sanctitatis. Quis ergo arguet viam ejus coram eo?

Dan. 8. 24. Judic. 9.

5. Et ideo legem suam, immo impietatem, sanctitatis ostensione palliatam, præcipiet ab hominibus observari, ut unus sit populus cujus ipse solus sit pastor, immo vero lupus, sicut legitur in ejus figura de rege impio Antiocho 1. Machab. 1. ubi dicitur: quia *scripsit omni regno suo, ut esset omnis populus unus*. Hinc est quod in assecutione suæ impiæ legis, sub qua dicet fieri debere omnium linguarum unionem, ut sit unus populus, Judæos trajiciet in suum errorem, ut recipiant illum, & ejus novam legem.

1. Mach. 1. 43.

6. Hinc in ejus figura dicitur 1. Machab. 1. & reliquerunt unusquisque legem suam, scilicet tam falsi Christiani, quam etiam Saraceni legem suam relinquunt, & *consenserunt omnes gentes secundum verbum regis Antiochi*, nec solum gentes sed & Judæi: unde subdit: & *multi ex Israël consenserunt ei*.

Ibid. 44.

7. Hinc & Danielis XI. dicitur: *In temporibus illis multi consurgent adversus regem Austri*, id est Christum, *filii quoque*, inquit angelus Daniel, *prævaricatorum populi tantum extollentur, ut impleant visionem, & corruant*: quia Judæi tunc per falsa signa delusi, pro Christo recipient antichristum, & plurimi in superbia elevabuntur, ut impleant visiones prophetarum, qui illos prædixerunt recepturos antichristum, & corruant, id est de malo in deterius ruant, tracti ad infidelitatem antichristi. unde Gl. Daniel. XI. dicit: tempus veræ salutis Judæorum est sub Christo, quem falso putant venturum, cum antichristum suscepturi sint.

Dan. 11. 14.

8. De hoc apertum est veritatis testimonium Johan. 5. ait enim Dominus Judæis: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me. si alius venerit in nomine suo*, Gloss. antichristus, *qui propriam gloriam quærit non Dei, illum accipietis*. Idcirco de illis apostolus ait: quia *veniet in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt, eo quod caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent*, id est Christum; *Et ideo*, inquit, *mittet illis Deus*, id est venire permittet, *operationem erroris, ut credant mendacio*, id est antichristo, qui excellenter & præ omnibus aliis mendax erit.

Joh. 5. 43. 2. Thess. 2. 10.

9. Hinc Johannes Damascen. lib. 4. c. 18. dicit: Judæi filium Dei existentem Deum Jesum Christum & Dominum non susceperunt, erroneum autem Deum seipsum dantem suscipient. Et post. Non enim, inquit, nobis, sed Judæis veniet, non pro Christo, sed contra Christum & eos qui Christi.

B

10. Inde est quod in Apocalyp. in Gloss. 19. dicitur quia Judæi cum gaudio recipient antichristum. Hinc de strutione in figura dicitur synagogæ Job. 39. *Cum tempus fuerit, in altum alas erigit, deridet equum & ascensorem ejus*: In altum, inquit Gregor. lib. 31. Moral. strutio alas erigit, quando suo conditori synogoga, non ut ante, fornicando, sed aperte jam repugnando contradicit. in membra quippe diaboli transiens, & mendacii hominem Deum credens, contra fideles tanto in altum tollitur, quanto & Dei corpus se esse gloriatur. Quare? quia non solum humanitatem Domini, sed ipsam etiam divinitatem despicit, non tantum equitem, sed & ascensorem deridet equitis.

Job. 39. 18.

C

11. Unde super 2. epist. ad Thessal. de illo Ambrosius dicit: Quamobrem ex circumcisione aut circumcisum venire illum sperandum est, ut sit Judæis credendi illi fiducia, & sic ille spiritualis Abimelech ad omnem cognationem matris suæ dicet: *Quid vobis melius est, ut dominentur vestri* D LXX. *viri omnes filii Jerobaal*, per quos figurantur ecclesiæ prælati, Christi domini filii, *aut dominetur vobis unus vir? simulque*, inquit, *considerate quia os vestrum & caro vestra sum*; quia ut supra dictum est ex parte matris venturus speratur ex Judæis: & sic de ipso loquentes invicem Judæi illum recipient in Messiam & Dominum, & cum eo incitabuntur ad persequendum populum Christianum. Inde est quod Augustinus E in epist. ad Ezich. dicit: Si enim, inquit, antichristum Judæi primitus & præcipue recepturi sunt, secuturus est idem populus, tribulationem potius passurus. de qua tribulatione tempus est, ut aliquid secundum scripturarum testimonium loquamur.

Judic. 9. 2.

CAPUT X. *Quod interdicet celebrari in palam sacramenta legis novæ.*

1. CUm ergo Judæos ubique per ministros suos in sectam suæ infidelitatis attraxerit, illos temporali fastigio sublimabit, honoribus excellentissimis ditabit & magnificabit. inde tantum, ut de Messia carnaliter sapientes, illum Messiam æstiment pro magnitudine fastigii temporalis, & de illo scripturas exponant, atque ejusdem pseudoprædicatores fiant, & sic per illos plurimos decipiet, & seductos in sectam suæ perditionis trahet. & sic
Dan. 11. 25. ut Daniel. XI. dicitur, *Concitabitur fortitudo antichristi, & cor ejus adversus regem Austri*, scilicet Christum & ejus exercitum, *in exercitu magno.*

2. Sed tunc temporis electi Judæorum perpendentes iniquitatem & dolentes tantum proficere & prosperari illorum seductionem, per subdolam scripturarum expositionem ad resistendum se invicem fortiter animabunt: hinc est quod in Daniele statum sequitur; *& rex Austri provocabitur ad bellum multis auxiliis & fortibus nimis. Non stabunt, quia inibunt adversus eum consilia*, multi scilicet qui ex ejus parte esse
Ibid. 26. credebantur. Unde subdit: *& comedentes panem cum eo conterent eum*, quia plurimi Christiani ficti, qui cum veris Christianis in sacramentis & pane scripturarum communicabant, falso scripturas contra Christum exponent, & illum deserent, & sic quantum est ex se illum conterent, & hac
Ibid. desperatione, *ejus exercitus opprimetur, & cadent interfecti ejus plurimi*, & quod subdit:
Ibid. 27. *duorum quoque regum cor erit, ut malefaciant*, ibi per regem Austri figurantur falsi Christiani, per regem Aquilonis illi qui manifeste confitebuntur antichristum, sive Judæi, sive alii: quorum omnium cor erit intentum ad male agendum, & Christi fidelem populum pervertendum, quem ut
Ibid. seducere valeant, sedentes *ad mensam unam* scripturarum, *loquentur mendacium*, falso interpretando scripturas contra Christum & pro antichristo: sed adhuc non prævale-
Ibid. bunt omnino, & ideo dicitur quia *non proficient*, ut penitus faciant quod cupiunt, *quia* non in hoc tempore *finis*, sed servatur *in aliud tempus*, in quo contra Christum ejusque exercitum plenius insanire permittentur.

Apoc. 7. 3. Unde Apocal. 7. dicitur quia de Judæis plurimi signantur, ne per illum totaliter pereant, per prædicationem Enoch & Eliæ ab ipso ad Christum dominum reversuri: revertentur ergo in terram suam
Dan. 11. 28. ut Daniel dicit: *cum opibus multis*, quia ex parte regis Austri multos & magnos ad suam infidelitatem attraxit, & ad suos in-
A truendos & ditandos convertetur. Unde signare scriptura videtur, quod aliquantulum cesset ab impetitione Christianorum. Sed *cor ejus*, inquit, *adversus testamentum sanctum*, quia licet, ne nimis crudelis credatur, videatur cessare a persecutione fidelium exteriori opere, non tamen contra illos cessabit mala machinare in corde, ut a testamento sancto possit illos avertere. *Et faciet*, inquit, *& revertetur in terram suam statuto tempore*, sed non diu cessabit a persecutione: unde sequitur; *& revertetur & veniet ad Austrum*, & iterum excitabitur contra Christum, *& non erit*, inquit, *priori*
B *simile novissimum*, quia cum majori seductione & crudelitate veniet. Et quod sequitur; *& venient super eum trieres & Romani & percutietur & revertetur*, aut pertinet ad historiam Antiochi tantum, aut istud videtur figura quod antichristo tunc forsitan quidam electorum insurgentes obsistent, ne adhuc valeat totam nequitiam suam adimplere, sed tamen diu non cessabit, sed *indignabitur contra testamentum sanctuarii*, scilicet contra legem Christi, qui electos sanctificat: *& idcirco*, inquit, *faciet & cogitabit adversus eos qui reliquerunt testamentum sanctuarii*, quomodo scilicet illos
C remuneret qui dereliquerunt legem Christi & fidem. *Et brachia*, inquit, *ex eo stabunt, & pollent sanctuarium fortitudinis, & auferent juge sacrificium, & dabunt abominationem in desolationem.* Principes enim terræ & pseudoprophetæ tam de falsis Christianis quam de Judæis brachia ejus sunt. Ii polluent sanctuarium fortitudinis, id est pollutum ostendent comparatione sanctitatis illius seductoris & ministrorum suorum, & polluent membra sanctuarii trahendo ad infidelitatem, & auferent juge sacrificium, quia tentabunt auferre sacramentum altaris, quod in ecclesia jugiter & quotidie
D Deo exhibetur, & inhibebunt obsequium consuetum Christo domino exhiberi, dantes abominationem in desolationem, loco Christi spiritualem quamdam reverentiam expetentes fieri illi seductori & abominabili peccatori. & sic tempora semper proficient in deterius. Ibid. Ibid. 29. Ibid. 30. Ibid. 31.

4. Primo enim se simulavit christianum & christianorum amicum, deinde testamentorum Dei zelatorem, quo palliato zelo, majores ecclesiæ doctores occidit,
E demum Judæos ad suam fallacem hypocrisim traxit, & illi resistentes magna virtute compescuit & contrivit; sed nunc aperte se manifestat christianorum inimicum, cum illorum sacramenta reprobat, & sibi reverentiam exhiberi expetit; & sic non tantum usque ad fortitudinem cœli, id est ecclesiæ magnificatus est, sed se magnificat usque ad principem fortitudinis, id est Christum Dominum, a quo ecclesia om-

nem standi fortitudinem suscipit.

Dan. 8. 11. 5. Quod ex hoc apparet, quia ab eo, inquit Daniel 8. *tulit juge sacrificium*, & sic *dejecit locum sanctificationis ejus*, quam plene non poterat dejicere, illo durante sacrificio singulari; licet non ita intelligatur dejici, ut ab illo cessent electi, quia non cessabit, teste Apostolo, donec Christus venerit ad judicandum; sed auferre illud dicitur, quia illud inhibebit offerri, & offerentes morte mulctabit. Unde in publico nullus ausus erit exhibere obsequium antiquum Christo, nec illud singulare sacrificium offerre Deo. Et unde illi iniquo tanta potestas, ut in hoc prævaleat, propheta subjungit, dicens: *Robur autem datum est ei contra juge sacrificium propter peccata, & prosternetur veritas in terra, & prosperabitur, & faciet.* Sed adhuc ut se Deum faciat, non aperte se elevat, quia istud servatur in aliud tempus, ut postea videbitur. Ibid. 11. Ibid. 24.

CAPUT XI. *De adventu Enoch & Eliæ in redargutionem illius & Judæorum, & illorum ad Christum Dominum conversione.*

1. DAta abominatione in desolationem, & ablato jugi sacrificio, ne in palam exhibeatur, multi impii in testamentum simulabunt fraudulenter, ut bonos & fideles attrahant ad antichristum: sed *populus*, inquit Daniel, *sciens Deum suum, obtinebit ipsum Dei testamentum, & faciet*: nec perversitatem illius seductoris sustinebunt, sed consurgent ad resistendum. unde sequitur: *Et docti in populo docebunt plurimos, & ruent in gladio, & in flamma, & in captivitate, & in rapina dierum*: & illis occisis, tanti & tot surgent tam de falsis christianis, quam de Judæis, pseudoprophetæ cum signis & miraculis, ut seducerentur, si fieri posset, electi: & idcirco in magna angustia & desperatione tunc erunt fideles Christi: sed misericors Dominus in ira illa non continebit misericordias suas, sed in redargutionem illius seductoris Enoch & Eliam, qui hactenus sunt propter hoc in vita servati, mittet in solatium electorum suorum. Dan. 11. 32. Ibid. 33.

Ibid. 32. 2. Hinc Daniel. 11. dicitur: *Cumque corruerint sublevabuntur auxilio parvulo*, ipsi scilicet sancti divina confortatione resistentes antichristo, confortabit enim suos electos per illos duos prophetas magnos. Sed parvulum auxilium dicitur, eo quod diu non durabit, sed tempestive illos occidet bestia quæ ascendet ex adverso. Unde sicut Mathathias cum filiis suis tempore Judaïcæ destructionis, ablato jugi sacrificio legis, & data abominatione desolationis in templo, in solatium Judæorum surrexit contra impium regem Antiochum; ita isti duo prophetæ magni, cum multis quos docebunt in fide Christi & spirituali intelligentia legis, consurgent in solatium fidelium Christi, ubique mittentes qui christianos stare in fide doceant, legemque spiritualiter Judæis, ubicumque terrarum eos invenerint dispersos, exponant, ne in erroribus antichristi penitus pereant, antichristumque per scripturas mendacem ostendant. 1. Mach. 2.

3. Hinc Dominus per Malachiam Judæis aversis ab eo misericordiam promittit, dicens: *Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbiten antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*, id est antequam illa ultima Christi persecutio consummetur, quando talis erit persecutio, qualis non fuit ab initio mundi: ante enim mittentur Enoch & Elias, secundum quod Augustinus libro 21. de Civit. Dei cap. 2. dicit: *Et convertet*, inquit, *cor patrum ad filios, & filiorum ad patres eorum.* Tunc enim Judæi revertentur ad fidem patrum antiquorum, & fides præcedentium patrum revertetur ad Judæos. Unde Glos. ibid. Judæi, inquit, & Christiani, qui nunc inter se discrepant, pari in Christum religione consentient, & sicut Dominus dicit: *Cum Elias venerit restituet omnia*, cum Judæos ad fidem Christianorum revocaverit. Malach. 4. 5. Marc. 9. 11.

4. Unde cum Johannes in Apoc. partem persecutionis antichristi descripsisset, de iis duobus prophetis in persona Domini ait: *Et dabo*, inquit, *duobus testibus meis.* Glos. de Elia & Enoch agitur, per quos prædicatores alii intelliguntur; *Et prophetabunt*, inquit, *diebus mille ducentis sexaginta*, id est tribus annis & dimidio, *amicti saccis*, id est pænitentiam prædicantes & exemplo ostendentes: ad hoc enim a Domino mittuntur & prædicant, ut antichristum mendacem ostendant, qui se esse messiam mentitur, & Judæos convertant ad Christum Dominum nostrum, qui in illius errorem per ignorantiam sese projecerant. Apoc. 11. 3.

5. Hinc Damascenus dicit libro quarto cap. 18. Mittentur, inquit, Enoch & Elias Thesbites, & convertent corda patrum in filios, hoc est synagogam ad dominum nostrum JESUM CHRISTUM & prædicationem apostolorum. De cujus reversione per Osee prophetam ita Dominus dicit: *Diebus* enim, inquit, *multis exspectabis me, non fornicaberis*, quia post mortem Christi non est reversa synagoga ad fornicandum cum idolis. *Et non eris*, inquit, *cum viro tuo*, quia nec per fidem conjungetur Christo, a quo conducta est, dicit Glos. *Sed ego*, dicit Dominus, *exspectabo te, quia dies multos sedebunt filii Israël sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim*, sicut nunc a parte Titi & Vespasiani, qui Judæos de terra sua post mortem Christi expulerunt, in ipsis Judæis impletum videmus. *Et post hæc*, inquit propheta, Osee 3. 3. Ibid. 5.

revertentur filii Israël. Glossa, cum finitum erit tempus cæcitatis quæ contigit in Israel, revertentur fide per prædicationem Eliæ & Enoch, *& quærent*, inquit, *Dominum Deum suum*, id est Deum patrem, & David regem suum, id est Christum, qui secundum carnem factus est ex semine David, *& pavebunt ad Dominum & ad bonum ejus in novissimo dierum.* stupebunt enim ad bona æterna, quæ Christus suis daturus est; de quibus in psalmo: *Credo videre bona Domini in terra viventium.* & sic a carnali intellectu legis & Christi, in quo nunc sperant & exspectant gloriam temporalem, transibunt ad intelligentiam spiritualem, & ad sapiendum de Christo non secundum sæculi hujus fastum, sed secundum promissiones æternorum; & tunc multa implebuntur, quæ sub obscuris ænigmatibus dicuntur in prophetis de conversione Judæorum, & de bonis spiritualibus quæ illis conferet Dominus JESUS CHRISTUS, qui convertentur ad illum.

Ibid. 5.

Psal. 26. 13.

6. Tunc etenim implebitur id quod per recapitulationem dici videtur Danielis 12. *In illo*, inquit, *tempore consurget Michaël princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui.* Gl. tempore antichristi fideliter agens, ut salvet reliquias Judæorum: *Et veniet*, inquit, *tempus, quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt.* Veniet, inquit, non adhuc venit, quia illa maxima antichristi persecutio, ut Augustinus dicit, & post ostendetur, erit post conversionem Judæorum, & in tempore, scilicet cum Michaël surrexerit ad pugnandum cum diabolo & angelis ejus pro Judæis, ut devictus & expulsus de illorum cordibus cum angelis suis, ut amplius illos non seducat, nec infidelitate detineat, projiciatur in terram, id est in cordibus reproborum, qui sola terrena diligunt, recludatur, ut dicitur Apocal. 12.

Dan. 12. 1.

Apoc. 12.

Dan. 12. 1.

7. *In illo*, inquit Daniel, *tempore salvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit scriptus in libro*, scilicet Dei, id est, qui prædestinatus est a Deo spiritu salvatoris in cordibus eorum, dicit Glos. extincto antichristo, id est, antichristi extincta in ipsis infidelitate. non quia antichristus ante illorum conversionem destruatur & interficiatur, cum illos Enoch & Elias ad Christum convertant, qui post ab illo, ut videbitur, interficientur.

8. Hinc Hugo dicit parte 17. lib. 2. cap. 6. « Veniet tunc, inquit, Elias Thesbites, » antequam veniat dies Domini magnus & » illustris, qui convertet cor patris ad filium, » & cor hominis ad proximum suum, ne forte veniens percutiat Dominus terram penitus. Per hunc, inquit, Eliam magnum » admirabilemque prophetam, exposita sibi » lege, novissimo tempore, ante judicium, » Judæos in Christum verum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus cordibusque fidelium, ipse quippe ante adventum judicis salvatoris speratur, esse venturus creditur. curru namque igneo raptus est de rebus humanis, quod evidentissime scriptura sacra testatur. Cum venerit ergo exponendo legem spiritualiter, quam nunc Judæi carnaliter sapiunt, convertet cor patris ad filium, id est cor patrum ad filios; sic enim cor patrum convertetur ad filios, cum intelligentia patrum perducetur ad intelligentiam filiorum, & cor filiorum ad patres eorum, dum in eo quod senserunt, illi consentiunt & isti. »

9. Et ita sicut Apostolus Rom. 11. cum plenitudo gentium ad fidem Christi intraverit, tunc omnis Israël salvus fiet, sicut scriptum est, *veniet ex Sion*, scilicet Christus secundum carnem ex Judæis, *qui eripiat*, Gl. quasi vi, quod nunc fit cum aliquis Judæorum convertitur, *& avertat*, voluntarie, quod erit in fine, quando facile convertentur, *impietatem a Iacob*, id est, infidelitatem a Judæis; *& hoc illis a me testamentum*, hoc scilicet testamentum recipient, quod prædicavit Christus & apostoli, *cum abstulero peccata eorum.* hoc, inquit Glossa, erit in fine, quando prædicatione Eliæ & Enoch convertentur Judæi. de quo magnum gaudium Christi fidelibus atrocissime flagellatis accrescet.

Rom. 11. 25.

Isa. 59. 20.

10. Hinc Johannes postquam projectus est ille serpens antiquus de cordibus Judæorum, audivit vocem magnam in cœlo, id est in ecclesia dicentem: *Nunc facta est salus & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos* de infidelitate *ante conspectum Dei nostri die ac nocte, & ipsi vicerunt illum propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonii sui, & non dilexerunt animas suas usque ad mortem*, quia & ipsi per antichristum, ut dicetur, pro Christo morientur. *Propterea*, inquit, *lætamini cœli & qui habitatis in eis*; vos majores qui cœli estis per puritatem & soliditatem spiritualis vitæ, & vos minores qui cum istis, & per istos habitatis in cœlo ecclesiæ.

Apoc. 12. 10.

11. Quia ut Apost. dicit Rom. 11. *Si delictum Judæorum divitiæ sunt mundi, & diminutio eorum divitiæ gentium, quanto magis plenitudo eorum.* ubi dicit Glos. quia cum in fine mundi plenitudo eorum fuerit conversa, ditabit gentes doctrina & exemplo. Tunc enim Dominus Job, id est Christo in membris suis per antichristum atrociter in amissione suorum flagellato, omnia reddet duplicia, sicut Gregorius lib. 35. Moralium dicit: « Sancta, inquit, ecclesia, etsi multos » tentationis permissione amisit, in fine tamen » sæculi hujus ea quæ sua sunt duplicia » recipit, quando ad plenum susceptis gentibus, » ad ejus fidem currere omnis quæ tunc inventa

Rom. 11. 12.

inventa fuerit etiam Judæa consentit. Hinc namque scriptum est: *Donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël salvus fieret.* Rom. 11. 25.

Matt. 17. 11. 9. Hinc in evangelio Veritas dicit: *Elias veniet, & ille restituet omnia.* nunc enim amisit Israëlitas ecclesia, quos convertere prædicando non valuit; sed tunc Elia prædicante, dum quotquot invenerit colligit, velut plenius recipit quod amisit. Et post: Tunc, inquit, propinqui ad consolationem Job veniunt, cum ad fidem Christi omnes Israëlitæ concurrunt, atque ad ejus protectionem quam quidem fugerant, redeunt. Et tunc illud eximium multiplici aggregatione populorum convivium celebratur. Tunc post flagella quasi sanus Job ostenditur, quando a conversis atque gentibus post passionem suam & resurrectionem Dominus in cœlo immortalis vivere per certitudinem scitur. In fine ergo credentes Hebræi conveniunt, & humani generis redemtori in potentia divinitatis, quasi sano Job, oblationum suarum vota persolvunt, quia sicut dictum est, etiam gentes doctrina rectæ fidei & exemplo ditabunt, & sic, ut propheta testatur, purgati filii scilicet Levi, offerentes erunt sacrificia Domino in justitia.

Caput XII. *Quod antichristus vincet illos, & mulctabit corporali morte.*

1. Cum igitur Judæi, quos insipienter antichristus ad se traxit, sicut Jeremias dicit sub figura stultæ aviculæ perdicis, illum dereliquerint. *Clamavit*, inquit, *perdix, congregavit quæ non peperit, fecit divitias non cum judicio; in medio dierum ejus derelinquunt eum, & novissimis suis erit insipiens*, quia antichristus admodum perdicis contentiosus clamore irrationabili, per pseudo suos prædicatores Judæos attraxit, & in sectam suæ perditionis congregavit, quos cum in lege Domini pepererat, & de ipsis divitias fecit; sed quia sine judicio rationis, ideo in medio dierum ejus, id est, ipso adhuc durante in fastu suæ gloriæ, derelinquunt eum per prædicationem Enoch & Eliæ, in novissimis suis apparebit insipiens, sicut de illo Sapiens dicit: & qui *Stultus apparuit postquam elevatus est in sublime.* Jer. 17. 11. Prov. 30. 32.

2. Unde Gregorius lib. 30. Moralium, Ipse, inquit, antichristus in sublimi elevabitur, cum Deum se esse mentietur, sed elevatus in sublime stultus apparebit, quia in ipsa elevatione sua per adventum justi judicio deficiet. Cum ergo, ut dixi, illum dereliquerint Judæi, illos, excitando persecutionem, nitetur ad se per fraudulentiam revocare.

Dan. 11. 34. 3. Hinc dicitur Daniel. 11. quia *applicabuntur eis plurimi fraudulenter.* Gl. antichristi ministri, ut seducantur, si fieri potest, electi; & quia illos seducere non poterunt, *de erutis* Judæis ab infidelitate antichristi *ruent* morte corporis, & diversis tribulationibus & pressuris; & ideo sequitur, *ut conflentur & dealbentur.* Gl. probatiores facti. Ad hoc enim præmissa Deus permittet fieri, ut sancti sui tribulationibus & pressuris sint puriores. Et hoc, inquit, *usque ad præfinitum tempus, quia adhuc aliud tempus erit*; non enim in hac tribulatione finem habebit, sed in sequenti maledictio antichristi, de qua post tractabitur, Domino juvante. Ibid. 35.

4. Tunc timor magnus Christi invadet electos. hinc Job 18. dicitur: *In diebus ejus stupebunt novissimi, & primos invadet horror.* quia ut 13. Moral. dicit Gregorius: Tanta tunc contra justos iniquitate effrenabitur, ut etiam electorum corda non parvo pavore feriantur, unde scriptum est: *ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*, quod videlicet dicitur, non quia electi casuri sint, sed magnis terroribus trepidaturi. Tunc vero contra eum certamen justitiæ & novissimi electi habere dicuntur & primi, quia scilicet ii qui in fine mundi reperientur, in morte carnis prosternendi sunt, & illi etiam qui a mundi prioribus patribus processerunt, Enoch scilicet & Elias, ad me Dominum vocantur, & crudelitatis ejus sævitiam in sua adhuc mortali carne passuri sunt. Hujus, inquit, vires in tanta potestate laxatas novissimi obstupescunt, & primi metuunt, quia licet juxta hoc quod spiritu superbiæ elevatur, omnem temporalem ejus potestatem despiciunt, juxta hoc tamen quod ipsi adhuc in carne mortali sunt, in qua cruciari temporaliter possunt, ipsa quæ fortiter tolerant supplicia perhorrescunt; ita ut in eis uno eodemque tempore, & constantia ex virtute sit, & pavor ex carne: quia etsi electi sunt ut in tormentis vinci nequeant, per hoc tamen quod homines sunt, & ipsi metuunt tormenta quæ vincunt. Dicatur ergo, *in diebus ejus stupebunt novissimi, & primos invadet horror*, quia videlicet tanta tunc signa monstraturus, & crudelia ac dura facturus est, ut ad stuporem perducat quos in fine mundi invenerit, & priores patres, qui in ejus expugnationem servati sunt, carnalis mortis dolore transfigat. Job. 18. 20.

5. Hinc Apocal. 11. Johannes de Enoch & Elia dicit: *Cum finierint*, inquit, *testimonium suum* de Christo prædicando Judæis, & ipsos revocando ad fidem præcedentium patrum, quod erit post tres annos & dimidium, sicut Glossa dicit, *Bestia quæ ascendit de abysso*, id est antichristus, qui per tenebrosos ascendit ad imperium, *faciet adversus illos bellum, & vincet illos* disputationi- Apoc. 11. 7.

bus, dicit Glos. & *occidet illos* corporaliter, » sicut Damascenus dicit lib. 4. cap. 18. Mittentur autem Enoch & Elias Thesbites, & convertent corda patrum in filios, hoc est synagogam ad dominum Deum nostrum & prædicationem apostolorum, & ab ipso antichristo interficientur.

6. Tunc implebitur quod Apocal. 11. Ibid. 8. dicitur: *Quia corpora illorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi Dominus illorum crucifixus est*; scilicet in Jerusalem terrestri, quæ propter malitiam Sodoma dicitur, & Ægyptus ubi Christus dominus est crucifixus prophetarum sanctorum; aut forsitan magna civitas Roma, quæ in imperio successit primæ Babyloni, spiritualiter vocatur Sodoma & Ægyptus, quam & B. Petrus in canonica sua Babylon, propter iniquitatum confusionem appellat, a Roma fidelibus scribens, & dicens: 1. Pet. 5. 13. *Salutat vos ecclesia quæ est in Babylone coelecta*, quia secundum Ambrosium tentabit rempublicam Romanam reformare, non sub nomine Christi, sed sub suo nomine. In qua & Dominus illorum, Enoch scilicet & Eliæ, crucifixus est, non in se sed in membris suis, sicut Petro, ait: *venio Romam iterum crucifigi*.

7. Quod tamen prædicta in terrestri Jerusalem impleantur, magis videtur consonum dictis & expositionibus sanctorum patrum; & in signum suæ victoriæ antichristus Apoc. 11. 9. *illorum corpora per tres dies & dimidium non sinit poni in monumentum*, ut ejus victoriam videant illi qui de populis, tribubus, linguis & gentibus ad ipsum sunt congregati, & gaudentes & invicem muneribus applaudentes de morte istorum prophetarum, qui prædicando veritatem illos cruciaverunt, illorum redarguendo infidelitatem. Ibid. Sed *post tres dies & dimidium*, animæ ad corpora revertentur, & immortalitate Ibid. 12. ditabuntur, & a Deo vocati in cœlum ascendent in nube, videntibus inimicis eorum magno timore concussis, sicut in Apocal. 11. dicitur.

8. Cum ergo illos tantos prophetas & tam sanctos devicerit & morte affecerit, multi qui stare videbantur cadent in infidelitate, & boni remanebunt in magna desperatione. Hinc est quod ibidem subjun- Ibid. 13. gitur: *In hac hora factus est terra motus magnus, & decima pars civitatis cecidit*. Gl. de ecclesia ceciderunt multi, de quibus credebatur decimus ordo restaurari; *& occisi sunt in illo terræ motu*, id est in commotione hominum terrenorum, *septem millia nomina hominum*, id est de hominibus nominatis & magnis magna multitudo antichristi infidelitate occisa est, quæ per numerum septenarium figuratur, qui numerus est perfectus. Et illis cadentibus, *reliqui*, qui non ceciderunt, *in timorem missi sunt*, *& dederunt gloriam Deo cœli*, id est quod stare potuerunt, non sibi sed Dei gratia tribuerunt.

9. Hinc veritas in evangelio Matth. 24. Matt. 24. 29. ait: *statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur*. Gl. non quod tota transacta tribulatione, sed quod præcedet tribulatio, ut sequatur quorumdam defectio. Tunc sol obscurabitur, id est majores ecclesiæ qui illam illuminant se abscondent, ut coram impiis non luceant, & luna per quam activi primitivæ ecclesiæ figurantur, a majoribus quondam illuminati, *non* Ibid. *dabunt lumen suum, & stellæ cadent de cœlo & virtutes cœlorum movebuntur*. quia ut dicit Gl. impiis tunc ultra modum sævientibus, cadent multi, qui fulgere videbantur, & firmissimi turbabuntur. Tunc enim antichristus totis nitetur viribus ad se revocare Judæos.

10. Inde est quod Johan. Apocal. 12. illud magnum & mirabile signum videns, quod Apoc. 12. 1. *mulier amicta sole* justitiæ, *sub* cujus *pedibus*, id est affectibus, est *luna*, id est omnia terrena, quæ in eodem statu non permanent, *& in capite ejus corona*, id est victoria; 12. *stellarum*, id est 12. apostolorum, per quos devicit mundum: *in utero*, id est in absconso fovens Judæos tamquam adhuc teneros, & parvulos in fide, donec in illis formetur Christus, *clamat parturiens*, quia a serpente cruciatur, id est diversis tribulationibus premitur, *ut parturiat*, Judæos in lucem producat.

11. Inde *Draco*, id est antichristus, per se & suos *stat ante mulierem quæ erat paritura* Ibid. 4. de Judæis, *ut cum peperisset devoraret*, sed tamen in illis *peperit filium masculum, qui recturus erat gentes in virga ferrea*, id est in illorum cordibus Christi fidem perfectam, ut confiterentur ipsum verum hominem & verum Deum. Unde *filius ejus*, id est Chri- Ibid. 5. stus per fidem in cordibus illorum genitus, *raptus est* ad æqualitatem Patris, credendo illum vere Patri æqualem. Quo facto *mulier fugit in solitudine*, id est ecclesia in viris perfectis, qui Judæos in Christo pepererant, ac nutrierant, & in fide docuerant, formata in illorum cordibus fide Christi, duxerant ad perfectum, fugiunt serpentem antichristum, deserentes gloriam terrenorum. Unde fugit in desertum: *Ubi habet locum paratum a Deo, ut ibi* Deus *pascat illam diebus mille ducentis sexaginta*, id est tribus annis & dimidio, quia tantum durabit ultima persecutio, ut dicetur.

12. Hinc illud magnum bellum oritur, Ibid. 7. quia draco nititur revocare Judæos; sed *Michaël & angeli ejus* pro Judæis pugnant cum dracone, ne ad infidelitatem revertantur & ab ipso seducantur, sed illum vincunt propter sanguinem Agni & propter Verbum testimonii sui, nec dilexerunt ani-

mas suas usque ad mortem; & quia non potest illis antichristus prævalere, persecutionem totam convertit in mulierem, id est in veros perfectos ecclesiæ, qui illos pepererant in Christi fide. Sed alis duorum testamentorum sublevata fugit in desertum, dimittens mundum in locum suum, ubi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis, id est tribus annis & dimidio alitur in pascuis duorum testamentorum, terrena deserens, & se abscondens a facie serpentis, quam pressuris tribulationum nititur apprehendere, sed non potest. Ideo revertitur *facere prælium cum reliquis de semine ejus*, sive de Christianis, sive qui remanserunt de Judæis conversis, *qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium* Jesu, *& sedit super arenam maris*, id est moratur & regnat in cordibus malorum arenosis & infructuosis, & sic *secundum va abiit*. Sed quomodo Johannes dicit; *Et ecce tertium va cito veniet*, in quo erit finis, quia arenam maris congregabit de cetero, ut ultimum inferat bellum, qui interim dat gloriam Deo pro passionibus conversorum Judæorum, de quo bello agendum est.

Ibid. 13. Ibid. 17. Apoc. 11. 14. Ibid. 12. 18.

INDEX CAPITUM quartæ Partis.

Caput I. *De elatione antichristi qua sibi cultum divinum appetet exhiberi.*

Caput II. *De ministris quos post faciem suam in universum mundum destinabit.*

Caput III. *Quod contra ecclesiam doctores falsos & principes adunabit.*

Caput IV. *De hortatione sanctorum illius temporis ad invicem ad perseverandum in fide & ad patiendum pro Christo.*

Caput V. *De acerbitate illius persecutionis.*

Caput VI. *De timore & trepidatione sanctorum illius temporis.*

Caput VII. *Quod per scripturas corda nutantia firmabuntur.*

Caput VIII. *De duratione illius persecutionis.*

Caput IX. *De breviatione dierum illius temporis.*

Caput X. *Quod antichristi ministri dicent pax & securitas.*

Caput XI. *De ultima illius iniqui elatione.*

Caput XII. *De illius destructione in monte oliveti.*

Caput XIII. *De destructione corporis sui adventu* Jesu Christi.

Caput XIV. *Brevis conclusio & recapitulatio prædictorum.*

Caput I. *De elatione antichristi, qua divinum cultum appetet sibi exhiberi.*

1. Sicut beatus Gregor. lib. 34. Moral. dicit: « Ætas nostra per annos juveniles decurrens robustius viget, in senili « vero tempore crebrescentibus morbis ex- « coquitur, ita, inquit, mundi tempus dum « venientibus annis augetur, crebrescenti- « bus malis afficitur, & unde ætatis augmen- « tum percipit, inde salutis dispendium sen- « tit: tribulationes namque illi cum tem- « poribus crescunt; & eo detrimenta vitæ « debilior tolerat, quo quasi ad vitam pro- « vectior durat. Totis enim viribus contra « illam antiquus hostis solvitur, & extrema « mundi atrocius tentaturus aggreditur, quia « tanto fit ferventior ad sævitiam, quanto « se viciniorem sentit ad pœnam. considerat « quippe, quod juxta sit, ut licentiam ne- « quissimæ libertatis amittat & quantum bre- « vitate temporis angustatur, tantum mul- « tiplicitate crudelitatis expanditur. «

2. Hinc voce angelica primitus descripta per Enoch & Eliam conversione Judæorum & morte tam ipsorum quam ab illis conversorum, Johanni dicitur Apocal. 12: *va terra & mari*, terrena diligentibus & per vitia fluitantibus & intumescentibus, *quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet.* Antiquus enim hostis conversionem Judæorum antichristum impleri videns, ipsis scripturis testantibus appropinquare cognoscit tempus suæ ultimæ damnationis; quia, inquit Gloss. multos videt sibi subtrahi & in locum suum substitui, novit enim per scripturas, quia cum venerit Elias restituet omnia, & idcirco non restat nisi finis. Tunc ergo in magnæ iræ fervorem se dilatat, ne qui in beatitudine stare non potuit, in damnationis suæ foveam cum paucis ruat. tunc quidquid nequiter valuerit callidius exquirit, tunc cervicem superbiæ altius erigit, & per damnatum illum quem gestat hominem, omne quod temporaliter prævalet, nequiter ostendit.

Apoc. 12. 12.

3. Hinc est quod Dominus ad sanctum Job loquitur, dicens: *Stringit caudam suam quasi cedrum*: cauda ejus antichristus nuncupatur, per quem mundi extrema debilia aggreditur. Quem quia modo honoribus sæculi, modo signis & prodigiis fictæ sanctitatis in tumorem superbiæ elevare permittit, recte voce Dominica cauda illius comparatur cedro: sicut enim cedrus arbusta cetera in altum crescendo deserit, ita tunc antichristus mundi gloriam obtinens, mensuras hominum & honoris culmine & signorum potestate transcendit. Et bene iis superbia & fastu mundanæ gloriæ crevit, qui primitus cornu modicum exiens, &

Job. 40. 12.

christianum se simulans, indignus credebatur honore: sed per hypocrisim culmen potestatis ascendens, zelatorem & ducem se christianæ religionis finxit. Demum altius se extollens, ecclesiasticæ fortitudini sanctos occidendo prævaluit, & postmodum crescendo magnificatus est usque ad principem fortitudinis, & ab illo juge sacrificium tulit. Sed usque ad supercilium superbiæ deveniens, contra Deum se erigit, & Deum Deique filium se esse per falsa signa nititur. Virtutibus enim mendacii se Deum mendaciter ostendet, sicut Ambrosius super 2. epist. ad Thessalon. dicit: Quæ ideo, inquit, falsa portenta dicuntur; quia se vult credi per signa quod non est, ut decipiat quos circumventurus est.

4. Quod sanctis ideo prædictum est, ut sciant quid caveant. Hinc & quia sanctos prophetas Eliam & Enoch audivit legem & prophetas Judæis spiritualiter exponentes, & spirituales & æternas esse veri Christi promissiones, & quia Dominum oportuit in humilitate venire, non in fastu sæcularis gloriæ; sed pro nobis oportuit ipsum a gentibus exprobrari, & a Judæis ad mortem tradi, & ita per passionem in gloriam suam intrare, & sic in ejus nomine post ascensionem ejus salutem omnibus prædicari, & omnes gentes verum Deum ipsum credere, signa sua omnipotenti Deo tentabit assimilare, ut sui ministri scripturas de illo valeant exponere, ad quod artibus magicis peragendum diaboli virtutem accipit, qui totam suam nequitiam tunc agere permittitur, & magna potestate.

5. Hinc est quod post interfectionem sanctorum prophetarum Enoch & Eliæ, & patrum ecclesiæ, quæ Judæos in fide peperit, & ad Deum per gloriosum martyrium plurimos ex mundo transmisit, Johannes
Apocal. 13. 1. *bestiam*, id est antichristum, *ascendentem*, id est continue se per superbiam erigentem, & in deterius proficientem; *de mari*, id est de collatione malorum principum & populorum vitiis amarorum, *vidit habentem capita septem*, id est diversos principes; Glos. dicit, *& cornua decem*, id est eos per quos principes impugnant decalogum; *& super cornua ejus decem diademata*, Gl. quia non est aliquod præceptum, quod per principes non infringatur, & de quo ipsi coronentur: *& super capita ejus nomina blasphemiæ*, quia, inquit Glossa, principes ejus Christum dicunt non Dominum fuisse, sed
Ibid. 2. magum. *Et bestia*, inquit, *quam ego vidi, similis erat pardo*, variis hæresibus respersa & simulationibus occultans vitia. *Et pedes ejus sicut pedes ursi.* Gl. id est missi a principibus veloces conculcantes. *Et os ejus*, Gl. id est majores in sermone, *sicut os leonis*, quia devorant & fœtent.

6. *Et dedit illi*, inquit, *draco virtutem suam & potestatem magnam*, Gloss. faciendi miracula, ut simulet & fingat quidquid voluerit; & quod finget subjungit: *Et vidi*, Ibid. 3.
inquit, *unum de capitibus suis*, id est de capitibus diaboli, *quasi occisum in mortem*, Gl. antichristum fingentem se tamquam mortuum: simulabit enim tunc antichristum mortuum, & post triduum apparebit, dicens se suscitatum, sicut dicit Gl. *Et plaga*, inquit, *mortis ejus curata est*, Glossa, arte magica ascendet in aëra, ferentibus eum dæmonibus, & sic curabitur plaga mortis ejus, quia qui prius mortuus credebatur, post vivus reputabitur. Et ex hoc trahet homines in sui admirationem, ut tamquam Deum diabolum adorent ejus patrem, & ipsam bestiam antichristum diaboli imaginem, tamquam Deum & Dei filium.

7. Unde sequitur: *Et admirata est universa terra post bestiam*, id est antichristum, *&* Ibid.
adoraverunt draconem, id est diabolum, *& dedit potestatem bestiæ.* Glossa, diabolus illi dedit potestatem resurgendi; *& adoraverunt bestiam*, id est antichristum, *dicentes: Quis similis bestiæ*, id est antichristo, qui surrexit a morte, *& quis poterit pugnare cum ea*, id est voluntati ejus resistere?

8. Hinc aperte magnificabit se, & cultum Dei sibi exhiberi expetet. Unde Johannes ibid. subjungit: *Et aperuit os suum* Ibid. 6.
per blasphemias ad Dominum. Gl. in tantam fiduciam prorupit, ut quod ante occulte, jam tunc publice audeat blasphemare: aperuit, inquit, os blasphemare nomen ejus, Glossa, omnem institutionem ejus per quam laudabilis apparet; vel nomen Dei Christi blasphemabit, id est JESUM, qui in quantum Deus, est Salvator, dicens seipsum Salvatorem, qui purus est homo.

9. Inde 1. Johan. 4. dicitur: *Omnis spiritus qui confitetur* JESUM *in carne venisse, ex* 1. Joh. 4. 2.
Deo est; & omnis spiritus qui solvit Christum, dicens ipsum JESUM Deum non fuisse, nec homines salvare potuisse, hoc est enim Christum solvere, illi nomen Salvatoris auferre, *ex Deo non est, & hic est antichristus, de quo audistis quoniam venit.* Gl. imminente die judicii, & ita nomen Dei blasphemabit, JESUM negando salvare homines potuisse & tabernaculum ejus, id est ecclesiam militantem, in qua tamquam in tabernaculo Deus habitat; & eos qui in cœlo habitant, id est sanctos de ecclesia, qui per mortem in Christi fide ad Deum transierunt, ipsos negando perfecte placuisse Deo, nec terram promissionis æternæ intravisse. Sic enim supra modum extolletur ex simulata morte & resurrectione.

10. Hinc Daniel de illius elatione in qua finis erit, ait: *Et faciet rex Aquilonis*, anti- Dan. 11. 36.
christus, *juxta voluntatem suam*, ut scilicet astute fingat artibus dæmonum quidquid fingere voluerit, *&* ex hoc, inquit, *elevabitur*

bitur & magnificabitur adversus omnem Deum, id est supra omnes sanctos, & contra eos qui dii dicuntur, dicente scriptura: *Ego dixi, dii estis & filii Excelsi omnes.* (Psal. 81. 6.) Et ad Moysen Dominus dicit: *Ego constitui te deum Pharaonis.* (Exod. 7. 1.)

11. *Et adversus*, inquit, *Deum deorum loquetur magnifica*, id est, blasphemias, *& dirigetur*, id est prosperabitur, *donec compleatur iracundia.* (Dan. 11. 36.) *Perpetrata quippe definitio est*, apud Dei scilicet præscientiam, quanto tempore sæviat, unde alia littera habet: *In ipso erit consummatio.* Et *Deum*, inquit, *patrum suorum non reputabit* in Deum dominorum, scilicet Deum Abraham, Isaac & Jacob, quia de Judæis nascetur antichristus. Et quod dicit, quia *erit in concupiscentiis feminarum*, (Ibid. 37.) pro membris accipitur, quia, ut dicit Gl. castitatem simulabit, ut facilius decipere possit. Et in concupiscentiis erit feminarum, id est animarum hominum, ut eas a Domino secum faciat fornicari, expetendo ab illis cultum divinum, qui molles & instabiles sunt more feminarum. *Nec quemquam*, inquit, *deorum curabit*, sed *adversus universa consurget.*

12. Hinc Apostolus 2. Thessal. 2. (2. Thess. 2. 4.) de illo singulari superbo, *qui adversatur & extollitur super omne quod dicitur Deus*, id est, super omnes sanctos qui dii dicuntur beneficii gratia, *aut quod colitur*, ut Deus Trinitas: *ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit Deus*, secundum aliquos in templo Jerosolymitano quod reædificabit, ut dicitur, aut melius secundum B. Augustinum lib. 20. de Civit. Dei cap. 19. in ecclesia, quæ templum Dei est, non illud materiale Jerosolymitanum. Unde littera Græcorum habet ita, ut in templum Dei sedeat, quasi ipse cum suis sit templum quod est ecclesia Dei, sicut dicitur in amicum, id est ut amicus, ostendens se tamquam sit Deus. Gl. sicut in Christo omnis plenitudo divinitatis habitavit, ita & in antichristo plenitudo malitiæ & omnis iniquitas habitabit. diabolo omnium malorum capite in ipso manente, qui Dei similitudinem in paradiso appetiit dicens: *Ascendam in cælum, & ero similis Altissimo*; (Isa. 14. 14.) sed in superbia crescens in illo damnato homine, super Deum se extollit.

13. Hinc Gregorius lib. 29. Moralium dicit: »Diabolus in lapsus sui crimine juste dimissus, in mensura ruinæ suæ minime permansit, sed quanto diu ab omnipotentis gratia defuit, tanto magis reatum criminis cumulavit; namque ideo occidit, quia perverso ordine Deo similis esse potuit. eo usque productus est ut antichristus veniens videri Deo similis dedignetur, atque eum quem habere non potuit superbus æqualem, damnatus inferiorem putet. Nam cum de illo Apostolus dicit: *Extollens se supra omne quod dicitur Deus aut quod colitur*, (2. Thess. 2. 4.) aperte monstratur, quia appetendo dudum similitudinem, quasi juxta Deum se erigere voluit, sed in superbiæ culpam crescendo, jam se super omne quod dicitur Deus & colitur, extollit. In templo ergo Dei sedens, & ostendens se tamquam sit Deus, abominatio in loco sancto tunc manifeste apparebit, cum cultum soli creatori debitum ipse purus homo existens sibi expetet exhiberi.

14. Hinc propheta Zacharias, cum *Dominus dixit: adhuc sume tibi vasa pastoris stulti*, (Zach. 11. 15.) Gl. id est insignia & habitum antichristi, *quia ecce*, inquit Dominus, *suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas illorum dissolvet.* Ad illum se convertit propheta dicens: *O pastor & idolum derelinquens gregem.* (Ibid. 17.) Gl. tam sceleratus es, ut non cultor idolorum, sed ipsum idolum nomineris, dum vis ab hominibus adorari, qui derelinquis gregem a bestiis devorandum, quem Dominus tanto tempore custodierat. Hinc & ipse idololatra erit, in se & in suis colendo diabolum, quem Dominum dicet & patrem suum vocabit.

15. Inde dicitur Daniel 11. *Deum autem Maosim in loco suo venerabitur.* (Dan. 11. 38.) Glossa. Diabolum in seipso & ubicumque fuerit, sicut in loco suo, id est in membris suis; *& Deum quem ignoraverunt patres ejus, colet auro & argento, & lapide pretioso rebusque pretiosis*, quia ex iis imaginem diaboli & sui faciet, & adorabit, sicut dicitur in Apocalypsi, vel per aurum & argentum lapidesque pretiosos, qui dominabitur omnibus pretiosis hujus mundi, procurabit Dei cultum ab hominibus sibi & diabolo exhiberi. *Et ita faciet ut muniat Maosim*, (Ibi. 39.) deum suum, *cum deo alieno quem cognovit*, & quacumque fraude procurabit, ut cum diabolo quem cognovit, qui non est vere Deus, sed alienus, Maosim, id est seipsum, dicet esse hominum præsidium, credetur unus Deus, *& sic multiplicabit gloriam*: de cujus gloriæ dilatatione nunc agendum est.

Caput II. *De ministris quos post faciem suam in universum mundum destinabit.*

1. Diabolus, ut ait Ambrosius, super 2. epist. Thessalonic. «iniquitatis hominem subornabit, in quo & per quem signa quædam virtutis permissu Dei faciens, se commendare valeat, ut ab hominibus adoretur ut Deus, in quo Filium Dei imitetur, falsam divinitatem ostentans, & ubique per ministros suos hominibus prædicans.»

2. Hinc est quod sicut Christus post suam veram pro nobis mortem, ac post tridua-

nam sepulturam & resurrectionem discipulis apparens, illosque Spiritus-sancti adventu visibiliter ditans, cum potestate dandi Spiritum-sanctum, misit in mundum, ut sibi subjungeret per veram fidem, & ipsum cum Patre adorarent omnes reges terræ, & omnes gentes eidem servirent, sicut potestatem acceperat a Deo Patre, ut ipse ait:
Matt. 28. 18 *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra; idcirco euntes in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ.* Ita ille hypocritarum summus, post faciem suam in mundum pseudoapostolos missurus est, qui & ejus fictam mortem prædicent, & resurrectionem, ut accipiat potestatem generaliter in omnem populum, tribum & linguam, & confirmet signis quibusdam & prodigiis fictis legem ab eo primitus publicatam, quam a Spiritu Dei finget sibi datam, sicut in Apocal. 13. dicitur: quia imagini bestiæ,
Apoc. 13. 7. cujus curata est plaga mortis, *data est potestas in omnem tribum, populum & linguam, & gentem, & adoraverunt eam omnes qui habitant in terra*, id est omnes reprobi, *quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ Agni, qui* in suis membris, ut in Abel, *occisus est ab origine mundi.*

Dan. 11. 39. 3. Hinc dicitur Daniel. 11. quia rex Aquilonis antichristus postquam per fictam resurrectionem fuerit in sublime elevatus, *dabit* suis ministris *potestatem in multis*, scilicet fictis miraculis & prodigiis faciendis, *& terram* illis *dividet gratuito*, id est possessiones sanctorum dividet satellitibus suis, ut prælietur adversus Christum regem Austri tempore præfinito. Unde ad Christi nomen de terra delendum suos ministros mittens in mundum universum, provincias illis dividet, quos loco Spiritus-sancti maligno spiritu replevit, cujus potestate signa omnia & prodigia mendacia sunt facturi.

4. Inde est quod Johannes Apocal. 16.
Apoc. 16. 13. *Vidi*, inquit, *de ore draconis*, id est de inspiratione diaboli, *& de ore bestiæ*, id est de verbis antichristi, *& de ore pseudoprophetæ*, id est de verbis pseudoapostolorum, exiisse *tres spiritus immundos in modum ranarum*, Gl. id est dæmones, quos in cordibus aliorum generat. *Sunt enim*, inquit Johannes, *spiritus dæmoniorum facientes signa.* Accipiet enim antichristus a diabolo spiritum malignum, & insufflabit suis ministris quos mittet in mundum, & ipsi potestatem habebunt dandi aliis. Unde Johannes subdit:
Ibid. 14. *Et procedunt* signa & miracula *ad reges totius terræ, congregare illos in prælium ad diem magnum Dei omnipotentis*, id est ad illam ultimam persecutionem peragendam, in qua
Apoc. 17. 14. gentes *pugnabunt cum Agno*, id est Christo, *& Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum est, & Rex regum, & qui cum illo sunt vocati electi & fideles.* Apocal. 17.

5. Sic ille spiritualis Holophernes antichristus dux exercitus a Nabuchodonosor, id est diabolo, constitutus, duces & magistratus convocat, virosque in expeditione dinumerat, ut mittat ad universum mundum sibi & diabolo per infidelitatem subjugandum, Israëlemque Dei populum, si possibile sit, pervertendum, credens quia Jordanis influere possit in os ejus. Quia enim fluidum mundum in vitiis sua infidelitate absorbebit, non mirabitur, sed quod idem possit de Christi electis baptismo sacro purgatis facere æstimabit; sic & spiritualis Antiochus ministros iniquos destinat, qui in templo Dei, id est ecclesia, abominandum idolum desolationis ultimæ ponant, & per falsitatem signorum & fictam sanctitatem, bestiam & ejus imaginem loco Dei omnes adorare faciant, sanctosque Altissimi conterant.

6. Hinc Johannes Apocal. 13. postquam antichristi descripsit resurrectionem simulatam, de ministris ejus quos destinabit in mundum cum potestate signorum & miraculorum, subdidit: *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra.* Gl. pseudoapostolos antichristi; qui in prædicationem proficientes, in superbiam eriguntur, & proficiunt per amantes terrena. Unde alia Glos. ibid. Hic, inquit, describit persecutionem quæ fiet per apostolos antichristi, quos ipse per totum mundum sparget. Apoc. 13. 11.

7. De quorum hypocrisi subdit: *Et habebat duo cornua similia Agni, & loquebatur sicut draco.* quia, inquit Glos. simulabunt se habere innocentiam & puram vitam, & veram doctrinam & miracula quæ Christus habuit, & suis discipulis dedit. Inde Gregorius lib. 33. Moral. dicit: Post antichri- «
stum alia bestia ascendisse de terra dicitur, «
quia post eum multitudo prædicatorum «
illius ex terrena potestate gloriatur. de «
terra quippe ascendere est terrena gloria «
superbire, quæ habet cornua similia Agni, «
quia per hypocrisim sanctitatem eam quam «
veraciter in se Dominus habuit, singulari- «
ter sibi inesse, & sapientiam mentitur & vi- «
tam. Sed quia sub Agni specie auditoribus «
reprobis serpentium virus infunditur, recte illic subditur, *& loquebatur ut draco*: nam si aperte ut draco loqueretur, Agno similis non appareret, sed assumit Agni speciem, ut draconis exerceat operationem. Inde est quod tedæ ignis accensæ Job 41. antichristi hypocritæ comparantur, quæ teda odorem suavem habet, sed lumen obscurum; quia, inquit Gregorius ubi supra, Job. 41. 10.
Antichristi ministri sanctitatis sibi speciem «
arrogant, sed tamen opera iniquitatis exer- «
cent, & sic quasi blandum est quod redo- «
lent, sed nigrum quod lucent: olent enim «
per simulationem justitiæ, sed obscurum «
ardent per nequitiæ perpetrationem. «

CAPUT III. *Quod contra ecclesiam doctores falsos & principes adunabit.*

1. SEd isti pharisæi hypocritæ, ut contra membra Christi suam possint malitiam sagacius adimplere, legis doctores sibi associant. Hinc Johannes in Apocalypsi dicit, quia ista bellua sibi assumit *duo cornua similia Agni*, id est, duo testamenta sibi usurpat, in suam infidelitatem trajiciens duorum testamentorum doctores, ut quod falsis miraculis asserunt, ii subdolis argumentis scripturarum confirment, & perplexis rationibus probent. Hinc ad sanctum Job 11. de antichristi prædicatoribus dicitur, *nervi testiculorum ejus sunt*. Tot enim, secundum Gregorium antichristus testes habet, quot iniquitatis suæ prædicatores possidet. An ejus testes non sunt, qui pravis persuasionibus corda hominum virulenta erroris semina fundendo corrumpunt.

Apoc. 13. 11.

Job. 40. 12.

2. Apte autem dicitur, ut Gregorius dicit 32. Moral. libro, quia *nervi testiculorum ejus perplexi sunt*, quia videlicet prædicatorum illius argumenta dolosis assertionibus innodantur, ut recta esse simulent quæ perversa persuadent, ut allegationum implicatio sit quasi nervorum perplexitas, & si videri possit, solvi non possit. Idcirco nervos ejus testiculi perplexos habent, quia acumina prædicatorum illius sub argumentis duplicibus latent. Hinc est quod prudentes in sæculi hujus sapientia erunt, ut callide contra Christum scripturas exponant, & fidem antichristi verum fore mane pronuncient.

8. Quia ut Gregorius lib. 13. Moralium dicit: Ille damnatus homo non pauperes idiotas & simplices, sicut Christus ad prædicandum suam veritatem elegit, sed astutos ac duplices, & hujus mundi scientiam habentes, ad suam falsitatem prædicandam & defendendam electurus est, sicut per Isaiam dicitur de antichristo qui terra est, cui singulariter væ damnationis æternæ debetur, qui mittit legatos suos in vasis papyri super aquas. De papyro enim carta fit, & idcirco per papyrum sæcularis scientia designatur. In vasis ergo papyri super aquas legatos mittit, quia prædicatores suos sæculari pollentes sapientia, ut ad iniquitatem suam defluentes populos trahant, in mundo spargit. unde oculi antichristi sunt prævidentes, quam caute per scripturas ipsius infidelitatem esse asserant verum lumen.

Job. 41. 9. 9. De quibus Job. 41. dicitur: *Oculi ejus quasi palpebræ diluculi*, quia prudentes hujus sæculi, malitiæ antichristi perversis consiliis inhærentes, oculi sunt antichristi: sed quasi palpebræ diluculi, quia fidem quam in Christo inveniunt, quasi erroris noctem asserunt, & venerationem antichristi verum esse mane pollicentur. Spondent se tenebras repellere, & veritatis lucem signis per hypocritas clarescentibus nuntiare; quia nec persuadere quæ volunt possunt, nisi exhibere se meliora fateantur.

10. Nec solum hypocritæ ad persequendum ecclesiam doctores iniquos sibi associant, sed etiam mundi principes sibi & perversis prædicatoribus jungunt; hinc in Apocal. 17. dicitur: *Decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt: sed potestatem tamquam reges accipient, una hora post bestiam. Ii unum consilium habent, & potestatem, & virtutem suam bestiæ tradent*. Ad hoc tradent, ut cum Agno, id est Christo, in membris suis pugnent. Quod ergo hypocritæ antichristi signis & prodigiis asserunt, perversi doctores per scripturas ita credi debere ostendunt, & quod perversi doctores prædicant, sæculi principes minis & terroribus debere fieri compellunt, & sic hypocritas & antichristi doctores protegunt, ut facilius seducant. Apoc. 17. 12.

6. Hinc Job 41. dicitur: *Per gyrum dentium ejus formido*; quia iniquos, inquit Gregorius, antichristi prædicatores perversæ hujus sæculi protegunt potestates. Nam quos illi appetunt loquendo seducere, multi potentum student sæviendo terrere; sic umbra protegit umbram, & squamma adhæret squammæ. Quia tenebrosos hypocritas doctores tenebrarum protegunt per scripturas, & ii adinvicem adhærent squammis principum terrenorum, & nequeunt separari, tenentes se invicem; quia eo ad defensionem suam vicissim constricti sunt, quo se sibi per omnia similes esse meminerunt. Job. 41. 5.

Ibid. 6.

7. Hinc est quod illa bellua falsis doctoribus conjuncta, & terrenis potestatibus munita, quæ post antichristi fictam mortem & resurrectionem ascendens de terra, signis & prodigiis fictis, in brevi tempore universum mundum in partem antichristi trajiciet; & a seductis diabolum & ejus imaginem antichristum adorari faciet. de qua Johannes Apocal. 13. ait: *Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus*, id est in nomine antichristi, quem tamquam caput sibi proponit in omnibus. omnes modos decipiendi faciet, quibus antichristus decepit. *Et fecit*, inquit, *terram & inhabitantes in ea*, scilicet terrenos & in amore terrenorum perseverantes, *adorare bestiam primam*, id est antichristum, *cujus plaga mortis curata est*. Glossa, quia iis simulata resurrectione, prædicationis suæ jacuerunt fundamentum, sicut & Apostoli Christi fecerant. *Et fecit*, inquit, *signa magna, ut etiam* ad confirmationem prædicationis suæ, *ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum*. Gl. ut apo- Apoc. 13. 12.

Ibid. 13.

ſtolis datus eſt Spiritus ſanctus in ſpecie ignis, ſic & illi dabunt ſpiritum malignum in ſpecie ignis, ut tamen omnes videre poſſint, cum apoſtoli in conclavi acceperint.

8. Vide mirabile, qualiter diabolus omnia ſigna ſua nititur ſummo Deo ſimulare.
Ibid. 14. *Et ſeduxit*, inquit, *habitantes in terram*, *propter ſigna quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ*, id eſt in invocatione nominis antichriſti, *dicens*, id eſt præcipiens *habitatoribus in terra*, *ut facerent imaginem beſtiæ*, id eſt ad litteram, ſtatuam antichriſti, vel illi conformes ſe faciant beſtiæ, *quæ habet plagam gladii*, id eſt mortis, *& vixit*, id eſt re-
Ibid. 15. ſurrexit. *Et datum eſt illi*, a diabolo, dicit Gloſſa, *ut daret ſpiritum imagini beſtiæ*, conformibus antichriſti, *& diverſis linguis loqueretur ipſa imago beſtiæ*, id eſt conformes antichriſti.

9. *Et faciet* per principes ſæculi, *ut quicumque non adoraverit imaginem beſtiæ*, *occidatur*, morte corporis, dicit Gloſ. *Et faciet omnes puſillos & magnos*, *divites & pauperes*, *liberos & ſervos*, neminem abnuendo, *caracterem habere beſtiæ in dextera manu aut in frontibus*, hoc eſt ut omnes antichriſtum dominum confiteantur verbo & opere. vel caracter dicitur aliquod ſignum, quod recipient ad diſtinctionem aliorum, qui non erunt ex parte ejus. ſicut Chriſtiani in baptiſmo recipiunt caracterem baptiſmalem, quo diſcernuntur ab aliis gentibus, & invicem uniuntur: unde cruce Chriſti ſignantur in fronte & in pectore.

Ibid. 17. 10. *Et ne quis*, inquit, *poſſit emere aut vendere*, ſive ad litteram, ſervos Dei prædicando acquirere, *niſi qui habeat caracterem aut nomen beſtiæ*, *aut numerum nominis ejus*, id eſt, niſi qui ſignati fuerint in partem ejus, & nomine ejus, eumque aperte fatebuntur, & ab illo remunerationem exſpectant minorem, majorem, & maximam, quod in caractere, nomine beſtiæ & numero ejus ſignatur.

11. *Hic eſt*, inquit, *ſapientia*: *Qui habet intellectum*, *computet numerum beſtiæ*: *numerus enim hominis eſt*, id eſt antichriſti, qui purus homo erit, *& numerus ejus eſt ſexcenti ſexaginta ſex*. hoc eſt difficile intelligere; non poteſt abſolute definiri hujus numerus qui invenietur in litteris nominis beſtiæ, donec ejus nomen quod vocabitur, cognoſcatur; quia ſecundum Gloſ. plura nomina hunc numerum reddunt; ſicut anthemos, id eſt Chriſto contrarius; vel arneſis, id eſt negatio; & Teytan, id eſt ſol gigas, quaſi Titan, quia dicet ſe ſolem juſtitiæ & gigantem genuinæ ſuperbiæ. Voluit ergo Johannes, ut electi illius temporis ſolliciti eſſent inquirere numerum ſupradictum, & ex illo cognoſcere illum perditum hominem, & ſuper omnes iniquos ſuperbum.

12. Sic ergo iſta beſtia fecit, id eſt ejus
A pſeudo-hypocritæ facient, ut poteſtatem haberent in omnem populum, tribum, & linguam, & gentem, & per iſtos diabolus ſeduxit gentes quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog & Magog, ut illos contra Chriſti electos congreget in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris; de quo bello modo dicendum eſt.

CAPUT IV. *De hortatione electorum illius temporis ad invicem ad perſeverandum in fide & patiendum pro Chriſto.*

B 1. VIdentes igitur illius temporis electi, omnes inhabitantes terram accipere caracterem antichriſti, eumdemque cum patre ejus diabolo tamquam Dominum venerari, ſe invicem hortabuntur ad patiendum pro Chriſto, & in fide ejus perſeverandum uſque in finem.

2. Hinc Johannes Apoc. 14. *Agnum*, id Apoc. 14. 1.
eſt Chriſtum, in ſuis ſtantem *vidit*, videlicet *ſupra montem Sion*, *& cum eo* multa millia habentia *nomen ejus & nomen Patris ejus in frontibus ſuis*, in aperto Chriſtum confitentes, qui ante ſedem Dei cantant canticum novum, gaudentes & levantes, ſicut Ve-
C ritas evangelica ait, movent capita ſua, quoniam appropinquare intelligunt ſuam perfectam redemtionem per Chriſti adventum.
Si enim *ſunt qui empti ſunt* ſanguine Agni, Ibid. 14.
id eſt ſanguine Chriſti, æterna electione redemti *de terra*, *qui cum mulieribus non ſunt coinquinati*, hoc eſt antichriſti falſis concupiſcentiis non ſunt decepti, ſed *virgines ſunt*, fide incorrupti, & *ſequuntur Agnum*, id eſt Chriſtum, *quocumque ierit*, non declinantes ad itinera antichriſti; qui *empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno*, *& in ore ipſorum non eſt inventum mendacium* antichriſti; *ſine macula enim ſunt ante thronum*
D *Dei.*

3. Unde Johannes angelum volantem Ibid. 6.
vidit, quaſi cum magna celeritate currentem, æternum evangelium prædicantem ſedentibus *ſuper terram*, id eſt morantibus in contemtu mundi, *& ſuper omnem gentem*, *tribum*, *& linguam*, *& populum*; quia ubique fideles ſe invicem ad Dei timorem hortabuntur ad patiendum; quibuſdam illorum nuntiantibus prope futurum judicium
E Dei; quibuſdam caſum annuntiantibus; quibuſdam pœnas æternas reproborum, qui acceperunt caracterem beſtiæ, prædicantibus; quibuſdam bonorum quietem, qui pro Chriſto moriuntur; aliis in ſui ſolatium nuntiantibus, ut ſic bonis armati ſermonibus, contra regem Aquilonis ejuſque exercitum valeant debellare.

4. Hinc Daniel 11. dicitur: *Et in tem-* Dan. 11. 40.
pore præfinito præliabitur adverſus eum, Gl. antichriſtum, *rex Auſtri*, id eſt Chriſtus in ſuis, *& quaſi tempeſtas veniet contra eum rex Aquilonis*

A *Aquilonis*, id est antichristus; *in curribus*, scilicet in hypocritis & falsis doctoribus, ubique ad persequendum Christi electos discurrentibus, *& in equitibus*, id est terrenis principibus, qui propter fastum mundanæ gloriæ equites nuncupantur; *& in classe magna*, id est carnalis populi fluitantis in terrenis tamquam in mari, *in multitudine eximia*. Ista quatuor genera hominum habebit in suo exercitu antichristus ad persequendum electos Christi. Quia enim capiti membra debent conformari, sicut in persecutione ultima Christi convenerunt hypocritæ pharisæi cum scribis, B doctoribus legis atque principibus cum seductis populis, ita futurum est in ultima ecclesiæ persecutione; quia ut Glo. dicit Matth. 2. Christi persecutio figuravit persecutionem sanctorum.

5. Hinc Johannes hanc bestiam crudelem, præparatam ad ultimam peragendam persecutionem, describens Apoc. 13. ait: *Et bestia*, inquit, *quam ego vidi, similis erat pardo*, Gl. variis simulationibus occultans vitia quantum ad hypocritas, qui ut dictum est habebunt cornua simillima Agni. C Similis ergo erat pardo propter simulationem, quantum ad exteriorem pellem; sed pellis ejus est diversis coloribus variata, id est variis hæresibus plena, sicut dicit Glossa, in quo figurantur falsi doctores hæretici. Qui quia erunt hypocritæ & pharisæi, non dividuntur a pelle istius bestiæ. *Et pedes*, inquit, *ejus sicut pedes ursi*, conculcantes & lacerantes, scilicet seducti populi; sed quia hoc faciet terrenorum principum auctoritate, idcirco *os* habet hæc bellua *sicut os leonis*. Per os enim quod devorat & fœtet, ipsi signantur principes mundi infidelitate fœtentes, & per popu- D lum crudelem sibi subjectum sanctos devorantes.

Apoc. 13. 2.

6. Hinc Gregorius dicit 32. Moralium: Quia ii qui in corpore antichristi ad ostensionem virtutum non sufficiunt, contra vocem fidelium acrius accenduntur. Quia enim se facere signa & prodigia non posse considerant fideles, se illi per crudelitatem probant, & pro eo quod innocentum corda corrumpere persuadendo non possunt, multiplicius ceteris bonorum corpus se exstinguere gloriantur.

E 7. Hinc Job 41. dicitur, quia diabolus tunc *fervescere faciet quasi ollam profundum mare*. Quid enim, inquit Gregor. lib. 34.
» Moral. per mare figuratur, nisi sæcularium
» vita? quid per profundum, nisi altæ & ab-
» ditæ eorum cogitationes exprimuntur? Le-
» viathan ergo quasi ollam profundum ma-
» re fervescere facit, quia persecutionis ex-
» tremæ tempore contra electos studet ani-
» mos reproborum per flammam crudelita-
» tis excitare. tunc enim corda, quæ intra

suam malitiam pacis tempore clausa latue- «
runt, in æstum immanissimæ persecutionis «
ebulliunt, ac per abruptam crudelitatis li- «
centiam, ea quæ diu presserant odia anti- «
qui livoris exhalant. «

8. Habet antichristus in exercitu suo alios per quos crudelia exercet, scilicet terrenos principes & sibi subjectos populos; habet & alios per quos quæ exerceat prævidet, sicut hypocritas & falsos doctores, quorum consiliis principes utuntur cum sibi subjectis plebibus. Sic ergo antichristus falsiloquus contra ecclesiam suscitatus totum furorem suum ad persequendum illam colliget, quia hypocritas & legis doctores, principes & illorum plebes in illius destructionem congregabit.

9. Hinc sub persona ecclesiæ B. Job 16. dure conqueritur dicens: *Et suscitabitur*, inquit, *falsiloquus adversus faciem meam, contradicens mihi. Collegit furorem suum in me, & comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis: hostis meus terribilibus oculis intuitus est me.* Unde Gregor. lib. 13. Habet, « Job. 16. 9.
inquit, nunc contra sanctam ecclesiam fu- «
rorem, sed sparsus est furor ejus, quia «
occultas tentationes per singulos movet. «
Quando vero contra eam in aperta perse- «
cutione proruperit, furorem suum in illam «
colliget, quia in afflictione illius tota se in- «
tentione constringet: membra autem illius «
hoc pacis tempore idcirco contra electos «
collectum furorem non habent, quia ma- «
litiam suam minus se sentiunt posse implere «
quam volunt. Cum vero sibi suppetere li- «
centiam suæ pravitatis aspexerint, tanto «
hinc audacius feruntur, quanto & contra «
illam ex unanimitate glomerantur. «

10. Contra eam igitur antiquus hostis tunc dentibus fremit & terribilibus oculis intuetur, quia per alios crudelia exercet, per alios quæ exerceat prævidet. Sed implebitur quod Job 19. dicitur: *Simul venerunt latrones ejus, & fecerunt sibi viam per me, & obsederunt in gyro tabernaculum meum.* Job. 19. 12.

11. Hoc est quod Apocal. 20. dicitur, quia satanas de cordibus reproborum tamquam de carcere solutus, postquam seduxerit *gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog & Magog, congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris, & ascenderunt super terræ latitudinem*, latas vias ambulantes, quæ ducunt ad mortem. *Et circuierunt castra sanctorum*, id est sanctos ad bellum paratos undique cingentes, ad illos intrare non poterunt, ut ad suam fidelitatem traherent, *ad dilectam civitatem*, Gl. id est eosdem sanctos in virtutibus munitos & unanimes in hoc fidei bello sustinendo. Non est enim dilecta civitas, ut ait August. lib. 20. de Civitate Dei, nisi Christi ecclesia toto terrarum orbe diffusa. Apoc. 20. 7.

12. Venient ergo mali contra eam in

multitudine gravi, sicut Ezechiel. 38. dicitur ad Gog: *Venies de loco tuo a lateribus Aquilonis*, id est de frigore iniquitatis & infidelitatis: *Tu & populi multi tecum, ascensores equorum universi, cœtus magnus & exercitus vehemens. Et ascendes super populum meum Israël, quasi nubes, ut operias terram. In novissimis diebus eris, & adducam te super terram meam, ut sciant gentes me, cum sanctificatus fuero in te in oculis eorum, o Gog.*

Ezech. 38. 15

Zach. 14. 1. 13. Hinc Zachariæ 14. dicitur: *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & dividentur spolia*, o ecclesia, quæ vera es Jerusalem, *in medio tui. Et congregabo omnes gentes ad Jerusalem in prælium.* De cujus prælii acerbitate nunc aliquid dicendum est.

CAPUT V. *De acerbitate illius persecutionis.*

Matt. 24. 21. 1. De acerbitate illius persecutionis veritas in evangelio ait Matth. 24. *Tunc erit*, inquit, *tribulatio magna qualis numquam fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.* Quod Gloss. futurum dicit tempore antichristi. Hoc est quod de illis temporibus

Dan. 12. 1. Daniel prophetavit 12. cap. *Et veniet*, inquit, *tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud.* Gloss. tempore antichristi.

Apoc. 16. 17. 2. Et Apocal. 16. Cum *septimus angelus*, sub quo consummabitur mysterium Dei, *phialam effudit, facta sunt fulgura*, id est miracula, *& voces*, Gl. blanditiæ, *& tonitrua*, Gl. comminationes. *Et factus est terræ motus magnus*, cum mali terrena diligentes movebuntur contra sanctos. *Qualis non fuit ex quo esse cœperunt gentes*, talis terræ motus sic magnus, Gloss. id est tam terribilis & gravis, cogitet qui potest capere qualis illa tribulatio erit, quando ad subversionem electorum solvetur satanas, & exibit, ut omnem potestatem suam permittatur exercere, & dolositatem sive in miraculis, sive in ostensione fictæ sanctitatis, omnem peragere potestatem. Quando ministri diaboli assumpserint sibi duo cornua similia Agni, & in tantum homines seducent, ut omnes faciant habere caracterem bestiæ, & diabolum cum ejus imagine antichristo facient adorare, *ut quicumque non adoraverit imaginem bestiæ occidatur*, & qui caracterem bestiæ non acceperit in dextera manu vel in fronte, non possit vendere vel emere,

Apoc. 13. 15. sicut scribitur Apocal. 13.

3. Inde est quod de adventu ultimo regis Aquilonis contra regem Austri Daniel

Dan. 11. 44. 11. scribitur; *Et veniet in multitudine magna, & conteret & interficiet plurimos.* Hinc

Ibid. 7. 21. & Daniel 7. dicitur: *Aspiciebam, & ecce cornu illud*, Gloss. id est antichristus, *bellum faciebat adversus sanctos, & prævalebat eis donec veniret antiquus dierum.* Et exponens an-

A gelus hanc visionem Danieli ait: quia *sanctos Altissimi conteret*, & populum sanctorum secundum voluntatem suam interficiet.

4. In eorum ergo, ut Augustinus ait lib. 20. de Civit. Dei cap. 8. qui tunc futuri sanctorum comparatione, quid sumus? quando quidem ad illos probandos tantus solvetur inimicus, cum quo nunc ligato tantis periculis dimicamus? sed in quo ista persecutio ceteris persecutionibus atrocior erit? Quæ enim genera pœnarum novimus quæ non vires martyrum exercuisse gaudeamus? Alios namque improviso ictu

B immersus jugulo gladius stravit, alios crucis patibulo affixit, in quo mors & provocata repellitur, & repulsa provocatur; alios hirsutis serra dentibus attrivit; alios armata insultans ungula sparsit; alios belluina rabies morsibus detruncando comminuit; alios ab intimis viscerum per cutem pressa vis verberum rupit; alios effossa terra viventes operuit; alios altum demersos in mortem præcipitium fregit; alios in se projectos aqua replendo absorbuit; alios edax flamma usque ad cineres depasta consumpsit.

5. Quid est ego quod diabolus in fine

C mundi caudam suam antichristum nequius dilatat? quid est quod in iis tormentis nunc attrocius crescat? Certe est quod Veritas per semetipsam dicit: *Surgent pseudochristi & pseudopropheta & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Nunc enim fideles nostri mira faciunt, cum perversa patiuntur, tunc autem beemoth hujus satellites, & cum perversa inferunt, mira facturi sunt. Pensemus ergo quæ erit humanæ mentis illa tentatio, quando pius martyr & corpus tormentis subjicit, & tamen ante ejus oculos miracula tortor facit. Cujus tunc vir-

Matt. 24. 24.

D tus non ab ipso cogitationum fundo quatiatur, quando is qui flagris cruciat signis coruscat. Sic hæc omnia Gregor. dicit lib. 24. Moral.

6. Et ut dicitur in Glos. Matth. 24. cujus non concutiatur fides, cum persecutor pietatis sit operator virtutis? qui legit ergo intelligat quale tunc illud persecutionis tempus apparebit, quando ad pervertendum fidelium pietatem alii corruscant miraculis, alii dicipiunt scripturis, alii trahunt blandimentis, terrentque tormentis,

E alii sæviunt gladiis.

7. Hinc August. super psal. 9. Cum, inquit, illa signa facere cœperit, quanto mirabiliora videntur hominibus, tanto illi sancti qui tunc erunt contemnentur, & pro nihilo habebuntur, quos ille cui per innocentiam & justitiam resistent mirificis factis superare videbitur. Quibus seducti terreni principes, & illis subjecti populi interficien-

do Christianos obsequium se credent præstare Deo.

8. Hinc Job 41. de illo tempore quo satanas contra electos solutus insanit, dicitur: quia *fervescere faciet quasi ollam profundum mare.* Ponet quasi cum unguenta bulliunt. Quod exponens Gregor. lib. 34. Moral. ait: Unguenta cum bulliunt, fragrantiam suavitatis reddunt. Quia ergo diabolus tunc ita seducet corda reproborum, ut quidquid agunt ex iniquitate perfidiæ pro veritate rectæ fidei se agere suspicentur, quasi bene olet id quod zelo religionis exercent. Unde in evangelio discipulis Veritas dicit: *Venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur se obsequium præstare Deo.* Igitur satellites antichristi, principes, & illorum populi sicut olla fervent, dum crudeliter persequuntur. Sed apud eos ipsa persecutio unguentorum fragrantiam redolet, dum mens eorum vanis superstitionibus decepta, æstimat quia Deo obsequium persolvat.

Job. 41. 22. Joh. 16. 2.

9. Ideo, ut ibid Job dicit: *Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit, neque hasta, neque thorax: non fugabit eum vir sagittarius: in stipulam versi sunt ei lapides fundæ; quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam. Sub eo erunt radii solis, sternet sibi aurum quasi lutum.* quia ut » Gregor. ubi supra dicit: Tunc satan quia » per assumptum hominem reprobum in ira » omnimodæ crudelitatis effrænatur, appre» hendi gladio dicitur; nam per ostensionem » tunc immensæ fortitudinis exhibet quid» quid nequiter potest, & neque hasta, ne» que thorax subsistere poterit, quia in antichristo veniens, tantæ virtutis apparebit, ut si supernum adjutorium deserit, & prædicantium acumine obtundat & longanimitatem patientium destruat, nisi vero justorum vitam superna gratia solidet, *non subsistit hasta*; quia prædicatorum uterus frangitur; *non subsistit thorax*, quia constantia patientium dirupta penetratur; *reputabit ut paleas ferrum, & quasi lignum putridum æs*; quia nisi divina gratia protegat, & prædicantium vires velut paleas nequitiæ suæ igne consumit, & patientium constantiam quasi lignum putridum in pulverem redigit. Quid ergo tunc de paleis, id est infirmis faciet, si ferrum quasi paleas æstimabit? Quid de putridis lignis acturus est, si quasi putridum lignum æris fortitudinem solvet. *In stipulam versi sunt ei lapides fundæ*, quia sanctorum robur quasi in stipulæ mollitiem redigit, quorum linguas prius pectus illius duris ictibus tutudit. Verum quanto se ab eis vinci spiritualiter dolet, tanto contra eos atrocius corporaliter prævalet. Nec mirum si humanas vires despicit, qui ipsa etiam superni in se judicii æterna tormenta contemnit. Unde subjungit: *Quasi stipulam æstimabit malleum*, quia & pondus divinæ animadversionis despicit, quæ se per supplicium desuper veniens ferit. *Et ideo vibrantem hastam deridebit*, quia pœnam æternam non timebit, nec de illa cogitabit juxta illud prophetæ: *Auferuntur judicia tua a facie ejus.*

Job. 41. 17. Psal. 9. 5.

10. Sed ex his multum in malo proficit, *quia sub ipso erunt radii solis*; quia qui in sancta ecclesia luce sapientiæ resplendere videbantur, ejus se subjiciunt ditioni, & qui caritate tamquam auro obriso vestiti fulgere credebantur, ab ipso velut lutum sternentur. Quis in tali persecutione non turbetur? Sicut enim Augustinus super psalmum 9. dicit: « Tanta licebit tunc antichristo facere, & in omnes homines & in sanctos Dei, ut tunc vere nonnulli infirmi arbitrentur Deum res humanas negligere. « quia & ille iniquus benedicetur in sua perversitate, sicut in persona sanctorum illius temporis David propheta ait: *Ut quid, Domine, recessisti longe, despicis in opportunitatibus in tribulatione?* quia *dum superbit impius* antichristus, *incenditur* zelo Dei *pauper* spiritu Christianus; sed tamen ipsi corporaliter prævalet, quia *omnium inimicorum dominabitur.* Inde Apocal. 13. dicitur, quia *illi* singulari iniquo *datum est bellum facere cum sanctis, & vincere illos.* Gloss. corporaliter. Sic ergo *rex Aquilonis ingredietur terras & conteret, & pertransiet, & introibit in terram gloriosam*, & sanctos secundum suam voluntatem occidet, ut legitur Danielis 11. & plurimi sanctorum fugient ad deserta, ut a facie illius serpentis abscondantur, & de manu ejus salventur.

Psal. 9. 22. Apoc. 13. 7. Dan. 11. 40.

CAPUT VI. *De timore & trepidatione sanctorum illius temporis.*

1. CUm igitur ille iniquus signis & prodigiis resplendere cœperit, cum regum & principum favore circumdatus cœperit resistentes sibi tanta virtute conterere, ut reputet quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum æs. Cum per hypocrisim assumserit ipse sibi duo cornua similia Agni, & sapientiæ sanctitatisque quam Christus habuit, imaginem sibi fallaciter usurpaverit, cum ecclesiæ cœperint everti, & fidelium greges dispergi, juxta illud Joël: *Terra coram eo quasi hortus voluptatis, sed post eum solitudo deserti, nec est qui effugiat eum*; ad tantam & tam subitam rerum mutationem quis non conturbetur? cujus fides tunc aliquantulum non titubet & concutiatur?

Joël. 2. 3.

2. Hunc enim affectum justorum qui tunc temporis erunt Habacuch propheta nobis innuit, qui dum de hoc adversario sub Chaldæorum, id est, ferocium specie multa præmisisset dicens: *Leviores pardis equi ejus*, id est prædicatores ejus, quia parvo tempore per totum mundum discur-

Habac. 1. 8.

rent; *& velociores*, inquit, *lupis vespertinis volabunt quasi aquila festinans ad comedendum. Et* quia, ut supra diximus, *ipse de regibus triumphabit, & super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.* Plurimos enim, ut dictum est, qui nunc in religione constantes æstimantur, subjiciet sibi. Cum ergo ita sanctus propheta illius temporis terribilia & metuenda præmisisset, in mente quamdam dubietatis nebulam sustinens æstuat, & æstus suos ad Deum referens, ejusque responsum exposcens clamat: *Numquid non tu a principio, Domine* Ibid. 12. *Deus sancte meus, & non moriemur?* tamquam diceret ex persona ecclesiæ fidelium illius temporis loquens: Ego quidem, Domine Deus meus, jam per multas generationes tua fide sanctificata sum; sed nunc tuum cultum video evacuari, & novum nobis colendi ritum tantis signis & prodigiis annuntiari. Nonne tu a principio a sanctis omnibus & expectatus es in carne venturus, & in fine temporum veniens vera fide Dei Filius es creditus? Doce nos quod tu vita nostra sis, ut tibi in perpetuum adhærentes, mortis naufragium evadamus; quia ex conspecta tanta miraculorum & prodigiorum viriditate, in mente aliquantulum trepidamus.

Job. 41. 11. 3. Hinc de illo iniquo Dominus ad sanctum Job 41. cap. loquitur dicens: *De naribus ejus procedit fumus.* Unde Gregorius 33. » lib. Moralium: Oculorum, inquit, acies » fumo sauciatur. Fumus ergo de naribus ejus » procedere dicitur, quia de miraculorum » ejus insidiis ad momentum caliginosa du- » bietas etiam in electorum corde genera- » tur. De leviathan ergo naribus fumus exit, » quia ex prodigiis mendacibus etiam bona- » rum mentium oculos trepidationis caligo » confundit. Tunc namque in electorum cor- » dibus terribilibus signis obscura cogitatio » conglobatur.

4. Hinc Veritas Matt. 24. cum acerbitatem illius persecutionis descripsisset, quæ Matt. 24. 21. talis erit *qualis ab initio non fuit*, electos præmuniens de cavendis pseudoprophetis, & miraculorum eorumdem insidiis, ait: *Tunc*, inquit, *si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus*, id est intra vos est Christus, & verum Christum annuntiamus, in cujus nomine tanta miracula & prodigia operamur, *aut illic*, ubi scilicet tantam sanctitatem, immo sanctitatis apparentiam videtis, *nolite*, inquit Dominus, *credere.* Quare? quia, Ibid. 24. inquit, *surgent pseudoChristi*, habentes scilicet cornua similia Agni, *& pseudopropheta* scripturas exponentes subdole, *& dabunt signa magna & prodigia*, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. *Ecce*, inquit, *prædixi vobis*, ut scilicet caveatis ab illis. *Si ergo dixerint vobis: ecce in deserto*, id est in nobis qui mundum deseruimus, vitam austeram & secretam duximus, *nolite exire. Ecce in penetralibus*, id est, in nobis qui secreta Dei penetramus, & in scripturis mysteria Dei aliis absconsa clare intelligimus, *nolite credere.* Non enim, ut mentiuntur, inter illos est Christus, sed ille seductor, cujus nuntii sunt & ministri subdoli, antichristus.

5. Sed illud quærendum videtur, sicut Gregorius ubi supra dicit, quomodo vel ii qui electi sunt in errorem induci poterunt, aut cur, si fieri potest, quod ex dubietate subditur, cum quid futurum sit Dominus omnia præsciens præstolatur. Sed quia, « inquit, electorum cor trepida cogitatione « concutitur, & tamen eorum constantia non « movetur, una hac sententia Dominus u- « trumque complexus est dicens: ita ut in « errorem inducantur, si fieri potest, etiam « electi; quasi enim jam errare est in cogita- « tione titubare. sed protinus, si fieri potest, « adjungitur, quia procul dubio fieri non po- « test ut in errorem plene electi capiantur. «

6. Quia igitur tam acerba erit persecutio sanctorum, tam cauta seductio miraculorum mendacium, ut trepidare faciant corda electorum, hæc B. Paulus prævidens, Deo magnificas gratias agit, quia de primitiis credentium ad fidem cum suis coapostolis & credentibus ceteris vocari a Domino meruit, nec ejus vocatio usque ad ultima & pessima tempora retardari. Cum 2. Thess. 2. 9. ergo de antichristo præmisisset, *cujus adventus est secundum operationem satana in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus, & omni seductione iniquitatis*; ad fideles quibus loquebatur se convertens, quasi illa tempora expavescens subjungit: *Nos* Ibid. 12. *autem debemus gratias agere Deo, semper dilecti a Deo fratres, pro vobis, quod elegit vos Deus primitias in salutem*, Glos. ut non in illo periculoso tempore ultimo, sed in primitiva ecclesia crederemus in Christum, atque fidem confiteremur. *Elegit*, inquit, *nos in salutem, in sanctificatione Spiritus, & fide veritatis*, nec solum nos apostolos, sed in eadem fide *vocavit vos per evangelium nostrum, in acquisitione gloriæ Domini nostri* Jesu Christi.

Caput VII. *Quod per scripturas corda nutantia firmabuntur.*

1. Sed misericors Dominus tunc electorum trepidantia corda, ut non cadant in infidelitatem seductoris illius, ad scripturas inspiciendas remittit: in quibus invenient omnia signa præmissa per longa ante tempora prophetata, & omnem illius fictam sanctitatem descriptam, quam uno verbo Apostolus comprehendit dicens, quia veniet *in omni virtute signorum & prodigiorum, & in omni seductione iniquitatis.* 2. Thess. 2. 9.

2. Hinc

2. Hinc Johanni in persona electorum illius temporis, damnatio ostenditur illius meretricis, & septem plagæ novissimæ nuntiantur super illos venturæ, qui receperunt caracterem bestiæ, & ad ista in scripturis consideranda electi illius temporis invitantur. Unde angelus Johanni dicit Apocal. 17. *Veni*, Gl. per intelligentiam, *ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas; cum qua fornicati sunt reges terræ, & inebriati sunt qui habitant terram de vino prostitutionis ejus*. Secundum glos. meretrix magna illa est antichristus cum malis, qui in tempore ejus erunt, qui regnabit super populos multos, qui sua infidelitate fornicari faciet reges terræ, & inebriabit de sua infidelitate omnes qui habitant terram, id est terrena diligentes, qui accipient caracterem bestiæ. Sed ad hæc videnda, inquit Johannes, *abstulit me in spiritu*, id est, duxit in altum ad spiritualem intelligentiam scripturarum.

Apoc. 17. 1. — Ibid. 3.

3. Hinc Veritas Matth. 24. ait, *ut*, exaltata illa abominatione desolationis, *qui in Judæa sunt fugiant ad montes*, id est, qui in confessione veræ fidei, ne in ipsa deficiant, ad dicta prophetarum & apostolorum recurrant, qui montes dicuntur propter altitudinem mysteriorum quæ in illis continentur.

Matt. 24. 16.

4. Hoc est quod Dominus per Zachariam prophetam loquitur; cum enim de antichristi vastatione & omnium gentium congregatione per ipsum, ad Jerusalem in prælium loqueretur, & qualiter *Dominus contra illas gentes* in suis electis *præliabitur*, sub quibusdam ænigmatibus descripsisset, & montis olivarum, id est ecclesiæ divisionem in partem Aquilonis & meridiei prædixisset, ad electos suos se convertens, refugium ne seducantur ostendit: *Et fugietis*, inquit, *ad vallem montium eorum, quoniam conjungetur vallis montium usque ad proximum, & fugietis sicut fugistis a facie terræ motus in diebus Oziæ regis Judæ*.

Zach. 14. 1. — Ibid. 4. — Ibid. 5. — Amos 1. 1.

5. Unde Glossa dicit, cum tanta erit in toto orbe duorum populorum divisio, ut illi ad dexteram qui stant, scilicet pro Christo, alii a sinistra, qui stabunt pro antichristo, separentur; tunc quicumque sanctus est, fugiet ad vallem montium Dei, id est duorum testamentorum ad concordiam humilem, quia illa vallis humilis vel quieta concordia duorum testamentorum, tenditur non usque adeo, ut idem sint, sed usque ad proximam. duo enim testamenta magis sunt vicina & convenientia, quam unica: *Et effugietis*, inquit, *sicut fugistis a facie terræ motus in diebus Oziæ regis Judæ*. qui Ozias, quia sacerdotium usurpavit, lepra percussus est. ad cujus impietatem tota terra mota est, sicut ad impietatem illius iniqui, qui cultum Dei sibi usurpabit iterato, immo multo magis commovenda sunt corda hominum terrenorum.

6. Ut ergo cordium trepidatio in fide solidetur, ad scripturas considerandas electi remittuntur, ut non timeant cum omnia prophetata sint, & sicut prædicta sunt videant adimpleri. Hinc est quod cum Dominus per Ezechielem adventum Gog & populi ejus descripsisset, dicens: *Ascendes*, inquit, o Gog, cum exercitu tuo, *super populum meum*, vel *quasi nubes, ut operias terram*, id est in tanta obscuritate, ut non possis dijudicari aperte, quod tu sis iniquus ille, qui mundum operiet infidelitate. *In novissimis diebus*, inquit, *eris, & adducam te super terram meam, ut sciant gentes me, cum glorificatus fuero in te in oculis eorum*, o Gog. Sed quia ab electis illius temporis quæretur, quomodo ejus tam occultus & deceptorius possit adventus cognosci, ut Dominus a suis Enoch & Elia glorificetur, subjungit: *Tu ergo ille es, de quo locutus sum in diebus antiquis, in manu servorum meorum prophetarum, qui prophetaverunt in diebus illorum temporum, ut adducerent te super eos*. quasi diceret: Vos qui tunc eritis, super quos ille seductor venturus est cum exercitu suo, si vultis ejus deceptionem & adventum cognoscere, ne devietis a fide; ad dicta prophetarum & apostolorum, qui de diebus illis prophetaverunt, recurrite, illorumque fidem & vitam intemerate servate, nemo vos seducat, etiamsi in religione angelorum videatur ambulare. *Sed si quis vobis, etiam angelus de cœlo evangelizet vobis præter quam*, inquit Apostolus, *evangelizavimus vobis, anathema sit*. Ad Galat. 1.

Ezech. 38. 16. — Ibid. 17. — Galat. 1. 8.

7. Ille ergo blasphemus, qui impudenter se Deum facit per ostensionem exterioris sanctitatis & miraculorum mendacium, adducatur ad Moysen, ut ejus blasphemia cognoscatur; adducatur ad legem, adducatur ad evangelium, adducatur ad Apostolum; & ibi videbitur quia omnia ficte agit, diligenterque examinetur per scripturas cum suis hypocritis; nec moveant illorum miracula & prodigia, ut a firmitate veræ fidei vos avellant; sed tamquam solliciti & sagaces nummularii, illorum examinemus vitam, licet videantur habere cornua simillima Agni.

8. Inde Gregorius libro 33. Moralium dicit: Spiritualiter agere debemus, quod « quotidie corporaliter cernimus nummula- « rios implere, qui cum numisma percipiunt, « prius qualitatem illius, post figuram, ad « extremum vero pondus examinant; ne aut « sub auri specie æs lateat, aut hoc quod ve- « raciter aurum est, monetæ reprobæ figura « dehonestet, aut quod est aurum, & rectæ « figuræ est, hoc non integrum pondus le- « viget. «

9. Cum ergo mira ignotorum homi-

num facta conspicimus residere ad mentis nostræ trutinam, quasi solertes nummularii debemus, ut prius discretio aurum examinet, ne sub virtute vitium occultet, & quod prava intentione agitur, recti visione palliatur: cujus si intentionis qualitas approbatur, impressæ mox formula figuræ quærenda est, si a probatis monetariis, id est ab antiquis patribus ducitur, & ab eorum vitæ similitudine nullo errore vitiatur. Cum vero per intentionem qualitas, & recta per exemplum figura cognoscitur, restat ut integrum ejus pondus exquiratur. Bonum quippe quod per signa & miracula coruscat, si perfectionis summam non habet, pensari sollicite per cautelam circumspectionis debet, ne dum imperfecta res quæ perfecta accipitur, in accipientis damnum vertatur. Prædicatores vero antichristi quomodo veram numismatis qualitatem tenent, qui in iis quæ agunt intentionis rectæ vim nesciunt, quia per hoc non cœlestem patriam, sed culmen gloriæ temporalis exquirunt.

10. Sed si tam cauti sint, ut cœlestia videantur expetere, quomodo a monetæ figura non discrepant, qui ab omni pietate justorum justos persequendo discordant, quorum præcedentium patrum justorum gloria fuit, non persecutiones inferre, sed potius tolerare. Quia ut in Apologetico suo Tertullianus dicit: Ut quid sancti martyres tam libenter trucidabantur, si non apud disciplinam Christianam magis occidi liceret quam occidere, magis persecutiones pati liceret quam inferre.

11. Quod si tam astuti sint, ut hoc signo discerni non possint quomodo in se integritatis pondus ostendunt, qui non solum humilitatis perfectionem nequaquam assecuti sunt, sed nec ipsam primam ejus januam contigerunt?

12. Hinc igitur, inquit Gregorius, electi cognoscant quomodo eorum signa despiciat, quorum profecto actio omne quod a primis patribus gestum memoratur impugnat, si diligenter mentis trutina illorum facta per scripturas examinat. Si igitur ministri antichristi omnem humilitatem & sanctitatem ostentant, ad scripturas confugiam, & inveniam quod habebunt cornua similia Agni. Si excellentissima miracula & prodigia faciant, non illis me credam, quia lego in scripturis sacris, quia ille iniquus venturus est in omni virtute miraculorum & prodigiorum mendacium. Si illos majores ecclesiæ & sanctiores sequi videro, non movebor a fide; quia & in scripturis lego, quia sub ipso erunt radii solis, & quia dejiciet de fortitudine & de stellis, & quia surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa & prodigia, ita ut in errorem mittantur, si fieri potest, electi. Si illos terrore principum videro circumdatos, & principes illis obedientes ad nutum, ad scripturas confugiam, nec movebor, cum ibi legam, quia *decem principes unum consilium habent, & virtutem & potestatem suam bestiæ tradent.* Si illos in tantum videro prosperari, ut ab omnibus recipiantur, & illorum faveant seductioni, scriptum esse recogitabo, quia *illi potestas dabitur in omnem tribum, populum, linguam, & gentem, & quia faciet omnes accipere caracterem bestiæ.* Si morte videro sibi resistentes puniri, memorabor scriptum, fore quia *faciet, ut quicumque non adoraverit imaginem bestiæ occidatur.* Sic in omni mentis trepidatione ad scripturas sollicite consulendas illius temporis remittuntur electi, ut ex illis solidentur in fide.

2. Thess. 2. 9. — Matth. 24. 24 — Apoc. 17. 12. — Ibid. 13. — Ibid. 16. — Ibid. 17.

CAPUT VIII. *De duratione persecutionis illius temporis.*

1. Sane si illa persecutio in qua diabolus permittitur totam peragere impietatem suam, vexando Christi ecclesiam, in vitam æternam prædestinatam in longa tempora protenderetur, plurimi electorum periclitarentur. Idcirco pius & misericors Dominus illi magnæ & ultimæ persecutioni tempora brevia præfixit ad refrigerium electorum suorum. Hinc est quod ultra tres annos & dimidium secundum vaticinia prophetarum non permittetur durare.

2. Quod angelus prophetæ Danieli, viro desideriorum in cognoscendis & investigandis Dei mysteriis in hunc modum exposuit, dicens: *Alius*, inquit, *rex exsurget post eos*: scilicet postquam in decem reges divisum fuerit imperium Romanum, *& ipse potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit, & sermones contra Excelsum loquetur, & sanctos Altissimi conteret, & putabit quod possit mutare leges; & tradentur*, inquit Gl. a Deo sancti puniendi *in manu*, id est in potestate *ipsius usque ad tempus & tempora & dimidium temporis*, ut per tempus annus accipiatur, per duo tempora duo annos accipiamus juxta Hebraicam proprietatem, quæ habet dualem numerum, sicut dicit Gloss. & per dimidium temporis medietas temporis intelligatur unius anni, scilicet sex menses.

3. Et quod ita intelligi debeat testatur Johannes in Apocal. qui specialius ceteris apostolis est Spiritu Sancto ad Dei mysteria capienda inebriatus. Cum enim sub figura mulieris sole amictæ justitiæ fugam sanctorum persecutionem antichristi fugientium descripsisset dicens: *Et mulier fugit in solitudinem ubi habet locum paratum a Deo, ut ibi Deus pascat illam diebus mille ducentis sexaginta*, quæ tres annos & dimidium complent; quibusdam interpositis de præ-

Dan. 7. 24. — Apoc. 12. 1. — Ibid. 6.

lio diaboli contra sanctas. Idem repetendo subjungit. *Et draco*, inquit, *persecutus est mulierem quæ peperit masculum, & data sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis a facie serpentis.* Qui ergo illam in desertum fugere, durante ipsa persecutione mille ducentis sexaginta diebus prædixit, & postmodum idem repetendo ibidem servari per tempus & tempora & dimidium temporis subjunxit, idem intelligi voluit per tempus & tempora & dimidium temporis, quod per dies mille ducentos sexaginta, scilicet tres annos & dimidium. Ibid. 13.

4. Quod & egregius doctor Augustinus asserit lib. 20. de Civit. Dei cap. 23. ubi præmissa verba prophetæ Danielis exponit. Antichristi, inquit, adversus ecclesiam » sævissimum regnum licet exiguo spatio tem» poris sustinendum, donec Dei ultimo judicio » regnum sancti accipiant sempiternum, qui » vel dormitans hoc legit, dubitare non si» nitur. Tempus quippe, & tempora & di» midium temporis unum annum esse, & » duos, & dimidium, ac per hoc tres annos » & semissem, etiam numero dierum poste» rius in eodem propheta positorum, dilucescit.

5. Aliquando etiam in scripturis & mensium numero declaratur. videtur enim hic tempora dici indefinite lingua latina, sed per dualem numerum dicta sunt, quem latini non habent. sicut autem Græci ita hunc dicuntur habere & Hebræi. sic ergo dicta sunt tempora tamquam dicantur duo tempora & vere, sicut ipse dicit, hoc etiam mensium numero declaratur. Sicut Apocal. XI. dicitur, quia *civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus*, qui tres annos complent & dimidium. Apoc. 11. 2.

6. Sed hoc tempus illius singularis iniqui extremæ deputatur persecutioni, quando se magnificabit, ut Deum; non toti tempori quo regnabit sub hypocrisi trahendo homines in partem suam, ut tractos & seductos adducat in bellum illud sævissimum contra ecclesiam, ad delendum de sub cœlo nomen Christianum, quod bellum tribus annis & dimidio prophetisatur duraturum. Alioquin quomodo verum esset, quia illum sunt Judæi, scripturis testantibus, tamquam messiam recepturi, per Eliam & Enoch, ab illo postmodum recessuri, & veram ecclesiæ fidem recepturi & prædicaturi: quia de illis duobus prophetis scriptura testatur, *quia prophetisabunt diebus mille ducentis sexaginta*, id est tribus annis cum dimidio, & cum tribus annis & dimidio finierint testimonium suum de Christo, bestia quæ ascendit de abysso, adversus illos faciet bellum, & vincet eos & occidet illos, & tunc ex victoria in superbiam crescens, ille iniquus super omnem Deum se magnificabit, & in omnem populum, gentem & linguam sicut Johannes in Apocal. describit, accipiet potestatem, & cultum divinum per pseudo-apostolos in omni mundi climate usurpabit, sanctos conterens, & ubique pro voluntate sua per satellites suos opprimens & interimens. Ibid. 3.

7. Si igitur, ut dixi, Judæi ante adventum Enoch & Eliæ illum iniquum recipient, & post illi duo prophetæ scriptura teste tribus annis & dimidio prædicabunt, quibus finitis ab antichristo mulctabuntur & occidentur, manifeste probari potest, quia non de toto tempore antichristi, sed de ejus ultima elatione, qua se magnificabit ut Deum, post mortem illorum sanctorum prophetarum, illud triennium cum semisse intelligitur.

8. Quod Johannes significare videtur Apocal. 13. Cum enim post mortem Enoch & Eliæ ejus ultimam & supernam elationem describeret, qua Deum se esse mentietur, ait: *Et datum est ei os loquens magna & blasphemias, & data est ei potestas facere menses quadraginta duos, & aperuit os suum in blasphemias ad Deum*, manifeste se prædicando Deum & Dei filium. Quod ante non faciebat sub hypocrisi latens, & in partem suam fraudulenter homines attrahens. Cum vero cæperit manifeste Deum blasphemare, datum est ei hoc operari & sanctos qui illi resistent conterere mensibus 42. id est tribus annis & dimidio. Sed ante omnes ultimos annos sub hypocrisi latuit & plurimos sanctorum sibi resistentium per principes terræ contrivit, & ceteros terruit, ut in partem suam posset homines terrenos libere & absque contradictione attrahere. Apoc. 13. 5. Ibid. 11. 2.

9. Hinc est quod Daniel, qui sub figura regis Aquilonis ejus progressum, ut ad ultimam ejus elationem deveniret, qua *elevabitur & magnificabitur adversus omnem Deum*, & adversus Deum deorum, loquetur magnifica, frequenter de insultationibus, quas faciet contra Christum, Austri regem dixit; *& hoc usque ad tempus & adhuc finis in aliud tempus.* Et quia adhuc aliud tempus erit, videlicet cum ad illam ejus ultimam elationem ab angelo Daniel audisset, in qua erit finis, de illius duratione ab angelo sollicite inquisivit dicens: *Usquequo finis horum mirabilium. Et audivi*, inquit, *virum qui indutus erat lineis, qui stabat super aquas fluminis.* Cum elevasset dexteram & sinistram suam, & jurasset *per viventem in æternum, quia in tempus & tempora, & dimidium temporis*, finis enim horum mirabilium, quem angelus prædixit Danieli, illa est ultima elatio antichristi, qua se extollit super omnem quod dicitur, aut colitur Deus, ultra quam non potest superbus se altius erigere quam se Deum facere, & ultra Dan. 11. 36. Ibid. 24. 27. Ibid. 12. 6.

illum per fastum superbiæ elevare. Quod tribus annis & dimidio facturus est, qui per tempus & tempora & dimidium temporis ostenduntur, & in Daniele, & in Apocal. Johannis.

12. Tunc enim dispersio sancti populi consummabitur, quæ ante, sanctis illi iniquo resistentibus, non fuerat consummata, quia finis adhuc expectabatur in aliud tempus. Et hoc est quod Daniel dicit: *Et cum completa fuerit dispersio populi sancti, complebuntur universa hæc.* Tunc enim Psalmista testante, *omnium inimicorum suorum dominabitur*, ut etiam corporaliter prævaleat & dominetur pauperum Christi. Tribus ergo annis & dimidio probanda est ecclesia sponsa Christi hac ingenti persecutione, in qua, teste Veritate, tribulationes erunt tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus usque nunc, neque fient.

Ibid. 7. Psal. 10. 5. Matt. 24. 21.

Caput IX. *De breviatione dierum illius temporis.*

1. SEd illud sollicite nunc indagandum est quod evangelica veritas continuo subjungit dicens: *Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi.* Neque enim mensura dierum breviabitur, sed numerus, ne mora temporum fides concutiatur electorum, sicut ibidem dicit Glossa. Et diligenter attendamus cum illius tam magnæ & extremæ tribulationis non inveniatur dierum numerus alius expressus, nisi mille ducenti sexaginta dies vel nonaginta, ne misericors & pius Dominus suos videns in illa tanta persecutione deficere, si tantum temporis extendatur, solita benignitate adventum suum acceleret, ad illum iniquum interimendum cum omni suo corpore, id est malorum omnium congregatione, ut, sicut ibidem dicit Glossa, quanto tribulatio erit gravior, tanto sit brevitate moderatior.

Matt. 24. 22.

2. Nec idcirco propter hoc prophetæ mentiri credendi sunt, qui hanc tribulationem tribus annis & dimidio duraturam prædixerunt, quia ut de Jona & Isaia B. Gregorius dicit: In libro ipso præscientiæ Dei legentes, non omnia quæ ibi scripta sunt, sed quædam quæ eorum intelligentiæ revelata sunt, mentis intelligentia perceperunt, & sicut ibidem legerunt, ita non mentientes, sed verum quod viderunt annuntiantes, futura prædixerunt. Sicut Isaias in libro illo legerat, quod rex Ezechias secundum opera quæ fecerat longiorem non merebatur vitam, & secundum rei physicam habere non poterat. Idcirco regi Ezechiæ, ait, hæc dicit Dominus: *Dispone domui tuæ, morieris enim tu, & non vives.* Sed ibi non legerat, quod per lacrymas & orationes longiorem vitam esset impetraturus. Sic & Jonas in eodem libro legerat Ninivitarum nequitia secundum hoc quod agebant, & quadragesimo complenda erat, & ita civitas eorum subvertenda; sed illud ibidem non legerat, quod ad suam commonitionem essent acturi pœnitentiam, & ita misericordiam consecuturi. Uterque igitur quod legerat prædicavit, & quantum ad eos pertinebat incommutabilis est veritas, neminem fallere intendentes. Quia ut Augustinus dicit: Quicumque sic credit ut loquitur, verum loquitur. Vera tamen erant quæ loquebantur secundum divinam sententiam, sed non ita futura secundum Dei consilium & dispositionem æternam. Deus enim, secundum Gregorium, sententiam mutat, sed non consilium. Meritum ergo Ezechiæ quod moreretur expetebat, & merita Ninivitarum quod Ninive subverteretur: sed Dei consilium aliud disposuerat, scilicet ut oratione & lacrymis Ezechiæ quindecim annos ad vitam illi adjiceret, & pœnitentiæ Ninivitarum ne perirent parceret.

Isa. 38. 1. Jon. 3.

3. Utrumque ergo erat scriptum in libro vitæ, sed alterum Deus legendum suo prophetæ permisit, alterum vero non permisit. Verum ergo dixerunt, nec decepti sunt, quia sic legerunt; nec mentiti sunt, quia sic crediderunt. Modo consimili sine præjudicio non absurde videtur in hac parte æstimari, quia ecclesiæ merita ex divina sententia requirunt, ut illis tribus annis & dimidio ipsa probetur secundum vaticinia prophetarum, & in manu hostium a Deo per tantum tempus tradatur.

4. Sicut propheta Ezechiel postquam adventum Gog descripsit de domo Israël, id est ecclesia, ita ait: *Et scient*, inquit, *gentes, quoniam in iniquitate sua capta sit domus Israel*, id est, ad purgandas iniquitates suas ab illo iniquo sit vexata, *eo quod dereliquerunt me*, nimis intenti terrenis, *& absconderim faciem meam ab eis*, id est, auxilium manifestum ab eis retraxerim, *& tradiderim eos in manus hostium, & ceciderint in gladio universi.*

Ezech. 39. 23.

4. Hanc igitur traditionem tribus annis & dimidio futuram secundum ipsius ecclesiæ merita, dictante divina sententia, Daniel propheta vidit in libro vitæ; vidit & Johannes evangelista secundum divinum consilium & æternam dispositionem, qua suum adventum minime accelerabit, lacrymis & clamoribus electorum suorum, quos si per totum illud tempus illa tribulatio protenderetur, defecturos prævidit, in libro illo non legerunt. Hoc consilium Dei Filius Deus unus cum Patre ab æterno cognovit, & ideo discipulis ait: *Quia nisi fuissent dies illi breviati, non fieret salva omnis caro* quæ debet salvari, *sed propter electos breviabuntur*

Matt. 24. 22.

breviabuntur dies illi. Sed quantum essent A breviandi & ejus adventus accelerandus, cujus illustratione, teste Apostolo, ille iniquus cum corpore suo est destruendus, non prædixit ipsis de hoc quærentibus discipulis: Act. 1. 7. sed de temporibus ait esse *quæ Pater posuit in sua potestate*, nec illud ante nobis expediebat nosse, ut ad ejus adventum semper essemus suspensi, non dilatione securitatis torpentes.

Matt. 24. 36. 5. Hinc Matth. 24. ait: *De die autem illa* B *nemo scit, neque angeli cælorum, nisi Pater solus*; nec per hoc excluditur Filius, qui est cum Patre & Spiritu-sancto Deus, sed eo genere loquendi, illam diem dicitur ignorare, quia non facit illum homines scire, quia inutiliter sciretur. Expedit enim nobis ut semper simus intenti de adventu judicis, & sic quotidie vivamus, quasi ea die judicandi simus. Et idcirco de adventu Domi-

2. Pet. 3. 10. ni, cujus illustratione ille destruetur ini-
2. Thess. 2. 8. quus, dicit apostolus Petrus, dicit & apostolus Paulus, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet, id est subitus erit, latens, C & insperatus.

6. Hinc Johannes in Apocalypsi 16. cum dixisset signa antichristi procedere ad reges terræ, congregare illos in prælium ad diem magnum Dei omnipotentis, statim Apoc. 16. 15. dixit in persona Domini: *Et ecce venio sicut fur*, innuens quod adventus ejus, quando in auxilium veniet sanctorum, erit incognitus, & tamen, ut dicit, acceleratus, ne electi a sua spe illius tribulationis pondere destituantur. Cum enim suo adventu destruet antichristum, si non acceleraret suum adventum, non esset omnino incognitus & D insperatus, cum post tres annos & dimidium, quibus illa persecutio duratura prædicatur, statim venturus non incongrue, immo forsitan vere speraretur, & ita non tamquam fur veniret in nocte, sicut scripturæ testantur.

7. Quod si dicamus dies illos propter electos breviari, id est ipsa mala quæ dierum nomine significantur, non videtur etiam incongruum. Unde Glos. Matth. 13. dicit, quia sic dies intelliguntur breviari, ut Deus qui dat virtutem patiendi, breviet E potentiam persequendi, & hoc est nisi *abbreviasset dies* Dominus, *non fieret salva omnis caro*; sed propter electos quos elegit breviavit dies, ut sic illa persecutio mitigetur malis, & tempore brevietur. Sive ergo primo sensu, sive hoc secundo intelligatur, quia hic nihil est temere asserendum, hoc tamen certissime teneatur, quod propter electos ne pereant, dies illi breviabuntur; sed tamen valde conveniens primus modus dicendus videtur; dum tamen nulli scripturæ canonicæ aut sanctorum expositionibus adversetur.

Caput X. *Quod antichristi ministri dicent pax & securitas.*

1. Cum igitur ille iniquus per ministros suos clarescere cœperit tantis miraculis, ut si fieri posset seducerentur electi, & per satellites suæ iniquitatis ubique sanctos contriverit, ut jam mundum a se seductum videatur possidere securus, pauci electorum adhuc superstites magno desiderio adventum Christi videre desiderabunt. Hinc Veritas Luc. 17. discipulis, cum de illis loqueretur temporibus ait: *Venient dies* Luc. 17. 22. *quando desideretis videre unum diem filii hominis*, scilicet diem adventus mei, *& non videbitis.* id est, ita cito non veniam sicut desideratis, sed tunc pseudo antichristi *vobis dicent*: *ecce hic* Christus, *ecce illic, nolite ire* cum illis, *nec sectemini*, & ne propter illorum derisiones a spe vestra cadatis, sed adventum meum certissime expectetis, non in hoc loco vel in illo, sed ubique manifestum futurum fore credatis. *Nam sicut fulgur coruscans de sub cælo, in ea quæ sub cælo sunt fulget, ita erit filius hominis in die sua*; non enim in uno loco, sed in toto orbe manifestabitur adventus Domini, cujus illu- 2. Thess. 2. 8. stratione, ut post dicetur, destruetur ille iniquus cum suo corpore. Sed quia tunc videbitur electis ejus adventus tardare, deridebuntur a pseudo antichristi illis improperantibus, ut dicit apostolus Petrus, *Ubi est promissio*, aut adventus ejus? sic enim omnia perseverant ab initio creaturæ.

2. Hinc est quod impii, Christianorum cultu destructo, securi vacabunt deliciis carnis, dicentes pax & securitas. Hinc Veritas ait, Luc 17. *Sicut*, inquit, *factum est* Luc. 17. 26. *in diebus Noë, ita & in diebus filii hominis*; *edebant & bibebant, uxores ducebant, & dabant ad nuptias, usque in diem quo intravit Noë in arcam, & venit deluvium, & perdidit omnes.* Sicut ergo Noë propter peccata hominum prædicans futurum diluvium, impiis delirare videbatur, deliciis terrenis ex toto deditis, & ad eas vacantibus; & ideo illis insperate veniens diluvium perdidit iniquos omnes, ita tunc paucis electis ad adventum Christi suspensis, deridebunt illos impii terrenis voluptatibus ex toto deditis, quos perditurus est subitus adventus Domini.

3. Unde *sicut factum est in diebus Loth*, Ibid. 28. *edebant & bibebant*; *emebant & vendebant*; *plantabant & ædificabant*: *qua autem die exivit Loth a Sodoma, pluit ignem & sulphur de cælo, & omnes perdidit*; *secundum hoc erit qua die filius hominis revelabitur.* Teste enim Gen. 18. 19. 25. scriptura Sodomitæ homines pessimi, inter quos Loth habitabat, gulæ dediti erant, luxuriæ & avaritiæ, quibus cum Loth revelatione angelica futurum super ipsos igne

& sulphure Dei judicium prædicaret, illis videbatur delirare. Quo exeunte, compellentibus angelis, a Sodomis, sulphur & ignis subito de cœlo descendens, omnes perdidit: sic erit, inquit Dominus, qua die Filius hominis revelabitur, quia electis Dei nequiter oppressis, securi vacabunt mali voluptatibus mundi & actibus terrenis cupiditatibusque satiandi, sicut pro membris suis de antichristo Daniel ait: erunt deridentes electos adventum nuntiantes celerem Domini, ad perdendum sua illustratione iniquos cum suo capite antichristo.

4. Hinc apertius alibi in eodem evangelica Veritas dicit, electos instruens & monens a prædictis malis cavere: *Attendite*, inquit, *vobis, ne graventur forte corda vestra crapula & ebrietate, & superveniat in vos repentina dies illa: tamquam laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ*, in quibus placent illecebræ mundi: quibus illecebris, ut Glossa ibid. dicit, quidam erunt detenti tempore imminentis judicii. Luc. 21. 34.

5. Hinc Augustinus in epist. ad Ezichium de fine sæculi dicit: » Utraque pars erit in » omnibus gentibus; una quæ premat, al» tera quæ prematur; una quæ dicat pax & » securitas, altera in qua sol obscuretur, & » luna non det lumen suum, & de qua stel» læ cadent, & in qua virtutes cœlorum » commoveantur. Mali, inquit, enim ma» descentes...... dicturi sunt pax & securi» tas, ut repentinus superveniat interitus, & » eos adventus Domini sicut fur in nocte » comprehendat; quando e contrario gau» debunt & exultabunt qui diligunt manife» stationem Domini.

6. Hinc S. Apost. 1. ad Thessal. cap. 5. cum repentinum interitum malis dicentibus pax & securitas prophetasset, ad electos se convertit, dicens: *Vos autem, fratres, non estis in tenebris* ignorantiæ, *ut vos illa dies tamquam fur comprehendat. Omnes vos filii lucis estis & filii diei, non estis noctis neque tenebrarum.* Sancti enim tunc illuminabuntur ab angelo lucis Christo Domino, ad præcognoscendum casum malorum. 1. Thess. 5. 4.

7. Hinc postquam angelus Johanni revelavit secretum illius ultimæ persecutionis, vidit Johannes angelum descendentem de cœlo in cordibus electorum, cujus ad adventum terra viventium sanctorum illuminata est a gloria ejus; clamans voce forti in eorum cordibus: *Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi*, cum qua omnes reges terræ fornicati sunt, quia totius congregationis antichristi, quæ vere civitas est subversionis vel confusionis, certissimam prævidebunt destructionem per revelationem Domini, & illam quasi jam factam nuntiabunt; & per doctores Domi- Apoc. 18. 2.

A nus hortabitur minores, dicens: *Exite de illa, popule meus, & ne sitis participes deliciarum ejus*, non dicatis cum illis, pax & securitas vacantes terrenis; *quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, & recordatus est Deus iniquitatum ejus.* Licet enim in corde suo dicat illa extremæ confusionis civitas, *Sedeo* ut *regina & vidua non sum*, habens virum suum antichristum & diabolum, *& luctum non videbo*, sed in tanta gloria & tantis deliciis permanebo, quia pax mihi & securitas. *Ideo*, inquit, *in una die venient plaga ejus, mors & luctus & fames, & igne comB buretur, quoniam fortis est Deus qui judicabit illam* in una die insperata; cum scilicet cœperit dicere *Pax & securitas, tunc*, inquit Apostolus, *superveniet repentinus interitus, tamquam dolor parturientis, & non effugient.* Ibid. 4. Ibid. 7. Ibid. 45. 1. Thess. 5. 3.

8. Hoc tamen post destructionem antichristi, remanente suo corpore, futurum dicunt fore quædam expositiones doctorum. scilicet quod interfecto antichristo cum maxima parte suorum a Michaële, gaudebunt illis diebus, ducentes uxores & convivia celebrantes, ac dicentes, Licet princeps noster mortuus sit, securitatem & pacem habemus; & cum talia dixerint, suC perveniet eis repentinus interitus, sicut Gl. Aimonis 1. ad Thessal. 5. Sed absque temeraria assertione, nullo præjudicio facto istius doctoris opinioni, magis consonum videtur, hoc malos dicturos ante mortem antichristi, antequam illa confusionis civitas suo capite viduetur. Tunc sedens ut regina, maxime cum pariter ille iniquus cum toto suo corpore peribit illustratione adventus Domini, ut inferius, Domino juvante, declarabitur; nec in morte illius iniqui ultima persecutio terminaretur, si post illum superstites remanerent mali, cum tunc & grana essent cum zizaniis, sicut esse debent, D teste evangelica veritate, usque ad ultimam persecutionem & consummationem sæculi. nec mali esse poterunt cum bonis, quin persequantur & opprimantur a malis.

9. Erunt igitur mali terrenis tunc voluptatibus, oppressis bonis, secure dediti; sed & boni ad exspectandum Domini adventum, illo quodam parvo silentio erunt suspensi: cum enim tuba cœperit canere, ille septimus angelus, in quo consummabitur E mysterium Dei, in ipsius tubæ apertione, sicut Johannes prævidit, silentium fiet quasi media hora in cœlo, id est in ecclesia, ipsis sanctis in pace cordis invicem clamantibus: *Gaudeamus & exultemus*, & demus gloriam Deo, *quoniam venerunt*, id est cito venient, *nuptiæ Agni; & uxor ejus*, id est sanctorum congregatio, *se præparavit*, ut contra illum iniquum ejusque exercitum pugnet pro suis electis. Apoc. 8. 1. Ibid. 14.

Caput XI. *De ultima illius iniqui elatione.*

1. Dicentibus igitur ministris antichristi, pax & securitas, sanctis oppressis, intentis voluptatibus terrenis, ipse antichristus caput illorum, cum in omnem tribum, populum & linguam acceperit dominium, nimia felicitate elatus in otium remittet animum, ut repentino interitu cadat cum dominatus fuerit pauperum, sicut David propheta ait. Glossa etiam super illud psalmi
Psal. 9. 32. ix. ait: *Cadet cum dominatus fuerit pauperum.* Tunc enim felicitate elatus in corde suo,
Ibid. 27. dicturus est, *Non movebor a generatione in generationem sine malo.* cogitans malis artibus, qualiter de hac mortali conversatione possit in immortalem transire, & in cœlum ascendere. Unde Glossa ibid. Putavit enim antichristus se malis artibus aliter venturum cum corpore suo, de mortali conversatione in æternam, de terra in cœlum; quod etiam Simon magus putavit, cum sceleratis artibus cœlum se arbitratus est adepturum, & de humana conversatione in divinam artibus magicis transiturum.

2. Hinc est quod de illo rege Babylonis totius civitatis confusæ, Dominus per
Isa. 14. 13. Isaïam ait cap. 14. *Dicebas*, inquit, *in corde tuo, in cœlum conscendam*; Gl. cum subjecerim mihi terram, quid restat, nisi ut in cœlum conscendam? *Super astra cœli exaltabo solium meum*, id est, in paradiso super omnes sanctos mihi solium collocabo. *Sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis*, id est ad litteram in monte Sion, qui mons testamenti dicitur; *quia de Sion*, teste propheta, *lex*, sive Christi testamentum, *exivit.*

3. Inde enim sibi solio ibidem præparato, magicis artibus tentabit ascendere in cœlum, ut sit similis Altissimo. Hoc est quod
Ibid. 14. sequitur: *Et ascendam*, inquit, *super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen*, inquit propheta, non sicut æstimas mons superbiæ ascendes. Sed *ad infernum detraheris in profundum laci.* Hinc est quod idem propheta ait; *& præcipitabit Dominus*
Ibid. 25. 7. *in monte isto*; scilicet in monte Sion, *faciem vinculi*, inquit, *colligati super omnes populos*, quos in sua infidelitate colligavit & fortiter strixit. Et ibidem præcipitabit, *telam quam orditus est super omnes nationes*, subvertendo ejus hypocrisim, ut non Deus, sed homo iniquus & magus manifeste appareat, qui in omnibus nationibus per sanctitatis hypocrisim credebatur, & adorabatur ut Deus.

4. Hoc est quod de rege Aquilonis antichristo ejusque elatione ultima Daniel propheta sibi angelum revelasse testatur dicens: postquam enim contriverit sanctos

A & interfecerit, & ita pauperum dominabitur: *Figet*, inquit, *tabernaculum apheno inter maria* super montem *inclytum & sanctum, & veniet usque ad summitatem, & nemo auxiliabitur ei.* Dan. 11. 45.
Mons sanctus & inclytus, mons Sion vocatur, quia ex eo Christus ad patrem ascendit, sicut dicit Gl. & in eo de cœlo veniens primitus apparere creditur, quia sic veniet quemadmodum apostoli ipsum viderunt ascendentem in cœlum in hoc monte. Ille iniquus scilicet in quadam montis parte figet tabernaculum suum apheno. Id est tabernaculum solii sui, id
B est sedem ibi figet: ex quo videntibus ministris suis & psudoapostolis, nitetur ascendere in cœlum. Unde alia littera habet extendet papiliones equitatus sui inter maria, quia sicut Christus discipulos in montem Oliveti duxit, ut ejus gloriosam ascensionem viderent, ita ille iniquus qui similis esset Altissimo ipsum superare nitetur, pseudoapostolos suos atque suorum magnam multitudinem secum trahet, ut videant in ascendendo ejus superbam potestatem.

5. Hinc mons sanctus & inclytus dici-
C tur esse inter duo maria, scilicet secundum B. Jeremiam, inter mare mortuum & mare magnum. Super montis igitur illius partem inferiorem suam collocans sedem, veniet usque ad summitatem ejus; & nemo auxiliabitur ei, quia forsitan arte dæmonum, nullo homine illi ferente præsidium, quasi propria virtute, feretur per aëra usque ad summitatem montis, videntibus & stupentibus satellitibus suis, nec ultra sinetur progredi, sed in illa montis summitate suis videntibus præcipitabitur & destruetur. Unde ubi littera nostra habet *&*
D *veniet usque ad summitatem*, littera 70 habet *& veniet hora consommationis ejus*, quia adventu dominico ejus malitia consummationem habebit.

6. Hinc Dominus per Jeremiam de illo loquitur dicens: *Ecce ego ad te superbe*, inquit *Dominus exercituum.* Glossa dicit, prænuntiat antichristo & membris ejus futuram damnationem. *Quia*, inquit, *venit dies tuus, tempus visitationis tuæ, & cadet superbus*, Jer. 50. 31.
Gloss. antichristus, *& corruet & non erit qui suscitet eum.* Unde quem in hoc dicit superbum, alibi propter excellentiam su-
E perbiæ, vocat montem pestiferum dicens: *Ecce ego ad te, mons pestifer*, ait Dominus, *qui corrumpis universam terram*, id est terrenos universis vitiis deditos, infidelitatis idololatria corrupisti, faciens illos adorare imaginem bestiæ; *Extendam manum meam*, id est meam ultionem, & vindictam *super te, & evellam te de petris*, id est de fide firmis separabo, ut amplius pauperum eorum corporaliter non domineris, *& dabo te in montem combustionis*, quia in monte combureris, *& non tollam de te*, id est de Ibid. 51. 25.
Ibid. 26.

tuis *lapidem in angulum & lapidem in fundamenta* ædificii cœlestis, *sed perditus* cum tuis omnibus *eris in æternum*, *ait Dominus*.

7. Sed quia sicut dicit Gl. 2. ad Thess. 2. ut tradunt doctores, occidetur in monte Oliveti, in illo loco contra quod Dominus ascendit ad cœlos. De modo destructionis ejusdem suorumque membrorum, aliquid scripturis testantibus dicendum est, quia hoc tempus expetit.

CAPUT XII. *De illius destructione in monte Oliveti.*

1. CUm igitur ille iniquus otio remissus, in sui nominis memoriam fastu superbiæ elatus, sicut Deus in cœlum propria virtute tentaverit coram satellitibus suis ascendere, & usque ad summitatem devenerit montis Oliveti, nemine sibi auxiliante, repentino Christi domini adventu, spiritu oris Domini interficietur, & cunctis ibidem congregatis videntibus præcipitabitur.

2. Hinc Johannes apost. Apocalip. 19. Apoc. 19. 11. cœlo aperto vidit equum album, *& qui sedebat super eum vocabatur fidelis & verax, & cum justitia judicat & pugnat, habens nomen scriptum quod nemo novit nisi ipse, & vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur nomen ejus verbum Dei, & exercitus qui sunt in cœlo sequebantur eum in equis albis, vestiti bisso albo & mundo.* Nec dubium est quin adventus Christi sedentis super carnem suam mundissimam, qui verbum Dei & vocatur & est: cujus vestes sunt electi, in illa persecutione sanguine fuso aspersi, cum exercitibus sanctorum sive hominum, sive angelorum vestitis bisso albo & mundo, id est justitia recti, & a criminali mundi integri in hac visione Johannis designetur.

3. Quem ad vindictam venientem designat scribens: Ibid. 15. *Et de ore ejus procedit gladius acutus*, id est divina sententia, *ut in ipso percutiat gentes* gentiliter sub antichristo viventes, *& reget eas in virga ferrea*, id est inflexibili justitia; *& ipse calcat torcular vini furoris omnipotentis Dei*, ab illo furore eripiens suos. *Et habet in vestimento & in femore suo scriptum*: *Rex regum & Dominus dominantium.* Tunc & Johannes vocem magnam audivit, currentem per medium cœli, id est ecclesiæ, dicentem *omnibus avibus quæ volabant per medium cœli*, id est fidelibus qui leves sunt & agiles in promotione bonorum operum, ut venirent & congregarentur *ad cœnam magnam Dei*, id est ad vindictam videndam illius iniqui & membrorum suorum; quæ cœna dicitur, quia sancti inde delectabuntur, & sic comedent carnes regum, & carnes tribunorum, &c. Psal. 81. 6. quia *lætabitur justus cum viderit vindictam*: *Et vidi*, inquit, *bestiam, & reges terræ & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum eo qui sedebat in equo & cum exercitu ejus.* Tunc enim damnatus homo Christo & cœlorum exercitui bellum inferre parabit, quando ad debellandum cœlum nitetur ascendere, & de Christo ac sanctis omnibus æstimabit se superbia excœcatus cum suo exercitu victoriam reportare.

4. *Et apprehensa est*, inquit, *bestia*, id est antichristus, *& cum illa pseudopropheta, quibus seduxit illos qui acceperunt caracterem bestiæ, & qui adoraverunt imaginem ejus.* Apoc. 19. 20. Modum autem apprehendendi illam bestiam cum corpore, in hoc loco Johannes non exprimit, quia quod subdit: *vivi missi sunt ii duo in stagnum ignis ardentis sulphure, & ceteri occisi sunt in gladio*, id est sententia districta, *sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius, & omnes aves*, id est cœli cives, *saturatæ sunt de carnibus eorum*, id est de afflictionibus pœnarum quas sustinebunt in propriis corporibus, sancti ex Dei justitia lætabuntur, post bestiæ interfectionem, & membrorum ejus, futurum est post, facta generali resurrectione, dicente Domino omnibus impiis: *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Matt. 25. 41

5. Sed qualiter illa bestia antichristus omnium malorum caput apprehendetur, ut pereat & interficiatur, B. apost. Paulus qui cœli secreta meruit penetrare, manifeste prædicat dicens 2. ad Thessal. 2. *Tunc*, 2. Thess. 2. 8. inquit, *revelabitur ille iniquus, quem dominus* JESUS *interficiet spiritu oris sui*, & ejus corpus *destruet illustratione adventus sui.* Cum enim ille iniquus in tantum fuerit elatus, ut credat malis artibus, sicut dicit B. Augustin. super psalmum 9. posse transire de hac mortali conversatione in immortalem, & sicut terram debellavit, ita cœlum nitatur debellare; repente de cœlo Matt. 25. 31. Dominus descendet cum potestate magna & majestate, sicut evangelista testatur; sicut Johannes ipsum sedentem in albo equo vidit, & exercitum cœlorum illum sequentem in equis albis, & super montem Oliveti illum iniquum arguet, cujus visionem & increpationem sustinere non valens, expirabit, & de illo monte præcipitabitur videntibus suis ministris. unde sicut Ananias increpationem Petri sustinere non valens cecidit, & expiravit, ut dicitur Actuum 5. Ita ille iniquus Dominicæ majestatis visionem ferre non potens, & iræ ejus increpationem sustinere non valens, expirabit & cadet, & sic pauperum suorum desiderium & gemitum contra illum superbum Dominus exaudiet.

6. Et hoc Apostolus signare videtur, cum dixit, *quem dominus* JESUS *interficiet spiritu oris sui*; 2. Thess. 2. 8. scilicet, ut Gloss. dicit, potentia visionis suæ, sive per se occiderit eum, ut Apostolus

apostolus videtur exprimere sive per Michaëlem, ut quædam scripturæ videntur. Sed verius creditur, quia secundum apostolum modo prædicto ab ipso Domino interficiatur.

7. Inde Ambrosius super epistol. Pauli in originali ait: Ipse enim Christus dominus quasi primus angelus Dei cum exercitu cœlesti descendet de cœlo ad gerendum bellum nomine Dei contra antichristum, quo extincto, jussu ejus resurgent mortui; hoc est ergo in tuba Dei descendere, nomine Domini bellum gerere, est enim ut ipse dixit ad Jesum Nave, dux & princeps exercitus Domini, propter quod archangelus dicitur. Et ibid. subito, inquit, & ex improviso apparebit sicut coruscatio apparet, habens secum militiam exercitus Dei patris ad perditionem antichristi & satellitum ejus.

8. Unde Johannes Damascenus lib. 4. c. 18. Et veniet, inquit, Dominus de cœlo, quemadmodum sancti Apostoli viderunt eum euntem in cœlum, Deus perfectus, & homo perfectus cum gloria & veritate, & interficiet hominem iniquitatis filium perditionis spiritu oris sui.

9. Illo vero interfecto, quidam doctores videntur dicere, quia pax erit modico tempore in ecclesia, sicut in Apocal. 8. dicitur: *Cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo quasi media hora*: ubi dicit Gloss. post mortem antichristi habebunt boni spatium pænitendi, qui peccaverunt tempore illius per 42. dies, donec fiat judicium, sicut habuerunt Judæi post passionem Christi 42. annos pænitendi.

10. Et Daniel propheta non solum XLII. sed XLV. dies videtur intimare. *A tempore*, inquit, *cum ablatum fuerit juge sacrificium*, Glossa, cum antichristus orbem possidens, Dei interdicet cultum usque ad mortem ejus, *& posita fuerit abominatio in desolationem*, id est cum se colendum persuaserit, qui abominatio dicitur desolationis legis Dei & sanctorum, *duo mille ducenti nonaginta* & semis erunt. *Beatus*, inquit, *qui exspectat & pervenit ad dies mille* CCC. XXXV. Ubi dicit Glossa: dies quietis & pacis post mortem antichristi XLV. superioribus adduntur, ad refrigerium sanctorum, & pænitentiam subversorum. Et alia ibid. dicit. Quare post mortem antichristi XLV. dierum silentium fit, Dei scientiæ est, sed forte regni dilatio, sanctorum patientiæ probatio. Bene tunc, sicut dicit Glossa 1. ad Thessalon. 5. post mortem antichristi ejusdem ministri dicturi sunt: Etsi princeps noster mortuus sit, tamen nunc habemus pacem; & ipsis dicentibus *pax & securitas, repentinus superveniet interitus, quasi dolor parturientis, & non effugient*.

Dan. 12. 11.

1. Thess. 5. 3.

11. Sed quomodo istud sit conveniens, judicet qui potest judicare, quia Johannes dicit, quod non solum est apprehensa bestia, ut spiritu oris Domini interficiatur, sed cum illa pseudoprophetæ, & qui adoraverunt imaginem bestiæ, & acceperunt caracterem ejus. Et Apostolus ait, quod interficietur antichristus spiritu oris Domini, & destruetur cum suo corpore illustratione sui adventus. Nec enim adventus ejus ad illum iniquum interimendum occultus est, & in uno tantum loco ostensus; sed, ut ipse ait, *sicut fulgur ab oriente, & apparet usque in occidentem, ita erit adventus Filii hominis*. In toto enim orbe manifestabitur iste secundus adventus, ut Gl. dicit Math. 24.

Apoc. 19. 20.

2. Thess. 2. 8.

Matt. 24. 27.

12. Quomodo ergo post mortem antichristi pacem habebunt & securitatem, cum Dominum venisse videant per signa manifesta, quæ per discursum fulguris coruscantis figurantur, qui potest, exponat. Præterea, si secundum evangelicam veritatem usque in finem sæculi zizania erunt in granis, mali cum bonis, nec umquam permixti sint, quin boni comprimantur a malis; quomodo in morte antichristi finis omnium malorum, sicut scripturæ testantur, erit?

Matt. 13. 30.

13. Inde B. Augustinus libro vigesimo de Civitate Dei cap. ult. post finitam persecutionem antichristi, Christum dicit statim judicaturum, non post ejus mortem ecclesiæ pacem promittit; & quod bellum ejus durabit, donec Dei ultimo judicio regnum sancti accipiant sempiternum.

14. Et ipse B. Johannes, qui illa secreta limpide vidit, audivit vocem clamantem, quia in voce septimi angeli, *cum cœperit tuba canere, complebitur mysterium Dei, sicut per servos suos prophetas prædixit*. Nonne initium tubæ hujus septimi, id est Christi Domini, quia a Patre missus, quadam prærogativa dicitur princeps angelorum, & Angelus magni consilii, & septimus, in quo tendit omnis tuba aliorum angelorum, & fertur ad perfectum, sicut septenarius est; perfectus erit, cum hominem iniquitatis interficiet spiritu oris sui.

Apoc. 10. 7.

15. Hinc Gregorius lib. 14. Moralium illud sancti Job exponens, *Non est semen ejus, neque progenies in populo suo, nec ulla reliquia in regionibus*, ait: Nulla, inquit, ejus progenies in mundo remanet, quia districtus judex iniquitates cum ipso mundi fine concludet. Et ideo forsitan verba prophetæ Daniel sunt aliter interpretanda: *Beatus qui pervenit ad dies mille* CC. *nonaginta unum*, quando illa pax post mortem antichristi dicitur incœptura prædicto numero dierum transacto, scilicet diebus mille CC. nonaginta. Sed dixit: Beatus qui pervenerit ad dies mille CCC. XXXV. ut attingat numerum illorum XLV. dierum perseveran-

Job. 18. 19.

Dan. 12. 12.

do in fide recta, spe firma, caritate non ficta. Sed tamen in hac parte nihil temere asserimus, nec dicta sanctorum in aliquo reprobamus, sed tantum qualiter recte intelligantur, inquirere monemus. Et quia diximus de destructione capitis, nunc dicamus aliquid, Domino adjuvante, de destructione membrorum, secundum veritatem infallibilem scripturarum.

CAPUT XIII. *De destructione corporis sui adventu* JESU CHRISTI.

1. SIcut Zacharias propheta 14. cap. ait: In diebus illius ultimæ persecutionis *egredietur Dominus, & præliabitur contra gentes illas*, quæ vastaverunt veram Jerusalem Christi sponsam, *sicut præliatus est in die certaminis*, quando Pharaonem cum suo exercitu submersit, & pro populo suo dimicavit. *Et stabunt*, inquit, *pedes ejus super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad orientem*, quia ibidem interficiendo antichristum omnium caput malorum, exercebit vindictam, *& scindetur mons Olivarum ex media parte sui ad orientem & occidentem, prærupto grandi valle, & separabitur medium montis* ejus *ad aquilonem, & medium ejus ad meridiem*, & ita in quatuor mundi climata scindi videbitur mons Olivarum; quia vindicta illa, quæ in monte Olivarum contra antichristum incipiet, in omnibus mundi partibus contra illius membra se diffundet; & iste forsan erit ignis ille, qui præcedet faciem veri Judicis, & fulgur ab oriente incipiens & apparens usque in occidentem, & a septemtrione in meridiem adventum veri Judicis aperte declarans, & Christi adversarios dicentes pax & securitas, subito & ubique devastans. Zach. 14. 3.

2. Tunc forsitan electi Dei, qui in illa persecutione titubaverunt, fugient ad valles montium Dei pœnitentes, & humiliter petentes intercessionem sanctorum, ut assequi valeant dies æternæ pacis & quietis, imitantes humilitatem sanctorum, ut conjungantur ad proximum.

3. De hac ignea vindicta dicitur in psalmo: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Hinc est quod de interfectione Gog cum exercitu ejus, Dominus per Ezechielem dicit: *Ignem & sulphur pluam super eum, & super exercitum ejus, & super populos multos qui sunt cum eo. Et mittam*, inquit, *ignem in Magog, & in iis qui habitant in insulis confidenter*, qui scilicet dicunt pax & securitas. ii enim secure habitant in terrenis & insulis hujus magni maris, id est hujus mundi. Psal. 9. 5. Ezech 38. 22. Ibid. 39. 6.

4. In quo propheta plurima de judicio Domini ultimo, & destructione malorum, bonorumque gaudio sempiterno, sub obscuris quibusdam ænigmatibus & figuris dicit, quæ sunt sollicite indaganda: sed illa nunc prætermittimus, ne istud opus nimium protendamus. *Hæc est*, inquit, *dies illa, de qua locutus sum* in prophetis, Glos. dies pœnarum & vindictæ. Ibid. 8.

5. Hinc Johannes Apocal. 20. ab incarnatione Domini breviter tempora recapitulans, a qua satanas clausus est & ligatus, & missus in abyssum, id est reclusus in cordibus reproborum, ut non seduceret amplius gentes, quas ante in idololatria detinebat, donec consummarentur mille anni, id est, donec plenitudo gentium intraret ad fidem, quod per millenarium figuratur propter numeri perfectionem, ut post hoc solvatur, & insanire permittatur *modico tempore*, scilicet ante, *judicium datum est* ecclesiæ, illud scilicet quod nunc de cordibus electorum expellit diabolum illa potestate, quam Christus illi dedit dicens: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis*, & animæ sanctorum *qui nec* diabolum *adoraverunt, nec imaginem aut caracterem receperunt in frontibus & in manibus suis*, id est culpa mortali, quæ inscriptio est diaboli, animas suas finaliter non maculaverunt, ut nec in aperta confessione, nec in operatione impia confiterentur diabolum, *vixerunt & regnaverunt mille annis cum Christo, & ceteri mortuorum* qui in infidelitate sua & impietate mortui sunt, *non vixerunt*, sed æternaliter damnati sunt, *donec impleantur mille anni.* Jam etiam pœnas luctantur, cum isto præsenti tempore ecclesia cum Christo regnat. *Hæc est*, inquit, *resurrectio prima*, qua a peccatis resurgentes, nunc in anima regnant cum Christo. *Beatus*, inquit, *qui habet partem in prima resurrectione, in iis secunda mors*, scilicet mors gehennæ, quæ erit in anima & corpore, *non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Christi*; ejus laudes offerentes divinitati & humanitati Christi, *& regnabunt cum illo mille annis*, id est toto illo tempore regnabunt in anima cum Christo, donec mortale sæculum finiatur, & ad illud sæculum immortale in corpore & anima facta resurrectione secunda transeatur. Deinde ad tempus ultimæ persecutionis se convertens ait: *Et cum consummati fuerint mille anni*, id est tempus totum quo gentes vocabuntur ad fidem, *solvetur satanas de carcere suo, & exiet, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog & Magog, & congregabit eos in prælium*, postquam scilicet illos seduxerit; *quorum numerus est sicut arena maris; & ascenderunt super terræ latitudinem, & circuierunt castra sanctorum & civitatem dilectam*, id est ecclesiam, quæ castra non derelinquet militiæ Christianæ: de qua seductione & prælio multa diximus scripturis attestantibus. sed de illorum destructione subjungit: *Et descendit ignis de cœlo*, sci- Apoc. 20. 3. Ibid. 6. Ibid. 7. Ibid. 9.

licet a Deo, sive de isto cœlo aëreo, unde dicuntur volucres cœli, *& devoravit eos.* In quo signatur illum repentine descendere, sic enim super eos veniet repentinus interitus; & ideo dicit Glos. timendi non sunt, quia cito peribunt.

6. Hinc est quod Augustinus illa verba 20. de Civitate Dei exponens cap. 12. ait: » Si illam, inquit, plagam qua puniendi sunt » ecclesiæ persecutores, veniente jam Christo, » quos viventes inveniet super terram, quando » interficiet antichristum spiritu oris sui, » ignem appellavit descendentem de cœlo, » eosque comedentem, neque hoc erit ultimum » supplicium impiorum; sed illud quod » facta resurrectione passuri sunt. De quo statim Johannes subjungit: *Et diabolus qui seducebat eos missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia*, scilicet antichristus, *&* ejus *pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum*, quod fiet post generalem resurrectionem, de qua Johannes statim subjungit, quia vidit *thronum magnum candidum & sedentem super eum*, *&* vidit *mortuos magnos stantes in conspectu throni*, & libris conscientiarum apertis, *judicati sunt mortui ex iis quæ scripta erant in libris, secundum opera eorum, & infernus & mors*, id est, perfidi impii cum diabolo, *missi sunt in stagnum ignis, hæc est secunda mors; & qui non est inventus in libro vitæ* prædestinationis divinæ *scriptus, missus est in stagnum ignis*, & sic quod ante de ultima damnatorum pœna breviter tetigerat, post latius explicavit, illam dicens post resurrectionem impleri. Sed alia præcedet vindicta, ut dictum est, quæ devorabit Christi adversarios, dissolutionem faciens animarum & corporum, ut post, resumtis corporibus, illam ultimam damnationem patiantur, & iste ignis in omni mundi climate discurret, quia in omni mundi parte erunt adversarii ecclesiæ, qui dederunt & acceperunt caracterem bestiæ, quos destruet. Unde in mundi circuitu, scilicet ab Oriente, meridie, Aquilone & Occidente discurret, qui ignis ab Apostolo dictus est *illustratio adventus Christi*, cujus illustratione destruetur corpus antichristi, & fortasse iste ignis, non solum destruet malos, sed purgabit electos, qui in illa persecutione non ex malitia, sed ex quadam carnis titubaverunt infirmitate, ut sic salvi fiant per ignem.

Ibid. 11. — *2. Thess. 2. 8.*

7. Inde est quod Malachias de secundo Domini adventu dicit: *Quis stabit ad videndum eum?* non enim illum possent plurimi electorum in judicio secure videre, nisi prius purgarentur. unde subdit: *Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum; & sedebit conflans & emundans* electos *quasi argentum* in conflatorio igne mundatur, *& sic purgabit filios Levi.* unde statim de novissimo judicio subdit: *Et accedam ad vos in judicio, & ero testis velox maleficis, & perjuris, & adulteris*, &c.

Mal. 3. 2. — *Ibid. 5.*

8. Unde illa purgatio est ultimum judicium præcessura, & forsitan per 45. dies illa purgatio fiet, malis cessantibus & impugnatione bonorum, ut iis completis, non indigeat aliquis purgatione, sed jam dignus habeatur æterna beatitudine, ut Daniel dicat, quod beatus sit qui in recta fide, firma spe, non ficta caritate poterit usque ad mille CCC. XXXV. dies pervenire, ut post mortem antichristi XLV. dies supersint ad purgationem electorum, & sic forsitan recte intelligi possunt præmissæ de hoc auctoritates sanctorum. *Dan. 12. 12.*

9. Devoratis igitur illo igne adversariis, & purgatis electis, mittet angelos Dominus cum tuba, & voce magna congregabit electos ejus a quatuor ventis cœli, a summo cœlorum usque ad terminos eorum, canente illa novissima tuba vocis Filii Dei, ut omnes de monumentis resurgant, cum quibus & sancti tunc vivi, & per præmissum ignem purgati, rapientur obviam Christo in aëra, & in illo raptu morientur, & resurgent, & sic, teste Apostolo, cum Domino erunt. *1. Thess. 4. 16.*

10. Tunc omnibus ante ipsum congregatis, in judicio apparebit cum sanctis suis sive hominibus, sive angelis, in majestate magna & potestate, & separabit malos a bonis ab invicem, *sicut pastor segregat oves ab hœdis*, statuetque oves a dextris, hœdos a sinistris, dicens bonis: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi;* dicens & malis: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Et ii ibunt in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* *Matt. 25. 32.*

11. Quo judicio peracto, mundi fiet conflagratio, ejusdemque renovatio, ut sit cœlum novum & terra nova, sicut ultima continet visio Johannis in Apocalypsi, ubi & beatitudinem sanctorum prolixe describit, de qua mihi tractare non expedit, cum luculenter tractata sit & discussa a doctoribus sanctis. *Apoc. 21.*

Caput XIV. *Brevis conclusio & recapitulatio prædictorum.*

1. Ista tractata sunt secundum sententiam doctoris egregii Augustini, qui in libro 20. de Civitate Dei cap. ultimo dicit: In illo, inquit, judicio, vel circa illud ju- « dicium has res didicimus esse venturas. « Heliam Thesbitem, fidem Judæorum, an- « tichristum persecuturum, Christum judi- « caturum, mortuorum resurrectionem, bo- « norum malorumque diremtionem, mundi « conflagrationem ejusque renovationem: « quæ omnia quidem ventura esse creden- « dum est, sed quibus modis, vel quo ordine «

» veniant, tunc magis docebit rerum expe- » rientia, quam nunc ad perfectum intelli- » gentia hominum valet consequi.

2. Existimo tamen cum B. Augustino, eo quo a me commemorata sunt ordine esse ventura. Quod si quis ex scripturis dictam persecutionem aliter tractaverit catholice, &, quod facile potest, melius, non invideo. etsi quidem in prædictis mala me aliqua dixisse non invenio, tamen quia omnino non dixerim, superbe non defendo. Et si forte aliquid quod scripturæ canonicæ a sanctis patribus expositæ adversetur, asserui, non meum errorem, sed scripturam fateor sequi, me & hunc libellum per omnia subdens sanctæ Romanæ ecclesiæ & omni ecclesiasticæ correctioni. Qui ergo hunc libellum legerit, mihi suppliciter peto ad Dominum orationis impendat suffragium, ut illam acerbam persecutionem mortis suffragio valeam effugere, aut si forsan me contigerit apprehendere, valeam in confessione fidei Christianæ ante filium hominis securus stare, Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, cui cum Patre & Spiritu-sancto honor est, & imperium per æterna sæcula sæculorum. Amen.



ADDENDA AD TOMUM PRIMUM.

EPISTOLA CLEMENTIS PAPÆ VI. ad Raynerium de Waschio domicellum.

Anibaldum episcopum Tusculanum suum in Tuscia legatum creat.

Anno 1348. *Ex schedis illustrissimi Marchionis Daubais.*

CLEMENS episcopus servus servorum Dei. Dilectio filio nobili viro Raynenerio de Vaschio dicto Bussæ, domicello Urbevetanæ diœcesis: salutem & apostolicam benedictionem. Ad statum nostri patrimonii beati Petri in Tuscia, adjutore Domino, prospere dirigendum, sollicite intendentes, venerabilem fratrem nostrum ANIBALDUM episcopum Tusculanum apostolicæ sedis legatum, cujus ad id affectionem experimento cognovimus ampliorem ad eamdem urbem, & certas alias partes Italiæ, commisso sibi in illis plenæ legationis officio, providimus consulta deliberatione præhabita destinandum, certa sibi super hoc & aliis pro parte nostra tibi referenda ore tenus imponentes; quocirca nobilitatem tuam attente rogamus, quatenus ipsius legati pro parte nostra relatibus adhibens plenam fidem, sic illic progenitorum tuorum more laudabili ad effectum debitæ prosecutionis adductus, quod inde tuæ devotionis sinceritas fructuosis comprobetur operibus, & nos ex ipsius legati laboribus fructus uberes colligere valeamus. Datum Avenione idibus Januarii pontificatus nostri anno quinto.

TREUGÆ INTER NOBILES VIROS Cecchum Golini, &c. & nobiles viros Ildebrandum de filiis Ursi comitem Palatinum, &c.

Anno 1355. *Ex schedis illustrissimi marchionis Daubais.*

IN nomine domini nostri Christi, amen. NICOLAUS Dei gratia sanctæ sedis Aquilegiensis patriarcha pro sacra imperiali majestate Romana in Tuscia vicarius generalis; universis & singulis, ad quos præsentes pervenerint, salutem. Serenissimus princeps & dominus noster dominus CAROLUS IV. divina favente clementia Romanorum imperator semper Augustus, & Bohemiæ rex; dum nobis licet immeritis onus regiminis partium Tusciæ providentia sua imposuit, nos suum & sancti Romani imperii generalem vicarium constituens in eisdem, hoc nobis injunxit præcipue, ut in decreta nobis provincia, & inter populos & subditos nostro commissos regimini, discordiarum scandalis, guerrarum discriminibus, & inimicitiarum fomitibus obviare omni cura & omni sollicitudine curaremus, vias exquirentes & modos, rigore mediante justitiæ, per quos hujusmodi dispendiis occurratur, & pacis auctore favente, ad unionem pacificam reducantur, sedatis rumoribus, discordantes. Cujus mandata & monita in cordis nostri penetrabilibus humiliter amplectentes, per imperialia edicta nobis injuncta toto corde, omni cura, omnique sollicitudine, nullis parcendo laboribus, adimplere disposuimus, Deo teste; cum itaque, sicut accipimus per solemnes personas, pacem & tranquillitatem zelantes patriæ, simus informati, inter nobiles viros Cecchum Golini, & ipsius Cecchi nepotes Bindoccium, & filios Bertholdum, Raynerium, Angelum, & Jacobum, fratresque Bussæ de Vitocio, Nerium, & Cellum de Monte-Marano, Guglielmum Falgini de eodem loco Montis Marani, nobiles de Baschio, ac Petrum de Castello-teriis parte una; & nobiles viros Ildebrandum de filiis Ursi, comitem Palatinum, Nicolaum, & Gentilem fratres, & Bertoldum Ranuccii de Farneto, & ipsorum subditos & fideles parte ex

ex alt[illegible], instigante inimico pacis, graves & inexorabiles sint exortæ discordiæ ab antiquo, quarum occasione capitalia inter partes ipsas hodie successerunt rerum dispendia, rapinæ, incendia, sanguinis effusiones, & strages hominum hinc inde, proh dolor! sint secutæ; & ne deteriora contingant, nisi apponatur remedium salubre, verisimiliter formidetur; nos præfati domini, cujus vices gerimus, sequi vestigia cupientes, inter partem utramque inimicitiam & discordiarum causas elidere & radicitus evellere & auferre, & pacis & caritatis unire & reformare vinculo, summo desiderio anhelamus; & quia tam magna atque ardua infra breve temporis spatium, quæ matura deliberatione indigent, non possunt sine dubio terminari, & oporteat nos tam cum dictis partibus, quam cum aliis sancti imperii & nostris fidelibus jurisperitis & aliis scientificis viris, super decisione discordiarum hujusmodi, multos & varios habere tractatus, qui non possint haberi, nisi eisdem partibus in nostra præsentia personaliter constitutis, ut melius & liquidius tractatus pacis ventilentur, hujusmodi inter partes præfatas, consortes, fideles, & servitores ipsarum; treguas pacis repræsentantes imaginem, auctoritate imperiali qua fungimur, & omni modo, via, & jure quibus melius possumus, præcipimus & indicimus, & a die præsenti usque ad unum annum proximum, integrum & completum, præcipientes & mandantes auctoritate prædicta partibus supradictis, sub obtentu imperialis gratiæ, ac nostræ, pœna duorum millium marcarum argenti sine remissione aliqua auferenda ab eo qui contra fecerit, quatenus ab injuriis, damnis, & offensis inferendis, sibi ad invicem debeant totaliter abstinere, ne audeant offendere ullo modo, sed dictas treguas integre per totum dictum tempus inviolabiliter observare. Cujus pœnæ si contra prædicta factum fuerit, medietas veniat persolvenda imperiali fisco, & reliqua medietas offenso affigenda ab illa parte, de qua fuerit ille qui offensam intulerit, quoniam volumus, quod unus pro altero teneatur, toties exigatur, quoties fuerit contra factum, vocatis coram nobis & in nostra præsentia constitutis Facino quondam Sergerii de Rocastrata tamquam procuratore & procuratorio nomine nobilium virorum Celli quondam Cecchi, & Guglielmi quondam Falginii, ex domino domino de Baschio, ut de procuratorio hujusmodi constat publico instrumento, scripto manu Francisci quondam Albonei de Plano Castagnano, notarii publici, sub anno Domini 1355. indictione 8. die 6. mensis Maii. Ac procuratore & procuratorio nomine nobilium virorum Raynerii, Stephani, & Angeli fratrum & filiorum quondam Bussæ Nerii quondam Cecchi, Bindi, & Thomæ, quondam Bindoccii omnium de domino domino Baschio, & Petri quondam Guiducci de Castrolocteris, ut de procuratorio hujusmodi constat publico instrumento scripto manu Angeli magistri Francisci imperiali auctoritate notarii, sub anno & indictione prædictis, die vero 5. mensis Maii, necnon procuratore & procuratorio nomine nobilis Bertoldi, & Jacobi fratrum & filiorum quondam Bussæ de Vitocio de dictis domino domino de Baschio, ut de procuratorio hujusmodi constat publico instrumento scripto manu Johannis, domini Francisci de Cebolis, regia & imperiali auctoritate publici notarii, sub anno & auctoritate prædictis die 5. mensis Maii ex parte una, & discreto viro serenissimo cive Pisano, tamquam procuratore & procuratorio nomine nobilis & potentis viri Ildebrandini, quondam domini Guidonis de filiis Ursi, comitis Palatini, pro se & suo proprio nomine, ac vice, ac nomine Nicolæ & Gentilis fratrum, ejus ac Bertoldi Ranucii de Farneto, pro quibus promisit de rato, ut de procuratorio hujusmodi constat publico instrumento, scripto manu Johannis, quondam magistri Johannis de Pitillano notarii publici sub præscriptis millesimo & indictione, die vero 6. mensis Maii. Coram nobis per dictas partes productis ex altera; quibus quidem partibus consentientibus, videlicet domino de Fascino, procuratorio nomine quo supra, quatenus compareat coram nobis cum pleno mandato, ac utrique parti terminum ad ratificandum prædictas treguas, & ipsarum tenorem, statuimus a die hodierna usque ad 15. dies proxime secuturos, mandantes præsens publicum instrumentum scribi & publicari per Paulum notarium infra scriptum, ac sigilli nostri appensione muniri ad majorem roboris firmitatem omnium præscriptorum. Actum & datum Senis in nostræ residentiæ palatio, communis Senarum, sub anno Domini 1355. indictione 8. die 22. mensis Maii, imperante serenissimo principe domino Carolo divina favente clementia Romanorum imperatore semper Augusto & Bohemiæ rege domino nostro; præsentibus sapienti viro domino Cino de Castellione Aretino, juris utriusque perito referendario præfati domini Caroli imperatoris, nobilibus militibus domino Jacobo Mordeffi de Luca, comite Vallis-Mareni, & magistro curiæ patriarchalis, & Henrico de Ares magistro cameræ nostræ, venerandis viris D. D. Nicolao Sabilio & Johanne, capellanis nostris, testibus, & aliis pluribus vocatis & rogatis.

EPISTOLA URBANI PAPÆ VI. ad populum & officiales urbis Romæ.

Raynerium de Vaschio constituendum esse ducem sui & Urbis exercitus, eumdem creandum Urbis senatorem.

Anno 1386. Ex schedis illustrissimi marchionis Dambais.

URBANUS episcopus, dilectis filiis populo & officialibus almæ Urbis salutem & A. B. Quod tam nostrarum quam vestrarum gentium armorum exercitus circa civitatem nostram Viterbiensem ordinate & sine dilatione ponatur, & donec civitas ipsa ad nostram & ipsius ecclesiæ obedientiam reducta fuerit, exacta diligentia teneatur, multum insidet nobis cordi. Res enim communis agitur, & ex hujusmodi reductione tam almæ Urbis, quam dictæ ecclesiæ statui perutillime providetur. Verum quia res bellicæ melius sub uno duce, qui consilio providus, manu strenuus, & agibilium expertus existat, quam sub pluribus etiam paribus diriguntur, cum si plures fuerint, ne alter ab alterius arbitrio pendere, & nonnihil de suo afferre videatur, diversis & plerumque adversis sententiis, illis quorum negotia promovere deberent, non parva generent detrimenta; maturato consilio providemus, quod dilectus filius vir nobilis REYNERIUS DE VASCHIO miles, quem de fidelitate inconcussa, circumspectione provida, strenuitate virium, ac in multis & magnis experientia plurimum comprobata, celebris fama commendat, ad præsentiam dilecti filii nostri THOMÆ sanctæ Mariæ in Dominica diaconi cardinalis, in nonnullis nostris & Romanæ ecclesiæ terris, pro nobis & ecclesia ipsa in temporalibus vicarii generalis, se conferat indilate; & si cum eodem cardinali, cui super hoc scribimus, convenire possitis, quod tam nostræ quam vestræ gentes unitæ, necessarium & utile fore, sub ducatu scilicet unius gubernentur, dictum Raynerium aptum ad id ac utilem & idoneum reputamus. Fuit enim nec semel retroactis temporibus gentium armorum in majori numero capitaneus & ductor, & frequenter industria & solertia sua triumphum de hostibus reportavit. Ex quo si capitaneus earumdem gentium deputaretur, quod propterea ad expeditionem negotiorum quæ geruntur, multa cum Dei adjutorio provenirent felicia, & quod ex hoc nobis honor & gloria succresceret, verisimiliter est sperandum. Nos quoque si illis partibus propinquaremus, cum eumdem Raynerium sufficientem ad id & fructuosum credamus, pro felici & æquo regimine, & directione dictæ Urbis, deliberamus eum facere senatorem. Quicquid autem secutum fuerit in præmissis, & si quæ alia per nos facienda cognoveritis, nobis vestra devotio non differat intimare. Datum Januæ VIII. idus Aprilis, pontificatus nostri anno octavo.

F. de Lanz. de Curia. P. de Wecter.

EPISTOLA EJUSDEM ad Raynerium de Baschio.

Constituit eum pro se & Romana ecclesia Castrensis civitatis vicarium.

Anno 1388. Ex schedis illustrissimi domini marchionis Dambais.

URBANUS episcopus, &c. dilecto filio nobili viro RAYNERIO DE BASCHIO militi, Tudertinæ diœcesis, civitatis nostræ Castrensis ejusque territorii & districtus pro nobis & ecclesia Romana vicario, salutem & A. B. Ad statum nostræ civitatis Castrensis ejusque territorii & districtus pacifice & salubriter dirigendum sollicitis studiis intendentes, operarias manus libenter apponimus, ut ibi cultus justitiæ vigeat, pacifica tranquillitas floreat, plantentur boni mores, & reprobi exstirpentur; viri quoque virtuosi propriæ virtutis præmium sentiant, mali nec-non corrigantur, & si obdurati fuerint, luant pro demeritis dignas pœnas: hinc est quod nos de tua fidelitate, prudentia, ac diligentia in multis arduis comprobata, sumentes in Domino fiduciam spiritualem, ac sperantes quod illa, quæ tibi commiserimus, exequeris sollicite, fideliter ac prudenter; te civitatis, territorii & districtus prædictorum pro nobis & Romana ecclesia vicarium, cum salario, emolumentis, honoribus, & oneribus consuetis, usque ad nostrum beneplacitum, auctoritate apostolicà, tenore præsentium facimus, constituimus, & etiam deputamus; tibi omnia & singula, quæ pro nostro & Romanæ ecclesiæ honore, ac pro cultu justitiæ, pace, tranquillitate ac prospero statu civitatis, territorii & districtus prædictorum expedire necessario cognoveris, & quæ ad hujusmodi vicariatus officium pertinere de consuetudine vel de jure mandandi, ordinandi, disponendi, faciendi & exequendi, alienatione tamen bonorum immobilium & pretiosorum mobilium dictorum civitatis, territorii & districtus tibi penitus interdictis, facultatem plenam & liberam concedentes; ac mandantes dilectis filiis terrigenis & incolis civitatis territorii & districtus præfatorum, ut illi ex eis ad quos id pertinet, tibi de hujusmodi salario temporibus consuetis sollicite satisfaciant cum effectu, ipsique omnes durante hujusmodi beneplacito in hiis quæ ad officium ipsum pertinent pareant effectualiter & intendant, alioquin sententiam sive pœnam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus & faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. volumus

autem quod antequam officium ipsum incipias excercere, de eodem officio fideliter exercendo, ac debitæ fidelitatis in manibus dilecti filii MARINI sanctæ Mariæ novæ diaconi cardinalis, camerarii nostri, præstes in forma solita juramentum. Tu igitur officium ipsum prompta devotione suscipias, sic illud studiose, fideliter, ac prudenter exsequaris, quod exinde sperata commoda perveniant, tuque apud nos & apostolicam sedem de fidelitate, prudentia, ac diligentia amplius valeas non immerito commendari. Datum Romæ apud sanctum Petrum XIV. Kalend. Januarii pontificatus nostri anno undecimo.

De Curia. F. de Lanz.

DISPENSATIO MATRIMONII pro nobili GUICHARDO DE BASCHI.

Anno 1382. Ex schedis illustrissimi marchionis Daubais.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri PETRO episcopo Montis flasconis, salutem & apostolicam benedictionem.

Sedis apostolicæ circumspecta benignitas nonnumquam rigorem juris mansuetudine temperans, de gratia benignitatis indulget, quod juris auctoritas interdicit; præsertim cum id in Deo conspicit; personarum statu ac locorum & temporum qualitate pensatis, salubriter expedire. Exhibita siquidem nobis pro parte dilecti filii nobilis viri GUICCIARDI STEPHANI DE BASCHIS, & dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris JACOBÆ RANUCII DE FARNETO Castrensis diœcesis, petitionis series continebat, quod olim ipsi ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominus possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium per verba legitima de præsenti, publice in facie ecclesiæ, bannis editis, nemine contradicente, invicem contraxerunt; quod quia postmodum ex nonnullorum relatione ad eorum pervenerit notitiam, quod ipsi in tertio & quarto consanguinitatis gradibus invicem sunt ex parte patris & matris dictæ Jacobæ conjuncti, propter quod non possunt in matrimonio hujusmodi sic contracto remanere, dispensatione apostolica super hoc non obtenta. cum autem sicut eadem petitio subjungebat, si divortium fieret inter eos, possent exinde inter nonnullos nobiles ipsorum amicos communes, multa scandala verisimiliter exoriri, fuit nobis pro parte eorumdem GUICCIARDI & JACOBÆ humiliter supplicatum, ut ad evitandum scandala hujusmodi, providere ipsis in hac parte de oportunæ dispensationis gratia, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui pacem appetimus & salutem quærimus singulorum, ac hujusmodi scandalis, quantum cum Deo possumus salubriter obviare volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ de qua in hiis & aliis specialem in domino fidentiam obtinemus, per apostolica scripta committimus, & mandamus, quatinus, si est ita, cum eisdem GUICCIARDO & JACOBA, ut impedimento hujusmodi consanguinitatis non obstante, in hujusmodi matrimonio sic contracto licite remanere valeant, dummodo dicta Jacoba propter hoc rapta non fuerit, auctoritate nostra, dispenses, prolem ex hujusmodi matrimonio suscipiendam legitimam decernendo. Datum Avinione x. Kalend. Julii, pontificatus nostri anno quarto.

INSTRUMENTUM illustris domini Johannis *le Mengre* de *Boucicaut* militis Turonensis, marescalli Franciæ & Januensis gubernatoris.

Committit vices suas MERIGOTO BREMUNDI *&* JOHANNI DE PERTUSIO, *scutiferis, ad recuperandam summam quadraginta millium francorum auri, quam mutuam Benedicto XIII. dederat certis conditionibus in bulla hic inserta expositis.*

Anno 1411. Ex archivio castelli vicecomitum Turenna.

IN nomine Domini. Amen.

Cum illustris & magnificus dominus JOHANNES *le Mengre* dictus *Boucicault*, miles Turonensis diœcesis, marescallus Franciæ, & Januensis gubernator, habere & recipere debeat suo proprio & privato nomine a sanctissimo domino nostro papa & camera apostolica francos quadraginta millia boni auri & justi ponderis, vigore litterarum apostolicarum datarum apud Portum-Veneris, sub anno a nativitate Domini millesimo quatercentesimo octavo, indictione prima, die tertio mensis Februarii, titulo, causa & termino in dictis litteris declaratis; & pro qua summa & expensis, de quibus in ipsis litteris apostolicis fit mentio, sint eidem domino Johanni specialius obligata & hypotecata ac pignori tradita castra & loca in ipsis litteris apostolicis expressata, cum juribus, jurisdictionibus, feudis, fructibus, censibus, redditibus, proventibus & emolumentis eorumdem, & ad ipsa pertinentibus; sub pactis, modis, clausulis, conditionibus & formis in dictis apostolicis litteris & instrumento inde confecto clarius expressis. Velitque idem illustris dominus JOHANNES dictam summam pecuniæ cum expensis prædictis recuperare & habere, ut juris est, & ut dictæ dictant litteræ, & facere omnia & singula ad quæ tenetur vigore dictarum litterarum & instrumenti publici, ac quarumcumque obli-

gationum per eum super hoc quomodocumque factarum.

Idcirco idem illustris dominus JOHANNES suo proprio & privato nomine, omni modo, via & jure & forma, quibus melius & validius fieri potest, fecit, constituit & ordinavit suum verum & legitimum procuratorem, actorem & nuncialem specialem, & quicquid melius dici potest, nobilem virum MERIGOTUM BREMUNDI, custodem & capitaneum duorum ex castris sive locis prædictis, licet absentem, ad comparendum & se præsentandum, nomine & pro parte ipsius constituentis, coram dicto sanctissimo nostro papa, & ejus sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ camerario, & omni alio ad quem spectet seu spectare possit; & ad requirendum dictum sanctissimum Dominum nostrum papam, vel ejus camerarium prædictum, & omnem alium ad quem spectat, seu spectare possit, secundum formam in dictis instrumento & litteris apostolicis in eo insertis, expressam, quo fiat eidem domino constituenti integra satisfactio de summa & expensis supradictis, in dictis instrumento & litteris apostolicis contentis; & ad offerendum se dicto nomine, sive dictum dominum constituentem, paratum, facta hujusmodi satisfactione, castra & loca, jura, jurisdictiones, feuda, fructus, census, redditus, proventus & emolumenta prædicta, & in dictis litteris apostolicis declarata, plene & libere restituere, & facere omnia & singula ad quæ tenetur idem dominus Johannes, vigore dictarum litterarum apostolicarum & instrumenti, ac quarumcumque obligationum super hoc per eum quomodocumque factarum; & ad omnia ac singula dicendum, protestandum, denuntiandum & faciendum generaliter & specialiter in prædictis, & circa prædicta, quæ utilia & necessaria fuerint; & etiam ad petendum, recuperandum & recipiendum pro ipso domino constituente, & ejus nomine, a dicto sanctissimo domino nostro papa, vel ejus camerario prædicto, & omni alio ad quem spectet, dictam pecuniæ quantitatem cum expensis prædictis; & ad quittandum, liberandum & absolvendum eumdem sanctissimum dominum nostrum papam, sacrosanctam Romanam ecclesiam, & dictum dominum camerarium, & omnem alium ad quem spectet, de omni eo & toto quod dictus procurator ab eodem vel eorum aliquo habuerit & receperit dicto nomine. Ad quæ faciendum, seu fieri faciendum de ipsa quittatione & liberatione publicum seu publica instrumenta cum promissionibus, obligationibus, cautelis & clausulis opportunis, & generaliter ad omnia alia & singula faciendum, gerendum & exercendum in prædictis & circa prædicta, ac emergentibus & dependentibus & connexis eisdem, quæ fuerint necessaria & opportuna; & quæ idemmet constituens facere posset, seu deberet & teneretur vigore dictarum litterarum & instrumenti, ac quarumcumque obligationum super hoc quomodocumque factarum, si præsens esset; dans ei & cedens dictus dominus constituens dicto procuratori suo, in & de prædictis emergentibus, dependentibus & connexis eisdem, plenum, liberum, generale ac speciale mandatum, cum plena & libera administratione; promittens idem dominus constituens nobis notariis infrascriptis, tamquam personis publicis, officio publico stipulantibus & recipientibus, nomine & vice dicti sanctissimi domini nostri papæ & cameræ apostolicæ, ac omnium & singulorum quorum interest, intererit, vel interesse posset, se perpetuo habiturum ratum, gratum & firmum quidquid per dictum procuratorem, seu in prædictis actum, dictum, gestum, oblatum, protestatum seu procuratum extiterit, sub hypoteca & obligatione constituentis bonorum tam præsentium quam futurorum.

Et de prædictis ad ipsorum fidem plenam rogavit & mandavit idem dominus constituens, per nos notarios subscriptos confieri publicum seu publica instrumenta.

Actum Alesti, infra castrum dicti domini constituentis, anno Domini millesimo quadringentesimo decimo, die sexta mensis Decembris; præsentibus honorabilibus & nobilibus viris domino Jacobo de Mercatoribus de Gersana jurisperito, Juliano Panisserio, cive & cancellario Januensi, Petro de *Aygrevault*, Raynaudo *Chinigri*, & Jacqueto de Valeris, secretario præfati domini constituentis, testibus specialiter ad præmissa vocatis & rogatis; & me Johanne Alexandro clerico Remensis diœcesis, publico auctoritate regia notario, qui præmissis omnibus una cum magistro Theobaldo *Noyron* notario publico infrascripto & testibus supranominatis, præsens interfui, & de his omnibus notam recepi & recitavi; de qua nota hoc præsens publicum instrumentum per alium fideliter extrahi & grossari feci; & facta diligenti collatione hic me subscripsi manu propria, & signo meo solito signavi in fidem & testimonium omnium præmissorum. J. A.

Ego vero Theobaldus *Noyron* de Novocastro Laudunensis diœcesis, publicus apostolica, regia & imperiali auctoritate notarius, qui dicti procuratoris constitutioni, promissioni & relevationi, & aliis omnibus & singulis supradictis, dum sic, ut præmittitur, agerentur & fierent per præfatum dominum constituentem, una cum magistro Johanne Alexandro notario regio ac testibus supranominatis præsens fui, eaque sic fieri vidi & audivi, & de his notam sumsi,

si, hic me subscripsi manu propria, & signum meum apposui consuetum requisitus & rogatus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

UNIVERSIS præsentibus & posteris præsentes litteras inspecturis, visuris & audituris, nos JOHANNES LE MENGRE dictus *Boucicault*, miles Turonensis diœcesis, marescallus Franciæ, notum facimus, quod cum anno a nativitate Domini millesimo quadringentesimo octavo, indictione prima, & die tertia mensis Februarii, PETRUS DE LUNA, qui tunc BENEDICTUS papa tertius decimus appellabatur, nobis heredibusque & successoribus nostris, aut a nobis causam habentibus seu habituris, cameram apostolicam ac omnia bona mobilia & immobilia, jura, fructus, redditus & proventus ad eamdem cameram & Romanam ecclesiam in quibuscumque rebus & ubicumque consistentibus pertinentia, & quæ pertinere poterunt in futurum, generaliter vel specialiter, & maxime in regnis & terris ditionum Franciæ, Aragoniæ & Castellæ regum subditis, & specialius castra & loca sequentia: videlicet locum & castrum de Paternis, in comitatu Venaissini, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente, consistentem; Castrum-novum & locum de Biterita, ad mensam episcopalem episcopi Avinionensis pro tempore existentis, & etiam pertinentem; ac villam & * locum de Abolena Tricastinensis diœcesis, cum omnibus eorum juribus, jurisdictionibus, feudis, fructibus, censibus, redditibus, proventibus, emolumentis & obventionibus, pro summa quadraginta millium francorum auri boni, justi & legalis ponderis, per nos dicto PETRO DE LUNA pro ipsius & sanctæ Romanæ ecclesiæ negotiis urgentibus, & prosecutione unionis ejusdem ecclesiæ mutuatorum, in pecunia realiter numerata, hypotecavit, obligavit, & in pignus tradidit, de consensu & voluntate reverendissimorum in Christo patrum & dominorum dominorum sacri collegii cardinalium, in litteris publicis super hoc confectis nominatorum & specificatorum, prout tenore litterarum apostolicarum & instrumenti super hoc confecti liquide constare potest. Quorum instrumenti & litterarum apostolicarum tenor sequitur de verbo ad verbum, & est talis.

* lege ut infra prioratum.

IN NOMINE Domini, amen. Per hoc præsens instrumentum cunctis pateat evidenter, quod sub anno a nativitate millesimo quadringentesimo octavo, indictione prima & die tertio mensis Februarii, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini BENEDICTI, divina providentia papæ decimi tertii anno quarto-decimo, præfatus dominus noster papa in suo palatio apud Portum-veneris, Januensis diocesis, in aula majori dicti palatii, vocato suo sacro collegio reverendissimorum patrum dominorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, & constitutis personaliter coram ipso domino nostro papa pro infra scriptis peragendis, videlicet reverendissimis patribus GUIDONE Penestrinensi, NICOLAO Albanensi, JOHANNE Ostiensi, JOHANNE Sabinensi, PETRO Tusculanensi & BERENGARIO Portuensi episcopis, ac PETRO tituli S. Susannæ, & PETRO tituli S. Praxedis præsbyteris; & ANTONIO S. Mariæ in Via lata diacono cardinalibus; & præsentibus nobis notariis, & testibus infra scriptis, verbo proposuit in effectum, & dixit quod, sicut alias fuit eis expositum per ipsum, & ipsi domini cardinales non ignorabant, ipse dominus noster papa in prosecutione ecclesiæ unitatis, pro qua una cum eis ad has partes Italicas venerat, plures & quasi importabiles habuerat expensas, & habebat adhuc necessario supportare, ad quas sustinendas cameræ suæ apostolicæ, sicut ipsi erant informati, non suppetebant facultates; & ne prosecutionem hujusmodi dimittere cogeretur ex carentia pecuniarum & expensarum instantiam præcedentem, maturo tractatu fuerat actum pro parte dictæ cameræ, cum nobili & spectabili viro domino JOHANNE LE MENGRE DE BOUCICAULT, milite Turonensis diœcesis, Marescallo Franciæ, de mutuo videlicet quadraginta millium francorum auri boni & justi ponderis, sub dictis modis & formis, obligationibus, impignorationibus, hypotecis & cautelis expressis, contentis, & designatis in litteris apostolicis ipsius domini nostri papæ, de concordia partium sub data hodierna confectis; quæ ibidem per Petrum Soriani, notarium infrascriptum, dicto domino nostro papa mandante, & ipso ac dominis cardinalibus præfatis audientibus, alta & intelligibili voce lectæ & publicatæ fuerunt, & sunt tenoris & continentiæ subsequentis.

BENEDICTUS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro JOHANNI LE MENGRE militi Turonensis diœcesis, Marescallo Franciæ, salutem & apostolicam benedictionem.

Ad apostolicæ dignitatis officium noscitur pertinere, illos præservare indemnes, quos in necessitatibus Romanæ ecclesiæ prompto devotionis affectu liberales & propitios experitur. Cum itaque ejusdem ecclesiæ, pro qua expensas sustinuimus multiplices, & etiam sustinemus, & ad quas nunc & in futurum sustinendas, proventus cameræ apostolicæ, qui ex causis multiplicibus quamplurimum attenuati exi-

stunt, minime sufficere dinoscuntur, a te ratione mutui propter causas infra scriptas facti, pecunia realiter numerata, summam quadraginta millium francorum, auri justi & legalis ponderis, recepimus, illamque in prosecutione unionis & negotiorum prædictorum pro majori parte exposuerimus, & reliquam partem, considerata qualitate negotiorum hujusmodi, sumus necessario expensuri. Nos indemnitati tuæ, heredum & successorum tuorum, ac a te, seu ab illis causam habiturorum, præcavere in futurum cupientes, pro securitate summæ prædictæ, quam infra biennium, a data præsentium computandum, in Parisiensi, Avenionensi vel Januensi civitatibus, seu loco Montispessulani Magalonensis diœcesis, quam seu quem elegeris, seu elegerint, volumus integraliter tibi persolvi, cameram nostram apostolicam, ac omnia bona mobilia & immobilia, jura, fructus, redditus & proventus [qui & quæ] ad eamdem cameram & Romanam ecclesiam in quibuscumque rebus, & ubicumque consistentibus, pertinent, & quæ pertinere poterunt in futurum, generaliter vel specialiter, & maxime in regnis & terris carissimorum in Christo filiorum meorum Francorum, Aragoniæ & Castellæ regum illustrium ditioni subjectis, & specialius locum & castrum de Paternis, in comitatu nostro Venaissini, ad nos & Romanam ecclesiam nullo medio pertinente, consistentem, Castrum novum & locum de Biterrita Avinionensis diœcesis, ad mensam episcopalem Avinionensem, quam ad manum nostram de præsenti tenemus, pertinentem; ac villam & prioratum de Abolena Tricastinensis diœcesis, quos etiam ad manum nostram tenemus, cum eorum juribus, jurisdictionibus, feudis, fructibus, redditibus, proventibus, emolumentis ac obventionibus universis, de fratrum nostrorum consilio & assensu, solemni præcedente tractatu, auctoritate apostolica tenore præsentium hypotecamus & etiam obligamus, ac pro majori securitate tua, heredum & successorum tuorum prædictorum & habiturorum causam a te vel ab eis, castra & loca supradicta, jura, jurisdictiones, feuda, fructus, census, reditus, & proventus hujusmodi, in manibus tuis causa pignoris hujusmodi, poni volumus & mandamus; ita tamen prout inter nos & te concordatum extitit, quod ex dictis fructibus, redditibus & emolumentis hujusmodi, solutis expensis necessariis, quas provide fieri contigerit, de quarum quantitate tuæ fidei cum juramento stari volumus, supererit, cameræ nostræ præfatæ realiter tradi debeat & etiam assignari; atque capitanei, castellani & alii officiarii locorum & castrorum prædictorum, ipsorum

A possessionem vacuam & liberam dimittere, ac vassalli, incolæ & habitatores castrorum & locorum prædictorum, sicut nobis & cameræ ac ecclesiæ Avenionensi prædictis tenentur, pro tempore dicti biennii, & donec tibi vel heredibus & successoribus tuis, seu habentibus causam a te vel ab ipsis, fuerit de dictis summa & expensis intergraliter satisfactum, tibi, vel heredibus vel successoribus ipsis, vel habituris causam a te, vel ab ipsis, præstare fidelitatis juramentum teneantur. Quos interim ab hujusmodi juramento, quo nobis, eisdem Romanæ & Avenionensi ecclesiis te-
B nentur, absolvimus & etiam liberamus.

Nostræ tamen intentionis, existit quod tu loca & castra superius dicta, durante dicto biennio, in alium transferre, impignorare vel alienare nullomodo valeas, nec valeant successores tui præfati, vel a te, aut successoribus tuis causam habituri.

Volumus tamen quod ante finem dicti biennii, per tres vel quatuor menses nos vel successores nostros, aut nostrum, seu eorum camerarium; tu per tuas, seu successores tui, seu habentes causam a te aut successoribus tuis, per eorum litteras, seu
C per instrumentum publicum requirere tenearis, vel teneantur, quod infra tempus dicti biennii, fiat tibi vel successoribus tuis præfatis, vel habituris causam a te, vel ab illis, integra satisfactio de summa & expensis supradictis, offerendo te paratum, vel successores tuos, aut te vel ab ipsis causam habituros, paratos, facta hujusmodi satisfactione, castra & loca, jura, jurisdictiones, feuda, fructus, census, redditus, proventus, & emolumenta supradicta, plene & libere restituere.

Et tunc, facta hujusmodi requisitione,
D si infra dictum biennium non fuerit tibi vel successoribus tuis præfatis, aut a te, vel ipsis causam habituris, de summa pecuniæ & expensis supradictis integre satisfactum; lapso hujusmodi biennio, liceat tibi & successoribus tuis supradictis, vel a te vel illis causam habituris, facta subhastatione debita, juxta morem patriæ, castra & loca, jura, jurisdictiones, feuda, redditus & emolumenta prædicta, seu tanta ex illis, quæ ad integram satisfactionem summæ pecuniæ & expensarum prædictarum sufficere
E possint; vendere, pignori tradere, alienare, seu penes te, seu successores tuos præfatos, seu habituros causam a te, vel ab illis, pro pretio quod in subhastationibus hujusmodi plus offeretur, retinere; salvis supradictis obligationibus pro residuo, si quod ad solvendum usque ad integram solutionem summæ & expensarum prædictarum remaneret. Quibus obligationibus, seu earum alicui per aliquam alienationem, impignorationem, seu retentionem hujusmodi,

lapso dicto biennio, nolumus in aliquo derogari.

Atque si præmissa impignorata majori pretio quam summa & expensæ prædictæ ascenderent, alienarentur; illud majus pretium tu nobis vel successoribus nostris, seu cameræ præfatis dare & solvere tenearis, seu successores tui præfati, vel habituri causam a te, vel ab illis teneantur.

Si autem infra dictum biennium, vel etiam post, ante alienationem seu retentionem hujusmodi, tibi vel successoribus tuis, seu causam habituris a te, vel a successoribus supradictis, facta fuerit satisfactio integra summæ & expensarum prædictarum; tu incontinenter, hujusmodi satisfactione præmissa, castra, loca omnia & singula alia impignorata prædicta, cum quittantia debita, plene & libere nobis, seu successoribus nostris, aut cameræ præfatis restituere tenearis; seu successores tui, vel causam a te aut successoribus tuis habituri, teneantur. Et tunc vassalli homines & habitatores locorum & castrorum prædictorum absoluti a dicto juramento & obligatione tuis & successorum tuorum, vel causam a te, vel a successoribus tuis habituris aut habiturorum, nobis & successoribus nostris, cameræ ecclesiæ Avenionensis præfatis, sint, sicut prius, juramento fidelitatis astricti. Et insuper pro majori firmitate præmissorum, volumus & auctoritate apostolica decernimus, quod per hujusmodi generalem obligationem seu hypotecam speciali obligationi seu hypotecæ hujusmodi, seu contra, nullatenus derogetur; & quod tibi aut successoribus tuis præfatis, seu a te vel ab illis causam habituris, liceat, lapsô hujusmodi biennio, habere debitam executionem in quibuscumque bonis, rebus & juribus dictæ cameræ, superius generaliter vel specialiter obligatis, usque ad integram satisfactionem summæ & expensarum prædictarum ac damnorum, ex defectu, seu retardatione solutionis in termino ordinato non factæ, contingentium, etiamsi tu vel heredes aut successores tui, aut causam a te, vel ab illis habituri præfati, nolles vel nollent procedere ad aliquam alienationem, venditionem, impignorationem seu retentionem locorum & castrorum prædictorum in totum vel in partem. Et quod inchoata executione in una ex rebus, sic, ut præmittitur, obligatis, possis aut possint ad aliam redire, & unam in aliam mutare totiens quotiens volueris seu voluerint, donec tibi seu successoribus præfatis, aut a te, vel ipsis causam habituris, fuerit de omnibus præmissis satisfactum.

Et postquam tibi vel successoribus tuis, vel a te, seu ab eis causam habituris, fuerit per hujusmodi executionem de præmis- A sis summa & expensis plene & integre satisfactum, tu & ipsi castra, jura, jurisdictiones, feuda, redditus & emolumenta prædicta plene & libere nobis seu successoribus nostris, aut cameræ nostræ apostolicæ modo præmisso, una cum quittantia debita, restituere tenearis & teneantur.

Ceterum volumus & auctoritate prædicta decernimus de consilio & assensu fratrum nostrorum super hoc expressa habitis, quod si, dicto biennio elapso, venditiones, impignorationes seu retentiones hujusmodi, ut præmittitur, fieri contingat, B ipsæ ac omnia supradicta valeant, & debitam ac perpetuam roboris firmitatem obtineant, supplentes de plenitudine potestatis, quantum obligationem nostram tangit, omnes defectus, si qui forsan intervenerint in præmissis.

Datum apud Portum-Veneris, Januensis diœcesis, tertio nonas Februarii, pontificatus nostri anno quarto-decimo.

Post quarum quidem litterarum tenorem, lectionem & publicationem, præfatus dominus noster papa continuando dixit in effectum, quod cum præfatus Johannes Marescallus, vellet quod in præ- C dictis intervenirent per expressum consilium & assensus ipsorum dominorum cardinalium collegialiter; idcirco requirebat ad contentationem dicti domini Marescalli, quod ipsi suum in prædictis præstarent consilium & assensum, ac voluerunt & consenserunt inde fieri unum, duo & plura, publicum seu publica instrumenta ad futuram memoriam rei gestæ.

Acta fuerunt hæc anno, indictione & pontificatu ac loco prædictis, præsentibus reverendo in Christo patre domino Francisco archiepiscopo Narbonensi, domini nostri papæ camerario; venerandis pres- D byteris dominis Johanne Montis-Aragonici, Oscensis diœcesis, & Aymerico sancti Saturnini Tolosani abbatibus, ac religioso viro domino Francisco Daranda donato ordinis Cartusiensis domus Portæ-cœli Valentinensis diœcesis, testibus; & Egidio Juvenis, Nicolao de Clamengiis, Petro Soriani & Juliano de Loba, notariis ad præmissa vocatis specialiter & rogatis.

Postmodum vero die decima mensis, E anni, indictionis, & pontificatus prædictorum, & in loco prædicto de Portu-Veneris, reverendissimus in Christo pater dominus Ludovicus sancti Adriani diaconus cardinalis de Flisco communiter nuncupatus, qui in confectione instrumenti præsentis absens erat, & post supervenit in hospitio habitationis suæ, in præmissis omnibus suum præbuit consilium pariter & assensum, præsentibus reverendo domino Aragono *Malespine*, sedis apostolicæ protonotario, & nobili viro domino Luca

de Flisco milite, & magistro Bartholomæo de Monte litterarum apostolicarum scriptore, testibus ac nobilibus secretariis & notariis infra scriptis.

Et ego Egidius Juvenis cantor & canonicus ecclesiæ Remensis, ac domini nostri papæ secretarius, & apostolica auctoritate notarius, una cum reverendissimis in Christo patribus dominis cardinalibus ac testibus supra, & notariis infra scriptis, omnibus & singulis supra expositis, dum sic, ut præscribitur, agerentur, tractarentur, fierent & concluderentur, præsens interfui; idcircoque huic publico instrumento inde confecto, & per alienam manum scripto, cum præfatis reverendissimis patribus, in veritatis testimonium, manu propria me subscripsi requisitus & rogatus. E. Juvenis.

Et ego Nicolaus de Clamengiis, cantor & canonicus ecclesiæ Bajocensis, ac domini nostri papæ secretarius & apostolica auctoritate notarius, una cum reverendissimis in Christo patribus dominis cardinalibus ac testibus supra, notariisque infra scriptis, omnibus & singulis supra expositis, dum sic, ut præscribitur, agerentur, tractarentur, fierent & concluderentur, præsens interfui; idcircoque huic publico instrumento inde confecto, per alienam manum scripto, cum præfatis reverendissimis patribus, in veritatis testimonium, manu propria me subscripsi requisitus & rogatus. N. de Clamengiis.

Et ego Petrus Soriani canonicus & archidiaconus Segobricensis, domini nostri papæ secretarius & publicus apostolicæ auctoritate notarius, una cum reverendissimis in Christo patribus dominis cardinalibus ac testibus & notariis supra & infra scriptis, omnibus & singulis supra expositis, dum sic, ut præscribitur, agerentur, tractarentur, fierent & concluderentur, interfui, & huic instrumento inde confecto, in hanc publicam formam redacto, & per alium scripto, signum meum consuetum apposui, hic me propria manu subscribendo, in fidem omnium præmissorum, requisitus & rogatus. P. Soriani.

Et ego Julianus de Loba canonicus ecclesiæ Tirasonensis, publicus apostolica & imperiali auctoritate notarius, una cum reverendissimis in Christo patribus dominis cardinalibus, testibus & notariis supra scriptis, omnibus supra expositis, dum sic, ut præscribitur, agerentur, tractarentur, fierent & concluderentur, interfui; & huic publico instrumento inde confecto, per alium fideliter scripto, signum meum consuetum apposui, hic me propria manu subscribendo, in fidem & testimonium omnium præmissorum requisitus & rogatus. J. de Loba.

Cum autem postmodum de dicta summa quadraginta millium francorum, per nos, ut præmittitur, mutuatorum, infra terminum in litteris apostolicis supradictis declaratum, nobis minime satisfactum fuerit, licet anno ab incarnatione Domini millesimo quadringentesimo nono, indictione secunda, die vicesima octava mensis Januarii, per nobiles viros Merigotum Bremundi & Johannem de Pertusio, scutiferos custodesque, & dictorum castrorum & locorum capitaneos, procuratores nostros ad hoc legitime constitutos, præfatus reverendissimus in Christo pater ac dominus dominus Franciscus, miseratione divina Narbonensis archiepiscopus, sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Johannis papæ vicesimi tertii camerarius, cum instantia fuerit requisitus, quatenus nobis aut dictis procuratoribus nostris, nostro nomine de dicta summa plenariam faceret satisfactionem, tempore debito, in loco Montispessulani, Magalonensis diœcesis; Offerentes prædicti procuratores, nomine nostro, eidem domino camerario; hujusmodi satisfactione sic facta, prædicta loca & castra cum eorum juribus, jurisdictionibus, feudis, redditibus, proventibus & obventionibus quibuscumque, sic specialiter impignorata, plene, libere & quiete tradere & restituere, & realiter expedire, secundum formam & continentiam prædictarum litterarum: quam quidem satisfactionem idem dominus camerarius nobis eisdem procuratoribus nostris minime facere curavit. Nos igitur, qui quamplurima expensarum onera ab uno anno citra, tam in partibus Pedimontium, in quibus continuam residentiam cum magna quantitate gentium armorum fecimus, pro armorum solutione nos & bona nostra impignoravimus; quam pro aliis arduis negotiis præsentibus obmissis, sustinuimus; volentes de prædicta quadraginta millium francorum auri summa persolvi, prout æquitati congruit, confidentes ad plenum de fidelitate, industria ac discretione nobilium virorum dominorum Aymerici Bremundi & Johannis de Pertusio scutiferorum, capitaneorum ac custodum dictorum locorum, eosdem & eorum quemlibet constituimus, creavimus & solemniter ordinavimus, ac tenore præsentium facimus, constituimus & ordinamus nostros veros, legitimos & indubitatos procuratores, actores, factores & negotiorum nostrorum infrascriptorum gestores, nuncios speciales & generales, ita tamen quod specialitas generalitati non deroget, nec econtra; & specialiter & expresse ad subhastandum seu subhastari faciendum castra, villas, loca, jura, jurisdictiones, feuda, fructus

fructus, census, redditus, proventus & emolumenta, de quibus in litteris supra insertis fit mentio, pro recuperatione dictæ summæ quadraginta millium francorum, ob defectum solutionis ipsius summæ; ipsaque castra & loca cum eorum juribus, jurisdictionibus, feudis, fructibus, censibus, redditibus, proventibus & emolumentis universis; vendendum, alienandum ac plus offerenti tradendum, liberandum & expediendum, aut pro nobis, heredibus, successoribus, aut a nobis, seu ab illis causam habentibus seu habituris retinendum pro pretio quo in subhastationibus reperietur. Dantes insuper eisdem procuratoribus nostris & eorum cuilibet, potestatem & mandatum speciale standi & comparendi in judicio & extra pro nobis & nostro nomine, personamque nostram repræsentandi coram universis & singulis judicibus, tam ecclesiasticis quam sæcularibus, libellum seu libellos, requestas, petitiones unum seu plures dandi, lites contestandi, testes producendi & eos videre producendi; necnon quascumque litteras & instrumenta, publicationes ipsorum testium ac litterarum & instrumentorum requirendi, ipsos aut ipsa contradicendi ac reprobandi positiones & articulos ponendi ac ipsis insistendi, opponendi, replicandi, duplicandi ac complicandi, pacificandi, transigendi ac accordandi quascumque sententias definitivas & interlocutorias audientiæ, & de eisdem appellandi, appellationem seu appellationes suas prosequendi & eisdem renuntiandi, si sit opus; & omnia alia & singula agendi, exercendi & faciendi, quæ in præmissis fuerint necessaria & opportuna, & quæ nosmet faceremus & facere possemus, si personaliter interessemus. Promittentes bona fide, & sub hypoteca, & obligatione omnium bonorum nostrorum mobilium & immobilium præsentium, & futurorum, habere ratum, gratum & firmum, & habituri totum & quidquid per dictos nostros procuratores & eorum quemlibet actum, factum fuerit in præmissis, seu quomodolibet gestum; relevantes eos ab omni onere satis dandi, judicio sisti, & judicatum solvi cum suis aliis universis. In cujus rei testimonium præsentes litteras fieri fecimus & sigilli nostri appensione muniri.

Datum Parisius sexta die Maii anno domini millesimo quadringentesimo undecimo. Per dominum Johannem *le Meingre* dictum *Boucicaule*, militem, Marescallum Franciæ.



TREUGÆ ET GUERRARUM abstinentia inter christianissimum Francorum LUDOVICUM *&* HENRICUM *illustrissimum Angliæ reges, per utriusque partes ad hoc deputatas, ad centum annos tractata & concordata Caynone ac demum Turonis passata* XXVIII. *die Junii anno* MCCCCLXIII.

MARGARITA Dei gratia regina Angliæ &c. Universis Christi fidelibus ad quarum notitiam præsentes litteræ pervenerint salutem in auctore pacis. Notum facimus, quod virtute & auctoritate nobis commissæ potestatis, cujus tenor sequitur & est talis HENRICUS Dei gratia rex Angliæ, &c. prædilectissimæ consorti nostræ MARGARITÆ eadem gratiæ reginæ Angliæ, &c. salutem. Sciatis quod nos dedimus & concessimus vobis plenam potestatem & auctoritatem communicandi, tractandi, consentiendi, determinandi & concludendi, cum serenissimo ac strenuissimo principe LUDOVICO consanguineo nostro germano Franciæ vel ejus commissario sive commissariis sufficientem potestatem in hac parte ab ipso habente, & habentibus de & super treugis, abstinentia guerrarum & firma pace, pro termino annorum, ceu pro termino vitæ nostræ, prout vobis melius visum fuerit expedire, inter nos & singulos subditos & vassallos, ac amicos confederatos, & alligatos nostros, & ipsum consanguineum nostrum germanum, & singulos subditos, & vassallos, ac amicos confederatos, & alligatos suos, necnon Angliæ & Franciæ regna iniendi, faciendi, celebrandi, & firmandi, necnon edendi, postulandi, promittendi, & consentiendi pro nobis & nomine nostro, totum & quidquid per vos in præmissis, ceu ratione præmissorum, rationabile videbitur, & opportunum, ac omnia alia & singula, quæ ad præmissa ceu eorum aliquod necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna, secundum quod vobis melius videbitur expedire, concludendi, exsequendi & expediendi, necnon nos & regnum nostrum Angliæ, si opus fuerit, obligandi; adeo precise & integre, sicut nos ea facere possemus, si personaliter interessemus: promittentes nos bona fide, & sub verbo regio, ratum & gratum, firmum atque stabile, pro perpetuo habituros totum, & quidquid per vos vice & nomine nostro, actum, gestum, sive factum fuerit in præmissis, vel aliquo eorumdem; etiamsi talia forent, quæ mandatum de se exigerent magis speciale, ac ea omnia & singula, quæ in hac parte nomine nostro, per vos acta, gesta & facta fuerint per litteras no-

Anno 1462. Ex autographo exscripsit ac nobis transmisit cl. vir Claudius Gabriel Pocquet de Livoniere Andegavensis.

ſtras patentes pro nobis & heredibus noſtris, concedemus, confirmabimus, ratificabimus, & ſufficienter roborabimus. In cujus rei teſtimonium has litteras noſtras fieri fecimus patentes, teſte me ipſo, apud Edynborck, x. die Aprilis anno regni noſtri quadrageſimo una cum clariſſimis viris Petro *de Brezé* milite comite *de Maulevrier*, Georgio *Havard* domino *de la Roſiere*, & Stephano *Chevalier* theſaurario Franciæ, ſereniſſimi & illuſtriſſimi principis LUDOVICI ejuſdem domini mei regis Angliæ & mei cognati germani, Franciæ commiſſariis & deputatis, poteſtatem ſufficientem ſpecialiter habentibus, cujus tenor ſequitur & eſt talis. LOYS par la grace de Dieu roy de France: à tous ceux qui ces preſentes lettres verront, ſalut. Comme tres haut & tres puiſſant prince, notre tres chier & tres amé couſin HENRY roi d'Angleterre ait n'a gueres envoyé vers nous tres haute & tres puiſſante princeſſe, notre tres chere & tres amée couſine MARGUERITE royne d'Angleterre ſon epouſe, a tout pouvoir ſouffiſant de lui de communiquer, traiter, conſentir, determiner, conclure avec nous, ou nos commis & deputés, ayant pouvoir ſuffiſant de par nous, de & ſur treves, abſtinences de guerres, & ferme paix, pour le tems & terme de certains ans, ou pour le cours de ſa vie. Nous pour l'honneur & reverence de Dieu notre createur, qui a commandé paix, amour & charité entre les hommes, & pour eſchiver l'effuſion de ſang humain, & auſſi en faveur & contemplation de la proximité du ſang & lignage qui eſt entre nous & notredits couſin & couſine d'Angleterre, ſommes condeſcendus d'entendre, ou faire entendre par nos gens & commis, avec notredite couſine, traiter & appointer ſur le fait deſdites treves & abſtinences de guerre; ſçavoir faiſons que nous confians à plein & entierement des ſens, prudence, loyauté & prudhomie de notre chier & amé conſeiller & chambellan Pierre *de Brezé* chevalier comte *de Maulevrier*, & de nos amés & feaux conſeillers Georges *Havard* ſeigneur de la *Roſiere*, maître des requeſtes ordinaire de notre Hôtel, & Meſſire Eſtienne *Chevalier* maître de nos comptes, & treſorier de France, yceux avons faits, ordonnés, commis & deputés; faiſons, ordonnons, commettons & deputons nos commiſſaires, procureurs & meſſagers, pour entendre, beſoigner & conclure en la matiere deſſuſdite avec notre couſine la royne d'Angleterre, & leur avons donné, & octroyé; donnons & octroyons par ces preſentes plein pouvoir, auctorité, & mandement ſpecial, de prendre, faire, promettre, conſentir, fermer, conclure, pour & au nom de nous avec

A notredite couſine la royne d'Angleterre, en ayant ſur ce pouvoir ſuffiſant de notredit couſin d'Angleterre ſon epoux, en cette partie, treves generales ou particulieres, tant par terre que par eau, & auſſi par mer, depuis tel temps juſques à tel temps, & en toutes les meilleures manieres, voyes & formes que noſdits commiſſaires adviſeront eſtre plus expedient de faire pour nous, nos royaume, terres, ſeigneuries, pays, ſubjets, vaſſaux, amis, alliés confederés, leurs royaumes, ſeigneuries & ſubjets quelconques, de faire publier, proclamer B ycelles treves qui ainſi ſeront promiſes & accordées par tous noſdits royaumes, terres, ſeigneuries, ou meſtier ſera, de jurer & promettre pour & au nom de nous, que leſdites treves, qui ainſi ſeront accordées, nous garderons, & en tant que à nous appartient les ferons garder par noſdits ſubjets, & de faire ordonner & deputer conſervateurs & juges deſdites treves, tels & en tel nombre, & ainſi qu'il leur ſemblera mieux eſtre expedient; leſquels conſervateurs ayant puiſſance ſuffiſante de corriger & reformer tout ce qui pourroit eſtre attenté contre leſdites treves, & à faire exercer & expedier toutes & C chacunes les autres choſes qui à ce ſeront neceſſaires & convenables, poſé qu'elles fuſſent telles qu'elles requiſſent mandement plus ſpecial, promettant en bonne foy & en parole de roy, & ſous l'obligation & hypoteque de tous nos biens, de tenir & faire tenir ferme & eſtable tout ce qui par noſdits commiſſaires a été fait ez choſes deſſus dites, & en chacune d'icelles, & le confirmer par nos lettres patentes, quand meſtier en ſera. En temoin de ce nous avons fait mettre notre ſcel à ces preſentes. Donné à Amboiſe le vingt D & deux jour de Juin l'an de grace 1462. & de notre regne le premier. Sic ſignatum *par le roy en ſon conſeil. De Laloere.* Communicamus & ipſi nobiſcum de modis & mediis quibus ad treugas, ceu abſtinentias guerrarum pro termino annorum, ceu pro termino vitæ ipſorum domini mei regis Angliæ & cognati ſui Franciæ antedicti, commodius mutuo viſum eſt poſſe perveniri. tandem nos MARGARITA antedicta una E cum commiſſariis antedictis, pro & nomine dicti domini mei, & ipſi commiſſarii nomine & auctoritate qua ſupra, treugas generales & abſtinentias guerrarum, firmas & ſtabiles per terram, mare & aquas dulces, a data præſentium, uſque ad finem centum annorum per annos ſequentium, appunctavimus, concordavimus, fecimus, cepimus, acceptavimus, inivimus & concluſivimus tenoreque præſentium appunctuamus, inimus, & concludimus, pro dicto domino meo rege Angliæ antedicto regnoque ſuo,

proque terris, dominiis & subditis suis, necnon pro omnibus dominis de sanguine domini mei regis antedicti, & aliis suis subditis, vassallis, amicis, alligatis, confederatis, adjuratoribus, & adhærentibus, & pro omnibus eorum insulis, ducatibus, comitatibus, & aliis patriis, terris, dominiis, quæ tenent & habent tam in dicto regno Angliæ, quam extra & pro eorum vassallis & subditis, videlicet quoad prædictos amicos, alligatos, confederatos, & adhærentes, non subditos, si in illis treugis comprehendi valent, cum prædictis commissariis sæpedicti serenissimi ac potentis principis cognati nostri germani Franciæ antedicti, & ipsi nobiscum nominibus quo supra, pro domino serenissimo principe cognato nostro germano, & pro terris, patriis, dominiis, vassallis, & subditis, & alligatis, confederatis & adhærentibus suis eorumque regnis, personis, dominis, vassallis & subditis ac alligatis, confederatis, & adhærentibus suis, tam infra regnum Franciæ quam extra existentibus, videlicet respectu alligatorum, confederatorum, & adhærentium sibi non subditorum, si in eo comprehendi volunt in modum qui sequitur. Primo, quod bonæ treugæ & abstinentiæ guerræ fient inter dictos HENRICUM regem Angliæ, & illustrissimum principem LUDOVICUM suum cognatum Franciæ, & heredes suos, terrasque, ditiones, vassallos ac subitos, per centum annos inviolabiliter duraturæ, a XXVIII. die mensis Junii anni Domini MCCCCLXI. incipiendæ. Item, in dicto centum annorum durante tempore dicti principes & eorum subditi, tam de una parte quam de altera, simul valeant conversari, morari, ire, venire, de parte una in alteram, absque suarum personarum, suorumve bonorum præjudicio, & sine quocumque alterius partium salvo conductu: ita tamen quod divisionibus quæ nunc in ipso Angliæ regno existunt durantibus, & quamdiu duraverint, regni ejusdem subditi, sive nobiles, mercatores, aut alii cujusvis status aut conditionis existant, certificationem ipsorum regis Angliæ ceu reginæ, quod ipsi eorum sint sui veri & fideles subditi, suam partem foventes, afferre & ostendere tenebuntur quoties fuerint requisiti; in hoc etiam observato quod ipsorum regis & reginæ Angliæ subditi non poterunt in Vasconiæ partibus mercari, nec aliter ire, aut conversari, donec ipsi rex Angliæ & regina fuerint in eodem regno pacifici, sine speciali & expressa licentia antedicti principis Franciæ. Item, durante ipsarum treugarum tempore, minime poterunt antedicti rex Angliæ HENRICUS & serenissimus princeps LUDOVICUS suus cognatus Franciæ, seu alii eorumdem suscipere, receptare, sustinere, aut favorisare aliquos alterutrius naturales subditos, qui a modo erga eos efficientur inobedientes & rebelles, nec cum ipsis rebellibus & eorum aliquo tractare, aut promittere per ipsos aut alios veros & obedientes subditos, quoscumque tractatus, appunctuamenta, ligas, vel amicitias iniri ceu contrahi: sed potius viribus alterutrius rebellibus nocebunt ac damna ferent, sed in hoc casu sese juvare vicissim tenebuntur, si opus fuerit, dum unus ipsorum principum per alterum fuerit requisitus, contra suos præfatos subditos, qui a modo se erga eos inobedientes redderent ceu rebelles. Item, quod durante tempore divisionis nunc in Anglia vigentis, de cetero denegabuntur salvi conductus rebellibus ipsius regis HENRICI atque foventibus partem EDUARDI nuper comitis Marchiæ infra Angliam, ipsorumque nullis dabuntur salvi conductus per serenissimum principem LUDOVICUM suum cognatum Franciæ antedictum, admiraldum suum, aut alios quoscumque Franciæ officiarios, exceptis dumtaxat salvis-conductibus prisionariorum, & illis qui semper dari consueverunt piscatoribus, tempore piscationis alleciorum. qui quidem dari poterunt ex utraque parte in forma solita, dummodo nil aliud faciant, procurent, aut negotientur ipsi piscatores præter solam piscium piscationem. Item, pro conservatione dictarum treugarum concordatum est, quod deputentur a dictis principibus certi conservatores, quos quidem durante toto tempore treugarum, tenebuntur ipsi principes & eorum successores continuare, ac quotiens casus vacationis acciderit, novos constituere, & pro ista vice, & pro nostris constituere ex parte Angliæ, cancellarium Angliæ, qui sub se poterit committere & deputare particulares commissarios in singulis portibus maris regni Angliæ, ubi erit expediens & necessarium; & ex parte Franciæ, admiraldum Franciæ, qui similiter habeat sub se deputatos in singulis portibus Franciæ. Qui quidem conservatores habeant cognoscere summarie & de plano de attentatis, si quæ accidant, in præjudicium ipsarum treugarum, & ipsa attentata debite reparent, ac de infractoribus faciant condignam punitionem. Item, si accidat in futurum aliquid in præjudicium ipsarum treugarum attentari, non tamen ob id rumpentur ipsæ treugæ, sed semper in sua firmitate remanentes, inviolabiliter observentur, addendo etiam quod quotiescumque casus acciderit, sive in mari, sive in terra, sive in villa, sive in campis, aut ubicumque terrarum attentata fuerint, alter ipsorum conservatorum rogatus ab aliis, debeat diligentiam adhibere sive reparationem attentatorum, & facere cum effectu,

quod cum erit possibile, debitam satisfa- A ctionem damnificatis tam ex una parte, quam ex alia. Item & his mediantibus illustrissimus princeps LUDOVICUS cognatus suus Franciæ antedictus, tam pro se quam pro suis vassallis & subditis; se declarabit pro ipsis rege & regina Angliæ contra dictum Eduardum nuper comitem Marchiæ in Anglia, suosque adhærentes & complices, hoc est idem princeps Franciæ LUDOVICUS antedictus per totum regnum B Franciæ proclamari faciet & publicari, suasque per patentes litteras amicis suis confœderatis & benevolis significabit, ad hoc ut idem ipsi faciant in suis regnis & dominiis. Item, faciet serenissimus princeps LUDOVICUS consanguineus suus Franciæ antedictus, per omnes terras sibi subjectas sono tubæ & proclamatione publicari & indicari, quod nullus suorum subditorum, cujuscumque status aut conditionis fuerit, ducat, transvehat, ducive faciat, aut transvehi blada, vina, vel alia bona seu victualia, aut mercaturas quascumque in Angliæ C regnum, vel alia loca ipsi EDOARDO subjecta vel adhærentia, pro subveniendo aut juvando dictum EDUARDUM suosque complices & adhærentes, nec eisdem consilium, solamen, aut auxilium quoquo modo præstent, sub pœna perditionis rerum, victualium, mercaturarum, & navium, in quibus merces ipsæ onustæ forent, & sub confiscationis corporum & bonorum pœna. Item, quod reges Romanorum, Arragonum & Portugalliæ, & ceteri reges & principes amici, benevoli & confœderati dictorum principum & quilibet eorum, tam D ex una parte, quam alia, si bonum sibi videatur, comprehendantur sub dictis treugis, secundum earum formam & tenorem, tam pro ipsis quam pro suis subditis quibuscumque; quas quidem treugas ac omnia & singula præmissa in prædictis articulis contenta, cum & ex deliberatione consiliariorum domini mei nobiscum in hac re existentis, videlicet prædicti fratris nostri JASPARIS comitis Pembrochiæ, ac dilectorum consanguineorum nostrorum JOHANNIS DE FOIX comitis de *Kendale*, & E ROBERTI comitis de *Hungerford*, ac Thomæ domini de *Roos*, Johannis Mortoniæ custodis privati sigilli antedicti domini mei regis, Edmundi *Montfort*, Roberti *Whitingham*, Thomæ *Syndernum* & Henrici *Colbes* militum, necnon Guillelmi *Grunniesbi* armigeri & garti regis asinorum, nos in vim potestatis suprascriptæ promisimus & per præsentes promittimus pro & nomine dicti domini mei, & pro eo facere, tenere & observare de puncto in punctum, absque aliquo modo veniendo vel eundo in contrarium, in parte vel in toto, ob quamcumque causam, vel sub quocumque colore, necnon vigore ejusdem potestatis nobis attributæ, & tamquam speciale mandatum habentes a dicto domino meo rege Angliæ, ipsum regem, regnum suum Angliæ, & omnia bona sua quæcumque obligavimus, submisimus, & hypotecavimus, & per præsentes obligamus, submittimus & hypotecamus specialiter & expresse ad omnia & singula in supradictis articulis contenta, pro & ex parte dicti domini mei regis Angliæ, tenendum, firmandum & inviolabiliter observandum; promisimusque, & supradicti consiliarii promiserunt procurare & laborare omnibus modis & mediis possibilibus, absque dolo, fraude & malo ingenio omnia & singula præmissa approbari & ratificari per ipsum dominum meum regem antedictum in verbo regis, & per tres ipsius Angliæ status, in suo parlamento, atque de ipsis ratificatione & approbatione modo supradicto faciendis, litteras condecentes & opportunas in authentica forma, sigillo ceu sigillis in tali casu debitis, assuetis, & opportune expeditas tunc & sigillatas antedicto illustrissimo principi LUDOVICO consanguineo nostro germano Franciæ, aut ejus cancellario ad proxime instans nativitatis Domini festum, Parisius in camera computorum transmittere, hujusmodi ratificationum litteras in forma debita per ipsum consanguineum nostrum expeditas recipiendo.

In cujus rei testimonium nos præfata MARGARETA signetum nostrum præsentibus manu nostra propria subscriptis adposuimus. Datum apud *Tours* vigesimo octavo die Junii, anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo, regnique domini mei regis Angliæ antedicti quadragesimo.

Signatum, MARGARITA.

Et infra : J. Pembroch. Kendal. Hungerford. Roob. Johan. Moton. Emont. Montfort.

FINIS.

INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM HUJUS VOLUMINIS.

A.

AAron primus pontifex, primus in vitæ meritis, in honore & virtute, 771. b.

Abaelardi Rithmus de Trinitate, 1092.

Abbas qualis esse debeat, 937. a. c. & seq.

Abel non ætate, sed simplicitate & puritate puer Dei appellatus est, 625. a. Sine uxore vixit, 1031. c. Eremitarum figura, 1030. c.

Abdias interpretatur servus Domini, 1045. c.

Abdias persecutor fuisse Heliæ creditur, 1045. d.

Abimelech figura antichristi, 1369. e. 1387. d.

Abraham primus in scripturis sanctis presbyter vel senior appellatur, 740. a. Ejus fides, 503. & seq. Fides & spes, 523. d. & seq. Mausoleum, 748. e.

Abrenuntiationes in baptismo factæ, 217. c.

Absolutio in fine missæ, 641. e.

Absolutio per tres dies hominis morientis, 1236. c.

Abstinentia an semper bona, 985. e. Per se nec bona nec mala est, 986. e.

Abusus est usus illicitus, 557. d.

Abyssorum plures species, 76. d.

Acceptio personarum non est apud Deum, 806. d. 813. b.

Actio missæ pro canone missæ, 579. a. c.

Actio præcedat contemplationem, 272. a.

Activa vita per Liam designata, 271. d. Item per Martham, 271. a.

Activæ vitæ functiones, 272. d.

S. Adalardus abbas Corbeiensis, 368. Dictus Antonius & Augustinus, 368.

Adam primus de terra virgine natus, secundus Adam Christus de Virgine creatus, 1213. c.

Adami casus in paradiso, 178. b. Ejus peccatum, 1218. e. Requisitus culpam confiteri per audaciam noluit, 360. d. Quam confessione delere poterat, 361. b.

Adam in terra Enachim sepultus, vel secundum aliquos in loco Calvariæ, 748. c. d.

Adamitæ hæretici, 648. a.

Adhærere Deo vivere est, 575. b.

Adolescentes quales esse debeant, 207. b.

Adolescenti data monita, 841. c. & seq.

Adversitates per aquas amaras in deserto designatæ, 257. c.

Adulterium quantum sit malum, 832. a.

Advocatus ecclesiæ rex, 912. d.

Ægidius archidiaconus, 1211. c.

Ægidius Juvenis papæ secretarius, 1460. d. 1461. a.

Aër aquæ similis, 324. a. Cœlo vicinus, ibid. Cœlum in scripturis appellatur, 299. d.

Æternitatem seculi significat scriptura per verbum *usque in hodiernum diem*, 754. b.

Æva vita interpretatur seu calamitas, 365. b.

Afflictiones visibiles hominum obesse possunt & prodesse, 699. c.

S. Afra martyr, 569. d.

Africani sententia de septuaginta hebdomadis Danielis, 289. c.

Agar expulsæ domo an vinum dederit Abraham, 34. e.

Agnus Dei cur ante communionem cantetur, 462. c.

Agonistis levior cibus dabatur, 947. e.

Agonisticon Ratherii opusculum, 787. a.

Ahi interpretatur chaos, 703. c.

Albanenses episcopi Matthæus 1230. c. Nicolaus 1456. a.

Albericus episcopus Lingonensis, 641. c.

Albero sacerdos Merkensis hæreticus, 1251. 1253. b. Vir vitæ austeræ, 1253. b. Ejus errores auctoritate patrum refutati, 1256. d. Negabat a sacerdote malo confici sacramenta, 1253. c. Quibus auctoritatibus suum tueretur errorem, ibid. & seq. 1254. d. Dicebat sacramenta a malis presbyteris confecta nec vivis nec defunctis prodesse, 1260. a. Contendebat dæmones semper adesse sacris mysteriis, non sanctos angelos, 1264. e. Refellitur, ibid. 1265. b. c.

Albula fluvius nunc Tiberis appellatus, 343. e.

Alchoran sibi a Deo traditum mentiuntur Agareni, 1150. b. Continet falsa, 1173. e. Debet rejici si lex Judaica est falsa, 1156. a. Illud ex Arabico converti in Latinum curavit Petrus Venerabilis, 1120. 1132. e. Adversus illum scribit, 1121. Et quidem amore Mahumetanorum, 1134. e. Labor ejus quid posset prodesse, 1133. b.

Aldricus episcopus Cenomanensis, 641. c.

Alemannus monachus Cluniacensis, 1122. b.

Alexander rex & pontifex Judæorum, 289. a.

Alexander magnus, 277. b. Ædificavit Alexandriam, 288. c. Superavit Darium ultimum regem Persarum, 284. e. Ejus victoriis nihil velocius, 282. e. 285. b. Anno ætatis trigesimo secundo veneno moritur in Babylone, 292. e.

Alfonsus victoriosus imperator Hispaniarum, 1133. a.

Altitudo cordis Dei abyssus nominatur, 76. c.

Amalarii sententia de triplici Christi corpore, 643. b. 651. a. 653. a. 656. a. b. De eucharistia ab homine recepta, 643. c. 651. a. 653. b. Ejus opera erroribus secundum Florum plena, 642. b. In concilio Carisiacensi carpitur, 650. c. & seq. Et in concilio apud Theodonis-villam a Floro accusatur, 666, a. Ejus doctrina damnata, 652. c. Constantinopoli fuit, & apud Histriam, 645. e.

Amalech pro Lamech, 21. b.

S. Amandi abbatia oblata Ratherio, 938. b.

Ambitio nec ipsa deserit cœnobia, 931. b.

S. Ambrosii Autperti elogium, 219. Ejus liber de cupiditate, 219. a.

Ambrosius abbas Florentinus, 85. a.

Amen interpretatur verum, 633. c.

Amen ex ecclesiæ traditione respondetur ad orationes, 636. c.

Amor Dei erga homines quantus, 1247. a. & seq.

Amat Deus eos a quibus amatur, 943. c.

Amor noster in illo dirigendus est, qui non potest auferri cum amatur, 539. b.

Amor privatus veræ opponitur caritati, 1317. d. Nihil propter ipsum, sed propter Deum amandum, 557. c. Homo non propter se, sed propter Deum amare debet, 557. e. Aliud a Deo amare, fornicatio est, 576. a. Amandus est amor quo Deus amatur, 538. a. Amari transitoria simul & æterna non possunt, 1238. d.

Amare nihil est aliud quam per seipsum rem aliquam appetere, 538. c.

de Amoris natura multi multa dixerunt, sed ideo erraverunt, quia non apprehenderunt quia Deus est caritas, 949. c.

Amor quo dilectio fulcitur, nonnumquam in malam partem accipitur, sed Christianorum nonnisi in bono, 549. d.

Amor turpis cupiditas dicitur, 538. b.

Amicitiæ lex est ab amicis honesta petere, & amicorum causa honesta facere, 811. d.

Amici Dei non efficimur, nisi purgatis moribus, 304. a.

Amicus dicitur custos animæ, 811. c.

Anachoretarum exordium, 1000. b.

Angeli quando creati, 308. e. Eorum creatio an temporalis, 312. a. b. Quales sunt creati, 313. e.

Angelica natura cœli nomine designata, 309. a.

Angeli sunt natura mutabiles, immutabiles gratia, 1081. a.

Angeli Dei sunt castra ejus, 42. e.

Angelorum voces sunt, in laude conditoris ipsa admiratio intimæ contemplationis, 606. a.

Angeli a Deo missi, Dei voluntatem nunciant hominibus, 600. e. Eorum præsentia in sacrificio, 403. a. Assistunt quando Christus immolatur, 627. e. Eorum scientia in comparatione Dei vesperascit, 315. b.

Angeli inter proximos nostros recensendi, 556. c. Aliquando appellantur justi, 23. d.

Angelici spiritus recte militia dicuntur, 607. d. Eorum casus in paradiso, 178. a. Et peccatum, 1218. b. & seq.

Angelos bonos Deus lucem, malos tenebras appellavit, 314. c.

Angelorum ruinæ per hominum redemtionem reparantur, 600. b.

Anglos ad Christum convertit Augustinus monachus, 1293. b. Quomodo fidem susceperunt, 1146. e.

Angliæ regis Stephani obitus, 1236. c. d.

Angulanæ thermæ, 418. c.

Angusta via ambulandum, 232. d. Etiam sæcularibus, ibid. e.

Anibaldus episcopus Tusculanus, apostolicæ sedis legatus in Tuscia, 1445. c.

Anima nihil Deo pretiosius, 234. d. Omnem creaturam corpoream dignitate præcellit, 338. d.

Animæ quid est & unde, 340. c. & seq. Animam esse Dei substantiam dicunt Manichæi, in hoc philosophis deteriores, 338. b.

Animæ creatio, 337. d. & seq. Quando facta, 339. c. Quando nascitur unde venit, 340. c. 341. a. Non creatur nisi a Deo, 350. b. De origine ejus ambigit S. Augustinus, 352. c. Est incorporea, 352. c.

Anima mulieris quomodo facta, 349. c.

Animæ natura non potest converti in corporis naturam, 354. a.

Animæ vita Deus, 213. a. Bonis operibus nutritur, 212. c. Ejus esca oratio, psalmodia, jejunium, eleemosynæ, & continuæ lectiones, 946. b. Animam servamus cum eam pro Christo perdimus, 71. c.

Anima justi perfecti statim ut moritur, recipiur in cœlo, 629. c.

Animæ mors peccatum, 316. a. 345. c. Tu animo si regeris, rex es; si corpore, servus, 901. a.

Animam Christus ab ipso Deo accepit, 351. c.

Animarum regimen difficillimum, 99. c. 100. d. Animarum curam ægre suscipiunt contemplativi, 102. d.

Animalia minima quando creata sint, 326. d.

Animalia venenosa an a principio habuerint venenum, 327. c.

Animalia rationem non habent, in suo tamen genere Deo obtemperant, 347. b.

Anna electorum ecclesiam designat, 246. d.

Anselmus episcopus Havelbergensis scribit contra Rupertum, 971.

Antichristus homo peccati, 1376. a. Ejus figura Abimelech, 1369. c. 1387. d. Antiochus, 1321. c. 1376. b. 1377. d. 1383. a. 1384. c. 1388. b. Holophernes, 1409. e. Per meretricem designatur, 1423. b.

Antichristus veniet de Judæis, 1369. a. d. Ex tribu Dan nasciturus, 776. c. 1307. b. 1369. d. 1370. c. Ex fornicatione nascetur, 1369. d. Ex Christianis parentibus nascetur, 1370. d. Babylone, 1370. c. Id est Romæ, 1371, Ubi nutrietur, 1371. c. Ubi nascetur aut nutrietur, 1369. a. & seq.

Antichristus venturus est modicus & despectus, sed fraudulenter accipiet principatum, 1373. a.

Antichristus veniet contra ecclesiam, & quare venire permittetur, 1354. c. 1367. e. Propter peccata populi regnare permittetur, 1373. d. Apud Christianos formam sacramentorum suscipiet, 1373. e.

Antichristi adventus signa remotissima, 1281. d. & seq, Signa proxima, Romani imperii cessatio, 1283. b. & seq. Prædicatio evangelii ad omnes gentes, 1291. a. & seq. Adventus pseudoprædicatorum & domos penetrantium, 1293. c. & seq. Prælatorum & doctorum ignavia, 1298. b. & seq. Translatio officii prædicationis & excæcatio pastorum, 1301. e. Securitas & pax, 1306. c. & seq. Prædicatio ipsius securitatis, 1309. b. & seq. Cessatio miraculorum, 1310. a. & seq. Augmentum infidelitatis & raritas rectæ fidei, 1313. e. & seq. Refrigescentia caritatis, 1317. c. & seq. Introductio alterius legis, 1320. c. & seq.

Antichristus cauda diaboli erit, 1374. c. qui totum eum possidebit, 1369. c. 1371. d.

Antichristus a suis rex constituetur, 1362. a. Doctus in scripturis super alios videbitur, 1376. d. Sed ejus doctrina fornax eris magna purgans bonos, & in cinerem redigens malos, 1341. b. Ante ejus adventum excæcabuntur doctores, 305. e.

Antichristi præcursores per totum mundum current, 1358. b. 1409. a. & seq. Pseudoprædicatores mittet per mundum, 1377. c. Non homines simplices, ut Christus, sed astutos & mundi scientiam habentes, 1378. b. Nam Christus ad prædicandam suam veritatem homines pauperes & simplices elegit: antichristus ad prædicandam suam falsitatem doctos & astutos eliget, 1411. d. Dabit suis pseudoprædicatoribus potestatem faciendi ficta miracula, 1409. b. Eorum ficta sanctitas, 1343. a. & seq. Astuta sapientia, 1346. b. Unitas in malo, 1348. c. Explorabunt ecclesiam, 1341. d. Multos seducent, 1350. d. & seq. Principum potestatem sibi conciliabunt, 1351. d. Per collationem temporalium sanctos ad se trahent, 1352. a. Eorum perversi mores, 1352. c. Detecti ecclesiam contemnent, & ab ea exibunt, 1359. d. Pacem & securitatem annuntiabunt, 1432. a. & seq.

Antichristi hypocrisis, 1371. e. & seq. Miracula, 1372. a. 1374. a. 1385. d. Tribus modis mundum decipiet, 1382. e. & seq. 1386. c. Plurimos seducet per Judæos, 1393. a. Qui eum recepturi sunt, 1292. a. 1391. d. & seq. Quos per temporalia seducere non poterit, per tormenta superabit, 1384. c. d.

Antichristi superbia, 1404. e. Extollet se supra Deum, 1336. b. Se Deum Deique filium mentietur, 1405. a, Custum Dei sibi exhiberi expetet, 1406. c, Et ut Deus adorari, 1365. b. Diabolum adorabit, 1408. c. Interdicet celebrari palam sacramenta novæ legis, 1393. a. & seq. 1394. d. e. Doctores & principes sibi coadunabit, 1411. a. & seq.

Antichristus tribus annis & dimidio sanctos persequetur, 1288. a. Ejus persecutionis acerbitas, 1400. b. & seq. 1417. b. & seq. Ejus potestati permissi sunt sancti, 1284. b. Occidet majores ecclesiæ doctores, 1387. a. & seq. 1388. a. Enoch & Eliam, 1400. e. & seq.

Antichristum vincet S. Michaël & angeli ejus, 1401. c.

Antichristus magicis artibus tentabit ascendere in cœlum, 1406. a. 1433. d. 1436. c. Sed videntibus discipulis præcipitabitur, 1436. c, & seq. Membrorum ejus destructio, 1441. b. & seq. Destruetur ipse in monte Oliveti, 1437. b. & seq. Quomodo destruetur, 1438. c.

Antichristo mortuo boni habebunt spatium pœnitendi per 42. dies, 1439. c.

Antichristi multi tempore S. Johannis, 1360. c.

Antigonus rex Asiæ, 285. c.

Antiochus gerit figuram antichristi, 1321. e. 1363. c. 1376. b. 1377. d. 1383. a. 1384. c. Jovis statuam in templo posuit, 285. d.

Antiquus dierum quis, 283. e.

Antonius princeps vitæ monasticæ, 1000 a. In eo spes Ægypti fuit, & fide claruit, 997. d.

Antonius cardinalis S. Mariæ in Via-lata, 1456. b.

Apes non coëundo semina filiorum concipiunt, sed sparsa per terras ore colligunt, 795. d.

Apocalypsis liber non ubique semper receptus, 58.

Apollinaris Hierapolis episcopus insignis scriptor, 1131. e.

Apollinaris episcopus Laodicensis scriptor, 1132. b.

Apollonius Romanus senator & martyr scripsit pro fide, 1132. a.

Apostolorum habitus qualis, 992. a. Fuere valde humiles, 993. a. & seq. Cur post cœnam non jejuni communicaverunt, 447. c. Quomodo primos instituerunt Christianos, 1005. e. 1007. a. & seq. Vitam duram sectati sunt, 88. a. Quam labore manuum sustentabant, 169. b. Monasticam vitam duxere, 1000. e. 1001. a. & seq. Eos debent imitari qui se dicunt perfectionem apostolicam habere, 982. e.

Appetitus est naturalis vis in animante movendis sensibus attributa, 1078. c.

Aqua de petra producta, figura sanguinis Christi, 394. d.

Aquæ amaræ in deserto quid significent, 257. a. 259. b. Quibusdam fuere dulces, 257. b.

Aqua in sacrificio vino miscetur ex traditione, 620, d. Quare, 423. e. & seq. Aqua in calice vertitur in sanguinem, 425. d.

Aquarii hæretici, 648. b.

Aquilegiensis patriarcha Nicolaus, 1445. e.

Arabum vicinos colles incolendos fratribus offert Josephus, 53. a.

Aragonius *Malespina* sedis apostolicæ protonotarius, 1460. c.

Archelaus episcopus Mesopotamiæ scripsit adversus Manichæos, 1127. b.

Arioli, magi, & malefici quid differunt, 278. b.

Aristobulus sacerdos magnus Judæorum, 289. c.

Aristobulus alter vinctus Romam missus, 289. c.

Armannus Dalmata Alchoran vertit in latinum, 1132. c.

Arnaldistæ hæretici, 1251.

Arnobius Rhetor, 1132. a.

Arrius hæreticus, 647. c. 1338. d.

Arrianorum hæresis, 1126. c. Quam late propagata, 1130. b. Ipsi & alii hæretici non comedunt agnum in una domo, 152. c.

Arsenii abbatis compunctio, 435. c.

Arsenius qui & Jeremias Wala, abbas Corbeiensis, 367. 378. a.

Artifex ut se gerere debeat, 791. e.

Artonitæ hæretici, 648. b.

Aschitæ hæretici, 648. e.

Asinis non equis usi sunt Israëlitæ, 730. e.

Assuerus a LXX. dictus Artaxerxes, 282. d.

Athanasius Alexandrinus scripsit contra Arrianos, 1127. Et duos libros adversus gentes, 1132. b.

Avaritiæ spiritum non debellabit divitiis undique circumseptus, 120. a.

Avaro tam deest quod habet quam quod non habet, 822. a.

Avarum te & profusum non vult Deus, 904. a.

de veneno avaritiæ fac tibi antidotum indulgentiæ, 800. c. Dum congeris lucrum, perpende quantum animæ tuæ comparas detrimentum, 800. b. & seq.

Avaris quid timendum, 231. a. Vid. Cupiditas.

S. Augustinus, 1132. c. Augustæ recordationis, 793. e. 902. e. 912. c. Excellentissimæ recordationis, 885. c. Eloquentissimus doctor, 909. b. Maximus & summus Latinorum doctor, 1128. c. Ecclesiæ doctor egregius, & verborum Apostoli expositor summus, 1296. a. Vitam monasticam laudavit, 1002. e. In episcopatu vitam duxit regularem, 1074. c. Cur regulam scripserit, 1003. a. An ejus sit regula quæ nomen ejus præfert, 1053. d. Scripsit contra Manichæos, 1127. b. Contra Donatistas & Pelagianos, 1128. c.

Augustinus Anglorum apostolus, 1146. d. Ex Francia centum interpretes accepit, 1147. a. Anglos ad Christum convertit, 1293. b.

Augustus imperator, 189. d.

Aurelius episcopus, 965. a.

Auses dictus est Josue, 674. e.

Aymericus abbas S. Saturnini Tolosani, 1460. d.

Aymericus Bremundi capitaneus, 1462. d.

B.

BAbyloniorum reges qui successerunt Nabuchodonosor, 280. a.

Babyloniorum regnum propter crudelitatem leænæ comparatum, 281. d.

Baldasar qui fecit convivium quis fuerit, 250. a.

ad Baldasar quæ regina ingressa est, 280. c.

Baptismus in Jordanis transitu figuratus, 687. b.
Baptismate Christi purgata est aqua, ut spirituales purgaret maculas, 142. a.
Baptismi necessitas, 341. d.
Baptismus ostium aperit ad adoptionem Dei, 390. b. In eo omnia delentur peccata, 733. d. 736. b. 1202. d. Homo renascitur, 1201. b. Infans sanctificatur priusquam de fonte baptismi exeat, 390. d.
Baptizatis olim statim porrigebatur eucharistia, 78. c. Comedunt panem angelorum, 453. b.
Baptismus in paschate, 78. c. c. In eo factæ abrenuntiationes, 217. c. Promissiones, ibid. c. In eo signantur Christiani in fronte & in pectore, 1413. c.
Baptismi fontem nudi intravimus, 493. b. Trina in eo mersio, 438. d.
Baptismi sacramentum custodire oportet, 210. c.
Baptismus non debet reiterari, 198. b. 690. c.
Baptisma secundum est professio monastica, 149. a. c.
Barthesanes clarus scriptis adversus hæreses, 1129. b.
Bartholomæus monachus Cluniacensis, 1122. b.
Basilides hæreticus, 723. c.
Basiliscus ex ovis aspidum nascitur, 1370. a. Flatu suo occidit aves volantes, 1370. a.
S. Basilius, 434. b. Ejus regula, 1016. b. Liber de Spiritu-sancto, 1128. a.
Bathuratus episcopus Paderbornensis, 470.
Beatitudo cœlestis qualis sit, 215. a. b. 218. c.
Beate vivere quid est nisi sempiternum aliquid cognoscendo habere, 539. c.
Beatitudines evangelicæ, 1226. c. & seq. Explicantur, 164. c. & seq.
Bellum est armata defensio, 779. d.
Bellum justum quodnam sit, 701. c. In bello justo permissæ sunt insidiæ, ibid.
S. Benedictus divinitatis secreta penetravit, 1017. c.
S. Benedictus prædicavit, 998. a. Ejus regula, 1016. b. Perfectior est regula S. Augustini, 1022. b. & seq.
Benedictinæ regulæ professionis ritus, 1022. c. & seq.
Benedictini an possint accipere mixtum in quadragesima, 1039. b.
Benedicto XIII. papæ XL. aureorum millia mutuo dat Bucicaldus, 1452. c. & seq.
S. Bernardi abbatis Clarevallis liber de libero arbitrio & gratia, 1075. a.
Bertoldus filius Bussæ de Bitocio, vir nobilis, 1448. a.
Bertoldus Ranucii de Farneto vir nobilis, 1448. b.
Boetius facundissimus philosophus, 1029. c.
S. Bonifacii archiepiscopi Moguntini & martyris elogium, 185. Ejus scripta, ibid. Ejus sermones, 187. Fresones ad fidem convertit, 669. b.
Bonum quod facis Deo adscribe, malum tibi imputa, 910. b.
Bona futura si contemplaremus, numquam præsentibus intenderemus, 119. c.
Bona & mala cur a Deo dantur, 950. c. d.
Buccata est quantum panis vel cibi bucca capit, 1102. b.
Bucicaldus Franciæ marescallus mutuo dat Benedicto XIII. papæ quadraginta aureorum millia, 1452. c. & seq.

C.

Caath interpretatur pœnitens, sive dolens, 1050. Item molares dentes, vel patientia, 1052. c.
Cædes damnat lex Christiana, 1143. c.
Cæli & terræ nomine intelligitur omnis creatura, 306. c. Sed præsertim justi, 1146. b.
Cælum an moveatur, an stet, 318. d.
Cælos aëreos in diluvio periisse, 324. b.
Cæli januam Christus descendens ad inferos aperuit, 1108. c.
Caïn occidit fratrem Abelem, 20. b. & seq. Petit a Deo mortem, 21. a. Peccavit in Spiritum-sanctum, 1194. c. Civitatem quomodo condidisse dicitur, 21. c. Latrocinia exercebat, ideo primus ædificavit civitatem, 1029. d.
Calicis natale festum cœnæ Domini, 403. c.
in Calice cur aqua misceatur, 425. c. & seq. In calice aqua vertitur in sanguinem, 425. d.
Canon missæ dictus actio missæ, 579. a. c. Et consecratio, 632. b. Non excelsa voce, sed corde dicendus, 609. c. Canonis tempore fit in ecclesia silentium, 608. c.
Canonici unde sumsere exordium, 1049. d.
Canonicorum ordo triplex, 1049. c.
Canonicorum primum genus, eorum scilicet qui longius ab hominibus secedunt, 1050. c. Eorum officia, 1051. d. Jesu Christo comparantur, 1052. b. De canonicis qui juxta hominum habitationem conversantur, 1056. b. & seq.
Canonici non debent esse sine regula, 1001. b. Canonici & regulares idem sonant, 1001. c.
Canonici regulares apostolis se dicunt similes, 977. b. 989. d. Eorum habitus, 992. b. c.
de Canonicis regularibus parochias regentibus, 1059. a. & seq. Residuum suorum redituum ad domum unde missi sunt debent referre, 1060. c. Canonici regulares in urbibus habitantes Gersonitis similes, 1057. d.
Canonici regulares monachis infesti, 970. Et tamen non differunt a monachis, 1002. c. Nisi quod iis remissius vivunt, 1003. Nec sunt tam perfecti quam monachi, 985. d. An privilegium habeant ne quis eorum fiat monachus, 1024. b. Fieri possunt monachi, 1025. b. d. An præesse possint monialibus Benedictinis, 1025. c.
Canonicorum regularium & secularium differentia, 1000. d. c.
Canonici seculares multi sancte vivunt, 1066. a. Unde dicti seculares, 1066. c. Filiis Merari comparati, 1061. c. Eorum officia, 1068. a. & seq.
Canonicus a canonibus non deviet, 935. c.
Canonici excusantur quod in domibus singularibus habitent, 1073. d.
Canonicorum claustrum, 1074. a.
Canticum novum qui cantent, 79. a.
Carbunculi remedium, 793. c.
Caritas Græcum est, quod dilectio vocatur, 547. c.
Caritas quid sit, 544. d. Caritas est illa substantia quæ Deus est, 545. a. Caritatem qui habet, in se Spiritum-sanctum habet, quia Spiritus sanctus est caritas, 546. a. Non modica virtus est caritas, quia Deus est, 546. a.
Caritas deliciarum omniumque virtutum hortus, 573. b.
Caritas numquam nisi ex Deo, vel in Deum, vel propter Deum jure dicitur, 547. c.
Caritas in præceptis obtinet principatum, 202. c.
Caritatis initium & perfectio quid sit, 561. a. & seq.
Caritatis adimpletio est mandatorum observatio, 566. a.
Caritatis officium nihil aliud est quam amare; & amando Dei præcepta implere, 561. a.
Caritatem habet ordinatam qui diligit quod diligendum est, nec minus diligit quod amplius diligendum est, &c. 559. b.
Caritas cum fuerit in aliquo, is nihil terrenum, nihil materiale, nihil corruptum diligit, 546. c.
Caritatis perfectio nulla cupiditas, 565. d. Veræ caritati opponitur amor privatus, 1317. d. Caritatis venenum est rerum temporalium cupiditas, 565. d.
Caritas gemina est, 552. c. & seq. 565. c. Caritatis differentia inter eos qui primam fidem servant, & eos qui lapsi per pœnitentiam resurgunt, 567. c. & seq.
Caritas unde nutritur, 565. b. & seq.
ubi Caritas regnat, nulla valent delicta, quoniam ipsa est fons vitæ & ablutio omnium scelerum, 575. a.
Caritas animarum quasi alter baptismus est, 569. b. Peccandi excludit affectum, 551. a. Quicquid sine caritate Deo offertur, mercede vacuatur, 571. d. 572. b. Sine caritate virtus nulla, 943. a. Bonum quamquam minimum, si propter caritatem facis, securus esto, cum fructu facis; si propter aliud facis, ne erres, inaniter facis, 943. b.
Caritas quomodo fide & spe major sit, 550. c. & seq. Caritas numquam sine spe, nec spes aut caritas sine fide, 523. d.
Caritas excludit timorem, 551. c.
Caritatis refrigescentia signum adventus antichristi, 1317. c. & seq.
Carnem Christi in eucharistia non videmus nisi per fidem, 383. d. Licet caro & sanguis Christi quotidie comedantur, ipse tamen agnus vivus & integer perseverat, 388. d. Non certe caro sine sanguine communicatur, 445. b.
Carnem foventes hostem nutriunt, 96. b.
Carnales facilius decipiuntur quam spirituales, 358. b.
Caroli-Magni elogium, 295. c. & seq. Libros undecumque colligit, 295. d. Legit & retinet, 296. c. Studium scripturarum resuscitavit, 275. Quæstiones in Danielem jussit exscribi ex authentico Petri archidiaconi, 277. a. Ad ejus usum descriptus codex Quæstionum Wicbodi in octateuchum, 294.
Carolus IV. imperator, 1448. d.
Casinense monasterium paradisus, 85. a.
Casinensis bibliotheca, 85. b.
Casinensis abbas Hildericus, 266.
Cassius episcopus quotidie missam celebrat, 416. b.
Castis elatio vitanda, 838. c. Lætitiæ munus in castitate, 826. c.
Catalaunensis episcopus Guillelmus de Campellis vir sanctus, 1023. b. c. 1024. c.
Cataphriges hæretici, 648. a.
Cataractarum voces, 77. a.
Catechumenorum missa post evangelium, 641. a.
Cecchus Golini vir nobilis, 1446. d.
Celebritas est conventus populi in laude, 601. c.
Cellotii sententia de libro Paschasii Radberti de corpore & sanguine Domini, 375. c.
Cenomanensis episcopus Aldricus, 641. c.
Cerastes serpens cornutus esse perhibetur, 1369. c.
Cerebri quasi tres ventriculi, 338. c.
Chaldæorum imperium destruxit Cyrus rex Persarum, 281. c.
Cherubim & Seraphim per *m* prolata masculini sunt generis & pluralis sunt numeri; si per *n*, neutrius sunt generis 602. c.
Chorus quid, 80. c.
Christiani in baptismate signantur cruce in fronte & pectore, 1413. c.
Christianus nullus esse dicitur sine fide, spe & caritate, 472. a. Bono Christiano nihil felicius, 456. c. Qualis esse debeat, 790. b. & seq.
Christiani tempore apostolorum quales fuere, 1006. a. & seq. Orabant pro salute Cæsarum & reipublicæ, 1290. c.
Christiani legem acceperunt a Deo, 1141. d. Christianorum libri non sunt perditi, 1157. b. & seq. Sed neque corrupti, 1159. b. & seq. Christiani Judæos aliqua sibi objicientes libenter audiunt & sapienter respondent, 1145. d.
Christianorum pugna duplex, 720. b.

Christianorum fortitudo in Christi victoria, 507. b.
Christus unitate naturæ idem cum Patre, 411. b. c. In eo duæ substantiæ, 393. a. & seq. Verus Deus est & homo, 152. d. 243. c. & seq.
Christi divinitas per novum testamentum probata, 177. b. De eo testimonium perhibet vetus & novum testamentum, 174. b.
Christi caro divinitatis ejus sigillum, 244. d. Ejus parentes ecclesiæ figura, 238. b. Conceptus est cooperante tota Trinitate, 1006. c. Quo tempore sit natus, 292. a. b. Ejus nativitas jure dicitur sacramentum, 390. c. Christum Mariæ filium vere Deum esse, 176. c.
Christus parvus & magnus, 237. c. Hominum mediator, 585. a. 598. d. Interpellat pro nobis non voce, sed miseratione, 599. c. Ejus admiranda misericordia, 1208. e. Erga hominem caritas, 1219. b. c. Quantum nobis contulerit, 1192. e. Per eum vota nostra ascendunt ad Deum, & per eum Dei dona ad nos descendunt, 613. b.
Christus sacerdos secundum ordinem Melchisedech, 580. a. Christi sacerdotium per Melchisedech distinguitur a sacerdotio Levi, 352. a. Est sacerdos & victima, 581. d. 615. a. Convivium & conviva, 452. b. d. 454. c. Baptizat & consecrat eucharistiam, 427. b. Spiritus qui hominem in utero Virginis sine semine creavit, potuit ex pane & vino carnem & sanguinem Christi operari, 391. c. 392. a. Christus frumentum nostrum, 660. c. Carnis suæ alimento nos satiat, 660. d. Christus nisi esset humilis, non manducaretur nec biberetur, 580. c. Cibus est sempiternus, quem manducant angeli, ibid. c.
Christi corpus & sanguis sub panis & vini figura, 383. b. Christus in cœna manducavit pascha Judaicum, & instituit corporis & sanguinis sui sacramentum, 587. d. Corpus Christi tribus modis dicitur, 399. e. Corpus Christi cur dicitur panis, 420. b. Christus uva mystica, 420. e.
Christus quomodo regnet in nobis, 80. d.
Christus non fuit rex carnalium Judæorum, 59. b. Sed peccatores se confitentium, ibid. e. Christum in membris amplectimur, 241. e. Christum quomodo vidisse dicuntur omnes populi, 242. e.
Christus persecutiones semper est passus, 1278. c. 1279. a. & seq. Cur in cruce mori voluerit, 1108. a. Ejus passio & resurrectio in psalmo xv. prophetata, 58. a. In cruce pendens pretium est perditorum, 153. c. Pro salute gentilium vitulus saginatus est immolatus, 151. c. Christus quanta passus sit, 208. d. e. Christus dupliciter immolatur, 459. c. Non fuit mortuus in anima, 316. a. Ejus anima separata a corpore, non fuit separata a divinitate, 1108. e. Nec in ejus morte persona divina ab ejus corpore & anima est separata, 1214. a.
Christi mortis commemoratio, est caritatis ejus commendatio, 622. e. Per triduanam Christi sepulturam tria in nobis peccata destructa, 1108. c. Christus descendens ad inferos sanctis aperuit paradisi januam, 1108. d. Ejus anima xxxvi. horis fuit in inferno, 316. b. Quomodo tertia post mortem die resurrexit, 1109. a. Quomodo dicitur sedere ad dextram Patris, 1109. d.
Christi sermo Johannis vi. capite, anno uno ante passionem ejus factus est, 586. d.
Christus via est qua fide currimus, veritas in quam credimus, vita qua fide justificamur, 503. a.
Christus unica salutis via, 589. c.
Christus destruxit regnum satanæ, 1206. e. Caput serpentis contrivit, 362. d.
Christi claritas interior quanta, 254. b.
Christus in suis patitur, esurit & sitit, 452. c.
Quomodo homo maneat in Christo, 396. d.
Christus dictus rex Austri, 1387. a.
Christum solvere est salvatorem eum negare, 1406. d.
Christus eremiticam vitam in se consecravit, 1031. d.
Christum honoramus in sanctis, 154. b.
de Christo prava Sarraceni cujusdam dogmata, 174. a.
Cibus idem hominibus & animantibus communis, 122. b.
Cibi monachorum quales esse debeant, 165. d. & seq. Sint viles, 164. c.
Cibus noster sit quotidianus, non præparatus, 118. b. Ex immodico ciborum sumtu venereorum insatiabilis concupiscentia gignitur, 122. d.
Cinus de Castellione Aretinus, referendarius Caroli IV. imperatoris, 1448. e.
Circumcisio sacramentum, 1200. a.
Circumcisio spiritualis, 691. d. e.
Claustralium laus est, si diu fuerint in claustro, 1065. b.
Claustrum canonicorum 1074. a.
Clementis papæ VI. epistola ad Raynerium de Waschio domicellum, 1445. b.
Clemens VII. Petro episcopo Montis-falconis dispensationem matrimonii committit pro Guischardo de Baschio, &c. 1451. c. & seq.
Clericorum hereditas & possessio Deus, 769. c. 770. a.
Clerici non canonici quomodo debeant vivere, 1070. c.
Clerici non debent esse sine regula, 1001. b.
Clericus duas ecclesias non habeat, 1003. a.
Cluniacensis abbas Petrus Venerabilis, 1120.
Codices falsi igne comburendi, 664. e.
Cœlibem decet humilitas, 836. e.
Cœnobitarum disciplina a tempore apostolorum sumsit exordium, 1009. a.
Cogitationes turpes vitandæ, 107. e. Initio allidendæ sunt ad Christum, 732. d.
Cogitatio turpis sculptile est occultum, 107. e.
Cognatorum debent oblivisci sæculo renuntiantes, 110. c. & seq.
Colonienses hæretici, 1251.
Columba caritatem designat, 239. c.
Columna nubis quæ Israelitis castris movendis signum dabat quando cessaverit apparere, 684. e.
Comes palatii dictus Loeotheta, 801. e.
Communio frequens commendatur, 149. b.
Communionem corporis & sanguinis Domini per tempora sumite, 138. c.
Communio cur fit a jejunis, 447. d.
Communio infantium, 414. c.
Communicantium digne profectus, 383. c.
Communicatione corporis & sanguinis Christi efficitur ecclesia conjux Christi, 353. a. Corpus Christi nonnisi de manu Christi accipimus, 401. d. Quisquis vult recte communicare, sic vivat necesse est, ut templum Spiritus semper esse queat, 545. c. Communicant condigne qui sunt in corpore Christi, 309. d.
Communicans indigne socius fit Judæ, 401. c. 443. c. Et judicium sibi manducat, 401. c. Non vitam, 397. b. Communicantes indigne cur aperte non puniuntur, 407. d.
Communio sanctorum quid sit, 1110. e.
Compunctione dum vivimus debemus nos mactare, 419. c.
Compunctionum duo genera, 453. d.
Concilium Carisiacense, 649. e.
Concilium Sardicense post quatuor principalia excellentis auctoritatis, 1425. b.
Concilium apud Theodonis-villam, 666. a.
Concordia res parvæ crescunt, discordia res maximæ dilabuntur, 926. e.
Concubinarius presbyter celebrans excommunicatur, missam ejus nullus audiat, 1261. a. 1262. b.
Confessio peccatorum uni homini quam utilis, 195. c. Confessione peccatum expiatur, 193. d. In confessione & pœnitentia omnia possunt deleri peccata, 204. d. Confiteri qui nolunt peccata, servi sunt diaboli, 190. d.
Confessione culpam delere poterat Adam, 361. b. Exordium illuminationis est humilitas confessionis, 361. d.
Confessio infirmorum, 408. a.
Confessio vera ubi vera conversio, 943. d.
Confidentiam si amittimus, magis incidimus in tentationem, 507. e.
Confirmationis sacramentum appellatum signaculum Christi, 584. c. e.
Confirmatio non debet iterari, 198. c.
Confra, commune convivium, 1102. b.
Conjugii duo genera, 828. b.
Conjugium bonum est, si causa prolis solummodo fiat; utile & veniale, si propter vitandum fornicationis malum ineatur, 831. c.
a Conjugio legitimo in quadragesima abstinendum, 214. c. e.
Consecratio quomodo fit, 429. a.
Consecratio corporis & sanguinis quibus verbis conficitur, 438. c. & seq. Verbis Christi, 427. b. 439. a. 619. b. Idque ex traditione ecclesiæ, 620. a.
Consecratio corporis & sanguinis fit per orationem sacerdotis, 609. a.
Consecratio appellatur canon missæ, 632. b.
Consensus est nutus voluntatis spontaneus, 1078. e.
Consiliarii quales esse debent, 811. a & seq.
Constabulus monachus Cluniacensis, 1122. b.
Constantinus imperator, 181. e. Ab Arianis depravatus, sanctos præsules est persecutus, 1339. a.
Consuetudinis vis, 115. b.
Consuetudines bonæ undecumque sunt accipiendæ, 663. b.
Consuetudines in monasteriis quomodo servandæ, 1040. d. e.
Contemplatio est mentis perspicacia in sapientiæ spectaculo cum admiratione suspensa, 1243. d.
Contemplativæ vitæ constans & uniformis est perfectio, mentem terrenis exutam unire Deo, 273. a Vacans ab omni negotio in sola Dei dilectione defigitur, 271. c. Contemplationi omnia virtutum studia postponuntur, 273. d.
Contemplativa & activa vita per Rachel & Liam designatæ, 271. d.
Contemplativa vita in Maria designata, 271. b.
Contemplativæ vitæ quænam pertineant, 272. e. Contemplationem præcedat actio, 272. a. Contemplationem inter & actionem via media utilior, 272. c.
Contemplativi ægre suscipiunt curam animarum, 102. d.
Contemplationi vacare debent monachi, 1048. b.
Contemplatio triplex, 1241. e.
de Contemplatione libellus Hildebrandi, 1237.
Contemtus rerum terrenarum commendatur, 119. c. & seq.
Continentia inter conjugatos festis jejuniorumque diebus, 790. c. Continentia a conjuge interdictis ecclesiæ diebus cum consensu ejus, 832. c.
Cor dicitur illa vis qua cogitationes fiunt, 907. d.
Corda electorum vasa sunt regalia, 249. e.
Corbeiensis abbas S. Adalardus, 367. Isaac, 373. b. Wala, 367. 378. a. d.
Corbeiæ-novæ abbas Warinus, 367. Cognomento Placidius, 375. b.
Corporeis ne sollicite inhæreas, 95. c.
Corpus in animam mutari posse credere absurdum est, 339. a.
Correctio delinquentium opera destruit, justorum facta confirmat, 136. d. Rectores debent corrigere subditos, 100. e. Non corrigere vitium, est illi assentire, 1263. d.

Conversatio

Conversatio hominum quietum mentis statum perturbat, 122. e.
Converterunt monachi pene medium orbem, 997. c.
Corvus emissus a Noëmo ex arca cur non redierit, 25. e.
Creator solus Deus, 795 a. & seq.
Creatio mundi diversis modis facta, 299. a. Quomodo Deus creaverit omnia simul & non simul, 333. a. & seq. Cur Deus creavit hominem quem præsciebat peccaturum, 355. d.
Creaturæ omnes propter angelos & hominem factæ, 300. c.
Credere nihil aliud est, quam cum assensu auctoritatis Christi, ea quæ non videntur & docuit, sine percunctatione certius cogitare, 516. e.
Credere in Deum & credere Deo quid differant, 484. e. 485. d. 1104. a. 1213. a.
Credere Deum, credere Deo, credere in Deum quid differant, 1204. a. 1213. a.
Credendo quisque diligere incipit, 551. b.
Credibilium tria genera, 486. c.
Crucis supplicium ignominiosissimum, 1107. e.
Crux Christi quomodo inventa est, 182. d. & seq.
Crucis titulus fronti imprimendus, 151. c. Signum ad omnes actus, 169. e. Eo hostes nostros fugamus, 213. c.
Cuculla sine manicis, 1126. b.
Culpam non facit pœna, sed causa, 912. c.
Cultores apostolicæ fidei dici non possunt, nisi qui recte credunt & veraciter diligunt, 612. e.
Cupiditas est amor adipiscendi aut obtinendi carnis præsentisque vitæ oblectamenta, 565. e. Est ignis cuncta devorans, 222. d. Caritatis venenum, 565. d. Homicidii causa, 223. b. Pervertit malos judices, 224. d.
Cupiditas est idolorum servitus, 221. d. Ei deservientes cultores sunt dæmonum, 222. b. Corda divitum magis devastat quam pauperum, 222. c. Magis eligit divitem esse inquietum & timidum quam securum, 819. d. Superbiam gignit, & superbia cupiditatem, 221. b.
Cupiditatis primum virgultum invidia, 222. c.
Cupiditas omnium vitiorum radix, 220. a. Penitus eradicari non potest, 221. a.
Curam animarum ægre suscipiunt contemplativi, 102. d.
Curatura apud Italos quid, 803. d.
Cyprianus quis auctor carminis de resurrectione mortuorum, 1.
Cyrus rex destruxit Chaldæorum imperium, 281. c.
Cyrus rex Persarum, 280. d. 288. c.

D.

DActilici hæretici, 648. c.
Dæmones statim ut creati sunt, de conspectu Dei projecti sunt, 325. c. Eorum quia nulla umquam erit correctio, damnationis pœna numquam cessabit, 708. a.
Dæmones nihil possunt, nisi permittente Deo, 798. a. Eorum vita peccatum nostrum, interitus si non peccamus, 706. d.
Dæmon cur dictus homicida, 326. b.
Dalmatica cum manicis, 1026. b.
Dan tribus Israël unde venturus est antichristus, 1307. b. Vid. Antichristus.
Daniel Dei cultor quomodo princeps Ariolorum, 279. d. An didicerit sapientiam Babyloniorum, 277. d. Quibus horis orabat in Babylone, 281. b. Eum vere fuisse prophetam, 1168. d. 1180. e. Ejus prophetia qua lingua scripta, 278. c. 284. d. An ipse Daniel & tres pueri fuerint eunuchi, 277. c. 280. a. Daniel potens in Chaldæa translatus a Dario ad Medos, 281. c.
Darii plures reges, 286. d. e.
Darius rex Medorum & Persarum, 280. d. 281. c. 284. e.
De Davidis pœnitentia, 1195. e.
Decimæ cur monachis datæ, 1137. d. & seq. Sunt fideliter persolvendæ, 193. c.
Defunctorum nomina in missa ex diphtichis recitata, 630. d. Eis prodest sacra oblatio, 419. a. Etiam a malis oblata, 1260. a.
Delicta in nos sunt condonanda, [illegible]8. b.
Desiderium quid sit, 1237. c.
Desideranti animo nihil satis festinatur, 1238. c.
Desiderandus qui solus est desiderabilis, 1237. d.
Desperatio dicta est, eo quod desit illi spes in via quæ Christus est gradiendi, 528. c.
Desperatio immanior omnibus culpis, 535. b. 536. e.
Desperare a Deo retrorsum alienari est, 535. c.
Desperatio impœnitudo cordis est, ac per hoc nullam meretur remissionem peccatorum, 535. d. Nascitur quatuor ex causis, 535. e. Ex ignavia & torpore, 536. a. Ex amore & oblectatione temporalium, 536. b. Ex immanitate criminum, 536. c. Et ex superbo contemtu, ibid. d.
Devotio est suavis affectus in Deum porrectus, 1243. d.
Deus unus est, 495. e. 607. e. Nec plures esse possunt, 1216. d.
Deus Trinitas est, 355. c. In eo unitas essentiæ, Trinitas personarum, 1104. c. Deus quomodo ex Deo genitus, 152. e.
Deus quid, 1189. a. Creator, 1189. e. Immobilis, 1189. e. Ubique totus, 1189. e. Inlocaliter ubique est, 402. d. Ubique per divinitatis præsentiam, sed non ubique per habitationis gratiam, 634. d.
Incorporea res est, nec corporaliter movetur, nec loco continetur, nec de loco ad locum transfertur, 359. b. Sapere, posse, velle, vivere & intelligere, in Deo idem quod esse, 909. e.
Deus est numerus sine numero, mensura sine mensura, & pondus sine pondere, 302. c.
Dei potestas nec deficere in aliquo, nec proficere potest, 893. b.
Deo nihil præteritum aut futurum, 347. e.
Dei voluntas causa est omnium quæ sunt, 303. e. 382. b. & seq. Dei voluntas nostra est salus, 191. b.
Dei sententia an possit mutari, 279. c.
Dei facies est ejus præsentia, 624. d. Dei respicere est visitatio pietatis ejus, 624. d. Deus quomodo deambulare dicitur, 359. b. Quomodo requiescere, 332. a. b. c. Ejus pœnitentia dicitur quævis rei ab illo institutæ mutatio, 583. d.
Deus creator omnium creaturarum, 4. a. Formavit hominem ad suam imaginem, 5. b. Creavit cœlum & terram, non in principio temporis, sed in Christo, 302. e.
Dei quanta dignatio, qui noster voluit esse pater, 1113. a. & seq. Omnium, non unius pater, 1113. e. Quomodo nos diligat, 563. c. & seq. Bonorum omnium est largitor, 792. c. & seq. Flagellis fabricat salutem peccatoris, 69. d. Bonos & malos eligit, 1196. e. Quos elegit, non electos, sed vasa iræ invenit, 518. d. Numquam deserit se possidentem, 597. b. Postulare pro nobis dicitur quod nos postulare facit, 600. c. Deo volente aut permittente omnia fiunt, 908. e. Non vult mala, 909. e. Sed permittit, 910. a. & seq.
Deus in cælis est, agnoscitur & amatur, 1220. e.
Deus unus non uni, sed omnibus sufficit, 1239. a. Extra manum Dei si quid est, perditum est, 909. d. Deo adhærere vivere est, & intelligere degustare, 575. b. Domum Deo ædificat qui nullis inquinatur vitiis, 73. b. Intolerabilis animæ miseria, sui creatoris carere notitia, 873. c. Multi ratione humana & artis eloquentia sisi, volentes arcana Deitatis temere comprehendere, longius recesserunt a fide, 506. d.
Deum inebriat malitia nostra, 287. b. Deum non diligere probatur, qui non diligit proximum, 940. c.
Deus & proximus unde amantur caritas proprie dicitur, quæ tunc consummata est, si nihil aliud amatur, 565. c.
ad Deum qui sponte non accedit, suppliciis cogendus est, 69. b.
Diabolus designatur per populos quos Josue debellavit, 737. a.
Diabolus in paradiso quantus fuerit, 1372. b.
Diaboli sicut numquam volunt reluctari peccato, sic numquam possunt declinare pœnam peccati, 1087. b.
Diaboli aula omnis terra, 727. e.
Diaboli opera quæ, 217. c.
Diabolus bonis, non malis infestus, 144. e. Servos Christi terrere solet, 136. e. Superbia aut luxuria decipit, 362. b. Aliquando vera dicit, 793. e. Per falsa bona ad certa pertrahit mala, 794. b. Ejus regnum destruxit Christus, 1206. e.
Dictatores magis quam reges dici maluerunt antiqui, eos qui aliis principabantur, 805. d. e.
Didymus Alexandrinus scripsit contra Arrianos, 1127. d. Item contra Macedonianium, 1128. a.
Dignitatum ad promotionem quid debet attendi, 931. c.
Dilectio dicitur eo quod liget, 543. b.
Dilectio integra Christi ad quatuor se extendit, 554. e. Est forma discipulatus Christi, 572. b. Dilectio sola pro debito est, 552. e.
Diligendus est Deus perfecta caritate, 190. e. Diligamus Deum non propter aliud, sed propter seipsum, quia summum bonum est, 558. b. Dilectionis vera regula est, ut diligatur Deus ex toto propter ipsum, quia nihil illo melius, nec sine illo boni quippiam invenitur, 558. d. Dilectioni Dei sola dilectio nostra vicem rependit, 572. c. Dilectio nostra ad Deum referenda, a quo boni sumus, 564. c. Hoc est diligere Deum quod diligere sempiterna bona, 574. b. Qui diligit animam suam plus quam Deum, non est eo dignus, 559. c. Male se diligit quisquis sibi vindicat quod uni debetur Deo, 554. b. Integra dilectio nostra est, ut anima ad immortalitatem, ad beatitudinem in Deum diligatur, & corpus nostrum ad sanctitatem & ad immortalitatem præparetur, 554. e.
Diligendi omnes ex æquo, 559. e. Argumentum dilectionis Dei dilectio est proximi, 553. a. Ut diligendus proximus, 558. e. Dilectio plena proximi, est ut diligamus ejus corpus sicut nostrum, & animam ejus secundum Deum, 555. a.
Dilectionis opera, 196. d.
in Diluvio cœli aërei perierunt, 324. b.
Diocletianus ecclesiam persecutus est, 1157. b.
Diptycha tabulæ defunctorum nomina continentes, 630. d.
Discipulus obedientiam debet magistro, 813. e.
Discordia quam gravis culpa, 458. e. 592. c.
Dissimulare perjurium est arte jurare. 804. b.
Diversitas in servis Dei non damnanda, 1033. e.
Divitum duo genera, 819. e. Tres species, 823. a. Qui vere sint divites, 823. b. Dives omnis aut iniquus est, aut iniqui heres, 901. e. Divites quam sint aliis noxii, 822. d. Diviti solum bonum est quod publicum est malum, 822. e. Divites opprimunt pauperes, 223. e. Vix salvabuntur, 227. c.
Divitibus aperuit Zachæus cœli januam, 139. a. Quid facere debeant, 296. c. Qui

parcit divitiis, non parcit animæ, 207. a. Dives damnatus quia non distribuit, 923. c.
Divitiæ vocantur mammona iniquitatis, 902. a. Quam vanæ sint, 227. c. Res sunt informes, quæ ad profectum nihil habent, 115. d. Tamen prodesse possunt ad salutem, 139. c. Divitias disperge, ut possideas vere, 816. c. Divitiæ tuæ te antecedant, quia non possunt sequi, 817. c. Divitias qui sibi retinent, damnationem sibi æternam acquirunt, 818. b. Divitiarum usum dedit nobis Deus, non dilectionem, 574. b. Divitiæ animum cruciant, 819. b. Divitias superfluas abjicit philosophus, 92. c. Divitias contemnere debent monachi, 92. a.
Doctores leonibus comparati. 1344. c.
Doctores sunt frenum diaboli maxillas refrenantes, 1298. b. c.
Doctorum varia genera, 815. b. & seq.
Doctus esse debet aliorum rector, 104. a.
Doctores excœcabuntur ante adventum antichristi, 1305. c. Eos & principes sibi adunabit antichristus, 1411. a.
Dolus est aliud in labiis, aliud in corde habere, 65. d.
Dolus est manifestus fidem Deo promittere, & humanis consiliis credere, 66. a.
Dolus apud homines prudenter, apud Deum stulte decipit, 856. c.
Dolo quæsita victoria turpis, 857. a.
Dominationes cælestes angelorum sunt agmina quæ mira potentia præeminent, eisque cetera sunt ad obediendum subjecta, 601. a.
Dominica dies quare celebranda cum devotione, 151. c. d.
Dominicis diebus ad ecclesiam currendum, 197. c.
Dominicis diebus non præscriptum monachis jejunium, 1040. a. & seq.
Dominus ut se gerere debet in servum, 812. a. & seq.
Donatistarum hæresis, 1126.
Dona Spiritus-sancti, 1224. b.
Drogo episcopus sacri consilii magister, 641. c.

E.

Ebrietas fomes libidinis, 804. b.
Ecclesia per vestimenta Christi designata, 254. c. Per Christi parentes, 238. b. Per Annam, 246. d. Per Mariam, 245. c. Per Petrum, 251. d. Per Raab, 681. c. Per paradisum, 344. d. Per terram, 321. b.
Ecclesia navi comparata, 520. d. Fons conclusus, 1210. b. Ager, 219. a. Civitas Domini, 707. a. Civitas refugii, 767. c. Columna & firmamentum veritatis, 584. d. Paradisus deliciarum, 410. d. Corpus Christi, 399. c. Filia patriarcharum & prophetarum, 246. c. Congregatio fidelium, 1110. De latere Christi manavit, 424. d. Et crevit, 835. d. Per totum orbem est dilatata, 610. b. 1416. c.
Ecclesiæ unitas, 662. c. Petro est unita, 1197. c. Ecclesiam catholicam tenent, docent & ordinant Romani pontifices, 1197. d.
Ecclesiam sanctorum faciunt multi sancti, 79. b. Ecclesiam malignantium faciunt multi maligni congregati, 79. b. Ecclesiæ tria membra perfectionis apostolicæ sibi vindicant dignitatem, 975. d. Cum sacerdote ecclesia offert sacrificium, 614. b.
Ecclesiæ navis semper quatitur tentationibus, 1278. c. 1279. d. Persecutionibus elevatur, non submergitur, 1195. b. Sæpius ab hostibus pressa vinci non potuit, 1307. c. 1341. c. Ecclesiæ causa cum agitur, solus Christus veritas præ oculis habeatur, 643. b.
Extra ecclesiam nulla salus, 152. c. 683. c. 696. d. Non est quærenda religio, 613. a. Non est locus veri sacrificii, 1193. a.
Ecclesia omnis sacerdotium sanctum appellata, 614. c.
Ecclesia in fine sæculi dividetur in varias sectas, 1304. d. Eam contemnent antichristi præcursores, 1359. d. c.
Ecclesias duas non habeat clericus, 1003. a. Ecclesiæ reditus quatuor in partes distribuendi, 919. d. Non possunt auferri sine sacrilegio, 871. d.
in Ecclesiis abstinendum a verbositate, 183. d. [illegible] c.
Edmundus *de Montfort*, 1469. c.
Eduardus comes Marchiæ, 1468. b.
Effrem interpretatur fertilis vel auctus, 1637. b.
S. Ephrem liber de Spiritu-sancto, 1128. a.
Effundere animam suam bonæ spei operatio est, 71. d.
Eleazarus sacerdos magnus, 288. d.
Electi in fine se hortabuntur ad perseverandum in fide, & ad patiendum pro Christo, 1414. b. & seq. Eorum corda per scripturas in persecutione firmabuntur, 1422. c. Mortuo antichristo spatium 42. dierum habebunt pœnitendi, 1439. c.
Eleemosyna extinguit peccatum, 206. c. 942. c. Non sufficit tamen ad mundanda graviora peccata, 903. c.
Eleemosynarum varii modi, 906. a. Eleemosynæ perfectæ quæ sint, 803. b. Eleemosynam vide unde facias, cui, cur, qualiter, unde, 901. d.
Eleemosyna ut fieri debeat, 233. d. Hilariter facienda, 953. a. Eleemosynas de nostro labore faciamus, 192. c. Eleemosyna melior est restitutio, 140. d. De alienis non est facienda, 901. c. Recte denarium dabis pauperi, si illum alteri non abstulisti, 791. d. Eleemosyna ex rapina Deo grata non est, 234. a. Sed nec illa cui deest vita immaculata, 234. c. Non perdit substantiam, qui pro peccatis agit eleemosynam, 905. c. c.
Elias & Eliseus vere prophetæ fuerunt, 1170. d. 1172. a.
Elias pro Christo moriturus est in fine mundi, 255. a.
Eliam & Enoch antichristus occidet, 1400. c. & seq. Ubi occidentur, 1401. a. b. Post tres dies resurgent, & ascendent in cœlum, 1401. d.
Elvidii hæresis, 1128. c.
Enoch non mortuus, sed translatus, 346. c. Pro Christo morietur in fine mundi, 255. a.
Epiphanes filius Seleuci vir pessimus, 285. d.
S. Epiphanius famosus Salaminæ episcopus, 1129. d.
Episcopalis dignitas quanta sit, 863. a. & seq.
Episcopi apostolorum, presbyteri septuaginta discipulorum locum tenent, 1303. b.
Episcopi a solo Deo, ut reges; sed præstantius quam reges instituti, 881. d. Episcopi post Deum locum rege superiorem obtinent, 871. b. Ac proinde regibus superiores, 859. b. 895. c. Dicti angeli & dii, ibid. Ipsis debent subdi, 861. c. Nec debent eos reprehendere reges, 861. d. Sed eos defendere, 882. a.
Episcoporum audacia & fortitudo, est murus ecclesiæ, 1298. c.
Episcopi onus & pondus, 916. c. Qualis esse debeat, 914. c. & seq. Ejus officium, 206. c. Quam vigilare & sollicitus esse debeat, 929. d. & seq. Pro grege non debet fugere periculum, 924. c. Condemnabitur de non facta eleemosyna, 920. a.
Episcopi a nullo hominum sunt judicandi, 889. c. Sed eos judicare solius est Dei, 867. b.
Episcoporum quorumdam vitia, 918. a. & seq. Episcopus ludens ad tabulas illusus, 928. a. & seq. Ebriosus deponatur, 884. c. Ei interdicta mulierum cohabitatio, 884. a.
Episcopo etiam peccatori adest Spiritus-sanctus, 866. d.
Episcopus ferre debet detractiones, 930. a.
Episcopus extra diœcesim suam nihil agere permittatur, 1260. c.
Episcopus ex monacho factus ut se gerere debeat, 928. c. Non debet relinquere habitum monasticum, 929. a. Qualis in claustro fuerit debet considerare, 931. b.
Episcopus ex abbate factus, 929. a. & seq.
Episcopum qui susceperit hospitio, justus efficitur, 135. a.
Equis non utebantur Israelitæ, sed asinis, 730. c.
Eremitarum similitudo in primis hominibus, 1029. c. Ereniticam in se vitam Christus consecravit, 1031. d. Eremitarum vita qualis esse debeat, 1030. d. Eremitarum vestis hispida, 1047. a. Eis an conveniant ædificia, 1030. b. Inter eos non damnanda diversitas, 1033. b.
Errata corrigere sapientis, non emendare est insipientis, 1162. a. b.
Errori non est favendum silentio, 1334. c.
Error omnis scriptis confutandus est, 1228. c.
Esca animarum oratio, psalmodia, jejunium, eleemosyna, continuæ lectiones, 946. b.
Esdras propheta, 288. b. Legem Moysis renovavit, 173. b. Ejus scripturæ mendacia intromissa fingunt Saraceni, 179. a.
Esitius evangelium falsat, 648. c.
Essæi Judæorum philosophi, 87. c.
Ethelbertus rex Anglorum, Augustinum prædicantem Christum audit, 1146. c.
Evangelistas calumniatur Porphyrius, 320. d.
Evangelium melius annuntiat qui bene vivit, quam qui bene loquitur, 1064. c.
Evangelii prædicatio ad omnes gentes debet præcedere adventum antichristi, 1291. a. & seq.
Evangelium ab Esitio seu Luciano vitiatum, 648. c.
Eucharistiæ figura manna, 394. d. 442. a. Et aqua de petra producta, 394. d. Sacrificium regale, 395. b. In benedictione frumenti & vini data Jacob, 453. b. & seq. Eam Judæi in figura comederunt, 395. c. & seq. Eucharistia quomodo sit veritas & figura, 392. c.
Eucharistiæ institutio, 586. c. & seq. Cur ante Christi passionem, 443. b. & seq. Cur ad vesperam, 588. c. Christus summus sacerdos Eucharistiæ distributor, 404. c.
Eucharistiæ dignitas, 464. b. Eucharistia majus omnium miraculorum, 385. c. Eucharistia & baptismo nihil majus Deus ecclesiæ reliquit, 385. b. Est æterni Regis convivium, 376. a. Cibus angelorum, 395. a. Immortalitatis alimonia, 443. d. Christus in Eucharistia sacerdos & sacrificium, conviva & convivium, cibus & cibans, munus & munerans, 1247. d. Quando Christus manducatur, vita manducatur, nec occiditur ut manducetur; sed mortuos vivificat: quando manducatur, non deficit, sed reficit, 619. a.
Eucharistiæ vis & virtus, 385. c. 411. b. 428. d. Effectus, 377. b. 1247. d. c. Eucharistia animæ purgantur, peccata solvuntur, vitia pelluntur, dæmones fugantur, virtutes acquiruntur, salus animarum & corporum possidetur, totus mundus salvatur, 418. c. Ejus gustu totus emendatur homo, 388. b. Sanctificat, 389. a. Per eam caro nostra ad immortalitatem reparatur, 444. c. Sumentibus vita æterna est, 623. d. Qui manducat vitam, non potest mori, 628. a. Homo carne & sanguine Christi saginatur, 444. c. Eucharistia numquam digne sine ebrietate Spiritus-sancti sumitur, 423. b. Nos efficit spirituales, 448. b. Continet omnes delicias, 413. d.
Eucharistia cibus electorum, 454. d. Vinum germinans virgines, 455. a. Hoc donum quo virgines generantur, non

modo carnis luxuriam, verum etiam mentis exsecrat desidiam, 456. d. Quibusdam vita est, aliis pœna & supplicium peccati, 402. c. Vere est cibus & potus, quia immortales facit, 446. d.

In Eucharistia verba Christi sunt efficacia, 439. b. Quidquid dicit sacerdos aut populus cantat, laudes sunt & gratiarum actiones aut preces, ibid.

Eucharistia quibus conficitur verbis, 438. e. & seq. Christi creatoris, 439. a. & seq. Quod prius vinum & aqua fuerat, in hoc verbo sanguis efficitur: *Hic est calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti*, 440. c. In verbo Christi per Spiritum-sanctum consecratur, 394. a. 427. b. Mali ministri Eucharistiam perinde conficiunt ac boni, 430. c. Non merito consecrantis, sed verbo creatoris conficitur, 1258. b. Sicut Christus est qui baptizat, ita ipse est qui consecrat carnem suam, & vinum transfundit in sanguinem, 427. b.

Eucharistiam verũ esse corpus & sanguinem non dubitandum, 382. a. & seq. 383. b. 402. e. 432. b. 665. d. e. 659. a. Nec alia caro quam quæ de Maria Virgine nata, in cruce passa & resurrexit, 383. b. 385. b. In Eucharistia aliud gustandum, quam quod ore sentitur, 402. d. In ea non est panis nec vinum, sed corpus & sanguis Christi, 1193. b. Quamvis sit vera Christi caro, potest panis appellari & vinum, 441. c. Verum in sacramento corpus fides vera non hæsitat, 391. d. Ratio numquam penetrat sensum hujus sacramenti, 394. b. Infelix qui non credit ea quæ latent in sacramento eucharistiæ, 446. e. Christus sæpe visibili specie in Eucharistia apparuit, vel propter dubios, vel propter ardenter amantes, 433. c. Credere in Christum est manducare panem verum, 653. e. In Eucharistia non esse figuram, sed veram Christi carnem, 435. e. Hujus sanguinis figura fuit in veteri testamento, hic veritas, 440. d. In Eucharistia cur Christus colorem & saporem non mutaverit, 432. a.

In Eucharistia non plus habet qui majus, quam qui minus accipit, 442. b. & seq. In ea nihil a bono sacerdote majus, nihil a malo minus accipitur, 427. a.

Eucharistia quo sumeretur ordine non præscripsit Christus, 588. c.

Eucharistia per tempora sumenda, 218. b. Eucharistiam qui tempore suo non accipit, vitam æternam nequibit habere, 460. b. 462. a.

Eucharistiæ quotidiana perceptio, 659. b. Ideo panis noster est quotidianus, 635. d. 1222. c. & seq. A jejunis manducanda, 588. a. Olim manu suscepta, 436. c. Recens baptizatis porrecta, 78. e. Infantibus baptizatis sine viatico mortuis, nihil deest ad salutem, 446. a. b.

Eucharistiæ manducatio quam utilis, 632. c.

Eucharistia adultis ad salutem necessaria, 446. c. Ad percipiendam Eucharistiam quomodo nos præparare debeamus, 397. c. Quam terribile sit corpus Domini de manu Domini sumere, 403. b. De Eucharistia quid scire debeat communicans, 387. A carne & sanguine Christi nullus extraneus reputetur, nisi qui seipsum culpis exigentibus absciderit, 461. d. Eucharistiam digne sumunt, qui nullis sunt criminibus obvoluti, 462. b. Eucharistiam nemo digne sumit, nisi mundus a mortali peccato, 404. a. Eucharistia non est cibus nisi eorum qui sunt in Domino, 404. b. Cur peccantes graviter a sacra communione removeantur, 410. c. Eucharistiam nulli periculosius accipiunt quam luxuriosi & incesti, 463. a. Terribile est immundum ad Eucharistiam accedere, 404. c. Eucharistiam indigne sumens quomodo judicium sibi manducat, 404. d. Eucharistiam indigne sumens Judæus punitur, 398. a. & seq.

Eucharisticum inter & communem cibum quantum intersit, 449. a.

post Eucharistiam perceptam communis cibus potest suscipi, 448. a.

Eucharistia a fidelibus recepta, secundum Amalarium an maneat in eorum corpore, 643. c. 646. e. In calice cur misceatur fragmen corporis Christi, 444. c. & seq. 639. c.

Eucharistia ligno vitæ comparata, 410. d. e.

de Eucharistia miracula, 434. b. & seq.

Euchitæ hæretici, 648. c.

Eunuchi an fuerint Daniel, Ananias, Misaël & Azarias, 277. c.

Eusebius Emissenus elegantis & rhetorici ingenii homo, 1172. b. Ei attributi sermones Fausti episcopi Regiensis, 152. e.

Eustachius episcopus Antiochenus scripsit contra Arrianos, 1127. c.

Eutyches hæreticus, 647. e.

Exactor qualis esse debeat, 803. d. 804. e.

Excusatione peccatum auxit Adam, 361. b.

Exempla validiora sunt quam verba, 930. a. Non verbis sed factis subditi trahuntur ad imitationem, 101. c. Exemplum pravum damnationis causa, 92. c. Cujus vita despicitur, restat ut prædicatio contemnatur, 920. b. 960. e. 978. a. Ille lugendus cujus vita multorum est ruina, 143. e.

Extrema-unctio infirmis impendenda, 408. a.

Extrema-unctio post Viaticum, 1236. e. d.

Ezechielem vere fuisse prophetam, 1168. b.

F.

FAcies Dei est ejus præsentia, 624. d.

Falli nolle & veritatem inquirere innatum est homini, 1136. e.

Falsitas sola quærit tenebras, 1138. e. Et proinde est ridicula, 1139. d.

Familiaritas hominum morbus est contagiosus, 117. e.

Faria urbs Ægypti, 49. e.

Fausti episcopi modestia, 145. d. e. Ejus sermones Eusebio Emisseno attributi, 152. e.

Felicitas æterna, 199. c.

Femina data viro in adjutorium ad procreandos filios, 346. c.

Festivitas apud monachos esse non debet, 166. d.

Festis diebus possunt monachi in cibis participare communi ecclesiæ lætitiæ, 1040. c.

Festum Purificationis B. Mariæ quantum sit, 235. e. Præsertim Romæ, 236. a. Ubi cum cereis celebratur, 236. a.

Fideles sunt oves Christi, 872. c.

Fidelis vir viam sequitur Domini, 69. a.

Fideles Christi vinea & vindemia, 421. c.

Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, 473. d. Seu convictio non apparentium, ibid. Unde dicta, 480. c. Initium est salutis, 187. b. Ecclesiæ fundamentum, 976. e. Fides Petri firmamentum ecclesiæ præsentis, 1197. e. Fides initium omnium donorum, 517. b. Magnum Dei donum, 518. b. 519. c. Donum est Dei quo cetera donentur dona, 516. c. Janua repromissionum, 75. a. Semitas præparat veræ dilectioni, 551. b. Animam subjugat Deo, 202. b. Initiatrix omnium virtutum, & via ad summum Bonum, 473. b. 508. e. 540. a. Fundamentum aliarum virtutum, quæ prior procedit in campum, 525. b. Origo justitiæ, sanctitatis caput, devotionis principium, religionis fundamentum, sine qua nemo Deum promeruit, &c. 474. e. Fœdus inter Deum & homines, 475. a.

Fide vivit qui solum Deum quærit, 1213. a.

Fides Deum quærit, spes invenit, caritas apprehendit, 1213. a.

Fide Deus colendus est, 221. e. Fide introivimus fontem baptismatis filii iræ, & Dei filii ex aqua & Spiritu renati exsurreximus, 497. c. Fides baptismi non immutanda, 492. b. & seq.

Fides in tribulatione non relinquenda, 74. e. Magis gaudet in passionibus quam in prosperis, 506. a. Perseveret usque ad mortem, 512. e. Mortem non timet, 512. e.

Fidei necessitas, 187. a. 1103. b. Fides gratis requiritur, 65. d. Fides non habet meritum ubi ratio præbet experimentum, 1104. d. Est intellectu præstantior, 575. b. Sola ratio non fides miratur quid fieri contra naturam, 384. c.

Fides utrum sit visibilis, 480. d. Versatur circa ea quæ non videntur, 478. a. Cum Fides circa ea quæ non videntur versetur, an evacuanda sit cum illa per speciem apparuerint, 479. b. & seq.

Fides circa tria versatur tempora, præterita, præsentia & futura, 513. b. & seq. 523. a. Fides an dicenda sit ipsa visio veritatis, 479. a. Fides recta verior est quam visio, 478. d.

Fide invisibilia sunt quærenda, quæ sint amanda, & pio amore sine fine fruenda, 515. c. Deus nonnisi fide apprehenditur, apprehensus fide servatur, 477. e.

Fidei potentia, 497. Fidei omnia cedunt, 473. c. Quod cum parva fide agitur, parvum est; quod cum magna, magnum est, 498. c. Apostoli & martyres quid per fidem non potuerunt? 498. c. Quid confessores & virgines? 499. a. Fides quæ in Christo est, omnia potest, 499. b. Fidei potentia est exhibitio majestatis, 500. a.

Fidei justitia qua per fidem justi efficimur, nullis præcedentibus meritis, 500. d. Fide justificamur, non ex operibus, 504. a. 519. a. Per fidem homo recuperat amissa per peccatum, 1199. e. Fides irretractabilis debet esse & firma, 480. d. Fides post hanc vitam non erit, sed fidei merces & Deitatis contemplatio, 582. a. Si quis fidem habere putat sine gratia, necdum adeptus est vitam, 504. c.

Fidei armatura sunt virtutes agendæ, 505. b.

Fidei initium prima credulitas, 75. c. Fides Dei gratiâ datur, nutritur & perseverat, 501. c. Misericordiæ operibus crevit, 1377. a. Uberibus scripturarum nutritur, 496. b. Sapientia & scientia, 489. d. & seq. Sine scientia recte non defenditur, 387. a.

Fides otiosa sine operibus, 202. b. 482. b. 483. a. Et mortua est, 501. b. Bonis operibus animetur, 501. b. Fides sine spe, nec spes sine fide proficit, 529. a. Fide languente languescit caritas, 566. a.

Fides quanta potuerit ante Verbi incarnationem, 498. b. & seq.

Fides nostræ religionis numquam sine spe, numquam sine amore est, nec spes aut caritas sine fide, 514. c.

Fides quanta est in nobis, tanta & spes esse debet, 515. a.

Fidem inter & spem quid intersit, 522. d.

Fides in nobis per gratiam, 500. d. Non est omnium, 511. d. Fides in uno eodem non semper æqualis, 512. b. Quidquid Deo sine recta fide offertur, magis displicet, 509. c. Fides sit in caritate radicata, 510. a. Christianorum sola fides est, quæ per dilectionem operatur, 484. a. Credo in Deum soli Deo competit, 484. c. & seq.

Fides, spes, caritas rore Spiritus-sancti opime saginantur, 472. d.

Fides habet præmium meritorum, 402. a.

Fidei merces est intelligentia, 491. a.

Fidei opera, 196. d. & seq.

Fides per dilectionem operatur, si Deum propter Deum diligit, & proximum propter Deum, 485. c.

Fidei veræ indicium, si non delinquatur; certitudo, si opus fidei exerceat ad justitiam, 503. e. Sine fide nemo adhæret Deo, 473. c. Fides quid de Deo debet

credere, 476. b.
Fidei professio, 879. a. & seq.
Fidei justitia est de meritis non præsumere, 502. b.
Fides potest esse sine amore, 523. c. Fides Christianorum numquam est sine spe & amore, 523. c.
Fides sanctorum veteris testamenti, 1199. d. & seq. Abrahæ, 503. c. & seq. Justi ab initio sæculi crediderunt in Christum venturum, 600. d.
Fides in fine sæculi erit paucorum, 1314.
Fides falsa non fides, sed error appellatur, 538. b.
Fides falsa falsam prætendit spem, ideo non fides, sed error potius; sicut nec spes, sed delusio recte dicitur, 476. a.
Fides a philosophis quomodo impugnata, 1338. a. b.
Fides vera de verbo Domini nihil anxie dubitat, 382. b.
Fidem quomodo susceperunt Angli, 1146. c.
Fides sola discernit naturam sacramenti Eucharistiæ, 387. c.
Fides dilatari jubetur, atque ad immensa progredi, ne finem faciat credendi, 477. c.
Fides proximo servanda est, 482. d.
de Filio Dei homine facto, 1191. a.
per Filium Deus bona nobis tribuit, 1191. c.
Filii parentibus debent reverentiam, 838. d.
Fines possessionum cum funiculo mensurati, 62. c.
Firmamentum unde dicatur, 318. d.
Flagellis Deus fabricat salutem peccatoris, 69. d.
Florus in ecclesia Lugdunensi ab infantia altus, in ea administrationis & prædicationis officium exercet, 668. a. Fuit diaconus, 578. Ejus elogium, 578. An fuerit monachus Trudonianus, 579. Accusat Amalarium in concilio apud Theodonis-villam, 666. a. Ejus opusculum adversus Amalarium, 641. b. & seq. Expositio in canonem missæ, 578.
Folcuini abbatis Laubiensis epitaphium, 964. c.
Fornicatio est aliud a Deo amare, 576. a.
Fornicationis cogitatio ex vana gloria incipit, 108. c.
Fornicationis finis tristitia, 108. d.
Fortitudo Christianorum in Christi victoria, 507. b.
Fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum firma perpessio, 857. c. Fortem te non putes, cum percutis gladio victus vitio, 858. d.
Fridericus episcopus Trajectinus ad Rhenum, 668. Ejus studium in sacram scripturam, 669. a. Ei mittit Rabanus libros suos in Josue, ibid. c.
Fridericus Romanorum imperator, 1283. c.
Frisones ad fidem convertit S. Bonifacius, 669. b.
Fruitio summi boni caritas est, 540. a.
Frui Deo debemus, uti creaturis, 557. a. & seq.
Frui est perfecta dilectione alicui propter ipsum adhærere, 557. c.

G.

Gabriel princeps angelorum, 177. a. b. Præliis præpositus, 286. d.
Galgala interpretatur revelatio, 690. c.
Gaudium triplex, 1241. d.
Genesis unde nomen accepit, 298. c.
Genesis liber a Moïse scriptus, 298. b.
Genesis liber quid describit, 298. c.
Genesis initium discutitur, 79. c.
Gentiles veræ sapientiæ studio nudati, 86. b.
Gentilium philosophia quam inanis & insipiens, 87. a.
Georgius *Havard* dominus *de la Rosiere*, 1465. d.
Gerardus decanus S. Quintini, 1075. a.
SS. Gervasii & Protasii ecclesiam dedicat S. Syrus episcopus Ticinensis, 397. c.
Gezonis abbatis Dertonensis liber de corpore & sanguine Domini, 370.
Girardus monachus Cluniacensis, 1122. b.
Gladius in scriptura tribulationem figurat, 245. a.
Gloria Dei est, ut appareat ipse solus justus & potens, ex quo justificantur omnes per fidem Jesu-Christi, 501. a.
ad Gloriam ut perveniatur, suscipienda ignominia, 64. d.
Gloria de sanguinis genere non appetenda, 806. c. & seq.
ex Gloria vana fornicationis cogitatio incipit, 108. c.
Godescalcus episcopus, 965. a.
Gratia non est nisi sit gratuita, 517. b.
Gratiarum fons Christus, 70. d.
Gratia Dei commendatur, 60. c. Ejus necessitas, 1239. c. Quid operetur in nobis, 1085. b. 1090. c. Tria in nobis operatur, 1091. b. Gratia fideles sumus, & in fide perseveramus, 500. d. Gratiâ Dei fides nobis datur, gratia nutritur, gratia ut in finem usque perseveret, 501. c. Nec velle nec currere habemus sine gratia miserentis Dei, 501. d. Velle gratia concessit, fides vero bonis operibus inhærendo currere viam, quæ Christus est, ministravit, 501. c. Frustra homo laborat, sine Dei adjutorio, 98. b. Gratia deficiente laborare potes, vincere non potes, 449. c. Agnoscat homo, si quid bene vivit, Dei gratia habere, 594. c. Nemo est donis Dei beatus, qui donanti existit ingratus, 594. c. Omnia a Deo habemus, 792. c.
ad Gratiam non solum homines, sed & angeli pertinent, 602. b.
Gratis fide sine operibus justificamur, sed deinceps bonis operibus insistatur, 501. b.
Gratiarum actione incipimus sacrificium corporis Christi, 595. c.
Gratiarum actio post mensam in ecclesia fiat, 164. d.
S. Gregorius vir præcellentissimus & egregius doctor, 414. b. Dulcissimum Spiritus-sancti organum, 998. b. Mauritii filium de fonte suscepit, 885. b. Ejus decreto pontificatum suscepit, ibid. Conversioni Anglorum laborat, 1146. d.
S. Gregorii Nazianzeni liber de Spiritu-sancto, 1128. a.
Guido de filiis Ursi comes Palatinus, 1448. b.
Guillelmus de Campellis invitus factus episcopus Catalaunensis, ex episcopo factus monachus, 1023. b. 1024. c.
Guillelmus Ratus Lantfranci dialogum in Berengarium, & Paschasii librum de corpore & sanguine Domini publicam edit in lucem, 371.
Guillelmus *Grunlesbi* armiger, 1470. b.
Guischardi Stephani de Baschio & Jacobæ Ranucii de Farneto dispensatio matrimonii, 1451. c. & seq.
Gula voluptatis mater, 116. b. Et aliorum etiam vitiorum, ibid. Bonorum omnium est destructio, 117. c.
Guttæ cadivæ remedium, 808. b. & seq.

H.

Hæresium ad repellendum frigus, 921. a.
Hæresum tres causæ, 1266. d.
Hæreticorum figura serpens, 357. d.
Hæretici per statuam Nabucodonosor designati, 278. a. Nudati gratia tegmina mendaciorum quasi folia fici colligunt, 358. c. Eorum proprium est sua mendacia specie veritatis palliare, 645. c. Male interpretantur scripturam, 715. c. Pertinent ad antichristum, 1361. c. Fraudulenter persecuti sunt ecclesiam, 1337. c. c.
Hæreticorum error de futura corporum mutatione, 252. c.
Hæretici Colonienses, 1251.
Haistulphi archiepiscopi precibus scribit Rabanus in Matthæum, 669. d.
Hebdomadarum LXX. Danielis interpretatio, 289. c.
Hebron Enacitarum gentium metropolis, 748. c.
Henricus Wintoniensis episcopus, monachus Cluniacensis, 1121. c.
Henricus VI. Angliæ rex treugas centum annorum cum Ludovico XI. rege Franciæ paciscitur, 1464. a.
Henricus *Colbes* miles, 1470. a.
Henrico Conradi imperatoris filio scripta proverbia Wiponis, 1095. d.
Heredem accipe Dominum, ut te regni sui accipiat consortem, 818. c.
Hereditas Christi pauperes in Deum sperantes, 63. a.
Heribaldus episcopus Autissiodorensis an fuerit stercoranista, 448. c.
Hermon mons & mons Sanir sunt idem, 75. b.
Herodes filius Antipatri, 289. c.
Hetti archiepiscopus Trevirensis, 641. c.
S. Hieronymus divinæ legis interpres, 459. c. Consummatæ scientiæ presbyter, 1128. c. Scripsit contra Jovinianum, Elvidium, & Vigilantium, 1128. c.
Hilarionis sanctitatem dæmones testificantur, 997. d.
Hilariter bonum faciendum est, 953. a.
S. Hilarii episcopi Pictavensis elogium, 55. Omni scientia doctus scripsit contra Arrianos, 1127. d. Ejus psalmorum interpretatio, 56.
Hildebrandi libellus de contemplatione, 1237.
Hildericus abbas Casinensis, 266.
Hircanus sacerdos magnus Judæorum, 289. c.
Homicida factus eremita sanctissimus, 876. c.
Homicidii causa cupiditas, 223. b.
Hominem quam sublimaverit Deus, 1209. d.
Hominem uno verbo Deus creare potuit, 17. a. Quomodo natus ad imaginem & similitudinem Dei, 328. a. & seq. Quomodo immortalis creatus, 329. c. & seq. Quomodo positus in paradiso, ut operaretur & custodiret ipsum, 345. b. Ei subjecit Deus omnia animalia, 5. c. & seq.
Hominis primi peccatum, 5. d. Peccati primi hominis pœna, 6. a. & seq.
Homo attendat quid habeat, quid sit, quid futurus sit, 229. d. In hoc sæculo non est liber a peccato & miseria, 1083. b. In paradiso omnem habuit libertatem, sed in gradu inferiori, 1083. d.
Hominum primæ ætatis qualis fuerit vita, 1029. c.
Hominum omnium una eadem est natura, 806. a. Homines non distant natura, sed voluntate, 806. c.
S. Honoratus Lirinensis abbas & fundator, 145. c.
Honores res sunt informes, quæ ad profectum nihil habent, 115. d.
Horripilatio est horror pilorum, qui ex subito pavore & nimio rubore solet contingere, 801. b.
Hosanna, id est salus in excelsis, 608. b. d.
Hospitalitas sectanda, 171. a. & seq. Quanta virtus sit, 133. b. Christus in hospitibus suscipitur, 135. d. Hospitio qui suscipit episcopum, justus efficitur, 135. a. Per hospitalitatem Abraham, datus est ei Isaac, 135. c. d.
Hostia Deo a nobis offerri non posset, si Christus pro nobis factus hostia non fuisset, 639. c.
Hostia nobis proderit, si nos ipsos fecerimus hostiam, 419. c.
Hugo archiepiscopus Rothomagensis interest funeri Stephani regis Angliæ, 1236. b. & seq. Ejus liber de fide catholica & oratione Dominica, 1212. c. Tractatus de memoria libris tribus distinctus, 1175. Varia ejus opera, ibid. Dialogorum libri Matthæo Albanensi episcopo nuncupati,

nuncupati, 1230. c. Epistola ad Philippum, 1187. a.
Hugo Anglicus monachus Cluniacensis, 1122. b.
Humanæ conditionis origo, 188. c.
Humilitas bonorum omnium fundamentum, 194. c. Custos est virtutum, 505. d. Ea nihil utilius, 984. c. Humilitate itur ad Deum, 985. a. 989. c.
Humilitate itur ad Deum, superbia ad diabolum, 981. c. 1221. c.
Humilitate & obedientia regnum Dei acquirimus, 194. c. Quomodo qui se humiliat exaltabitur, 983. e. 1190. a.
Humilitas ad sublimia erigit, 842. e. 940. b.
Humilitate ascendimus ad mansiones angelicas, 192. c.
Humilitas tota causa reparationis nostræ, 839. e. Sit conjuncta castitati, 840. a.
Humilitas duplex, laudabilis & culpabilis, 751. b. Absque humilitate omnes virtutes non sunt virtutes, sed vitia, 839. Nemo de virtute in vitium prolabitur, nisi ab humilitatis petra in arenam superbiæ contingat saltu vanitatis demutari, 837. b. Esto humilis, si vis benedicere Dominum in omni tempore, 596. e.
Humilitas in mysterio corporis & sanguinis Christi commendatur, 579. b.
Humilitatis scala a S. Benedicto erecta octo beatitudines evangelicas complectitur, 1017. c.
Humilitas & patientia in monacho commendantur, 143. d.
Hypocrisis labes putrida late serpit, 1280. e.
Hypocritæ simplicitatem exterius exhibent, subtilitate duplicitatis interius callent, 1357. b.
Hypocritæ paratiores mori quam corrigi, quia ab imperitis æstimantur sancti, 1356. b. & seq.
Hypocrita carecto comparatur, 1356. c.
Hyppolitus scripsit de Paschate adversus omnes hæreses, 1129. b.

I.

JAcob dictus Dominum videns, 43. a. e. Septuaginta quinque animas in Ægyptum ducit, 53. c. e.
Jacobæ Ranucii de Farneto & Guichardi Stephani de Baschio dispensatio matrimonii, 1451. e.
Jacobus filius Bussæ de Bitecio vir nobilis, 1448. a.
Jacobus de Mercatoribus de Gersana, vir nobilis, 1454. c.
Jacobus Mordeffi de Luca comes Vallis-Mareni, 84.
Jacobi Sirmondi editio libri Paschasii de corpore & sanguine Domini, 374.
Jadus sacerdos magnus, 288. c.
Jactantia rerum gestarum damnatur, 723. b. c.
Japhet interpretatur latitudo, 683. a.
Jaspar comes Pembrochiæ, 1469. d.
Idololatrarum insania, 1161. e.
Idololatriam Deus punit, 178. d. e.
Idolorum servitus est cupiditas, 221. d.
Jejunium commendatur, 198. c. Res sancta est, opus cœleste, quod qui sancte agit, Deo jungitur & spiritualis efficitur, 214. d. Apud Deum magnam meretur indulgentiam peccatorum, 212. d. Vitiorum munitiones diruit, 117. d. Orationi adjiciatur, 248. a.
Jejunia primorum Christianorum, 1007. e. 1008. a.
Jejunium quadraginta dierum ante resurrectionem Domini, 257. a. Observandum, 212. a. & seq. Aliis jejuniis magis venerandum, 213. e.
Cur jejunaverunt Moyses, Elias & Dominus in eremo, 256. e.
Jejunavit Moyses dies octoginta, 94. a.
Jejunia monachorum, 1046. b.
Jejunium in monasterio etiam tempore paschali, 162. b. Apud monachos, 165. c. Jejunium an debeant monachi servare die Dominico, 1039. e. & seq.
Jejunium quale esse debeat, 165. a. 193. c.
Jejunium perfectum quodnam, 212. e. Quodnam Deo gratum, 989. c.
Jejunium spirituale, 256. a.
Jejuni communicant fideles, 447. d. Et quare, 444. b.
Jeremiam vere fuisse prophetam, 1167. c. & seq. 1180. c.
Jerico mundi gerit figuram, 702. a.
Jerosolymam capit C. Pompeius dux Romani exercitus, 289. c.
Jerusalem significat civitatem pacis, 343. e.
Jesus nomen super omne nomen, 673. c.
Jesus filius Josedec sacerdos magnus, 287. e. 288. a.
Igne cruciabuntur damnati, 1443. e.
Ignominia suscipienda, ut perveniatur ad gloriam, 64. d.
Ignorans nihil potest homo facere, 314. a.
Ildebrandinus comes Palatinus, 1448. b.
Ildebrandus de filiis Ursi comes Palatinus, 1446. e.
Immortalis quomodo creatus sit homo, 329. d. e. Fuit immortalis & mortalis, 330. a.
Immortalitas quid aliud quam vita æterna, 646. d.
Imperando male summum amittitur imperium, 858. a.
Imperfecti clementer sunt ferendi, 103. c.
Impium est per totam vitam terrena curare, 221. a.
Incarnationis mysterium, 1093. e. 1191. a. Ejus historia, 189. a. & seq.
Incarnatio non præjudicat æternitati Filii, 1192. a.
Inducere in tentationem Deus quomodo dicitur, 1118. c.
Indulgere peccatis in se quam prosit, 146. c. Qui peccanti in Deum facile indulgemus, peccanti in nos difficilius veniam damus, 146. d.
Infernus, 206. d. e. In inferno fuere justi ante Christi adventum, sed non ardebant, 216. c. In inferno horis XXXVI. fuit Christus, 316. b.
Infirmitas sæpe a Deo datur pro munere, 955. e. Infirmitas longa ad vitam sæpe reformat, 959. d. Cum gaudio toleranda est, 933. d.
Infirmis solitariis Deus providit, 98. e.
Infructuosa nulla arbor, 321. c.
Ingrati a Deo reprobantur, 596. b.
Iniquitatis remedium confessio, 68. a.
Iniquitatem inter & peccatum distinctio, 67. b. & seq.
Injuriarum remissio commendatur, 592. d. e. 1117. b. & seq. Deo similem facit, 896. b.
Innocentio II. papæ obitus Stephani regis Angliæ significatur, 1236. b.
Inobedientiæ exemplum uxor Loth, 115. a.
Inopibus omnibus misericordia debetur, sed major his qui ex nobilibus & divitibus pauperes facti sunt, 968. d. Vide Pauper.
Intelligentia est merces fidei, 491. a.
Intelligere est mentis oculo videre, 487. b.
Invectio in abbatem Joachim, 1423. e.
Invidia est odium felicitatis alienæ, 356. c. Via Caïn, 1356. b. Primum cupiditatis virgultum, 222. c. Sequitur superbiam, 356. c.
Invocare Deum est se & omnia Deo assignare, 1199. d.
Joachim sacerdos magnus Judæorum, 288. b.
Joachim abbas, 1274. c. Ejus doctrina pestifera, 1323. c. & seq. Tertium dogmatizabat futurum testamentum, 1313. a. b. 1325. c. Ejus argumenta refelluntur, 1313. b. 1325. d. 1327. b. & seq. Ejus error de sacramento altaris, 1333. a. Scripsit contra Petrum Lombardum de Trinitate, 1333. c. Dicebat regulam S. Benedicti secundum litteram esse spiritum & vitam, secundum evangelium non esse vitam, sed litteram, 1333. c. Patres novi testamenti vocabat animales, 1331. b. Humanas traditiones præferebat evangelio & Dei mandato, 1333. d. Ejus prophetia non est impleta, 1333. e. 1334. b.
Job in laude Dei sui quasi in rerum copia quiescebat, 597. a. Deum non perdidit, quamvis perdiderit quod Deus dederat, 597. b.
Jobus Guastius Lutheranus primus edit librum Paschasii Radberti de corpore & & sanguine Domini, illumque depravat, 371.
Johannes interpretatur columba, 252. a.
Johannes sacerdos magnus Judæorum, 289. a.
Johannes monachus Cluniacensis, 1122. c.
Johannes Ulimmerus prior canonicorum regularium Lovaniensium, librum Paschasii Radberti typis mandat, 374.
Johannes *de Foix*, comes *de Kendale*, 1469. e.
Johannes Mortoniæ, custos privati sigilli regis Angliæ, 1469. e.
Jonæ ad Ninivitas missio vocationem gentium præsignavit, 1177. d.
Jordanis messis tempore magis impletur quam hyeme, 687. a.
Josephus septemdecim annorum a fratribus venditus, 35. b. e. A fratribus missus in paludem, 46. c. Venditus Petafretæ, 47. b. Arabum vicinos colles fratribus incolendos offert, 53. a. Ejus ossa ex Ægypto reportata quando sepulta, 784. e.
S. Joseph faber ferrarius fuit, 169. a.
Joseph & Maria quomodo mirari dicantur, quæ de Christo dicebantur, 243. b.
Josephus Maria Suarezius episcopus Vasionensis edit opera S. Nili, 85.
Josleni episcopi Suessionensis elogium, 1101. Ejus expositio in symbolum & orationem dominicam, 1101. a.
Josue dictus est Auses, 674. e. Jesum Christum præfiguravit, 670. a. Ejus liber non tam gesta filii Nave indicat, quam nobis Domini Jesu depingit sacramenta, 675. a. Urbes quas cepit quid significent, 738. a. & seq. Ejus sepulcrum, 754. a.
Joviniani hæresis, 1128. c.
Iræ impetus regendi sunt judicio rationis, 116. c.
S. Ireneus episcopus Lugdunensis, 1131. c.
Isaac natus Abrahæ propter ejus hospitalitatem, 135. c. d.
Isaac Christi figura, 1191. d.
Isaaco abbati Corbeiæ-veteris succedit Paschasius Radbertus, 373. b.
Isaiam vere fuisse prophetam demonstratur, 1166. d. & seq. 1180. b.
Isidori Clarii breve elogium, 84. Ejus epistola præmissa versioni tractatus S. Nili de Christiana philosophia, 85. a.
Israëlitæ sub Josue non omnes vicerunt, 734. d. e.
Italia a Longobardis invasa, nullus episcopus ad Mauricium transit, 885. b.
Judæi a Deo legem acceperunt, 1140. c. Corpus Christi in figura comederunt, 395. c. & seq.
Judæorum carnalium rex Christus non fuit, 59. b.
Judæi laborum suorum præmio frustrati, qui præmiorum distributorem occiderunt, 87. d.
Judæi de otio sabbati gloriantur, 331. d.
Judæi sunt crudeles, 735. d.
Judæi facti tributarii Romanorum, 289. c.
Judæos aliqua sibi objicientes libenter audiunt Christiani, sapienter eis respondent, 1145. c.
Judæi post Christi passionem spatium 42. annorum habuerunt pœnitendi, 1439. c.
Judæus indigne sumens Eucharistiam punitur, 398. a. & seq.
Judæus infans qui ad communionem corporis Christi accesserat, in fornace ignis ardentis illæsus permanet, 414. c. & seq.

Judæus carnem & sanguinem in Eucharistia videns convertitur, 434. b.
Judæi recepturi sunt antichristum, 1292. a. 1391. d. & seq.
Judæorum futura conversio, 248. c.
Judæi multi conversi, 399. a.
Judæorum philosophia, 87. c.
Judas Machabæus templum purgat, 288. c.
Judas figura male communicantium, 443. c. Ante communionem Domini clementiam experiebatur, post indignam communionem invasit eum diabolus, 405. a. Ejus impœnitentia, 1196. d.
Judex dicitur quasi jus dicens: jus vero dicere est juste judicare, 802. c. Illius solius est judicare de alterius peccato, qui non habet unde judicetur de suo, 801. c.
Judicum necessitas, 802. a. Quales esse debeant, 206. a. b. Eorum periculum, 802. b. Quæ vitare debeant vitia, 802. c. Juste cum judicas, cave ne præmium exigas aut obsequium, 803. b. Judices constitue qui oderint avaritiam, 802. c. Judices pervertit cupiditas, 224. d. Judices vendentes justitiam increpantur, 225. c.
Judicium extremum, 199. a. 1211. b. 1437. d. & seq. Mente versandum, 149. d.
Judicii extremi descriptio, 10. b. & seq. In eo quatuor futuri sunt ordines, 891. a. Qui salvandi, 892. b.
Jugum Dei bonum est ferre in juventute, 845. c. & seq.
Jugum Dei non conterit cervicem, sed ornat, 845. c.
Julianus Panisserius cancellarius Januensis, 1454. c.
Julianus apostata, 1376. e.
Justificationis apud Deum initium fides, 504. a.
Justificamur his duobus, volendo ex gratia, currendo per fidem, 502. d.
Justificantur, qui seipsos accusant, 983. b.
Justinus martyr scripsit adversus gentes & Judæos, 1131. d. e.
Justitia est habitus animi pro communi utilitate servatus, sua unicuique reddens, 857. b.
Justitia prima, mala non agere; justitia secunda, bona facere, 191. c.
Justitia stant regna, injustitia ruunt, 227. a.
Justitiam quinam sitiunt, 195. b.
Justitia fidei est de meritis non præsumere, 502. b.
Justus est qui jus custodit, 857. d.
Justorum corda vasa sunt regalia, 249. e.
Justi aliquando appellati angeli, 23. e.
Justus qui vult esse, oportet ut gratiâ Dei liberari velit, 61. c. Justus es? cogita te non esse, ut possis veraciter esse, 939. a. & seq.
Justum qui recipit, mercedem justi recipit, 134. a.
Justi defuncti ante Christum fuerunt in inferno, sed non ardebant, 216. c.
Juvenci presbyteri elogium, 14. Quando scripsit in evangelium, 15. Ejus liber in Genesim, 16. a.
Juvencus lapsus memoria, 26. e.
Juvenalis martyris sepulcrum, 416. e.
Juventutis vitia, 841. b.

L.

Labor manuum, 162. b.
Labor manuum commendatur, 162. b. 168. e. 174. a. 817. b. & seq. 1064. b.
Labor psalmorum cantu sociandus, 169. e.
Labore manuum vitam sustentabant omnes apostoli, 169. b. Excusantur qui manibus non laborant, 1065. a.
Lachis civitas ecclesiam significat, 1307. e.
Lacrymæ commendantur, 953. b. Lacrymarum gratia cum magno gemitu a Deo quærenda est, 753. b. Per lacrymas pervenitur ad faciem Dei, 71. a. Si virtutum summa operari non possumus, ipse Deus nostro gaudet lamento, 853. c.
Lætitia qualis esse debeat, 952. c. 953. d.
Lætitiæ munus in castitate, 82. e.
Lanfranci dialogus adversus Berengarium, 372.
Latro in cruce, ex latrone fit confessor, ex homicida martyr, 850. e.
Laubiensis abbatis Folcuini epitaphium, 964. e.
Laus humana respuenda, 171. d.
Lazarus resuscitatus, factus episcopus rexit ecclesiam Hierosolymitanam, 1109. b.
Lazarus non frustra ante divitis januam jacuit, 923. c.
Lectio commendatur, 168. c. Qui sacros codices pie legit, Deum invenit, 1212. e.
Leænæ leonibus ferociores, 281. e.
S. Leo vir magnus fide, scientia, eloquio, scripsit contra Eutychianam hæresim, 1128. d.
Legem a Deo soli Christiani & Judæi acceperunt, 1141. c.
Lex Judaica & Christiana cum ex Deo sit, tota sancta est & tenenda, 1148. d. & seq.
Lex Christiana lites & cædes damnat, 1143. e.
Legis Judaicæ plura fuisse apud Judæos exemplaria, 1152. c. Si falsata fuisset, impossibile esset eam ab omnibus recipi, nemine adversante, 1154. e.
Lex Mosaica duplex, 255. c.
Lex per Moisis nomen intelligitur, 675. b.
Lia activæ vitæ figura, 271. d.
Libanus interpretatur candidatio, 849 e.
Liberi arbitrii definitio, 1077. d. 1078. c. Penes ipsum est meritum aut demeritum, ibid. c. Liberum ideo dicitur arbitrium, quod sive in bono, sive in malo liberam faciat voluntatem, 1080. a. Liberum arbitrium non ita dictum, quod æqua potestate & facilitate inter bonum & malum discurrat, 1079. c. Ad liberum arbitrium non pertinet posse, sed velle, 1085. a.
Libertas triplex, 1079. b. 1082. c. A necessitate, ibid. c. A miseria, 1081. e. A peccato, 1081. b. In tribus libertatibus continetur creatoris imago & similitudo, 1086. e.
Liberum arbitrium quid agat in homine, 1090. a.
Liberum arbitrium angeli vel hominis, nisi cum Deo steterit, evitare mala, operari bona minime poterit, 1206. c.
Liberum arbitrium an habeant peccatores, 1206. b. An illud perdiderit homo per peccatum, 1084. e.
Libertas arbitrii non tollitur, 1088. e. Homo male utens libero arbitrio, se perdidit & ipsum. Non est amissa libertas a necessitate, sed libertas a peccato, 1081. b.
Libertas a peccato quorum sit, 1081. c. Christus liber a peccato & miseria, 1082. b. Item sancti post mortem, 1082. c. Libero arbitrio nec Deus caret, nec diabolus, 1079. e.
Liberum arbitrium in Deo nihil est aliud, nisi voluntas divina, quæ non necessitate, sed sola bonitate omnia facit, 1080. e. Deus permanet libere bonus, 1079. d.
Lilium animam curis liberam significat, 121. a.
Limus aquæ & terræ commixtio est, 336. b.
Lingonensis episcopus Albaricus, 641. c.
Lirinensium monachorum sanctitas, 145. d. e.
Litaniæ majoris evangelium, 644. a.
Lites damnat lex Christiana, 1143. e.
in Liturgia sacra ordo observatus, 589.
Locotheta comes Palatii, 801. e.
Lucas & Matthæus conciliantur de transfigurationis Domini tempore, 250. d.
Lucianus evangelium falsat, 648. e.
Luctaturis levior dabatur cibus, 947. e.
Ludovicus XI. rex Francorum treugas cum Henrico VI. Angliæ rege init ad annos centum, 664. a.
Lugentes peccata consolabuntur, 195. a.
Lucem quomodo fecit Deus, 311. e.
Luxuriæ variæ causæ, 837. d.
Luxuria corpus debilitat, 947. e.

M.

Macedonius hæreticus, 1338. d. Ejus hæresis, 1126. d. Et mendacium de Spiritu-sancto, 485. b.
Magister discipulo debet disciplinam, 813. d. 814. a.
Magistri jussa discutere, proprio est obstare profectui, 109. c.
Magistri periculum ex discipuli negligentia, 107. a.
Magister plus studeat amari quam timeri, 814. b.
Magisterium ambientes solitarii damnantur, 99. e.
Magorum Christi inquisitio, inventio & adoratio, 1237. a. & seq.
Magi creatores non sunt dicendi, quia ranas fecerunt, 795. a.
Mahomet multa ex Judaïcis & Christianorum scriptis accepit; cur non omnia, 1147. c. Non fuit propheta, sed raptor, homicida, proditor, &c. 1123. c. Sibi ipsi in suo Alchorano contrarius, 1123. d. e. 1124. a. 1164. a. 1165. c. 1171. c. 1183. b. & seq. Suo testimonio probatur eum non fuisse prophetam, 1174. c. Nihil umquam prædixit, 1172. c. Nec fecit miracula, 1173. e.
Mahumetana lex falsa, 1138. c. Quam horrenda contineat, 1124. e. Et ecclesiæ quam noxia, 1130. a. Quam propagata fuerit, ibid. b. Ejus errores an dici hæreses debeant, 1130. c.
Mahomet cur suos disputare noluerit cum legem habentibus, 1142. c. Non ratione, sed gladio uti voluit, 1142. e.
Mahumet successores, 1124. b.
Mahometi sectatores quædam ex evangelio suscipiunt, quædam respuunt, 1131. b. Psalterium recipiunt, 1135. e. Prophetam suum legem a Deo accepisse fingunt, 1136. b. Illam impugnare volentes nolunt audire, 1136. d. Contendunt scripturas sacras fuisse corruptas, 1149. c. Refelluntur, ibid. e. Eorum deliramenta de falsatis Christianorum libris, 1156. e. Refutantur, 1157. c. Quibus ineptiis probent legem Judaïcam periisse, 1151. c. Refelluntur, ibid. e. Hebræorum prophetas debent audire, 1181. c. Aut ex iis nihil debent inserere Alchorano suo, 1182. a. Mahumetanos potuisse falli multis exemplis monstratur, 1162. c. & seq. Illorum somnia de modo acceptæ a Deo legis, 1163. d. e.
Mahumetanorum amore in Alchoranum scribit Petrus Venerabilis, 1134. e. Eosque ad salutem invitat, 1134. d.
Maledictum in sacra scriptura duobus modis sumitur, 363. c.
Malitia nostra Deum inebriat, 287. b.
Malum natura non est, sed privatio boni, 331. b. 1205. a. 1227. d. e. Mala nec ex Deo, nec per Deum, nec in Deo, 1204. e. Mala vera sunt, quæ saluti & paci sunt contraria, 637. b. A malis præteritis, præsentibus & futuris ut liberemur petendum, 637. a. & seq. Malis nostris Deus bene utitur, quoniam ipse est summa bonitas, 564. a. 1196. c.
Mali sibi mali sunt, sed bonis utiles, 1197. a. Mali nec mala facere possunt sine Deo, 1223. c. Mali bona ministrando se tantum lædunt, 1262. a.
Mali bonis permixti, 754. c. Malos non cognoscere periculosum est, 1332. c. Malis nullus tutus est locus, 380. c.
Mandatorum observatio adimpletio est caritatis, 566. a.
Manichæi hæretici, 648. a. 1126. b. 1338. d. Male interpretantur scripturas, 303. b. Dum vituperant scripturas, etiam res apertas non intelligunt, 308. b. d. Eorum error de luce, 304. d. 305. c. De aqua, 305. e. Dicunt animam esse Dei

substantiam, in hoc deteriores philosophis, 338. a. b.
Manna in deserto figura corporis Christi, 394. d.
Manna figura Eucharistiæ, 442. a. b.
Mansuetudini datur terra viventium, 194. c.
Marcellus Ancyranus scripsit contra Arrianos, 1127. c.
Marcion hæreticus, 723. e.
Margarita Angliæ regina treugas annorum centum tractat cum Ludovico rege Francorum pro Henrico rege viro suo, 1464. a. & seq.
Maria ecclesiæ typus, 245. e. Eodem modo concepta quo ejus filius Jesus-Christus, 351. e. Ab ejus nativitate nullum peccatum contraxit, 236. d. Quomodo concepit de Spiritu-sancto, 1106. d. Vere Dei genitrix credenda est, 616. d.
Maria cur absconderit nativitatis Christi sacramentum, 237. b. Quomodo mirari dicitur ea quæ de Christo dicebantur, 243. b. An Christo filio suo semper adhæserit corporaliter, 274. c. & seq.
Maria humanas omnes laudes exsuperat, 267. b. Nulla virtus ei defuit, 267. c. Mariæ intemerata virginitas ante & post partum, 1107. a. Ejus prudentia, 241. a.
Mariæ sunt filii omnes, quos gratia consociat Christo, 241. b.
Maria purgatione non egebat, 236. d.
Maria peccatrix castissima meretrix, 843. c. Ejus conversio, ibid.
Maria & Martha contemplativam & activam vitam significant, 271. a. & seq.
Mariæ contemplatio & Marthæ operatio, 844. b. & seq.
Maria soror Aaron non genuit Christum, 174. a.
Maria appellantur congregationes aquarum, 320. d.
Marinus S. Mariæ-novæ cardinalis, 1451. a.
Marsi in Italia fuerunt incantatores serpentum, 793. b.
Marsorum genus est in Africa, cui non nocent serpentes, 793. a.
S. Martinus par Apostolis, 997. e. Ab eo solo tota illuminatur ecclesia, 998. a. Ab eo fere tota Gallia conversa, 998. a. Factus episcopus habitavit cum monachis, 1025. a. b.
de Martyrum morte lætari debemus, 154. c.
Matrimonium procreandorum liberorum causa, 913. c.
Matrimonii dispensatio, 1451. b.
Materia informis ex nihilo, & ex ea omnia, 306. d.
Materia informis multis nominibus designata, 307. a. & seq.
Matthæus & Lucas conciliantur de transfigurationis Domini tempore, 250. d.
Matthæus Albanensis episcopus, 1230. c.
Matusalamus quot annis vixerit, 22. b. e.
Matutinorum officium cur incipiente luce celebrandum, 163. b.
S. Maximi episcopi Taurinensis homiliæ, 133. a.
Maximus philosophus & episcopus scripsit contra Arrianos, 1127. e.
Mediator hominum Christus, 585. a.
Medicus qualis esse debeat, 792. a.
Mediolanensium quæstionibus pulsatur Ratherius, 966. a.
Melchisedech sacerdos Dei excelsi, 580. a.
Memoriæ elogium, 1188. b.
Memoria scientiæ clavis, 1187. d.
Mendacium an possit esse justum, 703. b.
ad Mendicos monita, 824. c.
Merari interpretatur amaricans, 1067. c.
Mercenarius ut se debet gerere, 809. e.
Mercenarii opus fraudare quantum sit malum, 805. c.
Meretrices quamplures conversæ, 884. b.
Merigotus Bremundi vir nobilis, & duorum castrorum custos & capitaneus, 1453. a.
Messis tempore veris in Palæstina, 687. a.
Methodius episcopus Tyri, 1132. a.
S. Michaël & angeli ejus antichristum vincent, 1401. e.
Miles qualis esse debeat, 790. d.
Miliciades scripsit contra gentes, 1132. a.
Militantes Christo, de prælio debent incolumes redire, 723. a.
Militia dicuntur angelici spiritus, 607. d.
Millenariorum error & fabula, 450. c.
Ministri sacri non debent habere uxores, 1002. b. c.
Miraculum nullum majus prophetia, 1174. c.
Miraculis crediderunt a Deo inspirati homines, 1174. d.
Miracula per magos cur fieri Deus permittit, 794. c. & seq.
Miracula ante antichristi adventum subtrahentur, 1305. c. Et transibit potestas signorum ad eum, 1312. a. & seq.
Misericordia Dei in peccatores, 1194. b. Quanta, 1246. d. Excedit omnia delicta, 536. d. Ideo admiranda, 1208. e. Misericordia non sine justitia est, nec justitia sine misericordia, 541. d.
Misericordiæ consequendæ modus, 944. b.
Misericordia in proximum initium est caritatis, 561. b. & seq.
Misericordiæ operibus pervenitur ad Deum, 845. a.
Misericordes misericordiàm consequentur, 195. c.
Missa nihil aliud intelligitur quam dimissio, 641. a.
Missa catechumenorum post evangelium, 641. a.
ante Missam oratio, 465. d. & seq.
Missa mal. sacerdotis sancta est, 1257. a.
In Missa ad verba sacerdotis cæli aperiuntur, 626. a. In sacrificio corporis & sanguinis Domini nihil a bono majus, nihil a malo minus conficitur, 1258. b. & seq.
Missam fere omnis ecclesia oratione concludit, 589. a.
Missam quotidie celebrat Cassius episcopus, 416. b.
Missa presbyteri concubinarii non audienda, 1002. c. 1261. a. 1262. b.
Mixtum an possint sumere lector & servitor mensæ in quadragesima, 1039. b.
Monachorum vita & regula evangelio & dignitati apostolorum æquiparata, 973. d.
Monachi definitio, 1000. e.
Monachorum figuræ in veteri testamento, 1035. a. & seq. Ecclesia incœpit a vita monachorum, 1007. a. & seq. 1008. c. Monachos odit mundus, elegit Deus, 999. c. d. Sunt discipuli Christi, 990. a. 991. b. Monachi & clerici duo populi oculi, 972. b.
Monachum facit aut paterna devotio, aut propria professio, 158. Monachorum est pœnitere & latere sub modio, 977. d. 995. e.
Monachi habitu & tonsura sunt despicabiles, 977. d.
Monastica vestis est vestis apostolorum, 1226. a.
Monachorum cibi quales esse debeant, 165. d. e. Sint viles, 164. c. Eorum jejunia, 1046. b. His non præscriptum jejunium Dominicis festisque diebùs, 1040. a.
Monachorum perfectio, 977. a. Quanta caritas, 1047. b.
Monachis data monita, 936. d. Orationi & contemplationi vacare debent, 1048. b. Exemplo Christi desertum petunt, 1047. d. Quia monachum solitudo facit, non publicum, 1034. d. Ab hominibus remoti satis laudari non possunt, 1044. c. & seq. Figuræ eorum in scripturis, 1045. a. Eorum laus est si diu in claustro fuerint, 1065. b. Divitias debent contemnere, 92. a. Quia nolunt aliquid in mundo habere, jure cum Deo principantur & judicant mundum, 859. e.
Monachi sectentur humilitatem, 1048. e. Debent esse omnium humiliores, 985. a. b. Fugiant sæcularium consortia, 936. e. A sæcularibus rebus debent abstinere, 1036. c. Sæculo renuntiantes, cognationis suæ debent oblivisci, 110. c. In urbibus morantes quam errent, 90. d. & seq. Difficile sanantur, 91. d. Monachi nomen an conveniat habitantibus in urbibus, 1034. c. De monachis qui sæcularia tractant, 1042. e. & seq.
Monachis peccata etiam minima vitanda, 146. a. & seq. Monachus numquam fuit qui retrocedit, 991. a. Retro respicientes condemnantur, 89. c. & seq. Contemtui habentur, 90. b. & seq. Monachi sæculares facti vel ex abundantia, aut ex penuria, 1049. a. Quam lugendi perversi monachi, 147. b. Monachi boni non debent extolli, nec mali desperare, 147. e.
Monachis prædicare non licitum, 1303. e.
Monachi propter vilitatem vestium non debent arceri a sacris ministeriis, 199. e.
Monachi possunt baptizare & prædicare, 999. a. Converterunt pene medium orbem, 997. c. Omnia munia ecclesiastica possunt obire, 970. Fieri possunt episcopi, 1024. c.
Monachus nullus fiat ut perveniat ad abbatis dignitatem, 1003. a.
Monachus si fiat canonicus, pro apostata habetur, 1024. d. e.
Monachis cur datæ decimæ, 1037. d. & seq.
Monastica regula cum apostolica concordat, 10.
Monastica vita vere apostolica, 1003. a.
Monasticam vitam duxerunt apostoli, 1101. a. & seq. 1002. a. 1100. e. & seq.
Monastica vita est vita certaminis, 142. d.
Monasticæ vitæ propria, 143. b.
Monastica professio peccata remittit, 149. a. e.
Monasticam vitam possunt amplecti canonici regulares, 1023. b. d.
Monasticam vitam laudavit S. Augustinus, 1002. e.
Mons Sanir & mons Hermon idem sunt, 75. b.
Montis-Flasconis episcopus Petrus, 1451. b.
Mora sæpe est causa pœnitudinis, 110. b.
Morientium contra faciem extensum linteum, 417. e.
Mors animæ peccatum, 316. a.
Mors est vitæ privatio, 346. b.
Mortes quatuor in scriptura sancta, 345. d.
Mors bona, mors non est, sed natalis; mors mala est mors immortalis, defectus indeficiens, perditio semper manens, &c. 850. a.
Mortis timor de pœna peccati est, 512. a.
Mori time, si potes non mori, 925. a.
Morte adveniente nihil homini remanet eorum quæ cumulaverat, 230. a. & seq.
Mortis memoria salubris, 149. d.
Mortis memoria commendatur, 850. c.
per Mortem ingredimur vitam, 451. b. Finis vitæ sanctis dedit initium vivendi, 154. e.
Mortem extinguamus moriendo peccatis, 151. a.
Mortem languenti, qui cum potuit, non abstulit, inflixit, 900. e.
pro Mortuis oratio, 628. e. & seq. 630. c.
Mortui pietate viventium relevantur, 1264. b. Eis prosunt sacramenta a malis presbyteris oblata, 1263. e.
Mortui an agnoscant ea quæ circa suos aguntur, 1264. a. & seq.
Mortificationem electorum significat oblatio facta in templo pro Christo, 239. b.
Moyses dicitur lex, 732. e.
Moyses auctor libri Genesis, 298. b. Vere fuit propheta, 1164. d. & seq. Jejunavit dies octoginta, 94. a. Defunctus ut famulus Domini & Deo placens, 676. e.
Moyses & Elias cur apparuerint in Domini transfiguratione, 255. a.
Mundeburdis quid sit, 890. b.
Mundi corde Deum videbunt, 195. d.

Mundi figuram gerit Jerico, 702. a.
Mundi spiritus, spiritus superbiæ, 595. a.
Mundi contemtus, 1238. d. 1239. d. Cum mundo nihil fit nobis commune, 1223. a.
Mundus in scripturis appellatur cœlum & terra, 323. c.
Munera obcæcant etiam sapientes, 218. a. Munera non debent accipere judices, 225. d. Accipientes damnabuntur, 225. e. Munera etiam a divitibus non accipiant judices, 226. d.
Mutare in melius propositum non est levitas, 930. e.

N.

NAbucodonosor quas tenuerit provincias, 279. b. Ejus somnium quo contigerit anno, 278. a. Quæ regna viderit in visione, 277. b.
Naphta quid, 279. b.
Nativitas Christi jure dicitur sacramentum, 390. a.
Natura rerum omnium voluntate Dei condita est, 382. b.
Necessaria non desunt virtutem sectanti, 93. e. Quæ vitæ necessaria, 96. c.
Necessitas ubi est, nec voluntas nec libertas, aut meritum reperiuntur, 1078. b.
Negligere unicum non minus quam odisse, 900. c.
Negotiator quam difficile exerceat officium, 799. e. Perjuriis & mendaciis est obnoxius, 801. a. Ei avaritia vitanda, ibid. c. Debet eleemosynas facere, 800. a.
Nescire Dei reprobare est, 596. d.
Nehemias propheta, 288. b.
Nestorius hæreticus, 647. e. 1338. d. Ejus hæresis, 1127. a. 1228. c. Error de Christo, 180. b.
Nicolaus patriarcha Aquilegiensis imperatoris in Tuscia vicarius, 1445. e.
Nicolaus Mameratus fraudem Guastii Lutherani in edendo Paschasii Radberti librum detegit, 372.
Nicolai Oremii episcopi Lexoviensis liber de antichristo, 1271. Varia alia opera edidit, ibid. Quando scripserit librum suum de antichristo, 1324. e. Opera sua subjicit correctioni S. R. E. 1446. a.
S. Nili monachi tractatus de Christiana philosophia, 84. b.
S. Niniæ episcopi & confessoris corpus, 436. e. 437. a.
Ninus rex Assyriorum, 1285. d.
Noë filii fuere fabri ferrarii, 22. c.
Noë ridebant impii, 1432. d.
Novi testamenti gratiam exprimit nubes lucida in transfiguratione apparens, 263. c.
Nox est lucis absentia, 314. e. 323. c.
Nocte ter surgendum est, 165. a.
Nudus terrenorum curis difficile a diabolo capitur, 120. e.
Numerus senarius perfectus est, 315. e. 1230. d.
Nuptiæ sunt laudabiles, 830. b.
Nuptiæ legitimæ non sunt peccatum, 329. b.
Nuptiarum bona, 831. a. Carnis concupiscentia non est nuptiis imputanda, sed toleranda, 831. b.

O.

OBedientia ad Deum ascendimus, 190. b.
Oblatio pro Christo facta passionis ejus figura, 239. a.
Oblatio sacra cur quotidie immoletur, 409. a. & seq.
Oblationes ad Eucharistiam consecrandam singulis diebus Dominicis factæ, 434. c.
Oblatio ex rapina Deo non grata, 234. a. Sed nec illa cui deest vita immaculata, 214. c., 791. c.
Oblati in monasterio pueri non poterant inde exire, 159. c.
Obduratio alto Dei fit judicio, 734. a.
Occidit qui perituro non succurrit cum possit, 811. c. 900. c.
Offerentium nomina in canone nominantur, 613. d.
Oliveti in monte destruetur antichristus, 1437. b. & seq.
Officia divina cur certis horis dicuntur, 163. c. & seq.
Omnipotentia cur Patri attributa, 1104. e.
Onias sacerdos magnus, 288. c. d. e.
Opes sunt virtutis impedimenta, 121. c.
Optatus Milevitanus scripsit contra Donatistas, 1128. b.
Oratio cordis clamat ad Dominum, 634. b.
Oratio commendatur, 167. d. 252. e. 1097. b. Ejus efficacia, 167. e. Efficatior est cum omnes pro omnibus, quam singuli pro se solis orant, 1114. a. Ad eam necessaria solitudo, 253. c. Ei vacare debent monachi, 1048. b. Quomodo orandum & quid orandum, 160. a. 1112. b. c. Attentio in oratione commendatur, 592. d. e. Vix fieri potest ut perfecte oret qui exterioribus occupatur, 1064. c.
Oratio ante missam, 465. d. & seq. Cur ecclesiæ preces ad solum Patrem diriguntur, 604. a. & seq. Oramus Deum Patrem per Filium, 1191. c.
Orationes per Christum ad Deum ascendunt, & per eum Dei dona descendunt, 613. b. Deus pro nobis orare dicitur, quod nos facit orare, 609. c. Orare debemus pro regibus, ut tranquillam vitam agamus, 869. e.
Oratio pro defunctis, 628. e. Ex traditione apostolica, 630. e.
Orationi addatur & jejunium, 248. a. Christus imminente ejus passione sæpius & prolixius orabat, 253. d.
Orationis Dominicæ brevis explicatio, 634. d. & seq. 1111. d. 1219. e. Verbis est brevis, longa sententiis, 1111. d. Commendatur, 198. b. Orationis Dominicæ petitiones aliæ ad præsentem, aliæ ad futuram vitam pertinent, 1112. e. Oratione Dominica Eucharistiæ benedictionem fere universa ecclesia concludit, 589. a.
Ordo in Dei cultu servandus, 105. c.
Ordinis Romani auctoritas, 645. c.
Ordines sacri non reiterantur, 430. a.
Ornatum sibi invicem præstant creaturæ, 300. d. & seq.
Osculum pacis ante communionem, 1116. b. Ex traditione apostolica, 640. a.
Otiositas inimica est animæ, 817. d.

P.

PAchomii regula, 1016. b.
Pacificus minime esse probatur, cujus corpus spiritui reluctatur, 1020. b.
Pacifici filii Dei vocantur, 196. a.
Paderbornensis episcopus Bathuradus, 470.
Pœna peccati nos semper comitatur in hac vita, 1081. a.
Pœnitentia secunda post naufragium tabula, 461. a. Commendatur, 150. d. 1209. b. Eam omnes debent agere, 996. b. Nec differenda, 150. c. & seq. Ad pœnitentiam Deus revocat peccatores, 360. a. Deus pius est ad ignoscendum, si non fuerimus pigri ad pœnitendum, 204. d. Pœnitentia prævenit sententiam judicis, 1196. b. Pœnitentiæ reatu vita recuperatur æterna, 364. c. Pœnitenti peccatori Christus obviam venit, & vitulum saginatum ei exhibet, 152. a.
Pœnitentiæ regula, 943. d. Pœnitentiæ digni fructus, 945. c. Pœnitentiam pro peccato digne non agit, qui aliud committit, 948. c. Pœnitens verus debet vitare omnia peccata, & omnia præcepta implere, 949. a. Pœnitentiæ voluntas non sit mediocris, sed immanis, nec tam mensura temporis in ea consideretur, quam doloris, 851. b. Nemo recte pœnitet, nisi intelligat excellentiam caritatis & gratiam quam amisit, 569. a.
Pœnitentia in improvisa morte, 851. b.
Pœnitentiæ tempore nos præsertim tentat diabolus, 947. d.
Pœnitentia duplex, 408. c.
Pœnitentiæ duo genera, 948. b. Pœnitentia publica non est necessaria abrenuntianti sæculo, 148. e.
Pœnitentia Davidis, 1195. e.
Panis in scriptura pro omni cibo sumitur, 423. a. 1116. a.
Papæ qui memoriam non faciunt, ab universi orbis communione separantur, 612. c.
De paradisi plantatione, 341. e. & seq.
Parentes instruant filios suos, 207. b.
Parochiarum administratores debent religiosius vivere, 1069. c.
Paschalis solemnitas, 213. c.
Paschasius Isaaco abbati Corbeiæ-veteris succedit, 373. b. Adhuc diaconus, 375. c. Nequidem abbas factus est presbyter, 375. e. Dicit se peripsema monachorum, 375. a. 378. c. Ejus liber de corpore & sanguine Domini, 367. Scriptus ad precem Warini abbatis Corbeiæ-novæ pro junioribus fratribus, 367. Quo tempore, ibid. Catholicorum patrum doctrinam in eo comprehendit, 376. c. A quibus patribus suam hauserit doctrinam de corpore & sanguine Domini, 380. c. De doctrina Eucharistiæ optimus traditionis interpres, 369. Hæresim Berengarii præveniens extinxit, 369.
Liber Paschasii Radberti in quot capita divisus sit, 374. Ad quos codices recognitus, 369. Factus abbas Corbeiæ veteris, recognoscit librum suum de corpore & sanguine Domini, 368. Ejus versus ad Carolum-Calvum regem, 373. a. Ad eumdem epistola, 374. b. Ejus libri tres de fide, spe & caritate quando scripti sint, 470. Ejus epistola ad Warinum Corbeiæ-novæ abbatem præmissa libris de fide, spe & caritate, 471. c.
Passionis Christi typus in veteri testamento, 1191. d.
Passionis Christi figura oblatio pro eo facta in templo, 239. a.
Passio Christi in psalmis prophetata, 58. a.
Passiones quotidie resecandæ sunt, 144. c. Passiones qui sequitur, a Deo exsul efficitur, 151. e.
Pastoris liber citatus, 715. c.
Pastores quam solliciti esse debeant, 106. c. Debent esse docti, 108. e. Os Dei facti sunt, dum ejus voluntatem hominibus demonstrarunt, 106. e. Pastor esse non potest qui gregem non pascit, 187. c.
Patri cur attributa omnipotentia, 1104. e.
Patientia Dei peccatorem non reddit securum, 408. b.
Patientia mentis fortitudo & stabilimentum, 66. b.
Patrini susceptos in baptismo debent instruere, 198. c. Et eos docere symbolum, 1103. c.
Paulus maximus in apostolis, 177. b. Dum capit Christianos ad supplicia, perpetuam ipse captus est ad gratiam, 156. c. Ejus conversio, 156. c. Christus in Paulo inimico invenit amicum, 156. e. Videndi aciem non perdidit, sed mutavit, 156. d. Raptus est in cœlum, ut inter angelos disceret quid hominibus prædicaret, 157. b. Contemplativæ & activæ vitæ magister, 273. a. b. Vitam duxit monasticam, 1001. e. & seq.
Paulus fuit propheta, 1179. b.
Paulus princeps vitæ monasticæ, 1000. a.
Pauli diaconi vitæ compendium, 265. Ejus sermo in assumtione B. Mariæ, 267. a.
Pauper spiritu quis, 194. c. 1018. a. & seq. Pauperes sint humiles & sperent in Deum, 206. d. Pauperes in Deum sperantes sunt hereditas Christi, 63. a.
Pauperum superbia divitum elationem vincit, 824. d. Pauperum elatio, quos nec divitiæ elevant, sed voluntas in eis sola

superbia,

superbia est, 815. a.
Pauperes possunt exercere misericordiæ opera, 825. c. & seq.
Pauperes a divitibus opprimuntur, 223. e. Gaudeant in sua paupertate, 192. c. Non est timenda, 118. d. & seq. Beatos non facit paupertas necessaria, 194. c.
Pax divina commendatur, 592. a. Pax vera est Deo subdi, 191. a. Pax Christi finem non habet, sed est omnis piæ actionis perfectio, 640. a. Pax in universo orbe, nascente Domino, 189. d. e.
Peccatores nos agnoscere debemus, 631. c. Nam peccant homines quotidie, 636. a. Peccans in uno, omnium fit reus, 940. c. Peccatori omnis creatura hostis est, 684. a. Peccantes sæpius insultare morti Christi dicuntur, 783. c.
Peccatoribus clament sacerdotes, 136. b. Peccatoribus necessaria est tuba quæ non solum aures penetret, sed corda concutiat, 136. c.
Peccatoris conversio in muris Jerico præsignata, 137. d.
Peccatorem te vere pænitendo fateris, mox invenis Christum, 1209. a.
Peccatores Deus ad pænitentiam revocat, 360. a. Peccator agat pœnitentiam, 939. b. c. Cito per confessionem resurgat, 193. d.
Peccanti in se indulgere quam prosit, 146. c. Peccata per ultionis defectum incrementa accipiunt, 1350. c.
Peccatoris salutem Deus flagellis fabricat, 69. d.
Peccatores peccantes defendunt, 1350. b.
Peccator non est provectus dierum, 740. b.
Peccatum mors animæ, 316. a. Eo aliquid amarius esse non potest, 728. a. Infelicissimum est labi in peccatum, 78. c.
Peccatum angelorum, 1218. b. & seq. Peccatum primi hominis, 216. a. 1198. d. 1205. c. & seq. 1218. e. Peccantis primi hominis quomodo aperti sint oculi, 358. c.
Peccatum originale, 1106. a. Ejus pœna voluptas, ibid. c.
Peccatum quatuor modis perpetratur in corde, & quatuor modis consummatur in operatione, 360. c.
Peccata quæ debemus vitare, 191. d. Peccata capitalia, 200. a. & seq. Etiam minima sunt vitanda, 146. a. & seq. Non contemnenda quia minima, sed timenda quia plura, 902. e. 903. a. Peccata levia facile delentur, 1118. d. Quotidiana purgantur eleemosyna, jejunio & oratione, 902. e. Peccata præterita non nocent, si non placent, 150. b. Caro nos læta traxit ad culpam, afflicta reducat ad veniam, 214. b. Per peccatum amissa homo per fidem recuperat, 1199. c. Peccata lugentes consolabuntur, 195. a.
Peccatori angusta est via ad cœlum, 133. b. Peccata remittit hospitalitas, 135. a. Jejunium, oratio & eleemosyna, 903. c. Peccata nostra quotidie tolluntur in missæ sacrificio, 440. a. Peccatorum rubigo non potest consumi, nisi igne diversarum pœnarum, 933. d.
Peccati pœna, 19. b. Tenebræ, 1201. d. Voluptas, 1106. b. Peccato separamur a Deo, 584. c. Ante peccatum ad bonum nihil impediebat, 1081. c. Remissio peccatorum novi testamenti bonum, 61. a.
Peccatum nullum impunitum, 1117. d. Peccata qui nolunt confiteri, servi sunt diaboli, 190. d. Peccatum auxit Adam excusatione, 361. b. Quod in hoc sæculo non corrigitur, in futuro punietur, 146. c. 194. a. Ab unitate fidei qui se separat, non potest a peccatis solvi, nec cœlum ingredi, 1256. d. Peccata per indiscretam pietatem non remittenda, ne perditionis exempla aliis dentur, 146. d. Cur Deus creavit hominem quem præsciebat fore peccaturum, 355. d. Soli inter animantia homini datum est posse peccare, non ut peccaret, sed ut gloriosior appareret, 1084. b.
Peccantis lapsus non dono est adscribendus potestatis, sed vitio voluntatis, 1084. d.
Peccata licet in baptismo sint remissa, infirmitas tamen peccati remanet in carne, 409. b. Diaboli sicut numquam volunt reluctari peccato, sic numquam possunt declinare pœnam peccati, 1087. b. Distinctio inter peccatum & iniquitatem, 67. b. & seq.
Pecunia quæ erogatur in eleemosynam, illius est qui præcepit eleemosynam, 905. a.
Pelagianorum hæresis, 1126. e.
Perfectiores dicendi sunt, qui Deo sunt cariores, 976. b. Summa perfectionis in sola dilectione consistit, 572. c. Ad perfectionem tota vita non sat est, 121. a.
Perfectio monachorum, 977. a. 982. c.
Perfectæ animæ est mentis securitas, 120. c. Omnis homo cum moritur, etiam imperfectus relinquitur, 985. c.
Perjurium quam magnum malum, 803. c. 804.
Persecutiones sunt hereditas Christianorum, 864. c.
Persecutiones hic justos manent, 1218. a. 1337. b. Persecutionem qui non vult pati, non vult pie vivere cum Christo, 924. b. Persecutionis ignis non solum destruet malos, sed etiam purgabit bonos, 1443. d. e. Persecutionem pro justitia sustinentes, regnum cœlorum possidebunt, 196. b. Persecutiones pati majus est quam inferre, 1425. c.
Persecutionem vix natus Christus passus est, 1278. d.
Persecutio ecclesiæ per principes infideles violenta, 1337. a. Persecuti sunt ecclesiam fraudulenter hæretici, 1337. c. e. Persecutiones ante generale judicium sustinebit ecclesia, 1347. c. & seq. Persecutiones duæ ante persecutionem antichristi, 1336. c. Persecutio ultima ecclesiæ, 1415. a. Persecutiones suscitabunt præcursores antichristi, 1357. e. & seq. Persecutio antichristi quam acerba, 1400. b. & seq. 1417. b. & seq.
Persecutionis antichristi tempus breviabitur, 1429. c. & seq. Ejus duratio, 1426. b. & seq. Tribus annis & dimidio durabit, 1368. d.
Persecutores ecclesiæ igne punientur, 1443. a. b.
Perseverantia in bono opere necessaria, 172. b. Ex Deo est, 517. a. Commendatur, 966. c. Ad perseverantiam in fide se hortabuntur electi, 1414. b. & seq.
Personæ duæ non possunt fieri una, 1214. b.
Petafretæ venditus Joseph, 47. b.
Petrus & Paulus omnium ecclesiarum patres, 154. c. Et principes, 158. b.
Petrus per Christum factus est petra, 156. a. Ejus confessio, 154. e. Erga Dominum amor, 262. a. Cur ei Christus commisit oves, 156. b. Ejus lingua clavis cœli, 155. c. Ante claves cœli accepit, quam cœli januas intraret, 155. b. Ejus in fluctibus trepidatio, 155. Majorem profecit ad fidem, 155. d.
Petrus peccavit non odiendo, aut spernendo Christum, sed seipsum amando, 1089. d. Negavit dolens, non tamen nisi volens, 1090. a. Peccavit & pœnitentiam egit, 996. d. 1197. b. & seq. Securus pergit ad mortem, 156. c.
Petrus episcopus Montis flasconis, 1451. b.
Petri Venerabilis duplex in Angliam profectio, 1121. e.
Petrus Venerabilis scribit adversus ecclesiæ hostes, 1120. Profectus in Hispaniam Alchoranum latinam in linguam converti curat, ibid. 1132. e. S. Bernardum ad scribendum adversus eum invitat, 1120. Ipse scribit in Alchoranum, 1121. a. Judæos, hæreticos & Saracenos verbi divini gladio trucidat, 1122. a. Cur scripserit in sectam Saracenorum, 1125. c.
Petrus Venerabilis in Hispania colloquium habet cum Alphonso rege, 1133. a.
Petrus Pictavinus in transferendo Alchorano socius datus, 1122. a. Ejus capitula adversus sectam Saracenorum, 1122. c. Epistola ad Petrum abbatem Cluniacensem, 1121. a.
Petrus Toletanus Arabicæ linguæ peritus, 1122. a. Alchoran vertit in Latinum, 1133. a.
Petrus Franciscus Zenus canonicus Veronensis, 85.
Petri archidiaconi quæstiones in Danielem, 276.
Petrus *de Brezé* miles, comes *de Maulevrier*, 1465. d.
Phanuel interpretatur Facies Dei, 246. d.
Philippus rex Macedonum, 285. c.
Philosophiæ mater solitudo, 111. d.
Philosophia Judæorum, 87. c. Gentilium quam inanis, 87. a.
Philosophus superfluas possessiones abjicit, 92. c.
Philosophi fidem ecclesiæ impugnarunt, 1338. a.
Pietate colitur Deus, 595. a. Mens ad pietatem exercenda est, 123. d.
Placendi gratia, nihil anima secundum Deum agit, 565. e.
Plecgils pius presbyter Anglus, sæpius celebrat, 436. e.
Pluvia unde, 318. e.
Pompeius dux Romani exercitus Jerosolymam capit, 289. c.
Pontifices Romani potestate præminenti catholicam ecclesiam tenent, docent & ordinant, 1197. d.
Populus Dei quis sit, 82. c.
Porphyrius evangelistas calumniatur, 320. d.
Possessionum fines olim funiculis mensuratæ, 62. c.
Possessiones ecclesiasticas arguunt hypocritæ, 1281. b.
Potentia Dei omnia potest, 382. d.
Potentissimi quos Deus justificat, 62. d.
Potestates cælestes sunt quæ virtutibus adversis resistunt, ne prævaleant hominibus, 601. a.
Potestatem non debet habere, qui non habet patientiam, 901. c.
Potus monachorum qualis esse debeat, 166. b.
Præcepta Dei præcipua, 201. a. & seq.
Præcepta divina, quibus promissa beatitudo, 192. a.
Præceptorum Dei explicatio, 941. c. & seq.
Primo Dei præcepto quid prohibeatur, 941. c. & seq.
Præcursores antichristi in malo unanimes, 1348. c. Eorum ficta sanctitas, 1343. a. & seq. Astuta sapientia & præsumta scientia, 1346. b. & seq. Detecti contemnent ecclesiam, & ab ea exibunt, 1359. d. Explorant ecclesiam, 1341. d.
Prædestinatio, 618. a.
Prædestinatorum nullus finaliter extra ecclesiam exibit, 1366. e. Nullus peribit, 1368. b. d.
Prædicare munus est episcoporum & sacerdotum, 1303. c. Monachis illicitum, 1303. c.
Prædicationis figura tuba sacerdotalis, 137. d.
Prædicatio evangelii ad omnes gentes debet præcedere adventum antichristi, 1291. a. & seq.
Prædicationis evangelii cessatio tempore antichristi, 1390. d. e.
Prædicatores sancti dicti maxilla ecclesiæ, 1388. a.
Prædicatorum fulgens vita a reprobis despicitur, 1388. e.
Prædicatores falsi multi sunt, 1297. e.
Prædicatores falsos per mundum mittet antichristus, 1377. e. Principibus se conjungent, & eos seducent, 1380. b. c. Et multos cum eis, 1380. d.
Prælati fere omnes deficient ad antichristum, 1381. b.

Præmonstratensium humilitas & austeritas, 1053. c. & seq.
Presbyteri vel seniores non pro longæva vita, sed pro maturitate sensus dicuntur, 739. c. Quales esse debeant, 193. a.
Presbyter conjugatus potest celebrare, 1261. c.
Presbyteri concubinarii missa non audienda, 1002. c. Nullam functionem ecclesiasticam faciat, ibid. d.
Principes sibi adunabit antichristus, 1411. a. 1412. a. & seq.
Principium in quo creavit Deus cælum & terram quid, 308. d. 309.
Probatio veritatis per ignem an concedenda, 1265. d. & seq.
Procurator qualis esse debeat, 803. d. 804. e.
Procuratores vulgo sunt fures, 303. e.
Professio monastica alterum baptisma remittens peccata, 149. a. c.
Professionis monasticæ pactum scriptis commendatum, 149. a.
Professionis Benedictinæ ritus, 1022. c. & seq. Qui non proficit, deficit, 939. e.
Prophetia quid sit, 1164. b.
Prophetia nullum majus miraculum, 1174. e.
Prophetæ per revelationem locuti sunt, 179. a.
Prophetas se dici refugiunt veri prophetæ, 1175. b.
Prophetarum alii boni sunt, alii mali, 1176. c. Qui boni, ibid. Qui mali, 1177. a. Alii universalia prædicunt, ibid. Alii particularia, 1177. d. Prophetæ universales post Christum non fuere, 1178. d. Plures fuere particulares, 1179. a. Quidam universales & particulares, 1179. d.
Prophetam vere fuisse Danielem, 1168. d. 1180. e. Ezechielem, ibib. b. Eliam & Elizeum, 1170. d. Jeremiam, 1167. c. & seq. 1180. c. Isaiam, 1166. d. & seq. Moysen, 1164. d. & seq.
Prophetam non posse dici Mahumetum, 1164. a. & seq., 1165. e.
Prophetæ in novo testamento dicuntur scripturarum interpretes, 1294. a.
Prophetas falsos ante antichristum præmissurus est diabolus, 1336. a.
Proverbia Wiponis ad Henricum Conradi imperatoris filium, 1095. d.
Providentia aut justitia Dei omnia gubernantur, 909. a. De providentia Dei diffidit qui de crastino cogitat, 1116. c.
Proximus noster quis sit quem diligere jubemur, 555. d. Proximus noster omnis Christianus dicitur, 202. d. Ut diligendus, 558. e.
Prudentia est rerum bonarum malarumve scientia, 857. d.
Prudentia quasi oculus acutissime quæ sunt salutis & adversa ut declinentur contemplatur, 505. d.
Prudentia sine simplicitate calliditas est, 952. b.
Prudens non sit callidus, 858. b.
Psalterium quid, 81. d. e.
Ptolomæus Lagi filius rex Ægypti, 285. c.
Pudicitiæ corporis munia, 835. c.
Pueri offerendi formula secundum regulam S. Benedicti, 159. a. c.
Pueri martyres & miraculis coruscantes, 840. b. Pueri damnati, 840. c.
Purgatorium, 630. b. Ad punienda peccata, 1117. c.
Purificationis festum quantum sit, 235. e.

Q.

Quæstiones novæ & inutiles vitandæ, 655. a. & seq.
Quadragesima 42. diebus constat, 214. a. Die Dominica olim incipiebat, 212. e. e. Illius jejunium observandum, 212. a. & seq. Aliis jejuniis magis venerandum, 213. e. Quadragesimæ tempore ab uxoribus abstinendum, 214. c. e. Quadragesimæ tempore an possint lector & servitores mixtum accipere, 1039. b.
S. Quintini decanus Gerardus, 1075. a.
Quis pro *queis* & *quibus* usurpabant veteres, 19. c. 26. e.

R.

Raab interpretatur latitudo, 682. c. Raab ecclesiæ typus, 681. e. Ex meretrice fit prophetissa, 683. a.
Rabanus abbas, 641. c. Ad petitionem Haistulphi archiepiscopi scribit in Matthæum, 669. d. Ejus libri tres in librum Josue, 668. Quando ab eo scripti, ibid. Eos mittit Friderico Trajectensi episcopo, 669. c. Disputat de duabus meretricibus quæ coram Salomone disceptaverunt, 682. d. An fuerit stercoranista, 448. e. Commoratus est in partibus Orientis, 668. 728. d.
Rachel & Lia contemplativæ & activæ vitæ figura, 271. d.
Radbertus non Ratbertus dicendus est abbas Corbeiensis, 377. d.
Ratherii Veronensis episcopi elogium, 785. Ejus Præloquiorum sex libri, 787. a. & seq. Qua occasione scripti, 961. a. & seq. 962. c. In iis semetipsum depingit, 963. a. & seq. Eos dat episcopis examinandos, 965. d. 966. e. Ejus epistola ad Widonem & Sobbonem archiepiscopos, Godescalcum & Aurelium episcopos, 965. a. Epistola ad Widonem & Sobbonem archiepiscopos in concilio residentes, 923. a. Epistola ad Robertum archiepiscopum, 965. e. Epistola in exsilio scripta, 874. a.
Ratherii fidei confessio, 879. a. & seq. Quibus studiis applicatus, 966. b. Pulsatur Mediolanensium quæstionibus, 966. a. Ei oblata S. Amandi abbatia, 938. b. Pro justitia persecutionem passus est, 816. c. Ejus episcopatu Veronensi ejecti calamitas, 967. b. & seq. Implorat aliorum caritatem, 968. b. & seq. Fuit in carcere, 946. d. Ejus epitaphium, 964. d.
Raynerius de Baschio creatur vicarius urbis Castrensis pro ecclesia Romana, 1450. b. Urbis senator & exercitus papæ imperator, 1449. c. & seq.
Raynerio de Waschio dicto Bussæ scripta epistola Clementis VI. 1445. b.
Realitas corporis Christi in eucharistia, 391. d. 595. c.
Rectores subditis prælucere debent verbo & exemplo, 101. b. & seq. Debent esse docti, 104. a.
Redemtus episcopus Ferentinus, 1284. d.
Regina quas imitari debeat, 913. d.
Regnare in cœlo quid sit, 892. d.
Regna duo a Deo statuta, 209. a.
Regnum a solo Deo confertur, 871. d. & seq.
Regna stant justitia, ruunt injustitia, 227. a.
Regna quæ vidit in sua visione rex Nabucodonosor, 277. b.
Regula monastica antiqua, 161. a.
Regula monachorum sobrios requirit intellectores, 1039. b.
Regula, quæ Augustini nomen præfert, an illius sit, 1055. d.
Regula S. Basilii, 1016. b.
Regula S. Benedicti, 1016. b.
Regulam S. Benedicti secundum litteram esse spiritum & vitam, secundum evangelium esse litteram dicebat abbas Joachim, 1333. c.
Regulæ S. Isidori cap. 25. 160. b.
Regula S. Pachomii, 1016. b.
Regulæ fit aliquando sapienter relaxatio, 1038. c. & seq.
Religio eo quod religet mentes nostras ad Deum dicta probatur, 473. e.
Religio extra ecclesiam non est quærenda, 613. a.
Renovatio interior in tribus consistit, rectitudine intentionis, puritate affectionis, recordatione bonæ operationis, 1092. b.
Requiescere Deus quomodo dicatur, 332. a. b. c.
Restitutio ablatorum commendatur, 800. e.
Restitutio melior eleemosyna, 140. d.
Resurrectio mortuorum, 1444. b.
Resurrectio dicitur regeneratio, 1211. a.
Resurrectio Domini simplex, nostra duplex, 316. b.
Resurrectio Christi in psalmis prophetata, 58. a.
Resurrectio Christi quomodo post triduum facta, 1109. a.
Resurgent homines in ea ætate in qua Christus resurrexit, 1328. a.
Resurrectionem carnis illudunt philosophi, 317. e. Hæreticorum error de futura corporum resurrectione, 252. c.
Rex bene dicitur qui se regere novit, 911. a.
ad Regem monita, 901. b. 912. b. Ejus virtutes, 856. a. 859. b. Legibus obtemperare debet, 912. a. Populum debet portare, non premere, 901. c. Regia potestas disciplinam ecclesiasticam muniat, 912. c.
Regibus multo pejus est quam servis, quia isti singulos, illi omnes timent, 819. d.
Regi debetur obedientia, 206. a. Sancti patres nostri non reges hominum, sed pastores fuere pecorum, 805. c.
Reges in manu Domini tribus modis, 907. c.
Regis latus regina dicitur, 281. a.
Risus monachis prohibitus, 167.
Robertus archiepiscopus, 965. e.
Robertus Delphini ad episcopatum Albiensem postulatur, 771. c.
Robertus Pampilonensis archidiaconus, 1122. a.
Robertus comes de *Hungerford*, 1469. e.
Robertus Kecensis *Alchoran* vertit in Latinum, 1132. e.
Robertus *Whitingham* nobilis Anglus, 1469. e.
Roma dicta Babylon, 1401. b.
Romanorum imperium formidolosum, 283. b.
Romanorum regnum a decem regibus destruendum, 283. d.
Romanis tributarii fiunt Judæi, 289. c.
Rupertus an auctor dialogorum de vita vere apostolica, 971.
Ruth liber, sicut alii scripturæ libri, divina ac mystica continet, 590.

S.

Sabaoth interpretatur exercituum vel virtutum, 607. c.
De otio sabbati gloriantur Judæi, 331. d.
Sabellianorum hæresis, 1126. d. 1128. b.
Sacerdotes qui divina quotidie tractant, humilioribus ministeriis an exercendi, 1054. a. & seq.
Sacerdos vota populi ad Deum infert & refert, 429. b.
Sacerdotes a plebe sunt discernendi, non veste, sed doctrina & mentis puritate, 663. e. Iis etiam negligentibus debetur reverentia, 866. a. Sacerdotem qui tangit, tangit pupillam Domini, 866. b.
Sacerdotes quomodo sint in sacrificio partes, 1259. a.
Sacerdotes clament peccatoribus, 136. b.
Sacerdotes male viventes non debent frui potestate ligandi atque solvendi, 1003. c. d. Si mali sacerdotes non conficerent, incerta essent sacramenta, 1258. e. Sacerdotes mali primi punientur, 407. a. Nullum pejus scelus, quam Christianos propriis detrahere sacerdotibus, 875. d.
Sacerdotium Aaron jam nullum est in aliquo templo. Christi sacerdotium manet in æternum, 583. e.
Sacerdotium sanctum appellatur omnis ecclesia, 614. c.
Sacerdotium a solo Deo confertur, 871. d. & seq.

Sacramentum quid, 389. b.
Sacramentum est in scripturis ubicumque Spiritus aliquid interius operando efficit, 390. a.
Sacramentum jure dicitur Christi nativitas, 390. a.
Sacramenta veteris legis umbræ erant futurorum, 582. a. Sacramenta novæ legis sunt virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, &c. 184. c. Sacramenta in ecclesia sunt baptismus, chrisma, & corpus & sanguis Christi, 389. d. Sacramentum corporis Christi nullus debet ignorare, 386. d.
Sacramenta obsunt indigne tractantibus, prosunt digne sumentibus, 1257. a. & seq. Ratio in re sacramenti cœca, 386. c. Sacramenta ecclesiæ nec a ministro homicida polluuntur, 1257. e. 1261. e. Etiam a malis sacerdotibus confecta omnibus possunt prodesse, 1259. e. Sacramenta a malis sacerdotibus confici negabant hæretici, 1251. Sacramenta novæ legis celebrari interdicet antichristus, 1393. a. & seq. 1394. c. e.
Sacrificium est sacrum factum, 1258. c.
Sacrificia vetera approbavit Deus, 582. d. Sacrificia legalia futurorum sacrificiorum fuerunt umbra, 404. c. Sacrificium legale typus sacramenti Eucharistiæ, 595. b. Sacrificium Christianorum in omni loco offertur, Judæorum in unico, 583. a. b. Sacrificii veri extra catholicam ecclesiam non est locus, 615. d.
Sacrificium corporis & sanguinis sui Christus in cœna recumbens cum discipulis suis obtulit, 179. e. Cur in pane & vino celebretur, 419. e. Illud cum sacerdote offert ecclesia, 614. b. In communione sanctorum est offerendum, 615. e. Non offertur martyribus, licet in eorum memoriis, sed Deo, 517. b. Apud bonos & malos idem est, 1256. e. Fit in angelorum præsentia, 403. a. Pro captivo oblatum ei prodest, 415. a. & seq.
Sacrificium laudis est oblatio Dominicæ passionis, in qua nulla merita nostra agnoscimus, sed solam gratiam Dei collaudamus, 615. b.
Sæcularis conversatio fit nobis anathema, 696. e.
Sæculo transitorie serviendum, ut Deo fruaris, 940. a. Sæculo renuntiantes nihil sibi reservent, 109. e.
Salem civitas, quæ postea Jerusalem dicta est, 580. a.
Salutis unica via Christus, 589. c. Salus nostra obedire Dei mandatis, 203. c. Salus hominis per liberum arbitrium & gratiam; tolle liberum arbitrium, non erit quod salvetur; tolle gratiam, non erit unde salvetur, 1090. b. Nemo salvabitur invitus, 1080. Salutem Deus operatur per creaturas tribus modis, 1090. e. Salutem peccatoris Deus flagellis fabricat, 69. d. Salutis præcepta, 707. e.
Salutare Dei est Filius Dei salvator mundi, 615. a.
Salutatio *Dominus vobiscum* ex scripturis desumta, 590. a.
Salutatio episcopalis *Pax vobis* e scriptura desumta, 591. d.
Sanctificari quomodo petimus nomen Dei, 1114. d.
Sanctitas ficta præcursorum antichristi, 1343. a. & seq.
Sanctuarium est quidquid Domino oblatum ad ejus pertinet domum, 790. e.
Sancti quem locum inhabitarent ante Christi adventum, 230. d.
Sanctorum communio quid sit, 1110. d. e.
Sanguis non sumitur alio in vase quam in calice, 451. a.
Sapere est voluntatis ad bonum conversio, 1085. e.
Sapiens ut se gerere debet, 950. e.
Sapientia vera quæ, 201. d. 206. b. Sapientia vera nulla suadet, nisi honesta; nulla docet, nisi utilia; nulla præcipit nisi Deo acceptibilia, 952. b.
Sapientiæ studium est morum correctio, cum opinione præcognitæ veritatis, 87. d.
Sapientiæ verum studium apud gentiles & Judæos ignotum, 86. b.
Sapientiæ professor debet esse liber, 86. c.
Sapientiæ Christus verus doctor, 87. e.
Saræ nomen in Sarra mutatum, 31. b. e.
Saraceni plura sui Alchorani exemplaria habent, 1153. d. Dicunt legem Judaïcam & evangelium fuisse corrupta, 1123. a. Non possunt falsificare evangelium, nisi falsificent & Alchoranum, 1160. b. & seq. Eorum quidam errores, 184. a. & seq. Error de uxoribus, 184. b.
Satanæ tradi quid sit, 947. d. 948. a.
S. Saturnini Tolosani abbas Aymericus, 1460. d.
Schisma sub Alexandro III. 1253. a. e.
Scientia commendatur, 206. d.
Scientia vera, 201. d. Sine fide non enutritur, 387. a. Sine ea recte fides non defenditur, 387. a. Ad donum scientiæ non pervenitur, nisi per abscissionem sæcularium negotiorum, 82. a. b.
Scientia sæcularis per papyrum designata, 1346. c. Parum in eremo juvat, 692. d.
Scientiæ clavis memoria, 1187. d.
Scriptores antiqui adversus hæreticos, 1125. e.
In scripturis iota unum non est mysteriis vacuum, 79. e.
Scripturis firmentur corda fidelium adversus antichristum, 1424. c.
Sacra scriptura in omnibus urbibus conservata, 1153. b. Fuisse corruptam contendunt sectatores Mahumeti, 1149. c. Ejus veritas probatur ex Alchorano, 1155. d. Scripturæ librum non fuisse perditum probatur ex Esdra, 1154. b.
Secretum animæ in corde, secretum carnis in renibus, 63. d.
Securitas mentis est animæ perfectæ, 120. e.
Sedulii carmen de incarnatione Verbi, 125. Virgilium poëtam imitatur, ibid.
Seleucus Nicanor rex Orientis, 285. c. 287. e.
Semen diaboli perversa suggestio, semen mulieris fructus boni operis, 362. b.
Senes magis decet docere quam discere, 847. b. Iis data monita, 847. a. & seq. Sint compositis moribus, 207. a. Eis honor deferendus, 846. c. & seq.
Sensus est vitalis in corpore motus, vigilans & extrinsecus, 1078. c.
Sentiendi organa in facie sunt, 338. b.
Septuaginta interpretes auctoritate prophetica scripserunt, 756. d. Quomodo scripturas verterunt, 288. d.
Seraphim est summus ordo angelorum, qui ex propinquitate sui conditoris incomparabili ardent amore, 602. e. Hinc Seraphim ardentes vel incendentes interpretantur, 602. e.
Serapion episcopus scripsit contra Manichæos, 1127. b.
Serpens hæreticorum figura, 357. d. e. Quomodo loqui potuit in paradiso, 354. b. Per serpentem est tentatus homo, 354. d. Serpentis condemnatio, 361. e.
Serpentes igniti in deserto quid significent, 257. b. 259. b.
Serpentum incantatores in Italia fuerunt Marsi, 793. b.
Serpentes ad voces Marsorum exeunt de speluncis, 354. c.
Serpentes in Africa Marsis non nocent, 793. a.
Severitas plurimos a se avertit, 814. b.
Servitus pœna peccati, 813. a. Melior qui tibi servit humiliter, quam tu qui eum despicis arroganter, 806. d.
Servientes Deo multos patiuntur inimicos, 718. c. Servi Dei in hoc corpore a Domino peregrinantur, 1056. d.
Servus ergo dominum ut se debeat gerere, 812. e. & seq.
Servis regna dabunt captivis fata triumphum, 807. b.
Sestercium quid, 35. c.
Siclus quid, 35. e.
Signaculum Christi confirmationis sacramentum, 584. c. e.
Silentium commendatur, 166. e.
Silentium fit in ecclesia canonis tempore, 608. e.
Silentium non resecat, sed nutrit peccatum, 136. b. Silentio non favendum est errori, 1334. e.
S. Simeonis quam ardens fuerit oratio, 240. a. In Simeone justo cuncti significantur electi, 240. c.
Simon sacerdos magnus, 288. d. e.
Simoniacorum officium nullus recipiat, 1261. b.
Simplicitas sine prudentia, fatuitas est, 952. b.
Sion filii qui sint, 80. b.
Sobbo archiepiscopus, 923. a. 965. a.
Sodomæ incendium quinque viri justi potuerunt avertere, 32. c. e.
Solitudo mater philosophiæ, 111. d.
Solitudo commendatur, 99. a. & seq. 122. c. Est ad orandum necessaria, 253. a. Monachum facit non publicum, 1034. d. In solitudine degant sæculo renuntiantes, 111. b. 117. c.
Solitariæ vitæ congruit cura pascendarum ovium, 1031. a.
Solitarii vitam apostolicam amplexi sunt, 88. b. Eorum præclaræ virtutes, 88. d. Eis ægrotis Deus providet, 98. e.
Sordide qui sancta contegunt, deterius inde sordescunt, 1267. c.
Sortibus usi sunt gentiles, 761. a.
Sortium usus in novo testamento, 761. c.
Specula locus excelsus, unde ventura prospiciuntur, 80. b.
Sperandorum substantia est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, 474. b.
Sperare absurdum est, nisi in Deum & in verba quæ sunt ex Deo, 486. c. Tunc recte speramus quæ promissa sunt, si quæ jussa sunt compleamus, 533. b. Recte sperat in Domino, qui non ex operibus, sed ex Dei gratia vult salvus fieri, 60. b. Sperari nihil recte potest, nisi quod recte creditur; tamen credi potest, quod non speratur, 522. d.
Spes unde dicta sit, 528. b. Est incitamentum virtutis, 542. b. Quasi anchora inter procellas sæculi, 520. b. c. Fortissimum & inviolabile solatium, 520. c. In psalmis securitas dicitur, 537. b. Spes magna est securitas, cui Deus ipse præsto est, 537. b. Non formidat pœnas, nec locum inferni, 534. a.
Spes vera numquam est sine confidentia perveniendi, 534. c. Spes cælestis habitaculi tristitiam interpellat, 74. a. Spes solum rerum bonarum est, timor malorum, 522. e. Spes non sine timore agitur, nec timor sine spe ad alta subrigitur, 540. c.
Spes numquam est sine amore, 523. c. Spes quæ caritate fulcitur, numquam confunditur, 532. a. Spes nulla est quæ non diligit & credit, 537. d. Spei mater & nutrix est fides, 525. c.
Spes Christianorum nec fallit, nec fallitur, 527. b. Nisi se fides subtraxerit, 525. c. Spes sine fide non proficit, 529 a.
Spes inchoativum est laboris, & timor custos mercedis, 541. c.
Spes Christiana quid in nobis operetur, 532. b. Non est otiosa, 533. d. Spei bonæ operatio est effundere animam suam, 71. d. Spes inter adversa non est sine gloria, 534. d. Pascitur patientia & consolatione scripturarum, 534. e. Nihil certius quam spem nostram gerimus, quæ in solo Deo requiescit, 527. c.
Spes est rerum quæ non videntur, 524. d.
Spes nostra Deus, quem expectamus, 531. d. Spes nostra Christus est, 521. d. In eo quid sit sperandum, 521. d. & seq. Quomodo credere in spem contra spem debemus, 526. d.

Spem inter & fidem quid intersit, 522. d. Inter veram & falsam spem, 530. d. & seq. Spes falsa quæ sine Deo in incerto divitiarum est, aut in homine, 533. a. Spem quomodo expectare jubemur, 531. c.
Spinæ non sunt infructuosæ, 321. c.
Spiraculum vitæ est anima, 340. b.
De Spiritu-sancto, 1193. d. Spiritus-sanctus a Patre & Filio in homines diffunditur, 1194. a. Spiritus-sanctus datus est in remissionem & retentionem peccatorum, 1194. d. Spiritus sancti dona, 1224. b. A Deo petenda sunt, 456. b. c. Spiritus-sancti septem dona quomodo in nobis imitari debeamus, 834. a. & seq. Spiritus-sanctus nulli deest, nisi pœnitere nolenti, 1198. c. Caïn in Spiritum-sanctum peccavit, 1194. c.
Spiritus quomodo moveri dicatur, 348. a.
Stellæ quædam sole majores, 322. a.
Stephani regis Angliæ obitus, 1256. c. d.
Stephanus *Chevalier* thesaurarius Franciæ, 1465. a. d.
Stercoranistarum hæresis, 448. c.
Suasio omnis debet continere honestum, utile, possibile, 811. d.
Summum bonum, possidere Deum, & possideri a Deo, 590. d.
Superbia est amor excellentiæ propriæ, 356. c. Initium peccati, 303. d. 1021. c. & seq. Ea nihil detestabilius, 984. c. Ea itur ad diabolum, 985. a. 1121. c. Ipsa fecit diabolum, 985. Tota causa est perditionis nostræ, 839. c.
Superbos deprimit Deus, humiles exaltat, 1190. a.
Superbiam sequitur invidia, 356. c.
Susis metropolis Elamitarum, 284. c.
Symbolum ab apostolis compositum, 1103. a. In duodecim articulos, 1103. c.
Symboli in missa confessio, 589. c.
Symbolum doceant patrini filiolos, cum ad ætatem intelligibilem pervenerint, 1103. c.
Symbolum irretitus peccatis non dicat, nisi prius pœniteat, 1104. b.
Syon speculationem significat, 343. c.
S. Syrus episcopus Ticinensis, ecclesiam SS. Gervasii & Prothasii dedicat, 397. c.

T.

Tabernaculum Dei admirabile, 72. b. Tabernaculum inter & domum discrimen, 72. c.
Temperantia est adversus libidines aliosque non rectos impetus animi firma & moderata dominatio, 857. c.
Temperantia alio nomine discretio dicitur, 506. a.
Tempus antequam Deus faceret, nullum erat tempus, 303. a.
Tempora per principes solent determinari, 1107. d.
Tenebræ dicuntur ipsa lucis absentia, 305. b. Quomodo fuere super faciem abyssi, 310. a.
Tentationis laqueos non evadit, nisi qui fuerit mitis & humilis corde, 1230. c. Tentationibus semper quatitur ecclesia, 1278. c. 1279. d. Tentat nos præsertim diabolus pœnitentiæ tempore, 947. d. Tentari non est peccatum, sed coronam generat, 1118. b. Palma est gloriosior non consensisse tentatum, quam non potuisse tentari, 355. a. Tentatione purificatur homo, 1367. d. Tentatus non desperet, 949. d. e. In tentationibus ad Dominum clamandum, 66. d. Consolatio justorum in tentatione, 77. d.
Tepiditas vitanda, 959. d.
Terrenis rebus non fidendum, 94. c.
Terrena quasi summum bonum diligere, est elongari a Deo, 576. a.
Testamentum novum non cessaturum, 1324. a. & seq.
Testamentum aliud dandum falso somniat abbas Joachim, 1325. c.
Thelonarius qualis esse debeat, 803. d. 804. c.
Thermæ Angulanæ, 418. c.
Thomas S. Mariæ in Dominica diaconus cardinalis, 1449. c.
Thomas *Synderman* nobilis Anglus, 1470. a.
Tiberis fluvius prius Albula dicebatur, 343. c.
Tichonius a S. Augustino emendatus, 646. d.
Ticinensis episcopus S. Syrus, 397. c.
Timoris Dei necessitas, 541. c. Timor duplex, 812. c. Timor Dei filialis, 1226. a. Timore suppliciorum pervenitur ad salutem, 712. a. Timorem excludit caritas, 851. c. Timor non solum reprimit & humiliat mentem, sed etiam consolidat & confortat, 542. c. Timor ne Deum amittamus projecit mammona iniquitatis, ut postea Deo serviamus, 1018. b. Timore bona opera & præmia repromissa conservamus, 540. c. Timor est custos mercedis, 541. c. Sine timore fœdus amoris vix aut numquam servatur, 542. b. Si bene vixerimus, non timeremus aliquem, sed ab omnibus timeremur, 926. d. Multos timeat quem multi timent, 912. a. Timor mortis de pœna peccati est, 513. a.
Tobellum pro Tubalcain legunt veteres, 21. c.
Torques masculini & feminini generis, 280. c.
Trajectinus episcopus Fridericus, 668.
Tranquillitas tunc fit cum rerum exteriorum recordatio cessat, 112. c.
Transfiguratio Domini cur coram tribus tantum apostolis facta, 251. b.
de Transfigurationis tempore Matthæus & Lucas conciliantur, 250. d.
Transsubstantiatio, 410. a. 618. c. Gratiæ Dei contumeliam facit, quicumque panem & vinum in carnem & sanguinem Christi converti dubitat, 458. d.
Treugæ seu guerrarum abstinentiæ inter Ludovicum XI. Francorum regem, & Henricum VI. Angliæ ad centum annos, 1464. a.
Treugæ inter nobiles viros Cecchum Golini & Ildebrandum de filiis Ursi comitem Palatinum, 1445. c.
Trevirensis archiepiscopus Hetti, 641. c.
Tribulatio patienter toleranda est, 934. a. & seq.
Tribulationes Christianis deesse non possunt, 1277. c. & seq.
Tribulationem in scriptura figurat gladius, 245. a.
Trinitatis mysterium & fides, 187. c. d. 1188. d. 1215. d. & seq. Exponitur, 175. c. Trinitas est unus Deus, 639. d.
In Trinitate quid Pater, quid Filius, quid Spiritus-sanctus, 1188. Trinitatis sanctæ una est divinitas, 603. b. In Trinitate nulla est distantia, qui Patrem adorat, Filium adorat, 603. c. & seq. Trinitas in Christi baptismate manifestata, 1202. b. Trinitatis cognitio in veteri testamento, sed non perfecta, 679. d. Rithmus Petri Abaelardi de Trinitate, 1091.
Triphon princeps Judæorum, 1131. c.
Tristitia qualis esse debeat, 952. c. Tristitia utilior est quæ comitem habet gravitatem, 953. c.
Tuba non sonat ad delectationem, sed ad formidinem, 136. c.
Tuba sacerdotalis figura prædicationis, 137. c.
Turbari in tribulatione humanum est, 74. b.
Turpes cogitationes vitandæ, 107. c.
Turtur castitatem, columba caritatem significat, 259. c.
Tusculanus episcopus Anibaldus, 1445.
Tympanum quid, 81. d.

V.

Vacare Deo quid sit, 210. a.
Væ triplex, in ultima persecutione, 1340. c. & seq.
Væ ei qui dimittitur voluntati suæ, 896. c.
Valentinus hæreticus, 723. c.
Velle & currere, non aliquid, sed magna sunt dona Dei, 518. c. 519. b.
Veniam delicti recte postulat, qui prius quod in se delictum est relaxat, 458. b.
Verbum Dei Filium ejus esse probant scripturæ, 175. d.
Verba facile persuadent quæ operibus monstrantur, 102. a. & seq.
Veritas est cingulum quo in Christi militia cingimur, 688. b. Veritatis inquisitio non est negligenda, 1137. c. Maxime circa divina, 1138. c. Veritas cito occurreret, si displiceret falsitas, 1334. c. Satius est ut scandalum oriatur, quam ut veritas derelinquatur, 981. b. Veritatem qui relinquit, Christum abnegat, 981. c. Veritatem impugnantes errore Caïn pereunt, 1356. b. Vera tacens & falsa dicens, utrique nequiter errant, 803. c. Quicumque sic credit ut loquitur, verum dicit, 1430. a.
Veronensis episcopi Ratherii sex Praeloquiorum libri, 787. a.
Vescor verbum aliquando cum accusativo conjungitur, 377. d.
Vespera quid, 314. c. 315. a.
Veste candida utuntur sacri ministri in sacrificiorum administratione, 664. a.
Vestis monachorum vilis sit & sordida, 664. b. Vestium vilitas in monachis commendatur, 170. a. & seq.
Vestis eremitarum hispida, 1047. a.
Vestium cultus non est sine peccato, 170. a.
Via angusta ambulemus, 209. a.
Viaticum cur dicatur corpus Christi, 447. b.
Viaticum salutis quisque fidelium in hora mortis exposcit, 654. b.
Viaticum infantibus ad salutem non est necessarium, 446. a. b.
Viaticum ante extremam unctionem, 1236. c. d.
Victorinus Pitabionensis episcopus & martyr, 1129. c.
Victorinus rhetor famosus scripsit contra Arrianos, 1127. d.
Victus sumtuosus omnium virtutum est destructio, 117. d.
Vigilantii hæresis, 1128. c.
Vigiliæ nocturnæ commendantur, 163. a.
S. Vincentii de Vulturno monasterium, 249. d.
Vinum & adolescentia duplex incendium voluptatis, 166. c.
Vir unde dictus, 827. a. Vir consideret quam fidem debeat uxori, 827. c.
Virago est femina fortis, 827. c.
Virgilium poëtam in suis versibus exprimit Sedulius, 125.
Virginitati sit conjuncta humilitas, 840. a.
Virgo carne, non animo, virginitatis præmio non potitur, 269. c.
Virgines Deo consecratæ in primæva ecclesia, 1008. a.
Virgines imitentur S. Mariam Virginem, 839. d.
Virginum monasteria non sunt visitanda, 160. c.
Virtutum nomine omnes cælestes spiritus generaliter solent appellari, 602. d. Virtutes dicuntur illi spiritus per quos signa & miracula frequentius fiunt, 602. d.
Virtutum cælestium timor non pœnalis est, sed admirationis, 601. c.
Virtutes sunt ordinatæ affectiones, 1085. b.
Virtus eo pluris æstimanda quo plura contemnit, 857. b. Virtutem sectanti nihil deest necessarium, 93. c. Deus opportuna tribuit, 96. d. Virtutes acquirere facilius est quam vitia destruere, 989. a. Virtutum impedimentum rerum temporalium affectio, 93. b. Virtutum destructio est sumtuosus victus, 117. d. Virtutes virginibus congruentes, 270. a. & seq.

Virtutem etiam barbati honorant, 96. c.
Virtus sacramenti Eucharistiæ, 400. b.
Vita animæ Deus, 213. a.
Vita est internus ac naturalis motus vigens, tantum intrinsecus, 1078. c.
Vitæ duæ activa & contemplativa in Martha & Maria designatæ, 271. a. & seq.
Vitam non habentes creaturæ in Verbo vita sunt, 315. b.
Vitia primum sunt eradicanda, deinde virtutes plantandæ, 725. c. d.
Vitia persæpe se virtutes mentiuntur, 856. b. Vitia non coërcere sæpe majoris est criminis quam ulcisci, 357. c. Nihil a nobis habemus nisi vitia, 517. d.
Vivere nostrum ipsum est quotidie transire a vita, 365. a. Vivere beate quid est, nisi sempiternum aliquod cognoscendo habere, 539. c.
Viviani Præmonstratensis tractatus de libero arbitrio & gratia, 1075. Quando compositus, 1076.
Ulai quid, 284. d.
Unitas ecclesiæ, 662. e.
Unitas reproborum bonis quam sit perniciosa, 1349. b. 1350. a.
Voluntas est motus rationalis appetitui præsidens & sensui, 1278. d.
Voluntas nulla bona, cui Deus non prosit; nulla mala, qua bene uti non possit, 909. b. Si miserum est voluisse prava, potuisse miserius est, 896. d.
Voluntates proprias qui sequitur, a Deo exsul efficitur, 151. e.
Voluntas Dei virtus & sapientia est, 385. a. Voluntas Dei efficax est, & ejus velle effecisse est, 382. b. Voluntatem Dei nosse quisquis desiderat, fiat amicus Dei, 304. a. Voluntatem Dei quomodo fieri in nobis rogamus, 1115. d.
Voluptatis proprium est, ut desiderium semper augeat, 121. e.
Voluptatis mater ingluvies, 116. b. Voluptatum fere omnium vas est venter, 116. c. Voluptatibus servire turpe est, 86. d. Voluptas pœna peccati, 1106. b.
Voces angelorum sunt in laude conditoris admiratio intimæ contemplationis, 606. a.
Voces apud secretissimas Dei aures non faciunt verba nostra, sed desideria, 606. b.
Urbanus VI. papa Raynerium de Vaschio constituit sui & Urbis exercitus ducem, creatque Urbis senatorem, 1449. a. & seq. Creat eum vicarium urbis Castrensis pro ecclesia Romana, 1450. b. & seq.
Usura damnatur, 802. d.
Usus illicitus abusio nominatur, 557. d.
Wala abbas Corbeiæ exsilio damnatus, quia veritatem tacere noluit, 378. b. Varia passus est exsilia, 378. e.
Warinus abbas Corbeiæ-novæ, 367. 470. A Paschasio Radberto puer eruditus, 377. d. 378. b. Ei ascititium nomen fuit Placidius, 375. b. Ad eum epistola Paschasii Radberti præmissa libris de fide, spe & caritate, 471. c. De bonis ad meliora quotidie proficit, 378. c.
Wigbodi quæstiones in octateuchum, 296.
Wido archiepiscopus, 923. a. 965. a.
Wissa quid sit, 890. d.
Wiponis proverbia ad Henricum Conradi imperatoris filium, 1095. d.
Uxor debet obedire viro suo, 834. c.

Z.

Zachæi conversio, 140. a. Non dimidium bonorum, sed totum dedit, ibid. 6. Zachæus ditior Christo quam sæculo, 139. a. Per divitias intravit in regnum cœlorum, 139. b. Divitibus aperuit cœli januam, ibid. e.
Zelotes vir qui cum cruciatu custodit castitatem uxoris suæ, 835. a.
Zorobabel templi fundamenta jecit, 287. c. 288. b.

ERRATA.

Pagina 48. *linea* 5. macies, *lege* macie. *Pag.* 63. *lin.* 3. bene dicit, *lege* benedicit. *Pag.* 89. *lin.* 45. laborent, *lege* laborant. *Pag.* 98. *lin.* 29. saturæ, *lege* naturæ. *Pag.* 102. *l.* 27. vis scire, *l.* vel scire. *Pag.* 107. *l.* 7. perditione, *l.* proditione. *Pag.* 114. *l.* 45. servitati, *l.* servituti. *Pag.* 132. *l.* 18. ætherieum, *l.* æthereum. *Pag.* 136. *l.* 8. peccandum, *l.* precandum. *Pag.* 143. *l.* 24. recessitatis, *l.* necessitatis. *Pag.* 146. *l.* 2. prædictionis, *l.* prædicationis. *Pag.* 151. *l.* 28. rebras, *l.* rubras. *Pag.* 169. *l.* 37. manibusque ricabat, *l.* manibus quæritabat. *Pag.* 145. *l.* 56. spiritus mei, *l.* spiritus Dei. *Pag.* 176. *l.* 16. dormiens, *l.* dormieris. *Pag.* 217. *l.* 3. nolumus, *l.* volumus. *Lin.* 51. ei divinis, *l.* ex divinis. *Pag.* 234. *l.* 45. usu, *l.* usui. *Pag.* 237. *l.* 56. uraque, *l.* utraque. *Pag.* 248. *l.* 35. collgendos, *l.* colligendos. *Pag.* 255. *l.* 2. pævenire, *l.* prævenire. *Pag.* 268. *l.* 44. instrinsecus, *l.* intrinsecus. *Pag.* 278. *l.* 10. Josphus, *l.* Josephus. *Pag.* 291. *l.* 28. hebdomadas, *l.* hebdomada. *Pag.* 292. *l.* 27. jussionem, *l.* visionem. *Pag.* 296. *l.* 49. libellis, *l.* libelli. *Pag.* 328. *l.* 9. ceterarum, *l.* ceterorum. *Pag.* 329. *l.* 20. non, *l.* nunc. *Pag.* 375. *l.* 55. plurimum, *l.* plurimam. *Pag.* 396. *l.* 45. Spiritu-sancti, *l.* Spiritu-sancto. *Pag.* 403. *l.* 33. damnari, *l.* damnati. *Pag.* 418. *l.* 3. invitatus est, *l.* imitatus est. *Pag.* 469. *l.* 28. Corbeiensis, *l.* Corbeienses. *Pag.* 471. *l.* 7. collatione, *l.* collectione. *Pag.* 492. *l.* 49. habe, *l.* habere. *Pag.* 496. *l.* 32. viderunt, *l.* viderint. *Pag.* 581. *l.* 57. transiens, *l.* transient. *Pag.* 585. *l.* 35. induceret, *l.* indueret. *Pag.* 618. *l.* 15. numerum, *l.* innumerum. *Pag.* 626. *l.* 7. ut, *l.* ne. *Pag.* 635. *l.* 58. criminante, *l.* comminante. *Pag.* 645. *l.* 15. moram, *l.* morem. *Pag.* 686. *l.* 35. levititus, *l.* leviticus. *Pag.* 690. *l. ult.* similis, *l.* similis Paulo. *Pag.* 704. *l.* 8. sit, *l.* sic. *Pag.* 718. *l.* 16. dici, *l.* diei. *Pag.* 746. *l.* 21. quæ, l. quam. *Ibid. l.* 25. ceperit, *l.* cœperit. *Pag.* 750. *l.* 23. solum, *l.* salsum. *Ibid. l.* 45. efficeris; *l.* efficieris. *Ibid. l.* 652. sicut animi, *l.* scrutamini: *Pag.* 754. *l.* 36. ego, *l.* ergo. *Pag.* 793. *l.* 25. sermone, *l.* sermo ne. *Pag.* 796. *l.* 45. nox, *l.* vox. *Pag.* 805. *l.* 22. merenarii, *l.* mercenarii. *Pag.* 807. *l.* 1. exultat, *l.* exaltat. *Pag.* 811. *l.* 48. omni, *l.* omnis. *Pag.* 831. *l.* 56. quemlibet, *l.* quamlibet. *Pag.* 851. *l.* 5. animam, *l.* Ananiam. *Pag.* 883. *l.* 45. considerantur, *l.* consideranter. *Ibid. l.* 48. conjunctus, *l.* convictus. *Ibid. l.* 50. dolet, *l.* debet. *Pag.* 921. *l.* 7. curribus, *l.* cruribus. *Pag.* 922. *l.* 17. carere, *l.* canere. *Pag.* 926. *l.* 60. habenda, *adde* dicta. *Pag.* 975. *l.* 8. festuca, *l.* festucæ. *Pag.* 1001. *l.* 7. quid., *l.* qui. *Pag.* 1004. *l.* 56. indultitiæ, *l.* indulsisse. *Pag.* 1043. *l.* 35. monachis, *l.* monachi. *Pag.* 1054. *l.* agendo, *l.* agenda. *Pag.* 1072. *l.* 8. erat, *l.* non erat. *Pag.* 1081. *l.* 24. mali, *l.* male. *Pag.* 1082. *l. ult.* corpore, *l.* corpora. *Pag.* 1104. *l.* 37. credo, *l.* crede. *Pag.* 1138. *l.* 20. quæ, *l.* qua. *Pag.* 1155. *l.* 27. mari, *l.* maris. *Pag.* 1174. *l.* 1. ex, *l.* ea. *Pag.* 1202. *l.* 18. abluendo, *l.* abluenda. *Pag.* 1242. *l.* 6. obnubilitæ, *l.* obnubilatæ. *Pag.* 1336. *l.* 41. proptera, *l.* propterea. *Pag.* 1365. *l.* 18. dolo, *l.* idolo. *Pag.* 1366. *l. ult.* aliqui, *l.* aliquos. *Pag.* 1367. *l.* 38. conquierens, *l.* conquirens. *Pag.* 1394. *l.* 1. intruendos, *l.* instruendos. *Pag.* 1404. *l.* 32. antichristum, *l.* antichristus. *Pag.* 1414. *l.* 29. Si sunt, *l.* Hi sunt. *Pag.* 1418. *l.* 27. ego, *l.* ergo.

INDEX ONOMASTICUS
VOCUM BARBARARUM ET EXOTICARUM IN HAC COLLECTIONE CONTENTARUM.

A

ABADAGIA, idem quod bevragia, potationes. *Certa prandia, bevragia, comestiones, pastus, potationes* seu abadagia *exigere*, tom. VIII. 295. d.

Abbatia. *Si requisierint* ABBATIAM, *quam missuri eramus, nuntius vester habeat nos excusatos in hac verba: Fratres quidem parati erant*, & ABBATIA *ordinata*. Hic per abbatiam monachos duodecim intelligas cum abbate, mittendos ad fundandum monasterium, ferentes secum libros & suppellectilem necessariam, vid. S. Bernardi epistolam ad Amedeum Altæcumbæ abbatem, 738. c. tom. I.

Abbatizare, abbatiæ præesse, abbatis officio fungi, tom. VI. 999. c.

Absentare, auferre. *De capite nihil aliud haberetur, sicut percussoris illud* absentaverat *gladius*, tom. VI. 1018. a.

Absa, terra absa, inculta, deserta; cui opponitur terra colonica, tom. I. 334. c. *Voluerunt jurare de villa illa Camaricas, totam tertiam partem & ipsas colonicas, tres* absas *melius debere esse S. Victori.*

Absus, ager incultus. *Mansos septem intervestitos* & absos, tom. I. 88. a.

Acaptare, emere, unde nostrum *acheter*, tom. I. 809. c.

Acapita. *Blada censuum & acapitorum. aut arramendorum, dominis quibus debentur... asportant*, tom. VIII. 1560. b. Præstationes domino debitæ, quæ vulgo relevium dicuntur.

Accensa, census. *Redditus ejusdem* villæ... tenebat ad accensam, tom. V. 139. a.

Accensare, dare ad censum. *Nullus ecclesias* accenset *vel ad firmam det*, tom. VII. 1238. e.

Accordum, compositio, *accord. Exorta exhinc... litigatione... tandem est perventum inter partes ad* accordum, tom. VI. 604. b.

Acunydire, vox Catalonica. Ad certamen vocare, diffidare. Concilio Terraconnensi 1291. prohibetur ne clericus aut monachus prælatum, &c. ecclesiæ Terraconnensis diffidat, acunydet aut acunydari faciat, tom. VII. 291. b.

Adjournare, vadimonium constituere, *adjourner*, 1147. e. tom. IV.

Adquietare, securum reddere. *Medietatem illam quæ in calumnia est*, adquietare *illis omnibus modis elaborem*, tom. I. 381. a.

Æquiparantia, æquiparatio, similitudo, tom. IV. 389. d. *Fuit frigus maximum, cujus* æquiparentia *à nullo tunc vivente potuit recordari.*

Affacturator, affacturatrix, hariolus, fatidicus. *Anathematisamus omnes & singulos veneficos & veneficas sive* affacturatores & affacturatrices *sive divinatores & divinatrices*, tom. VIII. 1510. c.

Affarium, negotium, *affaire. De nulla premissione volumus in hoc* affario *ligari*, tom. I. 1157. e.

Affictus, census & reditus pro locatione fundi. Vox est Italica, tom. VIII. 1503. d.

Affolare, vulnerare, percutere. *Si in villa Hasprensi... ab homine Hasprensi hominem* affolari *contigerit, qui hoc fecerit, membrum pro membro perdet. Si autem occidi; qui occiderit, ipse occidetur*, tom. I. 963. c. inde affolator, ibidem. e.

Affrontare, terminare, finiri. *In locum.. qui* afrontat *de parte orientis in torrentem..* tom. I. p. 353.

Affrontatio, terminus, limes qui in fronte agri est ait Cangius, ibid.

Agalma, imago sigillo expressa ... *Anulus nostrum pinxit suppressus* agalma, tom. I. 280. d. vide Cangium.

Agonitheta, bellator. *Repedat Eadmundus* agonitheta *sua mansionaria*, tom. VI. 832. d.

Ahenia, modus agri, ahenare, arare, terram colere. *Offero... unam aheniam*, tom. I. 546. d.

Alæ, cortinæ à lateribus altaris utrimque dependentes, tom. VII. 1298. d. *Cortinæ convenientes, quæ* alæ *dicuntur, à lateribus altaris utriusque*, f. utrinque, *appendantur.*

Albanus, advena; cui jus civitatis est ademptum. *Fuerunt proclamati dominus Johannes de Valle tamquam inimicus patriæ & dominus Ægidius de Hoio* albanus, *absque revocatione*, tom. IV. 1273. b. 1279. b. c. &c. 1287. a.

Albergum, jus procurationis ALBERGUM *ipsius villæ quod nobis, retinemus*, &c. tom. I. 809. c. vide Cangium in Heribergum.

Albinæ, jus in albanorum bonis *Gall.* Aubaine, tom. V. 1151. a.

Alcantera, pons lapideus. *Offerimus illis... unam aheniam in ripa illius fluminis supradicti, subtus illa* Alcantera *contra* &c. in testamento Adefonsi regis Hispan. tom. I. 546. d.

Aldio, libertus cum impositione operarum factus. *Ut servi*, aldiones... *de publico servitio se subtrahentes..* tom. VII. 9. d. vide Cangium.

Alegarie gestis municipalibus, tom. I. 56. idem quod allegare infra, pag. 58. a. *Gestis municipalibus* alegarie *facias*. Id est in gesta referre. Unde allegatio, ibidem, b.

Alirumna, maga. *Reperit ibi quasdam* magas *quas* alirumnas *dicunt*, tom. IV. 916. b.

Allat, Dea, ab *Allaho* Deus, apud Arabes, tom. IX. 180. b.

Allauciber, Deus major, apud Arabes. Ab *Allaho* Deus, & *acbar*, major. vide Lexi. Castel. *Quidam enim ex eis erant dii in similitudine virorum quidam vero in similitudine feminarum. Nam majores dicebantur* Allaucumbere, *unde sermo iste derivatur in vobis* allauciber, *immolare eis pecora* &c. tom. IX. 180. b. & supra 572. c.

Allegantiæ, fœdus, *alliance. Fuit missus ad faciendas* allegantias *cum Leodiensibus*, tom. IV. 1274. b. Allegantiæ *fuerunt facta* &c. ibid. e. *Littera* allegationum; eodem sensu, 1278. a. b. 1281. c. 1287. c. 1311. c.

Allevaticius. De puero dicitur expositius qui collectus fuerit & allevatus. *Quid enim mendicans (parens) clamitat, nisi te novitium, te assumtum, te illud quod nuper ab his inventum est, qui se homines facere jactant, id est faticium, te* allevaticium, *te nothum spuriumque demonstrat?* tom. IX. 839. a.

Alligare, fœdus inire, *Petitum....... quod Leodienses vellent se* alligare *regi*, tom. IV. 1274. b.

Allocatus, procurator, tom. V. 1138. e.

Almificius, sanctus. *Regulam* almificij *beati Benedicti suscipere*, tom. VI. 1002. b.

Almitagius, magister regiæ classis, tom. V. 1358. c.

Almunia, hortus, apud Hispan. *Unam* almuniam *quam nos vocamus latine hortum*, tom. I. 546. a.

Alogiamentum, hospitium, *logement*. *Est apunctuatum quod qualibet provincia mittant bona hora pro habendo* alogiamentuo, tom. VII. 914. d.

Alozei, nomen idoli Coreiseijtarum & Githsanidarum Arabum. Etym. mulier fortis, ab Arab. *Ozi* fortis. R. azaz fortis fuit & artic. *al.* tom. IX. 180. b.

Alphachini, sapientes seu doctores, & *episcopi* Turcarum. *Ego vero à sapientibus nostris* Alphachinis *frequenter audivi*, tom. V. 570. c. & 572. b. Alphachini *& Cassini ministri scilicet nefandi erroris, episcopi & presbyteri*.

Alta. *tam de* altis *quam de præsidiis*, tom. I. 55. d.

Alteritas, mutatio, vicissitudo. *Verbum de verbo reddidi, non sensum solum, sed & ordinem verborum... sine* alteritate *conservans*, tom. I. 818. c. tom. III. 870. b.

Ama, mensura vinaria. *Abbas ipsi advocato dabit duos modios panis... & unam* amam *vini*, tom. I. 434. a.

Amaricatio, dolor, molestia. *Paternum* amaricavit *animum. Quis enim absque* amaricatione *recenseat*, &c. tom. II. 1293.

Ameliorari, melius valere, *avoir quelque soulagement.* *Ameliorari cœpit in via ipsa*, tom. VI. 1169. d.

Amicare, allicere aliquem & sibi conciliare, amicum facere, tom. IV. 775. tom. V. 520. e.

Amplicare, ampliare, amplificare. *Me autem* amplicavit *caritas Christi*, tom. VI. 742. a. 992. b.

Analogista, tutor qui non tenetur reddere rationem tutelæ. *Relevo dictos executores meos à redditione computi, ipsos* analogistas *faciendo*, tom. I. 1464. b.

Anchorare, anchoras ligare, *ancrer*, *Naves suas* anchoraverunt, tom. V. 89. e.

Anchorisari, anchora fundari. *Spes nostra non in solo æquoris, sed in Christo...* anchorisatur, tom. IX. 520. d.

Ancinga, terræ modus. *Dederunt... de vineis arpennes sex, de terris* ancingas *sex.* tom. VI. 688. b. Item, Accinga. *Dedit... de vineis arpennos... de terra* accingas... 737. a. vide Cangium in Andecinga.

Andelangus, *tradidi... per festucam ac per andelangum*; tom. I. p. 286. e. vide Cangium.

Anfractio, seu affractio, idem quod affranquimentum, à verbo affranquire, in libertatem vindicare, *affranchir. Concessiones, distractiones, vaxallorum* affractiones, *& alienationes hujusmodi.... annullamus* tom. VIII. 1504.

Angariæ, jumentorum & plaustrorum præstationes. *Cum enim vetus consuetudo esset ut... ter in anno calcem ad monasterium deferrent, negligentiores Ministri Redemtione* pro angariis *recepta*, tom. II. 87. b.

Angariæ, præstationes jumentorum & plaustrorum per viam diversam. Gallice, *corvées. Ne nos redigeret in servitutem illam quæ* angariæ & parangariæ, *dicuntur*, Gallice, *courouvées*, tom. VI. 309. c. 310. b.

Angaria, onera certis personis imposita. *Ut servi, aldiones, libellarii... non à comite... ad ullam* angariam, *seu servitium publicum vel privatam cogantur*, tom. VII. 9. e.

Angariatio. *Semper laboravit indefesse*, angariationibus jugibus *diversas peragrando provincias, ut haberetur unio.* Hic angariatio pro molestiis & ingratis peregrinationibus usurpatur, tom. VII. 618. c.

Annuale canonicorum, anni proventus præbendarum tom. VI. 224. a. 225. c. 226. a. 228. d. e. 229. b.

Annullare, rescindere, ad nihilum redigere, tollere, tom. VI. 619. 620. a.

Annulus palatij, episcopi Leodiensis jurisdictio. Provocare ad annulum palatij, est appellare ad episcopum; citari ad annulum palatii &c. 369. a. 414. c. &c.

Antain, *Chiere* antain *madame Jehanne sa femme*. amita, matertera, *tante* f. à verbo antenatus, quod apud Italos usurpatur pro antecessore, tom. I. 1434. b. d.

Anteriorare, præire, antevertere. *Pedites christiani se* anteriorantes, tom. V. 772. e.

Antiphonetum. *Præter divinam Domini imaginem, quam* antiphoneti *appellant, ipsius etiam Niconis effigies expressa* est, tom. VI. 887. c. Hæc forte imago ideo antiphoneti est dicta, quod pulpito apposita seu depicta erat, in quo deponebatur antiphonarium.

Aporisma, certa conclusio. *Ex prædictis omnibus infertur una correllaria conclusio seu* aporisma, tom. VIII. 527. b.

Apparamenta, pacis prolusiones, *preliminaires. Ipsum concilium.... jam inter quam plures reges... plura* apparamenta *& initia fecit, ad dandum modos pro pace*, tom. VIII, 92. e.

Appendaria, ædificium rusticum levioris pretii majori adhærens. *In villa quæ vocatur valleta tres mansos & unam* appendariam, tom. I. 458. a. *Lego... omne jus quod habeo in novem mansis & totidem* appendariis de Bercas, 897. e.

Appertinentiæ. *Cum omnibus* appertinentiis, tom. I. 381. a. *appartenences*, *dependances*.

Appodiamentum, fulcrum *potence*. cum appodiamentis *ligneis ad ecclesiam venire solebat*, tom. V. 365. a.

Appositiones, dierum indictiones, tom. VIII. 155. e.

Apunctare, decernere, statuere, 632. c. tom. VII.

Apunctuare, statuere; apunctuatum, statutum; tom. VII. 914. d.

Appunctuamentum articulus, capitulum, *nonnulla...* appunctuamenta sive capitula... *præsentibus inserenda fecimus*, tom. IV. 1195. a.

Arcellum, arcus. *ante* arcellum *capituli.* In monasteriis erant arcus ex utraque parte in introitu capituli, tom. V. 1109. e.

Archibusus, sclopeti genus, *arquebuse*, *Tormenta etiam quæ* archibusos *vocamus, portantes*, tom. V. 1466. d.

Arcubusarii, sclopetarii, *arquebusiers*, tom. V. 1417. b.

Archiclavis, thesaurarius in ecclesia Cathedrali, tom. VI. 720. a.

Arcobalistarius, qui arcu baleari utitur. *In Italicam expeditionem ducet... quinquaginta* arcobalistarios, tom. II. 524. b. v. Balistarius.

Arenga, oratio publica, concio, *harangue. Fecit quamdam* arengam, *assumens thema* Pax vobis, tom. VII. 1082. e.

Arma, insignia, *armes*, scutum gentile, tom. IV. 1291. e. *Imagines* & arma *Domini de Bourbon ubique lacerata.*

Armata & armatura, exercitus, nostris *armée. Ostendit eis* armaturam suam *faciendo multos transire armatos ante eos.* tom. IV. 1285. c. *Nec audebat spectare* armatam *domini sui.* 1361. d.

Armelansa seu armelausa idem quod Armelus, vestis humeros tegens, scapulare. *Dedisse fratribus S. Martini Antoniacum villam, ad eorum* Armelansas, tom. I. 118. e. *Hinc* armucia, almucia, aumucia &c.

Armorica. *Antiqui* armoricam, *hac vox illorum lingua* juxta mare sonat, *dicebant*, tom. V. 1446. c.

Arnense, suppellex. *Cum omni eorum comitiva, famulis, equis, mulis, jumentis*, arnensibus *ac rebus omnibus*, tom. VII. 819. c.

Arpenna. *Quasdam etiam* ARPENNAS, id est, *vineas quibusdam servientibus suis beneficiaverit*, tom. I. 428. b. idem quod arpendium, arripendium. Certus vinearum modus. vide Cangium in voce Aripennis.

Arramenda. *Blada censuum & accapitorum aut* arramendorum *dominis quibus debentur... asportant*, tom. VIII. 1560. b. Vox forensis, mulcta pro defectu, cum quis actioni intentatæ non respondet. vide Aremia apud Cangium, seu potius adramire.

Arrendare, ad censum ponere, vel locare ad emphy-

teosim, tom. I. 1392. b.
Arrendator. Qui recipit ad censum annuum. *Mandantes omnibus & singulis vassallis*, arrendatoribus, *agricultoribus, colonis, censuariis*... tom. VIII. 1002. d.
Arrendamentum, prædii locatio ad censum. *Omnis venditio, obligatio, alienatio vel* arrendamentum *factum seu facta de prædictis redditibus meis.* tom. I. 1392. b.
Arreragia, debita quæ in jure dicuntur, reliqua. *Arrerages.* tom. VI. 612. VII. 1124. a.
Arreragia, usuræ, tom. VI. 612. e. 613. a.
Arrestare. Manum injicere, cohibere in vinculis, tom. V. 219. b.
Arrestare se, insistere alicui rei, ipsi inhærere. *In Scriptura sacra littera... nimis se fundant &* arrestant, tom. VIII. 349. e.
Asscultus, exsculptus. *Quibusdam instrumentis cervini in modum pedis* ascultis, *calciatus erat*, tom. V. 1093.
Asquites, Ascites, hydropisis species, in qua plus humoris, minus spiritus. *Tantum passus est in ventre dolorem*, ut asquiten vel tympaniten *incurrisse crederetur*, tom. VI. 1040. e.
Assasinus, sicarius. *Et sic... convertatur... medicus in* assasinum, tom. VIII. 534. e.
Assecurare, aliquem certiorem facere, tom. VIII. 405. e.
Assentia, idem quod accensa, prædium, villa, terra ad censum data. *Quod si comes domum vel firmitatem ædificaverit, quantum terræ ad hoc opus ceperit, tantumdem & nos ad domos nostras & ad* assentias *nostras componendas occupabimus*, tom. I. 915. b.
Assidei, sicarii. *A duobus sicariis, quos* assideos *vocant, cum cultellis occiditur*, tom. V. 1035. a.
Assideare. *Wido de Lavallia frater* assideavit *libras ccc. in terra sua*, tom. V. 1358. e. id est assignavit in terra sua libras ccc. percipiendas.
Assisia, impositio. *Leodienses necessitate compulsi sunt firmitatem* seu assisiam *super vino & sale exigere*, tom. V. vide Firmitas.
Assistentia, auxilium, subsidium. *Gall.* assistance, *Cum Leodiensis episcopus communitatem requireret ut sibi* assistentiam *& armatos præberet*, tom. V. 276. d. vide & tom. IV. 1366. b.
Attædiare tædium afferre, *ennuyer*, tom. VII. 367. a. tom. I. 1506.
Attestis, testis, tom. VIII. 216. a.
Attollentia, elevatio. *Retolo sacro sancti corporis* attollentiam, tom. I. 708. a.
Attornatus, positus, constitutus cum aliis ad quoddam munus obeundum alternis vicibus. *Et viderunt quod timorem habuerunt de obsidione, &* attornati sunt *quatuor homines de communia, ad unumquemque quernellum custodiendum & hurdandum eum*, tom. I. 1062. b.
Avesium, bona mobilia. Avesio *deportato, castrum tradiderunt*, tom. IV. 421. c.
Avisamentum, consilium, *avis. Nec fuit* avisamentum *illud ecclesiasticum & quieti spiritus*, tom. VI. 1314. e. eodem sensu videtur usurpatum, tom. VII. 631. b. *Voluit rex habere* avisamentum *dictorum deputatorum, super modo procedendi.*
Avisare, deliberare, statuere, tom. VII. 776. a. Intendere, tom. VIII. 155. c. d.
Avisare, admonere. *Vestram paternitatem de singulis avisabimus*, tom. VIII. 159. e, & 165. a. d.
Avisatio, mandata, *instructions.* Hoc sensu usurpatur, tom. VIII. 153. a. Avisationes *nostra vos non tardabūt.*
Avisatio, monitio, *avis*, tom. VIII. 165. c. *Hac... vestra majestati pro* avisatione *volui intimare.* 186. a. 198. e. 199. a.
Avisatus, admonitus. *Paternitates vestras scriptis nostris....* avisatos *effecimus.* Attentus, ibid. 198. a. *Quæ res... singulos fidei catholicæ zelatores merito reddere debet* avisatos.
Authentica remissio peccatorum, proprie remissio soli Deo conveniens, tom. VIII. 400. c. Subauthentica, quæ Christo homini competit ratione humanitatis unitæ Verbo, tom. VIII. 401. a.
Authenticare, approbare, auctoritate probare & confirmare, tom. VIII. 365. c.
Autorista, magister. *Qui tot concomitatus es* autoristis, tom. II. 1431. c.

B

BACILLE, pelvis, *bacin. Ut duo* bacillia, *calicem, thuribulum... acquirat*, tom. VI. 245. d.
Balbuzare, balbutire. *Lingua* balbuzat, tom. VIII. 46. d.
Baldekinus, baldakinus, pannus pretiosus, tom. IV. 393. e. 394. c.
Balea seu balia, machina jaculatoria. *Sarraceni infra civitatem quantum ad jactum* baliæ, *occisis christianis, sunt ingressi*, tom. V. 127. c.
Balea vertiginalis, machina jaculatoria, quæ quaqua versum convertebatur, & plura simul tela in circumastantes emittebat, tom. V. 777. c. d. Bipedalis, non bipedilis, ut male legit Cangius, quæ duobus pedibus innitebatur, ibid. e. Communis, arcus balearis, ibid.
Baleare, jaculari. *Christiani* baleantes, *maximam partem perfidorum in area prostraverunt interemtam*, tom. V. 772. d.
Balistarii, qui arcu baleari utuntur in præliis. A balistariis *& militibus nostris undique vallati... condignas meritis pœnas exsolvere*, tom. I. 909. c.
Balia, balivatus, lex, tom. VII. 931. e.
Ballium, administratio rerum & bonorum pupilli. *Comes vero Ludovicus mihi faciet hominagium sicut de* ballio, tom. I. 1029. c. & paucis interjectis, *Guillelmus vero Remensis archiepiscopus, recepit me in feminam tamquam* de ballio... *& ego faciam Domino meo Philippo Regi Franciæ hominagium ligium sicut* de ballio.
Bancale, tapes quo scamnum insternitur. *Multitudinem copiosam ornatuum inauditorum ... acquisivit; videlicet magnorum ex lana dossalium, cortinarum, fasterdium, tapetum,* bancalium... tom. V. 1106. d.
Bancarius, mensarius, nummularius, *banquier*, tom. IV. 1147. b.
Bancus, sedile ligneum, scamnum, quod pluribus sufficit, tom. VI. 608. d.
Banchus, tribunal in quo causæ expediuntur. *Juxta* banchum *audientiæ episcopalis*, tom. VI. 1243. e.
Banderiæ, vexilla. *In summitate ecclesiæ prædictæ villæ posita* banderiæ *Papæ*, tom. VIII. 593. b.
Bannitio, proscriptio, tom. V. 364. b.
Barale. *Unum barale vini quod sex* migerias *continet*, tom. VI. 477. c.
Baranca, forte legendum barata, barateria, fraus, acquisitio illicita. *Si qui sint cum quibus notum sit quod fieri habuerimus* barancas *aliquas, & dicant nos in aliquo debito obligatos*, tom. I. 1408. b.
Barbota, navis tecta. *Tela & recentiora præsidia, tecta navigia quæ* barbota *vocant, submittebant*, tom. V. 1186. e.
Barka, parva navis. *Fratres de Accon venerunt cum* barka, &c. tom. V. 71. b. tom. VI. 420. c. 1305. c.
Barreria, repagulum, vallum, munitio, agger. *Impetum in alteram* ex barreriis, *seu bastidis nostris, circa medium positum constructis fecerunt*, tom. VIII. 192. c.
Barrium, vicus. *Quittavit Deo & dictis fratribus... domos suas sitas...* in barrio, *sive vico de* Salern, tom. VI. 521. b.
Bassus *locus*, locus demissus, *lieu bas*, tom. V. 794. d.
Bastaxius, bajulus, Italis bastagio. Bastaga, onus, tom. VIII. 307. d.

Bastida, v. Barreria.
Bastilla, seu bastilia, arx, castellum, tom. VI. 622. b. Turris. *Ad obsidendam quamdam* turrim seu bastiliam, tom. IV. 803. a.
Bastimentum, ædificium, *Bâtiment. Faciemus destruere ipsum* bastimentum *quod super ecclesia de Aristot noviter est ædificatum.* tom. I. 1091. tom. VI. 457. e. 458. b.
Bastionarius, bedellus, virgifer. Bastionarius S. *Petri.* tom. IV. 1341. b.
Bauliva, idem quod banleuca. *De duellis quæ judicantur in curia thesaurarii, si pugnaturos* baulivam *exire contigerit pro duello faciendo, & pax inde facta fuerit, comes inde habebit septem solidos* &c. tom. I. 1103.
Bedellus, apparitor, *bedeau.* Bedelli *scholarium Parisiensium.* tom. VI. 270. c.
Beduini, Turcæ Arabiæ. *Illuec sestoint logies Turcs d'Arabe, que l'on apele* Beduins. tom. V. 585. a. vide & pag. 548. a. 560. d. ubi dicuntur nec castellis nec domibus uti, sed tantum de rapinis vivere. Unde & dicti: Turci silvestres.
Belthalla. *Templum Domini, quod* Belthalla *vocant... polluerunt.* tom. V. 572. b. id est domus dei.
Bendellum, linteum quo frontem cingunt hi qui sacro chrismate liniuntur. tom. VII. 1294. a. Bendellus 1372. c.
Beneficiare, in beneficium seu in feudum dare. *Advocationem.... nulli umquam* beneficiet. tom I. 378. & infra: 418. b. *Quasdam etiam Arpennas, id est vineas, quibusdam servientibus suis* beneficiaverit.
Beneficium, terræ prædium in feudum datum. tom. I. 178. b. c. d.
Benignari, molliri, sedari. *Blasphemi* benignantur. tom. VI. 1008. c.
Berfredi, belfredi, verfredi, bilfredi Gall. *beffroys*; machinæ bellicæ in modum excelsioris turris extructæ, ait Cangius, quem videsis in voce Belfredus. *Munimentum totius Bulgariæ in* berfredis *ac propugnaculis.... præcepit communiri.* tom. I. 909. e.
Berteciola, vexillum apud Italos curru impositum, vulgo dictum carrocium. *Capti cum suo curru, carrocium dixere, quibus eo sæculo sub nomine* berteciolæ *utebantur.* tom. V. 1334. c.
Bevragia, potationes. *Comestiones & pastus, potationes* & bevragia. tom. VII. 295. d. 297. a.
Bibalia, compotationes. *Dati fuerunt eis L. floreni Rhenenses* pro bibalibus. tom. IV. 1258. Pro bibalibus, *pour boire.* 1291. d.
Biblictæ, biblietæ, machinæ bellicæ, jaculatoriæ, à voce biblia. *Petrariæ,* biblictæ, *perdicettæ.* tom. V. 769. c.
Bicarium, vas, calix. *Sacerdos juxta consuetudinem, generalem fecit ablutionem, in* bicarium, *deforme quidem.... & nigredine sordidum.* tom. I. 997. d. Et paucis interjectis: *Inquirentibus.... quidnam de contenta* in bicario *ablutione faciendum esset..... apparuit* in bicario *caruncula cruenta.* & paulo infra. *Servatum est vas, & contentum intra vas sacramentum.*
Bidardus, levis armaturæ miles, veles. *Conduxit quoque quosdam* bidardos, *qui duo missilia sive jacula semper ferre solebant, qui etiam juxta Orosium & Vegetium & Renatum, velites, sive levis armaturæ vocabantur.* tom. V. 140. d.
Bifaciare missas, duas missas sub uno canone dicere. *Ne aliquis sacerdos aut in nundinis aut alibi* bifaciet aut trifaciet missas, *contra canonicas* sanctiones. tom. VII. 98. d.
Bifangum, locus clausus viles casas continens, viculus. Bifangum..... *& mancipia ibidem pertinentia.... ad proprium tribuimus.* tom. I. 146. d. & infra 178. a. *In commarca ipsius villæ* bifangum *unum, ubi possint ædificare mansa centum; nec non insaginari porci mille.*
Birotum, plaustrum, vehiculum duabus constans rotis. tom. VI. 755. d.
Bizantius, Nummus aureus Constantinopoli cusus. *Habebat.... camelos triginta, onustos* bizantiis aureis, *spissis & latis ad similitudinem palmi, quorum unusquisque valebat centum* bizantios. tom. V. 76. e. item tom. IV. 333. d.
Blaffardus, moneta Leodiensis. *Petivit.... pro modio spelta unum* Blaffardum. tom. IV. 1231. e.
Blaveus, color ceruleus, *bleu. Sol visus est totus* blaveus *& parvus, nullos emittens radios.* tom. IV. 1280. c. item tom. VI. 627. a. &c.
Blulardi, monetæ minutæ species apud Leodios. *Cœpit facere monetam cupream* de bulardis, *faciens proclamari* suos blulardos ad sex denarios *& domini de* Heinsberg. ad IV. denarios. tom. IV. 1231. d.
Bochium, seu becium, ostium alvei. *Dedimus ecclesiæ S. Victoris salmonem qui* in bochio de Copopey *primo capitur.* tom. VI. 269. b.
Boddiferi. *Modius spelta Leod. vendebatur pretio* 45. boddiferorum, *quorum 36. valebant florenum Rhenensem.* tom. V. 445. a.
Boiarii, Nobiles inferioris ordinis apud Polonos. *Nobiles* boiarii. tom. VIII. 575. c.
Bola, meta. *De invasione* bolarum. tom. I. 694. e.
Boletarii passuum, spiculatores, scriptores litterarum quibus permittitur liber transitus per villas &c. *Thelonariis,* boletariis passuum, *custodibus civitatum.* tom. VIII. 12. b.
Bombarda, petrariæ species. *Traxerunt* bombardas suas *contra Boviniam.* tom. IV. 1275. a. 1277. d. 1280. a. 1297. a. 1309. b. 1312. d. 1313. a.
Bombax, gossypium, *cotton.* tom. V. 770. e.
Bordagium, prædium rusticum, *gallice bordage.* tom. I. 481. c.
Borderiata terræ, prædium rusticum, nostris *bordage.* tom. V. 1121. e.
Bosclium, idem quod buscale, dumetum. *Cum suis garricis & pascuis, cum ermis &* boscliis *ipsis.* tom. I. 356. a. *forte legendum,* boschis.
Botonei, globuli, fibulæ sphericæ. *boutons. Clerici.... non portent.... vestes cordatas nec* botoneos aureos. tom. VII. 279. a.
Bottus, idem quod buttis, buta, dolium. *tres naves continebant* sexcentos bottos, *reliqua vero erant* ducentorum bottorum. tom. V. 797. c.
Braciaria. *In Castello Ornione habet ipsa ecclesia tres* braciarias, *unam dedit Boso, aliam Isnardus, aliam Lambertus.* tom. I. 401. a. idem forte quod brachiata, mensuræ agrariæ species.
Branca, jus excidendi ramos in forestis. Brancas *etiam de Leia quantum necesse fuerit ad focum monachorum* (concessimus) tom. I. 774. d.
Brando, fax, tæda. *O nefanda rabies in cordibus invidorum, nam scintilla corrodit* brandonem *unum.* tom. VI. 203. a.
Brandones. *Dominica* brandonum, prima quadragesimæ. tom. VII. 146. a.
Brassare, cervisiam coquere. tom. I. 894. b.
Braxator, cervisiæ confector. *Brasseur.* tom. V. 335. e. 342.
Braxator medonis, mellis. tom. V. 212. c. in chronico Flandriæ cap. 72. legitur: *une brasseresse de miel.*
Braxina, locus ubi cervisia conficitur. tom. IV. 1134. c.
Braxinare, cervisiam conficere. Braxinare *fortem cervisiam.* tom. IV. 1231. b.
Brennagium, tributum furfuris, præstari solitum pro canibus venaticis. tom. I. 652. c. *Bren.* furfur.
Briga, jurgium, rixa. *Illi manerent* sine briga cum monachis. tom. VI. 507. d.
Briga, conspiratio. 1225. d. tom. VII.
Brigantini, lintres, naves exploratrices. *Lintribus exploratoriisque*

exploratoriisque navigiis, quæ brigantinos *vulgo appellamus.* tom. VIII. 192. e.

Brobaturæ, *leg.* brodaturæ. tom. VIII. 244. c.

Brodatura, opus acu pictum. *Rex Ludovicus fecit præparari quosdam pannellos, habentes levem atque subtilem* brodaturam. tom. V. 89. a.

Brodinium, jus carnium elixarum, brodium, *broët. Paratis offis in* brodinio *carnium.* tom. V. 315. d.

Brutinina melodia, brutorum clamor: *canes venationis multos habent, quos.... audire latratibus suis melodiam facere* brutininam *quibus placet, oblectet.* tom. II. 1392. e.

Buding, budingum, placitum abbatis, *Quotiens vero abbas vel suus villicus.... infra terminos abbatiæ placitum habere voluerit, quod vulgariter* Buding *dicitur.... nihil in tali placito advocatus requirat.* tom. I. 431. c. vide Cangium.

Buffaria, f. idem quod nos *rebuffade*, repulsa, superbum fastidium. *Conatus est suam apertam contumaciam atque* buffariam *fucatis coloribus excusare.* tom. VII. 758. e.

Bullare, obsignare. *Fidem Christo proprio sanguine* bullantes. tom. VI. 204. a.

Bunuarius, bunuarium, modus agri. tom. I. 177. e. 178. a. b. c.

Burbang, banleuca, burgibannum: *Si quis infregerit bannum, quod lingua Teutonica dicitur* Burgban. tom. I. 552. d.

Burdo, mulus, asinus. tom. VI. 937. a.

Burgosatica, burgensatica, prædia quæ a burgensibus possideri poterant. *Non permittas fratres ipsos contra privilegia ipsa & contra justitiam molestari: dum tamen feodalia &* burgosatica *regni nostri non sint.* tom. II. 1184. b. Et paucis interjectis: *acquirere sibi feodalia vel* burgosatica *prohibentur.* Feodalia a solis poterant nobilibus possideri.

Burina, seditio. *In his locis possidet ecclesia bannum & justitiam, impetum &* burinam, *ictus & sanguinem.* tom. I. 710. c. item 894. c. tom. IV. 1172. d. ubi legitur burma pro burina, item 1175. b.

C

Caballarius, eques, miles, nostris *cavalier. Feritatem illorum suavissima urbanitate* Gallicis caballariis *commendans.* 524. d.

Caballarius, eques ad ecclesiæ tutelam, ut videtur, institutus. *Unum etiam* caballarium *cum omni beneficio suo* (contulit) tom. I. 376. b.

Cabballatio, idem quod cavalcata, equitatio. *Non corveiam, non ire in nostram* caballationem, *neque in hostem.* instrum. Ludovici VI. pro abbate S. Petri Carnotensis. tom. I. 633. e.

Cabiscium, f. capucium. *Nec portent* (clerici) *sotulares consutitios, nec rota tractos; nec aliquas induant seu portent vestes virgatas cum* cabiscio *fisso in longum.* tom. VII. 279. a.

Cadeti, natu minores, *cadets. Cum ad primogenitos filios hereditas paterna perveniat, tota ferme Gallia qui postea nati sunt,* quos cadetos *vocant, plerique omnes regis stipendiis aluntur.* tom. V. 1441. a.

Cadivus, caducus, epilepticus. *Gutta quam* cadivam *dicunt laborabat.* tom. IX. 808. b.

Caffechaki, populi Arabiæ. tom. V. 548. a.

Cahourcini, mercatores Italici, usuris famosi. *Ne quis in domibus vel in locis & terris ecclesiarum Lombardos, vel alios advenas, qui* cahourcini *dicuntur, manifestos* usurarios *recipere præsumant.* tom. VII. 1364. c.

Calannus, navis species, de qua plura Cangius in voce Chelandium. nostris *chalan.* quo sensu usurpatur. tom. V. 1119. b.

Calixtini, sic dicti apud Bohemos sæc. 15. qui calicem in eucharistiæ sacramento appetebant. tom. V. 1452. a.

Caminata, camera cum camino. *In caminata nostra Corbeiæ... respondebitis.* tom. II. 546. e.

Cammenata, conclave. *Duos.... secum in sua ducent navali* cammenata. tom. IV. 206. c.

Caminus, via, Gallice *chemin.* tom. I. 548. c. in instrumento Adefonsi regis Hispaniarum.

Campalis lex, lex duelli. Legendum forte est, lis campalis, uti in carta Adefonsi regis apud Hieron. Blancam, pag. 640. bellum, seu duellum campestre. *Totus comitatus sit omnino in districtu abbatis... falsa mensura, & latro, &* lex campalis *& sturma & burma,* (l. burina) *& omnia ad comitatum appendentia.* tom. IV. 1175. b.

Campanaria, campanarum cura. *Item* campanariæ *non vendantur, sed gratis alicui honestæ personæ concedantur.* tom. VII. 113. a.

Campanarius, qui campanas pulsare solet, campanarum custos, clericus vulgo est in ecclesiis cathedralibus. Campanarii *sine camisia in superiori, non serviant in ecclesia.*

Campars, campipars, vectigal agro impositum, vulgo *champars.* tom. VI. 223. e. *Terra uni carrucæ sufficiens cum decima &* camparte *ejusdem terræ.*

Campizare, castrametari, *camper. Persona sua in hiemali asperitate algoribus* campizando, *plurimum læsa.* tom. VIII. 86. c.

Camversini, qui & caturcini, caursini, corsini; mercatores Itali, ait Cangius, & exemplis probat, usuris famosi. tom. VII. 1380. &c.

Candidatorum ministerium, *id est eorum qui telas dealbant.* tom. V. 459. d.

Canelus, canella, canelle. *Istud oro quod a vobis mihi gariophilum &* canelus *mittatur.* tom. VI. 245. b.

Canonicare, canonicum facere. Et canonicavit *eum in ecclesia S. Stephani.* tom. VI. 1026. e.

Canonicus ad succurrendum, qui instante mortis periculo canonici veste induitur. tom. VI. 238. d.

Cantare missam, id est celebrare. tom. VII. 1283. c. d.

Capellanita, capellanus, *aumosnier. Grimoaldus deposito seculi habitu professus est eum* capellanita. tom. VI. 996. b.

Capitagiarium, territorium in quo solvitur domino census capitis. *Decretum est etiam a nobis & a comite, quatenus omnis servus & ancilla* capitagiarii, *per annum & diem Bronium & S. Laurentium commorantes, ab anteriore domini sui exactione & morti manu.... penitus absolvantur.* tom. I. 709. a.

Capitalitium, census per singula capita solvendus. In historia Andaginensi usurpatur pro eleemosyna quam quisque ad S. Huberti limina confugiens, vitandæ rabiei causa, persolvit. *Cubicularius Adelaidis ex more incisus, & soluto* capitalitio, *servus sancti effectus.* tom. IV. 935. a.

Caplatia, forte idem quod capula, parva cappa. *de cappis manicatis, vel super humeros crispatis non habendis.... nec* caplatiis *loco cappæ.* tom. VII. 1362. c.

Capsis, capsa, *chasse. jussit levari sacras reliquias, atque in duabus* capsidibus *ligneis.... locari.* tom. VI. 983. c.

Capulla, chrismale recens baptizati. *Prohibemus ne* capullæ *baptizatorum ponantur in aliis quam ecclesiasticis usibus.* tom. VII. 1362. a.

Caravellæ, vox Italica. *Tumultuantes navigia combusserunt, & eas quæ* caravellæ *appellantur secuerunt.* tom. VI. 930. d.

Caristia, annonæ caritas, *Gal. cherté. Fuit.... magna illic panis & victualium* caristia. tom. V. 493.

Carivaria, convicia olim facta viris & mulieribus secundo & tertio nubentibus. *Inhibemus omnibus... ne faciant larvas seu* carivaria *super matrimoniis faciendis.* tom. VII. 1271. b.

Carlis, currus, *chariot.* Carlem *exilit.* tom. VI. 831. a.

Carnanni, populi Arabiæ felicis, quorum urbs Carna. tom. V. 548. a.

Carnetum, sepulchrum. *Suum insuper* carnetum *retro B. Mariæ cryptam.... ædificaverat.* tom.V. 1117. d.
Carrata vini, dolii vinearii species. tom. VIII. 1490.e.
Carreria publica, via lata, *rue.* tom. VI. 459. a.
Carrifigium, vectura a vassallo debita. tom. I. 144. e. f. legendum carrigium.
Carrigium vectura, carrus onustus, *charroi. Nec teloneum sive de* carrigio, *sive de navigio.... exquirere.* tom. I. 148. 225. c. 226. b.
Carrotium, vexillum exercitus in curru impositum. *Fugavimus ipsos omnes usque ad* carrotium *eorumdem.* tom. II. 1151. e. *Plurimi capti cum suo curru,* carrocium *dixere, quibus eo sæculo sub nomine berteciolæ pro vexillo utebantur.* tom. V. 1334. c.
Carrucare, vehere, exportare. *Arare, seminare, runcare,* carrucare.... *a populo.... exigere consuevere.* tom. VII. 10. b.
Cartamentum, carta, instrumentum. tom. VI. 476. e. *Prout in* cartamentis *& litteris inde confectis plenius continetur.*
Carto, terræ portio, unius cartonis frumenti reditus. *Sibi acquisivit* cartonem *Cathedræ.* tom. I. 350. e.
Cassini. *Igitur Alphachini &* Cassini, *ministri scilicet nefandi erroris*, episcopi & presbyteri, *secundum opinionem Saracenorum, primum templum domini.... ascenderunt....* tom. V. 572. b. Sunt igitur Cassini sicut & Alphachini legis Mahometicæ ministri & doctores.
Cassare, cedere, in feudum dare. tom. IV. 965. a.
Castangentum, castanetum, *Chastaigneraie.* tom. I. 347. e.
Castellatus, castellaniæ districtus. Castellatus *Hoyensis.* tom. IV. 1308. a.
Castelria, idem quod castellaria, feudum castellani, castellum. *Hoyenses petierunt sibi francias &* castelriæ *suæ sigillari.* tom. IV. 1278. c.
Casticiæ, ædificia, casæ. *Cum omnibus ædificiis* ac casticiis *superpositis, atque mansis.* tom. I. 185. c. *Contulimus eis quoddam saticum in confinibus scilicet Adalberonis.... situm, cum omnibus* casticiis *superpositis.* tom. II. 47. d.
Catallum, bona mobilia & immobilia. *Nulla ecclesiastica persona debet aliquem tradere* (lege trahere) *in causam pro fide vel sacramento quod fiat de laico feodo* vel catallo *hominis laici: sed si fides data fuerit de* catallo *maritagii, vel de legato mortui, vel de* catallo *clerici vel cruce signati, de causa illa potest bene judicare.* tom. I. 1060. a.
Catelum, idem quod catallum, capitale; quibus vocibus bona omnia mobilia cujusque generis significantur, ut multis docet Cangius. *Abba autem vel præpositus.... potest omni tempore hominem de placito in camera sua mundare, & de* catelo *suo super eum clamare.* tom. I. 382. a.
Cathechismatus, instructus. *Deus per apostolos suos mundo contulit leges, quibus* cathechismati *homines....* tom. I. 442. b.
Cathedraticum, pensio episcopo debita, in signum subjectionis. tom. VI. 448. b.
Catholicon Armenorum, primas, qui a Guillelmo Tyrio dicitur, maximus Armenorum pontifex. tom. VII. 312. b. c. & seq.
Catholum, kartulum, katulum, in quo efferebantur mortui ex Isidoro. *Sarcophagum aperuerunt, anulumque aureum cum digito &* catholum *argenteum,* & *quinque solidos antiquæ monetæ invenerunt.* tom. V. 1122. c.
Cata, felis, *chatte.* tom. VIII. 523. c.
Cattus, felis, *Gall. chat. Canes &* cattos *non abhorrebant devorare.* tom. I. 801. c. *More* cattorum *ambulabat per tecta domorum.* tom. V. 293. c.
Cattus, machina bellica, vineæ, sub quibus miles in morem felis, in subsessis aut insidiis latet. tom. IV. 1205. item tom. V. 389. d. *Quoddam instrumentum ligneum ex trabibus immensæ magnitudinis construentes, quod* cattum *nuncupabant, substratis artificiose rotis ligneis, ad diruendum muros... minare cœperunt.*
Cavalcata, equitatio, exercitus. *Serviat ei... sicut homo debet servire suo meliori seniori, & faciat ei* hostes & cavalcatas. tom. I. 545. d. 1093. a.
Cauma, f. *idem* quod ustrina, fabrica ferraria, fornax. *Liceat abbati & fratribus ibidem habere &* caumas, *& furnos & arces, & molendinos* &c. tom. I. 816. b. item casa, tugurium calamis tectum, *chaumine.*
Celata, tegula. *Ascendit ad* celatas in sinistro latere, *ac magnum ibi foramen, asseribus depulsis, reliquit.* tom. IV. 1116. b.
Celeum, ephippium, *selle de cheval. Equitantibus sub* celeo, *pretiosissimis sametis & baldekinis facto.* tom. IV. 393. e.
Cenaticum, refectio a militibus exacta, dum irent in stationes suas. *Nullum teloneum... aut* cenaticum *aut pastionem aut trauvaticum aut ullum occursum... accipere aut exigere audeat.* tom. II. 22. d.
Cendallum. *Palliolum* de cendallo, id est de serico. tom. VII. 100. b.
Cendatus, pannus sericus. *Clerici... pannis rubeis vel* cendatis, *seu viridibus aut virgatis tunicis non utantur.* tom. VIII. 1469. e.
Censarius, censui ob noxius. In statutis ecclesiæ Leod. tom. VIII. 1492. d.
Censuarii, qui censum præstant. *Mandantes omnibus & singulis vassallis arrendatoribus, agricultoribus, colonis* censuariis... tom. VIII. 1002. d.
Centuria, zona. apud nos *ceinture. Clerici...* centuriis *sericis quoque deauratis... non utantur.* tom. VIII. 1470. a.
Certificatio, confirmatio, securitas. *Qui paulo ante... descendebat in interitum nunc...* certificationis *recipit antidotum.* tom. VI. 1007. d.
Certiorare, facere certiorem. tom. VIII. 726. d.
Certitudinaliter, certò. tom. V. 782. e. certitudinaliter *agnoverunt.* tom. VI. 301. b.
Cervisiare, cervisiam coquere. tom. VII. 72. d.
Cessum, interdictum, cessatio a Divinis. Cessum *huic ecclesiæ litigii causa per ipsum impositum... annullavit.* tom. VI. 619. b.
Chatharinati, cultui S. Catharinæ Senensis addicti. tom. VI. 1367. c.
Chelandra, navis miræ longitudinis & celeritatis, ex utroque latere duos tenens ordines remorum ac 150. nautas, ait Ditmarus. lib. 3. tom. II. 1198. sæpe occurrit.
Choreatii, chorearii, clerici qui choro tenentur interesse. tom. VII. 1424. d.
Christicola, monachus. *Auro textis depositis vestibus,* christicolarum *habuit habitum, seseque* christicolarum *adsc̄isci numero... efficitur.* tom. V. 910. b.
Cibanum, pileus Turcicus. *turban.* Cibanum *sericum & sarbuissimum auro ornatum... amputato pelliculo membri verendi, ab ipso Saladino acciperet.* tom. V. 563. c.
Cinctura reginæ, præstatio seu impositio, quæ olim hoc nomine exigi solebat, & quandoque exigitur. *Imposuit rex talliam magnam toti regno pro* cinctura *reginæ.* tom. V. 328. d.
Cineresco, in cinerem redigor. *Ecce sub externi* cinerescit *cespite fundi.*
Circada, census episcopo debitus aut archidiacono, pro visitationibus. *Retentis... synodis,* circadis *& si qua alia* &c. tom. I. 606. e. item 891. a. *Eo tempore quo aliæ ecclesiæ de episcopatu* circadas *solent donare.*
Circuitio, idem quod circada. *Synodales exactiones,* circuitiones, *visitationes* &c. tom. I. 437. a.
Civata, avena. *Præcipimus restituere duodecim hemi-*

nas frumenti & duas civatæ. tom. I. 1132. c.

Clamare, queri, judicium queribundum intendere. Gall. *former complainte.* Unde clamor. *Si quis causam* clamoris *habens, in præsenti* clamare *distulerit, usque ad diem alterius placiti omnino* clamare *non poterit.* tom. I. 382. a.

Clamentum, clameum, clamor, actio intentata ad recuperandum aliquid. *De banno pro* clamento *pertinet ad abbatissam.* In legibus Calæ, tom. I. 1353. b. ubi male legitur proclamento.

Clangorosæ voces, clamores horridi & inconditi, tubarum sonitum imitantes. *Intrantibus igitur Sarracenis... intra civitatem, cum vocibus* clangorosis, *lethali deducendo cæsione.* tom. V. 778. c.

Clare, claretum, vinum confectum. *Quatuor pota vini confecti, quod* clare *vocant... accipit.* tom. VI. 620. a.

Cleperus, idem quod creperus, dubius, anceps. *Jam res* clepera & anceps *esse non poterat.* tom. VI. 1053. b.

Clinekardus. Monetæ genus apud Leodios. tom. IV. 1134. a.

Cloxedra, Clocidra. Sic appellatur S. Clotildis, Clodovei regis uxor. tom. VIII. 215. e. *Ut ille flos dignissimus sancta* Cloxedra, *regis Burgundiæ neptis Clodoveo regi Francorum, sed pagano matrimonio copularetur.* Et 216. c. *Ex quibus illa sanctissima* Clocidra *quæ regi Clodoveo sicut & coronam ita & fidem catholicam detulit.* Item pag. 217. a. *Gloriosa illius sanctæ mulieris* Clocidræ *proles.*

Clusplaghher, *dy clusplagher*, vox Flandrica. Fustuarii, factio juvenum, qui ineunte anno 1461. coire cœperunt Tungris, in S. Trudone, & toto Lossensi comitatu, sublato vexillo, cui hominem appixerant, fuste seu clava armatum. de quibus. tom. IV. 1242. a.

Cocren, statuta urbis Mechliniæ. *Consilium dictæ villæ habebit omnia statuta villæ, quæ vulgariter* cocren *nominantur.* tom. I. 1423. d.

Cocta, vestis clericis propria, superpellicium. *Omnibus sacerdotibus mandamus districte, quod induti* cocta, *vel camiso cum stola ad collum...* tom. VIII. 1517. e. vide Cangium in *cota.*

Codicillare, testamento addere, vel aliquid detrahere. *faire un codicille. Ut quoque suos heredes magis obligaret...* codicillando *corroboravit pristinam donationem.* tom. VI. 599. b.

Cogitativus, cogitatione defixus, *pensif. Exivit continuo quasi tristis, & mire* cogitativus. tom. VI. 1012. d.

Collibertas, servitium collibertatis, servitii genus de quo Cangius. *Contradicentibus Gunherio & Herberto de Wirchia, & illos de suis capitibus in servitium* collibertatis *reclamantibus, calumniam dimiserunt.* tom. I. 533. d.

Colligantia, foedus. *Cum Saitensibus & civitatibus finitimis* confœderationem & colligantiam *affectarent.* tom. IV. 775. a.

Colobium, tunica sine manicis. *Sequentibus eum ducibus, vestitis* colobiis *longis de scarleto foderatis.* tom. V. 356. b.

Colonia, coloni ædes, prædium. Coloniæ *Cuciacus & Areolus, Viclena.* tom. I. 161. b. c. d. ubi sæpius hæc vox occurrit.

Colonica, terra culta, coloni habitatio. *Voluerunt jurare de villa illa Camaricas totam tertiam partem & ipsas* colonicas, *tres absas melius debere esse S. Victori.* tom. I. 334. c.

Colubrissarii, qui & viriditorienses, factiosi homines apud Leodios, annis 1466. & seq. Sic dicti quod vexillum viride gestarent. Colubrissarii *dominabantur, nec permittebantur duo boni cives loqui pariter.* tom. IV. 1288. a. de his etiam fit mentio. pag. 1291. a. 1292. c. 1293. a. d. 1348. b. Quos juventus Leodiensis urbe exegit, sumpto vexillo cæruleo, unde dicti *Caruleotentoriani.* Vide Fisenium Hist. Eccles. Leod. parte sec. ad annum 1466. p. 246.

Comata, saumata, onus equi sagmarii. *Donare facimus ad domum S. Vincentii....* duas comatas salis. tom. I. 338. c.

Combri, arbores excisæ quibus via occluditur. tom. V. 934. d.

Comedo, licentia abeundi, a voce commeatus. *Quinque solidos de* comedo, id est licentia, *vir & femina dabit.* tom. I. 382. b. c.

Commanire, incolere, inhabitare. tom. II. 18. c.

Commarca limes, confine. *Dedit... in comitatu juliacensi in* commarca Bardunbach, *curtilem cum arboreta unum.* tom. I. 177. e. & pag. seq. hæc eadem vox sæpe occurrit.

Commendatio. tom. VII. 10. a. *Ceteri vero homines liberi, qui vel* commendationem *vel beneficium ecclesiasticum habent.* Id est, qui domino alicui se commendarunt, accepto ab eo beneficio, ait Cangius, qui hunc locum citat ex leg. Longobardorum, lib. 2. tit. 44. §. 2.

Commerciare, commercium facere, negotiari. *Venient alii populi ad vos cum pace, communicabitis &* commerciabitis. tom. VIII. 700. d.

Comodium, hospitium. *Collatio seu præsentatio Bohemorum facta... per magistrum Johannem de Rochozana* in suo comodio *ad S. Leonardum.* tom. VIII. 852. b.

Compatriota, ejusdem patriæ. *Quodque patria quæ nobis originem præbuit, in tanti patris &* compatriotæ *magnificentia decoratur.* tom. II. 1253. a. tom. V. 418. e.

Compendiari, abreviari. tom. VI. 1215. a.

Comprehensio, acquisitum. *Et illam* comprehensionem *quæ pertinet ad villam... mansum unum & illas* comprehensiones *quas habent in saltu.... mansum unum & dimidiū cum illorum* comprehensione. tom. I. 141. e. Vide Cangium.

Conca, labrum. […]*ro vas argenteum, scilicet quædam* conca *in qua fundebatur vinum, de quo bibebat soldanus cum suis, continebat mensuram duorum modiorum vel amplius.* tom. V. 77. a.

Conciata, forte locus in quo conventus habentur, a voce, concio. *Actum in civitate Arimini*, in conciata *S. Columba in domibus palatii.* tom. VII. 1208. b.

Conciola, parva congregatio. *Monachorum* conciola *in dormitorium redeunte monasterii.* tom. V. 1094. d.

Condamina, domus cum curia & aliis necessariis. *Abbas vero missis bobus, cœpit terram... ambienter excolere... & huc illuc rumpere terram, ad faciendas* condaminas. tom. I. 350. a. tom. VI. 458. d.

Condonatus loci religiosi, idem quod donatus, *donné, oblat.* tom. VII. 1402. b.

Conductus, tributum pro mercibus quæ per urbes & provincias transvehuntur. tom. IV. 481. a. b. c.

Confessionales litteræ, quibus datur facultas confessarii eligendi. tom. VIII. 407. a. & seq.

Confra, convivium. *Sicut ergo multi convivæ* confram *faciunt, id est* commune convivium, *& unusquisque pro se ponit.* tom. IX. 1102. b.

Congenium, licentia, nostris *congé. Possumus per multa mandata &* congenia *a dicto domino vel suis concessa probare.* tom. VI. 610. e.

Congnusco, cognosco. *Mandatum ad me te habiturum* congnuscas. tom. I. 58. a.

Conjectus, contributio, collecta. tom. I. 144. c. 225. e. 226. b.

Conquesta, bello quæsita. In conquesta *Lombardiæ contra Desiderium.* tom. VIII. 217. c.

Conquistare, acquirere. tom. I. 347. c. e. 348. b.

Consecretalis, domesticus, familiaris. *Martyris* consecretalis *cubicularius a suis vocabatur agnitoribus.* tom. VI. 826. e.

Constangium, impensæ, ex Gallico *coust. Ecclesiæ suæ terras plurimas & redditus pignorali cautione &*

& litterali obligatione, constangiis gravibus, *damnisque datas, impignoratasque, permaxima debita contraxit.* tom. IV. 376. e.

Contemporeitas, ejusdem ætatis. *Quod diximus de* contemporeitatis *termino.* tom. VI. 999. d.

Contentus, in contento, numerata pecunia, *argent comptant. In alliis, sepibus... asserit* (quidam hortulanus)... *pro* 12 *florenis scutatis aureis* in contento *vendidisse.* tom. II. 1391. b.

Convicaneus, ejusdem vici. *Flexerunt consules civitatis veluti concives* & convicaneos. tom. V. 443. a.

Convinculari, conjungi. *Orationum exopto devotione* convinculari. tom. VI. 245. a.

Convivium fratrum, sodalitium, nostris *confrairie. Rogabatur... ut pro redemtione animarum & utilitate pauperum; permitteret ibi fieri conjunctionem hominum, qua vulgo solet appellari* convivium fratrum. tom. VI. 1123. b.

Copia, exemplum, Gall. *copie.* tom. VIII. 153. d. 160. c. 199. b. & alibi pluries.

Copiare exscribere. tom. VIII. 157. c.

Coquinariæ rates, rates in quibus coquuntur cibi. *Exceptis liburnis & onerariis atque* coquinariis ratibus. tom. IV. 206. c.

Cordini, qui & Cordueni, Carduchi: populi Asiæ inter Armeniam & Mesopotamiam & Mediam, Taurum montem, ubi is Niphates dicitur, incolentes. tom. V. 548. a.

Cordivolentia, benevolentia. *Adiens nostram* cordivolentiam *venerabilis abbas cœnobii S. Confessoris nostri Amandi.* tom. I. 278. e.

Cornicitare, sæpius cornare & venationibus indulgere. tom. V. 784. e.

Corona oblationis, panis benedictus coronæ formam habens, rotundus. *Duas secum* oblationum coronas *detulit.* tom. IX. 418. e.

Cornutus episcopus, sic dictus apud Leodios Theodericus de *Perveis*, in locum Johannis de Bavaria episcopi a quibusdam factiosis intrusus an. 1406. tom. V. 369. d. & Cornuti, qui ipsi favebant. tom. V. 380. d. 386. e. 387. b. 389. e. 397. c.

Coronamentum, festum regium, in quo reges solemni ritu coronabantur. *Rege Angliæ propter* coronamentum *suum in Anglia commorante.* tom. V. 1038. c.

Coronatus, fratres coronati, fratres clerici in monasterio a fratribus laicis corona distincti. *Electionem fratribus regulari professione in eodem monasterio* coronatis... *concessimus.* tom. I. 217. b.

Corsare, deprædari, piraticam agere. *In his tumultibus semper aliquid* corsari *solet.* tom. V. 1446. c.

Corthesanus, aulicus. *Courtisan. More epulonis*, corthesanorum *mensas visitabat & tabernas.* tom. VII. 839. vide tom. V. 424. c. 480. d.

Cosduma, præstatio ex consuetudine. tom. V. 1152. d.

Cosmus, mundus, vox Græca. tom. I. 354. c.

Cottare, ordine describere, certis articulis distinguere. tom. VII. 464. c.

Creantare, fide interposita promittere, stipulari. *Hoc ei* creantavi *super totam terram meam, & super totum feodum quod ab eo teneo.* tom. I. 1028. c.

Credenter, fideliter, certo. *Vobis quoque liberaliter &* credenter *adesse curabimus.* tom. II. 1154. c.

Crescentia, reditus prædiorum. *Decimam* Alvers *& vini & annonæ... & omnium* crescentiarum *mearum.* tom. I. 774. d.

Cressimentum aut cressementum, appendix. *Dedit... grangiam de Combis &* cressimentum *circumquaque in campis & nemore.* tom. VI. 311. d.

Crismal, corporale, seu palla corporalis, vas in quo Christi corpus asservatur. tom. VII. 47. a.

Crosia ecclesiæ, crucis transversum, nostris *croisée.* Crosiam ecclesiæ *ab Johanne VI. inceptam cum fenestris consummavit.* tom. VI. 624. b.

Cruciata, bellum sacrum *croisade.* tom. VIII. 403. c.

Crucibulum, lucerna. *Mandato* crucibulo *sive sagimentario, cernentibus cunctis anathematizavit.* tom. VI. 305. e.

Cruciferatus, quæ ad sacram expeditionem seu cruciatam spectant, scilicet pecunia collecta, annona, milites &c. *Gubernator* cruciferatus *Budæ.* tom. VIII. 152. c.

Crucifigium, crucis supplicium. *Ille cujus* crucifigio *salvi sumus.* tom. II. 1395.

Crucizari, cruce signari, crucem accipere ad sacram expeditionem. *Multi tam clerici quam laici* ab eo crucizantur. tom. V. 13. c. 573. d.

Cucufa, cuphia, capitis tegmen, nostris *coiffe. Ne clerici mitras seu* cucufas *in capitibus suis in choro deferant.* tom. VII. 1355. d.

Cupa furfuris, arca in qua furfur reponitur. *Abscondens sub* cupa *furfuris.* tom. VI. 306. a. b.

Cupiditia, cupiditas. *Vix umquam potui judicem cernere sine* cupiditia. tom. IX. 802. *Penitusque quantum ad id quod* cupiditia dictat... *dejectum.* 809. b.

Curatura; procuratoris, exactoris, sive gestaldi, aut Majoris munus, apud Italos. Ut videre est. tom. IX. 803. d.

Cussinus pulvinus, nostris *coussin. Cum positi fuissent* cussini *in sedilibus... Gerardus de* Cop-door *tulit* cussinos. tom. IV. 1269. e.

Cuva, cupa, labrum vinarium, nostris *cuve. Exceptis torculari &* cuvis *& doliis.* tom. VI. 521. c.

Cyrographisatum scriptum, instrumentum duplex ex eodem pergameno, quorum unum uni, alterum alteri contrahentium tradebatur conservandum. *Hæc dicta scripto* cyrographisato *commendavi, cujus medietas sigillo meo signata in archivis Lobiensis ecclesiæ conservabitur, aliam vero medietatem sigillo Lobiensi ecclesiæ signatam mihi... retinui.* tom. I. 897. b. vide Mabillonium de arte diplom. Cangium &c.

D

Dactilici, hæretici, de quibus Florus adversus Amalarium. Dactilici a digito... *ob nimiam silendi superstitionem, ita ut digitum labiis opponerent... abjecti sunt.* tom. IX. 648. c.

Daga, dagga; sica, pugio, *Gal. dague. Habens sicam vel* daggam: *ad latus.* tom. V. 357. d. & tom. VIII. 244. c. *nec* dagas *seu cultellos ultra longitudinem unius palmæ deferant.*

Dagescalcus, vox Germanica, servus seu operarius diurnus a voce *dag*, dies, & *scalc*, servus. *Servientes vero qui prabendarii & qui fratribus infra claustrum serviunt, vel qui foris ad curtes,* dagescalci *dicuntur.* tom. I. 433. d.

Dalerus, nummus argenteus uncialis, a Saxonico *dal* vallis, dictus, quod ex vallibus materia ejus argenti infodiatur, ut vult Kilianus. Germanis *thaler*, nostris *richedale.* valet tres libras. tom. IV. 529. e.

Damnare, damno afficere. *Videns... nec sic quidem posse* damnare *civitatem.* tom. V. 569. a.

Densatores, secta decimo quarto sæculo in superiori Germania orta, ut vult Radulphus de Rivo cap. IX. cujus institutum his describit verbis. *Utriusque sexus homines a dæmonibus possessi, seminudi, sertis capita cingebant, choreas non in plateis tantum, sed & in adibus etiam sacris absque ullo pudore ducebant. Nomina dæmonum hactenus inaudita in carminibus suis usurpabant. Choreis finitis, eos dæmones gravissimis pectoris doloribus cruciabant, ita ut nisi nexibus quibusdam ad umbilicum fortiter cingerentur, magnis furiosisque ululatibus se mori proclamarent.* Quibus consentit noster Zantfliet. tom. V. hujus collectionis pag. 301. c. *Anno* MCCC. LXXIV. inquit, *in partibus Germaniæ inferioris*

ferioris circa Rhenum, inimicus humani generis, multorum hominum corpora pervadens, ad hoc impulit eosdem, ut altisonis vocibus clamantes, chorisare inciperent, & circulari more procedere, & post gestus & saltus diversimodos, proni laberentur in terram; & nisi statim funibus & mappis circa ventrem constricti fuissent, ex impetu tortionum suarum mox crepuissent. Et paucis interjectis subdit. *Hi præsertim exosos habebant eos qui vestes rubeas deferebant & calceos rostratos, in tantum ut etiam prohibiti sint sutores hujusmodi calceos cum rostris a modo facere in civitate. Dubitabant imprimis aliqui, cum pestis hæc cepisset oriri, utrum hæc passio solummodo corporalis esset, similis phrenesi vel epilentiæ, vel simili morbo, cui beneficio medicinæ posset subveniri* &c. Horum etiam tripudiantium mentionem fecere Johannes Stabulaus, auctor chronici Belgici, Fisenius in sua Leodiensis ecclesiæ historia, aliique. vide & tom. IV. hujus collectionis pag. 1118. b. tom. V. 309. a. Supplicationes hactenus apud Prumiã fiunt extra monasterium in quibus vulgus promiscue saltat ob recuperatã sanitatem ab hac peste.

Deampunctuare, exturbare. *Ex toto vestro statu dejiciamini atque* deampunctuabimini. tom. VII. 593. d.

Debannire, interdictum revocare. *Ubicumque facultates ecclesiæ minus rationabiliter moleste detinentur.... liceat locum... interdicere, & post restitutionem invasoris similiter* debannire... tom. I. 711. d.

Debatum, controversia, contentio, altercatio. *Jam nequeunt fideles... hujus causæ monstruosæ* debatum *amplius sustinere.* tom. VII. 855. b. 1114. a.

Decaterna, pars decima tertia. *Advocatus*... decaternam suam *accipiebat.* tom. IV. 922. d.

Decena, f. idem quod decima. *Dedit*... decenam *in Castellana, & unum mansum in Rocha-rusa, &* decenam *in Alonsio, &* decenam *in Thoramina.* tom I. 550. a.

Declamatio, clamatio, lis, vocatio in jus. *Ut nullum detrimentum aut calumniam domus Dei sustineat... & nos vel successores nostri ullam* declamationem *patiamur.* tom. I. 185. e.

Declinium, declinatio, devexio. *Si quod forte negligentis* declinium *vitæ eis videris inesse.* tom. IX. 861. e.

Decrepitas, senectus decrepita. *Continentia vincebat* decrepitatem. tom. VI. 761. e.

Decretus, decretum. *Quem præceptum* decretus *noster in omnibus suffraganti.* tom. II. 18. d.

Decusatus, decussatus, ornatus, decoratus. *Vestra sancto dogmate apostolico ac totius philosophiæ gemmis* decusato, *domino ac doctore Hucbaldo.* tom. I. 265. c.

Dedicare, negare. *Novo judicio excommunicatos* dedicant. tom. II. 553. c.

Defaultarius, qui absentes a choro notat. Qui *illicentiati recedunt*... defaultarii *eos in defectu ponant, ac si in dicto officio non fuissent.* tom. VIII. 1531. e.

Deguastare ventrem, fetum abigere. *Mulieres procurantes sibi vel alteri abortum, vel quocumque modo* deguastantes *ventres suos, sive alienos.* tom. VIII. 1510. a.

Deicolæ, homines laici utriusque sexus, qui rebus sæculi abstracti, Deo vacabant, cælibem vitam agentes. De quibus hæc leguntur tomo IX. hujus collectionis. p. 1028. e. *Incipientes ab inclusis & ab his qui continenter vivunt, & nec canonici, nec monachi, nec eremitæ, nec inclusi, sed* Deicolæ, *id est quasi* legis custodes *possunt dici*; & paucis interjectis: *Ad inclusas & mulieres* deicolas, quas licoisas, id est legis custodes, vel nicoisas *vulgo vocamus, quasi* sanctum Nicolaum *imitantes.* Deicolæ apud Scotos memorantur, dicti vulgo colidei, culdei, Keldei, Keledei, de quorum institutis variæ sunt sententiæ. Vide Cangium in voce Colidei.

Deliberare, tradere, nostris *delivrer. Ecclesia requisita de deliberando standerio.* tom. IV. 1294. c. 1316. b.

Deliberatio, exemtio a servitute, a vinculis. *Delivrance*, restitutio in libertatem. tom. VI. 617. a.

Demanda, petitio, libellus supplex. *Incepimus processum Parisius... in quo petivimus ea qua in* demanda... *proposuimus.* tom. VI. 604. e.

Demaritio, sequestratio, alienatio, mutatio, a nostro *demarer*, loco movere. *Tenere vel excolere debeat, sine ulla* demaritione. tom. II. 20. c.

Demulgo, promulgo. *In ecclesia sancta Dei unum pastorem unicumque gregem* demulgavit. tom. VIII. 205. a.

Denarius albus, vulgo *aydans* apud Leodios, 20. valent unum florenum. tom. V. 472. d.

Deneriata, deneriata ceræ, certa ceræ quantitas, ad valorem denarii unius. *Ea autem ratione dedi eos, ut ipsi solvant singulis annis duas* denariatas *ceræ ad ecclesiam ipsam.* tom. I. 424. e.

Denaturare, naturam destruere, evertere. *Quia natura humana* denaturatur. tom. VIII. 454. d.

Deobligatus, solutus, liber. *Non sit populus* deobligatus *a decimis.* tom. VIII. 478. a.

Deordinatio, dissolutio, ordinis inversio. *Vos precibus studiosis optamus atque monemus, ut excessus prætactos & alias vestras* deordinationes *per dignam pænitentiam emendare atque purgare* festinetis. tom. VIII. 241. c.

Depeciatus, dilaniatus, *ecartelé. Jacobus dictus* Baddu *in quatuor portiones apud Trajectum extitit* depeciatus. tom. V. 392. e.

Depicturare, picturam delere. *Capellam etiam* depicturare *volentes, propter nostros non potuerunt.* tom. VI. 301. e.

Depileatus, cardinalis depileatus, exauctoratus. tom. V. 149. b. 150. d. 327. e.

Depreciare, deprimere, nostris *depriser. Alios opprimunt, urunt & cruciant, seque meliores* depreciant. tom. IX. 821. a. Hanc usurparunt vocem Tertullianus, Cyprianus, Fortunatus aliique antiqui auctores a Cangio laudati.

Derestare, f. dearestare, detinere. *Scilicet quod bona* derestarentur. tom. IV. 1325. a.

Desamparare, cedere, dimittere, *renoncer à quelque droit.* tom. VI. 448. c.

Deschargia, acceptilatio, *lettre de decharge. Non dicam... denariorum numerum imfinitum, sub nescio quarumdam involucro litterarum, quas* deschargias *vocant, absorptum nequiter optimo regi.* tom. II. 1402. d.

Despensa, cella penuaria, *despense.* tom. VI. 608. d.

Desperantia, desperatio. tom. I. 151. c.

Destarius, mensura. *Debet annuatim unum* destarium amigdalarum, *quod geminatum facit mediocrem saumam.* tom. II. 1302. c.

Destraria. *Porticus est trium* destrariarum *seu de ambulatoriorum, tantæ magnificentiæ*, &c. tom. II. 1388. d.

Deventus, adventus. *Juxta Vianam quam tunc obsessam, nunc vero in* deventu *nostro duris & angustiis tenebat obsidionibus coartatam.* tom. I. 1504. e.

Deveo, debeo. *Sic ipso monasterio gubernare & regere* deveas. tom. I. 25. c.

Devesum idem quod devezium, locus defensus, a verbo deveto, Gall. *devè. Donamus... ad monachos...* devesum *in aqua qua vocatur velna.* tom. I. 402. a.

Devitiatus, destitutus. *Ut destructa quaque monasteria & a propriis* devitiata *privilegiis... ad pristinum statum reformentur.* tom. I. 217. a

Devotanei, religiosi, pii. *Quicquid deodicatis locis* devotanei *conferimus.* tom. II. 35. e.

Dextrarius, equus militaris tom. IV. 332. c.

Diætarius, hebdomadarius in cathedrali aut collegiata ecclesia. *De licentia decani vel... cantoris, succentoris, hebdomadarii seu* diætarii *per ordinem petita.* tom. VIII. 1531. d. e.

Dictamen, dictamen legis, ipsa legis verba. *Quæ peccata lex divina sententiat, illa potest homo judex, juxta* dictamen ejusdem legis, *pœnaliter per judicium punire.* tom. VIII. 363. d. & 364. a. *Peccata...* ex dictamine hujus legis... *pœnaliter per judicium puniendo &c.*

Differentia, contentio. *Videns* differentias *quæ erant cum domino summo pontifice... se obtulit zelo quodam ductus mediare.* tom. VIII. 152. a.

Difficultare, difficultates prætexere. *Intendo* difficultare *& impugnare acta & agenda in dicto concilio.* tom. VII. 1082. e.

Diffidare, provocare, vocare ad pugnam, denuntiare bellum. *Si aliquis...* diffidaverit seu acunydari *fecerit aliquas personas religiosas Terraconensis provinciæ, fatica juris in diœcesano... primitus non inventa.* tom. VII. 279. d. Et tom. IV. 1279. b. *Vultis destruere patriam ducis autequam ipse sciat; oportet ut primo* diffidetur. Item tom. VIII. 528. c. *Willermus* de Staphel *suus marescallus, propter impetitionem, quam contra nos se habere asserit, nobis tamen incognitam,* nos diffidavit &c.

Diffidatio, belli denuntiatio. *Exivit nuntius de Leodio portans* litteram diffidationis *ad dominum ducem Bruxellæ.* tom. IV. 1279. b. & tom. VIII. 528. d. *Rogantes eumdem dominum Ulricum ad præfatas* diffidationes *per suos utrimque factas, deponendum, ipse una cum comite de* Wirnenberg, *& ejusdem uno suo filio litteras* diffidatorias *miserunt.*

E

ECCLESIALIS, ecclesiasticus, homo liber, qui ad ecclesiam pertinet. *Clerici &* ecclesiales, *& res eorum a duce & ab advocatis, & a venatoribus non inquietabuntur.* tom. VII. 72. b.

Ecclesiani, ita appellati a Cæsarianis, qui tempore schismatis Wiberti stabant pro ecclesia. *Si cui Cæsarianorum occurrisset quispiam ecclesiasticorum, qui forsitan pro amore patriæ cœlestis sæculum reliquisset, carnem macerasset... quasi regii honoris proditores contumeliis afficiebant, insultantes eos* ecclesianos *appellantes.* tom. IV. 174. d.

Ecinerare, cadaver e tumulo eruere. tom. IV. 391. a.

Edictus, edictum. *Taliter noster promulgavit* edictus. tom. II. 7. c.

Efficantia, efficacia, tom. IX. 149. b.

Efferentia, fastus. *Abdicata mundanæ elationis* efferentia. tom. VI. 780. e.

Eleemosynare, eleemosynam facere. tom. VIII. 288. d.

Emenda honorabilis, *amende honorable. Omnes accensam facem manu deferentes, in medio foro... veniam deprecabantur; id Galli* emendam honorabilem *facere dicunt.* tom. V. 1443. c.

Emologare, ratum habere. tom. VIII. *Dantes eidem... potestatem... dispositionem & ordinationem rationabilem scripturæ sacræ... faciendi, acceptandi, approbandi, ratificandi &* emologandi... *promittentes.... facta, acceptata, approbata, ratificata &* omologata... *inconcusse servare.* tom. VIII. 248. e. 249. a. 250. d.

Emparare, occupare, invadere. *Nemo debet de terris ecclesiæ ullomodo se* emparare *quovis captato colore.* tom. VIII. 812. d.

Emunata, immunitas. Emunata *de monasterio Estabula seu Malmundario.* tom. II. 18. e.

Encliticus, inclinatus, dejectus in terram, incurvatus. *Hic* encliticus *morti contiguus, triduo in agonia positus,* &c. tom. VI. 828. e. Et 833. b. *accubat* enclitica, *nocte eadem in ecclesia.*

Engannum, fraus, astutia, dolus. *Bona fide* sine Enganno. tom. VII. 126. a.

Enquesta, inquisitio. *Factaque una* enquesta, *& projecti multi in Mosam.* tom. IV. 1346. e.

Ensievir vox Gallica, sequi, observare. *Ensievir les bonnes coutumes de nos predecesseurs.* tom. VIII. 161. a.

Epilentia, epilepsis, morbus comitialis. *Similis phrenesi,* vel epilentiæ, *aut simili morbo.* tom. V. 301. a.

Episcopus ordinum, suffraganeus, titularis, in episcopalibus functionibus vicarius. tom. IV. 1145. e.

Epitogium, pallium quod olim super togam ferebant. tom. VII. 1226. d.

Eques, monetægenus. *Receperat ad bancarios* MCCCC. equites *&* XL. *solvendos Brugis infra tres menses, quos solverunt* &c. tom. IV. 1147. b.

Equitantia, equi, muli &c. *monture. Voluit* equitantias *suas vendere omnes.* tom. VI. 155. d.

Eschiver, vitare, declinare, *Pour* eschiver *l'effusion de sang humain.* tom. IX. 1465. c.

Eschorsors. Convocatis armigeris dictis eschorsors, *misit eos in comitatu de* Ortes. tom. IV. 1214. b.

Essartes, nemora, silvæ aut loca alias inculta, redacta ad terram arabilem. *De venditione nemorum,* de essartibus, *de melle, de pasnagio.* tom. I. 796. b.

Estudeo, studeo, unde nostrum *etude. Quem præceptum... subscriptione manus nostræ* estuduimus *peragere.* tom. II. 18. e.

Evictio, rei quam adversarius acquirit, per judicem recuperatio. *Et licet dictus donator de* evictione *non teneatur... præmissa donata garentiet & defendet.* tom. VI. 521. e.

Exactare, exigere. *Ut nullus presbyter pro baptisandi causa aliquod pretium* exactare faciat. tom. VII. 14. e.

Exactionare, inique exigere, immodica tributa imperare & vi extorquere. *Dominus Cuno dominium* exactionando, *grandem pecuniam scilicet summam* XXX. *millium florenorum congregavit.* tom. IV. 427. b.

Examiton, examitum, pannus holosericus. *Missum est tibi* examiton *megalopragmon.* tom. II. 498. c.

Exclusa, locus ubi concluduntur aquæ, *ecluse. In summitate pali cujusdam* exclusæ *a periculo ereptus, salvus inventus est.* tom. VI. 1126. d.

Excopiare, exscribere. *Bullam Urbani secundi ad Beringerum...* excopiavit. tom. IV. 1152. b.

Exemplare, exscribere. *Requisivit prædictas litteras... per nos transsumi &* exemplari. tom. VIII. 153. d. item 157. c. *Easdem litteras.... copiavimus,* exemplavimus, *& de verbo ad verbum transumsimus* &c. Exemplantes, librarii. *Et quoniam* exemplantium sive librariorum *magnam* inopiam *habemus.* tom. II. 1455. e.

Exemplare, exemplum præbere. *Quidquid Christus cum apostolis* exemplavit... *perfectionis est illud suis successoribus facere.* tom. VIII. 389. c. Exemplariter ibidem. 497. b. *confirmatur* exemplariter, id est exemplo. & pag. 415. *Et hac probavi* exemplatis *de Christo.* id est exemplis.

Exemplificare, exemplum proferre. *Sicut domnus Carthusiæ in facto suo eis* exemplificavit *pro domo sua.* tom. VI. 207. a.

Exenium, præstatio seu impositio nomine doni. Exenia *quoque quæ ecclesiis noviter imposita sunt, amputanda.* tom. VII. 9. a.

Exequiere, sepelire. *Repertum est quod* exequiebatur *corpus ejus in ecclesia.* tom. VI. 516. d.

Exfestucare, irritare, rescindere, abrogare, *imperator... concambium de* Nassauw *factum omnino* exfestucavit. tom. IV. 466. c. item 1028. b. *Omne... hominium tibi hodierna die* effestuco. Hinc Effestucatio, cessio, renunciatio. *Nuntio* exfestucationem *dominii nostri deferente,* Cinei *dominicalem villam succendit.* tom. II. 460. a. Et tom. V. 436. d. Exfestucationi *Septa consentire.*

Exforciator, expugnator, vim alicui inferens. tom. VIII. 1511. a.

Exfortium, auxilium. *Monentes totum exercitum... ut* exfortium *expectantes, nequaquam seipsos a Damieta*

moverent. tom. I. 1196. e.

Exodium; exitus, *fortie. facto igitur* exodio, id est omnibus egressis. tom. VI. 978. a.

Expalmare, peracta communione digitos abluere, dicitur de sacerdote missam celebrante. *Si sacerdos perfuderit in prima missa, hoc est* expalmaverit, *quod ipse non præsumat celebrare.* tom. VII. 1276. e.

Explanatio, *leg.* expalmatio. *Nisi post communionem receperit sacerdos ablutionem* seu explanationem. tom. VII. 1421. d.

Expressare, exprimere. tom. VIII. 360. d.

Expulverare, pulverem detrahere, abstergere. *Quo collyrio oculi inunguendi, quo, bono an noxio,* pulvere expulverandi, *qua observantia nutriendi.* tom. IX. 962. a.

Exsensus, mentis suæ non compos. *Erat enim tremor & interea prorsus videbatur* exsensus, *immutatam faciem... habens.* tom. VI. 1173. b.

Exmembratus, membratim discerptus & dilaniatus. *Invenies etiam ab eis multos* exmembratos, *exoculatos, excoriatos.* tom. IX. 864. b.

F

FACCINERIUS, fascinans, fascinator. *Licet magnas executiones de multis hereticis &* faccineriis *fecerim, a duobus annis citra & ultra.* tom. VIII. 162. d.

Factus, modus agri. tom. I. 161. pluries occurrit.

Festuca, signum & symbolum traditionis, ait Cangius, quem hic consule. *Tradidi per hanc [illegible]ationis cartam, sive per* festucam *ac per andelangum.* tom. I. 286. e.

Falçator, falsarius. *Latro ingeniosus aut aliquis* falçator *vel criminosus.* tom. I. 337. d. 339. b.

Famulamen, servitium, officium. *Debita reverentia cum omni* famulamine. tom. VIII. 148. c.

Fardellum, sarcina, onus. Gall. *fardeau. Forarius domini Leodiensis venit cum* fardellis, *& non est permissus intrare palatium.* tom. IV. 1287. b.

Farinarius, farinarium, molendinum. *Cum* farinariis *tribus ad eamdem curtem deservientibus.* tom. I. 185. c. tom. II. 9. d. 14. a.

Fasterdia. idem quod faldistoria, sellæ plicatiles, a Germanico *Faldan* plicare, cathedræ, nostris *fauteuils. Multitudinem copiosam ornatuum... acquisivit, videlicet magnorum ex lana dossalium cortinarum* fasterdium. tom. V. 1106. d.

Fastigiatio, elatio. *Natalium titulos mentis* fastigiatione *sublimans,* tom. VI. 779. b.

Fatare, prædicere. *Dicitur in historiis suis* (Frederici) *quod* fatatum *erat ei in aqua mori.* tom. V. 1033. d.

Faticius, fictitius, subdititius. *Quid enim mendicans (pater) clamitat, nisi te novicium te assumtum...* faticium, *te allevaticium* &c. tom. IX. 839. a.

Fatica juris, defectus seu dilatio juris aut justitiæ reddendæ. Vox est fori Hispanici. *Si aliquis temeritate propria diffidaverit vel acunydari fecerit aliquas personas religiosas Terraconensis provinciæ,* fatica juris *in diœcesano... primitus non inventa, ipsum... decernimus excommunicatum.* tom. VII. 279. d.

Fatiga & fatigium, fatigatio, labor, *fatigue. Pro eo suscepimus labores,* fatigas *& immensas expensas.* tom. VIII. 159. b. *Usque modo tot* fatigas *& labores propter hanc causam subivimus,* 184. a. *Si non fecerimus, incurramus nihilominus voti simul* fatigiique *dispendium.* tom. VI. 983. c. &c.

Favorisare, favere. *Minime poterunt... suscipere, receptare, sustinere, aut* favorisare *aliquos alterutrius neutrales subditos.* tom. IX. 1468. a. Favorosus, favens, amicus. Dilecto jo. de *Mulbrum* nuncio Concilii Basileensis, sibi favoroso. tom. VIII. 173. e.

Feodizare, dare in feodum. *Reditus suos... alicui in feodum dare non licebit, neque dux* feodizare *eos coget.* tom. VII. 72. a.

Feria, Nundinæ, mercatum in aliqua solemnitate institutum. tom. V. 1132. d.

Fermarius, qui prædium tenet sub præstatione annua & ad certum tempus. Fermariique *& coloni... sibi aliquid non persolvant.* tom. VII. 1259. b.

Ferrare equos, calceare, soleas equis induere. *Nec aliquis ferraret equos eorum.* tom. VII. 154. a.

Festinitas, celeritas. *Cum qua poterimus festinitate mittere,* tom. VIII. 109. c.

Festivare seu festinare convivio excipere. tom. IV. 389. d. 393. a. 1232. b. 1240. d. 1270. e. 1310. c.

Fidejussores, qui suo periculo & fide promittunt aliquid ab alio datum aut factum iri. tom. II. 72. c.

Fidei-manus, manufideles, executores ultimarum voluntatum. Fideimanus *hi sunt, Tiezelinus & Albertus* de Braz... Fidejussores *hi sunt, Francho frater Alberici* &c. tom. II. 72. c.

Fiduciare, fidem suam præstare, obligare. Fiduciavi... *Philippo Francorum regi, quod ego terram meam de Alvernia... ei bona fide conservabo.* tom. I. 1028. b.

Figalini, qui prædium principis deserviebant. *Gloriosissimus rex Sigebertus condito monasterio in honore B. Martini sub urbe Metensi, dedit ad illud per regale suum testamentum, sicut ceteri pagenses* figalini *redderent servitium.* tom. II. 45. b.

Figurativus, in figurativo canere, cum notis. *Missam de B. Virgine* in figurativo *quotidie decantari... ordinavit.* tom. IV. 597. e.

Filacteria, phylacteria. Ita appellata amuleta contra morbos, vel caracteres & scripturæ a maleficiis adhibitæ. tom. IX. 200. a. 217. d.

Filatum, operatio coli, filum. tom. VI. 971. c.

Filiolatus, donum a patrino datum filiolo. *Cujus filium Amalbertum in baptismo suscepit,* in signo filiolatus... *totius parochiæ medietatem concessit.* tom. V. 1110. d.

Firma, prædium locatum sub pensione annua. *Cum dicta firma, omnibus* summatis penitus, *ex ea qua possunt provenire nobis.* tom. VI. 612. d. *Hinc* Firmarius, qui fundum sub annua pensione tenet. *Nolentes debitas nobis* 400. *libras Parisienses solvi per* firmarios *[illegible]arum ipsorum locorum.* ibid. & alibi passim. Et Fermarius. ut supra.

Firmatura, sera. *Clavos &* firmaturam *arcæ, quæ juxta altare erat, requirens.* tom. V. 1122. e.

Firmitas, impositio, *ferme. Leodienses necessitate compulsi sunt* firmitatem, *seu assisiam super vino & sale exigere.* tom. V. 191. d. item 193. d. *Statuere intendebant* firmitatem *super vino & sale.*

Fixura, fibula. in Gloss. Lat. Gallico S. Germani, fixura, id est fibula. *Vestimenta deferant talaria... absque forraturis ultra oram excedentibus etiam in fixuris.* tom. VIII. 243. e.

Flampedes, Flandrenses, nostris *Flamants. Ut meruerit pacem inter Ysengrinos & Flaventinos* vel Flampedes *in partibus Hollandiæ & Zelandiæ & Flandriæ, quam nullus hominum attentare quibat, sive rex, sive comes, aut baro reformare.* Et paucis interjectis. *Erant autem nobiles valde una pars; residui vero... de territorio Furnensi in Flandria, in loco aut circum circa locum qui dicitur* Cayens, *commorantes.* &c. tom. VI. 303. c.

Flasco, lagena, nostris *flascon. Cœpit* in flasconibus *vinum illud infirmis pauperibus erogare.* tom. VI. 1317. d.

Flaventini. Vide Flampedes.

Foagium, jus quod a quolibet foco exigitur. *Fideliter colligent* foagium, *videlicet de quolibet foco* 12. *denarios.* tom. I. 1083. a.

Focatia, placenta quæ ad focum coquitur; panis sine fermento, nostris *fouace.* tom. VI. 1261. e.

Foculare, calefacere, ad ignem stare. *Quod ex pennulis juniperi... in ipso ostiolo prope limen* se focularet.

tom. VI. 1145. d.

Foderatus, pellicio ornatus, Gallice *fourré*. *Facta est solemnis processio sequentibus eum ducibus & nobilibus, vestitis colobiis longis de* scarleto foderatis. tom. V. 356. d. Forte hic *foderatis* usurpatur pro *assutis* intrinsecus *Gall. doublez*. Hinc, foderatura, forratura, pellicium, Gall. *fourrure*. *Vestimenta deferant talaria.... absque* forraturis *ultra oram excedentibus etiam in fixuris*. tom. VIII. 243. e.

Forizatio mercatus, negotiatio. *Manifesta* forizatio *de his indulgentiis ponebatur*. tom. VIII. 403. d. 404. a.

Forarius, provisor, assignandorum hospitiorum magister. *Frumentarios autem quos* forrarios *vocant, non de sacerdotibus curare* &c. tom. II. 1400. a. Forrarii vel provisores sui, *non granum, non vinum... in nostris domibus etiam pro sua propria & domus sua provisione temere capiant*. tom. VI. 611. a. Forarius *episcopi Leodiensis venit cum fardellis, & non est permissus introire palatium*. tom. IV. 1287. b.

Fortagia. *In villis, castris & locis prædictis...* fortagia *& alia quæcumque subsidia indicere poterimus*. tom. I. 1470. d. f. legendum forragia, annona militaris, *fourrages*.

Fortara virtus, fortitudo. *Quandoque* (J. Ch.) *multiplicia signa & virtutes de essentia Dei manifestabat, Divina non aliùs, patiebatur imbecillia signa & ostendebat* fortaram. tom. VII. 337. c.

Forticulum, castelletum, munitiuncula. *Quoddam* forticulum *modicum... pro ædificando uno monasterio tradidit*. tom. VI. 1265. b.

Fossadua. *Confirmo... taliter ut non... in istas hereditates merino, neque saione, nec pro rosse, neque pro omecedio, nec pro audua, neque* fossadua &c. tom. I. 548. d.

Francigenatus, francia. *Theobaldus* francigenatus *terræ dux & herus*. tom. V. 1100. c.

Franciloquium. Gallica lingua. *Herba quæ specialiter franciloquio dicitur* radix *fermone*. tom. IX. 793. b.

Francisia, libertas, privilegium, *franchise*. tom. IV. 1233. d. 1260. b. 1278. c. &c.

Fredum, mulcta judici debita. *Qui vadem dederit, v. solidos de lege dabit, xxx. den. de fredo; & hujus fredi duæ partes erunt præpositi, tertiam vero partem habebit major placiti*. tom. I. 382. a.

Freppæ, incisuræ ad ornatum. vide Cangium. *Vestes non sint breviores genu, nec cum scissuris* freppis, *vel brobaturis seu racamaturis*. tom. VIII. 244. c.

Frigdor, frigus, horror, *frisson*. Frigdorem *permolestum per imbecillia membra sensit irrepere*. tom. V. 1075. e.

Frigoretici, febricitantes. tom. VI. 1175. e.

Friskinga, perna. *Abbas ipsi advocato servitium dabit duos modios panis*, friskingas *quatuor, & unam amam vini*. tom. I. 434. a. vide Cangium.

Fronteria, marca, confinium, *frontiere*: *Mox ad* fronterias *Bohemorum... mitterem*. tom. VIII. 87. d.

Frontuose, prima fronte, primo aspectu. *Non dedignabitur ad domum tuam divertere, imo* frontuose *ingerit se*. tom. IX. 800. a.

Frotare, fricare. *Genas supradictæ imaginis quotidie* frotabat. tom. V. 182. b.

Frustare, in frusta discerpere. *Viscera ejus* frustate. tom. VI. 742. c.

Fulcitus, ornatus, intextus. *Quatuor ornamenta ad celebrandum, quorum tria communibus diebus servient, & quartum* fulcitum *pro diacono, subdiacono & presbytero pro festis solemnibus*. tom. VI. 602. a.

Fulgorantius, clarius. *Luce fulgorantius patebit*. tom. IX. 857. d.

Fulgurandose, splendide. Fulgurandose *obeunte cælestis claritatis fulgore*. tom. VI. 833. c.

Fundibulare, lapides funda emittere. tom. V. 776. e.

Fundibularii, qui funda utuntur in bellis. tom. V. 126. e.

Fusa, stamen fuso contentum, nostris *fusée*. *Annis persolverent singulis unius mansi xenium, videlicet, tres porcos & sexaginta* fusas lini. tom. II. 37. e.

Fustana, pannus xylinus. tom. VII. 1226. e.

G

GAGIARIUS, testamenti executor. *Incipiant* gagiarii *defuncti exequi voluntatem*. tom. VII. 1397. d. vide & pag. 1286. b.

Galea, navis velocissima & longa. *Inundante maris sævitia*, Galeam, *in qua fuerat, cum duobus fratribus & 90. personis ad littus perpellente, pater cum illis submersus est*. tom. V. 71. a.

Galgiare, fidejubere, spondere. *Injustitiam recognoscens nobis... rectitudinem fecit, & factam ibi expensam* galgiavit. tom. I. 774. a.

Galilæa, navis ecclesiæ. *Multa ædificia fecit, ut pote introitum ecclesiæ cum* galilæa &c. tom. V. 1113. d.

Garba, fascis frumenti, nostris *gerbe*. *Si non possum* garbam *integram ad horreum importare, non debeo tamen vacuus remanere*. tom. IV. 386. c.

Gardinius, gardinus, hortus. *In villa Balmiaco, inter vineam & ædificia &* gardinium, *bunuarium unum*. tom. I. 117. a. Et tom. VI. 622. a. *Partem crucis ecclesiæ juxta* gardinum *cum parva turre incæpit*. &c.

Garentire, sartam ac tectam venditionem aut cessionem præstare. tom. VI. 521. e.

Gariophilum, caryophillum, *girofle*. *Istud oro quod a vobis* mihi gariophilum *& canelus mittatur*. tom. VI. 245. [illegible] & tom. II. itinerarii litterarii nostri. 264. 365.

Garnachia, vestis talaris. *Ne presbyteri equitando caputiis, tabardis &* garnachiis *pro cappis utantur*. tom. VIII. 1546. e.

Garricæ & garrillæ, terræ incultæ. *Terris cultis & incultis, vineis, pratis, pascuis, silvis, montibus*, garrillis, *hortis, pascuis, arboribus*. tom. I. 100. a. d. & 406. d. *Cum terris & vineis & cum silvis &* garricis. vide & pag. 333. c. 336. a. &c.

Gartus. *Ex deliberatione consiliariorum domini mei nobiscum in hac re existentis, videlicet prædicti fratris nostri Jasparis, comitis Pembrochiæ... nec non Guillelmi* Grunniesbi, *argimeri* & garti *regis asinorum*. tom. IX. 1470. a.

Gatgeria & gatgiura, pignus. *Terra Gavardani... impignerata erat pro quinque millibus librarum Chapotensium... dictam* gatgeriam *videlicet terram Gavardani, tradidit seu tradi fecit... vel partem ipsius* gatgiuræ *sive terræ* &c. tom. I. 1428. e. 1429. a.

Gattus, felis, *chat*. *Intinctum a familiari bestia id est cane &* gatto. tom. VII. 47. b.

Gelfini, factio in Italia, de qua Cangium consule in voce Gibellini. Ursini qui & Gelphini, *conglomerati, bellum permaximum genti regiæ intulerunt*. tom. IV. 399. a. vide superius 395. d. 398. d.

Geniculare, genua submittere. *Dixit sibi* geniculanti. tom. VI. 169. b.

Gentilis, non baptizatus. *Si quis* infantem gentilem *obpresserit, tres annos pœniteat*. tom. VII. 35. e.

Gerania, tympana. *Eodem tempore* gerania vel tympana *in usum apud Rhenum veniebant*. tom. IV. 588. e. Geranium est etiam machinæ genus, attollendis oneribus aptæ. Geranum saltatio singulorum singulos ordine consequentium.

Gerræ, crates vimineæ in munitionibus militaribus. *Prætenturis &* gerris *erigendis... loca quæ videbantur commodiora designavit*. tom. IV. 686. c.

Gestaldus, idem Ratherio quod major apud nos, sive thelonearius. Cujus, inquit, *officii est omnia vitia ulcisci... fures... tradere carceri*. tom. IX. 803. c. e.

Giratio, decursio, militaris. *Homines de ditione ecclesiæ comes in expeditionem & stationem suam, sive* gira-

tionem

tionem *sine abbatis licentia nullo modo poterit exercere.* tom. I. 709. c.

Glima. *De hereditate S. Maximini... cujus* glima *oratorium S. Johannis... fulgentibus decorat miraculis.* tom. I. 281. a. f. legendum Gleba, id est corpus, cadaver.

Gloſſare, interpretare. *Si forte adverſarius vellet* gloſſare *quia ibi dicit* &c. 388. b. 398. e. &c. tom. VIII.

Gobinetus, poculum, calix, Gal. *gobelet. Scyphi argentei* XXVI. *cum ſex* gobinetis *deauratis.* tom. IV. 1129. b.

Goliardi, joculatores, qui & ribaldi dicti ſunt, qui verſus ridiculos componebant. Prohibetur in concilio Trevirenſi anni MCCXXVII. ne verſus cantent ſuper *ſanctus & agnus Dei* in miſſis. tom. VII. 117. a. 138. c. 196. d.

Gonfalonerius, ſignifer ſupremi magiſtratus apud Florentinos. *Vexillifer juſtitiæ, populi & communis Florentiæ una cum officiis* gonfaloneriorum *ſocietatum populi.* tom. VIII. 931. d. 936.

Gordus, gurges, locus in fluvio arctatus ad capiendos piſces. tom. VI. 223. e.

Grafio, vox Teutonica quæ comitem, judicem, præfectum ſignificat. *Omnibus abbatibus viriſque illuſtribus, ducibus, comitibus, domeſticis,* grafionibus, *vicariis.* &c. tom. I. 42. a.

Granator. *Apud computatores &* granatores *majores & minores...* tom. VIII. 1449. b. Granatores hi ſunt in eccleſia Leodienſi, quibus ex officio incumbit, ut annonam ſeu grana diſtribuant.

Granitarius, officium conventuale, qui annonæ præeſt. tom. VI. 622. e.

Gravis, *greve*, platea S. Johannis Pariſiis, in qua ſontes afficiuntur ultimo ſupplicio. *Annas* du Bourg... *Pariſiis in medio foro,* Gravem *vocant, igne concrematus eſt.* tom. V. 1442. c.

Griffones, monetæ ſpecies 10. florenis & 10. ſolidis æſtimata. tom. IV. 1127. d. 1129. b. 1134. a.

Groſſare, authenticum inſtrumentum dare. *De his omnibus notam recepi & recitavi: de qua nota hoc præſens publicum inſtrumentum per alium fideliter extrahi &* groſſari *feci.* tom. IX. 1454. d.

Guaſtaldus, judex. *Cunizo* guaſtaldo *de Bando* tom. I. 349. a.

Guida, *guidon*, vexillum. *Nulla confraternitas neque* guida *neque aliquod ſingulare ſignum de ipſis... in Machlinia eſſe poterit.* tom. I. 1423. d.

Guidagium, præſtatio pro ſecuro tranſitu vel mercium exportatione, quæ certis in locis exigitur. *Statuit eccleſias & eccleſiaſticas perſonas ad pedagia &* guidagia *penitus non teneri.* tom. VII. 1213. e.

Gurguſtium, gurges, vorago. *Ne profundius cæcitatis incidant* gurguſtium. tom. IX. 814. e. Sæpius pro anguſta & obſcura habitatione uſurpatur, pro caſa ubi piſces nutriuntur.

Gutta, articulorum dolor. tom. VI. 1186. a.

Gutta cadiva, epilepſis. Gutta *quam dicunt* cadivam *laborabat.* tom. IX. 808. b.

Guttoſus, articularius. tom. VI. 1008. c.

H

HÆRESIUM. *Corpus vero tanto ſtudio comitur, ut* hæreſium *ipſum, quod ſolo frigoris debuerat oſtentu parari, tanto melius quanto ſpiſſius, cum ſic ex pallio factum optimo, limbum habeat ex alio, quod, ſi inveniri poſſet, melius ſit optimo, cujus latitudo ceterorum niſi quidem modicatur, ſed ad cubiti ſuperat menſuram.* tom. IX. 921. b.

Hæreticare, hæreſis labem inurere. *Nos namque Bohemi, quia maledicimur, perſecutionem patimur, blaſphemamur, deridemur,* HÆRETICAMUR. tom. VII. 582. d. tom. VIII. 255. e.

Halla, aula major & publica, in qua communiæ congregantur pro communibus negotiis, & merces exponuntur. Gal. *Halle.* In hallis *Sueviæ ſic prædickverunt.* tom. V. 85. c.

Haidrotii, *haidroits*, ſic dicti quidam apud Leodios conjurati ſub initium 15. ſæculi, quaſi odientes jus & æquum. *Quidam filii iniquitatis, Gall.* Haidroits, *id eſt odientes ejus & æquum, cives Leodienſes, cœperunt rebellare.* &c. tom. V. 361. a.

Hama, majus dolium vinarium. tom. IV. 161. a.

Hama vini menſura vinaria. *Unam* hamam *vini... de ſingulis carratis... ſolvat.* tom. VIII. 1490. e.

Hauritorium, hauriendi inſtrumentum. *Deeſt fons vel fluvius, ipſe non adeſt torrens,* hauritorium *omnino nullum, & hic domini non deeſt conſilium.* tom. IX. 822. a.

Herbergamentum, arbergaria, jus giſti & procurationis. tom. I. 633. e.

Herga, veſtis Armigeri, a Saxonico *here* exercitus. *Ne presbyteri indumentum ſcutariorum, quod dicitur* herga, *vel aliud laicale indumentum deſuper deferre præſumant.* tom. VII. 1393. c.

Hergandus, idem quod Herga. Sacerdotes *ne habeant cappas alatas... maxime houcias &* Hergandos. tom. VII. 1283. a.

Hermus, herma terra, inculta. In hermis *& cultis & omnibus... pertinentiis.* tom. I. 809. b.

Hogium, Hoium, caſtellum in diœceſi Leodienſi. tom. II. *Qui in Dionante caſtro, in* Hogio *commorari videntur.*

Horripilatio, *id eſt* horror pilorum, *qui ex ſubito pavore vel nimio rubore ſolet contingere.* tom. IX. 801. b. item tom. VIII. *Loquela multum jurans,* horripilationem *capiti ſtatuet.*

Hoſpes, villæ incola, manſionarius. *Tribuit igitur præfatus Hugo clericis...* ſex hoſpites, *quatuor in villa quæ vocatur Ivez, & duos ante eccleſiam S. Clementis, & in eodem loco duas medieturas.* tom. I. 376. a.

Hoſtagium, ſecuritas, tom. V. 1151. a.

Hoſtellaria, hoſpitium. *Hoſpitumque ſupervenientium* hoſpitia, *quæ* hoſtellariæ *dicuntur.* tom. II. 1389. b.

Hoſticum, exercitus. *Eminebat in hoc Dei* hoſtico *dux Lotharingiæ Godefridus.* tom. V. 537. b.

Hoſtis, exercitus. Hoſtem *colligunt.* tom. V. 887. c. *Et ipſo anno tranſiit ſine* hoſte. id eſt ſine exercitu. ibid. 899. b. 910. a. 934. d.

Houcia, tunica talaris. *Curati & presbyteri... præter tunicam, ſupertunicale, mantellum,* houciam *vel epitogium non portent.* tom. VII. 1226. d. 1283. a.

Houppelanda, pallii ſeu tunicæ ſpecies. tom. VII. 1226. d.

Hugonotti ſic dicti Calviniſtæ in Gallia: unde vero, exponitur. tom. V. 1460. a.

Hulda, hominium. *A nobilibus & ſubditis* huldas *& ſubjectiones debitas acceptavit.* tom. IV. 379. b. 389. d. 395. b.

Hullarii, qui carbones terreos e terræ viſceribus eruunt. *Mandati ſunt* hullarii *Leodienſes, ut ipſum per cuniculos ſubterraneos ſuffoderent.* tom. V. 328. a.

Hullatores ſic appellati apud Leodios qui hullas ſeu carbones ex terra nigra eruunt. tom. IV. 1211. a.

Hunno. *Servientes... nulli advocato neque* hunnoni *ſubjaceant, ſed tantum abbati ejuſque præpoſitis de quibuscumque culpis reſpondeant.* tom. I. 433. d.

Hurdare, cratibus munire. tom. I. 1062. b.

Hymniſare, hymnos cantare. *Sic* hymniſando *cum populi frequentia.* tom. VI. 832. d. ſupra pag. 810. a. *Voces* hymnidicas... *ſancto martyri Savino... cum jubilatione dederunt.*

Hyraldus fecialis, *Gal. herault. Quod dominus Carolus miſiſſet* duos hyraldos *ad ſanctum Trudonem.* tom. IV. 1297. a. 1314. e. 1319. d.

d

I

JACTUS, formula, instrumenti seu litteræ ordinatio, nos dicimus *dispositif.* In... *diata fuit factus unus* jactus *pacis in quo continebatur* &c. tom. IV. 1233. a. *Ostensus fuit* jactus *unius litteræ & lectus.* 1270. d.

Jahoc vel *jahouc*, nomen idoli, quod tempore Noe cultum fuisse tradunt: quin & ipsum Noe significat. vide Lexic. heptaglot Castelli. *Idololatria illa qua adorabant* jahot *&* jahoc. tom. IX. 180. b.

Jahot, vel *jahout*, nomen idoli Arabum, cujus fit mentio. tom. IX. 180. b. vide Lexic. heptaglot. Castelli.

Imaginare, figurare, indicare, designare. *Quod* imaginatur *in solemnio B. Johannis summi doctoris.* tom. I. 716. b.

Imaginarius, legatus, qui principem vel quemvis alium repræsentat, qui ejus vices agit & locum tenet. *Meos solemnes ambassiatores & oratores... ad ipsam sacram synodum... destinavi, ut iidem tamquam personæ meæ* imaginarii, *corporalem meam absentiam sua præsentia adimplerent.* tom. VIII. 223. c.

Imbreviare, inscribere, in schedam seu breve referre. *Quicumque vobis rebelles, aut inobedientes fuerint...* imbreviate *illos... aut nobis cum insimul fuerimus dicite.* tom. VII. 18. d.

Immatriculare, adscribere. *Adjiciens præterea &* immatriculans *dicto monasterio ecclesias... cum fundis & pertinentiis suis.* tom. VI. 313. a

Immelioratio, reparatio, restitutio, *amelioration. Si nos donatores aut ullusque homo qui contra hanc donationem venerit ad irrumpendum, non valeat vindicare, sed componat omnia superius scripta in duplo, cum illorum omnes* immeliorationes. tom. I. 353. e.

Imperceptibiliter, nemine advertente. *Licet pater apostolicus...* imperceptibiliter *ad partes profectus sit ultramontanas.* tom. II. 1137. c.

Imperiales, nummi sic dicti. tom. IV. 393. e.

Impireum, summum cœlum. *Deducere & introducere cum angelis in* impireo. tom. VI. 1002. a.

Implacitare, in jus vocare. tom. IV. 972. a.

Importantiora, quæ majoris sunt momenti. *Percurram igitur*, importantiora *legens ex plurimis.* tom. VII. 900. e.

Imprisia, expeditio militaris. *Nec decet nos ut aliquos* imprisias *faciamus, quin ad defensionem nostram & regni summopere intendere valeamus.* tom. I. 1157. e.

Incanta, auctiones, Gall. *des encans. Consuetum per curias temporales fieri* incanta *& præconisationes....* tom. VIII. 1561. e.

Incapabilis, qui nullo capi spatio potest, immensus. *Plenissime unum Deum, immensum &* incapabilem *novit.* tom. IX. 489. e.

Incineratio, resolutio in cineres. *Omnipotens Deus... a ceterorum communi corporum* incineratione *corpus ejus... integrum perseveravit* f. *præservavit.* tom. VI. 483. e.

Incisura, tallia, exactio. *Qui advocatus nullam prorsus exactionem debet habere... non precarias* vel incisuras *facere, non palefridos tollere.* tom. II. 10. d.

Incivilis, violentus. tom. VIII. 150. a.

Incrustare inquinare, illinere. *Imprudentia mendacii quo majestatis suæ fidem sincerissimam insimulare &* incrustare *præsumebant.* tom. II. 597. c.

Indebitatus, ære alieno liber... *domum* indebitatam *reliquit fertilem & uberrimam.* tom. VI. 307. a.

Indemdinabiliter, sine damno. *Æquitatis virgam* indemdinabiliter *bajulant.* tom. I. 496. b. f. leg. indedamnabiliter.

Indusiari, indui, vestiri. *Qui Deo exuti, mundo induti, ipsis laicis non timent vestibus* indusiari. tom. IX. 918. b.

Infallanter, certo, certissime. tom. VIII. 157. c.

Inficior, infigo. *Ego ait te ut perfidum hac hasta per medium fallacis oris* inficior. tom. IV. 1028. b. Dixit Sidonius infictum pro infixum.

Infinitissimus. *Hæc enim & alia* infinitissima *liberati dum* clamant. tom. IX. 870. d.

Infractura, infractio, violatio. *Beneficium... sine aliqua* infractura *maneat inconvulsum.* tom. II. 71. c. 76. d.

Infrigidatus, frigefactus. *Humores crebro* ab infrigidato *cerebro profluentes emittebat.* tom. VI. 42. c.

Ingeniolum, machina bellica, a voce ingenio. *engin. Petit engin. At oppidani... molas alias super decursum Mosæ fabricari fecerunt cum catenis ferreis illas colligantes, per quod* ingeniolum *frustrati sunt conatus Leodiensium, nec unquam oppidanis defecit farina.* tom. V. 387. e.

Ingeniositas, ars. *Pontem mira* ingeniositate *fabricari fecit.* tom. V. 790. b.

Inlaterare, jungi. *Donamus tibi spelæam nostram cum... aliis cunctis cavernis, speluncis qui ibidem sunt, sicut in ista sedula resonat &* inlaterat *terminis.* tom. I. 353. b.

Inofficialitas, absentia ab officio divino. *Cum ad matutinas laudes reddendas, nobis consurgentibus defuisset, & Claudius diaconus causam ab eo hujus* inofficialitatis *exquireret.* tom. VI. 784. a.

Inofficiata dies, quæ proprium officium habet. *Si sit sacerdos celebraturus (nam si festum habens propriam missam supervenit* in die inofficiata, *id est habente proprium officium) debet unam missam integram decantare*, illam *scilicet quæ celebrior videbitur.* tom. VII. 1421. e.

Inquasïabiliter, inconcusse. *Ecclesia... stabilita* inquassabiliter, *ipsa sola regnat.* tom. VIII. 438. b.

Insomnitas, insomnia. *Diabolum quem sæpe* insomnitate *vicerat.* tom. VI. 781. d.

Insultia, insulsitas, imperitia. *Mea excuset* insultia. tom. II. 1362. a.

Interragium, quod pro inhumatione datur. *Ne pro* interragio *corpus sepeliri differretur.* tom. VII. 1281. e. tom. IV. 161. 472.

Intitubabiliter, sine titubatione, secure, certò. *Quatenus* intitubabiliter *cuncti valeant animadvertere.* tom. IX. 821. c.

Invadiare, dare pignori. *Hugo Mala punctura cognovit medietatem trium partium decima majoris & minoris de Villaribus, usque ad quatuor annos se* invadiasse *ecclesiæ S. Victoris pro mille solidis.* tom. VI. 239. e.

Ioaria. *De aliis vero qui* ioarias, *majorias & villicationes nec non & beneficia quæ a Poppone secundo abbate acceperunt...* tom. II. 117. c. v. Juveria.

Iocale, iocalia, pretiosa suppellex, Gall. *joyaux. Inventa sunt* jocalia *Ægidii de Mes, quæ dicebantur valere* M. D. Rhenenses. tom. IV. 1289. c. 1312. b. 1314. d. 1315. a, 1320. d.

Irreflexibiliter. *Membrisque lethali frigore* irreflexibiliter *rigentibus.* lege. *inflexibiliter.* tom. VI. 768. e.

Iscannum, commutatio, *Gal. eschange. Recepit Haoilla ecclesiam de Capella in* iscannum. tom. I. 421. b.

Itinerator, viator. *Talis & nocturnus* itinerator, *quo venerat deintus revertitur eo.* tom.

Juaria, majoria, judicis munus in villa. *Nullus* juariam vel *majoriam aut villicationem hereditario seu feodi jure per successionem teneant.* tom. II. 119. a.

Judicamentum, judicium, decretum. tom. IV. 1301. b.

Juppo, sagum militare. tom. VII. 1226. d.

Juridiarium. *Liceat abbati & fratribus ibidem habere & caumas & furnos & arces & molendinos & piscaturas &* juridiaria *& mercatum.* f. viridaria. tom. I. 816. b.

Justa, hastiludium singulare, monomachia. *jouste.* In concilio Taracon. an MCCXXXIX. primus canon. *contra illos qui faciunt* justas *in monasteriis.* tom. VII. 132. b.

Juveria, judiciarium munus. *Sancimus ne jure hereditario villici vel judices fiant, sed utrumque ministerium, id est villicatura & juveriæ in potestate abbatis & gratia consistat.* tom. II. 91. d. 97. e.

K

KARRALIS, plaustrum, *charrette. Ducilis a fundo* carralis *egressus, in terram prosiliit.* tom. VI. 809. e.

L

LAMBRUCATUS, in lacunar cameratus, *Gal. lambrissé. Claustrum... ligno* lambrucatum. tom. VI. 608. d. Eodem sensu reperit Cangius in tabul. Fossat. Lambroficare.

Lanceare, lanceas erigere ad excipiendum aliquem præcipitem agendum. *Magister Renardus stabat super violettam, post quem* lanceabant, *volentes quod præcipitaretur deorsum, stantes cum lanceis, expectando casum ejus.* tom. IV. 1295. d.

Lardo, laridum. *Distribuebat ipsa... panem, vinum, oleum,* lardonem. tom. VI. 1317. b.

Lata pontis. *Aridum mare juxta* latam pontis seu molis, *navigare.* tom. VIII. 192. c.

Latinizare, latine reddere. tom. VI. 1286. c.

Latro, cognitio de latrone, ad eum pertinens qui magnam justitiam in feudo suo habet. *Comitatus sit omnino in districtu abbatis... sit falsa mensura, &* latro, *& lex campalis, & sturma, &c.* tom. IV. 1175. a.

Laudamentum, conventio, pactum. *Isti omnes monachi Massilienses fecerunt* laudamentum *hoc.* tom. I. 561. a.

Leccator, scurra, leno, ganeo: Isidoro, gulosus; Ugutioni scurra, vaniloquus; nostris olim, *lichard. Ribaldos, caupones* leccatores, *lixas... corrupit & allexit.* tom. V. 460. c.

Lectrix, pulpitum. f. leg. lectricium seu lectrinum nostris *lectrin. Cum hora esset jam parata legendi evangelium, ecce diaconus... cum sacerdote venit* ad lectricem, *quod videlicet ipse... incœpit.* tom. VI. 1175. e.

Lembrici, *si cervos pulices, si leones* lembrici, *missis litteris salutarent. Lege* lumbrici. tom. II. 1021. b.

Lentigamen, ligamen, funis. *Submisit se ad fossatum castri per arctam fenestram* cum lintigamine. tom. IV. 426. c.

Leudes, compositio, seu præstatio pro homicidio. *Deprecatus est... ut... dimitteremus* leudem *quam homines quondam nostri fisci de* Auvans *persolvere debebant pro quodam clerico interfecto.* tom. I. 136. b.

Leuva, leuca. *In directum* leuvas *tres de nostra silva... concessimus.* tom. II. 6. c.

Lex campalis, lex duelli in campo ineundi. *Comitatus sit omnino in districtu abbatis... sit falsa mensura & latro &* lex campalis *& sturma* &c. tom. IV. 1175. a.

Lexalis, locus ubi ædificari potest, vox ut videtur, derivata ex localis *Concedit & cameram adhærentem ecclesiæ & unum* lexalem *qui ei adhæret, in quo magna domus construatur.* tom. I. 459. d.

Libellarius, cui prædium in emphyteosim locatum. Libellarii *antiqui & alii noviter facti... de publico servitio se subtrahentes...* tomo VII. 9. d.

Liber vitæ, martyrologium in quo obitus & impensa beneficia annotabantur. *Et nomen meum in* libro vitæ *conscribant.* tom. I. 55. e.

Libera, libra. *Inferat partibus ipsius monasterii... auri* liberas *duas.* tom. I. 56. d.

Libertare, solvere. *Utinam per istud & similia exempla... nolint suam* libertare *libidinem.* tom. VIII. 512. c.

Libraria, bibliotheca. Libraria *quoque incomparabilis, quam cum introeo, videre videor sine reliquis omnes ecclesiæ doctores omnibus libris suis & tractatibus comitatos,* &c. tom. II. 1393. a.

Librata, insigne gestamen, *livrée. Alexander* Berart... *habuit unum tabardum... quem portavit publice... juraverat novum regimen, ubi continebatur, quod nullus scabinorum posset accipere de novo pensionem, vel* libratam *ab aliquo, ut esset de ejus consilio.* tom. IV. 1244. a. Et tom. V. 437. d. *Cujus comitiva... æstimabatur ad summam centum & sexaginta equitum* albis libratis *indutorum.* vide tom. IV. 1303. e. &c.

Licentiare, permittere. *Lex humana* licentians *virum occidere posse adulterum uxoris in adulterio deprehensum.* tom. VIII. 361. e.

Licoisi, legis custodes, ita olim appellabantur quidam religiosi laici, qui continenter vivebant, & licoisæ, virgines laicæ ejusdem instituti; dicti etiam Deicolæ, de quibus supra in DEICOLÆ. tom. V.

Liernus, scutulatus, *gris pommelé.* color equi. *Dedit mihi jam dictus abbas & monachi... unum palefridum* liernum. tom. I. 564. a.

Liga, fœdus, societas, *ligue. Ne audiatis ab aliis contraxisse nos unionem* & ligam *cum Bohemis... excepta duntaxat* liga *vestra Hungarorum.* tom. VIII. 161. c. d.

Ligaturæ, amuleta collo aut aliis corporis partibus alligata & suspensa ad depellendos morbos. *Auguria & incantationes &* ligaturas *nolite exercere... quia hæc diabolica sunt argumenta.* tom. IX. 205. a.

Linguagium, lingua, idioma. *Monachus fratrum Prædicatorum* linguagii *nostri.* tom. VIII. 356. a.

Linguagium, certus loquendi modus, & hoc sensu plerumque accipitur in malam partem. *O quam tale* linguagium *a cunctis ortodoxis foret extirpandum.* tom. VII. 568. c.

Livivi, lividi, seu potius *livide, De ictu levi sine sanguine, & de* livivi, *& de verbis contumeliosis, procedetur prout de sanguine.* tom. I. 1353. c. in legibus Cælæ. In hist. Lotharing. d. Calmet in probat. col. 451. lego. *De livide vero & sanguine facto, aliisque injuriis,* &c.

Locagium, pretium conductionis, *louage. Nullus sacerdos* locagium *recipiat, vel pacta de mercede habenda, pro aliquibus prophanis, seu sæcularibus operibus exercendis.* tom. VII. 1229. c.

Locella, villa. *Rogo, supplico... illa epistola quem de* locella *mea nuncupantes Odane cum appenditio suo... gestis municipalibus allegare facias.* tom. I. 58. a.

Locotheta, comes palatii Ratherio. tom. IX. 801. e. locotheta, *quem nos* comitem *dicimus* palatii, *præfectus aut judex es?* Cangio, qui vices gerit comitis, qui locum ejus tenet, quasi loco positus.

Locum, seu *locom.* Factiosi apud Leodios, sub annum 1466. *Hoyenses e converso fecerunt proclamari quod omnes qui non vellent manere in defensione oppidi... infra tres dies exirent, & uxores illorum qui se nominabant* locum, *similiter.* tom. IV. 1290. d. & pag. sequenti, a. *Insuper colubrissarii, & illi qui se appellabant* locum, *spoliaverunt domos omnium eorum qui erant in Hoyo, per Hasbaniam & alibi.* vide Fisenium Hist. ecclesiæ Leod. p. 2. lib. x. ad annum 1466.

Logiarium, portorium. *Vinum autem alicujus canonicorum speciale, liberum transitum habebit per Ligerim, dando secundum consuetudinem* logiarii, *unam lagenam vini.* tom. IV. 1175. a.

Lotus vini, certa mensura de qua in fundatione pitantiarum vini canonicorum Oigniacensium. *In conventu clericorum qualibet septimana, tribus diebus vino serviatur semel in die, exhibendo dimidium* lotum *per singulos mensura Fossensis.* tom. I. 1279. b. *Duos vini sextarios datos pro collatione tempore jejunii... redegit ad potum duorum* lotorum *cum dimidio.* tom. VI. 312. a.

Lucerna, oculus. *Imprimis ambobus careat* lucernis, *& post discessum ejus non sepeliatur cum aliis.* tom. I. 548. d. in instrumento Adefonsi regis Hispaniarum,

observatque Cangius, hanc clausulam sæpius occurrere in cartis Hispanicis.

Luminaria, candelæ ecclesiæ, lucernæ, *luminaire. Tres solidos argenti ad* luminariam *continuandam.* tom. I. 120. a.

Lympson, vox Gallica, *limaçon, limax*, cochlea. Lympson *comederunt totam navetam.* tom. IV. 1374. b.

M

MACEA, massa, clava militaris, Gall. *Masse... sagittis & gladiis*, & maceis ferreis *interficerent.* tom. V. 550. a.

Macellus, macellarius, carnifex, qui carnes vendit. tom. VII. 307. c.

Magii campus, magis campus, comitia publica, quæ Francorum reges mense maio habebant in patenti loco & sub dio, in quibus & milites suos recensebant. *Habuit colloquium cum Tassilone duce Bajoarico & magno Francorum conventu, id est* magis campum. tom. V. 897. a. Et 899. b. *In alio anno habuit rex conventum in Wormatia, non tamen* magis campum, id est comitia illa generalia quæ mense maio fieri solebant. vide Cangium in voce campus Martii, & Madii vel Magii.

Magistrare, magistratum exercere. *Dominus Ægidius de Hoio miles, cum socio de* Hawcals *qui* magistrabant *illo anno* (apud Leodios) id est, qui erant magistri, Gallice, *Bourguemestre.* tom. IV. 1240. d.

Magistratio, eruditio, doctrina. *Magister in* magistratione *multos rivulos habes in scripturis sanctis.* tom. II. 1098. d.

Magnelli, magonabuli, machinæ jaculatoriæ. *Vento contrario repulsi, nec non &* magnellis *quodammodo læsi, naves retraximus.* tom. I. 801. b. Et pag. seq. b. *Interim milites regis, qui in arce pugnabant*, magnellis *Sarracenorum territi, minus viriliter pugnabant.* tomo vero V. p. 280. a. *Erectis autem petrariis*, magonabulis, *& fundibulis, acriter impetitum est castrum.*

Maialis, porcus pinguis. *Pro uno caballo & uno bove & uno verre &* uno maiali. tom. I. 401. a.

Majolis, idem quod mailolis, malo, malho, vinea, ut suspicatur Cangius, a voce majulum, quod species est uvæ suavissimæ. *Medium arpentum* majolis... *quod est inter* maiolem *comitalem* & maiolem de Guifres. tom. VI. 458. a. d.

Malampnum, carbunculus, mala pustula. *Carbunculi enim, vel mala pustula, quem vulgo dicunt*, malampnum, *remedium est, ut dicunt, si herba, qua specialiter Franciloquio dicitur radix sermone, optime trita atque extorta, eidem superponatur, usque ad eamdem qua posita fuerit horam, super vulnus mansura*, &c. tom. IX. 193. d.

Maldrum, mensura Germanica quatuor modios continens. *Constituit... tria* maldra *siliginis in eleemosynam ab eisdem fratribus pauperibus erogari.* tom. IV. 238. d.

Malingnia, Mechlinia, *Malines.* tom. VII. 709. b.

Maletota, iniqua exactio. *Super omnia venalia exigant gabellam vel* maletotam. tom. IV. 1112. a. tom. V. 145. c. item 272. b. 397. e.

Mamburnia, tutela, defensio: mamburnia patriæ Leodiensis, Reipublicæ administratio alicui illustri viro olim deferri solita, vacante sede, vel certe absente episcopo, ne interea respublica capite diutius destituta periclitaretur. *Primores civitatis in dominos capituli majoris insurrexerunt, requirentes ut suæ factioni consentirent & electionem sui cornuti episcopi approbarent, cum* mamburnia *patris ejusdem* (Henrici de Horne) tom. V. 369. c. vide pag. 367. d. 368. a.

Mamburnus, tutor. *Comes Veldentiæ & dominus* Hanaw *tamquam* tutores & mamburni *filiorum domini Philippi*, &c. tom. IV. 424. c.

Mamburnus Leodiensis, supremus reipublicæ magistratus, vacante sede, patriæ defensor, & administrator. *Cognita morte sui episcopi, confestim decanus & capitulum ad eligendum* mamburnum, *id est temporalibus præsidentem diem brevem præfixerunt, allegante capitulo quod per illos solos & in solidum* mamburnus patriæ defensor *absque nobilium assensu deberet subrogari.* tom. V. 163. e. „Eadem mamburni „erat, ait Fisenius hist. eccles. Leod. lib. IX. quæ „principis in rerum prophanarum administratio„ne auctoritas, ipsumque adeo palatium incole„bat, & episcopi vectigalibus fruebatur. Si „quando mansurus in provincia episcopus mam„burnum diceret, non aliud is quam exercitus „imperatorem agebat, marescallusque potius ap„pellabatur.„ Observat idem auctor, Henricum V. Romanorum regem, si fides sit Transmosano, rerum Leodiensium scriptori, primum de mamburni dignitate aliquid statuisse, dato rescripto, sigillo aureo consignato. Sæpius mamburni fit mentio. tom. IV. hujus collect. pag. 1270. &c. tom. V. 136. & alibi passim.

Mancipia, serva. *Ex beneficio Ingilmari* mancipias *duas... Et istas supra nominatas* mancipias *cum infantibus eorum ad proprium tribuimus.* tom. I. 856. a.

Mandatarius, mandatorum executor. tom. VIII. 1074. e.

Mandatio, præceptum. *Juxta ejusdem apostoli* mandationem. tom. I. 169. e.

Mandrabulum. *Mandrabuli equidem more, res meum successere.* tom. IV. 670. d.

Manerium, habitatio. *Scriptum in meo* manerio *de* Grenwigh. tom. VIII. 158. d.

Mango, lanius. *boucher. Domunculas in quibus carnes vendebant* mangones, *incendebant.* tom. V. 164. a. *Receptusque est idem miles ad ministerium* mangonum, seu carnificum. tom. V. 347. d.

Mangonalia, mangonelli, machinæ bellicæ jaculatoriæ, tormenta bellica. *Machinis petrariis, fundisque &* mangonalibus *circumcirca ordinatis.* tom. V. 386. a. 769. c.

Manicare, venire. *Cœpere* manicare *circa palatium.* tom. IV. 1352. b.

Manseolum, minus mansum. *Inimicorum ædificia, turres*, manseola *publicavit, & ad terram dejiciendo funditus exstirpavit.* tom. IV. 395. a.

Mansiaticum, idem quod mansionaticum, hospitum susceptio. *Neque servitia exactet, neque paraveredos aut expensas exigat, aut hospitum susceptiones recipiat, aut ullas in aliqua re exactiones seu* mansiaticos *inde exigat.* tom. I. 184. a. eadem fere legere est in synodo Pistensi. an 862.

Mansura, mansus, modus agri. Mansuram *unam quæ habet plus minusve aripennum unum.* tom. I. 117.

Mansura, jus procurationis. *Nec... quisquam eorum præsumat, aut in villis vel possessionibus quæ ad ipsa monasteria respicere videntur, placita tenere*, mansuras *aut precarias facere.* &c. tom. II. 68.

Mansus, fundus cum certo agri modo, ut vult Sirmondus. Mansum *unum in fisco nostro Crovia, cum manuero ad ipsum* mansum *pertinente... tradimus.* tom. II. 28. a. de hac voce multa Cangius quem consule.

Mansi dominicati, indominicati, mansi domini quos ipse excolebat. tom. I. 180. e. 182. a.

Mansi ingenuiles, qui a liberæ conditionis hominibus colebantur: serviles qui a servis, quorum coloni vilioribus servitiis obnoxii erant. tom. I. 180. d. 181. a. tom. II. 32. a.

Mansi sediles, in quibus ædificandum, *mansos sediles* 32. *serviles* 12. tom. II. 32. a.

Mantela, mantile quo manus tergimus. seu mantellum, pallium, *manteau.* tom. I. 426. b.

Mantellatæ sorores, *deferebat habitum sororum de pœnitentia*

tentia B. Dominici, quæ sorores a civitate vulgo mantellatæ nuncupantur. tom. VI. 1312. a.

Mantia, mansi, appenditiæ. Concedimus..... ...strata mansum unum & mantias. tom. II. 29. c.

Mantica, manta, vestis species. tom. VI. 997. a.

Manuale, cella apud Camaldulenses, præpositura, obedientia a monasterio aliquo dependens. *Et quoniam in religione ipsa*, ait Ambrosius Camaldulensis, tom. III. hujus Collect. pag. 93. b. *pleraque monasteria sunt quæ suffraganea seu* manualia *sub se habent, principalibus illis debent esse subjecta; prioresque* manualium *hujusmodi suis abbatibus seu prioribus deferre tamquam superioribus... Paterno itaque affectu & studio monemus omnes hujusmodi* suffraganeos... *superioribus suis abbatibus seu prioribus per omnia deferant, eorumque visitationes & correctiones debita cum reverentia & humilitate suscipiant, eisque in collectarum, quæ necessario vel indictæ vel indicendæ sunt, persolutione respondeant.... Si quis tamen ex hujusmodi* suffraganeis *a superioribus suis se gravari arbitrabitur, recurrere poterit semper ad nos*, &c. Et pag. 112. c. de eremitis suis conquerens, qui cellarum hujusmodi collationes sibi arrogabant, *Aiunt*, inquit, *nos in collationibus* manualium *non plus habere auctoritatis quam quemlibet ipsorum: mendaciter omnino. Namque & ex privilegiis Romanorum pontificum, & ex constitutionibus nostris, atque eremi statutis ad nos tantum pertinet illa collatio, licet* in manualibus *sint illorum accipienda consilia, quæ illi omni cum humilitate tribuere debent requisiti, neque sub excommunicationis pœna licet vel verbo vel signo rogare se mutuo, ut hic magis quam ille præficiatur; sed eligendus ille est, in quem major & sanior pars consentit, quæ profecto definitio sanioris partis ad me spectat.*

Manuerus, domus, habitatio, villæ appenditia. *Mansum in fisco nostro Crovia, cum* manuero *ad ipsum mansum pertinentem*, l. pertinente. tom. II. 28. a.

Manusfidei, testamenti executores. tom. IV. 882. d.

Manufirma, fundus concessus ad vitam sub censu annuo & certis conditionibus. tom. I. 390. a.

Marescosus, palustris, *marescageux*. *Per Alpes &* marescosas *valles latus ibat*. tom. VI. 598. e.

Margaritum, gemma, titulus honoris a mediæ ætatis scriptoribus frequenter usurpatus, quem quidem viri litterati mutuatum putant a græco μαρκαρίτης, Græcis familiari, sed nullo fundamento. *Ibi virginale decus*, margaritum*que pretiosum degebat*. tom. VI. 972. d. Et 981. c. *His comes acceptis... ad exquirendum, immo ad quærendum tam incomparabile* margaritum *totis viribus animum impulit.*

Mariscalci. Qui aulam principis & interiora regebant. Plura in hac voce congerit Cangius. *Nec liceat alicui nostrorum* mariscalcorum *vel principum in præscriptis domibus, nolente Stabulensi abbate, hospitium aut ullum servitium habere*. tom. II. 101. b.

Marinarius, nauta, *marinier*. *Postquam ad insulam venisset, unus ex* marinariis *retulit*. tom. VI. 1305. c.

Marrantia, absentia a choro, ab officio divino. *Quicumque in* matricula *seu tabula scriptus*, marrantiam *fecerit ..... missæ distributiones amittat*. tom. VIII. 1475. a.

Marsi, populus Italiæ maleficiis deditus. Marsorum *genus est in Africa, cui non nocent serpentes*, &c. Marsi *fuerunt in Italia incantatores serpentium, qui eos aut interficiebant, aut nocere non sinebant*. tom. IX. 793. a. b.

Martellum, malleus. *Accepto* martello, *cum magistro clavos infixos vasi firmiter clausit*. tom. V. 54. 1112. e.

Martyrisatio, martyrium. *Mausoleatus quidem .... de proprio loco* martyrisationis. tom. VI. 823. e.

Mascarati, personati homines, *masques*. *Clamantes ad proditores &* mascaratos. tom. VI. 479. c.

Mascus, mansus. tom. I. 347. c. d. Vide mansus.

Masilinum, mansenile, mansinile, masnilum, mansus, villa, aut locus familiæ. Cæsario, certa terræ portio, in qua colonus habitat. tom. I. 374. b. tom. VI. 699. d. 703. e. 724. a. d. 725. a. b. 727. e. 731. a.

Massalica caza, domus ad mansum pertinens. tom. I. 347. c.

Materiamen, lignum ædificiis aptum. *Eamdem silvam in pascuis animalium & porcorum utendis, cum in* materiaminibus *faciendis & piscationibus exercendis... communiter habeant*. tom. II. 25. c.

Mathematicus, magus. *Si ibas ad* mathematicum, *vel ad ceteras pestes, jam desine*. tom. IX. 903. c.

Matricularius, custos ecclesiæ; in monasteriis, sacristæ socius & adjutor, cujus est ecclesiæ ostia statuto tempore claudere, &c. ut legere est apud Cangium. *Sancta autem prædicta basilica* matricularius *extiterat Brunsdanus, vir fidelis & monachus*. tom. VI. 833. b. & pag. seq. b. *Surgit* matricularius *frater Brunsdanus.... quas etiam manu cum sera clauserat valvas, invenit reseratas.*

Matricularius, qui ecclesiæ alicui deservit in vilioribus muniis. Alii erant clerici, alii laici. tom. I. hujus Collectionis, pag. 116. b. de clericis agitur qui capellæ deserviebant. *De* matriculariis *qui... ad prædictam S. Justinæ capellam usque nunc deservierunt, quique partem aliquam ex ipsa ecclesia accepisse noscuntur*, &c. Item 182. d. de matriculariis plura congessit Cangius.

Matricula, certi reditus ecclesiæ pro clericis deservientibus, qui & matricularii dicebantur, quia in ecclesiæ matricula erant adscripti. Iidem reditus luminaribus, aliisque expensis deputabantur, ut videre est tom. I. 182. c. d.

Mausoleare, mausoleo condere. Mausoleatus.... *in villula Suthane*. tom. VI. 623. e.

Mazerinus, scyphus fictilis, *de fayance*. *In scypho argenteo sive* mazerino *aquam infundebat pro haustu*. tom. VI. 309. Vide Cangium in hac voce.

Mediatoria & Medietura, prædium cujus fructus pariter dividuntur inter colonum & dominum. *Tribuit igitur præfatus Hugo clericis in jam dicta ecclesia.... duas* medieturas, *unam cum tribus arpennis pratorum, alteram cum quatuor*. tom. I. 376. a. *Dono unam terram ad unam* mediatoriam, *cum pratis, & duos agripennos de vinea*. 420. a.

Melioritas. *Tumor arrogantiæ talis in modum vertitur* melioritatis. tom. VI. 891. e.

Menaria, in instrumento Adefonsi regis Aragonum. *Dedit... decenam in Thoramina cum tertia parte de* menaria *quam ibi habebat*. tom. I. 550. a. f. legendum maneria, ut in instrumento Ildefonsi regis Aragonum a Cangio laudato.

Menidula, passerculus. Gallice *moineau*. *Docet id contigisse per* menidulam, *dum suum constitueret nidum*. tom. VI. 321. d.

Menna, *munna*, vox Arabica, beneficus, propitius. Nomen Dei, qui sua sponte largitur & benefacit. Vide lexicon heptaglot. Castelli. *De idololatria illa, quæ adorabant Jahot, & Jahoc, & Nuzara, & Allat, & Alozei, &* Menna. tom. IX. 180. b.

Mensalia, mappæ quibus mensæ sternuntur. *Sagimen habeant, femoralia etiam, mantelas, ac* mensalia *ad usus necessarios inde percipiant*. tom. I. 426. d. Mensalia etiam dicebantur quædam supertunicalia, quibus veteres olim utebantur ad mensam, ut parcerent vestibus magis pretiosis, uti observat Lindwodus a Cangio laudatus.

Mercantiæ, merces. *Confœderationem habebant cum infidelibus in* mercantiis *& aliis negotiis suis*. tom. VI. 92. b.

Mercatio, negotiatio, tractatus. *Quæ si feceritis, in hac* mercatione *Dei, nostrûm uterque desiderata commoda... se percepisse gaudebit*. tom. VII. 629. b.

e

Mericæ, loca paluſtria, *mareſts. Ratione paſcuorum* mericarum, *& wareſcapiorum.* tom. V. 449. 458. a.

Merinus, idem apud Hiſpanos quod majorinus, major villæ, juſtitiarius. tom. I. 548. d. Item, apparitor, *ſergent.*

Meſſiatio, miſſa in qua mulier poſt partum benedicitur a ſacerdote. *Mulierem ad purificationem ſeu* meſſiationem *admittere.* tom. VII. 1304. a.

Micca, parvus panis, gallice *miche. Diſtribuet pauperibus ... tredecim albos panes, ſeu* miccas *duorum ſolidorum moneta Leodienſis.* tom. II. 150. b.

Migeria, menſura liquidorum. tom. VI. 477. c.

Minegancia, idem forte quod minagium, præſtatio pro menſuratione frumenti per minas. *Donamus... monaſterio ſæpedicto mercatum totum ſimul & teloneum &* mineganciam *totam, & juſtitiam totam.* tom. I. 515. e.

Minera, fodina, vena metalli, *mine. Cum ...* minera *ferrea, quæ eſt in monte de Bovino ... extraheretur.* tom. VI. 180. d.

Miniſteria, ordines artificum. *Les corps de meſtiers. Duo* miniſteria *levaverunt ſe contra alia.* tom. IV. 1277. a. Miniſterium *viticolarum cœpit exire verſus terram Limburgenſem .....* Miniſterium *drappariorum ſecutum eſt viticolas.* 1279. a. b. 1321. c. 1323. a.

Minuta, perſcriptio ex qua exempla conficiuntur, *minute. Ecce* minutas *egi ex memorialibus veſtris, prout exemplo videre veſtra dominatio poteſt.* tom. II. 1362. e. 1363. e.

Minutus, cui inciſa fuit vena, *ſaigné.* tom. VII. 1422. d.

Miſſaticum regium, legatio regia. *Quoniam ejuſdem loci abbates* miſſaticum regium *peragere ſoliti ſunt, concedimus eis ut triginta homines nobiles ab aliis profectionibus immunes habeant.* tom. I. 223. a.

Miſſa baſſa, miſſa privata. tom. V. 340. e.

Miſſatio, miſſa privata. *Populus cœcus in multis* miſſationibus *ponit ſalutem.* tom. VIII. 326. d. Hæc vox videtur inſolentius & ridicule uſurpata ab hæreticis, miſſarum privatarum odio.

Miſſare, miſſam celebrare. *Salvator noſter per tres annos & ultra publice prædicavit, & ſemel* miſſavit. tom. VIII. 326. c.

Mitra, capitis tegumentum, pileus. *Nullus portet annulum ... nec* mitras *ſericeas aut bireta longa.* tom. VIII. 244. a.

Modiata, certus modus terræ, unde ſemimodiata. tom. I. 401. a. Modiata *de terra culta*, modiata *de vinea.*

Molinus, molendinum. *In ipſo flumine locum, ubi* molinus *unus conſtruatur.* tom I. 459. c.

Moncellus, collis. *In* moncello *S. Gervaſii.* tom. VI. 225. a.

Monetagium, monetalis officina. *Faciemus paulatim curſum minui monetarum, quæ in* monetagiis *noſtris cuduntur ad præſens.* tom. I. 1412. d.

Moniſta, monachus. *Quis ... non indignanter ferat ...* moniſtas *choreis videri immiſceri, canoniſſaſque & moniales habitus*, &c. tom. II. 1418. d.

Monſtrantia, arcula in qua reliquiæ reconduntur, item & ſacra euchariſtia. tom. V. 476. b. Item, vaſculum in quo ſacramentum euchariſtiæ patenter exponitur. tom. VIII. 1008. c.

Morabotinus, monetæ genus apud Hiſpanos. tom. VII. 293. a.

Morlani ſolidi; Morlanenſis monetæ ſæpe meminit Marca in hiſt. Beneh. Vide & tom. VII. 92. c. &c.

Morſicatio, morſus. *In ſummitatibus eorumdem* [calicum] *erant ſigna manifeſta tenaciſſima* morſicationis *ejus cum dentibus*, &c. tom. VI. 1346. b.

Mortiferabiliter, mortifere. *A vipera percuſſus*, mortiferabiliter *inficitur.* tomo VI. 767. e.

Motunagium, ſervitium quoddam, forte idem quod mutonagium, ſeu moutanagium, tributum ex vervecibus. *Quittavi in perpetuum abbatiæ S. Vincentii ... illud ſervitium quod* motunagium *vocatur, quod anteceſſores mei habebant de ſuis hominibus in Sagoneſio.* tom. I. 1037. c.

Muanda, mutatio, ſeu præſtatio fieri ſolita in quavis mutatione poſſeſſoris. *Recepta ab abbate ... tertia parte decimæ, &... tertia etiam parte ſervitii quod* muanda *vocatur.* tom. II. 79. a.

Muldiones, idem forte quod mundiones, coloni ſub alicujus mundio & tutela conſtituti. *Wandelaicus manſus ... interjacens de uno latere ... & de altero latere Aldemega*, mundionibus *meis ex villa Graida, ſub tributo annali.* tom. II. 21. c. Vide infra mundiculus.

Multor, molendinarius, molitor, antiquis, piſtor, *meuſnier. Plurimos ex fabris &* molitoribus *peremerunt.* tom. V. 377. b. c.

Mumburnus, tutor, defenſor, adminiſtrator. *Tutor &* mumburnus *fuerat conſtitutus regni Romanorum.* tom. IV. 418. a. 1118. e. Vide ſupra Mamburnus.

Mundibrium, mundeburdis, mundiburdum, mundiburgium, defenſio, tutela regia ſpecialis, uti aperte exponit Ratherius epiſcopus Veronenſis, tom. IX. hujus Collectionis, pag. 890. b. Mundeburdem *autem, inquit, vulgo quoddam genus regalis vocant tuitionis, quod qui habuerit, ſpeciali quodam privilegio, ita regia tuetur auctoritate plerumque, ut nec vi, nec judicio aliquid, etiam in culpa deprehenſus, ab aliquo patiatur, antequam in præſentia ejuſdem majeſtatis audiatur.* Unde reges noſtri quem ſub ſuo mundiburgio habebant, ſub ſuo eſſe amore dicebant. Eadem notione Henricus Romanorum rex Mulenbechanum monaſterium *in ſuum* mundiburdum *ſuſcipit.* tom. I. 363. e. & *Keminadenſe in ſuum* mundiburgium. 366. e. Erenfridus comes Palatinus, cum conjuge ſua Matilde, monaſterium Brunwillarenſe conſtituerunt *ſub* mundiburdio *S. Petri Colonienſis eccleſiæ*, & *Piligrinum ejuſdem eccleſiæ archiepiſcopum, & omnes ſucceſſores ejus in perpetuum, ejuſdem monaſterii defenſores eſſe impetraverunt.* 399. b.

Mundiculus, idem quod mundilio, aldio, colonus, villicus alicujus poteſtatis, eccleſiæ, monaſterii, eſtque in ejus mundio & tutela. *Super* mundiculos *vero, miniſter eccleſiæ & advocatus placitum tenere debent, & eccleſia totum cenſum habebit.* tom. VII. 72. d. Vide Aldio apud Cangium.

Munerarii, pecuniarum receptores, quæſtores, arcarii, theſaurarii. *Sed* munerarii, *animus erat deſignatiori vocabulo dicere, de ærario publico aut theſauro regis ſupramodum curant.* tom. II. 1400. e.

Mus, felis, *chat. De mus comeſtus, id eſt de gato manducato.* id eſt de fele. tom. I. 353. c.

Mutones, monetæ ſpecies, valens duos circiter florenos Rhenenſes. tom. V. 272. e. 288. e.

Myrmicoleo, proprie eſt animal formicas enecans, aliter formicoleon. Moraliter a Ratherio uſurpatur tom. IX. 819. d. *Gaudes, inquit, dum acquiris, mœres dum perdis, anhelas dum exigis, formidas dum exigeris.* Mymicoleo *utique nec diſſimilis; aliis formica, aliis leo videris.*

N

NACCUS, pannus ruber, ſive ſtratum equi pontificis, ait Onuphrius; vel ut ſcribit Alexander papa III. epiſt. 52. ad Philippum archiepiſc. Colonienſem, feſtivi equi. Cangio eſt ſtragulum, quo totus equus inſternitur. tom. IV. 203. e.

Nacella, navigii minoris ſpecies, a naca, ſcapha, noſtris *nacelle. Competentiorem in* nacellis *& chelandris aliis fecimus apparatum.* tom. II. 1199. e.

Nagaria, vid. Wagaria.

Natalis calicis, Dominica cœna. *Hoc ergo judicium in natali* calicis *mox excipitur.* tom. II. 403. c. Et 425. e. *Aqua in sanguine quare misceatur, dum in* natali calicis *factum fuisse non legimus.*

Natio, nativitas, genus. *Proprium occultæ* nationis *fratrem ... supplicio tali interimere permisit.* id est fratrem nothum. tom. IV. 383. b.

Naveta, napum, gallice *navette. Testudines... comederunt totam* navetam *seminatam.* tom. IV. 1374. b.

Naufragare, disperdere, dissipare. tom. I. 548. d.

Necessitari, cogi. Necessitatus *est adhærere domino Razoni.* tom. IV. 1266. c.

Nevangium, quæ navibus advehuntur. *Forum piscium, avenæ, bladi.... & cujuscumque fluctus seu* nevangii *remaneat Machlinia.* tom. I. 1425. c.

Nicoisæ, nomen mulierum continenter viventium, *quasi sanctum Nicolaum imitantium.* tom. IX. 1029. a. Vide Licoisi & Deicolæ.

Nobile, monetæ genus, valens duos florenos Rhenenses. tom. V. 428. b. Nobiles Angliæ, tom. IV. 1206. d. e. 1207. c.

Nobilitiæ, jura honoraria. *Castrum de Podio fagi tenuit... cum* nobilitiis, *hostagiis, hominibus, censibus,* &c. tom. V. 1151. a.

Nota, instrumentum notariorum. *De his omnibus* notam *recepi & recitavi: de qua* nota *hoc publicum instrumentum per alium fideliter extrahi & grossari feci.* tom. IX. 1454. d. & seq.

Nutrimentum, nutricatus animalium. *Decimas totius laboris &* nutrimenti *sui... eidem assignavit.* tom. VI. 313. a.

Nuzara, vox Arabica, a *Natzar*, adjuvit, protexit. Idolum quoddam; etym. adjutor, protector. vel a *nazar*, aut *nasar* rostro suo vulsit. Inde *nasron*, aquila, scilicet sidus cæleste & nomen idoli quondam ab Arabibus Dulkelaitis in Hamjaridum terra cultum. Vide Lexicon heptaglot. Castelli. *Ubi scimus aliquid remansisse de idololatria illa qua adorabant Jabot, & Jaboc, &* Nuzara, *& Alozei.* tom. IX. 180. b.

O

OBlagium, oblatio, *offrande.* tom. VIII. 405. b.

Obsequium, officium ecclesiasticum pro defunctis. *Obseques.* tom. VI. 692. d.

Ofertio, oblatio. *Fidelem* ofertionem, *& sanctum sacrificium.* tom. I. 337. d. 338. d. 348. a.

Officiatus, qui officio vel munere aliquo fungitur, judex. *Suis* officiatis *& judicibus districte mandavit...* tom. IV. 338. e. *Quem cum* officiatus *suus interrogans de quo castrum retinere deberet, cum annuis careret redditibus.* 380. a.

Oglata, idem quod olcha, infra. *De campis cultis vel incultis, hortis,* oglatis, *pratis, pascuis, silvis, garricis.* tom. I. 333. c.

Olchia, olqua, olcha, portio terræ arabilis fossis vel sepibus undique clausa. Olchia *una cum omnibus redditibus suis.* tom. VI. 223. e. Olquam *unam non longe ab Acolaco villa... dedit,* &c. tom. VI. 700. c. Item 706. d. *Duas* olchas *in Crevenno villa sitas dedit,* &c.

Orarium, stola sacerdotis. *Donatus* (episcopus) orarium *suum plicans in circulo, posuit in terra, ipseque rediit ad turbas, dixitque puero suo, accipe* stolam, *& vade,* &c. tom. VI. 775. e.

Ordinamentum, sanctio, edictio, præscriptum, *ordonnance. Secundum* ordinamentum *communis Florentiæ.* tom. VII. 936. b.

Originatio, origo, ortus, genus. *Nam ex parte patris triplicem* originationem *accepit.* tom. VIII. 214. c.

Ossamenta, ossa. Ossamenta *tanti viri... quem collocaverat Dominus in excelsis.* tom. VI. 1006. a.

Ostentamen, significatio, indicium. tom. VI. 832. c.

P

PABO, pavo, pavio, operimentum ex pretioso, seu ex tenuissimo panno, palla, pallæ sepulcrales, quibus sanctorum corpora tegebantur; palla sepulcri S. Martini apud S. Gregorium Turonensem, quo sensu pabo usurpatur tomo VI. 976. b. *Ecce Petrum episcopum cum suo Petro archidiacono, ceterisque presbyteris reperiunt propriis ulnis in tenuissimo* pabone *sanctam martyram simul gestantes.* Pabo est etiam vehiculum unius rotæ.

Pactare, pangere, transigere. *Simoniaca heresi infecti qui similiter* pactant *& extorquent pecuniam.* tom. VIII. 318. d.

Paganiter, more infidelium. *Plerique in multis* paganiter, *& non christiane vivebant.* tom. VI. 92. b.

Pagini, ethnici, infideles. *Faciatis... turrem & muros... propter vestras animas ad salvandum, sive pro* paginis *& malis Christianis.* tom. I. 338. d.

Palandio, scapha longior. *Decem & octo seu 20. alterius generis naves, quas scaphas vocare possumus, pro transvehendis hominibus, seu* palandiones, *pro transvehendis equis.* tom. V. 787. e.

Palefridus, equus gradarius. *Dedit mihi jam dictus abbas... unum* palefridum *liernum.* tom. I. 564. e.

Palmata, palmarum allisio in pavimentum. *Si quis tinxerit manum in aliquo cibo liquido, & non idonea manu, centum* palmatis *emendetur.* tom. VII. 47. c.

Pancarta, carta Caroli-Simplicis pro monasterio S. Martini. In instrumento Carolomanni pro eodem loco: *Corroborantes denuo* pancartam *super omnibus rebus S. Martini, pro munimine omnium cartarum, ab avo & genitore nostro collatam.* tom. I. 215. e.

Papa. *Hoc nomen.... sumtum est ab interjectione,* Papæ, *qua admirationem significat.* tom. VIII. 498. d.

Papare, Romanæ ecclesiæ præesse. *Relicto utroque* papante, id est utroque pontifice Romano. tom. VI. 208. b.

Papabilitas, pontificatus Romanus; nostris *papauté. Intentionem habebant ad hoc quod dominus noster de* papabilitate *amoveretur.* tomo VII. 468. a.

Papiana fides, fides catholica. *Judæus ad* papianam *fidem conversus est.* tom. V. 68. b.

Parapherna, arrha matrimonialis. *Ultimo tractatur de* parapherna, *seu* arrha *matrimoniali.* tom. IV. 131. d.

Paraveredi, equi ad subvectiones faciendas. Paraveredos *exigere.* tom. I. 144. c. 184. a. 225. c. 226. b.

Parcum, septa ferarum, *parc.* tom. V. 1417. a.

Parentes, consanguinei. Gall. *Parents. Cognatos &* parentes *domini papæ Urbani inter ceteros captivos teneri.* tom. IV. 216. d.

Parentilitas, parentela. *Qui sua* parentilitatis *& factionis fuere participes.* tom. V. 418. a.

Pario, solvo. Pariat *centum libras auri altario S. Petri.* tom. I. 547. a.

Parilitas voluntatum, æqualitas, similitudo, consensus. tom. VII. 628. a. tom. IX. 894. b.

Parlamentorium, locus in claustro monasterii ad collationem fratrum. tom. VI. 616. b.

Parlamentum, colloquium. tom. V. 349. a. 367. b.

Particus, negotiator particulas vendens. *Communis Florentiæ & ipsorum* partico *ad fabas nigras & albas.* tom. V. 935. e. 936. b.

Partitum, consilium, propositum, *parti. Ad sedandum hunc errorem debebat sumi unum* partitum *commune.* tom. VII. 1176. c.

Parvisium, atrium porticibus circumdatum. *In parvisio ecclesiæ S. Pauli.* tom. IV. 1303. c.
Parviter, modice. tom. VII. 632. b.
Passagium, sacra expeditio. *Ceteris insuper* passagium *transituris gratiam fecimus.* tom. II. 1198. b.
Passatus, admissus, confirmatus. *Treuga & guerrarum abstinentia... tractata & concordata Caynone, ac demum Turonis* passatæ. tom. IX. 1464. a.
Passus, locus, auctoritas, testimonium. *Doctor de Lira super illo* passu. tom. VIII. 397. b. 472. b. 514. b.
Passus, transitus, *passage. Dilatio ... imputanda est ... reclusioni* passuum *per totam fere Italiam.* tom. VIII. 534. c.
Pastio, pastus vel refectio. tom. II. 22. Census etiam est pro jure pascendi porcos in silva.
Pastionaticum, census vel tributum pro glandatione & jure pascendi porcos in silva. *Eamdem silvam in pascuis animalium & porcorum utendis... dimissa sibi invicem* pastionatici *solutionem* (l. solutione.) *æquabiliter & communiter habeant.* tom. II. 25. d.
Pastoralitas, cura pastoralis. *Quare gregem multis ecce lupis expositum, vestra soler dereliquit* pastoralitas? tom. II. 479. c.
Pastus, convivium, refectio. *Ad* pastum *unum fratribus ibidem exhibendum.* tom. I. 190. a. Et paucis interpositis: *Binique* pasti *servis Dei jam dictis procurentur.* tom. I. 190. a.
Patrioticus, patrius, ad patriam pertinens. *Ubi ventum fuerit ad vestitum peregrinis, ut dixi, quam* patrioticis *amiciuntur ornatibus.* tom. IX. 921. a.
Patrinus, qui levat aliquem de sacro fonte. tom. V. 1115. c.
Patronus, dominus. Patronus, *sive ut usitatius a multis dici ambitur, senior es?* tom. IX. 805. b.
Paxeria, palorum series in molendinis. *In* paxeria *supradicti molini unam piscatoriam* (concedit.) tom. I. 459. d.
Pecia panis, frustum panis. tom. V. 103. c.
Pedagium, præstatio, tributum, maxime pro mercibus. *Clerici & religiosi... non dent* pedagia *seu leudas...* tom. VII. 125. a.
Pedalum, pedum, baculum pastorale. *Quod terribilius inveniri potest signum quam pontificale* pedalum... *Stola vero, planeta, dalmatica... manifestissima divinæ tuitionis.. produnt insignia.* tom. IX. 890. d.
Pedatura, proprie est spatium certo numero pedum definitum. Sumitur etiam indefinite pro modica hereditate. *Quare dedisti nobis in hereditate sortem &* pedaturam *unam?* tom. IX. 158. c. Hic exponit Rabanus hunc versum Josue 17. 24. *Quare dedisti mihi possessionem sortis & funiculi unius?*
Pedisqua, pedisequa. *Emittens* pedisquam *per murum, quæ casum Leodiensibus annuntiet.* tom. V. 130. c.
Pennescere, penniger fieri. *Celsa igitur spes gloriæ, quæ omnibus illustratur bonis, & virtutum* pennescit *alis.* tom. IX. 535. b.
Pennula, rami. *Ex* pennulis *juniperi aliorumque humilium arbustorum collo quidem suo delatis, in ipso ostiolo prope limen se focularet.* tom. VI. 1145. d.
Pensa casei, libra. *Addens... duodecim* pensas *casei*, tom. I. 120. a.
Penuncelli, insignia, vexilla insigniis ornata. tom. VI. 610. e.
Perangariæ, præstationes jumentorum, & curruum quaqua versum, angariæ vero via directa. Vide angariæ, tom. VI. 309. c. 310. b.
Perdicetta, machina jaculatoria. tom. V. 769. c.
Peredes. *Thuribulum cum* peredibus *a sancto Eligio fabricatum.* tom. V. 196. d.
Peribolum, ædes in ecclesiæ ambitu. *Juxta ecclesiam S. Albini in quodam suo* peribolo, *membra languida locavit.* tom. V. 1076. a.
Periculare, in discrimen adduci, periclitari. *Eum* periculare, *vel solum relinquere in manibus æmulorum, effugi.* tom. VI. 1364. b.
Permulcebris, permulcendus. *Aures vestras* permulcebres *collisisse non contenti.* tom. VIII. 212. c.
Pero, columna forensis apud Leodios. *Voce præconia ad* peronem *proscripti sunt.* tom. V. 380. c. Vid. tom. IV. 1231. c. & seq.
Personagium, præstatio, census beneficiis, seu ecclesiæ ministris impositus, f. idem quod capitalitium seu cavagium. tom. VII. 153. c.
Pertinenter, apposite, congrue, recte. tom. VIII. 509. b.
Pertusus, foramen. *Ducilem... ad patentem qui erat in tonna* pertusum *applicuit.*
Pervaturia episcopi. tom. I. 749. d. Lege in parva curia episcopi.
Peteus, puteus. *Si homo in* peteo *mortuus fuerit, non exinde sumatur aqua.* tom. VII. 36. d.
Petia, pars, fragmentum. *Comparavit ornamenta ecclesiastica... infulas, casulas..... quarum* L. petiæ *fuisse dinoscuntur.* tom. IV. 352. c.
Petiæ ulcerum, lintea, seu penicilla vulneribus apposita. *Ulcera ejus lavans ac* petias *ulcerum sordibus plenas.* tom. VI. 1314. d.
Peyrata. *Curabunt de clausura villæ, & ea mundanda, de* peyratis, *ubi expedierit, faciendis.* tom. I. 1321. b.
Phala, turris lignea. *In ædibus castri* phalas *ligneas construi fecit.* tom. V. 203. b.
Phalangetica, onera quæ terra portantur. *Immunitates... ipsis indultas tam super herbaticis, pedagiis,* phalangeticis, *& specialiter de transitu...* tom. II. 1184. c.
Phalangus, palus, vallum. *Concordatum quod... fierent fossata & repagula cum* phalangis, *& vigilarent aliqui.* tom. IV. 1271. c.
Phantasiari, tentari, aliquid concupiscere, aliquid sibi in animum inducere cum affectu illicito. *Cum* phantasiaretur *de carnibus.* tom. VI. 212. b.
Philopopus, f. philopompus, pompæ & jactantiæ amator. *Dum magis* philopopi, *quam veri philosophi, licet habitum prætendas, morem secteris.., magis te idolorum cultorem quum Christi demonstras pontificem.* tom. IX. 887. b.
Pichi, nomen unius portæ urbis Constantinopolitanæ. tom. V. 794. b. c.
Pilare, columna. *Claustrum cum* pilaribus *duri lapidis pulchre compositum.* tom. VI. 608. d. Vide & tom. IV. 170. e.
Pilarium, pila, columna structilis, gall. *pilier. Ad* pilarium *unum ecclesiæ Leodiensis cum debita clausura decenter appensa.* tom. V. 211. d.
Pincinnati. *Fortiter a* Pincinnatis *& Turcis quotidie deprædatur.* tom. I. 272. e,
Piphili, qui & pifli, gallice *pifres.* Sic olim dicti hæretici Albigenses. tom. VII. 74. d.
Pirgus regius. In instrumento Alexandri Leodiensis episcopi pro S. Gerardo. tom. I. 710. c. *In his locis ... possidet ecclesia bannum & justitiam, impetum & burinam, ictus & sanguinem, rupturam &* pirgum regium, &c. Hæc eadem leguntur in carta Henrici apud Mireum in codice donationum Belgic. lib. 2. cap. 30. Sed pergus pro pirgo legitur, quod emendavit Fisenius. Pirgus autem turris est, & suspicatur Cangius hic carcerem, seu jus carceris regii indicari, quod valde placet.
Pistolettus, tormenti genus, *pistolet. Pila ex tormento deplosa quod* pistolettum *vocant.* tom. V. 1442. b.
Piviones, columbi. *De his vero quæ in furno aut verubus coquuntur ... ut sunt capones, gallinæ, aucæ... turdi, pavones,* piviones, *& hujusmodi, &c.* tom. II. 1391. a.
Planca, asser, tabula, *planche.* tom. V. 790. b.
Plaudum, placitum, gratum. *Quæcumque illorum* plaudo *& usibus visa fuerint.* tom. I. 816. b.

Plenarium,

Plenarium, liber in quo epistolæ & evangelia continentur. Aliis missale plenarium, quod omnia ad missam spectantia complectitur. *Missale* plenarium, *lectionarium unusquisque habeat.* tom. VII. 2. a. Et tom. IV. 155. e. *Ecclesiam suam... ditavit aureis & argenteis crucibus*, plenariis, *casulis*, &c.

Poestaldus patriæ, potestas, summus magistratus, advocatus in monasteriis. *Sanderus de Rosinelli quem ... abbas Stabulensis in* poestaldum *patriæ substituerat vice sua.* tom. V. 357. d.

Polegium, idem quod polyptychum, liber in quem ecclesiarum bona referebantur. hinc politicum apud nos *pouillié. Duæ siquidem ecclesiæ uti in antiquissimis Turonicæ ecclesiæ invenimus* polegiis, *longe ante Gregorii præsulatum fabricatæ fuerant.* tom. V. 1071. d.

Pollicit, pollicetur. Præmia *quod Dominus justus* (f. justos) *& innocentes* pollicit *pro amore Christi.* tom. I. 54. e.

Pontaticum, teloneum de navibus sub pontibus transeuntium. *Nullum teloneum aut ripaticum, aut portaticum, aut* pontaticum... *exigere audeat.* tom. II. 22. d.

Pontenarii, exactores telonei transitus. tom. IV. 931. b.

Pontificium, potestas. *Ut nullatenus* pontificium *habeas ipsas res alienandi vel vendendi*, &c. tom. I. 186. d.

Pontionaticum, f. portanaticum, portaticum, aut portanagium, quod teloneum est portarum. *Neque teloneum rotatitum*, pontionaticum *exigendum in aliquo loco.* tom. II. 29. d.

Portagia, præstationes ad urbium portas. Portagia *quæ de feodo casati tenebant, eos accipere prohibebant.* tom. I. 749. d.

Portale, ædificii frons. Gall. *portail. Fecit parvum* portale *ante ecclesiam S. Gertrudis.* tom. IV. 1134. a.

Portionarii, clerici portionem in ecclesia recipientes, de quibus sæpe tom. VII. 295.

Possessionati monachi, monachi quibus certi sunt redditus. *Omnes religiones, tam* possessionatorum *monachorum, quam fratrum Mendicantium.* tom. VIII. 812. d.

Postaticum, valvarum theloneum, portorium ad oppidorum portas. tom. II. 22. d.

Postillare bibliam, notis marginalibus & perpetuis sacra biblia illustrare. tom. VI. 355, d. unde postillator, notarum hujusmodi auctor. Postillator *doctor de Lira & alii*... postillatores. tom. VIII. 391. d.

Potagium, quævis potio. *Panem & vinum recipiunt*, potagium *quoque & fructus, si adsunt.* tom. VI. 216. b. *In cervisia & leguminibus, seu quovis* potagio, tamen (l. tantum) *esum suum perducebat.* tom. VI. 309. d.

Potentia, fulcimentum subalare. *Claudicabat uno pede, nec nisi super baculum quem vulgo* potentiam *vocant, poterat incedere.* tom. VI. 1008. d. Item infra e. *Dimisit ibi* potentiæ *vehiculum.*

Pottus & potus, vasculum, a potu, nostris *pot. Factaque fuit una propina... in scyphis &* pottis *argenteis.* tom. IV. 1257. e. *Obtulerunt ducissæ scyphum vel* pottum *suum.* tom. V. 337. a. Potum *cupreum magnum cerevisiæ ... acquisivit.* tom. VI. 301. e. Hinc pottulus, parvum poculum. *Artificialiter positus erat angelus, in manu tenens* pottulum *parvulum, de quo effluebat vinum in cuppa*, &c. tom. V. 490. a.

Potus seu potum vini, certa vini mensura satis nota, vulgo duas heminas, seu pintas apud nos continens. *Quatuor* pota *vini confecti, quod clare vocant ... accipit.* tom. VI. 620. a. *Ut præter cervisiam centum & viginti* potos vini *biberint.* Ibid. 629. d.

Practica, modus, via alicujus negotii conficiendi, seu transigendi. *Si autem objiciat quod* practica *seu via, quam nunc ipse offert, sit melior ... respondebitis quod eamdem vel aliam* practicet *quæ sibi placuerit.* tom. VII. 617. d.

Practicatio, clandestinum consilium. *Fit nota præsuli Tudinensium magistrorum* practicatio. tom. IV. 299. d.

Præambulus, præcedens. tom. VI. 997. a.

Præavisare, præmonere. tom. V. 793. a.

Præavisatio, providentia, industria. *Sperantes .. sua* præavisatione *ac subtilitate posse*, &c. tom. V. 789. c. 790. e.

Præbendare, providere de victu, vestitu, &c. canonici in vino præbendati, quibus de vino est provisum. tom. VI. 301. d.

Præbosdia, præpositura, *prevosté. Affirmante præposito ipsius ecclesiæ Willelmo, qui... decimam suæ* præsbosdiæ *concedit.* tom. I. 459. d.

Præceptalis ordo, præceptum, diploma. *Quæ antecessores nostri reges vel imperatores* præceptali *ordine visi sunt illis contulisse.* tom. I. 280. c.

Præceptio, instrumentum. *Et ut* præceptio *firma atque inviolata permaneat.* tom. II. 6. b. & seq.

Præconizatio, præconium, auctionis præconium, quod dicimus *criée.* tom. VIII. 1561. e.

Præimaginare, figurare, indicare. *Sub nomine infantium & lactentium, qui sua innocentia jam* præimaginabant *simplicem fidem justorum.* tom. I. 715. c.

Præparamentum, præparatio, præludium. *Miranda jam dudum vestris accepimus advenisse consiliis nostrorum* præparamenta *successuum.* tom. II. 1167. c.

Præsagare, præsagire. *Ille panis & potus qui per hac* præsagabatur. tom. II. 395. b.

Præsciti, reprobati, & æterno supplicio deputati. *Papa multis talibus concedit a pœna & a culpa indulgentias, qui ex sibi dubio sunt* præsciti, *& Deus nulli tali concedit indulgentias.* tom. VIII. 405. e. Præsciti *autem etsi sint in caritate secundum præsentem justitiam, saltem aliqui, non tamen decedunt in caritate.* Ibid. 480. e.

Præsentialis, præsens. *Requies est iterum* præsentialis *villa Beodrici.* tom. VI. 832. d.

Præsentialiter, nunc. tom. VI. 832. d.

Præsidium, bona, facultates. *Dono in ipsa villa manso indominicato cum terris, domibus, ædificiis, acolabus, mancipiis, cum omni* præsidio *in se habente.* tom. I. 55. 2. b.

Præsta, mutuum, *prest. Sed* præsta *versa est in datam*, tom. V. 408. a.

Præstare, dare ad præstariam, ad usum fructum, sub annuo censu. tom. I. 185. 186.

Precaria, præstatio quæ quasi deprecando exigitur. *De* precaria *danda domino David in jocundo adventu suo, ut moris est.* tom. V. 491. a.

Pretiositas. *In utilitatem Christianorum... & affectionem erga tuam* pretiositatem ... *Rursus etiam tua* pretiositas *laboret in honorem prænobilissimi regis.* tom. II. 498. b.

Priorare, superiorem creare in monasterio. *Monspessulanus ipsum de fratre* priorat. tom. VI. 420. c.

Prisio & prisonia, carcer. *Quicquid de me contingat, sive de morte, sive de* prisonia, *nulli alii... eas reddent.* tom. I. 1028. c. *Statim captus fuit & positus in* prisione. tom. IV. 1366. d.

Prisionarius, captivus. *Exceptis dumtaxat salvis conductibus prisionariorum.* tom. IX. 1468. b.

Privilegiare, privilegia concedere. *Rodulphus rex* privilegiat *familiares cleri, &c.* tom. V. 114. c. tom. VIII. 1017.

Probare, torquere, *donner la question. Illa nocte* probaverunt *eum, & nihil poterant habere ab eo... & ita sapienter se habuit, quod omnes mirabantur.* tom. IV. 1305. d.

Proclama, proclamatio. tom. IV. 1208. b. 1260. b.

Procinctura, ambitus, limites. *Tradidi... duo prædia cum omnibus appenditiis & procincturis suis.* tom. I. 379. a.

Procultor, procurator. *Habet secum & episcopos, habet optimum* procultorem. tom. I. 731. c.

Progeniosus, progenie ortus. *Eodem anno nobiles & progeniosi civitatis Leodiensis... assisiam sive gabellam ordinare & levare cœperunt.* tom. V. 121. c.

Promotoriale, litteræ hortatoriæ. *Quot... traditi supplices libelli? quot* promotorialia *illustrissimorum principum... ad summum pontificem.* tom. IV. 530. c.

Propina, procuratio, convivium. *Collegerunt* CC. *florenos Rhenenses, & inde fecerunt domino electo* propinam. tom. IV. 1230. d. 1257. e. 1326. b.

Proprisus, locus muris aut sepibus clausus. Gallice *pourpris. Dederunt... curtilem dominicatum cum ædificiis desuper positis, habentem de terra arateria dominicata jornales* LXXXII. *&* proprisos *sex, in quibus sunt jornales* C. *& viginti, cum mancipiis desuper commanentibus.* tom. I. 94. e. Alias proprisus, seu proprisum, porprisum, purprisus, possessio est invasa seu violenter occupata. vox est Teutonica.

Propunctus, legit Cangius perpuncta: vestes militares coactiles, lana vel gossipio fartæ, & acu stipatæ, ac perpunctæ, uti idem Cangius explicat in voce *perpunctum.* tom. V. 765. d.

Pulæ pessimæ, idem forte quod pusulæ, pustulæ; morbus quem ignem sacrum dicunt. *Quem sic acris tortura cum* pulis pessimis, *quæ scilicet* ira dolens *rustice dicitur, variis corripiebat tormentis, ut animam ejus de corpore expugnaret.* tom. VI. 1169. c.

Pulposæ litteræ, majusculæ, quæ ex pulpito possunt legi. *Psalteria duo* pulposæ *& de longe legibilis litteræ.* tom. VI. 608. b.

Punctus, articulus, caput. *Inferens prædictos quatuor* punctos. tom. VI. 200. e.

Puritas, veritas, sinceritas. *Omnem* puritatem *sub juramento ab eo quæsivimus.* tom. I. 718. c.

Q

QUADRUVIUM, quadrivium, quatuor Mathematicæ partes. *Vir præclari ingenii, & in* quadruvio *doctissimi.* tom. V. 1173. b.

Quadragena, turma militum quadraginta, tom. IV. 1287. a.

Quæsitivus, ambiens, studiose requirens. *Hastiludiorum & torneamentorum a mari usque ad mare in juventute semper* quæsitivus. tom. IV. 387. b.

Quæstionare, deliberare, conferre de re aliqua. tom. VI. 102.

Quæstionarii, qui colligunt eleemosynas. *Abusum* quæstionariorum, *qui quotidie excrescit, volentes reprimere, mandat sancta synodus ne admittantur* quæstionarii *ipsi, aliter quam secundum formam... cum litteris diœcesanorum.* tom. VIII. 1006. d.

Quæstus, tributum quod quæritur. *Dimidia pars census est ecclesiæ,* quæstus *vero ubique dimidius est ecclesiæ. Idem vero de placito fabrorum ecclesia videlicet medietatem* quæstus *recipiet..... Dux... per terram transiens, ad quamlibet ecclesiæ curiam pernoctaverit, villicus de communi* quæstu *per curiam cum fidelitate sumto, eum procurabit.* tom. VII. 72. d.

Quarelli, seu quartellæ, tela balistarum, brevia & spissiora, & forma quadrata, uti observat Cangius in voce Quadrelli. tom. V. 765. d. 777. c. d. 856. d.

Quarentena, spatium dierum 40. de quo inter hostes aut quosvis discordes conveniebatur, ut interim omisso omni actu hostili, utraque pars de pace una tractaret. tom. V. 217. d.

Quarta, modus agri. tom. I. 16. c.

Quartariata, seu quartalata, cartalata, modus agri, aripennis pars quarta. *Dedit ipsi ecclesiæ de vinea unam* quartariatam. tom. I. 161. c.

Quartelatus, in quatuor partes distractus. *Aliqui fuerunt capti & crudeliter tormentis expositi, aliqui* quartelati, *aliqui decapitati.* tom. IV. 1208. b.

Quarterium, pars corporis quadrifariam discerpti. *Caput in Londoniam, reliqua* quarteria *in quatuor præcipuas civitates regni... sunt transmissa.* tom. V. 185. e.

Quarteriatus, in quatuor partes dilaniatus, *escartelé.* tom. V. 397. d.

Quartones, domestici qui in aula trimestre munus obeunt. *Les officiers en quartier. Legamus militibus, scutiferis, domicellis, solmentariis &* quartonibus *hospitii nostri...* tom. I. 1409. b.

Quernellus, quarnellus, pinna muri per quam milites jaculabantur. tom. I. 1062. b.

Quera, acquisitio. *Servos & ancillas quod pro anima mea questare voluerit, volo ut* queram *haveat.* tom. I. 26. a.

Questare, acquirere. Ibid.

Quieta clamantia, Anglis *quitte claime*, renuntiatio alicui juri quieta & pacifica. tom. V. 860. d.

Quietum clamare, rem alicui dimittere, ut ea quiete & pacifice fruatur, juri suo renuntiare. tom. V. 859. d.

Quietare, sedare, *appaiser.* tom. VI. 1239. c.

Quietatus, liber. 250. *milites regni nostri, quos anno prædicto de pecunia ecclesiæ* quietatos, *sequenti anno* ad solidos nostros *fecimus detineri.* tom. II. 1200. c. Milites ecclesiæ stipendiarii, tum liberi.

Quinivers, cultellus quo olim utebantur ad eradenda errata in libris tum manu exaratis. Hinc forte *ganif* apud nos derivatur. *Cultellum qui vulgo* quinivers *nuncupatur, habens de ebore manubrium, cum cartula mitto.* tom. I. 743. e.

Quinipulum, f. cultellus, vel cuneus vel terebellum, unde nostrates *guiblet. Eadem nocte tentus & ligatus a suis, fluit, excepto quod exarando cum* quinipulo *parietes, per hospitium irruit.* tom. VI. 1010. e.

Quitantia, apocha, acceptilatio. Gall. *quittance.* tom. IV. 1285. c.

Quittus, liberatus, qui debitum solvit, *quitte. Quilibet esset* quittus *pro decima parte omnium beneficiorum suorum.* tom. IV. 1283. e.

R

RACAMATURA, ornatus operis Phrygii. *Vestes non sint breviores genu, nec diversorum colorum, nec cum brodaturis seu* racamaturis. tom. VIII. 244. c.

Rachatum, redemtio feudi, certa pecuniæ summa ab hærede vassali demortui debita, pro obtinendo feudo paterno. tom. I. 1109. d.

Radicare, radiare. *Nocturna per vices ibi* radicare *videntur & coruscare lumina.* tom. VI. 1009. d.

Radius seu venna, septum ad intercipiendos pisces. *Quædam vero* venna, *quæ apud eos dicitur* radius... *& quæcumque captura piscium ibi pervenerit.* tom. IV. 931. c.

Rametalis, idem f. quod rameta, dumetum. *Et pergit per ipsum* rametalem *qui est ultra ipsam salam.* tom. I. 356. a.

Ramificatus, exortus, genus e stirpe ducens, &c. *Vir* ramificatus *a tam gloriosa propagine.* tom. VI. 996. c. Item. *Est una famosa progenies in Chavigniaco, a qua singulæ* ramificatæ *personæ, visitare solent.* 1011. d.

Rasare, solo æquare, diruere. *Arnaldus de Saga convenit muros de Aristot destruere, & valla* rasare. tom. I. 1091. b.

Raseria, mensura annonaria, vulgo *rasiere. Ecclesiam suam... ad* 988. raserias *bladi... obligatam invenit.* tom. VI. 618. c.

Ratum, raptus. In legibus Calensibus: *Primus articulus de* rato. tom. I. 1353. d.

Recalvare, tondere, *raser*. 243. a. tom. IV.

Recidivare, innovari. *Strages, homicidia, malaque priora in dicta patria*... recidivare *verisimiliter formidantur*. tom. VIII. 339. c. Relabi, recidere. *Plebs infida in rebellionem pristinam* recidivavit. tom. V. 347. a. tom. VII. 1232. b.

Recolor, recolo, revoco in memoriam, recordor. tom. I. 25. c.

Recompensatio, verbum juridicum. *Habita* recompensatione *quod jam a pluribus temporibus elapsis... celebratur festum... videtur quod non sit bene factum. Habita insuper* recompensatione *ab alia parte qualiter... interest inquirere*, &c. tom. VI. 1240. b. c.

Reconfirmatio, secunda confirmatio. Hanc usurpavit vocem Carolus-Calvus in diplomate pro S. Martino. tom. I. 135. d.

Recordium, certa & juridica inquisitio de re quæ non ita constat, aut de qua est contentio. tom. IV. 1207. a. b. 1233. d.

Recredere, dato vade spondere rei alicujus restitutionem. unde recredentia. tom. VII. 1391. e. 1392. e.

Rectitudo, rectum jus. *Nobis*... rectitudinem *fecit*. tom. I. 774. a.

Reddituare, redditus assignare. *Domum adificavit &* reddituavit. tom. VI. 198. d.

Redituarius, creditor cui usuræ ex mutuo solvuntur. tomo VI. 620. e.

Redundellum, pallii genus, vestis ampla & quasi redundans, quæ ceteris superinduebatur, si manicas haberet parum absimilis a nostris *redingotes*, sed f. oblongior. *Canonici regulares pro veste exteriori portent crociam, mantellum vel* redundellum. tom. VIII. 244. d.

Reforciatus, subsidiarius miles. *Ubi... a se abjiceret gentem armigeram quam habet in palatio, & diligentiam debitam faceret de abjiciendo* reforciatum Dagout, &c. tom. VII. 645. a. Et paucis interjectis: *Si vero... altercatio orietur occasione guerra quam faceret & moveret* reforciatus Dagout *& sui*, &c.

Refragabiliter, incerto, temere. *Nunc vero cum verbo Veritatis, nil temere minitantis, nil* refragabiliter *promittentis, illud dictum audis, quod rogo effugium invenis?* tom. IX. 869. a.

Regia ecclesiæ, porta sacræ ædis major. *Cum quadam die dominus Pontius Massilia civitatis episcopus, gratia orationis S. Victoris... adiisset monasterium, & pramissa oratione ante* regiam *ecclesia, diverso genere hominum... fultus sederet*, &c. tom. I. 400. b.

Regnatus, regalis potestas, principatus, regni administratio. *Aut illius progenies propter* regnatum *alia, quam eadem quam sine* regnatu *protulit natura*. tom. IX. 807. d.

Regratiari, gratias agere. *Pro quibus non cessamus... eisdem paternitatibus reverendissimis* regratiari. tom. VIII. 164. a. & alibi.

Regulare, ordinare, dirigere, componere. *Statum ecclesia ad plenum cognovit, secundum quem sic se in expensis* regulavit, *ut* &c. tom. VI. 620. e. *Certa regula... cunctos fideles rectissime* regulans. tom. VIII. 79. b. 360. d. 361. a.

Reinquietare, perturbare, molestari. *Quisquis sit qui contra hoc* reinquietare, *aut irrumpere, vel violare voluerit*. tom. I. 401. d.

Relevatio, idem quod relevium, relevamentum quod pro feudo exigitur, de quo pluribus Cangius. *Synodales exactiones, circuitiones*, relevationes *omnes .... ab episcopali jure & dominio in monachorum jus & dominium transtulit*. tom. I. 437. a.

Relitterare, respondere, rescribere. *Quidquid itaque super hac re vestra elegerit discretio, mihi fidelissime vestro*, relitterando *insinuet*. tom. II. 395.

Remuneratio. *Quadragesimam transegit totam, nihil aliud sumens, nisi solam* remunerationem. tom. VI. 903. a.

Renumerare, enarrare. *Cumque* renumeraret *qua retulerat ei cubicularius suus*. tom. IV. 935. c.

Repatriare, in patriam regredi. tom. IV. 394. d.

Repausatio, quies, *repos*. tom. VI. 554. a.

Replorare. *Luciferum... volebat denuo* replorare *in cælum*, f. relocare. tom. IV. 243. c.

Reportatio, redditio. Reportatio *& effestucatio dicti comitatus*. tom. V. 414. a.

Repræsaliæ, pignorationes. *Pignorationes quas vulgaris elocutio* repræsalias *hominat*. tom. VII. 302. c.

Reputatio, æstimatio. *Miseri homunculi ac nullius* reputationis. tom. VI. 153. c.

Resonantia, sonus. Resonantia *fistularum ascendit in altum*. tom. IV. 393. c.

Restantia, reliquum, quod superest. *Episcopum Morinensem illic pro se misit, qui* restantias *contractuum concluderet*. tom. V. 203. c.

Resultio, resistentia, impugnatio. *Absque ulla infestatione aut* resultione, *aut diminoratione*. tom. II. 24. b.

Retollere, resumere, legata revocare, auferre. tom. I. 722. b.

Retroivum, recidivum. *Quod vitatis scissura antiqua dispendiis ... in his verisimiliter timere non oporteat ulterius* retroivum. tom. VII. 217. a.

Revenire, redire. tom. VIII. 253. e.

Reventus, reditus. *Post ejus ad has partes* reventum. tomo VI. 612. b.

Reverendosus. *B. Martini*... reverendosum *corpus*. tom. I. 164. c. 166. d.

Ribaldi, homines vilis conditionis, fugitivi, inertes, otiosi. *Statuimus quod* ribaldi, *qui vulgo dicuntur de familia Golia... tonderi pracipiantur*. tom. VII. 138. c. *Moneant sacerdotes populum majorem vel minimum, & maxime humiles* ribaldos *& rhedarios ... a juramentis penitus abstinere*. 1387. e.

Riga, linea, sulcus litterarum. *Tota vis bulla stat in quatuor aut quinque* rigis. tom. IV. 1276.

Rigmatice, versibus. *Dicta vero ipsa de Latino in Gallicum* rigmatice *dictavit*. tom. VI. 627. b.

Ripaticum, præstatio pro ripis seu aggeribus. *Nullum teloneum, aut* ripaticum, *aut postaticum... exigere audeat*. tom. II. 22. d.

Rochetum, superpellicium, vestis linea, quam Romani roketum, Germani subtile appellabant. (Sacerdotes) *quando ad divina accedunt, camisia id est* rocheto *induantur. Non poterunt esse sine* rochetis *vel superliciis*. tom. VII. 1423. a.

Rogatio, supplicatio, processio. tom. IV. 157. b.

Rogamen, rogatio, deprecatio. tom. VII. 608. c.

Romana lingua, lingua vulgaris. tom. VII. 1274. d. & alibi.

Roncinus, equus minor, gregarius. tom. VI. 1000. a. tom. VIII. 1562. b.

Rossis, violenta percussio. unde forte nostrum *rosser*, *Ut non... in istas hereditates merino, neque saione, neque pro* rosse, *neque pro omecedio*. tom. I. 548. d.

Rotaticum, tributum rotarum pro viarum publicarum instauratione. *Neque teloneum* rotaticum, *pontionaticum exigendum in aliquo loco*. tom. II. 29. d.

Rupina loca, montana. tom. I. 347. e.

Rusticaliter, rustice. tom. IV. 1130. e.

Rutheri, qui & ritteri, milites Germani, sic dicti, seu tritteri, a numero comitum atque equorum, ait Aventinus lib. 7. annal. Boiorum, hoc est tertiani; quorum latrocinia & violentiæ fusius describuntur tom. IV. hujus Collect. unde pro furibus habentur, pag. 800. e. *Dominus de Monteforti ... accersivit atque invexit in civitatem, magnam pradonum manum, quos Teutonici* rutheros *appellant*. Eadem inficiuntur nota tom. V. pag. 279. b. *Quidam prado, ex his qui vulgariter* rutheri *nuncupan-*

tur, revera autem fures & latrones, cum infestassent patriam Lossensem. Vide tom. IV. 803. 804. 805. & seq. 1263. &c.

Ruvardus, patriæ defensor apud Hollandos. *Rectores civitatis* (Trajectensis) ... *cogitarunt qualiter suo episcopo potentem aliquem adversarium ponerent, quem ipsi velut civitatis & patriæ vice pontificis defensorem, seu advocatum, vel ut vulgo loquuntur,* ruvardum *assisterent.* tom. IV. 804. e. Vide & 805. b. 806. b. &c.

S

SABANUM, linteum. *Componitur itaque juxta morem* sabano, *atque sudarii operimento, levatur feretro,* &c. tom. VI. 768. e. Linteum ad abstergendum in balneis. *Thermas cum die quadam ex more fuisset ingressus, invenit quemdam incognitum virum ad suum obsequium præparatum ... ut exeunti e caldribus* sabana *praeberet.* tom. IX. 418. d.

Sacerdotare, sacris ordinibus initiari. *Cum infra tempus præscriptum nollet* sacerdotare, *sed aspiraret ad comitatum Clevensem, renuntiavit,* &c. tom. V. 284. c.

Sacricustos, sacrista, thesaurarius, custos sacrorum. tom I. 538. e.

Sagimentarius, candela e sagimine confecta. *Completo vero sermone, communem modum non servans ad excommunicandum tales* (usurarios) *qui fit cum candela, sed mandato crucibulo, sive* sagimentario, *cernentibus cunctis, anathematizavit.* tom. VI. 395. c.

Sagio, apparitor. Sagiones *curiæ sæcularis* (clerici) *non existant.* tomo VII. 307. d.

Sagmarius, jumentum sarcinale. *Ut eis concessissemus teloneum de eorum navibus ... necnon & de carris &* sagmariis *necessaria eorum deferentibus.* tom. II. 22. b.

Sagnio, forte legendum Sagmio, qui sarcinarium equum agit. *Quis illius militis pater, ariolator, an pictor; aliptes, an auceps; cetarius, an figulus; sartor, an fartor; mulio an* sagnio *fuerit .... recordatur?* tom. IX. 807. b.

Saio, idem quod seonitium, saonititium, sajonititium, saionis seu bajuli exactio. tom. I. 548. d.

Sala, palatium, ædes judiciis destinatæ. tom. I. 356. a. b.

Saleburgio, fidejussor. *Per fidejussores quos vulgariter* saleburgiones *vocamus.* In instrumento pro sancto Maximino Trevirensi. tom. I. 316. d.

Salicæ decimationes, terræ salicæ, ab omni servitute liberæ. *Hæc igitur ... cum cunctis* salicis *decimationibus, quas in usus peregrinorum ac pauperum & hospitum constituimus ...* tom. I. 426. d.

Salina, tributum salis. *Affirmant nonnulli causam vel originem factionis fuisse* salinam, *vel tributum salis, quod dux Burgundiæ a Gandensibus exigebat.* tom. V. 477. b.

Salpeta, sal petræ, sal nitrum. *Leodienses* (mittere debebant) *pecunias pro* salpeta *& sulphure.* tom. IV. 1274. d. & alibi.

Salserius, salinum, *saliere.* tom. VI. 616. b.

Salvamentum, immunitas. *Res memoratas & mancipia cum tali tenore &* salvamento *usufructuario teneas & excolas, ut nullum detrimentum ... domus Dei ...* tom. I. 185. e.

Salutaticum, jus exigendi salutes sive xenia. *Nullum teloneum, aut ripaticum, aut postaticum, aut* salutaticum ... *exigere audeat.* tom. II. 22. d.

Salutatio, munus. *Solent quoque hi muneris ipsius nomen immutare, & dicunt se non munus accepisse, sed* salutationem. tom. IX. 226. d.

Samnaticum, procuratio. *Idem genitor noster ... carra &* samnaticum, *quæ ... per diversos regni sui mercatus mittebantur, ab omni teloneo immunia & secura esse sanxisset.* tom. I. 65. e. Vid. Sonniata.

Sarbuissinum, idem forte quod sarboa, sarabara, vestis genus, braccæ. *Cibanum sericum &* sarbuissinum *auro ornatum ... ab ipso Saladino acciperet.* tom. V. 563. c.

Sarcos, tunica, vox gallica. *Tunica linea quæ gallice dicitur* Sarcos. tom. VII. 1298. a.

Sarotum, *un tablier. Stabat in foro præcinctus* saroto, *tenens securim & incidens carnes.* tom. V.

Sasimentum, præstationis species. *Nullus regiæ potestatis minister aliquam justitiam clamare præsumat ... . non berbergamentum, non* sasimentum, *immo nihil ex toto quod pertinet ad nostram vicariam.* tom. I. 633. e.

Saticum, solum, area ad ædificandum. *Omnimodis expetierint quatenus aliquod civitatis nostræ* saticum, *in quo e diversis partibus venientes confugium facerent, contulissemus ... contulimus eis quoddam* saticum *in confinibus ...* tom. II. 47. d.

Sauma, onus jumenti sarcinalis. *Debet annuatim unum sestarium amigdalarum, quod geminatum facit mediocrem* saumam. tom. II. 1302. c.

Savotiensis comes, id est Sabaudiensis comes. tom. VI. 1203. d.

Sauvamentum, seu salvamentum, præstatio pro tutela & protectione. *Robertus hujus ecclesiæ episcopus ...* sauvamentum *duplex a Pulvereno ... removit.* tom. VI. 691. e.

Scabiones, judicum assessores. *In hoc itaque generali placito, præsidente abbate seu præposito, circumsedentibus etiam* scabionibus. tom. I. 381. e.

Scailgæ, idem quod scalliæ, lapides sectiles, nostris *ardoises. Totam domum nobis cooperiri fecit* scailgis. tom. IV. 1151. d.

Scamata. *Loricas,* scamata, *& perpunctos,* f. legendum, ut suspicatur Cangius, loricas squammatas. tom. V. 765. unde infra 772. b. *loricati &* scamati.

Scaphardum, tabulatum altius eductum, *eschafaud. Venit ad ecclesiam in alto* scaphardo, *ubi coronatus fuit.* tom. V. 396. d.

Scara & scarra, copiæ militares. tom. I. 144. c. 225. c. 226. b. Et tom. V. 910. c.

Scara, dumetum. *In silva quæ dicitur* Puthem, *scaras viginti octo. In villa Irmenlo in illa silva,* scaras *sexaginta.* tom. I. 141. e. 142. a.

Scaramanni, servientes, ministri judicum. tom. I. 433. e.

Scararius, serviens, minister judicis. *Placitum cum servientibus, id est* scarariis, *S. Salvatoris semper post natale,* &c. tom. I. 597. e.

Scarletum, coccus, pannus coccineus. *Tentorium vel capellam de* sarleto (scarleto) *fecit rex Ludovicus praeparari speciosam valde.* tom. V. 89. a. *De* scarleto *foderata vestis.* tom. V. 356. b.

Sclavus, servus, *esclave.* tom. V. 75. b.

Scobaces, sortilegi. *Qui dæmonum invocatores facti, & cum eis paciscentes, nefanda cum eis habent susurria, nefandaque commercia.* tom. VI. 57. a. b.

Scoldascio, rector, prætor, judex oppidi. Vide Cangium in Scultais. *Cujus avus judex, abavus tribunus vel* scoldascio, *attavus miles cognoscatur fuisse.* tom. IX. 807. b.

Scortum, conductus, *escorte. Erat tunc annona ubique cara, sed ex vectura &* scorto *seu conductu pretium ... excrescebat.* tom. IV. 831. e.

Scotus, f. scacus, seu potius scaci, latrunculi, *echets. Ludentes ad* scotum. tom. IV. 1313. b.

Scriptalis, scriptus. *Verbum Dei mentale, vocale,* scriptale. tom. VIII. 505. e.

Scubitor, excubitor, corporis custos. *Decius præses dixit* scubitoribus *suis.* tom. VI. 742. b.

Scuferus, nummus. *Quod de quolibet domistadio solveretur unus* scuferus. tom. IV. 1373. b.

Scultetus, judex oppidi, præfectus, villicus. *Villicus noster qui vocatur* scultetus, *habet instituere scabinos* in-

in fidelitatem. tom. I. 1417. b. tom. VI. 315.

Scunæ, domunculæ sic dictæ, in quibus consistere solebant mulieres. *Presbyteri tam curati quam alii ... non divertant ad tabernas ... nec domunculas frequentent, quæ* scunæ *vocantur, nec intersint ludibriorum spectaculis*, &c. tom. VII. 1306. e. 1307. a.

Scurnaria, *Presbyteri non divertant etiam ad tabernas, nec inter* scurnarias *sedeant.* tom. VII. 1306. e.

Scutagium, præstatio militum ratione feudi militaris, ut a servitio sint immunes. tom. V. 860. d.

Sedile, fundus, area, locus ad construendum ædificium idoneus, vulgo *masure. Concedimus ... mansum dimidium ...* sedilia *insuper in portu Hoyo & Dionanto, unde exeunt solidi* 32. tom. II. 29. c. Item 34. b. *Inter* sedilia *& prata terraque arabili.*

Senior, dominus, nostris *seigneur. Patronus, sive ut usitatius a multis dici ambitur*, senior *es?* tom. IX. 805. b.

Senioraticus, senior, dominus, advocatus. *Non liceat eis alium* senioraticum *facere nec proclamare nisi nos, aut filiis nostris.* tom. I. 447. e.

Sententiare, judicare, decernere, sententiam ferre, sentire. *Judex* sententiando, *taliter pronuntiavit.* tom. IV. 299. e. *Conclusum &* sententiatum *est pro opinione fratrum Prædicatorum.* tom. VI. 391. d. *Peccata lex divina* sententiat *pœnaliter punienda.* tom. VIII. 434. a. Vide tom. V. 423. e. tom. VIII. 363. d. 372. e. 398. e. &c.

Sentimentum, sententia. *Ne res proprio* sentimento *videretur inniti.* tom. V. 495. d. *Erat alterius* sentimenti *& opinionis.* tom. V. 792. c.

Sequela, sententia, suffragium. *Magistri ... dixerunt quod ... quilibet diceret* sequelam *suam.* tom. IV. 1267. c. Item 1268. e. *Clamatum ad peronem, quod nemo iret contra* sequelam *palatii.* Et paucis interjectis: *Missi sunt ad eum ... ad intimandum sibi* sequelam *civitatis & patriæ.* 1274. c. Sequelæ *non fuerunt portata super palatium, sed super consilium.*

Serjanti, armigeri, qui militum scuta & arma deferebant. XL. *milites de nocte cum* serjantis *suis ad nos redière:* tom. I. 1074. a.

Serpentina, tormenti genus, forte non differens a colubrino. *Marchio de* Baden ... *duxit secum currus portantes bombardam magnam, &* serpentinam, *ac tentoria.* tom. IV. 1277. d.

Serra, mons, collis. *Vadit per ipsam* serram, *quæ est supra ipsam ecclesiam.* tom. I. 356. b.

Servatio, *sine ulla* servatione *vel minoratione tradimus.* id est, nulla re excepta aut reservata, *sans reserve.* tom. I. 356. b.

Simplum, unicum. *Et si non vales aut voles quadruplum, saltem restituas* simplum. tom. IX. 800. e.

Sinordi, idem f. quod seniores, domini, *seigneurs. Illud quoque firma ratione constituens ut liberis vel* sinordis *venatoribus ... quæ suis temporibus jura*, &c. tom. I. 447. a.

Solatæ caligæ, f. solutæ, apertæ. *Nullus portet anulum ... nec caligas* solatas. tom. VIII. 244. a.

Soldanus, nummus apud Turcas. *Habebat & trecentos summarios* soldanis *oneratos, quorum quilibet portabat quadraginta millia* soldanorum. tom. V. 77. a.

Solidamentum, firmamentum. *Disposuit Deus firmamentum, id est* solidamentum *sanctarum scripturarum ...* Isidorus tom. IX. 319. b.

Solidare, milites colligere, militibus stipendium dare, *soudoyer. Misimus magistrum domus Teutonicorum pro militibus* solidandis. tom. II. 1198. Et paucis intermissis: *Septingentis militibus ad nostra stipendia* solidatis. Item 1200. c. *Ducentos & quinquaginta milites ad solidos nostros fecimus detineri.*

Solmentarii, forte idem quod summularii, nostris *sommeliers.* tom. I. 1409. b.

Songina, gallice *soignié*, procuratio, seu præstatio aliqua pro procuratione. tom. VIII. 1536. e.

Sonniata, sonniaticum, procuratio seu præstatio vice procurationis aut gisti. *Episcopo seu ejus ministris* sonniatam, 12. *scilicet denarios solvat.* tom. I. 599. c. Item 805. e. *Presbyter a* sonniaticis *seu obsoniis & exactionibus ... liber erit.*

Sororgius, sororinus, sororis maritus, nostris *serourge.* tom. VI. 239. e.

Spanga, idem quod spanus, spana, spithama, *un empan. Reliquerunt autem illic Turci undecim fundas grossas seu bombardas, quarum sex continebant in longitudine* 33. spangas *manuales, & septem in altitudine.* tom. V. 492. e.

Spatiatoria, spatiosa. *In cujus quidem ecclesiæ introitu ampla* spatiatoria *platea præposita.* tom. II. 1388. d.

Spatium, animi relaxatio, quo sensu usurpatur in historia Viconiensis monasterii. tom. VI. 298. a. vulgo *spaciment* apud Cartusianos.

Species, nectar, vinum pigmentatum, Cypricum. *Levatis mensis, lotisque manibus, &* speciebus *datis, abiit rex in thalamum suum.* tom. V. 357. b.

Specificare, designare, indicare. tom. VIII. 372. d.

Specifico, spem injicio, spem do. *De hoc per ipsum cardinalem ... plene* specificati *sumus.* tom. VIII. 184. a.

Spelea, spelunca, a græco σπήλαιον, unde spelæum. *Donamus tibi* speleam *nostram.* tom. I. 353. a.

Spelta, furfur. In statutis eccl. Leod. tom. VIII. 1490. *Dummodo istud altare vel capellania valorem* 30. *modiorum* speltæ *habeat.* tom. V. 445. a. *Ut modius* speltæ *mensura Leodiensis venderetur*, &c. Et alibi passim occurrit.

Spudius, industrius, studiosus, res serias tractans, a græco σπουδαῖος *Ipse te custodire valet paulo erectum, qui voluit erigere penitus dejectum ... ipse perpetim efficere* spudium, *qui contra naturam citraque omnem spem colligere voluit etiam infatuatum.* tom. IX. 933. c.

Srozwin, vini genus. *Vinum quod dicitur* Srozwin. tom. I. 426. b.

Stalicia, stalaria, stellaria, arboretum, ait Boherius, ex quo pali inciduntur. *Quercetis, virgareis, pratis, cultis vel incultis rebus ... ac* staliciis, *rivis, rupinis*, &c. tom. I. 347. e.

Stallagia, currus, tabulata. *Carpenta sive* stallagia *ad repugnandum fabricari fecit altitudinis & latitudinis non minimæ.* tom. V. 790. 795.

Standardum, standerium. Standardum *S. Lamberti.* Vexillum. tom. IV. 1294. b. c. e. 1315. c. e. 1316. b. &c.

Statium, locus. *Sedet hic in* statio *isto, & ego sedeo de mandato ejus, ad pedes ejus.* tom. VI. 1321. d.

Statuare, statuere. tom. VIII. 383. e.

Status, comitia generalia, *les estats. In communi totius Galliæ concilio, id* status *vocant ...* tom. V. 1449. c.

Stelgia, l. scailga seu scalia, *ardoises. Pro xc. m.* stelgiarum *ad opus claustri, c. scuta antiqua.* tom. IV. 1120. b.

Stolici, stolicheri, fratres Prædicatores sic olim dicti in Germania, a platea stolicorum Coloniæ, in qua eis locus & hospitale datum ad erigendum cœnobium. tom. IV. 241. b.

Strigæ, monstra, quæ magicis canticis in feras transire creduntur. *Incantationes & sortilegos exquirere,* strigas *& fictos lupos credere ... Hæc ... mala opera sunt diaboli.* tom. IX. 217. d.

Stuffa, stuba, hypocaustum, seu æstuarium; in monasteriis & aliis insignioribus ecclesiis, camera capituli, in quo haberi solebat hypocaustum. *In domo fabricæ ecclesiæ Basileensis, sita prope eamdem ecclesiam, & super ejus atrio, & in* stuffa *superiori.* tom. VIII. 1. b.

Sturma, idem quod *fluer*, ut legitur apud Chapeavillam a Cangio laudatum, in hac voce. Seditio, tumultus. tom. IV. 1172. d. 1175. b.

Subterria crypta, subterranea. *Dedicatio* subterriarum cryptarum. tom. VI. 705. b.

Subtile, vestis subdiaconorum, quæ & stricta tunica dicitur. tom. IV. 352. c.

Subtulares, calcei, *souliers*. Subtulares *magnis partibus integris eodem scriniolo reconditi sunt*. tom. VI. 1018. c.

Sucharum, saccharum, *sucre*. tom. V. 365. a.

Succursus, subsidium. *Misimus e vestigio comitem Henricum fidelem nostrum, cum* XL. *galeis pro ipsius terra* succursu. tom. II. 1197. a.

Sufferentia. tom. I. 1407. e. Philippus IV. Francorum rex subsidia a suis subditis pro bello exigit, his tamen exceptis, quos *posuimus*, ait, *in* sufferentia *usque ad Magdalenam*. id est quos patimur ad S. Magdalenæ festum differre.

Suitenses, Helvetii. Suitenses *prisco verbo, nostra ætate fœderati nuncupati*. tom. V. 1232. b.

Sumbrinum, mensuræ genus. *Sal civibus divendit* sumbrinum, *ut vocant, pro duodecim albis*. tom. IV. 625. c.

Summare, admonere, denuntiare, appellare. *Fuit idem Dominus papa solemnissime*... summatus, seu etiam requisitus. tom. VII. 617. a.

Summarii, equi sarcinarii. *Habebat præterea circiter tria millia* summariorum *oneratorum suppellectili sua*. tom. V, 76. e.

Superexcrescentia. *Excellentia autem cum ab excedo dicatur, notat virtutis superexcrescentiam*. tom. VIII. 213. c.

Superi, viventes. *Quem* superi *non recipiunt, inferi Deum esse cognoscunt*. tom. IX. 153. e.

Superioratus, prætextus, *brodé. Vestimenta*... superiorata *de fustana pannisque sericis vel aureis*. tom. VII. 1226. e.

Superpositus, forte idem quod pinna, propugnaculum. *Faciatis ipsa opera ad ipso castro, id est turrem & muros & superpositos & valles in profundum*. tom. I. 338. d.

Suppedio, sufficio, suppeto. *Ut non ibi* suppediat *victus uni monacho*. tom. I. 454. a.

Suppeditare, evertere, pedibus calcare. *Electus*... *proponebat*... *francisias ac libertates eorum per fas & nefas* suppeditare. tom. V. 361. d.

Synaxis matutinorum, decantatio hujus officii. tom. VI. 834. e.

Syncopizare, animo linqui, *tomber en syncope*. tom. VI. 1247. d.

Synocha febris, continua. *Ut* synochis *febribus solet fieri*. tom. V. 1075. e. ubi male legitur visinochis.

T

TABARDUM & tabartum, pallium, chlamys quæ tunicæ injicitur. *Honestum* tabardum *desuper vestimenta sua deferant*. tom. VII. 1355. c. *Tempore pluviæ incedentes possint uti* tabartis *decentis coloris & formæ*. tom. VIII. 1497. 1546. e. Item tom. IV. 1244. a. tom. VI. 1354. e.

Tacellus & tassellus, fimbria. *Ordino cappam cum historiis & imaginibus &* tacello *argenti munitam*... *dictæ Aniciensi ecclesiæ dari*. tom. I. 1458. e.

Tafuranea, portorium, ædes in quibus tafuriæ seu tributa exiguntur. (Clerici) *nec* tafuraneas *teneant, nec in eis etiam conversentur*. Concil. Tarracon. tom. VII. 307. d.

Talparius, fossor. *Nam fossores, id est* talparios *habebat, qui ad modum talpæ subterranea fodientes, murorum & turrium firmitates*... *prorumpebant*. tom. V. 1031. b.

Tarciæ, targiæ, longiores clypei, quibus milites ad muros accedentes, toto corpore tegebantur, quæ simul junctæ testudinem formabant. *Decem millia vel eo amplius bene armatos usque ad talum constituit, sub scutis &* tarciis, *cum arcubus ad sagittandum*. tom. V. 569. a.

Tasphorum, f. dorsum, tergum jumenti, cui transferenda imponuntur onera. *Quomodo animal tortuosum, onere deposito*, (valet).... *tanta prærogativa ditari, ut in* tasphoro *illius Madian, Epha & Saba aurum & thus ad templum Domini deferant*. tom. IX. 821. b. c.

Temporizare, procrastinare, *temporiser*. tom. IV. 1143. e.

Tenebricari, tenebris offundi. *Recte se plangentis anima, hinc suis obfuscatur flagitiis, illinc suis rebaptizatur lacrymis; hinc* tenebricatur *peccatorum suorum aspectibus, illinc resplendet gratia Dei dispersa*. tom. IX. 570. b.

Tenella, f. tinella a verbo tyna, vasculum. *Usa est*... *portiuncula sucari vel pomi calefacti ad ignem in* tenella. tom. V. 365. a.

Tergia, f. theriaca, medicamentum. *Theriaque. Medici dederunt ei quotidie tres & aliquando quatuor ciatos vini nigri potentis cum tantumdem de aqua & offa panis calefacti, &* tergia, *volentes subvenire debilitati*. tom. VI. 377. d.

Teripes, pedester, qui pedibus incedit. *Ut fortis* teripes *iter inceptum arripit*. tom. V. 1088. c. Teripes usurpatur etiam pro stapede, hac notione occurrit in Odorico Vitali lib. 8.

Teroanus, moneta Tervannæ. *In episcopatu Morinensi unum* Teroanum (debet.) tom. II. 1303. b.

Terraceæ, aggeres. *Per vicos &* terraceas *ad portas civitatis in subsidium descenderunt*. tom. V. 778. c.

Terrarii, qui terras seu prædia possident. *Præsente senescallo cum curia regali &* terrariis. tom. VI. 478. d.

Terratus, aggere munitus. *Omnes portæ civitatis contra eum* terratæ *erant, præter portam S. Stephani*. tom. V. 821. d.

Terruncula, modica terræ portio. tom. IV. 391. a.

Tessara, idem forte quod tascharia, seu taschia, præstatio agraria, tassa, tassare, pro taxa, taxare. *Mansura hospitum S. Vedasti, si pastus debent, sex denarios singula solvunt, &* tessaram *numquam dabunt hospites, nec corveias facient*. tom. I. 603. d.

Testa, pedagium. *De suis rebus propriis solvere teneantur pedagium sive* testam. tom. VII. 1233. d.

Testamentarius, testis. *Pro hereditario regni & imperii funiculo servili tutelæ subjicerer*.... *quasi vita* testamentario *deputarer*. tom. II. 1159. e.

Thafus, tumulus, a græco τάφος. *Ponas ante oculos quo hinc excedens suscipi debeas* thafum, *ab obtutibus non recedat sepulcrum*. tom. IX. 850. c.

Tobalea, mantile, *nappe. Non celebretur sine duabus* tobaleis *in altari*. tom. VIII. 1518. a.

Tonna, dolium. Tonnam *hinc inde circumspiciens*... *æstimans pavensque nihil in ea musti remansisse*. tom. VI. 809. e.

Tonsurare, tondere caput, caput tonsori denudandum præbere. *Oportebat eum vel reum se confiteri, & in pœnitentiam recalvari, vel crimen negare & cremari. Insuper qui sic* tonsoratus *esset, oportebat eum complices suos prodere*. tom. IV. 243. a. Et paucis intermissis : *Heretici aliquos de suis subornaverant, qui se tamquam pœnitentes* tonsurari *permiserunt*.

Tornio, Troiæ ludus, ludicra exercitatio, *tournois*. tom. VI. 289. c.

Tortitudo, morum licentia, inordinatio, procacitas, injuria, contumelia, contentio. *De qua* tortitudine *& injustitia convictus*, &c. tom. I. 498. e. *In tanta fratrum* tortidudine *positus ab adolescentia*, &c. tom. IV. 1127. e. &c.

Tourta panis, certa panis quantitas sic dicta. *Attulit ei* tourtam *panis*. tom. VI. 185. b.

Traducere, uxorem ducere. *Wenceslaus dux qui dominam Johannam* traduxerat. tom. V. 261. b.
Translegare, transmittere. tom. VIII. 178. d.
Transmarinare, ultra mare progredi. tom. V. 483. b.
Transummatum exemplum, gallice *copie*. tom. VIII. 153. d.
Trauvaticum, præstatio pro transitu, a verbo traviare, transire. *Nullum theloneum aut ripaticum... aut venaticum, aut pastionem, aut* trauvaticum, *aut ullum occursum... accipere aut exigere audeat*. tom. II. 22. d.
Trecensus, census ex terra seu prædio. *Orta est magna dissentio inter ducem H. Lovanii, & Ludovicum comitem Lossensem propter* trecensum *S. Trudonis*. tom. V. 25. c. tom. IV. 1090. a. Hinc trecensiarius, firmarius trecensiarius, qui solvit censum ex prædio. tom IV. 1190. c.
Trefundarius patriæ, canonicus Leodiensis S. Lamberti. *Ut dominis capituli Leodiensis, tamquam* trefundariis patriæ, *juramentum fidelitatis... publice præstarent*. tom. V. 457. a.
Trefundus, terra, solum. tom. IV. 1119. e.
Tricenarium, officium 30. missarum pro defunctis. *Eleemosynas, missas*, tricenaria *jussit... pro rege augmentari*. tom. VI. 1198. c.
Trifaciare missas, tres missas sub uno canone dicere. *Ne aliquis sacerdos*... trifaciet missas *contra canonicas sanctiones*. tom. VII. 98. d. Vide lib. 1. de antiquis ecclesiæ ritibus, c. 3. art. 1. num. 20.
Trigintale, tricennale, trentenarium, officium missæ pro defunctis diebus triginta peragendum. *Nos autem pro anima ipsius Julianæ in primo obitus sui anno quinque* trigintalia *fecimus*. tom. I. 566. e.
Triobularis miles, miles trioboli, pessimus, nequam. tom. IV. 525. b.
Trottare, succursare, *aller au trot. Scandere* trottantem *equum*. tom. VI. 3. b.
Trufa, dolus. *Cogitabat qualiter dominum papam & inquisitores per mendacia &* trufas *infamans, inquisitionem aliquatenus posset retardare*. tom. IV. 277. e.
Trufare, illudere, jocari, despicere. *Ecce quomodo devotionem subsannat, & de cultu orationum* trufatur. tom. VII. 833. a.
Trutanni, errones, plani, mendici qui mendaciis & strophis suis illudunt, alios se fingentes quam revera sint. *Adulatores* trutanni, *vel ribaldi*. tom. V. 787. c. *Sacerdotes non permittunt* trutannos *& alios vagos scholares aut goliardos cantare versus super* Sanctus. tom. VII. 117. a.
Tuclera, idem videtur quod truncus, seu capsella in templi ingressu excipiendis oblationibus apposita. *Sub* tuclera *mittere*. tom. I. 331. d.
Tumulare, idem quod movere, excitare. *Si quis malignus homo aut superbia inflatus, aut scandalum* tumulatus *ad aliquem hominem*. tom. I. 338. b.
Turcuianni populi parum absimiles a Turcomannis, ut videre est tomo V. 548. a. 560. d.
Turnus, census pecuniarius. *Ad hæc* turni *seu census pecuniarii Bodobrigenses non sunt nobis nisi ad dies vitæ oppignorati.... Intendimus ad istius debiti solutionem duodecim* turnos *in nostro & imperii portorio Selsiæ ad Rhenum tibi perscribere..... ita ut dicti duodecim* turni *in nostro & imperii portorio sine distractione... a te recipiantur*. tom. IV. 122. b. c. d.
Tympanites, hydropisis species, in qua plus spiritus quam humoris. tom. VI. 1140. e.
Typicare, figurare, adumbrare. *Columba... pacem nunciavit patriarchæ summo Noë, caput ecclesiæ* typicanti. tom. VII. 569. b.
Tyrocinium, *tournois*, hastiludium. *Florentius comes Hollandiæ multa* tyrocinia *per diversas provincias frequentavit*. tom. V. 69. d. 70. c.

V

VACCARITIA, prædium alendis vaccis destinatum, *vacherie*. tom. I. 192. e.
Vadia, stipendia, *gages. Cum... Johannem de Armaniaco... serviturum nobis in guerris Vasconiæ cum* 400. *hominibus &* 800. *servientibus retinuerimus ad nostra* vadia *consueta*. tom. I. 1467. b.
Vagatio. Vagatio *super fluvium Ligeris*. Libera discurrendi & transeundi potestas. tom. II. 8. c.
Valisia, hippopera, *valise. Salvis* valisiis. tom. VII. 738. b.
Valitor, adjutor apud Catalanos. *Ero vobis defensor &* valitor *de illa opera*. tom. I. 1072. c. In carta comitis Urgellensis.
Vandilago, vide Wanto.
Vasalagium, homagium a vassallo debitum principi aut domino. *Tamquam suo domino vero & legitimo, tam in feodis feodalibus*, vasalagiis, *quam aliis quibuscumque debitis obsequiis & servitutibus obediant fideliter*. tom. II. 137. c.
Vasatum, suppellex. *Multi cum* vasatis *suis fugerunt*. tom. IV. 591. e.
Vassalaticium, vassalaticum, sacramentum vassalli. tom. I. 1470. b.
Vassi comitum, iidem qui vassi dominici, ita appellati, ut opinatur Cangius, quod comitibus darentur collegæ in jure dicundo. *Audivimus etiam quod juniores comitum, vel aliqui ministri reipublicæ, sive etiam nonnulli fortiores* vassi comitum *aliquas redhibitiones... exigere solent*. tom. VII. 10. a.
Vastum, vastatio, *degast. De faciendo* vastum, *& destruendo blada*. tom. VIII. 593. a.
Vaticare. *Quidquid autem illis placitis, quisque reus* vaticaverit, *arbitrio abbatis & suorum præpositorum & villicorum, secundum culpam & posse cujusque hominis cedat, & duæ partes abbati, tertia advocato cedat*. tom. I. 433. c.
Veges, vas vinarium, dolium. *Ne aliquis præsumeret haurire vinum cujusdam parvæ vegetis*. tom. VI. 1317. c. Item d. Veges *illa vacua erat*.
Vele, vox Germanica. *Cum vero silvam illam, quæ præ magnitudine sui* Vele *nuncupatur... possiderent*. tom. I. 394. a. 396. b.
Velvetum, pannus sericus, villosus, *velours. Almuciæ de cendeto, seu de* velveto. tom. VII. 1289. c.
Venda, venditio. *Nemus illud vendere non poterunt, quamdiu faciemus* vendas *in vicecomitatu Augi*. tom. I. 1137. d.
Veneracia, tributum pro vino, f. leg. vineritia. *Apud Girbespath medietatem* veneraciarum *& quæstus in placitis recuperavimus*. tom. VII. 75. b. Vide Cangium in vineragium.
Venerale, venereum, luxuriosum. *Opera potius scelerata committentes*, veneralia *carnaliaque*. tom. VII. 574. c.
Venetiani, nummi Venetiis cusi. tom. IV. 393. e.
Veniæ, genuflexiones. *Dum... gloriosus præsul lassata* veniis *membra quieti accommodaret*. tom. VI. 766. a.
Venna, vinna, septum ad intercipiendos pisces. *Nec de illorum piscatione quam debent habere ad illorum* vennam (*molestiam jam ullam inferre præsumat.*) tom. I. 188. c. Item 193. e. *Carolus imperator concessit... ripam Rheni fluminis... ad quamdam piscationem &* vinnam *faciendam fratribus ad monasterium Prumiæ consistentibus*. Item 224. c. tom. II. 6. c.
Vennella, parva venna. *Necnon aliam* vennellam *in fluvio Alisna* (*concessimus.*) tom. II. 6. c. Septum ad intercipiendos pisces.
Veratum, confirmatum, ut dicimus, *verifié. Quicquid exinde egeris, feceris*, veratum *etenim mandatum adme te habiturum esse cognuscas, quam vero mandatum manibus propriis subterfirmavi*. tom. I. 58. a. Verare

proprie est vera respondere, verbum haruspicum.

Verbosare, verba jactare. *Orare ibi* (in ecclesia) *debent, & inutiliter non* verbosare. tom. IX. 197. c. verbositas, ibid. verbosito pag. 218. a.

Vermesco, vermibus consumor. *Unde enim fit ut eadem corpora citius* vermescant *æstate quam hyeme, citius in calidioribus quam in frigidioribus locis.* tom. IX. 796. e.

Vestire, investire, tradere in possessionem. *Abbas nimium credulus promissionibus vicecomitis & suorum, apprehendens virgam suam, dixit: In tali conventione, ut locuti estis, audiente me,* vestio *vos, & ita vestivit eum.* tom. I. 350. d.

Vestire, colere. *Ut concederet eis Cathedram* vestire *ad mediam vestem, quod & factum est.* tom. I. 349. e. & paulo supra: *Cum gens pagana fuisset... de Fraxineto expulsa, & terra Tolonensis cœpisset* vestiri *& a cultoribus coli.*

Vestitor, qui investit, qui tradit in possessionem. *Isti monachi habebunt totam terram raptam, & nos qui sumus* vestitores, *quandoque eramus illusi, nihil habentes.* tom. I. 350. a. b.

Viagium, iter. *Quamvis in isto* viagio *non sint.* tom. I. 1409. b.

Viagium, iter, peregrinatio religionis causa. *Ordinantes certas emendas* viagiorum *vel pecuniarum.* tom. V. 211. a. & infra b. *Ne... oporteret... diversa* viagia *secundum exigentiam culparum exsolvere.* tom. V. 211. b. *Aliis pro hoc pœnitentiis aut* viagiis *injunctis.* tom. V. 476. c.

Viatoria, advocatio. *Terram... nullius hominis in se advocationem vel* viatoriam *habentem (solutam & liberam) reddidi.* tom. I.

Vicaria, jurisdictio vicarii. *Viguerie.* tom. I. 544. d.

Vicariatio, vicariatus. *Quamvis nos indigni (apostolorum Petri & Pauli principum)* vicariatione *fungamur.* tom. I. 325. a.

Vicarius, judex, *viguier. Ibidem* vicarium *suum habeant, qui justitias & districtiones secundum præceptum abbatis & monachorum faciat.* tom. I. 544. d.

Victimo, immolo. *Quasi qui* victimat *filium in conspectu patris sui.* tom. IX. 791. c.

Vigorari, firmari. tom. VIII. 447. d.

Vilanus, vestis rustica. tom. VII. 1226. d.

Villagium, vicus, ex Gall. *village.* tom. IV. 1271. c.

Vinculare, conjicere in vincula. tom. VII. 570. c.

Vinculativa custodia. Vinculativæ custodiæ *addixerunt*, id est carceri addictos in vinculis habuere. tom. IV. 395. d.

Vindragium, tributum prò vino in urbem advecto. *Hæc sunt autem quæ eis relinquo & annuo,* vindragium *scilicet ecclesiæ.* tom. I. 481. c.

Violetta, civitatis Leodiensis dicasterium, locus in quo judicia exercent scabini. *Ductus super* violettam *in foro, ubi faciebat tum palatium dominus Bare, quia esset causa sanguinis, quæ in palatio episcopi non deberet tractari.* tom. IV. 1286. b. *Duxerunt in* violetta *captivum.* 1295. d.

Virbius, bis vir, quo nomine dictus fuit Hippolytus, eo quod ad vitam revocatus, quasi bis vir fuerit; sic etiam vocatus S. Bibianus episcopus Santonensis, tom. VI. 769. b. eademque de causa.

Virega, virga. *Apprehendens* viregam *suam.* tom. I. 350. d.

Virgareum, virgetum. *Terris, vineis, olivetis, castagnetis, quercetis,* virgareis, *pratis...* tom. I. 347. e.

Virgata, certum spatium quod virga continetur. *Petiit... quod quolibet anno fierent duæ* virgatæ *tecti novi super cryptam, & in S. Nicolao.* tom. IV. 1150. b.

Virgata tunica, quæ variis coloribus distincta quasdam in longum virgas habet. tom. VIII. 1469. e.

Viriditorienses, factiosi apud Leodienses sub anno 1466. & seq. prius a scopletis seu colubrissis, quibus armabantur, dicti colubrissarii. " Crescente „ deinde numero viribusque, ait Fisenius, cum „ viride vexillum sustulissent, Viriditentoriani „ sunt appellati. „ Unde modo colubrissarii dicuntur, modo Viriditorienses, aut de viriditentorio, ut tomo IV. 1288. a. 1306. e. 1309. e. &c. Vide Colubrissarii.

Visceraliter, ex intimis visceribus. *Quando divini cultus studio* visceraliter *impellimur.* tom I. 417. c.

Visinocha febris. Vide Synocha.

Vitulamen, stolo, surculus, *rejetton. Spuria* vitulamina. tom. IV. 875. c.

Undero, influo. *Multa flumina* underant *in te, rixando in magno impetu. O fortis! Ligatura torque mammas voluptatum...* tom. II. 1016. c.

Undisia. *Ad 988. raserias bladi in puris* undisiis *debitis...* [ecclesiam suam] *obligatam invenit.* tom. VI. 618. c.

Uniformisare. *Nos quidem natura sejunctos, per gratiam* uniformisans. tom. VIII. 205. a.

Ultroneitas, libertas. *Ergo* ultroneitate *arbitrii sibi concessa abutentes.* tom. I. 295. b.

Voaria, advocatio, tutela. *Vexillum S. Florentii... ut vulgo vocamus ad* voariam. tom. V. 1127. d.

Vobisare, aliquem honoris gratia plurali numero alloqui. *Christus magister omnium neminem umquam legitur* vobisasse. tom. VIII. 177. a.

Voltare, concamerare, *vouter. Sacristiam, capitulum & cellationem contiguas de lapide* voltatas. tom. VI. 608. c.

Voltura, fornix, camera, gallice *voute. Fecit pingi apostolos Petrum & Paulum circa* volturam. tom. IV. 1139. b.

Votificare, vovere. *Præliaturi* votificabant... *victores effecti, fortuitu templa statuebant* ex voto. tom. VI. 743. d.

Ursarii, f. idem quod Huscarlæ, milites prætoriani, officiales, aulici, domestici. *Neque ego, neque* ursarii *mei, neque venatores in aliqua domorum ecclesiæ per violentiam jacebimus.* tom. I. 896. d.

Usimentum. *Dedit... quid habebat in* Unens... *in campis, pratis, silvis, nemoribus, aquis, lapidibus, &* usimentis. *Insuper* usimentum *& pasturam per totam terram suam.* tom. VI. 312. b.

Utenseria, suppellex. *Successori suo omnia coquinæ* utenseria *argentea dedit.* tom. VI. 627. c.

Utinus, consuetus, solitus. *Pauperibus vero eleemosynam de* utinis *cibis annona... dari statui.* tom. II. 130. e.

Utlagiare, vox Anglici juris, proscribere. tom. V. 871. a.

Wadium, pignus. tom. VI. 239. e.

Wagaria, mensuræ jus, seu cognitio mensurarum. tom. I. 710. c. ubi male legitur Nagaria.

Waghe, in communia villæ Mechliniæ. *De quolibet pondere quod vulgariter dicitur* Waghe *unus denarius Lovaniensis solum solvetur.* tom. I. 1423. e.

Waldus, nemus, silva. tom. I. 66. e. 67. a. b. c.

Wambosia, thorax, *pourpoint. Aliqui spoliati usque ad camisias, aliqui retinuerunt* wambosia. tom. IV. 1332. d. Wambosia *de damasco.* 1333. e.

Wanto, chirotheca, nostris *gant. Per vasonem testem, & festucum nodatum, seu ramum arborum, atque per cultellum &* wantonem, *seu vandilagine... offero.* tom. I. 347. b.

Warescapia, aquæ ductus. *Sed &* warescapia *& pascua communia, & loca publica sibi usurpabant.* tom. V. 183. c. Warescapia *sive loca communia divisit mediatim inter partes.* tom. V. 136. d.

Waringi, idem quod warengagi, advenæ. tom. V. 515. b.

Warnisio, præsidium, militum manus præsidio loci posita. *Combusserunt villas Brabantiæ de banno de Hannuto, tenentes* warnisionem *& custodiam in* Montenaken.

naken. tom. IV. 1280. c. 1368. c.

Wartole, vox Germanica. *Qui etiam ex eadem silva singulis annis in epiphania Domini, ligna quæ vulgo dicuntur* wartole *ad caminatam abbatis deferent.* tom. I. 397. d.

Werlude, ita olim dicti homines qui frumentum exigebant a mansionariis silvæ *Vele*, nomine abbatum Indensis & Brunwillarensis, ad quos hæc silva pertinebat. tom. I. 394. b. 396. d.

Wiffa, signum tutelæ a principe indultum, ut colligere est ex Ratherio episcopo Veronensi. Wiffam *etiam quoddam vocant signum*, inquit, *quod qui regali habuerit dono, & alicujus invasu alicui subjacuerit damno, vindice defenditur gladio. Quod autem terribilius inveniri potest signum quam pontificale pedalum? perspicaciorem quam desideras* wiffam, *quam eam quam capite gestant coronam? stola vero, planeta, dalmatica... quid tibi... nisi manifestissima divinæ tuitionis pariter & venerationis... produnt insignia?* tom. IX. 890. c. d.

Wiltban, jurisdictio in silva. *Præterea quatuor silvas... cum omni integritate juris, quod vulgariter dicitur* Wiltban, *libera traditione præfato monasterio donavit.* tom. I.

Wiregildum, pretii hominis solutio. *Si ecclesiæ homo interfectus fuerit, & abbas aut villicus* wiregildum *exigere poterit...* tom. I. 434. a.

Witkan. *Allodium suum in* Brunwilre... *cum omni integritate... & jure quod vulgo dicitur* witkan... *contulerunt.* tom. I. 393. b.

Vulgarizare, vulgato sermone reddere. *Dicta legenda* vulgarizata, *partim in vulgari Senensi.* tom. VI. 1275. d.

X

XAPHARDUS, tabulatum, ubi sontes capite plectuntur. *Facto* xaphardo... *decollatus est.* tom. IV. 1214. a. 1308. b. 1311. a. 1321. a.

Xenium, præstatio muneris vice. *Annis persolverent singulis unius mansi* xenium, *videlicet tres porcos & sexaginta fusas lini.* tom. II. 37. e.

Xenodoxia & cenodoxia, vanæ gloriæ cupiditas. *Aliud vitium... vana gloria, aliud* xenodoxiæ, *aliud superbia.* tom. IX. 1220. a.

Y

YCONOME, pro œconomus. *Seu per se, seu per* yconomen *suum.* tom. I. 831. e.

Ysingrini, factiosi quidam, de quibus tom. VI. 305. c. d.

Z

ZABULETUM, locus publicus Leodii, idem forte quod arena. *Facta est processio in circuitu fori & super* zabuletum. tom. IV. 1328. b.

Zabulus, diabolus. *Ne miseri tristem zabuli trudamur in ædem.* tom. VI. 823. c.

Zabolaticus. *Instigante* zabolatico *conatu.* id est diaboli, qui & zabulus dicitur. tom. I. 354. c.

FINIS.

